BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
42 - G
10

Digitized by Google

Digitized by Google

SCHOLA
ÆGIDIANA

Digitized by Google

8.42.G.10

THEOLOGIA EXANTIQUATA

IVXTA ORTHODOXAM
BEATISSIMI ECCLESIÆ MAGISTRI

AUGUSTINI DOCTRINAM

A DOCTORE FVNDATISSIMO

B. ÆGIDIO COLVMNA

Ord. Eremit. eiuſdem S. P; S. R. E. Card; Aquitaniæ Primate, & Archiepiſcopo Bituricenſi expoſitam.

Additis Quæſtionibus noſtro tempore exortis, & Recentiorum Ordine congruentiùs diſpoſito.

AVCTORE

F. FRIDERICO NICOLAO GAVARDI
MEDIOLANENSI
Eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Doctore, & Regij S.P. Auguſtini Maioris Neapolis Collegij Regente.

[stamp]

LIBRI II. SENTENTIARVM

TOMVS I.

Hic liber est Conventus Jesu Mariæ de Urbe FF. Eremit. Discalc. Ord.nis S. Augustini Cong.nis Italiæ et Germaniæ.

NEAPOLI
In Officina Typographica Antonij Gramignani. 1687.
SVPERIORI

Hic Liber
est Conuentus et Bibliothecę
Jesū Marię de Urbe
FF. Eremit. Aug. S. Augustini
Cong.e Italię.

EM.MO ET REV.MO PRINCIPI

IOANNI NICOLAO DE COMITIBVS

S. R.E. CARDINALI

Eccleſiæ Ancònitanæ Epiſcopo &c.

NON ſine occulto Prouidentiæ fato factum fuiſſe crediderim, vt cui plus debeo, obedientia coactus diſtulerim ſoluere, priuatique obſequij ius publici iuris typis efficere, Emin; & Reuerendiſſ. Princeps, Cardinalis ampliſſime. Res, quæ in hoc libro peragitur, id reor egiſſe; vt Tibi tantùm ſeruaretur dicanda, quæ dignè alteri offerri non poterat. Primæua rerum exordia non niſi primo inter omnes Patrono valebant congruere. Si nihil Mundi Geneſi antiquius, ac nobilius exiſtit; cui expoſitionem *Geneſeos* conuenientiùs obtuliſſem, quàm Tibi, qui Tuæ ducis nobilitatem originis quacunque antiquitate antiquiorem? Imperatorij faſces Tuos cinxerunt Maiores, non vt imperio augerentur, ſed *Baron.*
vt augerent Imperia. Vniuerſi dominium in Mundi creatione primis à Deo datum hominibus æquali amplitudine ad Tuos tantùm deuenit, qui totum Terrarum Orbem Romanæ ſubegerunt ditioni, vt Vniuerſo ſibimetipſis ſubiecto quantùm ſuper ceteros, tantùm ceteros infra ſe eſſe monſtrarent. Sed ne ſolo profanæ titulo Maieſtatis viderentur inſignes, Sacra quoque toties vltro delata fuit ſuprema Poteſtas, vt inter homines Diui haberentur, & Principes. Magnificentia, & Religio cum lacte in Tuis ſemper fuit traducta; illa Principes, hæc pios formauit; illa magnos, hæc optimos; illa, vt poſſent, quantùm vellent, hæc vt vellent, quantùm poſſent, effecit. Hæc Tuæ Geneſeos decora quænam altera Stirps ſibi iacter communia? Quæ familia parem Maieſtate, & antiquitate oſtentet originem? Qui Sanguinis claritatem exambiunt, Tuo ſe tanquam ramulos Stipiti nituntur inſerere; Tua etenim Aquila, & Gentilitia vexilla ſunt certiſſima Imperatoriæ nobilitatis inſignia, quæ non accepit, ſed dedit Romano, quod inſtituit, dignitatem Imperio. Et quænam Religio, quàm Auguſtiniana, Tuo Sanguine illuſtrior?
S. Ambroſius Probæ Aniciæ gentis inclytum germen, ex qua directa paternæ *Baron.*
propagationis ſerie deſcendis, Fundatorem Auguſtinum baptiſmo luſtrauit, illuſtrauit & Fide; non enim parturiundus erat ad Fidem, niſi ex gente Auguſta Auguſtinus. S. Alipius Tagaſtenſis Epiſcopus gente pariter ſatus Anicia Comes Au- *Io. Pet. Creſ.*
guſtino indiuiſus, & Filius, & adiutor prima Ordinis fundamenta promouit. S. Paulinus Nolanus Auguſtini diſcipulus, vt illius teſtantur epiſtolæ, naſcentis Religionis Anicia auxit origine originem; vt Patritia Auguſtini nobilitas incomparabili fieret Filiorum ſanguine clarior. At nedum Viri, ſed & fœminæ Aniciæ illuſtria reddiderunt Religionis initia. Proba, Iuliana, & Demetriades Virgo ab Auguſtino adoptantur in filias. Sed non ſine fœnore; nam familia, cui nihil ſupererat ad augendum nobilitatis faſtigium, ab Auguſtino fuit reddita Cœlis ſanctitate, & doctrina glorioſior; vt nedum (inquit ipſe Auguſtinus) optabilis *Ep.179.*
eſſet Aniciana nobilitas, ſed fieret imitabilis ſanctitas: *Generoſiùs quippe elegit Ani-*

ciana poſteritas tam illuſtrem familiam beare nuptias neſciendo, quàm multiplicare pariendo; & in carne iam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne numerum iam augere mortalium &c. Vt quæ ſibi optant Anicianam claritatem, eligant ſanctitatem. Humanæ dignitatem Proſapiæ Angelicarum dotium præſtantia Auguſtinus ornauit; vt reliquam huius Libri materiem, quæ Angelorum, Actuumque humanorum continet tractationem, Tibi ſoli ſeruandam fuiſſe dignouerim ad explicandam hanc vicem nobilitatis, & ſanctitatis reciprocam. Vt Auguſtinianam familiam Tua Gens Imperatrix Orbis, & victrix adoptaret in ſuam, Aquilam Imperij ſignum Auguſtino conceſſit, quem inuictiſſimum contra Hæreticos Imperatorem Eccleſiæ dixit Ambroſius. Sed Tuam Aquilam quadris aureis inſignem reddidit Auguſtinus proprio nomine dictus Aurelius, dum eam in Tuis tranſtulit Cœlo, de quo
Apoc. 21. ait *Io: Ciuitas in quadro poſita; & ipſa Ciuitas aurum.* Auguſtini demum Rempublicam in tot membra diſciſſam ad vnitatem redegit Alexander IV. ex Tuis; eam
Ciac. to. denuo quaſi diſiectam refecit, Pontificioque perpetuò præfecit Sacrario; *Italia*
1. Elſ. Aegid. *quippe rebellante, deficiente Vrbe, deſciſcente Clero Vnus Eremitarum Ordo ſtetit in*
I uerb. *Fide, & Pontificis decreta Danielis more ipſis leonum ſeruauit in faucibus.* Hæc arbitror fuiſſe Prouidentiæ conſilia, quibus Tibi fuit ſeruatum hoc opus, Auguſte Cardinalis ampliſſime. Adderemque volumen hoc tertium Tibi offerendum fuiſſe; vt Religio, cuius initium Tuo Sanguine adeo fuit illuſtre; cuius progreſſus vnitate à Tuis fuit refectus, à Tuis adhuc perfecto numero ſe perficiendam ſperaret. Sed cur Tibi potiùs, quàm alteri ex Tuis hoc eſſet ſiſtendum; arbitror id vnum fuiſſe; non quia fuerint Te illi minores, ſed quia illis maiorem Te minorando effeciſti; cùm etenim ſummum eorum faſtigium creſcendo ſuperare nequiueris, Magnitudinis Tuæ ſecurus Te diminuendo excelluiſti; in hoc ſuper omnes, quòd Te infra omnes reponis. Non maximum, ſed optimum ſtudes Te reddere eo admirabilior, quo melior. Roma Tuorum aſſueta dominio Te gubernantem agnouit pietate illis æqualem, æquitate non diſparem; ſenſitque, quantùm interſit inter natos, & datos Imperio. Tuas Aquilas, & vexilla magno gradu viſus es anteire; cùm in ſummo rerum diſcrimine egiſti, non vt meliora ſuccederent tempora, ſed vt felicia retrocederent ſæcula. Ornaſti Purpuram, cùm Te ornauit; nec Tu illa veſtitus magis eminere potuiſti; ſed Te illam veſtiente reddita eſt illa eminentior. Anconitanæ præfectus Eccleſiæ Te talem illico præbuiſti, quales alij Præſules magni polliceri ſe ſolent futuros. Pauperes de Tuis alimentis aluntur; & vbi ſuorum deficit parentum inopia, generoſiſſima Tui vnius abundè vna ſufficit pietas. Tibi debent ſua lilia tot Virgines, quæ ſeruas; innocentiam tot ſontes, quam reuocas; & iuſtitiam tot rei, quos ab iniquitatis mancipio non deſinis ſecreto pretio redimere. Quòd nec rogari ſuſtineas; ſed antequam petat, miretur quiſque ſibi delatum; quod optat, dos Tui Sanguinis eſt, quam adeo celebrat S. Ambroſius. Quòd omnia humanitatis officia cunctis exhibeas, nec repetas; eſt manifeſtum inexhauſtæ bonitatis indicium, quæ nullo indiget ſuperis ſimilis. Sed hæc tetigiſſe ſatis; modeſtiſſimè etenim amas laudes mereri, ſed non laudari; nec minima laudum Tuarum hæc eſt Te laudabilem reddere, & laudes nolle. Ne igitur Tuum demerear amorem (ſi namque Tuos non amare non vales, quia optimus es; nos non diligere nequis, qui Tui, quia Tuis promiſcui, ſumus) à reliquis abſtineam; hoc ſolùm nactus, quòd ipſumet hoc volumen Tibi, Tuiſque moribus adeo conforme maius, quàm aliud, quod poſſem afferre, Tuæ Magnitudinis erit elogium. Vale.

Fr. Fridericus Nicolaus Gauardi Aug.

PRAEFATIO.

EXpoſitionem Geneſeos ad mentem Beatiſſ.P.Aug. explicatam præliminium huius libri occupare decreuimus; vt tot cenſuras riſu potiùs, quàm ratione excipiendas illudamus. Sententiam adeo ſublimem,& ſupra captum hominis longè eleuatam carpere auſi ſunt multi non ſtudio, ſed numero. Andabatæ potiùs, quàm aduerſarij obuias tenebras ſuæ mentis percutiunt; & diſparata magis verborum congerie, quàm ſtabilibus rationum momentis montes extollunt non ad euertendam adeo ſubtilem intelligentiam, ſed ad parturiendos ridiculos mures. Nec conquerendi locus eis relinquitur,ſi his, grauioribuſque notis ſentiant ſe corripi; iuſtè enim diſcipulus condiſcipulum increpat communi irrationabiliter ſuccēſentem Magiſtro; quo docente poſſent proficere ad percipiendas ſecretiores huius diuinæ ſcientiæ quæſtiones; & quo aduerſante in errores periclitātur deficere, quibus ignorantiæ obuoluantur caligine. Sciant ſe reprehendere,qui tot defenſores,quot pios habēt lectores. Aduertant ſe animaduertere in eos, qui nedum communi Sapientum ſuffragio, ſed Eccleſiæ conſenſu intelligentiam tranſcendunt humanam,ac propterea eorum animaduerſiones nec ſapientiæ, nec pietatis laudem conſequi poſſe. Errores timeant, vt caueant. Proprium ſenſum ita amplectantur,vt alienum fortaſſe veriorem, altioremque ſuſpiciant. Semetipſos humiliter noſcant, & inuenient ſe aues ſine pennis in terris reptantes, ſublimeſque volantium auium nidos irridentes. Exponant, quod valent percipere,ſed venerentur expoſitiones, quas eorum tarditas nequit attingere;audiantque *eundem Præceptorem Sanctiſſimum lib.1.de Gen.ad lit.c.20. Non aliquid vnum temerè affirmans cum præiudicio alterius expoſitionis fortaſſe melioris,vt pro modulo ſuo eligat quiſque, quod capere poſſit.Vbi autem quid intelligere non poteſt, Scripturæ Dei det honorem, ſibi timorem &c. Cohibeant ſe tandē,qui literis inflati ſæcularibus hæc ita poſita,vt omnia corda nutriāt,velut imperitū, atq;impolitum aliquid exagitāt,ſine pennis in terris reptantes,et volaturarum auium nidos irridentes.*

CENSVRA.

EX mandato Reuerendiſſ.P.Magiſtri Fulgentij Traualloni à Monte Elparo Georginatis totius Ord.Erem. S.P.Auguſtini Prioris Generalis perlegi Tomum tertium conſcriptum ab Adm. Reu; ac Eximio P. Magiſtro Friderico Nicolao Gauardi prædicti Ordinis Sacræ Theologiæ Doctore, ac Collegij Neapolitani Regente. Nihil in eo deprehendi, quod cum Orthodoxa Fide, & Chriſtianis moribus apprimè nō cōſentiat.Quinimò adeo clarè,ac profundè explicat germanā Doctrinā noſtri Fūdatiſſimi Doctoris Aegidij Romani, exquiſitiſſimis S.P.N.Auguſtini teſtimonijs,& Scholaſtico robore ſolidè firmatam,vt difficillima quæque intellectu facillima ſolita ſui feliciſſimi, & clariſſimi ingenij vena reddantur. Opus igitur digniſſimum cenſeo, vt præli beneficio iuris publici fiat, omniumque in oculis magno eruditionis incremento verſetur. Datum Neapoli die 6. Septembris 1687.

F.Auguſtinus Caſtello Hybernus Collenſis Ord.Erem.S.P.Aug. in Reg.Conu.S.Ioan.ad Carb.Mag.Reg.

CENSVRA.

NOn exhauſta,neque effæta,ſed ſemper magis,magiſque vigente ingenij,& doctrinæ vi tertiū hunc ſuæ Theologiæ tomum emittit in lucem A. R. P. M. F.Fridericus Nicolaus Gauardi Mediolanenſis noſtri Neapolitani Collegij Regens. Quod opus non tantùm nullo contra Fidem, aut bonos mores errore infectum affirmo,ſed etiam duobus alijs iam editis, ac probatiſſimis præſtātius dicere auderem,niſi de huius Viri Operibus illud verificaretur,quod de Demoſthenis Orationibus dixit Tullius,illud eſſe melius,quod prolixius. Quare typis digniſſimum cenſeo. In Conuentu S.P.N.Auguſtini Neapolis 11.Nouembris 1687.

F.Bartholomæus Riccius Neap.Ord.D.Aug;& Neap.Collegij Mag. ex commiſſione Reuerendiſſ.P.noſtri Generalis Operis reuiſor.

Mag.Fr.Fulgentius Traualloni à Monte Elparo Georginas totius Ord.FF.Erem. S.P.N. Auguſtini Prior Generalis.

CVm tertius Tomus Theologiæ Scholaſticæ iuxta Doctrinā Beatiſſ.P.Aug; & Fundatiſſ.Doct. Aegidij à Reu.P.Mag.Friderico Nicolao Gauardi Mediolanenſi Noſtri Collegij S.Auguſtini Maioris Neap. Regente elucubratus per viros à Nobis ad id deputatos, recognitus, probatus, publicaq;luce dignus habitus ſit,præſentium tenore,noſtriq;muneris auctoritate facultatem, quātum ad Nos ſpectat,ipſum imprimendi concedimus,& impertimur. Dat.Neap.die 10.Nou.1687.

F.Fulgentius Traualloni Prior Generalis Ind.

Noſtri muneris affixo ſigillo. *Mag.Reg.Nicolaus Serani Secr.* Reg.lib.3.

In Congr.habita coram Emin.Dom.Card.Caracciolo Archiep.Neap.ſub 24.Aprilis 1682.fuit dictum,quòd R.P.Dominicus Antonius Coragius Soc.Ieſu reuideat,& in ſcriptis referat eidem Congreg.

Stephanus Menattus Vic.Gen.
Ioſeph Imperialis Soc.Ieſu Theol.Emin.

EMINENTISSIME DOMINE.

EX mandato Eminentiæ Tuæ omni cura perlegi, omnique attentione luſtraui tertium tomum Theologicum De Creatione,de Angelis, ac de Actibus humanis Admodum Reu. Magiſtri P.Friderici Nicolai Gauardi Regalis Collegij S.P.Auguſtini Maioris Neapolis Rectoris. Maluiſſem equidem,vt mihi Encomiaſtis perſona,non Cenſoris fuiſſet impoſita.Adeo verum eſt nō modò nihil in Opere præclariſſimo inueniri poſſe, quod Ortodoxis dogmatibus , aut ſanctis moribus abſonet,verùm etiam digniſſimum eſſe, vt diurna , nocturnaque manu verſetur ab omnibus Sacræ Theologiæ ſtudio deditis,illudque obuijs vlnis literarius Orbis excipiat.In extricandis ambagibus feliciſſimus,in dilucidando perſpicuus,in diſceptando acutus,profundus,acerrimus omnes abſolutiſſimi Præceptoris partes adimplet. Propterea prælo omnino mandandum exiſtimo,ſi Tuæ Emin. placitum acceſſerit.E Collegio Neapolitano Soc.Ieſu.Die 10.Nouembris 1687.

Emininentiæ Tuæ.

Humillimus ſamulus
Dominicus Antonius Coragius Soc.Ieſu.

In Congreg. habita coram Emin.Dom.Card.Caracciolo Archiep. Neap. ſub 25.Ian.1683.fuit dictum,quòd ſtante ſupradicta relatione imprimatur.

Stephanus Menattus Vic.Gen.
Ioſeph Imperialis Soc.Ieſu Theol.Emin.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

FR.Federico Nicola Gauardi da Milano Agoſtiniano deſiderando ſtampare il terzo Tomo della ſua Teologia ſupplica l'E.S.degnarſi deputargli il Reuiſore,quàm Deus &c.

R.P.Nicephorus Sebaſtus S.T.M. videat, & in ſcriptis referat.

Calà Regens. Soria Regens. Florillo Regens.

Prouiſum per S.E.Neap.die 17.Aprilis 1682. Comus.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

DE mandato Excell. Veſtræ ſedulò tertiū huius eximij Auctoris librum perlegi ab eo inſcriptū *Schola Aegidiana*, & typis digniſſimus mihi viſus eſt non minùs,quàm primus, & ſecundus ab eodem Auctore typis mandati, & approbati. Nihil, quod Regiam Iuriſdictionem perturbet,in eo reperi,ſed totum Auctoris ſtudium,vt animaduerti,eſt D.Aegidij ſcholam perficere,& omnino complere,hæc ſunt omnium vota.Quid plura ! Auctor tanto cum ingenij ſplendore,doctrinæ ſoliditate,& eruditionis raritate hanc ſcholā exponit,vt Aegidius in ipſo prorſus reuixiſſe videri poſſit. Prodeat igitur in lucem , vt ſuæ lucis ſplendore vna cum euulgatis , & ceteris quàm primùm euulgandis omnium Scholaſticorum caliginoſa diſſipet commenta.Ita ſentio,& cenſeo.Dat.Neap. hoc in Regio S.P.Aug.Cœnobio hac die 11. Nouembris 1687.

Fr.Nicephorus Sebaſtus Ord.Er.S.P.Aug; & Neap.Collegij S.T.M; Archiep.Curiæ Exam.Synod;itemq;librorum Cenſor S.Off.de Vrbe in Regno,ac eiuſdem Sac.Cong.Indicis Conſultor.

Viſa relatione imprimatur, verùm in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.

Carrillo Regens. Soria Regens. Florillo Regens.

Prouiſum per S.E.Neap. die 19.Auguſti 1682. Comus.

IN-

INDEX QVAESTIONVM.

Quæſt.I. In Hexameron.
Art.I.Quid ſignificet: *In principio*? 2
Art.II.Quid ſignificet: *Creauit*? 4.
Art.III.Quid ſignificet hoc nomen *Deus*? 6.
Art.IV. Quid ſignificetur nomine *Cœli*, *& terræ*? 8.
Art.V.Quid ſignificent illa verba: *Terra autem erat inanis,& vacua*? 11.
Art.VI. Quid ſignificent illa verba: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*? 14.
Art.VII. Quid ſignificent illa verba: *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*? 16.
Art.VIII. Quid ſignificent illa verba: *Dixitque Deus: Fiat lux,& facta eſt lux*? 18.
Art.IX. *Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris; appellauitque lucem Diem, & tenebras noctem; factumque eſt veſpere,& mane &c.* 20.
Art.X.Quid ſignificent illa verba: *Dies vnus*: ſeu an ſex dies creationis fuerint dies naturales vigintiquatuor horarum; vel fuerint vnicum inſtans ita, vt Mundus fuerit momento temporis creatus? 22.
Art. XI. Quid, & quotuplex ſit ratio ſeminalis? 34
Art.XII.Afferuntur aliqua quæſita. 37.
Quæſt.II.De creatione,& principio creatiuo.
Art.I.Explicatur definitio creationis. 46.
Art.II. Quid importet creatio ex parte Dei, & creaturæ? 53.
Art. III. An virtus creatiua poſſit principaliter communicari creaturæ? 61.
Art. IV. An creatura poſſit eleuari, vt cauſa inſtrumentalis,ad creandum? 69.
DE ANGELIS.
Quæſt.I. De ſubſtantia Angelorum.
Art.I.Quid ſint,& an ſint Angeli? 75.
Art.II.An Angeli ſint corporei. 78.
§.1. An Beatiſſ.P.Auguſtinus aſſeruerit,vel ſaltē dubitauerit Angelos eſſe corporeos? 79.
§.2.An Angeli componantur ex forma ſpirituali,& materia phyſica? 83.
§. 3. An Angeli componantur ex materia ſpirituali? 86.
Art.III.An Angeli includant aliquam compoſitionem realem? 87.
Art. IV. An Angeli ſint naturaliter incorruptibiles? 90.
Art. V. An Angeli ſint, vel poſſint eſſe plures ſpecie? 95.
Art.VI.De numero Angelorum. 104.
Quæſt.II. De loco Angelorum.
Art.I.An,& quomodo Angelus ſit in loco? 107.
Art.II. Quænam ſit ratio conſtitutiua Angeli in loco? 110.
Art.III. An Angelus poſſit eſſe in loco minori in infinitum? 116.
Art.IV.An Angelus poſſit eſſe in puncto? 120.
Art.V. An idē Angelus poſſint eſſe in pluribus locis? 122.
Art.VI.An plures Angeli poſſint eſſe in eodem loco? 127.
Quæſt.III. De Motu Angelorum.
Art.I.An Angeli propriè moueantur? 131.
§.1. An Angeli ſaltem per accidens moueantur per loca? 136.
§. 2. In quo conſiſtat mutatio loci Angelorum? 137.
Art.II. An motus Angeli ſit continuus, vel diſcretus? 138.
Art.III. An Angelus poſſit tranſire de loco ad locum non tranſeundo medium? 142.
Art.IV.An Angeli moueantur in inſtanti? 146.
Quæſt.IV. De cognitione Angelorum.
Art.I. An Angelus intelligat ſeipſum per ſuam ſubſtantiam? 151.
§. 1. An intellectio Angeli diſtinguatur realiter ab eius ſubſtantia? *Ibid.*
§.2. Affertur reſolutio articuli. 153.
Art.II.An Angelus cognoſcat alia à ſe per ſubſtantiam propriam,vel alienam? 157.
Art.III.An Angeli cognoſcant alia à ſe per ſpecies? 162.
Art.IV.An Angelus ſumat ſpecies à rebus? 167.
§.1.An in Angelis ſit intellectus agens? *Ibid.*
§.2.Reſoluitur difficultas principalis. 171.
§.3.An ſpecies ſint proprietates intellectus Angeli? 178.
§. 4. An Angelus per ſpeciem vniuerſalem cognoſcat particularia? 181.
Art.V.An Angeli ſuperiores intelligāt per ſpecies vniuerſaliores? 187.
§. 1. An Angeli ſuperiores habeant pauciores ſpecies? 192.
Art.VI.An Angeli intelligant diſcurrēdo? 194.
Art. VII. An Angelus plura ſimul cognoſcat? 197.
Art.VIII.An Angelus cognoſcat futura? 202.
Art.IX.An Angeli noſcant ſecreta cordis? 208.
Art. X. An Angelus naturaliter cognoſcat myſteria gratiæ? 216.
Quæſt.V.De locutione Angelorum.
Art.I.An,& quomodò Angeli loquantur? 220.
Art.II.Quot modis loquantur Angeli? 227.
Quæſt.VI.De Actibus Hierarchicis.
Art.I. An, & quomodò Angelus ſuperior purget,illuminet,& perficiat inferiorem? 229.
§.1.An Angelus ſuperior purget inferiorē? *Ibid.*
§.2. An,& quomodò Angeli ſuperiores illuminent inferiores? 230.
§. 3. An Angelus ſuperior perficiat inferiorem? 237.
Art.II.Soluuntur aliquot quæſita. 239.

Quæſt.

INDEX QVÆSTIONVM.

Quæſt. VII. De Amore naturali Angelorum.

Art.I. An Angelus naturaliter amet ſeipſũ? 241.
Art. II. An Angelus neceſſariò amet alia à ſe? 243.
Art. III. An Angelus naturaliter amet Deum pluſquam ſe? 244.

Quæſt. VIII. De Gratia, & Gloria Angelorum.

Art.I. An Angeli fuerint creati beati? 250.
Art.II. An fuerint creati in gratia? 255.
Art.III. An ſe diſpoſuerint ad gratiam? 262.
Art.IV. An meruerint Beatitudinẽm? 262.
Art.V. An habuerint inæqualem gratiam? 267.

Quæſt. IX. De Culpa, & pœna Angelorum.

Art.I. An Angelus potuerit peccare contra legem naturalem, & ſupernaturalem? 271.
§. 1. An malitia in voluntate ſupponat ignorantiam in intellectu? Ibid.
§. 2. Reſoluitur articulus. 274.
§. 3. An ſit poſſibilis creatura impeccabilis ſimpliciter? 279.
Art. II. An Angelus in primo inſtanti potuerit peccare, vel mereri? 282.
Art. III. Quod fuerit primum peccatum Angelorum? 287.
Art. IV. Quod fuerit motiuum ſuperbiæ Angelorum? 291.
Art. V. Quantum temporis intercefferit inter creationem, & lapſum Angelorum? 295.
Art. VI. Quæ ſit cauſa obſtinationis Dæmonum? 299.
Art. VII. Afferuntur aliquot dubia? 304.

Quæſt. X. De Hierarchijs, & Ordinibus Angelorum.

Art.I. Afferuntur definitiones hierarchiæ. 307.
Art. II. An diuiſio hierarchiæ ſit rectè aſſignata? 309.
Art.III. Reſoluuntur aliquot quæſita. 312.
Art.IV. An Angeli adæquatè diuidantur in nouem ordines? 314.
Art.V. An ordines Angelorum ſint rectè diſpoſiti? 317.
Art.VI. An homines aſſumantur ad ordines Angelorum? 318.
§. 1 Soluuntur aliqua quæſita. 320.

Quæſt. XI. De Miſſione Angelorum.

Art.I. An Angeli verè mittantur. 322.
Art.II. An omnes Angeli mittantur? 324.
Art. III. An Angelorum miniſteria impediant viſionem Dei? 325.

Quæſt. XII. De Cuſtodia Angelorum.

Art.I. An Angeli deputentur ad cuſtodiam hominum? 326.
Art.II. Cuius ordinis ſint Angeli cuſtodes? 327.
Art.III. An quilibet habeat ſuum cuſtodẽ? 329.
Art.IV. Afferuntur aliquot quæſita. 331.

Quæſt. XIII. De Inſidijs Dæmonum.

Art.I. An Dęmones poſſint deludere ſenſus hominis? 335.
Art.II. An poſſint immutare intellectũ? 336.
Art.III. An poſſint cludere voluntatem? 337.
Art. IV. An Dæmones victi ceſſent ab impugnatione? Ibid.

Quæſt. XIV. De Aſſumptione corporum.

Art.I. An Angeli poſſint aſſumere corpus? 339.
§. 1. An Angeli poſſint aſſumere corpora, tanquã formę informantes? Ibid.
§. 2. An Angeli vniãtur naturaliter corporibus, tanquam motores? Ibid.
§. 3. An poſſint ſuppoſitare naturam corpoream? 340.
§. 4. Reſoluitur articulus. 341.
Art.II. Ex qua materia Angeli forment corpora aſſumpta? 343.
Art.III. An Angeli in corpore aſſũpto exerceãt opera vitæ? 344.
Art.IV. An in corporibus aſſũptis ſentiãt? 345.
Art.V. De ingreſſu Dęmonum in corpora, & vexatione corporum. 346.

Quæſt. XV. De Menſura Angelorum.

Art.I. Quænam ſit menſura eſſe Angelorũ? 348.
§. 1. Aſſertur definitio menſuræ Angelorũ. Ibid.
§. 2. Reſoluitur articulus. 351.
Art. II. An ſit vnum æuum omnium Angelorum? 353.
Art. III. An æuum importet aliquam ſucceſſionem? 357.
Art.IV. Afferuntur aliquot quæſita. 360.
Art.V. An operationes Angelorum menſurentur tempore? 362.
Art. VI. An nunc æui, & nunc temporis ſint idem? 366.

DE VLTIMO FINE.

Quæſtio Vnica.

Art.I. An Deus ſit vnus finis vltimus omnium creaturarum? 370.
§. 1. An finis intermedius ſit propriè finis? 371.
§. 2. Expeditur articulus. 373.
Art.II. An homo velit omnia propter finẽm vltimum? 374.
§. 1. An omnes actiones hominis ſint effectus finis? Ibid.
§. 2. Diſcutitur articulus. 377.
Art.III. An idem homo poſſit tendere in plures fines adæquatos? 381.
Art. IV. An omnia agentia agant propter finem? 384.

DE BEATITVDINE.

Quæſt. I. De Beatitudine obiectiua.

Art.I. In quo conſiſtat beatitudo ſupernaturalis obiectiua? 389.
Art.II. An beatitudo obiectiua importet formaliter Deum, vt vnum, & trinum? 392.

Quæſt. II. De Beatitudine formali.

Art.I. An noſtra beatitudo formalis conſiſtat in aliquo increato? 396.
Art.II. An noſtra beatitudo formalis conſiſtat in illapſu? 401.
§. 1. An illapſus poſſit conuenire creaturæ? Ibid.
§. 2. Reſoluitur articulus. 403.

Art.

INDEX QVÆSTIONVM.

Art. III. An beatitudo formalis conſiſtat in operatione à nobis elicita ? 405.
Art. IV. An beatitudo formalis conſiſtat in actu voluntatis ? 409.
Art. V. Quomodo ſpectent ad beatitudinem delectatio, & gaudium ? 415.
Art. VI. An ad amorem beatificum requiratur habitus charitatis ? 417.
Art. VII. An beati queāt liberè ceſſare ab amore Dei ? 420.
Art. VIII. Quomodò beatitudo ſit inamiſſibilis ? 424.
Art. IX. An beatus poſſit peccare ? 427.
Art. X. An, & quæ inæqualitas ſit in beatis ? 431.

Quæſt. III. De Beatitudine animæ, & corporis.

Art. I. An animæ Iuſtorum ſtatim poſt mortem conſequantur beatitudinem ? 435.
Art. II. Quæ, & quot ſint dotes animæ beatæ ? 437.
Art. III. Aū, & quæ ſint dotes corporis glorioſi ? 439.
Art. IV. Quid, & quot ſint Aureolæ ? 442.
Art. V. De fructibus Beatitudinis. 444.
Art. VI. De Reſurrectione corporis quæſita. 445.

DE ACTIBVS HVMANIS.

Quæſt. I. De Actibus humanis in communi, ſeu voluntario, & inuoluntario.

Art. I. Quid, & quotuplex ſit voluntarium ? 446.
§. 1. Quid ſit voluntarium ? Ibid.
§. 2. Quotuplex ſit voluntarium? 449.
Art. II. Quodnam ſit principium formale voluntarij liberi; & quibus conueniat ? 454.
§. 1. Quid importet formaliter liberum arbitrium ? Ibid.
§. 2. Quibus conueniat liberum arbitriū? 458.
Art. III. An queat dari pura omiſſio libera ſine omni actu ? 461.
Art. IV. An euentus orti ex omiſſione ſint voluntarij ? 467.

Quæſt. II. De Inuoluntario.

Art. I. Quid, & quotuplex ſit inuoluntarium ? 469.
§. 1. Quid ſit violentum ? Ibid.
§. 2. Expeditur articulus. 472.
Art. II. An voluntas creata à Deo poſſit cogi ? 473.
Art. III. Afferuntur aliquot quæſita. 477.
Art. IV. An metus cauſet inuoluntarium? 478.
Art. V. An concupiſcentia augeat, vel minuat inuoluntarium ? 480.
Art. VI. An ignorantia cauſet inuoluntarium ? 483.

Quæſt. III. De Motione voluntatis ad ſuos actus.

Art. I. An, & quomodò voluntas creata moueatur à Deo ? 487.
Art. II. An voluntas moueatur ab obiecto ? 490.
Art. III. An, & quomodò voluntas moueatur ab intellectu ? 492.
Art. IV. An voluntas moueatur ab appetitu ſenſitiuo ? 494.
Art. V. An voluntas moueat ſeipſam ? 496.
Art. VI. An voluntas ſe moueat ad primum velle ? 499.
Art. VII. An, & quomodò voluntas moueat alias potentias ? 502.

Quæſt. IV. De Actibus humanis in ſpeciali.

Art. I. An voluntas ſit tantùm finis ? 505.
Art. II. An intentio ſit actus voluntatis? 506.
§. 1. Reſoluitur difficultas propoſita. Ibid.
§. 2. An voluntas eodem actu poſſit tendere in finem, & media ? 507.
Art. III. Quid importet conſilium ? 511.
Art. IV. Quid ſit conſenſus, & ſententia? 514.
Art. V. An imperium ſit actus voluntatis? 515.
Art. VI. Quid, & de quibus ſit electio ? 518.
§. 1. Quid ſit electio, & cuius potentiæ, & obiecti ſit actio? Ibid.
§. 2. An voluntas ex duobus medijs æqualiter bonis poſſit vnum eligere, alio relicto; & ex duobus inæqualiter bonis eligere minus relicto maiori ? 519.
§. 3. An media habeant bonitatem diſtinctam à bonitate finis ? 522.
Art. VII. Quid ſit, & quid importet vſus? 525.
Art. VIII. Quid importet fruitio ? 527.

Quæſt. V. De bonitate, & malitia actuum humanorum.

Art. I. In quo formaliter conſiſtat moralitas ? 530.
§. 1. Quænam ſint regulæ moralitatis? Ibid.
§. 2. Expeditur articulus. 334.
Art. II. An actus ſumat bonitatem, & malitiam ab obiecto ? 537.
Art. III. An actus boni ſumant bonitatem, & malitiam à circunſtantijs ? 541.
Art. IV. An actus habeant bonitatem, & malitiam à fine ? 544.
§. 1 Soluuntur aliquot dubia. 545.
Art. V. An bonitas, & malitia ſint differentiæ eſſentiales actus humani, ſeu an actus bonus poſ-

poſſit fieri malus, & è contra? 547.
§. 1. Quid dicendum ſit de actibus ſupernaturalibus? 550.
§. 2. An idem actus poſſit eſſe ſimul bonus, & malus? 553.
§. 3. An actus exterior addat bonitatem, vel malitiam interiori? 555.
Art. VI. An dari poſſit actus indifferens? 559.

Quæſt. VI. De Syntereſi, & conſcientia.

Art. I. Quid ſit Syndereſis, ratio, & conſcientia? 563.
§. 1. Quid ſit ſyndereſis, ratio, & quid, & quotuplex conſcientia? *Ibid.*
§. 2. An poſſit eligi opinio minùs probabilis relicta probabiliori? 564.

D E

DE CREATIONE RERVM
P R O E M I V M.

A*Magnitudine enim ſpeciei , & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri. Sap.* 13. Quædam Creatoris deſcriptio eſt creatura ; etenim ſicut aquæ omnes in Orbem Terrarum diffuſæ non ſunt niſi maris portiunculæ , à quo dirimuntur in terras , vt ipſum in ſuo centro inuiſibile , & inſcrutabile ſcrutandum , ac videndum diminutum in partes oſtendant ; ita creaturarum vniuerſitas nõ eſt niſi Dei ad extra diffuſio, ac multiformis particula;quæ ipſum in ſe ipſo innoſcibilem diminutè extra ipſum declarat. Diuinarum pulcritudo Idęarũ,quæ ſuorum ſplendorũ copia ſeſe occulit , ne oculis noſtris appareat, in hac rerum ſerie delineata conſpicitur; & quo pulcriùs diſcriminata videntur artefactorũ genera, eò faciendorum in Sũmo Artifice elegãtiùs variatæ apparent rationes. Spiritales ſubſtantiæ ordinis dignitate,velut generis nobilitate, ſimpliciſſimam ſui Conditoris puritatem oſtendunt. Rationalis Natura nedum commune cum cęteris veſtigium , ſed munere ſingulari illius Summæ Triadis repræſentat imaginem. Corpora Cœleſtia tot motibus irrequieta , ſuis adeò illuſtria ſplendoribus , inacceſſam Supremi Opificis refulgurant lucem. Animalia ſenſum, Plantæ vitam ſortiuntur; & reliqua ſenſu , vitaque carentia ſuis cuilibet proprijs perfectionum ſpeciebus , quibus inſigniuntur , ſummam omnium rerum continentiam in Deo demonſtrant ita,vt infinita illa, ac ſemper ſuis perfectionibus plena Creatoris natura,velut perfectionum officina indeficiens, ſine ſui diuiſione ſe diuidat,ac patiatur exteriùs; ſine ſui effuſione ſe effundat, & abſque decremento communicet. Speculum igitur, in quo poteſt Creator in ſe ipſo inuiſibilis videri,eſt creatura ; Vmbra illius euerberans radios; Aenigma inexplicabiles perfectionum explicans nodos. Ideo teſtatur *Sapientia: A magnitudine ſpeciei cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* A magnitudine *ſpeciei*,ſpecioſitatis nimirum, & pulcritudinis, quæ in creaturis perſpicuè reſplendet ; & à perfectione , qua magnæ ſunt creaturarum ſpecies , perſpicuum Creatoris deſumi poteſt argumentum, & ſpecimen . Pulcritudo namque molis huius Mundialis ex rerum creatarum ordine , ac varietate præcipuè conſurgit, quo ab vnico omnium Principio fluunt,refluuntque ad eundem vnum omnium Finem; qui ſimul *Alpha*, & *Omega* omnes inchoat , terminatque creaturas , quæ ceu caracteres, ſeu literæ deſcendentes ab ipſo,& in ipſum ſcandentes Alphabeto mirabili formant Scripturam,quæ Summam illius Maieſtatem deſcribit ad literam. Diuerſa inſuper perfectionum genera , quibus ornatur hæc Machina , venuſtatem illius inſinuat , varijſque , quaſi definitionum lineis , latentem illum omnium perfectionum cumulum delineant .

Aptè ergo ad Theologum,cuius munus,& labor eſt inquirere Diuinitatis arcana, ſpectat agere de creaturis, prout in prima ipſarum conditione à Deo, tanquam à primo exierunt Principio,& prout ad ipſum redeunt, ceu ad vltimum Finem ; per ipſas etenim veluti per gradus ad Dei ſublimitatem mens noſtra conſcendit; quaſi per numeros ad Summam Vnitatem euehitur, & tanquam per lineas, quas præ manibus, veluti baculos, noſtra cæcitas poteſt habere, ad centrum omnis manuducitur veritatis ; vt in illo perfectiſſimo quieſcat amore , qui eſt omnis diſcurſus Theologici , vtpotè finis , epilogus .

Recta autem ſcribendi methodus exigit , vt *poſt Tractatum de Proceſſionibus Diuinarum Perſonarum* de proceſſione creaturarũ à Deo ſtatim agamus, quia,vt docet *Fund.Doct.Aegid.in* 1.*diſt.* 29.*q.*1; *Emanationes Diuinarum Perſonarum ſunt cauſa emanationis creaturarum à Deo*;nam vt explicat *hic in* 2.*diſt.*1.*princip.*1.*q.*4.*art.*3.*ad* 1; Pater, cui appropriatur potentia,per Filium,tanquã per cauſam exemplarem,ſeu tanquam *per artem* (vt loquitur *Beatiſſ.P.*6.*de Trin.c.*10.) *plenam omnium rationum* omnia ad extra producit; & per Spiritum Sanctum , cui appropriatur bonitas, tanquam per cauſam finalem, omnia ad ſeipſum reducit . Vt autem doctrinæ ordo continuò ſeruetur, priùs de productione rerum in communi,deinde de creatura Angelica,& Humana,prout ad Deum tanquam ad Finem per media ſupernaturalia, quæ ſunt virtutes, & dona gratuita ordinantur, tractabimus,quæ eſt materia *huius ſecundi Libri Sententiarum* tradita *à Magiſtro*, & *à DD.* communiter; ſic enim ab vniuerſalibus ad particularia gradiemur iuxta documentum Sapientum.

Q V Æ S T. I.
I N H E X A M E R O N,
S E V
De Operibus ſex Dierum.

PRimum opus Dei ad extra eſt creatio , quæ propterea primum donum Dei dicitur in ordine Naturæ collatum creaturæ. Antequam tamen de ipſa Creationis ratione, & de virtute creatiua ſermonẽ habeamus, *de Operibus ſex dierum*,ſeu de primis creaturis à ſolo Deo creatis in ipſius

Mundi primordio diſcurremus. Principaliores difficultates,quas mouet *Beatiſs.P.Aug.in duodecim libris de Geneſi ad literam*, & cum eo *Fund.Doct.Aeg.in Hexam*; *& in 2. p.1.à diſt.12. vſque ad* 15; in ſenſu literali exponemus; quod eo fine præſtare decreuimus, vt ſubtiliſſimam illam,ac penè Diuinam eiuſdem *Beatiſſ. P.* de naturalitate illorum ſex dierum ſententiam omnibus mentibus ferè imperuiam pro viribus explicemus. Morem autem gerentes *Beatiſſ.P. lib.imperf. de Gen. ad lit.c.*1; *& lib.*1. *c.*21; vbi ait: *Temeritas aſſerenda incerta, dubiaque opinionis difficilè crimen euitat*; non affirmando,ſed tantùm quærendo diſputabimus nihil aliud intendentes,quàm ea,quæ dicimus,poſſe dici citra Fidei iniuriam contra *Diuinarum Scripturarum calumniatores*. Ideo namque ſupra communem ſenſum tradidit *Beatiſſ.P. Geneſeos* expoſitionem; vt Infidelibus occaſionem deridendi *Sacram Scripturam*, & præſertim hunc librum tanquam multis contradictionibus, & ambagibus implicitum adimeret; vnde quidam *Recentiores* hunc mirum intelligentiæ ſenſum reijcientes nedum ſummam illius Sapientiam, ſed & maximum zelum erga *Diuinas Scripturas* redarguunt.

ART. I.

Quid ſignificet IN PRINCIPIO?

1 QVærentes ſenſum illius primę propoſitionis *Geneſeos*: *In principio creauit Deus Cælum, & Terram*; ſingula verba ſingulatim ſunt ponderanda; aliqualem enim *inter Expoſitores* controuerſiam habent, & nonnullas patiuntur difficultates,quas,etſi referat *Beatiſſ.P*; ab illis tamen diſſolui non vidimus. In hac autem propoſitione tria ſunt conſideranda; ſcilicet *In principio*, & *Creauit*, ſeu *fecit*, vt legunt 70. *Interpretes*; ac *Cælum*, *& Terram*. De primo agemus *in hoc art*; de reliquis acturi *in ſeq.*

2 Vnica concl. Circa illud verbum *In principio* tres ſenſus rectè aſſignantur à *Beatiſſ. P.Aug. lib.1.de Gen. ad lit*; *& à Fund.Doct.in 2.p.1.diſt. 12.q.1. art. 2. §. Quantùm ad 1*; *& in Hexam. p.1.c. 11., & 12.*

3 Dicitur 1. *In principio*; idèſt in principio, ſeu initio temporis; habetur enim *Pſ.101.Initio tu Domine terram fundaſti*; quo intendit *Moyſes* excludere vanam de Mundi æternitate ſententiam, quam ſuadere conati ſunt *aliqui gentiles Philoſophi*; qui ſic arguuntur *ex hoc textu*. Quod habet principium,ſeu initium ſuæ durationis,nõ eſt æternum; æternitas etenim, ſi ſit ſimpliciter, caret principio,& fine; ſi autem ſit æternitas tãtùm à parte ante, caret ſolùm principio, & ſi ſit æternitas à parte poſt, caret fine; ſed Mundus habet principium ſuę durationis;poſſumus enim ſaltem ordine retrogrado deuenire ad primam differentiam temporis,in qua Mundus fuit creatus ſupputato numero annorum vſq; ad *Adam*; ergo Mundus non eſt æternus.

4 Dicitur 2. *In principio*; prout idem eſt, ac *primò* ita,vt ſenſus ſit,quòd ante omnem aliam creaturam Deus condiderit Cœlum,& Terram; & ideo priùs creauerit Cęlum,& Terram, quàm animalia, plantas, & hominem; quaſi priùs condiderit, atque parauerit locum, in quo iſta omnia locaret. *In principio* igitur rectè intelligitur, vt idem eſt,ac primò omnium;primum enim in quolibet genere principiũ ceterorum vocatur. Sic primum opus Artificis principium operis dicitur; vt cùm Architectus iecit domus fundamentum, dicitur poſuiſſe domus principium; nõ tamen quòd iſtud principium cauſet,aut producat cetera, quæ poſt illud producuntur; non enim Deus ita produxit Cœlum, & Terram, vt mediantibus ipſis alia creauerit; quemadmodũ de primo Angelo opinati ſunt *Auicenna*, *& Algazel* aſſerentes, quòd Deus immediatè produxerit primum Angelum, & mediãte ipſo ſecundum Angelũ,& mediante ſecundo tertium;& ſic de reliquis; quod eſt contra Fidem: vnde in hoc ſenſu nequit intelligi, quòd Cœlum, & Terra ſit principium ceterorum; hoc enim ſolùm verificatur de Verbo Diuino; vt dicemus in tertio ſenſu; Verbum nãque eſt principium, per quod facta ſunt omnia,& faciẽs omnia; quia Pater per Verbum omnia operatur; & Verbum ſimul cum Patre operatur in omnium productione; vt habetur *Io.5.Pater vſq;modò operatur,et ego operor.* Igitur Cœlum,& Terra dicitur principium,quia primò facta ſunt;vnde principiũ in hoc ſenſu idẽ eſt,ac primò cauſatũ,non autem idem, ac cauſa.

5 Dicitur 3. *In principio*; idèſt in Verbo Diuino,quod eſt principium, per quod facta sũt omnia; Verbum enim cùm *Io.8.* interrogaretur *à Iudæis*: *Tu quis es*? Reſpondit: *Principium, quod & loquor vobis*; vel vt legunt 70. *Interpretes*: *Initium,quod & loquor vobis.* Principium igitur omnium creaturarum eſt Verbum; non quidem ſine principio, ſed de principio; vt explicat *Beatiſſ.P.lib.de Gen.ad lit.imperf.c.3*; quia eſt de Patre, qui eſt principium Filij; non per creationem diuerſificantem ſubſtantiam, ſed per generationem in identitate naturæ. Hinc dicitur *in pſ.103.Omnia in Sapientia feciſti*; & *1.Cor.1.* Verbum vocatur *Virtus,& Dei Sapientia.* Igitur ſi Deus omnia fecit in Sapientia;& Sapientia eſt Dei Filius, clarè ſequitur Verbum eſſe principium creaturarum. Et quidem principium principians,non ſolũmodò principiatum; vt *ſup.* dictum eſt; nam *Ioan. 1.* dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt.*

6 Hæ tres expoſitiones legũtur in pluribus *in SS.PP*; quæ idcircò admitti debent ab omnibus;quãuis *Pererius in Gen. hic* admittat ſolùm primas duas, & *Toſtatus* ſolũ primã; omiſſa tertia,quæ tamen cõmunior eſt *apud SS.PP*,qui videri poſſunt *apud Faſol. tom.3. q.46. art.3.Vid. D.Ambr.in Hexam. lib.1.c.2*; *& 4.*

Quòd

7 Quòd autem iſti omnes ſint ſenſus literales, conſtare poteſt ex eo, quòd hoc nomen *principij* propriè, non per translationem, dicitur de initio temporis; de eo, quod eſt primum; ac de Verbo Diuino; vnde eſt nomen analogum; vt cùm ſubſtãtia dicitur de Deo,& creaturis; quanuis enim principaliùs dicatur de Deo, quàm de creaturis; non ſequitur tamen, quòd non dicatur propriè etiam de creaturis. Licèt ergo hoc nomen *principij* principaliter dicatur de Verbo, cui principaliùs conuenit eſſe principium creaturarum, quia illi conuenit eſſe principium per eſſentiam, ceteris verò per participationem; attamen propriè, non per translationem, ſeu allegoricè, conuenit etiam initio temporis, & creaturis factis ante alias creaturas; vt eſt Cœlum, & Terra.

8 Obijc. 1. *cont. 1. expoſitionem*. Cùm dicitur *Io. 1. In principio erat Verbum*; nequit intelligi de principio temporis; aliter Verbum eſſet in tẽpore,& ſic non eſſet æternum; ergo à pari, cùm dicitur: *In principio creauit Deus Cælum,& Terram*; nequit accipi de initio temporis.

2. Tempus non fuit creatum niſi quarta die, qua facta ſunt luminaria magna; ait enim *Moyſes: Dixit autem Deus: Fiant luminaria in Firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos*; ergo illud *In principio* nequit intelligi de initio temporis, quia tempus non incepit, niſi poſt tres dies creationis Cœli, & Terræ.

3. *Sanctiſs. P. Aug. l. 12. Confeſſ. c. 12; & 13.* manifeſtè docet Deum feciſſe Cœlum, & Terrã ante omnem diem, & ante omne tempus; quod probat etiam ex profeſsò *Fund. Doct. Aeg. in Hexam. p. 1. c. 11; 12; & 13*; ergo illud *In principio* nequit intelligi de principio temporis; quod enim fit in principio temporis, non fit ante omne tempus, ſed in tempore.

4. Cùm dicimus Deum feciſſe Cœlum,& Terram in principio temporis, vel ſenſus eſt; quòd priùs factum fuerit tempus, & in ipſo factus fuerit Mundus: & hoc falſum eſt; quia tempus eſt in motu Cœli,& motus Cœli eſt in Cœlo, tanquam in ſubiecto; & ideo potiùs dicẽdum eſt tempus factum fuiſſe in Cœlo, quàm Cœlum in tempore. Vel quòd Cœlum, & Terra facta ſint ſimul cum tempore; & hoc quoque falſum eſt, quia quod eſt eſſentialiter poſterius, nequit dici ſimul cum priori; ſimultas enim opponitur prioritati,& poſterioritati; vt habetur *in Log. c. de Poſtprædicamentis*; ſed tempus eſt in motu Cœli; qui eſt poſterior Cœlo, cùm ſit paſſio illius; ergo Cœlum nõ eſt creatum ſimul cum tempore. Vel ſenſus eſt, quòd factum priùs ſit Cœlum, & Terra,& poſtea tẽpus; ſed ex hoc ſequitur nõ feciſſe Cœlum, & Terram in principio temporis.

9 Ad 1. reſp. *Beatiſs. P. Aug. Tract. 1. in Io.* his verbis: *Poterat dicere Euangeliſta: In principio factum eſt Verbum. Sed quid ait? In principio erat Verbum? Si erat, non eſt factum*. Si igitur Verbum erat apud Deum, iam non eſt factum; nam non fit, niſi quod non eſt, quia ex nihilo fit; & illud, quod erat, nequit dici, quod non eſſet; aliter de eodem verificaretur, quòd erat,& non erat. Quod autem non eſt factum, nequit incipere in initio temporis; quia quod ita incipit, priùs non erat, ſecus non inciperet eſſe, ſed priùs fuiſſet. Illud igitur *In principio erat Verbum* nequit exponi de initio temporis; quia illud verbũ *erat* non deſignat aliquod inſtãs, in quo factum ſit,& ante quod non erat; hoc enim eſt de ratione temporis; & in hoc diſtinguitur ab æternitate; & ideo potiùs deſignat coexiſtentiam ſimultaneam cum Deo, imò identitatem; hinc ſubditur: *Et Deus erat Verbum*. At verò verbum *In principio creauit* deſignat aliquod inſtans, in quo primum facta fuit creatio; quod primum inſtãs nequit eſſe niſi initium temporis; cùm æternitas careat principio, vt *ſup.* dictum eſt. Illud ergo *In principio* eſt nomen analogum, quod dicitur de principio productionis, & de principio durationis; vt exponit *Beatiſs. P. lib. imperf. de Gen. ad lit. c. 3*; idcirco *Io. 1.* fit ſenſus, quòd *In principio erat Verbum*, idèſt in Patre, qui eſt principium productionis Filij; Et *Deus erat Verbum*; idèſt Filius erat vnus, & idem Deus, ac Pater. At verò in hoc loco *In principio* refertur ad durationem, quia refertur ad *creauit*, ſeu ad creationem in eſſe præterito; quod fuit principium temporis præſentis, & futuri; & ideo intelligi debet de initio temporis.

10 Ad 2. dicitur 1. *cum Beatiſs. P. Aug. inf.* allegando, quòd omnia creata ſunt vnico temporis momento; & illi dies referuntur ad varias Angelorum cognitiones, non ad diuerſa horarũ volumina; & ideo Cœlum ſimul cùm tempore ortum habuit. Dicimus 2. quòd motus Solis, & Lunæ deſignant tantùm certas, & determinatas temporis partes; vt Solis reuolutio annum, Lunæ menſem; non autem deſignant differentias proprias temporis, quæ ſunt prius, & poſterius, ſeu præteritum, præſens,& futurum; cùm enim dicitur *annus*, ex vi huius nominis præcisè non deſignatur aliquod prius, vel poſterius; poteſt enim indifferenter, & indeterminatè accipi pro tempore præterito, vel futuro. Quanuis ergo ante quartam diem non eſſent huiuſmodi deſignationes partium temporis; attamen erat tempus, quia erat prius,& poſterius, quod fundabatur in ipſa duratione Cœli creati prima die.

11 Ad 3. reſp. *Fund. Doct. in Hexam. vbi ſ.* quòd initium temporis non eſt tempus; nam tẽpus eſt diuiſibile, cùm ſit ſpecies quãtitatis continuæ; initium autem temporis eſt inſtans, quod eſt indiuiſibile. Sicuti punctus, qui eſt initium lineæ, non eſt linea; linea enim eſſentialiter eſt diuiſibilis, quia eſt longitudo, quæ diuiſibilis eſt; & punctus non eſt diuiſibilis, quia partes non habet; ergo ſi Deus fecit Cœlum,& Terram in

principio temporis,optimè ſtat, quòd non fecerit in tempore, ſed ante omne tempus,& diem; quia fecit in primo inſtanti temporis, quod eſt ante omne tempus,& ideo ante omnem diem; dies enim eſt tempus.

12 Ad 4.dicimus, quòd Deum feciſſe Cœlum, & Terram in principio temporis idem eſt, ac ſimul feciſſe cum Cœlo, & Terra primum inſtans temporis; inſtans autem temporis, licèt ſit poſterius natura ipſo Cœlo, quia, vt arguitur, fundatur in motu; eſt tamen ſimul duratione; nam poſterioritas naturæ dicit ſolam dependẽtiam in eſſe, quæ poteſt eſſe in eodem inſtanti durationis; vnde prioritas naturæ opponitur ſimultati naturæ,non autem ſimultati durationis. Sicuti quanuis Sol ſit prior natura illuminatione, non tamen ſequitur, quòd in aliquo inſtanti durationis fuerit Sol ſine illuminatione, ſed ſolùm quòd illuminatio dependeat in eſſe à Sole.

13 Obijc.2.*cont.2.expoſit.* Antequam Deus crearet Cœlum, & Terram, creauit Angelos; quia Angeli ſunt priores dignitate ceteris creaturis;& ideo debuerunt priùs creari; ergo illud *In principio temporis* nequit intelligi ante omnem creaturam.Tum quia *Eccl.1.* habetur:*Prior omnium creata eſt Sapientia*;quod *Beatiſs.P.lib.1. de Gen.ad lit.c.17*;vt refert *Fund.Doct.hic art.2; & in Hexam. p.2. c.1.lit.A*; exponit de natura Angelica. Tum quia hoc docent plures *SS. PP.* Tandem quia ſi Deus feciſſet Cœlum, & Terrã ante omnem creaturam,feciſſet ante omne tempus,quia etiam tempus eſt creatura; cùm autem ante omne tempus non ſit niſi æternitas; ſequeretur,quòd ſi Deus feciſſet Cœlum,& Terram ante omne tempus, feciſſet in æternitate, & ſic ab æterno.

Reſp.*cum Beatiſs.P. Aug.lib.1; & 4.de Gen. ad lit;& 11. de Ciu. Dei; & in 12.Confeſſ;* ac ſæpè *alibi* neg.ant. Ad 1.prob.inſert.dicitur,quòd ſicuti homo, licèt ſi dignior ceteris rebus corporeis, attamen non fuit priùs illis creatus; ita à pari de Angelis. Inſuper dicitur,quòd quemadmodum homo, quia dignior eſt omnibus rebus corporeis, ideo ſolùm ordine intentionis fuit prior,quia propter illum omnia facta ſunt; ordine tamen executionis fuit poſterior; cùm perfectio habeatur à termino,qui eſt rei complementum; res enim dicitur perfecta, quando vltimò eſt terminata, vt patet de ſtatua, quæ vſquedum non ſit vltimò terminata,imperfecta dicitur;ita dicendum eſt de Angelis.Et ſic intelligendus eſt locus *Eccl*; ac *SS.PP.* Præterea dicitur nomine *Cœli* ſignificari naturam Angelicam,vt *inf*; vnde ſi prior omnium creata eſt natura Angelica,maniſeſtè probatur per iſtum *textum* primò omniũ creatum eſſe Cœlum. Ad vltimum conſtat reſpõſio ex dictis *ad 3.ſup.obiectionis*;creauit enim Deus Cœlum,& Terram in principio temporis, quod eſt inſtans,& non eſt tempus,ſed initium temporis; initium autem temporis eſt ante omne tempus;quia principium eſt ante ea omnia, quorum eſt principium.

14 Obijc.3. *cont. 3.expoſitionem.* Si illud *In principio* ſonaret idem, ac *in Verbo*, ſequeretur Mundum eſſe æternum, quia Verbum eſt æternum. Præterea creaturæ productæ ſunt extra Deum,non intra;ſed Verbum eſt Deus,vt docet Fides; ergo creaturæ non fuerunt productæ in Verbo; particula enim *in* ſonat idem,ac *intra*; vt cùm dixit Verbum *Io.10.Ego in Patre,& Pater in me eſt*.

Reſp.1.dubium moueri *à Beatiſs.P. hic lib. 1. c. 2*; quod ſoluit his verbis: *Cùm enim verba ſint temporis, cùm dicimus quando,& aliquando; æternum tamen eſt in Verbo Dei, quando fieri debeat aliquid;& tunc fit,quando fieri debuiſſe in illo Verbo eſt,in quo non eſt quando, & aliquando, quoniam illud totum Verbum æternum eſt.* Igitur licèt Verbum,in quo facta ſunt omnia, æternum ſit, & Deus dixerit ab æterno in Verbo æterno creaturas; attamen, quia Deus non ab æterno, ſed in tempore fieri voluit creaturas; & Verbũ, vtpotè æternum,continet omnia tempora,& per conſequens continet etiam illud tempus,in quo voluit fieri creaturas; ideo creaturæ,licèt factæ ſint in Verbo æterno; non tamen ab æterno, ſed in tempore factæ ſunt. Ad 2. dicitur, quòd illa particula *in* aliquando ſignificat idem,quòd *per*; vt cùm dicitur: *In virtute Solis producitur aurũ*; tunc enim illa particula *in* denotat cauſam formalem efficientem extrinſecam. Sic dicitur *1. Pet. 1. In virtute Dei cuſtodimini per Fidem*. Ita à pari.

ART. II.

Quid ſignificet verbum CREAVIT?

1 CReare idem eſſe,ac ex nihilo facere cõſentiũt *Scholaſtici cũ Beatiſs.P.Aug,vt inf.videb.in ſeq.q*; quicquid dicat *Perer. in Gen. hic*;vnde ponitur *hic* creauit ad inſinuandũ Mundũ à Deo factum eſſe ex nihilo;adeoq.nihil præceſſiſſe eius productionem.Nec refert,quòd 70. *Interpretes* verbum Hebraicum *Bara* vertant verbo *fecit*,non verbo *creauit*;verbum enim *fecit* coniunctum cum illud *In principio*, quod ſignificat *ante omnem creaturam*,vt diximus *in ſup. art*; ſonat idem,ac *creauit*;nam ante omnem creaturam nihil erat creatum;& ideo quod fecit ante omnem creaturam,fecit ex nihilo; & per conſequens creauit.Neque pariter obſtat,quòd *Moyſes paulò inf.* in generatione hominis, & ceterorum, quæ non ſunt ex nihilo, vtatur hoc verbo *creauit*; nam quanuis productio hominis reſpectu hominis generantis ſit vera generatio,quia homo generat mediante ſemine,non ex nihilo; attamen reſpectu Dei eſt creatio propter triplicem rationem, quæ *inf.q.2.art.1. à n.10.* afferetur. *Creare* igitur propriè ſignificat *ex nihilo facere*; propter quod *Moyſes c.4; & ſeq. Gen.* recenſens generationes hominum, vtitur verbo

genuit,non *creauit*.Quia tamen ex nihilo facere conuenit ſolùm Diuinæ Omnipotentiæ,cuius eſt facere opera eximia; ideo transfertur ad ſignificandum opus excelſum, & eximium; vt annotauit *D.Hier.in Com.D.Pauli*.

2 Sed id,quod vertitur in dubium à *Beatiſs. P.Aug.in hoc lib.1.c.3; & à Fund.Doct.Aeg.in 2. ſent.diſt.12.art.1; & in Hexam.p.1.c.23*; eſt,cur *Moyſes*,quãdo ſcripſit creationem Cœli,& Terræ,non dixit:*In principio dixit Deus:Fiat Cœlum, & Terra; & factum eſt Cœlum, & Terra*; ſicut præſtitit,cùm narrauit creationem lucis; de qua ſcripſit: *Dixit Deus:Fiat lux,& facta eſt lux:pro cuius deciſ.*

3 Vnica concl. Tres rationes huiuſce dicti afferuntur *à Fund.Doct.vbiſ.* quarum non ſolùm primæ duæ afferuntur *à Beatiſs.P.*vt inquit *Fũd. Doct.*; ſed etiam tertia ab eodem *ibid.* inſinuatur; vel ad primam reducitur.

4 Prima ratio eſt;quia *Moyſes* debebat priùs narrare,quod factum eſt;deinde declarare modũ faciendi, ſeu modum, quo factum eſt;nomine enim *Cœli*,& *Terræ* intellexit *Moyſes* vniuerſaliter omnem creaturam, quæ eſt in Cœlo,& Terra, quam dixit in principio creatam à Deo; & poſtea verbis ſequentibus deſcripſit quamlibet creaturam in ſua ſpecie,quomodò facta ſit; non enim potuit ſimul dici factio cuiuſcunque creaturæ in ſpeciali, ſicut potuit ſimul fieri, & ſimul dici in vniuerſali quidem,non verò in particulari. Verba *Beatiſs.P.* ſunt hæc: *Priùs vniuerſaliter nomine Cœli, & Terræ comprehendendum erat,& commendandum, quod fecit Deus; & deinde per partes exequendum,quomodò fecit,cùm per ſingula dicitur: Dixit Deus.* Sicut enim *in Cant.trium Puerorum fornacis Babylonicæ* priùs inuitantur omnes creaturæ in vniuerſali ad benedicendum Deum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*; deinde vocantur ſingulæ in particulari; ita *Moyſes* priùs in vniuerſali debebat deſcribere omnẽ creaturam factam à Deo,& poſtea ſingulas recẽſere; nam quamuis in vniuerſalitate creaturarum continerentur ſingulæ; attamen, vt populus rudis,cui loquebatur, feruetiùs exurgeret in amorem,& laudem Dei,qui nobis tot præſtitit beneficia, quot produxit creaturas, illas in ſingulari debuit recenſere ad hoc, vt clariorem, ac magis diſtinctam notitiam reciperet; ex vniuerſalitate enim confuſam tantummodò, & obſcuram deriuare potuiſſet. Quòd autem nomine *Cœli*,& *terræ* intelligi poſſint literaliter omnes creaturæ, quæ in eis ſunt, conſtare poteſt à ſimili; ſicuti namque nomine *Mundi* literaliter intelligitur omnis creatura, quæ eſt in Mundo; & nomine *corporis* intelligitur omne membrum, quod eſt in illo; quia quodlibet nomen totius ſignificat omnes partes, quæ ſunt in illo toto; ita nomine *Cœli*, & *terræ* omnia, quæ in eis ſunt, literaliter ſignificantur. Hinc *Scriptura* loquens *de Cœlo*,& *terra*, vt innuat illis nominibus ſignificari omnia, quæ ſunt in ipſis, ſæpè explicat ſubiungens: *Et omnia,quæ in eis sũt*;vt patet *ex pſ.95;et alibi.*

5 Secunda ratio eſt;quia licèt illud *In principio* ſit idem,ac *in Filio*; qui ſimul habet rationẽ *Verbi*, & *Principij*, vt dictum eſt *in ſup.art*; attamen Verbum ex vi ſuæ proceſſionis explicat ſimilitudinem cum Patre dicente,à quo procedit; quam ſimilitudinem non explicat hoc nomen *principium*; Pater enim,& Filius ſunt principium Spiritus S; & tamen Spiritus S.ex vi ſuæ proceſſionis non procedit, vt ſimilis Patri, & Filio; vt diximus *in Tract.de Trin.* Quoniam igitur,cùm ait *Moyſes*: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*; non intelligitur adhuc natura ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis perfectè formata, ſed informis;& ideo ſubditur:*Terra autem erat inuiſibilis,& vacua*; vel vt *alij* legunt: *Et incompoſita*; nam Cœlum non intelligitur adhuc luminaribus maioribus,& minoribus ornatum,nec terra herbis, plantis, & animalibus; idcirco non debuit *Moyſes* dicere: *Dixit Deus:Fiat Cœlum,& terra*; ne intelligeretur aliquod informe,& imperfectũ ſimile *Verbo*,quod eſt vndequaque perfectum: Cùm verò perficit ornando vtranque naturam; corporalem quidem ſuis ornamentis, quæ ſunt herbæ,plantæ &c;& ſpiritualem illam conuertẽdo ad ſe ipſum per ſuam gratiam, in qua immobiliter ſteterunt Angeli conuerſi ad Deum; ſcripſit *Moyſes*: *Dixit Deus*; vt explicaret ſimilitudinem, quam natura creata habuit cum *Verbo* Dei,quod incommutabiliter adhæret Patri. Vnde per illud *In principio* commemoratur vtique Filius,quod eſt Principium creaturæ,non tamen inſinuatur ſimilitudo cum Verbo Dei; quia ſolùm inſinuatur exordium creaturæ adhuc informis, & imperfectæ, per illud autem *Dixit* inſinuatur Verbum,& ſimilitudo cum Verbo; quia innuitur perfectio creaturæ reuocatæ ad Deum: Verba *Beatiſs.P.habẽtur lib.1.c.4*;vbi ait. *Propterea Filij commemoratio non ita fit, quia Verbum; ſed etiam quia Principium eſt,cùm dicitur:In principio fecit Deus Cœlum,& terrã. Exordium quippe creaturæ inſinuatur adhuc in informitate imperfectionis, fit autem Filij commemoratio, quod etiam Verbum eſt eo,quod ſcriptũ eſt: Dixit Deus fiat,vt per id,quod principium eſt,inſinuetur exordium creaturæ exiſtentis ab illo adhuc imperfectæ; per id autem,quod Verbum eſt, inſinuet perfectionem creaturæ reuocatæ ad eum, vt formaretur inhærendo Creatori,& pro ſuo genere imitando Filiũ formam ſempiternã,atque incommutabiliter inhærentem Patri,à quo ſtatim hoc eſt, quod ille.*

6 Tertia ratio eſt; quia cùm *Moyſes* deſcriberet creationem *Cœli*, & *terræ* factã prima die, non loquebatur de ipſis, vt diſtinctis, & ornatis (diſtinctio enim non habetur niſi per verba ſequentium dierum) ergo debuit dicere: *In principio creauit Cœlum,& terram*, non autem: *Dixit Deus:Fiat Cœlum,et terra*;nam hoc nomen *Principij* vtique ſignificat Filium,quod eſt Principiũ crea-

ereaturarum; ſed quia principium eſt aliquod commune analogum, cùm conueniat etiam alijs à Verbo, vt vidimus *in ſup.art.* Verbum autem, in quo Deus fecit creturas, diſtinctè ſignificat ſolùm Filium; & omne commune eſt confuſum; ſicut omne particulare eſt diſtinctum; propter quod cognitio rei in vniuerſali dicitur obſcura; & in particulari clara; ideo *Moyſes* deſcribens creaturas in cõfuſo debuit loqui de earũ Principio in confuſo; & per conſequẽs non debuit vti verbo, *Dixit*, quod diſtinctè ſignificat Filium; ſed *creauit*; quod Filiũ diſtinctè non explicat. At deſcribens creationẽ lucis, & aliarũ rerum in particulari debuit ponere: *Dixit Deus: Fiat lux.* Hæc ratio, vt patere poteſt, reducitur ad primam.

7 Alias rationes affert *Rupert. lib. 1. de Trin; & Operib. eius c.4*; quæ à nobis ommittuntur, quia graues patiuntur difficultates.

8 Ex his patet *Auctorem lib.4. Eſdræ c.6*; qui cùm rememoraret hiſtoriam creationis, aſſeruit *Deum dixiſſe: Fiat Cœlum, & terra, & facta ſunt*; vſum fuiſſe verbis omnino alienis à verbis *Moyſis*; & ideo eſſe explicandum in ſenſibus allatis; quatenus fecit Cœlum, & terram per Filium, & facere per Filium eſt dicere; ſed per Filium ſub notione vniuerſali, non particulari; quatenus habet rationem Principij, non Verbi; & tandem in confuſo, non diſtinctè.

9 Obijc. Deus fecit Cęlum, & terram per Verbum; quia Verbum eſt principium, per quod facta ſunt omnia; ſed facere per Verbum eſt dicere; aliter nec creatio rerum in particulari eſſet per dicere; ergo *Moyſes* debuit dicere: *In principio dixit Deus: Fiat Cœlum, & terra*; vel ſaltem hoc ſignificat illa propoſitio *Moyſis*: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*; vt poſuit *Eſdras vbiſ.* & per conſequens inter has duas propoſitiones nulla ſunt allata diſcrimina.

Reſp. hoc ſolui ex dictis. Diſt. enim *ma.* Deus fecit Cœlum, & terram per Verbum, vt habet rationem Principij, & exordij creaturæ imperfectæ, & confuſæ, conc; vt habet rationem Verbi, & exordij creaturæ perfectæ, & diſtinctæ, neg. Et ſic diſt. *mi.* Facere per Verbum eſt dicere explicatum, prout à Principio exordiente creaturas imperfectè, & confusè, conc; prout eſt à Verbo perficiente creaturas diſtinctè, neg. In primo ſenſu locutus eſt *Eſdras*, vt dictum eſt.

ART. III.

Quid ſignifiset hoc nomen DEVS?

1 HOC nomen, *Deus*, quod Græcè dicitur *Theos*, deriuare à *Thein*, quod ſignificat curare, vel fouere; aut ab *Aethin*, quod ſignificat ardere; ſeu à *Theaſte*, quod ſignificat conſiderare, vel videre; cum *Fund. Doct.* iam diximus *in 1. ſent. de Ineffab. Dei art. 1. n. 24*; ex quo deducitur hoc nomen ſignificare naturam excellentiſſimam habentem ſupremam poteſtatem in omnia; vt docet *Beatiſs. P. lib. 1. de Doct. Chriſt.*

2 Difficultas in præſenti eſt; cur hoc nomen *Deus*, quod *Latinè* ponitur in ſingulari, *Hebraicè* ponatur in plurali; habetur enim. *Bereſith*, quod ſignificat in principio; *Bara*, quod ſignificat, creauit; *Elohim*, quod ſignificat *Dij*; *Elohim* enim eſt nominatiuum plurale, & *Eloha* eſt nominatiuum ſingulare. Et quanuis *Caiet.* aſſerat poni in plurali, quia hoc nomen *Elohim apud Hebræos* caret ſingulari; hoc tamen falſum eſt; nam *Habac.3.* habetur: *Eloha ab Auſtro veniet*, quod reperitur *pluries alibi*. Si igitur hoc nomen habet ſingulare, dubium eſt, quare *Moyſes* ipſum non concordauerit cum verbo *creauit*, quod pariter eſt ſingulare; vel non concordauerit *creauit cum Elohim* dicendo: *Dij creauerunt*?

3 *Plures Theologi cum Mag. in 2.* volunt *Moyſen* voluiſſe inſinuare his verbis myſterium Trinitatis, à qua creatus eſt Mundus; nam per illud nomen plurale *Elohim* innuit pluralitatem Diuinarum Perſonarum, & per verbum *creauit* indicauit vnitatem Diuinæ Eſſentiæ.

4 Sed his verbis non indicari Myſterium Trinitatis contendunt *Aliqui*. 1. Quia Perſonæ Diuinæ non rectè vocantur *Dij*, ſed *Deus* in ſingulari, vt habetur *in Symb. D. Athan*; ergo per illud nomen *Dij* non ſignificantur Perſonæ Diuinæ. 2. Si ſignificarentur Perſonæ Diuinæ, dixiſſet *Moyſes creauerunt*, ſicuti enim, quia Pater, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, ideo dicitur *ſpirant* in plurali; ita à pari. 3. Quia *Origenes*, & *Hieronymus Hebraicæ linguæ* peritiſſimi, ac diligentiſſimi myſteriorum noſtræ Fidei inueſtigatores in *Scripturis* nullum in his vocibus myſterium inuenerunt. Addere poſſumus, quòd licèt per illud nomen *Elohim* innuatur pluralitas Perſonarum, non tamen innuitur Trinitas explicitè, quia omnes numeri præter vnitatem ſunt plurales, & ideo niſi aliunde colligatur numerus ternarius, non poteſt diſtinctè ex his verbis colligi Trinitas. Soluunt autem dubium diſcordantiæ ſermonis dicendo, quòd ſæpè lingua *Hebraica* vtitur plurali pro ſingulari, & hoc volunt *Aliqui* eſſe idiotiſmum proprium illius linguæ: quanuis dici poſſet linguam omnibus alijs perfectiorem non habere hos defectus, ſed potiùs illa, quæ eſſet imperfectio in alijs linguis, perfectionem ſonat in illa prima, & ſancta lingua. Sed quid circa hoc ſit dicendum.

5 Vnica concl. Myſterium Trinitatis manifeſtiùs inſinuatur per alia verba prolata tum in opere creationis, tum in operibus diſtinctionis, & ornatus, per illa autem verba *Dij creauit* præcisè ſumpta nequit explicitè hoc Myſterium deduci.

6 Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſs. P. lib. 1. de Gen. ad lit. c.6*; vbi ait: *Et quemadmodum in ipſo exordio inchoatæ creaturæ, quæ Cæli, & Terræ nomine propter id, quod de illa perficiendum erat, commemorata eſt, Trinitas inſinuatur Creatoris; nam dicente Scriptura: In principio fecit Deus Cælum,*

lum,

lum, & Terram; intelligimus Patrem in Dei nomine; & Filium in Principij nomine; qui non Patris, ſed per ſeipſum creata primitus, ac potiſſimùm ſpiritalis creaturæ, & conſequenter etiam vniuerſæ creaturæ principium eſt. Dicente autem Scriptura: Et Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas; completam commemorationem Trinitatis agnoſcimus. Ita & in conuerſione, atque perfectione creaturæ, vt rerum ſpecies digerantur, eadem Trinitas inſinuatur; Verbum Dei ſcilicet, & Verbi generator, cùm dicitur: Dixit Deus; & Sancta Bonitas, in qua Deo placet, quidquid ei pro ſuæ naturæ modulo perfectum placet, cùm dicitur: Vidit Deus, quia bonum eſt. Super quod *Fund. Doct. in Hexam. p. 1. c. 23.* ait: *Vtrobique quidem inſinuatur tota Trinitas, & vtrumque eſt tota Trinitas operata; primã videlicet productionem rerum, & opera ſex dierũ.* Itaque *Dei* nomine intelligitur Pater, & *Principij* nomine Filius; non enim poteſt intelligi eadem perſona; quia nullus dicitur operari in ſe ipſo, cùm producit aliquid extra ſe; tum quia operari in aliquo Principio eſt tribuere illi auctoritatem, & poteſtatem ad operandum; & eſſe principium, in quo aliquis operatur, eſt accipere auctoritatem, & poteſtatem ad operãdum; nemo autem poteſt communicare ſibi ipſi auctoritatẽ, & poteſtatem; nec illam recipere à ſe ipſo; ſed communicans auctoritatem, & poteſtatem ad operandum eſt Pater; quia Pater eſt prima perſona habens auctoritatem, & poteſtatem ex ſe; recipiens autem ab hac prima perſona tantùm poteſtatem eſt Filius, qui *Matt. 11.* ait: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*; ſicuti recipiens à Patre ſimul; & à Filio eſt Spiritus Sanctus; ergo per illa verba: *In Principio Deus*: Significatur Pater, & Filius; & per ea: *Spiritus Domini*: exprimitur diſtinctè Spiritus S; & ideo ſignificatur Trinitas in opère creationis. Alijs autẽ verbis narrantibus diſtinctionem, & ornatum Cœli, & terræ quoque ſignificatur Trinitas; nam *Dixit* importat perſonam dicentem, & Verbum dictum; Verbum autem debet eſſe prolatum à Dicente, & conſequenter diſtinctum; quia nemo poteſt proferre ſe ipſum; ergo inſinuantur duæ perſonę diſtinctæ. Tandem illis verbis: *Et erant valdè bona*: ſignificatur Spiritus Sanctus; quia bonitas, ſignificat Spiritum S; cui appropriatur; ergo etiam in operibus diſtinctionis, & ornatus ſignificatur Myſterium Trinitatis; & rationẽ reddit *B. Doct.* Trinitas nedum operata eſt opus creationis, ſed etiam opera diſtinctionis, & ornatus; ergo in vtriſque debuit ſignificari, ne aliud præter Trinitatem operatum fuiſſe in illis ſex diebus ſuſpicaretur. *Vid; quæ diximus To. 2. q. 1. art. 4. n. 22.*

7 Prob. 2. pars concl. Myſterium Trinitatis ſufficienter exprimitur per omnia illa verba ſimul coniuncta; ergo per illa verba: *Elohim creauit* inſufficienter ſignificatur; ablato enim aliquo conſtituente ſufficientiam remanet inſufficiẽtia. Tum quia non erat neceſſe, quòd *Moyſes* in omni verbo illius propoſitionis exprimeret Trinitatem; ſed ſatis fuit illam indicaſſe omnibus illis verbis; hoc enim facere debuit, vt cognoſceremus Trinitatem, cuius notitia eſt ad ſalutem neceſſaria; ſed hoc ſemel, & optimè præſtitit per illa verba ſimul ſumpta; ergo non erat neceſſe, quòd hoc præſtaret præcisè duobus illis verbis: *Dij creauit.* Valeant *hic* rationes allatæ *n. 4.*

8 Poteſt autem ſaluari ſententia *Magiſtri* dicendo; quòd illis verbis: *Dij creauit* innuitur Myſterium Trinitatis coniunctiuè, relatiuè ad alia verba: *In principio; & Spritus Domini*: non autem abſolutè, & præcisè, niſi valdè remotę, & confusè.

9 Obijc. 1. *Moyſes* priùs narrauit creaturam imperfectam, ſcilicet Cœlum, & terram inornatam, & imperfectam, quàm nominauerit *Spiritũ Domini*; ergo nomine *Spiritus Domini* nequit intelligi Spiritus S; qui nequit eſſe inferior creaturis etiam perfectis; & ideo non rectè intelligitur Trinitas.

Reſp. *Beatiſ. P. hic c. 7*; quòd etſi priùs nominetur creatura; attamen dicitur Spiritus Domini ſuperferri ſuper omnem ceaturam, non tantùm ſuperioritate loci, ſed excellẽtia poteſtatis. Priùs autem nominauit creaturas ob neceſſitatem locutionis; cùm enim deberet dicere Spiritum Domini *ſuperferri* ſuper creaturas, debuerat priùs nominare id, ſuper quod ſe laturum Spiritum Domini aſſerere debebat; verba *Beatiſ. P.* ſunt: *Cùm ergo ſic oporteret inſinuare Spiritum Dei; vt ſuperferri diceretur, cõmodiùs factum eſt, vt priùs inſinuaretur aliquid inchoatum, cui ſuperferri diceretur, non autem loco, ſed omnia ſuperante, ac præcellente potentia.* Cur autem Spiritus Domini debuit ferri ſuper creaturas; reſpondet idem *Sanctiſſ. P.* quòd ſolus amor indignus, & egenus ſubijcitur creaturis, quas diligit; amor verò Dei beneficus debuit ſibi ſubijcere creaturas illis communicando ſua dona per abundantiam ſuæ beneficẽtiæ, non aliquid accipiendo ob aliquam ſui neceſſitatem,

10 Obijc. 2. In opere ſecundæ diei non habetur: *Vidit Deus, quòd eſſet bonum*; ergo ſi debuit *Moyſes* inſinuare Trinitatem operatam fuiſſe omnia opera ſex dierum, videtur in hoc defeciſſe; non enim nominauit Spiritum Sanctum; vel per illa verba non inſinuatur Trinitas.

Reſp. *Fund. Doct. in Hexam. vbi ſ*; quòd ex eo, quòd *Moyſes* nominet Patrem, & Filium, ſufficienter intelligitur Spiritus Sanctus, qui eſt nexus, & amor vtriuſque; nam etſi in nobis, in quibus eſt malitia, poteſt intelligi Patrem non amare Filium; attamen in Deo, in quo eſt ſumma bonitas ſine vlla malitia, nequit intelligi Pater ſine amore ad Filium, & è contra; & ideo inſinuatis Patre, & Filio ſufficienter innuitur Spiritus S; qui eſt amor Patris, & Filij.

11 Obijc. 3. Per illa verba aſſignata non inſinuatur vnitas Deitatis; ergo ſufficienter non

ex-

explicant Myſterium Trinitatis; quod importat vnitatem naturæ.

Reſp. ſufficienter inſinuari vnitatẽ nomine *Dei*, & verbis *creauit,dixit*, & *vidit*; quæ ſunt in ſingulari; propter quod apparet illa verba: *Deus creauit* copulatiuè cum alijs vocibus ſufficienter inſinuare hoc myſterium.

A R T. I V.

Quid ſignificetur nomine COELI, *&* TERRAE?

1 PRima,& communior expoſitio nongentis ab hinc annis recepta, vt ait *Perrer*; à pleriſq; *PP*; *& Expoſitor*; vt ſunt *Beda, Alcuin, Raban, Mag.Sent; De Lira, Toſtat*;&c; nomine *Cœli* intelligit Empyreum, quod eſt Sedes Beatorum,quam ſententiã ſæpè inſinuat *Fund.Doct*; tum *hic*, tum *in Hexam*; nomine autem *Terra* intelligit hoc elementum, quod pedibus calcamus. Excipimus *Catharinum*, qui finxit Empyreum nihil aliud eſſe, niſi quandã lucem increatam, & æternam manantem à Dei Eſſentia, de qua intelligit illud *pſ*. 103. *Amictus lumine ſicut veſtimento*; hoc namque reprobat Fides Catholica docens nihil eſſe increatum, & æternum extra Deum.

2 Sed hæc ſententia ſuas patitur difficultates; nam Cœlum, de quo loquitur *Moyſes*, fuit creatum inornatum, & ſola quarta die fuit illuſtratum ſyderibus,magniſque luminaribus; conſtat autem,quòd ſydera,& luminaria magna non fuerunt creata in Cœlo Empyreo; aliter non eſſet,niſi vnicum Cœlum; & ſic quomodò *Apoſtolus* diceret ſe raptum fuiſſe vſque ad tertiũ Cœlum? Et *Dauid pſ*.101.ait: *Cœlos eſſe renouandos, & mutandos*; quod etiam repetit *Iſaias* dicens: *Erit Cœlum nouum, & Terra noua*. Imò *Dauid* aſſerit eoſdem Cœlos, quos paulò ante dixerat *initio* creatos eſſe renouandos, & vocat eos in plurali: *Initio tu Domine Terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cœli*; & hæc pluralitas Cœlorum manifeſtè habetur *in Scriptura*; ergo nomine Cœli nequit intelligi ſolum Empyreum.

3 Ita pariformiter nomine *Terra* nequit intelligi ſolùm Terræ elementum; nam ſtatim ſubdit *Moyſes*: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; quomodò autẽ dixiſſet ferri ſuper aquas, niſi priùs narraſſet aquas à Deo fuiſſe creatas, quæ profectò,vel *Cœli*, vel *Terra* nomine debẽt ſignificari? Propter quòd *grauiſſimi DD*; quibus etiam fauet *Beatiſſ.P*, *Terra* nomine intelligunt omnia quatuor Elementa in vnum chaos confuſa,quæ ſub nomine *Terra* ſignificata ſunt, quia *Terra* ob ſuam denſitatem magis ſenſibilis, & viſibilis eſt; vnde *Moyſes* loquens Populo rudi debebat rebus magis ſenſibilibus illum inſtruere. Tum quia nominans *Terram* non debuit nominare aquam,aerem, & ignem,quia hæc tria,vt inquiũt *D.Dam.lib.2.c.5*; *Beda*, & *D.Baſil*;continentur in Terra; videmus enim aquam è terra erumpere in fluuios, ignem euomi in globos, & aerem in terremotus effundi.

4 Secunda expoſitio eſt *Perrerij*, *& aliorum* ſubſtinẽtium nomine *Cœli* intelligi omnes Cœlos,& nomine *Terra* purum Terræ elementum.

5 Sed hæc expoſitio quantùm ad 2. partem iam dictum eſt;quantùm autem ad 1. difficultatẽ facit *Beatiſſ.P*;nam ait *Moyſes*,quòd ſecunda die fecit Firmamentum, quod abſque dubio Cœlum eſt,& in horum ſententia,vt videri poteſt *Perrerius*,dies creationis fuerũt dies naturales viginti quatuor horarum temporum diſtincti interuallis;ergo nomine Cœli creati prima die nequeunt intelligi omnes Cœli.

6 Tertia expoſitio eſt *aliorum* aſſerentium nomine *Cœli*, & *Terra* intelligi materiam informem,ſcilicet materiam primam,ex qua cõſtant omnia corpora,ſed principaliter Cœlum,& terra; & ideo nomine *Cœli*,& *terrẽ* ſignificata eſt. Hanc tradidit *Beatiſſ.P.de Gen.cont.Manichæos c.7*; ſed licèt,quod ſcripſit *de Gen.cont.Manich*; ſcripſerit iuuenis potiùs in ſenſu figurato,quàm literali,vt idem teſtatur *hic*; attamen hanc ſententiã apertè ſequitur *lib.1.de Gen.ad lit.à c.14*; *& lib.Confeſſ. locis inf. cit*. Quomodò autem ſit intelligendus,*inf*.explicabitur *cum Fund.Doct*.

7 Quarta expoſitio nomine *Cœli*, & *Terra* intelligi totum Mundum, quem Deus creauit in inſtanti;deinde *Moyſem* diſtinguere per dies explicando diſtinctim ea, quæ Deus ſimul creauit; vt diximus *art.2.n.4*. Hanc expoſitionem traditã eſſe à maioribus teſtatur *D.Baſil.hom.3.in Gen*,& eam ſæpiſſimè docet *Beatiſſ.P*.

8 Quinta tandem expoſitio traditur *à Beatiſs.P*. frequentiſſimè *in his libris de Gen.ad lit,vt lib.1.c.1*;vbi ait: *Quid ſignificetur nomine Cœli,& terra;vtrum ſpiritualis,corporaliſque creatura Cœli, & terræ nomen acceperit* &c. Quod docet etiã *lib.12.Conf.c.7*; vbi docet nomine *Cœli* intelligit naturam Angelicam; & nomine *terra* naturam corporalem; vtranque informem;quia illam non creauit formatam perfecta charitate,aliter non cecidiſſet;& iſtam inornatam produxit.

9 Primas duas expoſitiones in ſuis difficultatibus relinquimus; non enim intendimus aliorum mentes arguere,ſed ſolùm eas,quæ traduntur à *Beatiſſ.P*; explicare oſtẽdendo,quòd quantùm alienæ opiniones obtulitatis,& difficultatis, tantùm iſtæ habent ſubtilitatis. Tertiam expoſitionem explicabimus *in ſeq.art*; & quartam,cùm de naturalitate ſex dierum agemus. Coarctamus ergo ſermonem ad vltimam.

10 *Pererius igitur hic* aſſerit narrationem *Moyſis* eſſe omnino hiſtoricam; & ideo verba illius propriè, non figuratè accipi debent. *Quid autem magis eſt præter propriam,& vſitatam vocum ſignificationem,aut magis extra communem loquendi conſuetudinem, quàm Cœli nomine naturam Angelicam; terra vocabulo materiam informem appellare*? Aliter cùm interpretationes myſticæ

ſticæ ſint multiplices, vix quidquam certi de Mundi creatione ex doctrina *Moyſis* poſſemus eruere; *pro cuius deciſ.*

11 Vnica concl. *Cæli* nomine ſignificauit *Moyſes* naturam Angelicam, & *terræ* vocabulo naturam corpoream; & hoc literaliter accipitur. Hanc expoſitionem tradunt *D. Io.Chriſoſt. Cypr; Beda; Eucherius, Rupert;* & nedum ex teſtimonio *D.Baſil.vbiſ,* ſed etiam referente *Beatiſſ.P.lib.de Dono Perſeu. c. 3.* eam docent plerique *SS. DD. antiquorum;* vnde hæc eſt ſententia à maioribus velut hæreditariè recepta; & ideo valde mirandum eſt *à recentibus Expoſitoribus* adeo conſtanter reijci.

12 Hæc cõcluſio habet duas partes. 1; quòd nomine *Cæli* Angelus; & nomine *terræ* natura corporalis intelligatur. 2; quòd hæc expoſitio ſit literalis, non myſtica.

13 Prob. 1. pars *ex Fund. Doct. in Hexam. p.2.c.1. Eccl.1.* habetur: *Prior omnium creata eſt Sapientia;* ſed hoc nequit intelligi de Sapientia increata; implicat enim, vt docet *Beatiſſ.P.hic lib. 1.c.17;* quòd Sapientia increata ſit creata; ergo intelligitur de Sapientia creata, quæ eſt Angelus; ſed illud, quod priùs omnium creatum eſt, eſt Cęlum, & terra; ergo vel *Cæli*, vel *terræ* nomine intelligitur Angelus; non terræ; quia Angelus eſt ſpiritus; igitur remanet, quòd *Cæli* nomine intelligatur Angelus.

14 Prob. 2. *à Fund. Doct.* alio argumento deſumpto *ex Beatiſſ.P. lib. 11. de Ciu.Dei c.9; & lib.imperf.de Gen. ad lit. c.3.* ſic. In libro *Geneſeos* narrauit *Moyſes* creationem omnium operum Dei; ait enim *c.1;* quòd *die ſeptimo ceſſauit Deus ab omni opere, quod patrarat;* ſed Angeli sũt opera Dei; ergo narrauit creationem Angelorum; ſecus nimis defeciſſet in ſua hiſtoria ommittendo partem nobiliorẽ Vniuerſi. Atqui ante quartam diem erant Angeli; *Iob* enim 38. *iuxta verſionem* 70. *Interpretum* habetur: *Quando facta ſunt ſydera, laudauerunt me voce magna Angeli mei;* & tertia die tantùm ſeparauit aquam à terra, & terra produxit herbam, & plantas; ſecunda autem die factum eſt Firmamentum, & diuiſit aquas ab aquis; ergo remanet, quòd creati ſint prima die; illud autem, quòd magis poteſt ſignificare Angelum ex ijs, quæ facta ſunt prima die, eſt Cęlum; nam nomine lucis intelligitur conuerſio ipſorum Angelorum ad Deum, vt *inf.* dicemus; ergo nomine *Cæli* intelligitur Angelus.

15 Probatur 3. *ex eod.* Nomine *lucis*, quæ facta fuit prima die, ſignificauit *Moyſes* lucem ſpiritualem; nam ſi illa lux ſignificaſſet lucem corporalem, profectò fuiſſet facta in Firmamento, in quo facta ſunt luminaria cęleſtia, aliter accidens fuiſſet ſine ſubiecto, Firmamentum autem factum fuit ſecunda die; ſed lux ſpiritualis, vtpotè accidens, ſupponit ſubiectum, quod non potuit eſſe, niſi Angelus; ergo nomine Cęli ſignificauit Angelum, quod eſt ſubiectum lucis ſpiritualis; aliter nimis imperfectè deſcripſiſſet hiſtoriã Creationis narrando productionem accidentis, & tacendo productionem ſubſtantiæ, quæ ſubſternitur tali accidenti.

16 Tandem non obſcurè colligitur *ex pſ. 18;* vbi habetur: *Cæli enarrant gloriam Dei;* enarrare enim propriè acceptum ſignificat actionem ſubſtantiæ intelligẽtis, & cùm propriè poſſumus accipere *Scripturas,* propriè ſunt accipiendæ; ſed dicendo *Cæli* nomine ſignificari Angelos, propriè accipitur *enarrare;* ergo *Cæli* nomine ſignificatur natura Angelica.

17 Obijcit. *Perer.* aliquas, quas vocat validas, rationes deſumptas *ex D. Bon. in 2.ſent.diſt. 13.* Ante creationem lucis fuerunt tenebræ corporales ſuper faciem abyſſi; ergo illa lux, quę expulit illas tenebras, fuit corporalis; & ideo ſicut nomine *lucis* non intelligitur conuerſio Angelorum; ita nec nomine *Cæli* ſignificatur eorum creatio. 2. Tres dies qui præceſſerunt creationẽ Solis, fuerunt eiuſdem rationis cum tribus ſequentibus; ſed tres dies ſequentes fuerunt corporales, quia fuerunt cauſati à Sole corporali; ergo & tres priores cauſati ſunt à luce corporali; & ideo nomine *lucis*, & *Cæli* non intelligitur Angelus. Imò Deus appellauit lucem diem, & tenebras noctem; dies autem, & nox fuerũt corporales. Propter hæc ait *Perer. interpretationem Auguſtini ſententiæ verborum Moyſis nequaquam cõgruere.* Addit, quòd ſi nomine *lucis* accipiatur conuerſio Angelorum; & diuiſione à tenebris ſignificetur diſcretio Dęmonũ; cùm omnia hæc, quæ narrantur *à Moyſe* in illis ſex diebus, iuxta ſententiam *Beatiſſ. P.* facta ſint vnico temporis momento, ſequeretur in eodem inſtanti nulla interiecta mora Angelos fuiſſe creatos; & alios ſtetiſſe; alioſq; peccaſſe.

Reſp. debuiſſe attentiùs legere *Beatiſſ.P.*; ſic enim inueniſſet ſolutionem; nam *hic c.17.* docet nomine *tenebrarum* ſignificari informitatẽ creaturæ ſpiritualis; vnde ſicut *abyſſus* ſignificat ſpatium ſine formoſitate, quæ habetur à luce; ſic omnis creatura informis ſine ſua formoſitate appellatur *abyſſus.* Dicitur ergo, quòd ante creationem lucis erant tenebræ ſpiritales, quia creatura ſpiritalis erat informis; ergo nomine *lucis* intelligenda eſt lux ſpiritalis, quæ eſt formoſitas naturæ Angelicę. Ad 2. *ibid.* dicitur, quòd nomen *diei*, & *noctis* ſignificat ordinationem rerum, quę perfectæ ſunt per lucem, tanquam per ſuam formoſitatem; vnde nomine illorum dierum non intelligũtur dies corporales, vt *inf.* Ad 3. dicitur quòd appellauit lucem diem propter formoſitatem, & ordinationem; ac perfectionem rerum creatarum; & tenebras noctem propter informitatem, inordinationem, & imperfectionem. Ad vlt. dicitur, quòd formatio omnium creaturarum fuit in inſtanti; reformatio autem ipſarum, quia ſupponit illarum operationem, vel permanentiæ in bonitate accepta a Conditore, vel auerſionis

per peccatum,fuit in tempore; & ſic optimè ſaluantur omnia contenta in doctrina *Moyſis* iuxta hanc expoſitionem.*Sed de his art.6; & 8.*

18 Prob.2.p.concl.Vel Cœlũ propriè dicitur *à cælando* eò,quia cælatur oculis noſtris;vel dicitur à ſuperioritate eò, quia eſt ſuper omnia corpora terreſtria? Si primum;magis propriè,& non per tranſlationem dicitur de Angelo,quàm de corporibus cœleſtibus ; quia magis cælatur Angelus oculis noſtris,qui eſt ſimpliciter inuiſibilis ab oculo, cùm ſit ſpiritus; quàm corpus cęleſte, quod non videtur ſolùm ob nimiam diſtãtiam. Si ſecundum;ergo natura Angelica,cùm ſit verè, & propriè ſuperior ad omnem naturam corpoream , non quidem *locorum gradibus , ſed naturæ ſublimitate præpoſita*,vt loquitur *hic Beatiſſ. P. lib.1. c.17*; verè , & propriè Cœlum denominatur .

19 Prob.3.Illud nomen dicitur metaphoricè de aliquo,quod priùs impoſitum eſt ad ſignificandum aliud , à quo poſtea transfertur ad ſignificãdum hoc; vt hoc nomen *agnus*,quod primò impoſitum eſt ad ſignificandum ouem lactẽtem,transfertur ad ſignificandum hominem mãſuetum ; vnde metaphora eſt quaſi ſecunda impoſitio nominis ; ſed quando Angelus vocatus eſt *Cælum*,non erat alia creatura,cui priùs impoſitũ fuiſſet hoc nomen *Cælũ*;quia Angelus ſimul cum Cęlo,& non poſteriùs Cęlo fuit creatus,ergo hoc nomen *Cælum* non dicitur metaphoricè de Angelo, ſed literaliter. Neque obſtat , quòd quando *Moyſes* hiſtoriam creationis cõtexuit, iam nomina erant rebus impoſita ; & ideo Cęli nomen determinatum erat ad ſignificanda corpora cęleſtia.Nam contra eſt; quia licèt nomina eſſent rebus impoſita ; attamen *Moyſes* vocabat res nominibus conuenientibus rebus in prima productione,& impoſitione ; aliter non poſſent aſſerere *Aduerſarij Moyſen* in hiſtoria *Geneſeos* non fuiſſe locutum metaphoricè; ergo vocando Angelum *Cælum* non eſt locutus metaphoricè , ſed literaliter .

Eadem ratione de *Terra* eſt diſcurrendũ: nam terra propriè dicitur *à terẽdo pedibus*;& ideo quia eſt inferior,quapropter *Beatiſſ.P.lib.1.de Serm.Domini in Monte c.6.*ait:*Calcari non poteſt, niſi inferior* . Cùm igitur omnis creatura corporalis ſit inferior natura ſpirituali,propriè,& non figuratè terra dicitur.Tum quia hoc nomen *terra* non fuit impoſitum ad ſignificandum hoc elementum,quod calcamus,niſi terria die; priùs enim dicebatur *arida*; habetur enim: *Et vocauit Deus aridam terram*;ergo hoc nomen *terra* prima die non fuit impoſitum ad ſignificandum hoc infimum elementum; aliter non fuiſſet impoſitũ tertia die,ſed prima die,& è contra;quòd implicat in terminis:vel bis,& fruſtra fuiſſet impoſitũ.

20 Prob. tandem vtrunque ſimul ; nam intantùm *per Aduerſarios Cælum, & terra* tranſlatè dicuntur de natura Angelica, & corporali; in quantùm hæc duo nomina priùs impoſita ſunt ad ſignificanda corpora cęleſtia, & globum hũc elementarem inferiorem;& vulgariter nomine *Cæli* , *& terra* hæc intelliguntur ; ſed etiam hoc nomen *animal* priùs impoſitum eſt ad ſignificãda bruta irrationalia , quæ fecit Deus quinta,& ſexta die ; & nomine *animalium* ſine addito intelligit Vulgus bruta irrationalia;& tamen nullus diceret, quòd hoc nomen *animal* tranſlatiuè dicatur de homine;ergo non à ſenſu, quem percipit Vulgus,ſed à proprietate ſignificationis rerum ſenſus verborum eſt inquirendus ; & ideo *Cæli,& terra* nomine natura Angelica,& corporalis poteſt literaliter accipi ; vt accipiunt Sapientiſſimi *Eccleſiæ DD*; licèt à rudis Vulgi ſententia hic ſenſus aberret .

21 Non negamus tamen hæc duo nomina ſignificare etiam corpora cæleſtia , & infimum elemẽtum;nam *Beatiſſ.P. hic c.1.* non negat nomine *Cæli* etiam ſignificari corpora cæleſtia ; & ratio eſt,quia nõ implicat, quòd eadem vox habeat plures ſenſus literales,præſertim ſi illa vox ſit communis,vt patet de ſubſtantia,quæ ſignificat Deum,& creaturas; & vt diximus de animali,quod ſignificat naturam ſenſitiuam irrationalem, & naturam rationalem. Imò maximè decet Maieſtatem *Diuinarum Scripturarum*, quòd habeant plures ſenſus etiam literales , & vna voce plura literaliter exprimantur;vt docet *Beatiſſ.P. hic lib.1.c.19; & 21.* Et per hoc patet ad rationem *Pererij*; quamuis enim hoc ſit præter vſitatã vocum ſignificationem, & communem imperiti Vulgi conſuetudinem; attamen eſt iuxta *Sapientum*,ac periciſſimorum *Eccleſiæ DD.*documentũ; quod ſenſui vulgarium eſt præponendum; non enim *in Sanctis Scripturis* debemus *Idiotarum* locutionem attendere, ſed ad ſublimem *SS. PP.* intelligentiam reſpicere .

22 Quòd autem *Cæli* nomine *Beatiſſ.P.*literaliter intelligat naturam Angelicam , *ex eodem* manifeſtè deducitur; nam *hic lib.1.c.17*; poſtquã dixit nomine *Cæli,& lucis* intelligi Angelos,ſubdit nomine *lucis* intelligi etiam iuſtum , & *tenebrarum* vocabulo intelligi peccatorem; ſed de hoc non vult habere ſermonem, quia ſenſus allegoricus eſt:hoc autẽ nõ aſſerit, cũ de ſignificatione Cęli,& lucis loquitur;in quo ſe loqui literaliter profitetur ſubnectens: *Inſtituimus enim de Scripturis nunc loqui ſecundùm proprietatem rerum geſtarum , non ſecundùm ænigmata Scripturarum* .

23 Obijc.1.*Sanctiſſ.Doct. Aug. in hoc lib.1.à c.9.*ait nomine *lucis* intelligi naturam Angelicã ; ergo nequit intelligi nomine *Cæli*;aliter cùm dixit Deus:*Fiat lux*;ſupponeretur Angelus factus, quando Deus creauit *Cælum* , & *terram* ; & ſic vel bis factus eſſet ; vel fieret , poſtquam factus eſt; quod repugnat .

Reſp. hanc difficultatem ſibi mouiſſe *Beatiſſ.P. vbiſ. c.17*; & ſoluiſſe dicendo , quòd licèt

crea-

creatio Angelorum, & illuminatio ipſorum ſimul facta fuerit; attamen non potuit ſimul dici à *Moyſe*; ideo cùm dixit: *In principio creauit Deus Cælum, & terram*; deſcripſit creationem Angelorum; qui intelliguntur adhuc informes; cùm autem ſubdidit: *Fiat lux*; innuit illuminationem illorum; quæ illuminatio fuit poſterior origine, non tempore eorum creatione, & ideo poſteriùs debuit narrari; vt v.g. licèt Sol ſit ſimul tempore cum illuminatione, attamen illuminatio eſt origine poſterior Sole; & ſi quis deberet narrare Solem, & eius illuminationem, priùs Solẽ, quàm illuminationem deſcriberet. Ita licèt vox, & verbum ſonans ſint ſimul tempore; attamen ſi quis vellet vtrunque deſcribere, priùs vocem, per quàm formatur verbum, & quæ propterea origine præcedit verbum, quàm verbum ipſum deſcriberet. *Sed de hoc in ſeq. art.*

24 Obijc. 2. *Fund. Doctor in 2. diſt. 12. q. 1. art. 2. §. Viſo quomodò*; & *in Hexam. p. 2. c. 1.* ait nomine *Cæli* ſignificari Angelos locutione figuratiua, non verò literali: ergo hæc concluſio eſt contra *Fund. Doct.*

Reſp. 1. *ex eod. in Hexam. p. 2. c. 8*; vbi quærit, an lux dicatur propriè, vel translatè de natura ſpirituali: quòd aliquod nomen dici translatiuè, ſtat dupliciter. 1. quoad impoſitionem talis nominis. 2. quoad rationem imponendi tale nomen. Si loquamur primo modo, omnia dicuntur translatiuè de ſubſtantijs ſpiritualibus, quia nos transferimus omnia nomina, quibus eas nominamus, à rebus corporeis, quas videmus: non tamen talia nomina dicuntur metaphoricè de Angelis, vt cùm dicimus Angelum eſſe ſubſtãtiam, viuentem, intellectualem. At verò ſi loquamur ſecundo modo *Cælum* dicitur propriè de natura Angelica: cælatio enim, & ſuperioritas ad omnẽ naturam corpoream eſt ratio imponẽdi propriè hoc nomen Angelis. Hac doctrina concordat *Fund. Doct. SS. Patres cum Beatiſſ. P. Aug.*

Reſp. 2. *Fund. Doct.* loqui in communiori ſententia: non enim erat intentum illo in loco decidere hanc quæſtionem, quam poſtea ſoluit *in Hexam. c. cit.*

25 Obijc. 3. *ex Toſtato, & Perer. Moyſes* intendebat ſolùm illum ſenſum, quem poterat capere populus, cui loquebatur: ſed ille populus erat adeo rudis, vt non potuiſſet capere nomine *Cæli* ſignificari Angelos: ergo nomine *Cæli* non intellexit Angelos.

Reſp. ex hoc deduci *Moyſen* nullum ſenſum myſticum intendiſſe, quia populus ille rudis nullum talem ſenſum potuit percipere. Quòd ſi *Moyſes* intendit plures ſenſus myſticos, quos tamen non potuit percipere populus: quare non potuit intendere plures ſenſus literales, quos non potuit percipere populus? Præſertim quia *Scriptura* nedum ad erudimentum populi, ſed etiam ad noſtram doctrinam ſcripta eſt: ait namque *Apoſt. Rom. 1. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. Sat ergo fuit populum illis verbis apprehendere omnia, quæ ſunt in Mũdo, à Deo eſſe creata: vt ex hoc exurgeret in laudem, & amorem Dei, qui eſt finis *Scripturæ*.

26 Cùm igitur *Perer. lib. 1. in Gen. diſp. vlt. §. B. Auguſtinus* ita limitat libros *Geneſeos* ad vnicum tantùm ſenſum literalem, vt ei non ſit veriſimile *Moyſen* nomine *Cæli* nec etiã figuratè ſignificaſſe Angelos aſſerẽs: *Eſt enim narratio hæc Moſis hiſtorica non aliam ſententiam propriè reddens, niſi quam exprimunt verba eius ſecundùm propriam, vſitatamque eorum notionem, & vſum accepta*; debebat iſte *Expoſitor*, cùm hæc ſcriberet, legere, quæ aſſerit *Beatiſſ. P. lib. 1. in Gen. c. 1.* aiens: *In narratione ergo rerum factarum quæritur, vtrum omnia ſecundùm figuratum tantummodò intellectum accipiantur: an etiam ſecundùm fidem rerum geſtarum aſſerenda, & defendenda ſint; nam nõ eſſe accipienda figuraliter nullus Chriſtianus dicere audebit attendens Apoſtolum dicentem: Omnia autem hæc in figura contingebant illis, & illud, quod in Geneſi ſcriptum eſt: Erunt duo in carne vna: magnum Sacramentum commendãtem in Chriſto, & in Eccleſia.* Ex quibus aduertere potuiſſet à ſe non *Auguſtinum* ſolùm, ſed *Auguſtinũ cum Apoſtolo* tanquã cum Diſcipulo Magiſtrũ redargui; & ideo Chriſtianã redargutionẽ non eſſe.

ART. V.

Quid ſignificent illa verba: TERRA AVTEM ERAT INANIS, ET VACVA?

1 Diximus *in ſup. art. n. 6.* nomine *Terra* ſignificari materiã informem; vbi enim *Interpres latinus* legit: *Terra autem erat inanis, & vacua*: *Septuaginta* vertunt: *Erat inuiſibilis, & incompoſita*: & *Beatiſſ. P. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 14.* teſtatur, quòd illud *Sap. 11. Creauit Orbem terrarum ex materia inuiſa*, apud *aliam literam* habetur: *Feciſti Mũdum ex materia informi*. Supereſt hic inquirendum, an nomine *materia informis* intelligenda ſit materia ſpoliata omni forma tàm ſubſtantiali, quàm accidentali; ex qua poſtea eductæ ſint formæ elementorum?

2 Et triplex ratio ſuffragari videtur opinioni affirmanti (vt obſeruat *Fund. Doct. in Hexam. p. 1. c. 1.*) ducta *ex Beatiſſ. P. lib. 12. Confeſſ.* Prima ſumitur ex parte formarum; ſecunda ex parte temporum; & tertia ex parte nihili.

3 Prima ratio ſic efformatur. *Beatiſſ. P. Aug. vbi ſ. c. 3.* ait: *Priuſquam iſtam informem materiã formares, atque diſtingueres: non erat aliquid, non color, non figura, non ſpiritus, non corpus; non tamen omnino nihil ſed erat quædam informitas ſine vlla ſpecie*. Quibus verbis apertiſſimè docet illã fuiſſe materiam primam omni forma tum ſubſtantiali, cum accidentali penitus denudatam; ſi enim non erat *aliquid*, iam non erat ens; quia ens, & aliquid conuertuntur; & ſi non erat ens, nullum habebat eſſe; nam ens dicitur ab eſſe,

cuius eſt participium; & ſic nullam habebat formam,à qua ſumitur eſſe,vt *infra.* Si non erat *color*,nec *figura*, iam non erat forma accidentalis corporalis, quæ inducit colorem, & figuram. Si non erat *ſpiritus* , nec *corpus* , carebat omni forma;quia omnis forma, vel eſt ſpiritualis,vel corporalis. Tandem ſi erat *ſine vlla ſpecie*,erat ſine omni forma, à qua ſumitur ratio ſpecifica . Additur,quòd ſi illa materia creata fuiſſet cum aliqua forma, iam non fuiſſet ſimpliciter informis, ſed formata; informitas enim dicit formæ carentiam.

4 Secunda ratio ſumitur *ex eodem lib.* 12. *c.*9;vbi inquit:*Iſta verò informitas terræ inuiſibilis,& incompoſita nec ipſa in diebus numerata eſt. Vbi enim nulla ſpecies,nullus ordo,nec venit quicquam,nec præterit.Et vbi hoc non fit,non ſunt vtique dies, nec viciſſitudo ſpatiorum temporalium .* Et quibus ſic arguit *Fund. Doct.* Sola materia prima ſine forma ſubſtantiali nullis mutationibus eſt ſubiecta:vt docet *Phil.8.Phyſ.t.c.*4;ex hoc enim colligitur materiam primam ſecundùm ſuam puram eſſentiam conſideratam eſſe ingenerabilem , & incorruptibilem : quia nullam ſic accepta formam includit:nam ſi aliquam formã includeret , poſſet illam deperdere ; & ſic eſſet corruptibilis in ſua eſſentia:& aliam aquirere : & ita poſſet eius eſſentia de nouo generari ; ſed Deus fecit materiam ingenerabilem , & incorruptibilem , quia illam creauit ante omne tempus,& ante omnem aliam creaturam, vt dictum eſt *art.*1; illud autem, quod non eſt ſubiectum tempori,non eſt mutabile: quia illud,quod mutatur , præterit, vel aduenit : illud autem, quod præterit, vel de nouo ſit præſens , ſubditur tempori;cùm præteritum,& præſens ſint differentiæ temporis , vnde materia , quia creata eſt à Deo ante omne tempus,ideo quando creata fuit,non erat ſubiecta tempori,& conſequenter non erat mutabilis per generationem , & corruptionem ; ergo Deus creauit materiam ſine omni forma ſubſtantiali .

5 Tertia ratio eruitur *ex eodem lib.* 12. *c.*7; vbi docet:*Duo quidem feciſti Domine;vnum prope te; alterum prope nihil. Vnum , quo tu ſuperior eſſes,idēſt naturam Angelicam,aliud,quo nihil inferius eſſet, idēſt informem materiam .* Ex quo ſic arguit *Fund.Doct.* Materia,quam creauit Deus, erat propè nihil:ſed materia prope nihil eſt materia ſine omni forma; quia materia informata ab aliqua forma magis diſtat à nihilo,quàm materia ſeparata ab omni forma:ergo Deus creauit materiam ſine omni penitus forma:& ideo videtur aſſerendum formas elemẽtares eductas fuiſſe ex potentia materiæ, non verò à ſolo Deo creatas ſimul cum materia . *His tamen non obſtantibus .*

6 Vnica concl. Deus creauit materiam ſiue cæleſtem , ſiue terreſtrem ſimul cum forma ſubſtantiali,& eius inuiſibilitas, ac informitas optimè ſaluatur.Ita *Beatiſſ.P.Aug.lib.1.de Gen.ad lit. à c.12.vſque ad* 17; quod innuit etiam *lib.1.confeſſ.vbiſ.*Ipſum ſequitur *Fund. Doct.loc.cit.*

Prob. 1. pars concl. *ex eod.Beatiſſ.P. vbiſ. c.12. in fine* docente: *Et ideo quæri adhuc poteſt , quando Deus iſtas conſpicuas aquarum,terrarumque ſpecies, qualitateſque creauerit: in nullo enim ſex dierum hoc inuenitur;*Et *c.15.* concludit:*Non quia informis materia formatis rebus tempore prior eſt : cùm ſit vtrunque ſimul concreatum : & vnde factum eſt,quod factum eſt.* Formatur autẽ ſic eius ratio. Si Deus non creaſſet materiam ſimul cum forma , creaſſet formas elementares ſucceſſiuè in alijs diebus: prima enim entia pertinent ad opus creationis , quod eſt opus ſolius Dei;tum quia ſi non creaſſet formas,eductę fuiſſent de potentia materiæ per actionem agentis naturalis,cuius propria actio eſt eductio ; *vt videb.q.2.art.*1; falſum autem eſt eductas fuiſſe ; nam eductio, quæ fit ab agente naturali, non eſt niſi medijs diſpoſitionibus tranſmutantibus materiam de forma præcedente ad formam ſubſequentem;nulla autem forma præcedens primam formam poteſt ſomniari in materia;aliter prima forma non eſſet prima ; ideo primæ formæ elementares non potuerunt fieri per eductionem ; ſed formæ elementares non fuerunt creatæ à Deo ſucceſſiuè in alijs diebus ; vt colligitur *ex Scriptura*; nullibi enim inuenitur; quod tamen non omiſiſſet *Moyſes*; ſicut non omiſit deſcribere creationem formarum viuentium, & ſentientium quinta, & ſexta die; ergo Deus concreauit materiam ſimul cum forma .

7 Prob.2.& ſimul euertuntur rationes allatæ.*Ex eod.ibid.* habetur: *Quamobrem cùm ſimul vtrunque Deus fecerit,& materiam quam formauit; & res,in quas eam formauit; & vtrunque ab Scriptura dici oportuerit ; nec ſimul vtrunque dici potuerit; priùs illud,vnde aliquid factũ eſt, quàm illud,quod inde factum eſt,dici debuiſſe quis dubitet? Quia etiam cùm dicimus materiam,& formã; vtrunque ſimul eſſe intelligimus, nec vtrunque ſimul poſſumus enunciare . Sicut autem in breuitate temporis contingit,cùm duo iſta verba proferimus, vt alterum ante alterum proferamus; ita in prolixitate narrationis alterum altero priùs narrandũ fuit,quanuis vtrunque,vt dictum eſt,ſimul fecerit Deus;vt quod ſola origine prius eſt in faciendo,etiã tempore prius ſit in narrando;quia duæ res,quarũ etiam altera nullo modo prior eſt , nominari ſimul non poſſunt,quantò minùs ſimul narrari?* Ex quibus ſic arguitur . Motiuum , quo poteſt conijci Deum creaſſe materiam ſine forma, eſt,quia *Scriptura* nominat priùs materiam , eamque deſcribit informem , quam poſtea narrat eſſe formatam ; ex nullo enim alio videtur hoc poſſe colligi *in Scriptura* ; ſed hoc poteſt ſaluari per ſolam prioritatem originis ; prouenit enim ſolùm ex natura locutionis,quæ nequit ſimul pronunciare,quæ ſimul ſunt facta;dum enim vnum

pro-

profertur, tēpus elabitur, quo aliud non enunciatur; ad hoc autē, vt ſit ordinata locutio, priùs debet enunciari illud, quod eſt fundamentum, & ſubiectum alterius, quàm illud, quod eſt fundatum, & receptum in alio; fundamentum enim, ſaltem origine præcedit fundatum; cùm autem materia ſit fundamentum, & ſubiectum, in quo recipitur forma, ideo priùs materia debuit deſcribi, quàm forma; ergo ex hoc non ſequitur materiam non eſſe creatam ſimul cum forma. Et dat exemplum de voce, & verbo; licèt enim verbum formetur per vocem; attamen non eſt priùs vox per aliquod tempus, quàm verbum; ſed ſimul vtrunque profertur; ita licèt materia ſit id, ex quo facta eſt forma; attameu non fuit priùs creata materia per aliquod tempus, quàm forma; ſed vtraque ſimul fuit producta. Et ſicuti ſi quis vellet vocem, & verbum ordinatè deſcribere, priùs vocem, per quam in verba ſonamus, quàm verbum, quod ſonat per vocem, deſcriberet, quia quod eſt prius origine, priùs debet deſcribi; ita à pari; ergo nullum penitus fundamentum babent *Aduerſarij in Scriptura* contrariè opinandi.

8 Prob. 3. *à Fund. Doct. vbiſ. c. 1.* triplici alia ratione oppoſita rationibus allatis in contrariū. Prima ex parte formæ eſt. Omne eſſe eſt à forma, quia eſt actus, & eſſe eſt ab actu; vnde potentia paſſiua dicit non eſſe, ſed habitudinem ad eſſe; nam æger ex eo, quòd habeat potentiam ad recuperandam ſanitatem, non dicitur habere eſſe ſanum, ſed ſolùm poſſe fieri ſanum; ergo materia ſine forma non haberet eſſe; & ſic non eſſet producta; quia productio terminatur ad eſſe; ergo eſſet, & non eſſet; quod repugnat.

9 Secunda ex parte temporis. Omne, quod eſt informe, poteſt formari; quod enim eſt informe, dicit carentiam formę cum aptitudine ad illam habendam; & dicere aptitudinem ad habendam formam eſt poſſe formari; ſicut habere aptitudinem ad recuperandam ſanitatem eſt poſſe ſanari; ſed quod poteſt formari, ſubiacet mutationibus temporis; quia poſſe formari dicit tranſitum de informitate ad formam; & iſte tranſitus non habetur niſi per viciſſitudinem temporum; ergo omne informe ſubiacet mutationibus temporum; & conſequenter materia informis ſubiacet mutationibus; atqui illud, quod ſubiacet mutationibus temporum, eſt formatum, quia ſubijci mutationibus eſt poſſe tranſmutari; tranſmutatio autem imporrat tranſitum de vna forma ad aliam; cùm non fiat niſi *ex contrarijs in contraria*; quæ contrarietas ſumitur ſolùm penes accidentia, quæ ſupponunt formam ſubſtantialem, quæ eſt actus primus; aliter non eſſent actus ſecundarij; ergo materia informis importat materiam cum forma.

10 Tertia ſumitur ex parte nihili ſic. Potentia paſſiua *ex Com. 1. Phyſ. t.* 75; *&* 78. eſt quid medium inter ens, & nihil, eo enim ipſo, quòd poteſt eſſe, non eſt nihil, qnia nihil non poteſt eſſe; & eo ipſo, quod non eſt, non eſt ens; ſed implicat, quòd detur à parte rei aliquod, quod nō ſit nihil, & non ſit ens; ergo repugnat creari materiam ſine omni forma.

11 Addit *c. 2. ſeq.* Propriè, & per ſe non fit, niſi ſolum compoſitum; cùm enim quis facit ceram rotundam, propriè non facit çeram, quia cera iam facta eſt; nec facit rotunditatem; quia rotunditas iam eſt rotūda, ſed facit complexum ex vtroque; idèſt facit ceram rotundam; ergo materia ſine omni forma non eſt producibilis à Deo, ſed ſolùm compoſitum ex materia, & forma; & ideo nomine materiæ informis non intell gitur materia ſine omni forma ſubſtantiali.

12 Prob. 2. pars cōcl. *ex Beatiſſ. P. vbiſ. c.* 13; vbi ait: *In eo, quod ſequitur Scriptura dicens: Terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; nullam opinemur informitatem materiæ, ſed terram, & aquam ſine luce, quæ nondum erat facta, ſuis iam notiſſimis qualitatibus conditas; vt ideo terra inuiſibilis dicta intelligatur, quòd aquis cooperta non poſſet videri, etianſi eſſet, qui poſſet videre; ideo verò incōpoſita, quia nondum à mari diſtincta, & cincta à litturibus, & ſuis fætibus, animalibuſque decorata.*

13 Igitur illud dicitur propriè inuiſibile, quod oculis corporis nequit videri; & illud dicitur inane, vacuum, & incompoſitum, idèſt inornatum, quod caret corporibus ipſum replentibus, & ornantibus; vt domus dicitur inanis, vacua, & incompoſita, quando ſuis ſuppellectilibus caret; ſed terra tunc deſcribebatur *à Moyſe* ſine herbis, plantis, & animalibus, quæ illam replere, & ornare debebant; quapropter in creatione piſcium, & auium dixit Deus: *Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, aueſque multiplicentur ſuper terram*, & ſexta die, cùm creauit hominem: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*; tunc autem terra, & aqua non potuiſſent repleri, niſi vacuitas, & inanitas in illis non eſſet; & tamen terra, & aqua tunc erant formata, quia erant diſtincta; ergo terra rectè dicitur inuiſibilis per ordinem ad aquas, quæ illam tegebant, ne videretur; & inanis, vacua, & incompoſita per ordinem ad corpora, quæ illam replere, & ornare debebant; non autem per ordinem ad formam, ſine qua eſſet producta.

14 Præterea, vt ſupra dicebamus *ex eod*; debuit *Moyſes* narrare materiam, & formam eſſe creatas à Deo; non potuit autem ſimul narrare, quia diſcurſus homini proprius exigit, vt vnum poſt aliud enuncietur; ergo deſcripſit materiam ſeparatim à forma non quidem tempore, ſed locutione; materia autem ſeparata à forma dicit informitatem, inuiſibilitatem, & incompoſitionē; ſicut forma dicit formoſitatem, ſpecioſitatem, & compoſitionem, ſeu ornamentum ipſius materiæ; ergo licèt dixerit materiam informem, prout dicit carentiā formoſitatis in ſua entitate;

quia

quia illius entitas nullam formam includit, cùm realiter ab omni forma diſtinguatur, adhuc non ſequitur, quòd voluerit *Moyſes* Deũ produxiſſe materiam ſine forma; quia quæ non poſſunt ſimul dici à nobis, poſſunt tamen à Deo ſimul creari. Vnde ſenſus eius eſt, quòd Deus produxit materiam ſimul cum forma; materia autem ſecundùm ſe conſiderata, prout diſtinguitur à forma, eſt omnino informis, quia diſtinguitur ab omni forma;& ideo eſt penitus vacua, & inanis, & inuiſibilis, quia non eſt cognoſcibilis niſi per formam, ſicut non habet eſſe in rerum natura, niſi per formam. Forma verò, prout diſtinguitur à materia, habet formoſitatem, & ſpeciem, quia eſt complementum, & perfectio illius; & licèt hæc duo non poſſint ſeparata conſiſtere, & ideo nec ſeparatim produci; attamen quia realiter diſtinguuntur, poſſunt ſeparatim cognoſci.

15 Ad 1.igitur rationem in contrarium allatam dicitur *ex eodem Beatiſs.P.*; quòd illud *priuſquam* non dicit prioritatem temporis, ſed ſolùm originis,& locutionis, vt dictum eſt. Et illud: *Non erat aliquid, non color &c*; verificatur de materia ſecundùm ſuam eſſentiam conſiderata; non autem ſecundùm exiſtentiam; nullum enim aſſignabile eſt inſtans, in quo materia non fuerit formata, cùm forma, & materia ſimul fuerint à Deo creata;& ideo nullum aſſignabile eſt inſtãs, in quo non fuerit *aliquid*, *color &c*; & ſic nullũ inſtans, in quo non fuerit in aliqua ſpecie, licèt ſecundùm ſe ipſam in nulla ſit ſpecie, cùm ſit in ſpecie ſolùm per formam. Ad vlt. dicitur, vel quòd illa informitas non eſt per ordinem ad formam ſubſtantialem, ſed per ordinem ad ſua ornamenta, vt dictum eſt. Vel ſi accipitur per ordinem ad formam ſubſtantialem, hoc fuit tantùm in aliquo priori originis,& locutionis, non autem alicuius inſtantis temporis.

16 Inſt. Materia in aliquo priori originis fuit ſine forma; ergo ſaltem in aliquo inſtanti naturæ fuit in rerum natura ſine forma.

Reſp.neg.ſupp.conſ.inſtantia enim ſumuntur ſolùm penes tẽpus, quod habent principiare, vel continuare, vel terminare; non autem penes naturam, ſecundùm quam ſumitur ſolùm cauſalitas, origo,& dependentia.

17 Ad 2.dicitur, quòd cõfirmat reſponſionem, & noſtram ſententiam; ſi enim informitas materiæ non eſt numerata in diebus, ſequitur, quòd nullum fuerit inſtans, in quo materia fuerit informis, idẽſt ſine forma; inſtans enim eſt aliquid diei; quia diem vel inchoat, vel continuat, vel terminat. Creauit ergo Deus materiam in eodem inſtanti, in quo creauit tempus; tempus autem incepit in inſtanti, aliter tempus incepiſſet in tempore; & ſic creatio temporis debuiſſet ſupponere tempus, in quo facta eſt, ideoque daretur tempus, antequam fuiſſet productũ; quod implicat. Illud igitur inſtans, in quo creauit tempus, non eſt tempus; quia tempus eſt diuiſibile; & illud inſtans indiuiſibile; ſicuti punctus, qui eſt principium lineæ, non eſt linea; nam linea eſt diuiſibilis, punctus verò indiuiſibilis. Ex hoc ſequitur, quòd etiam in eodem inſtanti creata ſit forma; quia creatio formæ pariter eſt inſtanti, cùm non ſit per alterationem præcedentem, quæ fit in tempore; hoc enim conuenit generationi, non creationi; ſed forma non potuit fieri per aliud inſtans ſequens ad primum inſtans; quia inter duo inſtantia mediat pars diuiſibilis temporis; ſicut inter duo puncta mediat pars diuiſibilis lineæ, punctum enim eſt nexus partium lineæ; & ſi darentur duo puncta immediatè ſe continuãtia, primum punctum necteret aliud punctum cum linea,& ſic necteret nexum; quod eſt ridiculum; atque adeò ſi forma facta fuiſſet in inſtanti ſubſequenti, iam illa informitas materiæ duraſſet per illud tempus medium inter illa duo inſtantia,& ſic eſſet numerata in diebus; & mutationibus temporum ſubiecta fuiſſet; ergo forma creata fuit ſimul in eodem inſtanti cum materia; & ideo illa informitas fuit ſolùm prior origine, & locutione. Diſt.igitur mi. Deus fecit materiã ingenerabilem,& incorruptibilem ſpectatam ſecundùm ſuam eſſentiam, & ſecundùm noſtram locutionem, conc; ſecundùm durationem, neg.

18 Et ſic ad 3.rationem diſt.ma. Erat propè nihil conſiderata ſecundùm ſuam nudam eſſentiam in illo priori originis, & locutionis, conc; ſecundùm durationem,& exiſtentiam, neg. Et ita diſt.mi. Materia propè nihil eſt materia ſine omni forma pro aliqua duratione, neg; pro aliquo priori originis,& locutionis, conc.

19 Ceteræ obiectiones, quæ *à Philoſophis* fieri poſſunt, facilè ſolui poſſunt ex dictis,& ideo. *Philoſophis* eas relinquimus; à quibus ne fatigemur,& intento diſtrahamur ab opere; an materia cœleſtis,& ſublunaris ſint eiuſdem rationis,& reliqua *ad libros Phyſicorum* ſpectantia diſcutienda remittimus.

ART. VI.

Quid ſignificent illa verba : ET TENEBRAE ERANT SVPER FACIEM ABYSSI?

1 SVblimem, & ſupra communem intelligentiam *Beatiſs.P.Aug.Geneſeos* expoſitionem continuantes conſequenter ad ea, quæ diximus, illa quæ ſequuntur, ſunt exponenda. Cùm igitur ſuperiùs dixerimus nomine *Cœli* naturam Angelicam; & nomine *Terræ* naturam corpoream ſignificari; cùmque *Moyſes* nomine *inanitatis*, *& vacuitatis* explicaſſet informitatem materiæ adhuc imperfectæ,& ſuis ornamentis, & forma carẽtis pro aliquo priori originis, nõ durationis; *hic* procedit ad inſinuãdam informitatẽ naturæ ſpiritualis eòuſque imperfectæ, donec conuerſa fuit ad Deum Creatorem ſuum; quæ conuerſio facta eſt, quando dixit Deus: *Fiat lux, & facta eſt lux, & diuiſit lucem à tenebris*.

2 Nomine ergo *tenebrarum* intelligit *Beatiſs.*

tiſs.P. informitatẽ naturæ ſpiritualis, quæ adhuc erat perficienda, & ornanda; nomine autem *abyſſus* intelligit ipſam mentem intellectualem; etenim *lib.1.de Gen.ad lit.c.1.* ait: *An vtriuſq;* (ſcilicet corporalis, & ſpiritalis naturæ) *informitas his etiam poſterioribus verbis ſignificat? Corporalis quidem eo, quod dictum eſt: Terra erat inuiſibilis, & incompoſita; Spiritalis autem eo, quod dictum eſt: Tenebræ erant ſuper abyſſum; vt tranſacto verbo tenebroſam abyſſum intelligamus naturam vitæ informem, niſi conuertatur ad Creatorem, quo ſolo modo formari poteſt, vt non ſit abyſſus, & illuminari, vt non ſit tenebroſa. Et quomodò dictum eſt: Tenebræ erant ſuper abyſſum, an quia non erat lux? Quæ ſi eſſet, vtique ſupereſſet, & tanquam ſuperfunderetur; quod tunc fit in creatura ſpiritali, cùm conuertitur ad incommutabile, atque incomparabile lumen, quod Deus eſt.*

Sed adhuc dubitandum videtur, an hæc poſſint accipi ſecundùm ſenſum literalem; an verò figuratè ſolùm ſint accipienda? Nam tenebræ propriè videntur ſignificare carentiam lucis corporeæ; & illam obſcuritatem, quæ noctem inducit; quapropter *Scriptura*, poſtquã deſcripſit creationem lucis, ſequitur: *Et diuiſit lucem à tenebris. Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque eſt veſpere, & manè dies vnus.* Nomine ergo tenebrarum eſt literaliter intelligenda priuatio lucis formãtis diem inducẽs noctem; cuius principium eſt veſpera, & finis mane; ſed tenebræ, quæ formant noctem, eamque inchoant veſpere, & terminant mane, ſunt tenebræ corporales; quia per illas ſignificatur, vt docet idem *Sãctiſſ.P. ibid.c.17; ſpatium loci plenum aere carens lumine diurno*; locus autem plenus aere procul dubio eſt quid corporale; ſicut nox, & veſpera ſecundùm ſenſum literalem ſolummodò corporaliter ſunt intelligenda; tum quia tres noctes anteecedenter creationem Solis fuerunt eiuſdem rationis eum tribus noctibus conſequentibus Solis factionem; & ideo ſicut tres noctes ſeqnentes fuerunt corporales, quia fuerunt cauſatæ à Sole corporali; ita de tribus noctibus antecedentibus dicendum eſt; ergo nomine tenebrarum non literaliter, ſed figuratè tantùm videtur ſignificari naturæ ſpiritualis informitas. *His tamen non obſtantibus.*

3 Vnica concl. Nomine *tenebrarum* literaliter intelligi poteſt informitas naturæ ſpiritalis; & nomine *abyſſus* ipſa natura ſpiritualis.

Prob.1.pars concl. *ex Beatiſs.P. vbiſ; c.17*; vbi poſtquam dixit nomine *lucis* iuſtum, & nomine *tenebrarum* peccatorem poſſe figuraliter accipi; ſe tamen in illis libris nolle ſequi ſenſum figuratum, ſed literalem, immediatè ſubdit: *Ergo ad rationem factarum, conditarumque naturarum quomodo inuenimus veſperam, & mane in luce ſpiritali? An diuiſio quidem lucis à tenebris diſtinctio eſt iam rei formatæ ab informi; appellatio verò diei, & noctis inſinuatio diſtributionis eſt, qua ſignificetur nihil Deum inordinatum relinquere?* Magna autem hebetudo eſſet, & illuminatiſſimi *Auguſtini* ingenio indigna proteſtari ſe nolle figuratè loqui, & ſtatim quaſi immemor ſui in figuras irrumpere. Ita ergo diſcurritur. Lux dicitur propriè, non figuratè de natura ſpiritali; nam, vt *inf.* oſtendemus, de Deo, qui eſt ſummè ſpiritualis, dicitur *Io.1. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* & paulò poſt: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*; & alibi tam ſæpe, vt nihil habeatur *in Scripturis* frequẽtiùs. Et *Apoſt. 15. Matt. 5.* dixit Chriſtus Dominus: *Vos eſtis lux Mundi*; Ea autem, quæ dicuntur *in Scripturis*, non ſolùm figuratè, ſed etiam literaliter ſunt accipienda; quotieſcunque nulla ſequitur abſurditas, aut incongruentia *Scripturarum*, quæ nulla apparet in præſenti, imò potiùs ratio id perſuadet, vt *inf*; ergo & tenebræ propriè, nõ tranſlatè dicuntur de natura ſpiritali; quia oppoſita habent fieri circa idem; quotieſcunque illud ſubiectum eſt variabile de vno in aliud; vt quoniam aer mutabilis eſt de lucido in non lucidum; ideo ſicut lux propriè dicitur de aere, ita & propriè dicuntur tenebræ; creatura autem ſpiritalis eſt variabilis in accidentibus; ergo ſicut lux, quę eſt accidens illius, dicitur propriè de illa; ita tenebræ, qnæ non dicunt niſi carentiam lucis, propriè illi conueniunt.

4 Senſus ergo *Moyſis* iſte eſt. Sicut tenebræ corporales tũc propriè inſunt abyſſui corporali, quando abyſſus non eſt conuerſa, idèſt verſa ad Solem, ſed oppoſita ad hunc Solem corporeum; qui eſt lux, & origo omnis lucis corporeæ; ita tenebræ propriè inſunt naturæ ſpiritali, quoties creatura ſpiritalis non eſt conuerſa ad ipſam lucem incommutabilem ſpiritalem, ſcilicet ad ipſũ Deum, qui eſt origo omnis lucis ſpiritalis; ergo tenebræ in natura ſpiritali propriè ſignificant informitatem illius.

5 Conf. Tenebræ corporales propriè dieſitur de natura corporali, de qua lux corporea propriè dicitur; & propriè ſignificant informitatem naturæ corporalis, cuius formoſitas à luce ſolùm enaſcitur; & ideo omnia ſine luce *horrida, & deformia* dicuntur; ſed lux propriè dicitur etiam de natura ſpirituali, imò probabilius eſt lucem creatam prima die intelligi de luce ſpiritali; quia lux corporalis, quæ eſt Sol iſte corporeus, creata fuit quarta die; vt *inf*; ergo & tenebræ propriè dicuntur de natuta ſpiritali carente ſua luce ſpiritali.

6 Prob.2.pars concl. *Abyſſus* propriè loquẽdo, ſignificat *profunditatem impenetrabilem, & incomprehenſibilem*, vt docet *Beatiſs.P. in pſ.41.* Super illud: *Abyſſus abyſſum inuocat*; & *lib. imperf. de Gen.ad lit.c.4.* ait: *Et tenebræ ſuper abyſſum, idèſt ſuper profunditatem vaſtiſſimam, quæ rurſus profunditas vaſtiſſima fortaſſe nominata eſt, quia nullius intelligentia propter ipſam informitatem penetrari poteſt.* Et inferiùs. *Et tenebræ ſuper abyſſum*

Digitized by Google

ſum,idèſt informitas ſine luce; ſed profunditas, & incomprehenſibilitas, quæ importat non poſſe penetrari, aut comprehendi à noſtra mente, propriè dicitur de natura ſpirituali; de qua propriè dicitur altitudo, & celſitudo, quæ profunditati opponitur; quapropter natura ſpiritualis creata Deo, qui propriè dicitur *Altiſſimus, & excelſus*, eſt propinquior, quàm natura corporea, idcoq; eſt ſublimior; ergo & *abyſſus* propriè dicitur de natura ſpirituali informi, quæ cùm careat luce ſpirituali, cùmque lux ſpiritualis ſit æquè neceſſaria ad videndos ſpiritus, ſicut lux corporalis ad intuenda corpora, penetrari, & comprehendi nequit à nobis.

7 Ad rationem dubitandi dicitur, quòd tenebræ propriè ſignificant informitatem creaturæ, vt dictum eſt; cùm autem informitas propriè conueniat naturæ ſpirituali, & corporeæ; ideo tenebræ propriè dicuntur de natura ſpirituali, & corporea; vnde diſtinguitur illa propoſitio: Tenebræ propriè dicuntur ſignificare carentiam lucis corporeæ tantùm, neg; etiam, conc. Ad illud, quod additur; ſcilicet tenebræ propriè ſignificāt obſcuritatem, à qua inducitur nox, quæ inchoatur veſpere, & terminatur mane, ſunt corporales tantùm, neg; etiam, conc; nam *appellatio diei, & noctis*, vt docet *Beatiſs.P.vbiſ.c.17*; *inſinuatio diſtributionis eſt; qua ſignificetur nihil Deum inordinatum relinquere; atque ipſam informitatem, per quam res de ſpecie in ſpeciem modo quodam tranſeundo mutantur, non eſſe indiſpoſitam, neque defectus, neque profectus creaturæ, quibus ſibimet temporalia quæque ſuccedunt, ſine ſupplemento eſſe decoris Vniuerſi*. Itaque ſicuti informitas rerum tēporalium ordinata ad formoſitatem propriè dicitur nox ad diem ordinata, quæ ordinatio eſt propter decorem Vniuerſi; ita informitas rerum ſpiritualium ordinata ad formoſitatem illarum; ſeu defectus ordinatus ad profectū propriè appellatur dies, & nox. Sic *veſpera*, vt *ibid.* ſubdit; *in toto illo triduo, antequam fierent luminaria, cōſummati operis terminus non abſurdè fortaſſe intelligitur; mane verò tanquam futuræ operationis ſignificatio*. Vnde ſicuti *veſpera* propriè ſignificat terminum lucis corporalis, quæ rebus corporeis tribuit formoſitatem; ita propriè inſinuat conſūmationē lucis ſpiritualis, per quam natura ſpiritualis formoſa effecta eſt. Et quemadmodum mane ſignificat initium lucis corporeæ, quod eſt principium omnium operationum corporalium; ita propriè ſignificat initium lucis, ſeu perfectionis ſpiritualis; quæ eſt initium actionis ſpiritualium. Ad vlt. dicitur, quòd nomine tam trium dierum antecedentium creationem Solis, quàm ſubſequentium intelligitur formatio, & perfectio creaturarum, quæ deſcribuntur in illis diebus; & quia in illis deſcribitur natura corporalis, & ſpiritualis, ideo deſcribitur informitas, & perfectio vtriuſque; vnde in hoc ſenſu illæ noctes fuerunt eiuſdem rationis.

A R T. VII.

Quid ſignificent illa verba: ET SPIRITVS DOMINI FEREBATVR SVPER AQVAS?

1 CAiet. *hìc* vult nomine *Spiritus Domini* ſignificari *Angelum*; & nomine *aquarum* inſinuari *Cælos*; qui Hebraicè dicuntur *Shamaim* ab aquis ducto vocabulo; hinc Cœlum criſtallinum eo, quia diaphanum, ac pellucidum eſt, propriè *aqueum* nuncupatur. Dicitur autem *ſuper* ad inſinuandam excellentiam Angeli, qui nec indiget, nec pendet à Cęlo. Tandem dicitur *ferebatur*; ſeu vt ſonat magis propriè Hebraicum idioma, *volitabat*, ad declarandam ſummam motus cœleſtis velocitatem; vel *incubabat* ad indicandam vim illius motus vitalem; qui, vt docet *Ariſt.8.Phyſ.* eſt quaſi vita rerum ſublunarium. Hanc opinionem acriter reijcit *Perer.*

2 *Tertull. aduerſus Hermog; & Theodoret. q.8.ſup.Gen.* volunt nomine *Spiritus* ſignificari *ventum*; arbitrantes his verbis *Moyſen* nominaſſe elementum aeris, ſicut iam nominauerat terram, & aquam. Per illud autem verbum *ferebatur* ſignificari aeris mobilitatem, & agitationem naturalem. Hanc opinionem recitat *Beatiſs. P. Aug.lib.imperſ.de Gen.c.4.* in fine his verbis: *Tertia opinio de hoc Spiritu oriri poteſt, vt credatur Spiritus nomine aeris elementum enunciatum; vt ita quatuor elementa inſinuata ſint, quibus Mundus iſte viſibilis ſurgit; cælum ſcilicet, terra, aqua, & aer.* Hanc maximè probat *Perer.* tāquam magis literalem. Sed ab ipſo petendum eſſet, an hoc nomen *Spiritus* magis propriè dicatur de aere, qui corporeus, & materialis eſt; an verò de Spiritu Sancto, qui ſimpliciter incorporeus, & immaterialis eſt? Videat, quid reſpondeat?

3 *D.Io.Chriſoſt.hom.3.in Gen.* docet nomine *Spiritus* ſignificari vim quandam, & efficaciam vitalem à Deo inditam aquis ad producenda omnia corpora, quæ ex ipſis naſcuntur. Hāc quoque opinionem refert *Beatiſs. P. vbiſ*; & ſubdit hanc opinionem poſſe ſubſtineri, ſi nomine *Cæli, & terræ* intelligatur tantùm viſibilis, ſeu corporea creatura; non autem ſi nomine *Cæli* ſignificetur natura ſpiritualis, vt ſupra diximus, nulla enim vitalis vis reperitur ad producendos Angelos per generationem.

4 Tandem *Beatiſs.P.Aug.* docet *Spiritus* nomine ſignificari Spiritum Sanctum; cui conſonāt ferme omnes *SS.PP.* tam *Græci*, quàm *Latini*; ex quo colligitur hanc eſſe communiorem ſententiam; nomine autem *aquarum* vel ſignificari totam naturam corpoream, quia *ex humido compacta eſt, & in humido concreſcit*; vel inſinuari etiā vitam ſpiritualem adhuc informem *fluitantem, atque nutantem inter bonum, & malum; donec formaretur per Verbum ſuum, cùm dixit: Fiat lux*, & ſic firmaretur in ea bonitate, quam in ſua conditione receperat, per gratiam, & charitatem, quæ diffunditur per Spiritum Sanctum, qui propterea

rea ſuper eam ferebatur; in eam ſufflando, idèſt, inſpirando gratiam, qua formoſa appareret; illud enim verbum Hebraicum *Merachepheth*, quod *Latini*, & *Græci* vertunt *ferebatur*, vel *ſuperferebatur*; *Syra* lingua vertit *ſouebat*; ſicut enim alites calore fouent oua, vt formentur, & creſcant in pullos; vel ſicut lux Solis fouet corpora, quæ illuminat, vt à luce formoſitatem recipiant, & à calore incrementum; ita Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas ſuæ charitatis ardore fouendo vtranque naturam, donec perficeretur in bono, & formaretur; Ait igitur *in hoc lib. 1. c.5. Ineſt enim Deo benignitas ſumma, & ſancta, & iuſta, & quidem non ex indigentia, ſed ex beneficentia veniens Amor in opera ſua. Propterea priuſquam ſcriberetur: Dixit Deus: Fiat lux; præceſſit Scriptura dicens: Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquam; quia ſiue aquæ nomine appellare voluit totam corporalem materiam, vt eo modo inſinuaret, vnde facta, & formata ſint omnia, quæ in ſuis generibus iam dignoſcere poſſumus; appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per ſpecies varias formari, atque concreſcere; ſiue ſpiritalem vitam quandam ante formam conuerſionis quaſi fluitantem; ſuperferebatur vtique Spiritus Dei, quia ſubiacebat ſcilicet bonæ voluntati Creatoris, quidquid illud erat, quod formandum, perficiendumque inchoauerat; vt dicente Deo in Verbo ſuo: Fiat lux; in bona voluntate hoc eſt in beneplacito eius pro modulo ſui generis maneret, quod factum eſt. Et inf. c.18.* explicans verbum *ſuperferebatur* ait: *Nam & illud, quod per Græcam, & Latinam linguam dictum eſt de Spiritu Dei, quia ſuperferebatur ſuper aquas, ſecundùm Syra lingua intellectum, quæ vicina eſt Hebreæ; nam hoc à quodam docto Chriſtiano Syro fertur expoſitum, non ſuperferebatur, ſed fouebat, potiùs intelligi perhibetur. Nec ſicut fouentur tumores, aut vulnera in corpore aquis, vel frigidis, vel calore congruo temperatis, ſed ſicut oua fouentur ab alitibus, vbi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodò adminiculatur per quendam in ſuo genere dilectionis affectum.* Et *lib.imperf.c.4.* de hoc ait: *Non ita ſuperferebatur, ſicut oleum aquæ, vel aqua terræ, idèſt quaſi contineretur; ſed ſi ad hoc de viſibilibus exempla capienda ſunt; ſicut ſuperfertur lux iſta Solis, & Lunæ his corporibus, quæ illuminat in terra.*

5 Difficultas eſſe poteſt, non quidem, quòd illa verba *Spiritus Dei* nō ſignificēt propriè Spiritum Sanctum; hoc enim patet *ex Scripturis*, & Eccleſia, quæ ipſum implorans ait: *Veni Sancte Spiritus*; quæ oratio nequit intelligi niſi de Spiritu Sancto; ſed difficultas eſſe poteſt *de aquis*, an propriè, vel tantùm figuratè accipiantur pro natura corporali, & ſpirituali? Videtur namque hoc ſolùm figuratè dici, quia nomen *aquæ* propriè ſignificat elementum diſtinctum à ceteris elementis, & ideo propriè nequit omnia elemēta, & multò minùs naturam ſpiritualem ſignificare. *His tamen non obſtantibus.*

6 Vnica concl. Nomine *Spiritus Dei* rectè intelligitur Spiritus Sanctus, & nomine *aquarū* natura corporalis, ſiue etiam ſpiritualis; & hoc in ſenſu literali.

7 Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſs. P. in hoc lib. 1. c.6*; vbi poſt verba ſuperiùs allata ait: *Et quemadmodum in ipſo exordio inchoatæ creaturæ, quæ Cæli, & terræ nomine propter id, quod de illa perficiendum erat, commemorata eſt, Trinitas inſinuatur Creatoris, nam dicente Scriptura: In principio fecit Deus Cœlum, & terram; intelligimus Patrem in Dei nomine; & Filium in Principij nomine &c. Dicente autem Scriptura: Et Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas; completam commemorationē Trinitatis agnoſcimus.* Ex quo ſic. Debuit *Moyſes* deſcribere cauſam efficientem creationis, aliter hiſtoriam inſufficienter attexuiſſet, ſi cauſam effectricem tacuiſſet; cauſa enim principaliter ſpectat ad cognitionem perfectam cuiuſuis effectus; ſed intellecto per illa verba *Spiritus Dei* Spiritu Sancto ſignificatur cauſa adæquata creationis, quia ſignificatur tota Trinitas, quæ in creatione operata eſt; nam nomine *Dei* intelligitur Pater, cui à ſe, & primordialiter cōuenit Deitas; Filius enim, & Spiritus Sanctus ſunt Deus de Deo; & nomine *Principij* ſignificatur Filius, qui eſt principium, per quod facta ſunt omnia; ergo nomine *Spiritus Dei* inſinuatur Spiritus Sanctus; aliter inſufficienter deſcripſiſſet *Moyſes* cauſam effectricem creationis.

8 Addendum eſſet, quòd per hoc maximè ſignificatur ſacramentum regenerationis, quæ fit per aquam, & ſanguinem; ſeu baptiſmus Chriſti Domini, in quo Spiritus Sanctus apparuit ſuper aquas *Iordanis*, ſed hoc pertinet ad ſenſum figuratum; quia aſſumitur factum veteris teſtamenti ad ſignificandum myſterium noui teſtamenti.

9 Prob. 2. pars concl; quòd ſcilicet *aquarum* nomine literaliter ſignificauerit *Moyſes* totam naturam corpoream. In omni re corporea eſt humor aqueus, qui dicitur radicalis, & eſt veluti forma, per quam formatur omnis res corporea, creſcit, & multiplicatur; ergo *aquarum* nomine literaliter ſignificari poteſt omnis natura corporea; nam vox literaliter ſignificat illam rem, cui ineſt illa forma, ad quam ſignificandam inſtituta eſt talis vox; ſic quia corpori ineſt anima rationalis, ideo rationalitas, quæ eſt vox inſtituta ad ſignificandam animam rationalem, literaliter ſignificat totum hominem; in quo eſt anima rationalis. Præterea in omnium *Expoſitorum* ſententia certum eſt, quòd quando *Moyſes* dixit *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*, ſignificauit omnia elementa, quæ connectuntur cum Cœlo, & Terra, & hoc literaliter; ergo aquarum nomine potuit ſignificare literaliter omnia corpora, quæ cum aqua nectuntur.

10 Prob. 3. pars concl, nam licèt; vt diximus *art.5; & in ſeq.* magis explicabitur; ſi conſidere-

tur hoc nomen *aqua* quantùm ad impoſitionem nominis, videatur translatè dici de natura ſpirituali, quia propriè impoſitum eſt ad ſignificandū elementum *aqua*; attamen ſi conſiderentur rationes, propter quas impoſitum eſt tale nomen, propriè, & literaliter dicitur; nam *aqua* dicitur à fluitando ab vna in aliam partem; quaſi fluat in hanc partem, *à qua* refluit in aliam; ſed natura ſpiritualis, vtpotè libera, fluitabat inter bonum, & malum, & propèdebat in vnam partem, *à qua* vertebatur in aliam: ergo *aquarum* nomine literaliter accipi poteſt natura ſpiritualis. Tum quia *aqua* proprietas eſt frigiditas; ergo *aquarum* nomine propriè ſignificari poteſt natura ſpiritualis, cuius frigiditatem, vt explicaret *Moyſes*, dixit ſuper eam ferri Spiritum Sanctum eam fouendo, & calefaciendo ſuæ dilectionis ardore, vt docet *Beatiſſ. P.*

11 Conf. Hoc nomen *aqua* propriè, & literaliter ſignificat Cœlum; nam Cœlum Hebraicè dicitur *Shamaim*; quę vox componitur ex *Sha*, & *Maim*; *Sha* autem ſignificat *ibi*, & *Maim* ſignificat *aquas*; vnde *D. Hier.* epiſt. 83. *ad Ocean.* ait, quòd Cęlum ab aquis ſortitur vocabulum; ſed *Cæli* nomine propriè, & liberaliter ſignificatur natura ſpiritalis, vt oſtenſum eſt *art.* 4; ergo nomine *aquarum* propriè, non metaphoricè, ſignificatur natura ſpiritalis.

12 Ex hoc patet reſponſio ad rationem dubitandi; nam nomen *aquæ* propriè ſignificat elementum *aqua* quantùm ad impoſitionem nominis; quantùm autem ad rationes imponendi tale nomen propriè, & literaliter poteſt ſignificare omnia elementa, & etiam naturam ſpiritualem, quia reperitur in omnibus corporibus; & naturę ſpirituali propriè conueniunt illę rationes, propter quas elemento fluido impoſitum eſt hoc nomen *aqua*.

13 Dices. Etiam oleum, & ceteri humores fluunt, & tamen propriè non dicuntur aqua; ergo nulla prima ratio.

Reſp. quòd licèt fluere, *vt ſic*, competat alijs humoribus ab aqua, non tamen cõpetit eis fluere cum frigiditate in ſummo; quia ceteri humores participant aliquid de caliditate, vnde illæ duæ rationes ſimul ſumptæ concludunt.

14 Repl. Succus cicutæ eſt humor fluens, cui maior ineſt frigiditas; quia calorem naturalem extinguit, propterea venenum eſt; aquæ autem frigiditas calorem vitalem non opprimit; & tamen ſuccus cicutæ propriè aqua non eſt; ergo à pari.

Reſp. aquam aliam eſſe mixtam, cui conuenit frigiditas attemperata, vt Viuentium foueat temperamentum; aliam eſſe purum elementum; cui conuenit frigiditas in ſummo; & hæc calorē magis extingueret, quàm cicutæ ſuccus; quia ſicut calor in ſummo magis, & citiùs deſtruit humidum radicale, quo viuit compoſitum naturale; ita frigiditas ſumma magis, & citiùs deſtruit calorem vitalem, quo vita ſeruatur; nam *contrariorum eadem eſt ratio*, vnde obſeruant *Phyſici naturales* frigiditatem cicutæ non eſſe niſi mediam octaui gradus octauam; quapropter minor eſt quindecim ſemioctauis aquæ frigiditate, propter quod cum proprietate aqua ob frigiditatem appellandus non eſt ſuccus cicutæ.

ART. VIII.

Quid ſignificent illa verba: DIXITQVE DEVS: FIAT LVX, ET FACTA EST LVX?

1 Plurium SS; & DD. ſententia eſt *hic* ſermonem eſſe de hac luce corporali, & ſenſibili; ſed difformiter hoc explicatur: vt refert *Perer*; nam *D. Dam. lib. 2. de Fide c. 7.* exiſtimat lucem illam fuiſſe elementum ignis; qui habet lucere, & adurere. *D. Baſil. hom. 6. in Gen.* vult prima die creatam fuiſſe lucem immaterialēm, quia creata fuit extra ſubiectum materiale, quæ poſtea fuit impreſſa Soli, & ſic facta fuit ſenſibilis. *Theodoret. q. 14. & 16. ſup. Gen.* arbitratur lucem creatam prima die fuiſſe totam maſſam lucis ſimul vnitam, quæ poſtea diſpertita fuit in Solem, Lunam, & Sydera. *Beda, Mag. ſent; D. Bon; Hugo de S. Vict; Lyran; & Toſtat.* volunt illam lucem fuiſſe ad modum denſæ, tenuiſque nubeculæ reſplendētis, ſicut reſplendet Aurora; quæ lux poſtea fuit formata in Solem additione noui fulgoris. Hanc ſententiam refert *Beatiſſ. P. lib. 1. c. 11. D. Dion. autem de Diuin. Nomin. c. 4; D. Tho; Carthuſ; Pererius, & alij* volunt illam lucem fuiſſe hunc Solem, ſed adhuc imperfectum, & informem, qui poſtea formatus eſt quarta die; & hæc lux faciebat diem, & noctem reuolutione quidē, vt volunt *Latini*; vel emiſſione, ac contractione ſuorum radiorum, vt ſuſtinent *Græci*; quorum opinionem refert, & reijcit *Beatiſs. P. in hoc lib. 1. c. 16. Catharin.* verò putat illam lucem fuiſſe Solem æquè perfectum, ac nunc eſt; propterea ſubdit *Moyſes*: *Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona*; quod tantùm de luce perfecta intelligi poteſt; bonitas enim, & perfectio idem ſunt.

2 Sententia tandem *Beatiſſ. P.* eſt nomine illius lucis ſignificari lucem ſpiritualem, quæ perfecit, & formoſam reddidit naturam Angelicam. *Ita hic à c. 9. ad 18.* Vnde ſicut priùs deſcripſerat *Moyſes* nomine *Cæli* naturam Angelicam, & nomine *tenebrarum* informitatem illius; ita *hic* ſequitur narrare perfectiones, & formoſitates illius eo prorſus modo; quo nomine *terræ* narrauerat conditionem naturæ corporeæ, & nominę *inanitatis* informitatem illius, cuius poſtea formoſitatem deſcribit quarta die, cùm facta eſt lux corporalis, qui eſt Sol; & reliquis diebus, cùm narrat ornamenta naturæ corporeæ. Poſtquam igitur *Sanctiſs. P.* oſtendit nomine lucis prima die productæ non poſſe intelligi lucem corporeā, concludit *c. 17. ſic. Si autem ſpiritalis lux facta eſt, cùm dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux; non illa vera Patri coæterna intelligenda eſt, per*

quam

quam facta ſunt omnia; & qua illuminat omnem hominem, ſed illa, de qua dici potuit. Prior omnium creata eſt Sapientia. Cùm enim æterna illa, & incommutabilis, quæ non eſt facta, ſed genita, Sapientia in ſpiritales, & rationales creaturas, ſicut in animas ſanctas, ſe transfert, vt illuminatæ lucere poſſint, fit in eis quædã luculenta rationis affectio, quæ poteſt accipi facta lux; cùm diceret Deus: Fiat lux. Si iam erat creatura ſpiritalis, quæ nomine Cæli ſignificata eſt, in eô, quod ſcriptum eſt. In principio fecit Deus Cælum, & terram; non corporeum Cælum, ſed incorporeum Cælis corporeis, hoc eſt ſuper omne corpus, non locorum gradibus, ſed naturæ ſublimitate præpoſitum. Quòd autem lux dicatur propriè, non allegoricè de natura ſpirituali, præterquamquod in his ſæpe proteſtatur ſe loqui literaliter, nõ myſticè, ſpecialiter docet *lib.4.c.28.* his verbis: *Nec quiſquam arbitretur illud, quod dixi de luce ſpiritali, & de condito die ſpiritali, & Angelica creatura, & de contemplatione, quam habet in Verbo Dei, & de cognitione, qua in ſeipſa creatura cognoſcitur, eiuſque relatione ad laudem incõmutabilis veritatis, vbi priùs ratio videbatur rei faciendæ, quæ cognita eſt facta, non iam propriè, ſed quaſi figuratè, atque allegoricè conuenire ad intelligẽdum diem, & veſperam, & mane. Sed aliter quidem, quàm in hac conſuetudine quotidiana lucis huius, & corporalis, non tamen tanquam hic propriè, ibi figuratè. Vbi enim melior, et certior lux, ibi verior etiam dies; cur ergo nõ etiam verior veſpera, & verius mane? Nam ſi in iſtis diebus habet quandam declinationem ſuam lux in occaſum, quã veſperæ nomine nuncupamus; & ad ortum iterum reditum, quod mane dicimus; cur & illic veſperam non dicamus, cùm à contemplatione Creatoris creatura deſpicitur; & mane, cùm à cognitione creaturæ in laudem Creatoris aſſurgitur? Neque enim, & Chriſtus ſic dicitur lux, quomodò dicitur lapis; ſed illud propriè, hoc vtique figuratè.* Quamobrem.

3. Vnica concl. Lux facta prima die literaliter ſignificat lucem ſpiritualem naturalem, qua illuminata eſt natura ſpiritualis, vt cognoſceret obiecta naturalia; & ſupernaturalem, vt apprehenderet ſupernaturalia.

Prob. 1. Sicut conuenientiſſimum fuit *Moyſen* narraſſe creationem naturæ ſpiritalis, aliter opus principale, & magis nobile creationis omiſiſſet, ſicque defectuoſiſſima eſſet illius hiſtoria; ita conuenientiſſimum fuit narraſſe perfectionem, & ornamentum illius; aliter rectum ordinem hiſtoriæ non ſeruaſſet; non enim proportionaliter ad creationem naturæ corporalis locutus fuiſſet, legitur namque manifeſtiſſimè; quòd poſtquam deſcripſit creationem *terræ*, & informitatem illius, quæ *Chaos* nuncupata fuit, ſubtexuit ornamenta lucis corporeæ, plantarum, herbarum, animalium &c; ergo nomine lucis creatæ prima die conuenientiſſimè intelligitur lux ſpiritalis, quæ eſt perfectio, & ornamentum naturæ ſpiritualis.

Prob. 2. Nomine lucis creatæ prima die non niſi difficulter intelligi poteſt lux corporalis; nam ſi hoc eſſet, vel illa lux eſſet Sol iſte corporeus; videmus enim, quòd omnis lux, quæ de facto eſt in mundo, vel eſt Sol, vel à Sole deriuat; ſed nequit dici eſſe Solem iſtum, quia Sol fuit creatus quarta die; neque poteſt dici, quòd illa lux quarta die fuit reſtricta, & formata in Solem; nam ſi hoc eſſet, nõ creaſſet Deus Solem quarta die, ſed iam creatum prima die, vt vult *Catharinus*, perfeciſſet quarta die; *Moyſes* autem dicit, quòd creauit quarta die; ait enim: *Fiant luminaria magna*; verbum autem *fiat* ſignificat creationem, vt accipitur in alijs operibus, & *hìc* de luce eſt manifeſtum. Præterea ſi eſſet Sol iſte, in quo Cœlo fuiſſet productus? Non in Firmamento; quia Firmamentum fuit creatum ſecunda die, & ſic prima die, in qua creata eſt illa lux, Firmamentum non erat, & ideo *Moyſes* inordinatè narraſſet, ſi deſcripſiſſet priùs id, quod eſt poſterius. Et ſi in alio Cœlo, quomodò illa lux poſtea tranſijt de illo Cœlo ad Firmamentum, cùm certum ſit Solem hunc eſſe in Firmamento; ait enim Scriptura: *Vt luceant in Firmamento*; certum autem eſt accidens ſeruata identitate numerica non migrare de ſubiecto in ſubiectum, cùm identitatem numericam trahat ab identitate ſubiecti. Vel eſſet alia lux ſufficiens ad illuminandam terram, & ad faciendum diem; & ſi hoc dicatur; ſuperfluus videtur Sol iſte, vt arguit *Beatiſs.P. hic c.* 10. in fine docens. *Vt quid ergo factus eſt Sol in poteſtatem diei, qui luceret ſuper terram, ſi lux illa diei faciendo ſuffecerat, quæ dies etiam vocata eſt?* Præterea ſi fuiſſet alia lux diſtincta ab hoc Sole, quid factum fuiſſet de illa luce, poſtquam creatus eſt Sol; patet enim illam lucem modò non eſſe in rerum natura: *Neque enim extinctam eſſe credendum eſt*; vt arguit *Beatiſſ.P. ibid. c.* 11; ergo aptiùs, & conuenientiùs nomine *lucis* prima die creatæ intelligitur lux ſpiritualis, quia ſecundùm hanc intelligentiam maximè ſeruatur ſuauitas literæ, & concordantia hiſtoriæ, cùm euitentur ambages, & difficultates, quæ contra illam fieri poſſunt, ſi intelligatur lux corporalis, vt *ſup.* viſum eſt.

5 Prob. 3. ex *Fund. Doct. in Hexam. p.2. c.* 8. Nomine *lucis* propriè, & literaliter ſignificatur qualitas irradians, ac manifeſtans obiecta; docet enim *Apoſt. Epheſ.5. Omne, quod manifeſtat, lumen eſt; & Ariſt. 2. de an. c. 7. t. 68.* definiens lucem ait, quòd eſt *actus perſpicui vt perſpicuum eſt*; idèſt lux eſt qualitas manifeſtans obiecta, vt videantur; & irradians potentiam viſiuam, vt videat; ſed irradiare potentiam viſiuam, & manifeſtare obiecta magis propriè competit luci ſpiritali, quàm corporali; nam lux corporalis non facit viſibilia in actu; color enim, qui irradiatur à luce corporali, eſt actu viſibilis ab oculo; at verò lux ſpiritalis facit id, quod eſt cognoſcibile in potentia, eſſe actu cognoſcibile, quatenus denu-

dat phantaſmata materialia à conditionibus materiæ, & ideo magis irradiat lux ſpiritalis, quæ facit actu cognoſcibile id, quod erat ſolùm potentialiter tale; quàm lux corporalis, quæ ſolùm manifeſtat illud, quod eſt actu viſibile. Præterea lux ſpiritalis manifeſtat obiecta, nedum ſecundùm extrinſecam apparentiam, ſed etiam ſecundùm intimam continentiam; manifeſtat enim omne id, quod intimè continetur in obiectis; at verò lux corporalis manifeſtat ſolùm ſecundùm extrinſecam apparentiam, quia ſolùm oſtendit ea, quæ continentur in ſuperficie, & apparent extrinſecùs; ergo lux magis propriè, & literaliter ſignificat lucem ſpiritalem, quàm corporalem; vnde concludit *Beatiſs. P*; quòd ſi lux translatè dici deberet, potiùs de corporali, quàm de ſpiritali diceretur.

6 Tandem prob. Lux propriè, & literaliter dicitur de Deo; nam lux importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quia pertinet ad genus intellectiuum, quod dicit puram perfectionem ſine imperfectione, & ideo formaliter, idèſt ſecundùm proprium conceptum formalem, quem ſignificat literaliter hæc vox *lux*, eſt in Deo; ea autem, quæ translatè dicuntur, vt *Agnus*, *Leo*, non formaliter, ſed tantùm eminenter ſunt in Deo; ſed Deus eſt ſummè ſpiritualis; ergo *lux* propriè, & literaliter, ac formaliter, non translatè, allegoricè, ac eminenter dicitur de natura ſpirituali, & conſequenter *lux* prima die creata literaliter, non figuratè ſignificat lucem naturæ ſpiritalis.

7 Obijc.1. *D. Ambr. in Hexam*; & ferè omnes alij *SS. PP*. aſſerunt lucem ſolùm metaphoricè de rebus ſpiritualibus dici; ergo non debemus ſequi opinionem *Beatiſs. P. Aug.* tanquam diſſonam ab omnibus ferè *SS. PP*; tutius enim eſt ſequi *plures* conſentientes in vnum; quàm vnum, vel alterum diſſentientem à pluribus.

Reſp. *Fund. Doct*; quòd in quolibet nomine conſiderare poſſumus impoſitionem vulgatam illius; & rationem imponendi talem nomen; v. g. impoſitio vulgaris huius nominis *lapis* eſt ad ſignificandam petram; ratio autem imponendi tale nomen eſt *læſio pedis*; vnde *lapis* dicitur quaſi *lædens pedem*. Igitur ſi conſideretur *lux* quantùm ad impoſitionem nominis, ſignificat propriè lucem corporalem, & translatè ſpiritalem; & in hoc ſenſu loquuntur *SS. PP*; ſi verò conſideretur quantùm ad rationem, propter quam impoſitum eſt tale nomen, magis propriè dicitur de natura ſpiritali, quàm de corporali; & in hoc ſenſu loquitur *Beatiſs. P*; qui propterea non contrariatur *alijs SS. PP*; quia loquitur ſecundùm ſenſum diuerſum; aliter dicendū eſſet, quòd *SS. PP.* aſſerentes diuerſos ſenſus *Scripturarū* ſibi inuicē contradicerent; & ſic *Scripturas* ad contradictiones vrgerent, quod tamen falſiſſimum eſt; nam loquuntur variè, non contradictoriè; afferunt enim vnum ſenſum non negato altero; quod non eſt contradicere, ſed alio ſenſu exponere; vt facit *Beatiſs. P*; qui affert ſuam ſententiam tanquam conuenientiorem, & à difficultatibus magis expeditam; & *aliorum* opiniones, quanuis difficultatibus magis implicitas, non reijcit. Cùm autem ſubditur non licere ſequi *vnum, vel alterū §. Doctorem* relicta maiori parte; dicitur verum eſſe in ijs, quæ contradictoriè opponuntur, non autem in ijs, quæ variè dicuntur abſque negatione alterius ſententiæ. Præterquamquod falſum eſt, quòd ſententia oppoſita tradatur *à pleriſque SS. PP*; nam vt diximus *art.4.n.7*; *& 11*; ſententia *Beatiſs. P.* eſt accepta ex traditione *Maiorum*, & ideo fuit ex communi conſenſu antiquitus *in Eccleſia* recepto. *Vid. vbiſ.*

8 Ceteræ obiectiones ſolutæ ſunt *art. 4. n. 17*; *& art.6.n.7*; & magis patebunt ex dicendis *in ſeq. §.*

ART. IX.

ET VIDIT DEVS LVCEM, QVOD ESSET BONA; ET DIVISIT LVCEM A TENEBRIS; APPELLAVITQ. LVCEM DIEM, ET TENEBRAS NOCTEM; FACTVMQVE EST VESPERE, ET MANE, &c.

1 QVanuis ea, quæ *hic* proponuntur, fuerint ſparſim explicata ſuperiùs; attamen in ordinem breuiter ſunt redigenda, vt *Aduerſarij* cognoſcant nulla eſſe motiua, quæ ex hoc *textu* ſumunt ad reijciendam *Beatiſs. Patris* ſententiam mirè continuatam in tota expoſitione *Geneſeos*.

2 Vnica concl. Optimè continuat *Beatiſs. P.* literalem expoſitionem horum omnium conformiter ad iam dicta. Declaratur ſic.

Primò illis verbis: *Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona*; ſignificauit *Moyſes* Deum eſſe Cōſeruatorē naturæ ſpiritalis à ſe creatæ, non enim ſatis fuiſſet dixiſſe Deum illam creaſſe illis verbis: *Creauit Deus Cœlum, & terram*; niſi pariter narraſſet eſſe illius Conſeruatorem; non minùs enim conſeruatio, quàm creatio eſt Dei opus. Quòd autē inſinuetur conſeruatio, ita prob. *Beatiſs. P. in hoc lib. 1. c. 8.* ait; *Duo quippe ſunt, propter quæ Deus amat creaturam ſuam; vt ſit, & vt maneat. Vt ergo eſſet, quod manet, ſpiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquam; vt autem maneret; vidit Deus, quia bona eſt. Et quòd de luce dictum eſt, hoc & de omnibus*. Ex quo arguitur. Viſio, ſeu ſcientia viſionis, qua Deus reſpicit creaturas, eſt practica, ſeu effectiua rerum; vt oſtenſum eſt *to. 2. de Scient. Dei q. 3. art. 1*; non eſt autem practica, & operatiua niſi per coniunctionem ad actum voluntatis, qui dicitur amor; nam *intellectus tantùm extenſione fit practicus*; cùm ſecūdùm ſe præciſè ſumptus ſit ſolummodò ſpeculatiuus; operatio autem Dei vel eſt creatio, vel conſeruatio; ſed cùm dicitur: *Vidit Deus lucem*, nequit intelligi de creatione lucis; quia creatio lucis iam ſuperiùs fuerat narrata; cùm dictum eſt: *Fiat lux*; & ideo inu-

inutiliter *hic* repeteretur;ergo debet intelligi de conſeruatione eiuſdem.

3 Præterea ſicut in creatione neceſſarium fuit narrare totam Trinitatem operatam fuiſſe; ita & in conſeruatione;nam quemadmodũ creatio, ſic & conſeruatio creaturæ eſt opus totius Trinitatis; ſed totam Trinitatem operatam fuiſſe in creatione Mundi oſtendit illis verbis: *In Principio creauit Deus Cœlum,& terram; & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*; vt iam dictum eſt *art.3*; ergo *hic* cùm dicit: *Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona*; intelligit totam Trinitatem operatam fuiſſe conſeruationem naturæ ſpiritalis; nam per illud nomen *Deus* intelligitur *Pater*; cui primordialiter, & à ſe conuenit Deitas; per illud verbum *Vidit* ſignificatur Filius, qui eſt Verbum,in quo Pater videt creaturas;& *per bonitatem* inſinuatur Spiritus S;cui bonitas,& charitas appropriatur.

4 Secundò dicitur: *Et diuiſit lucem à tenebris*; idèſt *diſtinxit rem formatam ab informi*; vt docet *Beatiſſ. P.vbi ſ.c.17*;ſicut enim per lucem corpoream ſeparantur tenebræ à corporibus, quæ illuminantur;tenebræ enim nequeunt ſimul eſſe cum luce; ita per lucem ſpiritalem, qua natura ſpiritalis formatur ad venuſtatem,diuiditur, ac ſeparatur eius informitas, quæ nomine *tenebrarum* literaliter nominatur; vt diximus *art.6*. Hæc autem diuiſio non eſt, qualis intercedit inter duo entia poſitiua,quæ ambo ſeparata conſiſtunt;ſed qualis eſt poſitiuum inter,& priuatiuũ, ſicut ſunt tenebræ,& lux.

5 Dicit *Perer.* his verbis *Beatiſſ. P.* intellexiſſe ſeparationem Angelorum bonorũ à malis.

Reſp.eundem *Beatiſs.P.vbi ſ.in eodem c.17.* apertè docere talem expoſitionem eſſe allegoricam;eam autem, quam *hic ex eodem* tradidimus, eſſe literalem.

6 Tertiò dicitur: *Appellauitque lucem diem; & tenebras noctem*; idèſt lucem illam ſpiritalem appellauit *diem*;& informitatem, ſeu priuationẽ illius lucis vocauit *noctem*. Quòd autem dies dicatur propriè, & literaliter de luce ſpiritali,colligitur ex eo, quòd dies deriuatur à verbo Græco *Dyan*,quod propriè ſignificat lucem,vt docet *Fund. Doct.in 2. ſent. diſt. 13. art.3. dub. 3.Lat. S. Poſſumus autem.* ſecundùm verſionem *Hugotionis*;ergo ſi lux propriè dicitur de natura ſpiritali;imò magis propriè, quàm de natura corporali;etiam *dies* literaliter, imò magis propriè dicitur de natura ſpiritali; vt ſuperius dictum eſt. Idem pariformiter dicitur *de nocte*; quæ propriè ſignificat priuationem lucis diurnæ; ergo de eo propriè dicitur *nox*, de quo propriè dicitur priuatio lucis,& diei;ſed priuatio lucis,& *diei* propriè dicitur de illo,de quo propriè dicũtur lux, & *dies*, quia *priuatiuè oppoſita habent fieri circa idem*; & lux,ac *dies* propriè dicuntur de natura ſpiritali; ergo de eodem propriè dicitur & *nox*.

7 Tandem dicitur: *Factumque eſt veſpere, & mane*;quod literaliter accipitur pro initio, & termino lucis ſpiritalis,nam ſi *veſpera* propriè ſignificat declinationem lucis in occaſum euntis; & *mane* reditum einſdem lucis ab ortu emergẽtis; veriùs, & propriùs de eo dicitur *veſpere*, & *mane*, de quo veriùs, & propriùs dicitur lux habens initium,& terminum, lux autem magis verè, & propriè dicitur de natura ſpiritali creata; quæ quatenus vergit ad creaturas illas illuminando, vt videanrur, declinat ad terminũ actionis creatiuæ; & cùm ex cognitione creaturarum in cognitionẽ Creatoris aſſurgit, qui eſt principium, à quo orta eſt illa lux,facit veriorem *veſperam*,& verius *mane*, & ideo veſpere,& mane literaliter,& magis propriè dicuntur de natura ſpiritali,quàm de corporali;ex quo arguit *Fund. Doct.in Hexam.p.2.c.8.* lucem dici analogicè de ſpiritali, & corporali, quia inæqualiter dicitur.

8 Quæres,cur *Moyſes* priùs nominet *veſperã*, quàm *mane*;cùm *mane* antecedat *veſperam*?

Catharin. reſpondet Solem factum fuiſſe in oppoſito Hemiſphærio; & ideo in hoc noſtro, in quo factus eſt primus homo, & Hebræi, quibus *Moyſes* loquebatur,priùs fuiſſe noctem, quàm diem.Sed idem quæri poteſt adhuc *à Catharino*, cur ſcilicet Sol factus fuerit in oppoſito hemiſphærio?

9 *Toſtat, & alij* volunt nomine *veſperæ* intelligi tenebras, quæ erant ſuper faciem abyſſi, quas opinantur duraſſe duodecim horarum ſpatio; & quia tenebræ præceſſerunt lucem; ideo priùs nominatur *veſpera*. Sed hæc expoſitio improprietatem habere videtur; nomine enim *veſpera* propriè intelligitur finis diei, & initium noctis, ſicut mane ſignificat principium lucis; vt *ſup.*dictum eſt;vnde ſicut impropriè loqueretur, ſi quis media nocte diceret; *nunc veſpera eſt*; & meridie vocaret *mane*; ita impropriè dicitur *veſpere* pro quacunque obſcuritate.

10 *S.Hier.in Ionam c.2.* docet principium diei *apud Hebræos* olim fuiſſe veſperam,qui terminabat ad aliã veſperam,vt habetur *Leuit.c.23. A veſpera vſque ad aliam veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra*;& hoc præcipuè verificatur de diebus ſolemnibus, & feſtiuis; vnde cùm primus dies,quo creatus eſt Mundus,fit maximè ſolemnis, & feſtiuus; fuit enim dies Dominicus, ſeu dies Domini; qui poſtea pluribus illuſtrarus eſt myſterijs;vt refert *Beatiſſ.P.ſerm. 154. de Temp*; quia hac die *Hebræi* mare rubrum tranſierunt; pluit manna in deſerto; & vt *quidam* aiũt,Chriſtus natus fuit; & baptizatus, in nuptijs *Galilæ* conuertit aquam in vinum; multiplicauit quinque panes, & duos piſces; reſurrexit; ingreſſus eſt ad Apoſtolos ianuis clauſis, & dedit eis in terra Spiritum S; ac poteſtatem remittendi peccata; miſit Spiritum S. de Cœlis in flammearum linguarum figura; & hac die creditur futura vniuerſalis corporum reſurrectio; ideo hæc dies incepit à veſpera in veſperam. Obſcuratum eſt ergo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

go apud Hebræos triplex fuiſſe dierum genus; ſcilicet legalem, ſeu feſtiuum, qui, vt dictum eſt, incipiebat à veſpera ad veſperam; naturalem ab ortu Solis ad alterum ortum; & vſualem à media nocte ad alteram mediam noctem; vt de facto obſeruat Eccleſia in ieiunijs. Sed adhuc quæri poſſet, cur dies ſolemnis, ſeu legalis pertinens ad Legis ceremonias incipiat *à veſpera*, non *à mane*?

11 *Hugo de S.Vict; & Mag. lib.2.ſent. diſt.* 13. aiunt primum diem non habuiſſe auroram, & mane; & ideo incepiſſe à veſpera. Sed hoc nō ſatisfacit; nam reliqui dies creationis procul dubio habuerunt auroram, & *mane*; & tamen *Moyſes* priùs nominat *veſperam*, quàm *mane*.

12 *D.Baſil; D.Ambr; D.Io. Chriſoſt; & alij* docent nomine *veſpere* intelligi diem, quia veſpera eſt finis diei; quam nomine *veſpere* debuit *Moyſes* nominare, vt illam deſcriberet perfectā; non enim perficirur niſi veſpere; & ſic nomine *mane* intelligi perfectam noctem, quæ non perficitur niſi *mane*. Hanc expoſitionem videtur tradere *Beatiſſ.P. Aug. lib. imperf. de Gen. ad lit. c.* 7. his verbis: *Et facta eſt veſpera, & factum eſt mane dies vnus; non eodem modo nūc appellatur dies, quo cùm diceretur: Et vocauit Deus lucem diem; ſed eo modo, quo dicimus v.g. triginta dies habere menſem. Hìc enim nomine diei noctes quoque includimus; ſuperiùs autem ita dictus eſt dies, vt à nocte ſeiungeretur. Itaque cùm illa operatio diei per lucem geſta inſinuaretur, conſequenter dicitur factam eſſe veſperam, & factum eſſe mane diem vnum; vt ſcilicet ſit vnus dies à cepto die vſque ad ceptum diem; id eſt à mane vſque ad mane, quales dies annumeratis, vt dixi, noctibus appellamus.* Ex quibus colligitur diem tunc ſumi pro ſolo tempore lucis, quando contradiſtinguitur à nocte; vt in creatione lucis; & *Ionæ c.*2. cùm dicitur fuiſſe in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; tunc verò ſumi, vt ſumitur *hic* pro die, & nocte ſimul, quando non ſumitur diuiſim à nocte; quæ locutio frequentiſſima eſt *in Scripturis*; quidquid dicat *Perer*, nam *Exod.*7. dicitur: *Impletique ſunt dies ſeptem, poſtquam percuſſit Dominus fluuium*; & *c.* 12. *Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius*; non enim *hic* poteſt intelligi dies ſeparatim à nocte; cùm percuſſio fluminis durauerit non ſolùm diebus, ſed etiam noctibus; & agnus immolandus ſeruari debebat diebus, & noctibus; & licèt aliquando ſumatur diuiſim à nocte, non tamen ſequitur, quòd aliquando non ſumatur coniunctim, prout includit etiam noctem.

13 Verùm aduertendum eſt *cū eodem Beatiſſ.P. ibid*; quòd prædicta expoſitio ita debet intelligi, vt non fuerint diſtincti dies, diſtinctum *veſpere*, & diſtinctum *mane*; ſubdit enim: *Et vbi eſt, quod ſcriptum eſt: ſubeſt enim tibi, cùm voles, poſſe; ſi opus eſt Deo productione temporis, vt aliquid proficiat*; ſed fuerit vnus dies ſepties repetitus adhoc, vt caperet hanc hiſtoriam rudis populus *Hebræorum*, cui *Moyſes* loquebatur; vt *in ſeq. art.* oſtendemus; cuius diei initium fuit ortus lucis prima die creatæ, quæ nomine *veſpera* nominatur; vt ſic denotetur illam lucem fuiſſe perfectam; nō enim perficitur niſi in veſpere; & terminus fuit nox, quæ non perficitur niſi *in mane*.

14 Si verò illi dies accipiantur, vt intellectualiter diſtincti habētes diſtinctum *mane*, & *veſpere*, tunc dicendum eſt *veſpere* ſignificare cognitionem creaturarum in ſe ipſis, quæ dicitur veſpertina, tenebroſa, obſcura, & decolorata; *mane* autem inſinuare cognitionem matutinam clarā, lucidam, & coloratā, vt ſupra dictum eſt; & ideo *Moyſes* priùs nominaſſe veſperā, quàm mane; quia licèt ſi comparetur cognitio meridiana, ſeu diurna, qua Angelus videt in Verbo creaturas, ſit prior cognitione naturali, qua videt creaturas in ſe ipſis, & ex ipſis ſurgit in laudem Dei Creatoris; attamen ſi cognitio naturalis, qua cognouit creaturas in ſe ipſis, ad illam, qua ſurrexit in laudē Creatoris, illa prior fuit iſta, quia ex illa mens Angeli deuenit in iſtam iuxta id, quod ſcripſit *Apoſt. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpexit.* Quod expreſsè traditur *à Beatiſſ.P. loc. cit.* ſuperiùs *n.*2; ſic enim cōcordatur eius ſublimis expoſitio.

ART. X.

Quid ſignificent illa verba: DIES VNVS: ſeu an ſex dies creationis fuerint dies naturales vigintiquatuor horarum; vel fuerint vnicum inſtans, ita vt Mundus fuerit momento temporis creatus?

1 Dictu difficile eſt, quantùm laboris impendant *quidam Recentiores* in recēſendis, ſuccenſendiſque, ac carpendis doctrinis SS.PP. reſiſtentes Spiritui, qui ſemper in Eccleſia viguit, & præcipit, *vt Sapientiam Antiquorum exquirant* ſapientiæ ſtudioſi, ne ab illis aberrantes infeliciter deſipiant ſimiles iis, de quibus dicitur 2. *Pet.*5. *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionē.* Cēſores, ac Iudices temerè ſe creant, ſed tamen cæcos, quia nec vident, quid ſentiant, quos damnant, nec agnoſcunt ſe præter conuicia nihil dicere, quod *à SS. PP.* (quos attentiùs, & pius legere, non curſim voluere deberent) explicatum non fuerit, ac propterea, quod riſum potiùs, quàm plauſum à Viris doctis non extorqueat: pueris ſolùm, & vulgaribus mentibus non deſpicabiles. Et quod ſpectat ad præſens, ſententiam adeo ſublimem *Beatiſſ.P. Aug.* de naturalitate illorum dierum non valētes ſatis percipere, eamque cum ceteris, quæ narrantur *à Moyſe*, cōcordare, illam vocant myſticam, non hiſtorialem, verbis *Moyſis* diſſentaneam, non congruentem, oppoſitam illius magis probabilem, ratam, & firmam:

mam, & plura huiuſmodi, quæ indigna relatu eſſe non eſt, qui rationabiliter valeat inficiari. Antequam tamen illius ſententiam adeo excelſam explicemus, & probemus, audiant *Aduerſarÿ*, quid *idem Beatiſſ. P.* eos propheticè noſcens temporum progreſſu naſcituros, quid de illis ſẽtentiam ſuam non approbantibus dicat?

2 *Lib. 1. c. 10.* in fine ait: *Librum Geneſeos multipliciter quantùm potui, enucleaui, protulique ſententias de verbis ad exercitationem noſtram obſcurè poſitis non aliquid vnum temerè affirmans cum præiudicio alterius expoſitionis fortaſſe melioris, vt pro modulo ſuo eligat quiſque, quod capere poſſit, vbi autem quid intelligere non poteſt, Scripturæ Dei det honorem, ſibi timorem.* Quibus verbis perſuadet *Expoſitoribus*, qui ſuæ expoſitionis altitudinem non percipientes vulgari ſenſu detinentur, vt Diuinæ *Scripturæ* ſublimitatem mirentur, ad quam nequeunt pertingere; & timeant, ne in ſua vulgaritate verſantes à veritate ſenſus declinent. Et imam eorum ruditatem, qua irrident ſublimitatem huius ſenſus, ſic redarguit *c. 2. Cohibeant ſe tandem, qui literis inflati ſecularibus hæc ita poſita, vt omnia pia corda nutriant, velut imperitum, atque impolitum aliquid exagitant, ſine pennis in terra reptãtes, & volaturarum auium nidos irridentes.*

3 *Et lib. 4. c. 28.* proteſtatur ſe non ita confirmare hanc ſuam expoſitionem, vt alterã, quæ fortaſſis inueniri poteſt, meliorem, ſed tamen literalem reijciat, ex quo apparet modeſtiſſima eius humilitas, quæ alieno non refragatur, ſed potiùs ſuffragatur inuento: *Quiſquis ergo non ea, quam pro noſtro modulo vel indagare, vel putare potuimus, ſed aliam requirit in illorum dierum enumeratione ſententiam, quæ non in prophetia figuratè, ſed in hac creaturarum conditione propriè, meliùſque poſſit intelligi, quærat, & diuinitus adiutus inueniat. Fieri enim poteſt, vt etiam ego aliam his Diuinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortaſſis inueniam. Neque enim ita hanc confirmo, vt aliam, quæ præponenda ſit, inueniri nõ poſſe contendam.*

4 *Et lib. 6. c. 6.* aſſerit: *Cauendum eſt, ne propter ipſarum rerum aliquantò difficilem perceptionem, quam tardiores aſſequi non ſufficiunt, putemur aliquid ſentire, ac dicere, quod ſcimus nos nec ſentire, nec dicere. Quãquã enim præcedẽtibus ſermonibus lectorẽ præſtruxerim; plures tamen arbitror caligare in his locis.* Profectò *rectes Expoſitores* alloquitur, qui eius ſatis nõ nouerũt ſentẽtiã: arbitrantur enim ſex dies creationis ab ipſo myſticè, non propriè, & literaliter accipi; & ideo dicunt, & ſentiunt, quod ipſe nec dixit, nec ſenſit, tanta mentis caligine laborãtes, vt in illam quoque *ſuos impugnatores*, & inuitos trahant: vnde factum fuiſſe putamus *noſtrum Emanuelem Zerda, & Henricum de Noris* aliàs Viros oculatiſſimos, dum hanc ſententiam propugnant, attamen cum ijſdem, quos arguunt, conſentire, vt myſticè, & figuratè, non propriè, & literaliter *à Sanctiſſ. P.* dies illi accipiantur. Ille quidem *q. 10. Quodl. n. 1.* ait: *Et iuxta hunc sẽſum per tropum deſcribit, & diſtinguit ſex dies enumeratos*; quod habet etiam *n. 2; & 5; & 8.* Iſte verò in *Vind. c. 4. §. 9.* ait: *Auguſtinus, quòd videbat ſex priores dies, queis Moyſes Mundum à Deo creatum ſcribit, ſi literaliter accipiantur, grauiſſimis difficultatibus ſubÿci, quas ipſemet in libris de Geneſi ad literam proponit, ſubtilem prorſus, & ſe dignam ſententiam excogitauit, nempe dies illos intelligendos eſſe myſticè iuxta cognitionem Angelicam.* Quod quàm manifeſtè falſum, & eius menti aduerſum ſit, licèt patere poſſit, tum ex Titulo *librorum de Geneſi ad literam*; tum ex dictis *art. 4. n. 22*; vbi generaliter proteſtatur *Sanctiſſ. P.* ſe in illis libris intendere ſolùm ſenſum literalem, quod repetit etiam *lib. 9. c. 14; & lib. 11. c. 1; & c. 34*; & *art. 8. n. 2*; vbi diximus lucem, diem, veſperam, & mane magis propriè dici de natura ſpiritali, quàm de corporali; & *in hoc art. n 3*; vbi ait, quòd ſi alia ſententia circa enumerationem ſex dierum inueniatur, quæ figurata non ſit, ſed literalis, non contendet de eius veritate: & tandem *lib. 1. Retract. c. 24.* de his libris ait: *Titulus horum librorũ inſcribitur: De Geneſi ad literam, idèſt non ſecundũ allegoricas ſignificationes, ſed ſecundùm rerum geſtarum proprietatem*: ex quibus patet ſe *hic* ſenſum literalẽ tantũmodò inquirere; attamen ne à quoquam vllo modo circa hoc queat in poſterùm dubitari, & eius ſententia hactenus inſufficienter explicata, aut percepta explicetur, ac percipiatur; locum, vbi manifeſtiſſimè hoc declarat, omnium oculis ſubijcimus. Igitur *lib. 8. c. 1.* in fine; & *c. 2. ſeq.* ait, quòd licèt *in duobus libris de Gen. cont. Manich.* citò conſcriptis tempore ſuæ conuerſionis figuratè locutus fuerit; quia tũc ei nõ occurrebat, quomodò literali expoſitione eorũ obiectiones, & deliramẽta retunderet; attamen diligentius *hic* habens examen propriè loquitur; quod refert etiam *lib. 1. Retract. c. 9.* Verba eius ſunt hæc: *Nam & ego cõtra Manichæos, qui has literas veteris Teſtamẽti non aliter, quàm oportet, accipiendo errant, ſed omnino non accipiendo, & deteſtando blaſphemant, duos conſcripſi libros recenti tempore conuerſionis meæ citò volens eorum confutare deliramenta; vel erigere intentionem ad quærendam in literis, quas oderunt, Chriſtianam, & Euangelicam Fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia, quemadmodum PROPRIE poſſent accipi, magiſque accipi non poſſe videbantur, aut vix poſſe, aut difficilè; ne retardarer, quid figuratè ſignificarent ea, quæ ad literam non poteram inuenire, quanta valui breuitate, & perſpicuitate explicaui; ne vel multa lectione, uel diſputationis obſcuritate deterriti in manus ea ſumere non curarent. Memor tamen, quid maximè voluerim, nec potuerim, vt non figuratè, ſed PROPRIE primitus cuncta intelligerentur; nec omnino deſperans, etiam ſic poſſe intelligi, idipsũ*

in

*in prima parte ſecūdi libri ita poſui:Sanè,inquam, quiſquis voluerit omnia,quæ dicta ſunt,ſecundùm literam accipere, idèſt non aliter intelligere, quàm litera ſonat; & poteſt euitare blaſphæmias, & omnia congruentia Fidei Catholicæ prædicare,non ſolùm ei non eſt inuidendum,ſed præcipuus,multùmque laudabilis intellector habendus eſt.Si autem nullus exitus datur, vt piè, & dignè Deo, quæ ſcripta ſunt,intelligantur, niſi figuratè, atque in ænigmatibus propoſita iſta credamus,habentes auctoritatem Apoſtolicā,à quibus tam multa de libris veteris Teſtamenti ſoluuntur ænigmata, modum, quem intendimus,teneamus adiuuante illo, qui nos petere, quærere, & pulſare adhortatur; & omnes iſtas figuras rerum ſecundùm Catholicam Fidem, ſiue quæ ad hiſtoriam,ſiue quæ ad prophetiam pertinent,explicemus,non præiudicantes meliori, diligentiorique tractatui ſiue per nos, ſiue per alios, quibus Dominus reuelare dignatur. Hæc tunc dixi.Nunc autem, quia voluit Dominus, vt ea diligentiùs intuens, atque conſiderans non fruſtra, quantùm opinor,exiſtimarem etiam per me poſſe ſecundùm PROPRIAM,NON ſecundùm ALLEGORICAM locutionē hæc ſcripta eſſe monſtrari,ſicut ea,quæ ſuperiùs voluimus oſtendere,ſic etiā ea, quæ ſequũtur de Paradiſo,perſecutemur.*Quid igitur dicēdum de iſtis *Beatiſs.P.* doctrinæ *Tractatoribus*, niſi quòd vel more canum *Aegyptus* aquas Sapientiæ illius guttatim, & curſim hinc inde elamberint; non verò eius opera ex integro excurrerint;nam ſolis oculis neceſſe eſt, vt intelligant oppoſitum illius, quod ſentiunt; vel quòd *Andabatarum* adinſtar clauſis oculis incaſſum micantes potiùs quā ad iram, mouent ad riſum?

5 Sententia ergo *Beatiſs. Patris* eſt omnia opera, quæ narrantur ſex diebus creata, fuiſſe à Deo ſimul cōdita vnico temporis momento, vel in ſe ipſis formaliter extra ſuas cauſas,vt Angeli, Cœli,& elementa; vel in ſuis rationibus ſeminalibus intra ſuas cauſas;vt herbæ, plantæ, animalia,& homo;illos autem ſex dies,qui numerantur *à Moyſe*, non fuiſſe corporales vigintiquatuor horarum ſpatio diſtentos,ſed fuiſſe dies ſpirituales eodem temporis inſtanti comprehenſos,productos in mentibus Angelorum eodem prorſus modo, quo dies corporales producuntur in hoc aeris ſpatio.Explicantur autem *ab eodem Beatiſs. P.lib.11.de Ciu.Dei c.7;& lib.2.de Gen.c.8,& lib. 4.c.31;& pluries alibi* iſti dies ſpirituales ſic. Quemadmodum Deus producendo lucem corporalem fecit mane, quod eſt principium lucis, ſeu diei,qui dicitur *à d'ā*, quod ſignificat lucem; mane autem eſt clarius veſpera; & fecit veſperam,quæ eſt terminus lucis,ſeu diei;& eſt obſcurior mane,ex mane autem, & veſpera componitur dies corporalis;quapropter ait *Scriptura*;*Factumque eſt veſpere,& mane dies vnus*, ac tandē à veſpere vnius diei volumur ad mane,quod eſt principium alterius. Ita Deus produxit in mēte Angelica ſpeciem vniuerſaliter repræſentatiuam naturæ ſpiritalis,& corporalis iam creatæ,& mēs Angelica à Deo per lucem ſpiritalem illuminata cognouit vtranque naturam,vt exeuntem à Deo tāquam à ſuo mane,& principio,à quo exorta eſt creatura, deinde per eandem ſpeciem cognouit creaturas formatas in ſe ipſis extra Deum;creaturæ autem in ſe ipſis extra Deum ſunt terminus productionis,ſicut veſpera eſt terminus diei; atque adeo cognitio creaturarum in ſe ipſis extra Deum eſt veſpera, quia cognitio creaturarum in ſe ipſis extra Deum eſt obſcurior,quàm cognitio ipſarū creaturarum in Deo,qui eſt ipſa lux;& tādem mens Angelica à cognitione creaturarum in ſe ipſis tanquam à veſpera, aſſurrexit in laudem Dei,tanquam ad mane; & ſic ex cognitione matutina,& veſpertina vtriuſque naturæ ſpiritalis, & corporalis factus eſt dies vnus ſpiritalis. Deinde produxit Deus in eadem mente Angelica ſpeciem repræſentatiuam Firmamenti, & aquarum,ac diuiſionis earundē;& mens Angelica illa cognouit in Deo, & in ſe ipſis; & ſic ex vtraque cognitione matutina, & veſpertina factus eſt dies ſecundus ſpiritalis.Deinde produxit Deus in mente Angelica ſpeciem repræſentantē productionem herbarum,& lignorum in rationibus ſeminalibus cauſarum creatarum; & mens Angelica illa cognouit, vt exeuntia à Deo tanquam à ſuo mane; & in eis ipſis tanquam in ſuo veſpere;& ex hac duplici cognitione matutina,& veſpertina factus eſt dies tertius ſpiritalis.Deinde produxit Deus in mente Angelica ſpeciem repræſentantem luminaria Cœli; & mens Angelica cognouit illa, vt exeuntia à Deo tanquam à ſuo mane, & poſtea in ſe ipſis formaliter extra ſuas cauſas; & ſic ex cognitione matutina, & veſpertina factus eſt dies quartus ſpiritualis.Deinde Deus produxit in mente Angelica ſpeciem repræſentantem piſces,ſeu animalia aquarum; & mens Angelica cognouit illa,vt exeuntia à Deo, tanquam à ſuo mane;& poſtea in ſuis rationibus ſeminalibus;& ex vtraque cognitione factus eſt dies quintus ſpiritalis. Tandem produxit Deus in mente Angelica ſpeciem hominis, & animalium terræ, & aeris; & mens Angelica cognouit illa,vt exeuntia à Deo, tanquam à ſuo mane, & principio, & poſtea in rationibus ſeminalibus ſuarum cauſarum; & factus eſt dies ſextus ſpiritualis. Hæc autem omnia facta ſunt ſimul in eodem inſtanti, quia ſimul produxit omnes ſpecies in mentibus Angelorum. Ratio autem; quare in eodem inſtanti produxit luminaria in ſe ipſis extra ſuas cauſas,herbas autem,plantas, & animalia ſolùm produxit in ſuis cauſis;eſt quia *Scriptura* non narrat vlteriùs productionem luminariū; ſicut narrat denuo productionem herbarum,plātarum,hominis,& animalium; vt *inf.* patebit; & ideo dicendum luminaria fuiſſe producta in ſe ipſis extra ſuas cauſas, cùm primò narratur eorū productio; cetera verò primò fuiſſe producta in rationibus ſeminalibus ſuarum cauſarum; cùm

pri-

primò narratur eorum productio; deinde in ſeipſis;cùm denuo narratur productio eorundem. *Vid.inf.n.*11.

6 Ordo autem iſtorum dierum ſpiritualium, quo vnus præcedit alium, ſic eſt accipiendus; vt docet *Beatiſs.P.* Primò quoniam cognitio rerum in vniuerſali præcedit cognitionem rerum in ſpeciali; ideo ſpecies repræſentans naturam ſpiritalem,& corporalem in generali ordine naturæ debuit præcedere ſpeciem repræſentantem naturas in ſpeciali; ideoque eorum cognitio habita per iſtam ſpeciem aptè dicitur primus dies ſpiritalis. Secundò quia iſte mundus corporeus incipit à Firmamento, quod eſt cauſa vniuerſalis omnium ſublunarium;ideo cognitio Firmamenti in ſeipſo, & per ſuum principium aptè dicitur ſecundus dies ſpiritalis. Tertiò quia Firmamentum nequit producere hæc inferiora niſi ſint in potentia materiæ, ex qua fieri debent, ideo cognitio herbarum, & lignorum in terra potentialiter, & per ſuum principium ſeminale dicitur dies tertius. Tum quia videmus, quod ordine generationis prior eſt anima vegetatiua, quàm ſenſitiua,& rationalis,ideo priùs cognoſci debet genus herbarum, & lignorum latere in terra potẽtialiter,quàm animalium,& cæterorum. Quartò quia Firmamentum eſt ſuperior pars vniuerſi,ac nobilior, ideo priùs debuit cognoſci illius ornatus, qui eſt Sol, & ſydera,& hæc cognitio dicitur quartus dies. Quintò quia ſub Firmamẽto,quo ſignificantur omnes Cœli,*vt inf.* eſt aer, & aqua,& terra,ideo cognitio auium,& piſcium potentialiter in illis latentium ordine cauſalitatis dicitur quintus dies. Tandem cognitio animalium terreſtrium, & ipſius hominis habitantium in hoc infimo elemento contentorum pariter potentialiter vltimo loco ponitur,& dicitur ſexta dies. Hæc habentur *lib.5. de Gen. ad lit. cap.5.* vbi ait: *Non itaque temporali, ſed cauſali ordine priùs facta eſt informis,formabiliſque materies,& ſpiritalis,& corporalis, de qua fieret,quod faciendum eſſet,cùm & ipſa,priuſquam inſtituta eſt,non fuiſſet,nec inſtituta eſt, niſi ab illa vtique ſummo Deo,& vero,ex quo ſunt omnia; quæ ſiue Cœli, & Terræ nomine ſignificata eſt, quæ in principio fecit Deus ante vnum illum diem,quem condidit; propterea iam ſic appellata, quia inde facta ſunt Cœlum, & Terra; ſiue nomine terræ inuiſibilis, & incompoſita, atque abyſſi tenebroſæ, vt iam in primo libro tractatum eſt. In his verò,quæ iam ex informitate formata ſunt, euidentiùſque appellantur creata, vel facta, vel condita, primùm factus eſt dies; oportebat enim,vt primatum creaturæ obtineret illa natura,quæ creaturam per Creatorem, non Creatorem per creaturam poſſet agnoſcere. Secundò Firmamentum,vnde corporeus incipit mundus. Tertiò ſpecies maris,& terræ,atque in terra potentialiter,vt ita dicam,natura herbarum,atque lignorum;ſic enim terra ad Dei verbum ea produxit,antequam exorta eſſent, accipiens omnes numeros eorum,quos per tempora exereret ſecundùm ſuum genus. Deinde poſteaquam hæc velut habitatio rerum condita eſt,quarto die luminaria,& ſydera creata ſunt,vt priùs pars mundi ſuperior,rebus, quæ intra mundum mouentur, viſibilibus ornaretur. Quintò aquarum natura,quia Cœlo,aerique coniungitur, produxit ad Dei verbum indigenas ſuos,omnia ſcilicet natatilia, & volatilia, & hæc potentialiter in numeris, qui per congruos temporũ motus exerentur. Sextò terreſtria ſimiliter animalia tanquam ex vltimo elemento mundi vltima nihilominus potentialiter, quorum numeros tempus poſtea viſibiliter explicaret. Hunc omnem ordinẽ creaturæ ordinatè dies ille cognouit;& per hanc cognitionem ſexies quodammodò præſentatus tanquã ſex dies exhibuit,cùm ſit vnus dies ea,quæ facta ſunt in Creatore primitus, & in ipſis conſequenter agnoſcens,nec in ipſis remanens, ſed eorum etiam cognitionem poſteriorem ad Dei referens dilectionem, veſperam,& mane, & meridiem in omnibus præbuit,non per moras temporum,ſed propter ordinem conditorum.*

7 Hanc ſententiam expreſsè docuit *D. Ambroſ.in Hexam.lib.1. c.3;* vbi ait: *Vt vel ſic intelligerent homines, quàm incomprehenſibilis operator eſſet,qui tantum opus breui, exiguoque momento ſuæ operationis abſolueret,vt voluntatis effectus ſenſum temporis præueniret. Nemo operantem vidit,ſed agnoſcit operatum. Vbi igitur mora? Cùm legas: Quia ipſe dixit,& facta ſunt: Nec artis igitur vſum, nec virtutis expendit, qui momento ſuæ voluntatis maieſtatem tantæ operationis impleuit, vt ea,quæ non erant,eſſe faceret tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurreret, neque operatio voluntati.*

8 *D.Greg.lib.32. Mor. c.*10. idem docet ſuper illud *Iob.c.40.Behemoth, quem feci tecum*; vbi ait: *Rurſum quærendum eſt,quomodò Deus cũcta ſimul condidit, dum Moyſes ſex dierum mutatione variante diſtinctè creata deſcribat. Quod tamen citiùs agnoſcimus, ſi ipſas cauſas originum ſubtiliter indagamus. Rerum quippe ſubſtantia ſimul creata eſt,ſed ſimul ſpecies formata non eſt;& quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ,non ſimul apparuit per ſpeciem formæ.* Et paulò poſt. *Hinc eſt,quòd Moyſes, & diſtinctè per dies ſingulos condita omnia retulit, & tamen ſimul omnia creata ſubiunxit dicens: Iſtæ ſunt generationes Cœli,& Terræ,quando creatæ ſunt in die, quo fecit Dominus Cœlum, & Terram, & omne virgultum agri,antequam oriretur in terra,omnemque herbã regionis. Qui enim diuerſis diebus creatum Cœlum, & Terram, virgultum, herbamque narrauerat, nunc vno die facta manifeſtat, vt liquidò oſtenderet,quòd creatura omnis ſimul per ſubſtantiam extitit, quamuis non ſimul per ſpeciẽ proceſſit.* Et paulò poſt: *Herba namque cùm creatur, nedum in illa fructus, nedum fructus ſui ſemen oſtenditur. Ineſt verò ei etiam, cùm non apparet, fructus, & ſemen;quia nimirum ſimul ſunt in radicis ſubſtan-*

tia, quæ non ſimul prodeunt per temporis incrementa. Hæc auctoritas, licèt *ab Aduerſarijs* afferatur in oppoſitum; attamen ſi rectè conſideretur, concludit contra illos; nam ſi omnia, quæ creauit Deus ſex diebus, ſimul ſunt condita, quia creata ſunt in virtutibus ſeminalibus potentialiter; & tamen ſunt diſtinctè per diuerſos dies narrata, quia formaliter ſecundùm ſuas ſpecies, ſecundū quas videntur in ſe ipſis extra potentiam materiæ, ſunt creata diuerſis temporibus; ergo illi ſex dies, prout continent omnia potentialiter à Deo creata, non ſunt niſi vnicum inſtans; ſed illi ſex dies iuxta *literæ* rigorem non ſignificant omnia illa, niſi prout aliqua continentur potentialiter, vt *inf. n.* 23; 24; *&* 25; ergo illi ſex dies literaliter non ſignificant, niſi vnicum inſtans.

9 *Philo Hebr. lib.* 1. *Allegor.* ait: *Ruſticanæ ſimplicitatis eſſe putare ſex diebus, aut vtique certo tempore Mundum eſſe creatum.*

10 *Clemens Alexand. lib.* 6. *Strommat.* eandem ſententiam explicitè docet, quā tradit *Beatiſs. P*; quæ maximè commendatur *à Caſſiodoro, S. Iſidoro, Iunilio*; vt videre eſt *apud Ludouicum de Angelis.* Eam pariter tradunt noſter *Fund. Doct. in Hexam.* 1. *p. c.* 26; *&* 21; *& in* 2. *diſt.* 13. *art.* 3. *dub.* 3. *lat; Noris vbiſ; Ludouicus de Angelis lib.* 5. *de Vita S. P. Aug. c.* 9; *Carolus Moreau, Emanuel Cerda q.* 10. *Quodl*; & ex exteris *Albertus Magnus* 1. *p. Sum. q.* 12. *art.* 6; *&* 7; *D. Tho. in* 2. *Sent. diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 2, vbi poſtquam dixit hanc expoſitionem eſſe ſubtiliorem, aſſerit plus ſibi placere; *Caiet. in Gen. c.* 1; *Franc. Macedo in* 2. *ſ*; vbi plurimos affert huius ſententiæ *aſſeclas*; *Procopius, Gazæus*; *Sixt. ſen. lib.* 4. *Bibli*; vbi ait nihil ſublimius nec ante, nec poſt Auguſtinum hac expoſitione prodiiſſe; vel proditurum fore. Videant *Aduerſarij*, quos, quotue criminentur *Doctores*, dum hanc ſententiam redarguūt; *pro cuius explic.*

11 Not 1. quòd dum dicimus nomine ſex dierum intelligi dies ſpirituales, tunc non ſumitur ſpirituale, vt contradiſtinguitur à literali, quemadmodum ſumitur *ab Apoſt.* 2. *Cor.* 3. dicēte: *Spiritus viuificat; litera autem occidit*; ſi enim ſic intelligerentur illi dies, myſticus eſſet ſenſus, non literalis. Sumitur itaque ſpirituale, prout cōtradiſtinguitur à corporali; vt docet *Sāctiſſ. P. lib.* 4. *c.* 21; & in hoc ſenſu ſpirituale habet ſuum ſenſum literalem; manifeſtum namque eſt, quòd hoc nomen *Angelus* literaliter ſignificat naturam ſpiritualem.

12 Not. 2. *ex eod. Beatiſſ. P. lib.* 5. *c.* 10. in fine, vbi ait: *Aliter operatum Deum omnes creaturas prima conditione, à quibus operibus in die ſeptimo requieuit; aliter iſtam earum adminiſtrationem, qua vſque nunc operatur*; *idèſt tunc omnia ſimul ſine vllis temporalium morarum interuallis; nunc autem per temporum moras. Et lib.* 6. *c.* 6. *In qua diſtributione operum Dei partim ad illos dies inuiſibiles pertinentium, in quibus creauit omnia ſimul; partim ad iſtos appoſitos, in quibus operatur quotidie, quidquid ex illis, tanquam inuolucris primordialibus in tempore euoluitur*; not; inquam, quòd operatio Dei duplex eſt; alia, qua operatus eſt ex nihilo; quàm *Fund. Doct.* vocat *perfectionem*; & alia, qua operatur ex rebus iam productis; quam *idem* appellat *propagationem*, vt cū nunc producit plantam ex terra, tanquam ex aliquo potentialiter continente omnes iſtos effectus ſublunares. Operatio primo modo ſumpta reſpicit effectum, cuius productio fuit in primo inſtanti: non enim ſupponit aliquod præcedens tempore productionem illius, aliter non eſſet ex nihilo, nec fit per alterationem præcedentem, quæ nonniſi tempore completur. Operatio ſecūdo modo reſpicit effectum, cuius productio fit in tēpore; quia ſupponit illud, ex quo aliud producit, eſſe productum in inſtanti præcedenti; ad vnum autem inſtans conſequitur tempus; vt dicitur *in Phyſicis.* Productio ergo herbarū, lignorum, & animalium terreſtrium ſecundùm proprias formas ex terra; & productio piſcium, auiumque ex aqua tanquam ex aliquo præexiſtente nonniſi per temporum interualla à Deo præſtatur, productio autem Cœlorum, elementorum, & luminarium fuit in inſtanti; quia non fuerunt producta ex aliquo præexiſtente; non enim legitur *in Scriptura: Producat terra aquam, aerem &c*; nec producant *Cali* luminaria; ſicut legitur: *Germinet terra herbam virentem: Producāt aqua reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram.* Item *producat terra animam viuētem in genere ſuo*; ſed de luminaribus dicitur: *Fiant luminaria &c.* Et ſic de hominis productione habetur: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ: & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Ex quo deducitur hæc non fuiſſe creata, ſicut illa in primo inſtanti creationis, ſed in tempore ſubſequenti, quod magis patebit inferiùs. *His ſupp.*

13 Vnica concl. Omnia, quæ narrātur creata ſex primis diebus, fuerunt producta vnico inſtanti temporis, & illi ſex dies optimè accipiuntur literaliter pro diebus ſpiritualibus, non corporalibus; ſic enim faciliùs ſaluantur oppoſitiones, & contradictiones, quæ *ex Scriptura* obijcī poſſunt *ab Infidelibus.*

Prob. 1. *à Beatiſſ. P. lib.* 1. *de Gen. ad lit. c.* 17; vbi quærens, cur *Moyſes* deſcribendo primum diem dixerit: *Et factum eſt veſpere, & mane dies vnus*; non verò dies *primus*, ait: *Au hic dies totius temporis nomen eſt; & omnia volumina ſæculorum hoc vocabulo includit*; *ideoque non dictus eſt primus, ſed vnus dies*? Ex quo arguitur. Si illi ſex dies fuiſſent corporales temporis deceſſione, & ſucceſſione diſtincti, *Moyſes* dixiſſet: *Factus eſt primus dies*; non *dies vnus*; nam primus ordinatur ad ſecundum, & ſecundus ad tertium; vnus autē non ordinatur ad ſecundum; quia cùm dicitur *vnus Deus*, illud nomen *vnus* non ordinatur ad ſecundum Deum; cùm autem dicitur prima perſona

ſona Diuina,ordinatur ad ſecundam; ac propterea licèt dicatur *vnus* Deus, nequit tamen dici *primus Deus*,ne dare videamur pluralitatē Deorum. Et licèt aliquando hæc vox *vnus* apud *Grammaticos* accipiatur pro primo; attamen non eſt propria locutio,ſed trāſlatiua; aliter ſemper, & de omni dici poſſet, quod eſt falſum, vt dictū eſt;ergo illi dies fuerunt vnus dies;& ideo non fuerunt corporales; qui temporis mutatione variantur.

14 Inſtat *quidam Recens. vnum* phraſi *Hebraa* ſumi *pro primo*; vt *Dan. 9. Vno anno Darij Regis*;idèſt *primo anno*,vt ibid. dicitur; & *Io. 20. Vna Sabbathi*; idèſt prima die poſt Sabbathum.

Reſp. tunc ſumi *vnum* figuraliter, vt dictū eſt. Præterea dicitur illud *Danielis* potiùs ſignificare ſpatium vnius anni, quo orauit Deum,vt ei reuelaret numerum annorum, qui deerat deſolationi *Hieruſalem*, & redemptionem peccatorum;vt colligitur ex *Textu*; quapropter dixit ei *Gabriel: Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo*. Ad aliud dicitur non poſſe intelligi ſic; nam Chriſtus Dominus, vt habet. *idem Io.* reſurrexit nocte Sabbathi verſus mane; ait enim: *Venit Maria Magdalene cùm adhuc tenebra eſſent,ad monumentum*.Igitur vel facit ſenſum *vna Sabbathi, vna hora*,antequam compleretur nox Sabbathi,vel facit ſenſum vagum;vt cùm dicitur *vnus dies,vnus annus*.

15 Prob.2.*ab eod.lib.2.c.14*.docente: *Quis ergo animo penetret,quomodò illi tres dies tranſierint,antequam inciperent tempora,quæ quarto die dicuntur incipere;vel vtrum omnino tranſierint illi dies?* Formatur autem hæc ratio. Dies corporales conſtituuntur per temporis interualla, ſine quo non habetur, niſi duratio inſtantanea; ſed tres primi dies non conſtituebantur temporis interuallis,quia tunc tempus nō erat:dicit enim *Scriptura* tempus creatum fuiſſe quarta die ſimul cum Sole,Luna, & Stellis, de quibus ait: *Et ſint in ſigna,ac tempora*; ergo tres primi dies non fuerunt corporales,ſed ſpiritales;atqui *Scriptura* eodem modo loquitur de tribus primis, ac de vltimis tribus; ergo idem dicendum eſt de ſex omnibus.

16 Conf.*ab eod.lib.1.c.10.11; & 12*. Dies eſſentialiter fit ex præſentia Solis, & nox ex illius abſentia;non enim quælibet lux eſt dies, vt patet de luce Lunæ, Syderum, & candelarum; ſicuti nec quæuis tenebra eſt nox;vt patet de tenebris etiam in die exiſtentibus in cauernis mōtium;& ideo ſola præſentia,& abſentia Solis cōſtituit diem, & noctem; vt apertè colligitur ex *Scriptura* mox allata; vbi de luce Solis, Lunæ, & Syderum dicitur: *Et ſint in ſigna,ac tempora, & dies,& noctes*;nec dici poteſt lucem creatam prima die ſufficientem fuiſſe ad conſtituendum diē, & noctem; hoc enim non conſtat ex *Scriptura*, ſicut cōſtat de luce Solis; & ideo ſi verbis *Scriptura* eſt maximè inhærendum, vt contendunt *Mag.Frideric.Nic.Ganardi Tom.3.* *Aduerſarij*, eorum verbis ſibimetipſis contradicentibus conuincitur tempus non fuiſſe,niſi poſt quartam diem;ergo tres primi dies nō ſunt corporales temporis duratione diſtincti,ſed ſpiritales; quod conſequenter dicendum eſt de tribus poſterioribus.

17 Prob.3.*ab eod.lib.4.c.33*. docente: *De quo enim Creatore Scriptura iſta narrauit, quòd ſex diebus conſummauerit omnia opera ſua, de illo alibi non vtique diſſonanter ſcriptum eſt, quòd creauerit omnia ſimul.Ac per hoc & iſtos dies ſex, vel ſeptem,vel potiùs vnum ſexies,ſeptieſue repetitum ſimul fecit, qui fecit omnia ſimul. Quid ergo opus erat ſex dies tam diſtinctè, diſpoſitèque narrari?Quia ſcilicet ij,qui non poſſunt videre, quod dictum eſt:Creauit omnia ſimul,niſi cùm eis ſermo tardiùs incedat,ad id,quo eos ducit,peruenire non poſſunt*.Et paulò poſt *c. 34. Quia & hæc Scriptura,quæ per memoratos dies narrat opera Dei, & illa, quæ ſimul eum dicit feciſſe omnia, verax eſt, & vtraque vna eſt,quia uno Spiritu veritatis inſpirante conſcripta eſt*.Ex quo ſic. Omnia opera creationis fuerunt à Deo ſimul producta; dicitur enim *Eccl. 18. Qui viuit in æternum creauit ſimul; & Iob.40.Ecce Behemoth, quem feci tecum*: hoc autem nequit intelligi de operibus adminiſtrationis, quibus Deus adminiſtrāt hanc materiam continuò producendo nouas creaturas;iſta enim opera ſucceſſiuè producuntur,vt patet;ſed illi ſex dies ſunt opera creationis, quia fuerunt à Deo creati ſimul cum operibus, quæ à Deo in illis diebus creata ſunt: ergo ſex illi dies fuerunt ſimul creati, & per conſequens ſine ſucceſſione,ac ſine temporis interuallo,& ideo fuerūt vnicum inſtans, quod ſolum non admittit ſucceſſionem,nec temporis moram.

18 Conf.Non minùs verum eſt,quòd Deus creauit mundum ſex diebus, quàm quòd *creauit omnia ſimul*: idem enim Spiritus S. qui inſpirauit primam propoſitionem, inſpirauit & ſecundam; ſed niſi dicamus ſex dies eſſe ſimul creatos, & per conſequēs ſine temporis ſucceſſione, non videtur verum eſſe,quòd creauerit omnia ſimul: ergo illi dies non fuerunt niſi vnicum inſtans ſexies,vel ſepties repetitum.

19 Dices 1. Operationem Dei in Mundi opificio triplicem fuiſſe, ſcilicet creationem huius maſſæ materialis; diſtinctionem, quæ fuit facta primis tribus diebus; & ornatū Cœli,& terræ, qui conſūmatus fuit tribus diebus poſterioribus. Igitur omnia ſimul fuerunt creata quoad primam operationem, non verò quoad ſecundā, & tertiam. 2. Illud aduerbium *ſimul* ſumitur, prout idem ſonat,ac breuiſſimo tempore, ſicut fuit tempus ſex dierum. 3. Quod latinè ponitur *ſimul*, Græcè habetur *Kini*, quod ſignificat *vniuerſaliter*,& facit ſenſum, quòd Deus vniuerſa creauit.

Reſp.ad 1; quòd nedum opera, quæ facta ſunt in illis diebus, ſed etiam illi dies ſpectant

ad creationem, quia non minùs ſunt creati illi dies, quàm opera producta in illis diebus; ergo ſi opera, quæ ſpectant ad creationem, fuerūt ſimul creata, etiam illi dies fuerunt ſimul producti. Ad 2. dicitur, quòd ſimultas propriè opponitur ſucceſſioni; ergo nō niſi figuratè ſimul accipi poteſt, prout idem eſt, ac breuiter. Ad 3. quòd vniuerſalitas deſignatur per illud nomen *omnia*, & ideo fruſtra deſignaretur per *Kini*.

20 Prob.4. *ab eod.ibid.* Nulla eſt neceſſitas ponendi tempus inter opera creationis, imò maior eſt congruentia illud excludendi; nam ſi aliqua eſſet neceſſitas, vel eſſet ex parte Dei, vel ex parte productionis ipſius creaturæ? Non primū; quia cùm Deus ſit omnipotens, nullam inuenit in effectu difficultatem tempore ſuperandam, vt contingit in agente creato; & ideo ſi ponatur creatio in inſtanti, magis apparet Dei omnipotentia; ſicut productio in tempore arguit infirmitatem creaturæ; propter quòd maior eſt congruentia excludendi tempus. Non ſecundum; nam ſi aliqua eſſet neceſſitas ex parte creaturæ, maximè, vt ex ſemine paulatim creſceret in perfectionem naturæ; ad hoc autem nō ſufficit vnus dies; videmus enim, quòd arbores tam magnæ nequeunt tam paruo tempore pullulare ex terra, obdureſcere in truncos, & folia, fructuſque producere; ergo abſque neceſſitate, & ratione dicitur, quòd hæc omnia, quæ fuerunt in prima temporis conditione, tempore eguerint, vt crearentur; & ideo rationabiliùs dicitur omnia in inſtanti fuiſſe creata.

21 Prob.5. *ab eod.lib.5. c.1*; vbi ſuper illud iuxta 70. *Hic eſt liber creaturæ Cæli, & Terræ, cū factus eſt dies, fecit Deus Cælum, & Terram, & omne viride agri, antequam eſſet ſuper Terram, & omne fænum agri, antequam exortum eſſet.* Vel expreſſiùs, vt vertit *Latinus Interpres*: *Iſtæ ſunt generationes Cæli, & Terræ, quando creatæ ſunt in die, quo fecit Deus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in Terra*: ait: *Nunc certè firmior fit illa ſententia, quà intelligitur vnum diem feciſſe Deū, vnde iam illi ſex, vel ſeptē dies vnius huius repetitionis numerari potuerunt.* Ex quo ſic. Poſtquam *Moyſes* narrauit omnes generationes factas ſex diebus, recapitulās illas, ait *factas fuiſſe in die, qua Deus creauit Cælum, & Terram*; ſed dies, qua creauit Cœlum, & Terram, eſt prima dies; ergo omnes illæ generationes numeratæ per ſex dies factæ ſunt prima die; ſed hoc non poſſet verificari, niſi illi ſex dies eſſent idem, ac vnus dies; ergo illi ſex dies sūt vnus dies ſexies repetitus.

22 Conf. Virgulta, & herbæ, quas in enumeratione ſex dierum ait *Moyſes* creatas fuiſſe tertia die, *hic* ait fuiſſe creatas prima die; ergo tertia dies fuit prima dies.

23 Dices. Illud *in die* ſæpè ſumi in lingua *Hebræa* pro plurali pro diebus.

Reſp; quòd licèt hoc verū ſit *in aliquibus Textibus, hic* tamen non poteſt ſumi, niſi pro ſingulari, quia appellat ſupra tempus, quo factum eſt Cœlum, & terra; ſed tempus, quo factum eſt Cœlum, & Terra, non ſunt plures dies, ſed vnus dies, & primus, vt patet ex *Scriptura*; ergo *hic* nequit accipi pro plurali, ſed tantùm pro ſingulari.

24 Prob.6. *ex eod.lib.4.c.20.* docente: *Septimum autem diem, qui nomine Sabbathi nuncupatur, quando Deus creauerit, non videmus; in ipſo quippe die non fecit aliquid; imò ab eis, quæ ſex diebus fecerat, in eodē ſeptimo requieuit.* Ex quo ſic. Si illi ſeptem dies fuiſſent temporales, fuiſſent à Deo creati, tempus enim, ex quo formantur, eſt creatura; ſed non omnes fuerunt à Deo creati; quia ſeptimus dies non fuit à Deo creatus, nam die ſeptimo Deus ceſſauit ab omni opere, quod patrarat, inter quæ opera profectò eſt productio tēporis; ergo nō fuerunt tēporales.

25 Dices Deū ceſſaſſe ab omni opere productionis, non conſeruationis; vnde conſeruauit tempus iam productum prima die, ſicut conſeruauit terram &c.

Reſp. hanc eſſe naturam ſucceſſiuorum, vt non conſeruentur, niſi per productionem partis ſuccedentis, quæ actu non erat, ad differentiam entium permanentium, quorum eſſe ſemper idē durat; nec aliquid eorum producitur, dum cōſeruantur; non enim conſeruatio terræ eſt productio alterius terræ numero diſtinctæ; ſicut cōſeruatio tēporis eſt productio alterius partis ſuccedentis diſtinctæ à decedēte, ergo ſi nihil temporis fuit productum ſeptimo die, nihil eſt conſeruatum; vel ſi conſeruatum eſt tempus ſexti diei, ſextus, & ſeptimus dies fuit vnus dies numero; ſicut fuit eadem numero terra producta primo die, & conſeruata reliquis diebus.

26 Prob.7. *ab eod.lib.5.c.4*; vbi ſuper illud: *Et omne viride agri, antequam eſſet ſuper terram, & omne fænum agri, antequam exortum eſſet*; ait: *Quomodò ergo antequam eſſent ſuper terram, & antequam exorirentur; quaſi aliud eis fuerit fieri cum cælo, & terra, quando factus eſt dies ille inuſitatus, atq; incognitus nobis, quem primum Deus fecit; aliud autem exoriri ſuper terram, quod non fit niſi per hos dies, quos circuitus Solis facit per temporum moras ſuo cuique generi accommodatas?* & diſcurritur ſic. *Scriptura* narrat herbas, & plantas bis fuiſſe à Deo productas; ait enim productas fuiſſe tertia die; & deinde ait productas fuiſſe poſt ſeptem dies; poſtquam enim narrauit productionem hominis, quæ facta fuit ſexta die; cùmque ſeptima die nihil Deus produxerit; ait: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue*; & cùm produxit tertia die ait; quòd produxit, *antequam eſſent ſuper terram*, ergo dicēdum eſt, quòd ſemel inuiſibiliter produxerit ſeminaliter in potentia materiæ, ex qua facta ſunt; & ſemel viſibiliter extra potentiam materiæ ſecun-

dùm ſuas formas viſibiles; duplici enim modo res habet eſſe, ſcilicet in potentia cauſæ, & in ſeipſa extra cauſam; ſicut autem productio eſt communicatio eſſe; ita pariter duplex erit productio; ſed productio viſibilis herbarũ, & lignorum in ſeipſis facta fuit poſt ſeptimum diem, vt habetur ex *litera* dicente: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue*; tunc enim ſolùm produxit in ſeipſis, quando ſenſibus attingenda apparuerũt; & productio inuiſibilis in cauſa fuit facta tertia die, quia per illam non fuit aliquid exortum ſuper terram, & formatum in ſeipſo; ergo productio herbarum tertia die narrata facta fuit prima die, quia prima die fuit creata terra, in qua potentialiter fuerunt creatæ herbæ, & ligna, & omnia alia, quæ ex terra formata ſunt, narrata illis ſex diebus; & per conſequens illi ſex dies nõ fuerunt, niſi vnus dies ſexies repetitus.

27 Prob.8. *ex eod.ibi.* Si ſex dies creationis eſſent corporales, eſſent diſtincti; ſed non ſunt diſtincti; ergo non ſunt dies corporales. Ma. patet; quia dies corporales diſtinguuntur temporis interuallis; vt cõſtat. Prob.mi. Si eſſent diſtincti, maximè, quia eſſent diſtinctæ operationes, & diſtinctæ creaturæ in illis creatæ; aliter ſi in illis fuiſſet vna, & eadem operatio ſexies repetita, vnus quoque, & idem dies eſſet repetitus, quia etiam dies eſt Dei creatura per operationem Dei producta; ſed non ſunt diſtinctæ operationes, quia non ſunt diſtinctæ creaturæ in illis productæ; operationes enim multiplicãtur, & diſtinguuntur à multiplicatione, & diſtinctione rerum creatarum; non ſunt autem diſtinctæ creaturæ; quia effectus in ſua cauſa potentialiter latens nõ diſtinguitur ab ipſa; effectus namque in cauſa nihil aliud eſt, quàm cauſa potens illum cauſare. Et in illis diebus non ſunt productæ creaturę diuerſæ à creaturis productis prima die, ſed ſolùm enumeratæ illæ creaturæ, quæ productæ ſunt potentialiter in ipſis creaturis productis prima die; aliter fuiſſent productę in ſe ipſis, & non fuiſſent productæ; nam *Scriptura* manifeſtè ait, quòd poſt ſeptimam diem Deus nedum formauit herbas, & plantas, quæ ante non erant ſuper terram; ſed etiam quòd *homo non erat*, qui cuſtodiret Paradiſum; & quòd poſtea illum formauit; & ſic ſi eũ formaſſet ſexta die viſibiliter in ſe ipſo, & non inuiſibiliter in potentia materiæ, iam fuiſſet, & non fuiſſet; & idẽ dicitur de animalibus; formato namque homine voluit formare ei adiutorium; & ideo formauit cuncta animantia; quæ cùm adduxiſſet *ad Adam, vt videret, quid vocaret ea*; & vidiſſet, quòd nullum ex eis erat ſimile *Adæ*, immiſit ſoporem in illum, & ſubtracta ex eius latere coſta ædificauit eam in *Euam*; quæ omnia nequeunt intelligi niſi de productione in ſe ipſis viſibiliter; ergo in illis ſex diebus non fuerunt in ſe ipſis producta; ſecus non fuiſſent producta poſt illos ſex dies; quia nequit denuo fieri aliquod factum, niſi prius deſtruatur; non conſtat autem Deum deſtruxiſſe creaturas productas illis diebus, niſi velimus delirare cum delirantibus *Hebræis in Talmud*; in quo ſcripſerunt Deum feciſſe, & deſtruxiſſe plures Mundos, vſquedum confecit iſtum, qui ſolus ei placuit; ergo illi dies non fuerunt diſtincti.

28 Conf. *ex eod. lib.6.c.3*; vbi ait: *Non eſt dubium hoc, quòd homo de limo terræ factus eſt, eique formata vxor ex latere, iam non ad conditionem, qua ſimul omnia facta ſunt, pertinere, quibus perfectis requieuit Deus, ſed ad eam operationem, quæ fit iam per volumina ſæculorũ, qua vſq; nunc operatur. Huc accedit, quòd ipſa etiam verba, quibus narratur, quomodò Deus paradiſum plantauerit, in eoque hominem, quem fecerat, collocauerit, ad eumque adduxerit animalia, quibus nomina imponeret, in quibus cùm adiutorium ſimile illi non fuiſſet inuentum, tunc ei mulierem coſta eius detracta formauerit, ſatis nos admonent hæc non ad illam operationem Dei pertinere, vnde requieuit in die ſeptimo, ſed ad iſtam potiùs, qua per temporum curſus vſque nunc operatur.* Igitur *Adam* in hac perſpicua, & viſibili forma fuit factus ſimul cum *Eua*; ait enim *Scriptura* ſexta die: *Maſculũ, & fœminam fecit eos*; ſed *Euam* non fecit in forma viſibili, & perſpicua niſi poſt illos ſeptẽ dies; quia illam fecit, poſtquam adduxit omnia animalia *ad Adam*, quod narrat *Scriptura* factum fuiſſe poſt illos ſeptem dies; ergo *&* *Adam*; & ideo ſexto die factus fuit ſolùm potentialiter ſimul cum terra, & ceteris coæuis; & per conſequens prima die ſic factus eſt.

29 Prob. tandem *ex eod. lib.2.c.6.* ratione, quam ſequitur *Fund.Doct.in 2.diſt.13.q.1.a.13. dub.1 lat.§ ad quod.* Ita ſe habet locutio Dei in illis ſex diebus, per quam fecit creaturas; ſicut productio earundem creaturarum; nam productio nihil aliud eſt, quàm locutio; vt habetur *in textu: Dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux*; & *in pſ.148. Ipſe dixit, & facta ſunt*; vnde productio creaturarum nihil aliud eſt, quàm dicere Dei; ſed non obſtante, quòd dicat *Moyſes* Deum ſexies locutum fuiſſe in illis ſex diebus, adhuc tamen certum eſt Deum ſemel locutum fuiſſe, & non protuliſſe niſi vnum, & idem Verbum pluries repetitum; per quod fecit omnia; habetur enim *Iob.30. Semel loquitur Deus*; & *pſ.61. Semel locutus eſt Deus*, vt diximus *art.1 n.24*; *& Beatiſs.P. vbi ſ.* ait: *Non ergo Deus toties dixit: Fiat illa, vel illa creatura; quoties in hoc libro repetitur: & dixit Deus: Vnum quippe Verbum ille genuit, in quo dixit omnia, priuſquam facta ſunt ſingula. Sed eloquium ſcribentis deſcendens ad paruulorum capacitatem, dum inſinuat ſingillatim genera creaturarũ, per ſingula reſpicit vniuſcuiuſque generis æternam rationem in Verbo Dei*; ergo non obſtante, quòd *Moyſes* dicat diuerſas fuiſſe productiones, & diuerſos dies, adhuc tamen non fuit, niſi vna, & eadem productio ſexies repetita; & vnus,

ac idem dies ſexies repetitus.

30 Obijc.1. *Fund.Doct.in Hexam.1.p.c.28.* nititur ſoluere aliquas ex iſtis rationibus; & quòd opinio aliorũ magis cõcordat cũ *textu Sacræ Scripturæ,prout litera ſonat*; ergo videtur diſcedere *à Beatiſs.P*;& potiùs cõcordare cũ alijs.

Reſp.*Fund.Doct.ibid.* aſſerere opinionem *Beatiſs.Patris* eſſe magis *ſubtilem*, & *ſolemnem*; quam expreſsè docet, & explicat *in duobus præcedentibus capitibus*;defendendæ tamen gratia alterius opinionis ſoluere aliquas rationes,ne infideles derideant *alios SS.PP*;quos ait magis concordare *cum textu* quantùm ad ſonum materialem tardioribus obuium, non autem quantùm ad ſenſum literalem ſapientioribus manifeſtum; vt pluries docet *Beatiſſ.P.*

31 Obijc.2. Narratio *Moyſis* eſt omnino hiſtorica tradita rudi populo *Iudæorum*; ergo aliũ ſenſum nequit habere, niſi quem poterat ille populus capere; ſed ille populus non potuit capere niſi, quòd mundus factus eſt ſex dierum corporalium interuallis; ergo *Moyſes* intēdit ſex illos dies eſſe corporales.Tum quia ſi *Moyſes* intendiſſet ſex dies ſpirituales, non potuiſſet vti vocabulis ſuo propoſito magis alienis, & diſſentaneis; vt ſunt mane,veſpere, &c. Tum quia debuit *Iudæis* auferre occaſionem erroris;ſed ſi deſcripſiſſet dies ſpiritales illis nominibus non abſtuliſſet, ſed potiùs dediſſet occaſionem erroris; quia *Iudæi* non valentes capere dies ſpiritales intellexiſſent dies corporales,ergo non intendit dies ſpiritales.

Reſp.hanc hiſtoriam nedum traditam eſſe rudi populó *Iudæorum*, ſed omnibus etiam quibuſcunque *Sapientibus*, vt diximus *art.4. nu.25*; vnde ſicuti prout tradita populo rudi, debuit diſtingui in dies adhoc, vt ille populus eam poſſet percipere; ita prout tradita *Sapientibus*, debuit continere ſenſum altiſſimum; vt *veritate magnos paſcat,affabilitate paruulos nutriat*, ait *Beatiſs.P. lib.5.c.3.* Dicere autem, quòd contineat ſolum ſenſum,quem poſſunt percipere rudes, præiudicat nimis illius excellentiæ; cùm enim *Scriptura* ſit Diuina, ideo habere debet ſenſus altiſſimos. In forma diſt.ant. Tradita ſolũ rudi populo, neg; rudi,& Sapienti,conc;& neg.conſ. Ad 2. neg.aſſumptum;illa enim vocabula propriè ſignificant, vt viſum eſt *in ſup.articulis*.Ad 3.dicitur *cũ Beatiſs.P*; quòd quia populus rudis potuit errare in credendo omnia opera facta nõ eſſe à Deo, ideo *Moyſes*, vt adimeret occaſionem erroris, illa in dies materialiter diſtinxit,vt omnia diſtinctè perciperet. Quia tamen ille populus ſolùm debebat credere omnia, quæ ſunt in mundo, eſſe facta à Deo, non autem debebat ſcrutari, quomodò facti ſint illi dies, & quid ſint; ſicuti non debebat ſcrutari, quid ſint, & quomodò facta ſint opera enarrata in illis diebus; hoc enim ad ſolos ſpectat Sapiētes; ideo nõ debebat vti vocibus,quas poſſet percipere;illas tamen non debuit omittere,vt pabulum non ſubtraheret *Sapientibus*;vtrũque enim debuit præſtare propter *Scripturæ* ſublimitatem,& veritatem.

32 Obijc.3.*Moyſes Exod.20;& 31.*præcipiēs *Iudæis* obſeruantiam Sabbathi ait; quòd ſicuti Deus ſex diebus mundum creauit, & ſeptimo die requieuit; ita *Iudæi* ſex diebus debebant laborare, & ſeptima die ad Dei imitationem ab omni opere ſeruili ceſſare; ſed ſi illi dies nõ fuiſſent corporales,hæc ratio futilis,infirma,& nulla eſſet;ergo fuerunt corporales. Tum quia nulla eſt ratio aſſignabilis,cur *Moyſes* tam obſcurè,& ænigmaticè mundi opificium voluerit deſcribere; ergo ſine ratione aſſeritur mundum creatum fuiſſe momento temporis.

Reſp. hoc,quod vocant potentiſſimum, & validiſſimũ arg; omnium ferè leuiſſimum eſſe,ac debillimum.Proponitur à *Beatiſs.P.lib.4.c.12.* in fine, vbi loquens de quiete ait: *Ob quam ſignificandam mandauit Hebræo populo vnum diem obſeruandum.* Et reſoluit c. 27; vbi aſſerit: *Iſtos ſeptem dies, qui pro illis agunt hebdomadam, cuius curſu, & recurſu tempora rapiuntur, in qua dies vnus eſt à Solis ortu vſque in ortum circumitus, ſic illorum vicem quandam exhibere credamus,vt non eos illis ſimiles, ſed multùm impares minimè dubitemus.*Et quis Tyro neſciat omnes ſimilitudines,quæ ſumuntur ſecundùm proportionalitates,inuoluere multas imparitates, & diſſimilitudines,cùm omnis proportionalitas,vt docet *Euclides*,ſit inter res diuerſæ ſpeciei, & inæquales; & tamen rationes ductas à proportionalitatibus non eſſe infirmas, futiles, & nullas, ſed validas, fortes,& conuincentes? *Et c.30.*ſup. illud *pſ.54: Veſpere,inquit, & mane, & meridie enarrabo, & annunciabo,& exaudies vocem meam. Hic fortaſſe per temporum vices,ſed tamen,quantùm puto,ſignificans,quid ſine temporum vicibus peragetur in patria, cui ejus peregrinatio ſuſpirabat.* Sicut igitur *Dauid* veſpere, mane, & meridie,quod fit labentis temporis vicibus, rectè ſignificauit id, quod à Beatis in patria fit ſine tempore;ita *Moyſes* ritè potuit oſtendere *Hebræis* obſeruandum diem ſeptimum, qui temporis recurſu viſibiliter conficitur, per diem ſeptimum inuiſibilem, qui fuit ſine temporis mora. Porrò ſi hoc potentiſſimum argumentum aliquid poſſet, æqualis futilitatis conuinceret eſſe illud *pſ.47. Sicut audiuimus in Ciuitate Domini &c*;non enim ſicut tēpore vocum corporalium ſonos rapiente audimus in via;ſic corporaliter,& tēporaliter videbimus in patria.Ad aliud dicitur, quòd ratio aſſignatur *à Beatiſs.P.lib.5.c.3*;vt ſcilicet *Scriptura* altitudine ſubleuaret valentes; & diſtincta operum catalogo non deſereret debiles. Maieſtas ergo *Scripturæ*,quæ quia Diuina eſt,non niſi Diuinos, atque adeo ſublimes ſenſus debet habere,ratio eſt,cur *Moyſes* tam ſublimiter creationem deſcripſerit; cuius maieſtatem, ſublimitatemque deprimere, vel non agnoſcere inaniter conantur tardiores.

33 Obijc.4.Qui aſſerit omnia ſimul eſſe creata, debet etiam aſſerere ſimul creatos eſſe Angelos, & lucem, per quam Angeli conuerſi ſunt ad Deum, & confirmati fuerunt in gratia; & ſimul fuiſſe diuiſas tenebras à luce, hoc eſt Angelos bonos ſeparatos à malis,ſed ex hoc ſequitur Angelos bonos in primo inſtanti ſuæ creationis meruiſſe,& gloriā adeptos, & Angelos malos peccaſſe, & damnatos fuiſſe; quod eſt contra *omnes Theologos*, imò eſt contra *eundem Beatiſs. Doct. Aug*; qui ſibi propterea videtur *hic* contradicere; ergo ſex dies non fuerunt niſi corporales. Præterea *idem Beatiſs. P.* vult Angelos habuiſſe in primo inſtāti cognitionem rerum in Verbo, quæ non eſt niſi viſio beata; quod tamen eſt falſum, aliter fuiſſent creati beati. Tum quia *Scriptura* docet *Adam,& Euam* fuiſſe productos ſexto die; ſed in eodem inſtanti non potuit formari homo extra paradiſum, in illum deferri,ſomno corripi, & coſta ex eius latere ſublata formari *Euā*, quæ non eſt formata,niſi poſtquam *Adam* nomina impoſuit animalibus;ergo ſextus dies non fuit vnicum inſtans.

Reſp; quòd ſi meliùs mentem *Beatiſs. Patris* ſtuduiſſent percipere, hæc non obijcerent, quia nouiſſent,vel *ab ipſo* diſſolui, vel nihil contra ipſum concludere. Dicitur ergo,quòd nomine *lucis* intelligitur illuminatio mentis Angelicæ, & motio voluntatis ad ſe conuertendum in Deum;quæ illuminatio,& motio *in lib.de Cor.& Grat.c.*11*;&* 12;vocatur adiutorium *ſine quo nō*; per quod adiutorium non fuerunt confirmati, ſed permanentes in illo vſque ad vrgentis tempus tentationis per aliam gratiam fuerunt confirmati; vnde inter inſtans creationis, & confirmationem bonorum,ac lapſum malorum tempus aliquod interceſſit. Præterea per diuiſionem lucis à tenebris literaliter intelligit diſtinctionem naturæ iam formatæ à natura informi;vt diximus *art.*8.§.1;quæ diuiſio fuit ſimul,vt diximus *ar.*5; & quando intelligit ſeparationem Angelorum bonorum à malis,hoc eſt tantùm in ſenſu figurato;vt ipſe ait.*lib.*1*.c.*17. dicens: *Sed hæc allegoria prophetica diſputatio eſt,quam non iſto ſermone ſuſcepimus*. Et immediatè ſubiungit literaliter intelligi diſtinctionem naturæ formatæ ab informi. Separatio ergo Angelorum bonorum à malis nō fuit niſi in tempore ſequenti; non enim figuratū neceſſe eſt eſſe ſimul tempore cum ſua figura; vt illud *Gen.* 2. *Erunt duo in carne vna*; ait *Apoſt. Epheſ.*5.fuiſſe figuram Chriſti,& Eccleſiæ; & tamen certum eſt Chriſtum, & Eccleſiam non fuiſſe ab initio creationis.Ad 2.neg;quòd *Beatiſs.P.* velit cognitionem matutinam rerum in Verbo, prout in ſuo principio,ſeu cauſa, à qua exeunt, eſſe viſionem beatam; vult enim cognitionem matutinam eſſe per ſpeciem productam in mente Angeli; viſio autem beata non eſt per ſpeciē, ſed per eſſentiam Dei; vult tamen eſſe cognitionem perfectiorem,quàm illa, quæ habetur in ipſis creaturis,quæ dicitur veſpertina,quia creatura habet verius eſſe in Deo,quàm in ſe ipſa. Habetur hoc manifeſtè *lib.*4*.c.*34; vbi loquens de creatura in ſe ipſa ait: *Et in eius ipſius natura cognoſceret propter veſperam, & Creatorem ex ipſa etiam inferiore cognitione propter mane laudaret.* Et ſuperiùs c.31. *Poſt hæc ſi eo modo ſibi placeret, vt ampliùs ſe ipſa, quàm Creatore ſuo delectaretur,non fieret mane; idèſt de ſua cognitione in laudem Creatoris non aſſurgeret.* Si ergo cognitio, qua Angelus aſſurgit ex cognitione creaturarū, in cognitionem Dei, per quam fit mane, eſt matutina(ſicut per cognitionem creaturarum in ſe ipſis fit veſpera)& eſt etiam ipſa inferior,ſicut eſt inferior veſpertina;profectò non eſt viſio beata, quæ nequit eſſe inferior cognitione creaturarū in ſe ipſis. Præterea ex cognitione creaturarum in ſe ipſis Angelus ſurrexit ad Deum tanquam ad ſuum mane,quia ex cognitione effectus naturaliter deuenimus in cognitionē cauſæ; ſicut per cauſam cognoſcimus effectum;vt patet in nobis; naturaliter autem non potuit Angelus deuenire in viſionem beatam; ergo nomine cognitionis matutinæ non intelligit viſionem beatam. *Vid. to.*1*.q.*4*.proem.art.*2*.num.*9. Ad 3.dicitur *Adam, & Euam* fuiſſe creatos ſexto die ſeminaliter inuiſibiliter in ſuis cauſis; nomina autem non ſunt impoſita animalibus niſi poſt dies appoſitos,ſeu poſt aliquod tempus;vt *ſup.*dictum eſt.

34 Dices. Dictum eſt *in ſup.art.n.* 14.cognitionem matutinam eſſe claram,lucidam,& coloratam;veſpertinam verò tenebroſam, obſcuram, & decoloratam;ſed cognitio clara,lucida, & colorata eſt viſio beata; ergo cognitio matutina eſt viſio beata.2. Dictum eſt *ibid.* viſionem beatam eſſe priorem cognitione matutina,& veſpertina; ergo prima cognitio, quam habuit Angelus in primo inſtanti,fuit viſio beata.

Reſp.ad 1. diſt. ma. Cognitio matutinā eſt clara,lucida,& colorata,quoad *an eſt*; conc;& in hoc ſenſu neg.mi,nam viſio beata eſt clara,quoad *quid eſt*.Eſt clara,quoad *quid eſt*,neg.Ad 2.dicitur viſionem beatam eſſe priorem quoad modum cognoſcendi,quia per viſionem beatam cognoſcuntur in Verbo omnes creaturæ, quoad *quid eſt*; non tamen per creaturas cognoſcitur Verbum,quoad *quid eſt*,non autem eſſe priorem prioritate temporis, vel durationis, quia Angeli priùs habuerunt cognitionem naturalem, quàm beatam,nam priùs fuerunt viatores,quàm comprehenſores;vt ſuo loco dicemus.

35 Obijc.5.Diſtinctio ſex dierum,vel denotat ordinem temporis,quo res aliquæ priùs alijs creatæ ſunt;vel ordinem dignitatis, vel ordinem naturæ;aut ordinem ſucceſſionis cognitionum, quo Angelus vnam rem priùs alia cognouit; ſed nullum ex his præter primum dici poteſt; nam ſi denotaret ordinē dignitatis, procul dubio priuſquam creatæ ſint aliæ res corporales, homo, vtpotè præſtantior,creari debuiſſet,qui tamē ſexto

die

die poſt elementa, herbas, plantas, piſces, aues, & animalia creatus eſt. Si ordinem naturæ; priùs creari debuiſſent Sol, & aſtra, quàm herbæ, & plantæ, quæ ſunt effectus Solis, & aſtrorum. Si ordinem ſucceſſionis cognitionum Angeli; vel cognitionis matutinæ, quæ, cùm ſit idem, ac viſio beata, nequit multiplicari; vel cognitionis veſpertinæ, quæ pariter non multiplicatur ad multiplicationem cognitorum; quia Angelus plura genera rerum ſimul cognoſcit; tum quia cognitiones rerum in mente Angeli nullum alium ordinem poſſunt habere, quàm illũ, quẽ habent res in ſe ipſis: ergo remanet illos ſex dies denotare ordinẽ tẽporis, quo vna res priùs alia creata eſt.

Hoc arg. proponit *Beatiſs. P. lib. 2. c. 13*; vbi ait: *In hoc quarto die quærendum eſt, quid ſibi velit iſta ordinatio, vt priùs vel fieret, vel ſecerneretur aqua, & terra, priùſque terra germinaret, quã in Cælo ſydera fierent, neque enim poſſumus dicere electa eſſe quæque meliora, quibus dierum ſeries ita diſtingueretur, &c.* Videant *Aduerſarij*, an aliquid noui inſolutum *ab ipſo* contra *ipſum* adducant? Reſp. ergo diſtinctionem ſex dierum indicare ordinem cauſalitatis, quem ſibi placuit ſeruare Diuina prouidentia in productione creaturarum; vt vnam priùs alia crearet. Redarguant itaque Diuinam prouidentiam, cur etiam ſecundùm eorum ſententiam ordine cauſalitatis voluerit priùs producere herbas, & plantas, quæ ſunt effectus luminarium, quàm ipſa luminaria? Etenim de facto Deus ſecundùm illos produxit priùs herbas, & plantas, & poſtea Solem, & aſtra; vt docet *Scriptura*; ſiue illud *priùs* denotet ordinem naturæ, ſiue ordinem temporis; ergo ſi nullus fuit ordo cauſalitatis, quia effectus priùs fuit productus, quàm cauſa; ſequitur res eſſe cauſatas ſine ordine; quod maximè criminaretur Diuinam prouidẽtiam, quæ nullam rem ſine ordine creat. Ordo ergo, quem ſeruauit Diuina prouidentia in cauſãdo (ait *Beatiſs. P. ibid.*) poteſt eſſe fortaſſis; vt lux primi diei reſpondeat quieti diei ſeptimi (finis enim correſpõdere debet principio) quia natura ſpiritalis illuminata per gratiam ordinata fuit ad diem ſempiternum non habentem veſperã; in quo ſolùm poteſt quieſcere; vt ſic oſtenderet idem eſſe principium, & finem illius. Sic ſecundus dies ſexto diei debebat concinere; vt quemadmodum Cœlum ſecundo die creatum ſuperiorem mundi occupat partem; ita homo creatus ſexto die in parte inferiori poteſtatem dominij recepit; & cum homine creata ſunt animalia terreſtria, quia perfici debebat genus homini magis propinquum, & neceſſarium illius habitationi, in qua locatus eſt homo. Sic dici poteſt diem tertium ordinari ad quintum; quia herbæ, & plantæ creatæ tertia die non ſolùm neceſſariæ erant victui animalium terreſtrium, ſed & volatilibus; & ideo tertia die creatæ ſunt, vt præpareret illis edulium. Sol autem, & aſtra quarto die, qui eſt medius inter primum, & ſeptimum, vt medium concinentibus finibus emineret luminibus; & ſic totus ordo creationis contexitur.

36 Præterea dicitur herbas, & plantas formaliter ſecundùm ſuum eſſe viſibile in ſe ipſis extra ſuas cauſas eſſe effectus Solis; & ſic non eſſe productos tertia die; ſeminaliter autem, & potentialiter non eſſe effectus Solis, ſed ſolius Auctoris naturæ; & ſic ordine cauſalitatis debere præcedere Solem, quia cauſa agens per eductionem ex potentia materiæ, debet ſupponere effectus in potentia materię; & ideo fuerunt productæ tertia die, antequam produceretur Sol, *Vid. ſup. n. 6.* Ad aliud de ſucceſſione cognitionũ iam dictum eſt cognitionem matutinam eſſe naturalem; ſicuti eſt veſpertina; quia ex cognitione naturali effectus in ſe ipſo naturaliter exurgimus ad laudandam cauſam. Falſum eſt etiam, quòd Angelus per vnicam cognitionem naturalem cognoſcat omnia naturalia diſtinctè; licèt omnia cognoſcat ſolùm confusè, & in genere; quia videndo ſe ipſum videt omnes ſpecies rerum exiſtentes in ipſo; res autem non videt diſtinctè, niſi ſe conuertat ſpecialiter ſuper vnam ſpeciem; vt videbim. *in tract. de Ang.* Tandem etſi daretur cognitionem naturalem, qua cognoſcit res in ſe ipſis, eſſe vnam, & per eandem omnia ſimul cognoſcere; attamen diſtingueretur iuxta ordinẽ, quo conditæ ſunt creaturæ; & hoc ſatis eſſet ad faciendum diem ſpiritalem.

37 Obijc. 6. Mundus creatus eſt die Dominico, vt docet etiam *Beatiſs. P.*; & Deus requieuit die Sabbathi; ſed inter diem Dominicũ, & Sabbathum mediant quinque dies; ergo non fuit creatus vnico momento. Tum quia *Eccleſia* in hymnis Veſperarum ſingulorum dierum hebdomadis laudat Deum in ſingulis operibus, quæ per ſingulos dies perfecit; ergo amplectitur ſententiam aſſerentem opera creationis non fuiſſe vnico inſtanti producta.

Reſp. diſt. mi. Mediant quinque dies intellectuales, conc; naturales, neg; quia illi dies fuerunt intellectuales; & fuerũt inſtans diei Dominici; & ideo Mundus creatus eſt die Dominico; quia creatus eſt in inſtanti diei Dominici. Dicitur ergo Deus requieuiſſe die ſeptimo intellectuali; poſt quem vſque modo operatur adminiſtrando res productas in illo primo inſtanti. Ad aliud dicitur, quòd Eccleſia in illis hymnis non aſſerit illos dies fuiſſe corporales, ſed ſolũ enumerat opera in illis creata, ſicut enumerantur *à Moyſe*, & in eo ſenſu, quo enumerat *Moyſes*; vnde hoc arg. nihil omnino cõcludit vltra id, quod colligi poteſt *ex textu Geneſeos*.

38 Obijc. 7. Dicere, quòd herbæ, & plantæ tertia die fuerint ſolùm productæ cauſaliter, eſt nimis durum, & diſtorquens verba *Moyſis*; qui apertè ait terram protuliſſe herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum; herbæ autem facientes ſemen, & plantæ facientes fructum ſunt formaliter in ſe ip-

ipſis, non potentialiter in terra; ergo ſicuti fuerunt diſtinctę productiones;ita diſtincti dies corporales.Præterea *Moyſes* ita loquitur de herbis, & plantis,ſicuti de Sole,aſtris,& animalibus; Sol autem,& aſtra,ac animalia fuerunt producta viſibiliter in ſe ipſis,non inuiſibiliter in cauſa;quia Sol ſtatim creatus cepit lucere; quod nõ potuiſſet præſtare latens in cauſa. Præterea ideo productæ ſunt herbæ,& plantæ, quia ad victum animalium,& hominis illis opus erat;ſed hoc non potuit eſſe in cauſa; quia terra eſt inhabilis nutritioni; ergo fuerunt productæ in ſe ipſis. Tandem homo ſexta die fuit productus in ſe ipſo formaliter; quia ei benedixit, & iuſſit, vt multiplicaretur; & dedit illi omnia animalia, & herbas,ac fructus ad eſcam; & ſubdit *Scriptura*:*Et ſic factum eſt*; quomodò autem potuiſſet illi benedicere, & ei loqui, ſi non fuiſſet in ſe ipſo; ſic quomodò potuiſſent homines multiplicari; & quomodò ei dare herbas, plantas, & animalia,ſi non fuiſſent in ſe ipſis formata;ergo apparet hãc interpretationem repugnare verbis *Moyſis*.

Reſp.ad 1; quòd ſemen,& fructus eodem modo producta ſunt tertio die, quo productæ ſunt herbæ, & plantæ; ſicut ergo iſtæ productæ ſunt ſolùm inuiſibiliter in cauſa, & hoc magis conſonat cum doctrina *Moyſis*, quia illam ſaluat à contradictione,vt diximus *n.*23; 24; *&* 25; & illud, quod ſaluat aliquam doctrinam à ſui contradictorio,magis cum ea concordat;ſicut è contra illud,quod contorquet ad contradictionem, magis diſcordat à veritate illius,quæ nequit cõſiſtere in cõntradictorio,ita & illa tertio die fuerunt producta in cauſis ſolùm ſeminaliter inuiſibiliter. Ad 2.neg.*Moyſen* eodem modo loqui de herbis, plantis, & Aſtris; quia de herbis, & plãtis bis loquitur, vt dictum eſt; & cùm loquitur de ipſis tertio die,ait productas eſſe: *antequam eſſent,& exorirentur ſuper terram*,quę productio nequit eſſe niſi inuiſibilis,& in cauſa; quia cùm producuntur in cauſa, non exoriuntur, nec ſunt ſuper terram,ſed latent in terra;cùm autem producuntur extra cauſam, propriè tunc dicuntur exoriri,& naſci,& eſſe ſuper terram; quod factũ eſſe teſtatur *Moyſes* poſt primos ſeptem dies. Hoc autem modo non loquitur de Sole, & de Aſtris;vt patet *ex textu*;& ideo quarto die producta fuerunt in ſe ipſis viſibiliter. *Vid.ſup.n.*5. Ad 3.dicitur,quòd ſicut animalia, & homo in illis ſex diebus non fuerunt producta viſibiliter in ſe ipſis; ita non erat neceſſe herbas,& plãtas viſibiliter in ſe ipſis produci. Ad vlt. reſpondet *Beatiſſ.P.lib.3.c.23.*his verbis: *Nam ſi ad omnia, quæ ſupra dicta ſunt,retulerimus, quod ait: Et ſic eſt factum;conſequens erit,vt confiteamur etiam creauiſſe illos iam, & multiplicatos impleuiſſe terram in eodem ſexto die; quod eadem Scriptura teſtante poſt multos annos factum inuenimus.*Igitur non ſolùm ſoluitur hæc obiectio dicendo, quòd illa omnia dicuntur de homine adhuc exiſtente potentialiter in ſua cauſa; paulò enim poſt *eadẽ Scriptura* poſt ſeptimum diem dicit, quòd *homo non erat*;vt *ſuperiùs* diximus; ſed etiã euertitur; quòd ſi illa omnia, quæ enarrat *Scriptura* facta eſſe ſexto die, fuiſſent in ſe ipſis formata, ſequeretur etiam eodem die multiplicatos eſſe homines in tantam generationem,quæ ſufficiens eſſet ad replendam terram;poſtquam enim dixit:*Creſcite,& multiplicamini,& replete terram*; & alia, quæ ſequuntur,ait:*Et factum eſt ita*,quod tamen patet falſum eſſe *ex eadem Scriptura* teſtante non niſi poſt plures annos multiplicatos eſſe homines, & repleuiſſe terrã. Sicut ergo *Gen.*22. benedixit omnes gẽtes terræ in ſemine *Abrahæ*; ſic potuit Deus benedicere *Adæ* exiſtenti ſeminaliter in ſua cauſa, multiplicare ſemen illius,& ei loqui, ſicut Chriſtus allocutus eſt nos nondũ natos;vt habet *Beatiſſ.P.lib.6.c.7*,eique conferre dominium animalium,& plantarum.

39 Dices.*Fund.Doct. in Hexam.2.p.c.28.*ait hanc ſententiam non poſſe ſubſtineri; quia ratio ſeminalis plantarum triplex eſt;ſcilicet radix,ramus,& ſemen;ſed antequam producerentur plãtæ,non erant radices, rami, aut ſemen, quia hæc tria deriuant à planta; & multò fortiùs vrgetur de animalibus,quorum ratio ſeminalis eſt ſolùm in ſemine, & ſi ſint perfecta, in ſemine exiſtente in ventre fœminæ; ergo non fuerunt producta in rationibus ſeminalibus.

Reſp. *Fund.Doct.* nil aliud *hic* intendere, quàm ſaluare ſententiam *Sanctorum* ſentientiũ oppoſitum,vt patet ex titulo;innuit tamen ſolutionem dicens,quòd illa tria ſunt rationes ſeminales proximæ reſpectu agentis naturalis; reſpectu tamen Auctoris naturæ ſufficere rationem ſeminalem remotam, quæ nihil aliud eſt,quàm ipſa priuatio, vt *inf.* declarabitur *ex eod.*

40 Obijc. 8. Si Deus feciſſet omnia ſimul, *Moyſes* omnia ſimul facta eſſe narraſſet;& poſtea illa diſtinctè retuliſſet, vt populus rudis,cui loquebatur, hoc potuiſſet percipere; nec erat neceſſe illa deſcribere per dies diſtinctos, qui potiùs intelligentiam eorum confudiſſent; ergo prædicta expoſitio nõ cõgruit narrationi *Moyſis*.

Reſp.neg.ant; nam *Moyſes* nedum debuit narrare Deum omnia ſimul feciſſe, & omnia ſingillatim deſcribere; ſed etiam modum productionis exprimere; & quia modus producendi eſt per intellectum iuxta *pſ.* 135. *Qui fecit Cælos in intellectu*; productionem debebat ſignificare per aliquod intellectuale. Et quia intellectio nõ fit niſi per lucem, & lux *Græcè* dicitur à *Dian*, quod *Latinè* dicitur *dies*;ideo debuit illam exprimere per diem. Inſuper vt oſtenderet Deum perfeciſſe & conſumaſſe omnia in illo inſtanti, numero ſenario, qui perficitur ex ſuis partibus, debuit illam diem exprimere. Numerus autem ſenarius perficitur,& completur ex ſuis partibus quotis;nam eius partes ſunt *vnum*,quod eſt ſexta pars;*duo*,quod eſt tertia pars;& *tria*, quæ ſunt

pars dimidia; pars autem quota, vt explicat *Beatiſſ. P. lib.* 11. *de Ciu. Dei c.* 3; eſt illa, cui poteſt reſpōdere *tertia, quarta, quinta &c*, vt v.g. ſi quæratur. Vnum quota pars eſt numeri ſenarij? Reſpōdetur: Sexta pars; quamuis enim *quatuor* ſit pars numeri ſeptenarij; attamen non eſt pars quota; quia nequit dici; quòd ſit pars quarta, quinta, aut ſexta, vt patet. *Vnum* ergo, *duo*, & *tria*, quæ ſunt partes quotæ numeri ſenarij, quomodocūque ſumantur, ſemper complent numerum ſenarium; nam ſi ſimul numerētur vnum, duo, & tria, efficiunt ſex, duo tria efficiunt ſex; & ſic tria duo; & tandem tria, & duo, & vnum. Sic creatio mundi, quæ expleta eſt, & conſummata in illo inſtanti, debuit ſignificari numero ſenario. Et ſicuti partes numeri ſenarij ita ſe habent, vt trigonum formem; ſunt enim vnum, duo, & tria, quæ ita immediatè vniuntur, vt nulla alia pars poni poſſit inter eas; ita primo die Deus fecit lucem; ſecūdo partem ſuperiorem, quæ eſt Firmamentum; tertio partem inferiorē, quæ eſt terra, inter quæ nihil mediat. Et ſicuti poſt tria ſequitur numerus quaternarius, qui eſt duplex duo, ita quarta die debuit ornari Firmamentum Sole, & aſtris. Tandem, quia dimidia pars, quæ eſt tria, ſignificans terram non augetur niſi per duo, quæ eſt tertia pars illi immediatè coniuncta; ideo terra duobus ſequentibus diebus, qui ſunt quintus, & ſextus, deſcribitur ornata. *Vid. Beatiſs. P. lib.* 4. *c.* 2. Non debuit autem *Moyſes* hęc rudibus aperire, ne *Scripturæ* maieſtatem deprimeret, quæ nihil ſublimitatis à Sapientibus ſcrutandæ ſeruaret. Sufficit enim, quòd rudes crederent Mundū ſex diebus formatum; quid autem, & quomodò ſint illi dies, Sapientibus conſpiciendum relinquerent; vt *inf.* docet *Beatiſs. P.*

Sic reſoluuntur omnes aliæ obiectiones, quæ vel in idem collimant; vel nihil difficultatis ſecum poſſunt afferre.

41 Hæc attentè conſideret *Aduerſarius*, & videat, ſi illius merentur cenſuras, quales inconſideratè iaculatur. Si autem non poſſit percipere, quia non magnus, ſed paruulus eſt; non impetat *Beatiſſ. P. Aug.* ſed apprehenſa manu *Scripturæ* non deſerentis paruitatem ſuam tardè ambulans, vt paruulus, petat, vt doceat; & docentem audiat, vt diſcat, quid ei loquatur *lib.* 5. *c.* 3. *Et cū audis tunc facta omnia, cùm factus eſt dies, illam ſenariam, vel ſeptenariam repetitionem ſine interuallis morarum, ſpatiorumque temporalium factā, ſi poſſis, apprehendas; ſi autem non poſſis, hæc relinquas conſpiciēda valentibus. Tu autem cum Scriptura non deſerente infirmitatem tuam, & materno inceſſu tecum tardiùs ambulante proficias; quæ ſic loquitur, vt altitudine ſuperbos irrideat; profunditate attentos terreat, veritate magnos paſcat, affabilitate paruulos nutriat.*

ART. XI.

Quid, & quotuplex ſit ratio ſeminalis?

1 DIximus *ex Beatiſſ. P.* Deum creaſſe omnia in eodem inſtanti, vel in ſe ipſis, vt Angelos, Cœlos, elementa; vel in ſuis rationibus ſeminalibus, vt ſunt cetera omnia, quæ facit ex materia præexiſtēte à ſe ipſo iam creata; modò inquirendum eſt, quænam ſint, & quomodò intelligendæ ſint iſtę rationes ſeminales. De quo fuſiſſimè agit *Fund. Doct. in* 2. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *&* 2. *& dub. lat. annexis.*

2 Refert ergo *Fund. Doct. art.* 2. *vbi ſup. Aliquos* voluiſſe rationem ſeminalem eſſe formam generis priùs introductam in materia incompletam aptam natam recipere formā ſpeciei, à qua completur.

3 Sed hæc opinio reprobatur; quia ſi ratio ſeminalis eſſet forma generis, ex qua fieret ſpecies, ſequeretur, quòd corporeitas v.g. fieret anima rationalis, quod eſt impoſſibile. Tum quia aliquid formæ, & actus lateret in materia ante aduentum formæ ſpecificæ. Tum quia genus nō eſt vna forma, ſed eſt tot formæ, quot ſpecies habet ſub ſe; ſed implicat vnam ſpeciem fieri alteram; ergo implicat formam generis fieri omnem formam contentam ſub ſe ipſa.

4 *Alij* dixerunt rationem ſeminalem eſſe formam generis, cui ſuperadditur forma ſpeciei, quæ fit ex illa, tanquam aliquid diſtinctum.

5 Sed hoc ſtare non poteſt; quia genus eſſentialiter prædicatur de ſpecies vt *homo eſt animal*; ſi autem ſpecies diſtingueretur à genere, nō prædicaretur eſſentialiter, ſed tātùm denominatiuè eò modo, quo manus pręDicatur de homine.

6 *Alij* dixerunt rationem ſeminalem eſſe quandam inchoationem formarum exiſtentem in materia.

7 Sed contra eſt; nam forma ſecundùm ſe eſt indiuiſibilis; ergo non poteſt ſecundùm aliquod præexiſtere in materia, & ſecundùm aliquod non; quod enim habet aliquod, & aliud, eſt diuiſibile.

8 *Alij* dixerunt materiam importare eſſe potentiale purè paſſiuum, & ſupra ipſum aliquē actum; eſſe autem potentiale voluerunt eſſe rationem ſeminalem.

9 Sed contra eſt; nam actus eſt perfectio materiæ; ſed perfectio materiæ eſt forma; ergo materia non includit actum. *Vid. in Phyſ.* Tum quia ratio ſeminalis eſt aliquid in materia; & ideo non eſt ipſa eſſentia materiæ.

10 *Alij* tandem dixerunt rationes ſeminales eſſe rationes actiuas, & paſſiuas rerum, per quas producuntur effectus naturales.

11 Sed contra eſt; nam virtutes actiuæ, & paſſiuæ fuerunt creatæ priùs origine ſaltē, vt docet *Beatiſſ. P*; quā virtutes ſeminales; quia ignis v. g. ſemper fuit cum calore; ratio autem ſeminalis eſt indita rebus poſteriùs origine iuxta illud:

lud: *Germinet terra herbam virentem &c;* quapropter ait *Beatiſſ.P.6.de Gen.* rationem ſeminalem v.g.arboris eſſe prolem ipſius terræ; proles autem eſt poſterior parente ſaltem origine.Præterea poſt diem Iudicij remanebūt virtutes actiuæ ſine rationibus ſeminalibus, quia non erunt ampliùs generationes ſecundùm agentia naturalia. Igitur

12 Noſtra ſententia docet rationes ſeminales eſſe quaſdam aptitudines,ſeu habitudines inſitas rebus à Deo, quibus producūtur effectus naturales; vel ſecundùm curſum vſitatum naturę per ordinem ad agens naturale; & vocantur rationes ſeminales naturales; vel ſupra ordinem naturæ ſecundùm diſpoſitionem, & beneplacitū Dei, & dicuntur rationes ſeminales obedientiales; vnde priuationes, quas *Phil.*dixit principia reū naturalium;*Beatiſſ.P.*conuenientiùs vocauit rationes ſeminales. *Ita Fund. Doct. vbiſ. art. 2. §. Quid ergo; & dub. 1.lat. &ſeq; pro cuius intelligentia.*

13 Not. *ex Fund. Doct. vbiſ. art. 1;* quòd quantùm ad ethimologiam nominis rationes ſeminales dicuntur *rationes* per ordinem ad *rationes factiuas* rerum exiſtentes in mente Dei; de quibus ait *Beatiſſ.P.lib.83.qq. q.46. Alia ratione conditus eſt homo, & alia equus.* Sicut ergo id, per quod tanquam principio *quo* producit Deus creaturas, vocatur *ratio* exiſtens in Deo; ita illud principium, *quo* agens creatum producit effectus naturales educendo formas de potētia materiæ,dicitur *ratio.* Et ſicut *rationes* exiſtētes in Deo ſunt latentes, incōmutabiles, & perpetuæ;ita iſtæ aptitudines,quibus fiunt res naturales,ſunt latentes in materia; incommutabiles, quia ordo earum nequit immutari ab agente naturali;& perpetuæ;quia durabunt, quouſque durabunt generationes naturales. Præterea vocantur *rationes* per ordinem ad *rationes* exiſtentes in creaturis rationalibus; ſicut enim à *rationibus* exiſtentibus in mente Angeli, vel hominis nequit immediatè fieri res,ſed tantùm mediante motu externo; ita ab iſtis *rationibus* ſeminalibus non fiunt effectus naturales,niſi mediante tranſmutatione.Et ſicut per *rationes*exiſtentes in mēte generaliter cognoſcuntur plures res; iſta per *rationes* ſeminales fiunt generaliter omnes effectus. Et ſicuti *à rationibus* exiſtentibus in mente Artificis fiunt ſtatuæ habentes diuerſas partes;ita *à rationibus* ſeminalibus organizantur corpora habentia tot neruos,tot partes diuerſas, &c.

14 Quòd autem iſtæ rationes aptè dicantur *ſeminales,*habet *Fund.Doct.ibid.dub.1.lat.* Nam quanuis ſemen principaliter dicatur reſpectu animalium;de quibus.dicimus alia naſci ex ſemine; (cuius virtutem in diſtinguendis membris, fibris, neruis, oſſibus mediante virtute caloris adeo admiratus eſt *Galen*;vt dixerit ſe neſcire; an *illa virtus ſit Creator, vel creatura* (quia illa virtus,eſt organum Dei) alia ex putrefactione;

Mag.Frideric.Nic. Gauardi Tom.3.

attamen transfertur etiam hoc nomen *ſeminis* ad ſignificādam putrefactionem; quapropter ait *Com.12. Met.t. c.18. Quod eſt ſemen in his, quæ naſcuntur ex ſemine:eſt putrefactio in his,quæ naſcuntur ex putrefactione;*vnde ſemen dicitur etiā de arboribus, ſegetibus, alijſque vegetabilibus, quæ generātur per putrefactionem. Quòd ſi putrefactio nomen *ſeminis* habet, cùm omnia corpora naturalia fiant ex putrefactione; ideo rectè dicuntur fieri ex aliquo ſemine exiſtente in materia,quæ putreſit, & mediante illo trāſmutatur ad nouam formam; vnde cùm etiam vnum elementum fit ex alio,dici poteſt,quòd in materia vnius elementi lateat ſemē alterius; idēſt aptitudo ad recipiendam formam alterius. Itaque rationes exiſtentes in materia, quibus fiūt res naturales rectè dicuntur *ſeminales.* 1. Quia ex illis fiunt res; ſicut res fiunt ex ſemine. 2. Quia ſicut ſemen eſt virtus, qua fiunt res magnæ; ſemen enim eſt minimum quantitate, ſed maximū virtute; ita ex illis rationibus fiunt omnes res; & ideo maximam virtutem habent. 3. Quia ſicuti ſemina ſemper manent in virtute agentis; quod nunquam ſemine priuatur; ita illæ rationes ſempet manent in materia; quæ ſemper apta eſt ad recipiendas nouas formas; ergo illæ rationes rectè dicuntur ſeminales.

15 Tertium igitur principium, quod *Phil.* vocauit *priuationem*; *Beatiſſ.P.* appellauit *Rationem ſeminalem,*dictum autem *Beatiſſ.P.*longè altius, & conuenientius eſt, quàm dictum *Ariſt;* propter tria; vt obſeruat *Fund.Doct. art.2.* Primò quia priuatio de ſuo conceptu primario importat carentiam formæ; nam priuari idem eſt, ac carere formaliſſimè loquendo;ex conſequenti autem importat aptitudinem ad habendam formam. At verò ratio ſeminalis ex ſuo primatio conceptu importat aptitudinem ad formam; carentiam verò non dicit niſi ex conſequenti; ſed principium formaliter dicitur per ordinem ad eſſe,nō autem per non eſſe; ex eo enim,quòd eſſe viſionis non ſit in lapide, non dicitur lapis habere principium viſionis;at verò ex eo, quòd in cęco ſit aptitudo,ſeu ordo ad eſſe viſionis, dicitur habere principium viſionis; quapropter *Phil.1.Phyſ.t.c.67;70;& 74.* dixit priuationē eſſe principium per accidens,ſcilicet ratione aptitudinis annexæ; ergo conuenientiùs locutus eſt *Beatiſſ.P.* vocādo tertium principium rerū naturalium *Rationem ſeminalem,*quàm *Phil.*vocando *Priuationem.* 2. Priuatio eſt ſolùm in materia; & ideo ſe tenet ſolùm ex parte principij paſſiui;ratio autem ſeminalis ad habendam formam ſe tenet tam ex parte principij actiui, quàm paſſiui; nam nedum in materia eſt aptitudo ad habendā formam, ſed etiam in agente eſt aptitudo ad illā inducendam; quapropter in ſemine; vt docet *Fund.Doct.dub.2.lat.ſeq;* eſt virtus actiua,& paſſiua;nam in cuſpide grani ipſius tritici viget virtus actiua; in alijs verò partibus ipſius grani vir-

E 2 tus

Digitized by Google

tus paſſiua;& ideo formicæ corrodent cuſpidem grani,ne naſcatur; ergo *Beatiſſ.P:* congruentiùs locutus eſt,quàm *Phil*;tertium enim principium, cùm importet aptitudinem ad formam, & aptitudo ſe teneat ex parte principij actiui,& paſſiui, magis conuenienter explicatur *per rationem ſeminalem*,quàm *per priuationem*. Tertiò principiū principaliùs explicat principium actiuum, quàm paſſiuum; quia dicit aptitudinem ad eſſe, quod principaliter eſt ab agente; ſed ratio ſeminalis, quãuis ſe teneat ex parte principij actiui, & paſſiui,attamen principaliùs ſe tenet ex parte principij actiui;quia ſemen principaliùs importat virtutem actiuam,quàm paſſiuam: ergo tertiū principium conuenientiùs explicatur *à Beatiſſ.P. per Rationem ſeminalem*, quàm *à Phil. per Priuationem.His not.*

16 Vnica concl. Rationes ſeminales nihil aliud ſunt formaliter niſi quædam aptitudines, ſeu relationes, aut ordines inditi rebus à Deo, quibus ſubiectum paſſiuum ſupponitur, & ſubijcitur proprio actiuo,& principium actiuum ſibi ſubijcit proprium paſſiuum. Colligitur *ex Beatiſſ.P.lib.6.de Gen.ad lit,& lib.9.c.17.*

17 Prob. 1. ex illo *Rom. 13. Quæ autem à Deo ſunt,ordinata ſunt*. Ex quo ſic arguit *Fund. Doct.art.2.dub.5.lat.§.Quò autem.* Si ſubiectum paſſiuum non ſubijceretur agenti,& virtus agentis non ſubijceret ſibi paſſum,nunquam ſequeretur actio,nec forma induceretur in materiā;nam quia Cœlum non ſubijcitur virtuti ignis, nec virtus ignis ſubijcit ſibi Cœlum tanquam proprium paſſiuum; ideo ignis nequit inducere in Cęlum formā ignis; ſed ſubiectio vnius ad aliud eſt purus ordo,aut relatio;vt patet de ſubiectione paſſiua ſerui ad Dominum, & de ſubiectione actiua Domini ad ſeruum; ergo ratio ſeminalis importat ſupra entitatem rei puram relationem,ſeu ordinem ſubiectionis patientis ad agēs, & è contra.

18 Conf.& explic.*ab eod.ibid. Ex Phil.1.de Gen.t.c.54. Potens eſſe calidum præſente calefaciēte,& appropinquante neceſſe eſt caleſieri*; calefaciens enim non immittit extra ſe calorem in paſſum; quia accidens nequit migrare de ſubiecto in ſubiectum;ſed per ſolam ſuam præſentiam facit ſubiectum, quod erat calidum in potentia, calidum in actu; & ideo dicitur educere formam caloris à ſubiecto; quomodò autē hoc poſſit fieri;*Phil.2.de Gen.c.21.* reducit in ordinationem ad corpora cœleſtia; nos autem reducimus in ordinem Diuinum, quem Deus dedit rebus; vt appropinquantibus actiuis proprijs paſſiuis formæ naturales educerentur;ſed rationes ſeminales important id,per quod educuntur formę naturales; ergo impòrtant ordinem, quem Deus dedit rebus,vt ficrēt generationes; ſed ordo generationis eſt inter actiuum, & paſſiuum; ergo rationes ſeminales important relationes,ſeu ordines,quos habent paſſiua ad actiua;& è contra.

19 Prob. 2. Ratio ſeminalis importat in recto id,quod priuatio dicit in obliquo; vt ſupra dictum eſt; ſed priuatio in obliquo dicit aptitudinem ad formam educendam, & introducendā in ſubiectum;& hæc aptitudo nihil aliud eſt,quā ordo ad formam; ergo ratio ſeminalis importat de formali ſolùm ordinem, vel relationem ad formam educendam de potentia ſubiecti, & introducendam in ipſum ſubiectum.

20 Prob.3.Deus eùm indidit rationes ſeminales herbis,& plantis tertia die dicens: *Germinet terra herbam virentem,& facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum*; & *habens vnunquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam*; & quando die quinta ſua benedictione indidit animalibus rationes ſeminales,vt generarent:*Benedixitque eis dicens: Creſcite, & multiplicamini*; & ſic homini ſexta die;non produxit aliquid in eis;vt patet *ex textu*; ergo ratio ſeminalis non importat niſi relationem, ordinem, aut reſpectū ad formam educendam,& introducēdam in materiam;quia præter entitates rerum apparet non poſſe in præſenti aliquid aliud intelligi præter ordinem, ſeu relationem ſubiectionis paſſiui ad actiuum ſubijciens ſibi paſſiuum.

21 Obijc.1.Rationes non habent eſſe niſi in natura rationali,cuius eſt formare rationes;ergo in materia non dantur rationes ſeminales.

Reſp.*ex Fund.Doct.art.1.ad* 1.diſt.ant.Rationes non habent eſſe niſi in natura rationali principaliter,conc;& ſic rationes ſeminales ſunt in mente;participialiter deriuatiuè,neg;ſic enim habent eſſe etiam in materia,vt *ſup.*dictum eſt.

22 Obijc.2. Semen importat potētiam actiuam; quapropter ait *Phil.lib.de Animal.*mulierē, quæ paſſiuè concurrit ad generationem, non habere ſemen, ſed menſtruum; atqui in materia nulla eſt potentia actiua; aliter non eſſet pura potentia paſſiua; ergo in materia non eſt ratio ſeminalis. 2. Si in materia eſſet ratio ſeminalis, ſequeretur formam latitare in materia;vt voluit *Anaxagoras*;ſed conſ.eſt falſum;ergo & ant.

Reſp.ad 1.diſt.ant.Semen importat potentiam actiuam ex parte agētis,quatenus agens poteſt ſubijcere ſibi paſſum, & in illud formam inducere,conc;ex parte paſſiui,quatenus ſubijcitur agēti, & trāſmutatur ad formam,neg.Ad 2.neg. ſeq;nam ratio ſeminalis ex parte materiæ importat ſolam potentiam paſſiuam aptam natam trāſmutari ad formam; vnde aliud eſt latitare in materia aptitudines, & habilitates ad formas, quæ ſunt rationes ſeminales;& aliud latitare eſſentias ipſarum formarum;vt volebat *Anaxagoras*.

23 Obijc.3. Multa ſiunt ſine ſemine; quapropter animalia imperfecta dicuntur naſci ſine ſemine; ergo falſum eſt rationes ſeminales omnium rerum eſſe in rebus.

Reſp. diſt.ant. Multa ſiunt ſine ſemine animalis, prout ſemen limitatur ad ſignificandam ſolùm partem ſubſtantiæ animalis deciſam ab ip-

ſo generante,conc;ſine ſemine naturæ,quod importat aptitudinem materiæ ad recipiendam formam;& aptitudinem virtutis agentis ad formam introducendam,neg.

24 Obijc.4. Ratio ſeminalis importat potẽtiam ad recipiẽdam formam ſpecificam; ſed hæc potentia eſt forma generis ; nam genus eſt potẽtia ad ſuas differentias; ergo ratio ſeminalis importat formam generis.2.Illud, per quod introducitur forma ſpecifica,eſt ratio ſeminalis ; ſed per formam generis introducitur forma ſpecifica;nam forma generis eſt prior forma ſpecifica; prius autem eſt cauſa introductionis poſterioris; ergo ratio ſeminalis eſt forma generis. 3. Embrio,vt teſtatur *Phil.3.de Gen. animal. c.3*; priùs viuit vita plantæ; poſtea vita animalis; demum vita hominis; ſed ea,quæ ſunt priora ordine naturæ, ſunt cauſa,& ratio poſteriorum; ergo ratio ſeminalis eſt forma generis.

Reſp.ad 1.diſt. ma. Ratio ſeminalis importat potentiam paſſiuam realiter diſtinctam à forma ſpecifica,conc;ſed in hoc ſenſu neg.mi;nam forma generis non diſtinguitur realiter à forma ſpecifica;quia plures formæ in eodem compoſito naturaliter eſſe nequeunt. Importat potentiã paſſiuam indiſtinctam,neg. Ad 2.diſt. ma. Illud, per quod introducitur realiter forma, ẽt ratio ſeminalis,conc;ſed in hoc ſenſu neg.mi;nam forma generis nõ diſtinguitur realiter à forma ſpecifica. Illud, per quod introducitur forma ratione,& per intellectum,neg; ſic enim forma generis eſt id, per quod introducitur forma ſpecifica; at verò ratio ſeminalis eſt id, per quod realiter introducitur forma.Ad 3.dicitur, quòd vita plãtæ non eſt cauſa vitæ animalis; nec vita animalis vitæ hominis; ſed aptitudo, quæ eſt in materia exiſtente ſub forma plantæ eſt principium vitæ hominis; ſicut enim forma corrumpenda non eſt principium formæ introducendæ; hoc namque à nullo dicitur; ſed priuatio, quæ eſt in materia formæ corrumpendæ, eſt principium formæ introducendæ;ita forma plantæ,quæ corrumpitur, non eſt principium formæ animalis, quanuis illa præcedat, hæc ſequatur; & ſic dicendum de forma animalis reſpectu formæ hominis. Igitur diſt.mi.Quæ ſunt priora, & per ſe concurrunt ad generationem poſteriorum,conc; & per accidẽs cõcurrũt,vt forma plãtæ ad formã animalis,neg.

25 Obijc.5. Si ratio ſeminalis eſſet aptitudo ad recipiendum formam, ſequeretur tria eſſe principia in facto eſſe;nam illa aptitudo, quæ eſſet principium,remanet in compoſito; ſicut enim capacitas vaſis repleta ab aliquo liquore remanet in ipſo vaſe,non quidem vacua,ſed repleta; ita illa aptitudo,quæ nihil aliud eſt, quàm capacitas materiæ, remanet repleta forma; ergo ratio ſeminalis non eſt illa aptitudo.

Reſp.*Fund.Doct*;quòd licèt ratio ſeminalis importet aptitudinem ex ſuo cõceptu primario, & principali; attamen importat etiam carentiam formæ ex conſequenti, & ſecundariò, tanquam conditionem *ſine qua non*; vnde deficiente carẽtia formæ deficit eſſe etiam ratio principij. Neg. igitur ſeq.

A R T. XII.

Aſſeruntur alia Quæſita.

1 Cetera, quæ ad ſeptem dies ſpectant creationis,*hic* perſtringemus, quia nõ adeo controuerſa ſunt, nec tanti momenti; nec noſtrum, quod ſuſcepimus, onus eſt adamuſſim commentandi libros *Geneſeos*, ſed ſolùm principaliores explicandi controuerſias,atque hac occaſione,alia,quę affert *Beatiſs.P*;obiter inſinuãdi.

2 Quæres 1;quid ſignificet illud:*Et fecit Deus Firmamentum,diuiſitque aquas,quæ erãt ſub Firmamento,ab his,quæ erant ſuper Firmamentum*?

Antequam reſpondeamus,ſciendum,quòd nomine *Firmamenti hic* non intelligitur ſolum Cœlum ſydereum, quod eſt octaua ſphæra, in qua firmiter fixæ ſunt ſtellæ, vt intelligunt *Philoſophi*;habet enim *Scriptura*; quòd Deus poſuit in Firmamento Solem,& Lunam; conſtat autem Solem,& Lunam eſſe in alijs ſphæris diſtinctis à Firmamento;vt habet *Fund.Doct.in Hexam.p.2. c.17*;vnde accipi debet, prout importat omnes ſphæras cæleſtes. Præterea accipi non debet ſolùm pro ſphæris cæleſtibus, ſed etiam pro aere; qui pariter dicitur Cœlum;hinc aues aeris incolas *volatilia Cœli* appellantur; quapropter *Beatiſs.P.lib.imperf.de Gen.c.12*.ait:*In hoc loco,cùm dicitur Firmamentum Cœlum, intelligendum eſt omnem iſtam æthercam machinam diei*. Hoc nomen ergo eſt commune,ſicut animal,quod plura ſpecie diuerſa ſignificat.Et cùm ait *Moyſes*,quòd Deus poſuit luminaria in Firmamento, tunc Firmamentum ſumitur reſtrictiuè,pro vna tantùm parte;ſicuti cùm dicitur *animal riſibile*; tunc animal ſumitur reſtrictiuè pro vna tantũ ſpecie. Neque officit Firmamentum dici *à firmitate*, quod videtur non poſſe congruere aeri adeo inſtabili. Nõ officit,inquam; nam vt docet *Beatiſs.P.lib.2. c.10*;Firmamentum non dicitur à ſtabilitate; patet enim eſſe mobile;ſed dicitur, quia ſecundùm ſe totum nequit moueri extra limites, & terminos ſibi præfixos; dicitur ergo ſtabile ꝑpter perpetuã *intranſgreſſionem terminorum.Hoc ſupp.*

3 Reſp. prædictum *textum* quadrupliciter exponi,& has expoſitiones refert *Beatiſs. P. lib. 2.c.4;& ſeq*; nec improbat *omnes*.

Prima expoſitio eſt, cui ſubſcribunt *Pererius,& alij*;nomine *Firmamenti* diuidentis inter aquas,& aquas intelligi aerem diuidentem inter aquas,ſeu vapores exiſtẽtes in nubibus, & aquas maris. De hac expoſitione ſic loquitur *c.4. Ergo ex aere,qui eſt inter vapores humidos, vnde ſuperiùs nubila conglobantur, & maria ſubterfuſa, oſtendere ille voluit eſſe Cœlum inter aquam, & aquam. Hanc ergo diligentiam, conſiderationemq; laude digniſſimam iudico*.Ratio huius eſſe poteſt;

cùm enim terra egeat pluuijs ad ſui fœcũditatẽ, & pluuiæ non ſint niſi aquæ à terra ad aerem in vapores ſublatæ; ideo debuit Deus has aquas ab aquis exiſtentibus in terra aeris interſtitio ſeparare.

4 Secunda traditur *à Iuſtino mart.ad 93.qq. Orthod;Phil;Ioſepho, D.Baſil;Theodoret;D.Ambr; Gr̃nad,Seuer.Beda,& alijs* dicẽtibus veras aquas eſſe ſupra Cœlũ ſydereum;cùm enim Cœlum in hæc inferiora debeat influere humidum radicale,quo viuunt vegetabilia; ideo neceſſe eſt poni ſuper illud elementum humidum. Nec ratio,quã aſſerunt tenentes contrarium, conuincit; nam in tantùm negant aquas veras ſupra ſphæras cæleſtes,in quantùm aqua grauior eſt ſphæris; & omne graue ſuo pondere fertur ad ima;ſed aqua,licèt ſit grauior aere, attamen ita attenuatur in vapores,vt ſupra aerem feratur; ergo ita poteſt diuidi in minutias,vt leuior Cęlis ſupra Cęlos feratur; omne enim quantum eſt diuiſibile in infinitum. De hoc ſic ſcribitur *vbi ſup. Quanquam poſſit videri non impedire propria pondera elementorum, quomodò etiam ſuper illud ſublime Cælum poſſint eſſe aquæ per illas minutias, per quas etiam ſuper hoc ſpatium aeris eſſe potuerunt; qui quanuis grauior,& inferior ſummo cælo ſubiaceat, procul dubio leuior eſt aquis,& tamen, vt ſuper eum ſint vapores illi,nullo pondere prohibentur. Sic ergo,& ſuper illud Cælum poteſt minutioribus guttis leuior habitus humoris extendi,qui pondere cadere non cogatur.Ipſi quippe ſubtiliſſima ratione perſuadent nullum eſſe quãtũlibet exiguum corpuſculum, in quo diuiſio finiatur, ſed infinitè omnia diuidi, quia omnis pars corporis corpus eſt,& omne corpus habeat neceſſe eſt dimidium quantitatis ſuæ.*

5 Contra hanc rationem inſt.ex *Fund.Doct. in Hexam.p.2.c.14.* Non videtur conſonum his, quæ videmus,quòd aqua manens aqua veniat ad tantam raritatem,quanta eſt raritas ignis; ergo multò magis ad maiorem raritatem,quàm ſit raritas Cœli; ergo propter ſuam grauitatem videtur non poſſe poni ſupra Cælos. Addit *Perer.* non eſſe poſſibile ita extenuari aquam, vt Cœlũ penetret, quod ſolidiſſimum, & ſine poris continuiſſimũ eſt;tum quia iſti vapores deberent tranſire per regionem ignis aeri ſuperfuſam;qui illos prorſus abſumeret.Tandem quia terminus naturalis eorum,quæ ſurſum rapiuntur,eſt citima orbis Lunaris extremitas; ad quam ſolùm peruenit ignis omnium corporum leuiſſimus.

Reſp; quòd cùm *Beatiſs. P.* referat has ſententias tanquam alienas,non tanquam proprias, *Fund.Doct.* magis approbat quartam, quàm ceteras;& ideo affert,quod dici poteſt,contra iſtã. Ad quam obiectionem dici poteſt *cum eodem Beatiſs.P*; quòd eadẽ ratione, qua videmus aquã licèt aere grauiorem, ad maiorem raritatem, & leuitatem manendo aquam peruenire, quàm ſit raritas,& leuitas aeris, qui ijſdem gradibus diſtat ab aqua,quibus ignis diſtat ab aere; arguitur poſſe etiam peruenire ad maiorem leuitatem, & raritatem,quàm ſit leuitas,& raritas ignis. Sicut ergo primum, licèt videatur diſſonum his, quæ videmus, cùm grauiora ſub leuioribus tendere inſpicimus;attamen verum eſt; ita & ſecundum. Ad *Perer.* dicitur;quòd hæc ſententia non aſſerit de facto attolli aquas ſupra Cœlum ſydereum; quia ſic deberent tranſire per ignem, & Cœlum penetrare;ſed tantùm air in prima rerum diuiſione,cùm omnia in vnum *Chaos* confuſa miſcebantur,priùs ſublatas eſſe aquas, deinde Cœlum ſydereum illas diuidens ab aquis terreſtribus; ſic enim non debuerunt tranſire,nec penetrare. Ad aliud dicitur,quòd ſicut terminus naturalis ignis eſt citima orbis lunaris extremitas; ita terminus naturalis aquæ eſt citima aeris extremitas; ergo ſicut aqua tollitur ſupra aerem, ita poteſt tolli ſupra ignem,& Cœlum; ergo hæc ratio ſubſiſtit. Præterea ſi ignis eſt leuiſſimus omnium corporũ; quomodò Cœlum, quod procul dubio corpus eſt,ſupra ignem eſſe poteſt; & non aqua ſupra Cęlum,etſi leuius ſit aqua? Sed hæc ſententia, nec approbatur, nec reprobatur.

6 Tertia expoſitio eſt nomine *aquarum* intelligi *Saturni* ſtellam, quæ frigidiſſima eſt, quia lentiſſimo motu rotatur; nam triginta annorum ſpatio ſigniferum peragit circulum, quem Sol vno anno,& Luna vno menſe circumit.

7 Hæc tamen reijcitur *à Beatiſs.P.c.5*; nam licèt motus naturalis Stellæ Saturni ſit lentiſſimus,attamen motus violentus, quo quotidie rapitur ab occidente in orientem,eſt velociſſimus, quia maius ſpatium loci debet permeare eodem tempore, quo illud permeãt ceteri planetæ inferiores;videmus enim, quòd cùm moles rotunda circulari motu agitur, velociùs mouentur exteriora, quàm interiora;ſed motus velocior cauſat intenſiorem calorem; ergo Stella *Saturni* propter motum raptus calidior, & feruentior eſt ceteris Stellis. Ait ergo. *Nam procul dubio cùm rotunda moles circulari motu agitur, interiora eius tardiùs eunt, exteriora celeriùs; vt maiora ſpatia cũ breuioribus ad eoſdem gyros pariter occurrant; quæ autẽ celeriùs,vtique feruẽtiùs.Proinde memorata Stella magis debuit calida eſſe,quàm frigida. Quanuis enim ſuo motu (quoniam grande ſpatium eſt) triginta annis totum ambitum permeet; tamen Cæli motu in cõtrarium rotata velociùs; quod quotidiè neceſſe eſt patiatur,quoniam ſicut dicunt, Cæli ſingula conuerſiones dies ſingulos explicant, calorem maiorem debuit Cælo concitatiore concipere.*

8 Quarta expoſitio eſt, quam amplectitur; *Fund. Doct. in Hexam. p.2.c.14; D. Bonau. in 2. diſt.14; Lyran,Toſtat; Caiet;& alij*: nomine aquarum ſupercæleſtium ſignificari Cælum criſtallinum, quod propterea vocatur Cælum aqueum, quia nihil aliud eſt, quàm puriſſima quædam aquæ quinta eſſentia glaciali ſoliditate concreta, quæ,ac ſi eſſet fluuida,trepidare videtur,& trepidationem in his inferioribus cauſat *iuxta Tolomeum;*

meum;

meum;& dicitur glacialis propter perſpicuitatẽ, ſoliditatẽ, & frigiditatem,quam habet effectiuè, non formaliter. De hac loquitur *Beatiſs. P. vbiſ. c.5. His quidam noſtri coniecturis agunt aduerſus eos, qui nolunt aquas ſuper Cælos credere, & volũt eam Stellam*(Supple *Saturni*)*eſſe frigidam, quæ iuxta ſummum Cælum circuit, vt ex hoc cogantur aquarum naturam credere, non iam illic vaporali tenuitate, ſed glaciali ſoliditate pendere. Quoquomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minimè dubitemus, maior eſt quippe Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.*

9 Inſt.*Perer.* Non eſt credibile *Moyſen* narratione tam breui tripliciter variare ſignificationem huius vocis *aquæ*, vt ſumatur pro elemẽto aquæ, pro natura ſpiritali, & pro Cælo cryſtallino. Præterea *Moyſes* ſcripſit hãc hiſtoriam *Hebrais* rudibus, & incapacibus rerum inuiſibiliũ; & ideo non debuit nominare Cælum cryſtallinum, quod fuit incognitum vſque ad *Hyparchi*, vel *Tolomei* tempora. Item perabſurda locutio eſt appellare aliquid aquam propter perſpicuitatem, & frigiditatem; aliter vitrum, & lactuca aqua poſſent dici. Tandem Cælum non agit in hæc inferiora, niſi per motum, & lucem; ergo non eſt neceſſe ponere aquas, vt per illas influat frigiditatem.

Reſp.ad 1; quòd hęc eſt natura nominis cõmunis, vt plura ſignificet, vt patet de animali; cũ ergo *aqua* ſit nomen commune, vt *ſup.* diximus, ideo plura poteſt ſignificare. Sed quomodò *Perer.* ait nomine *Cæli* modò ſignificari ſphęras cęleſtes, modò aerem; vt cùm dicitur *volatilia Cæli*, quod tamen ſignificauit *Moyſes* tam breui narratione? Ad 2. dicitur, quòd ſi *Moyſes* non debuit narrare niſi res viſibiles, debuit tacere omnes Cœlos, & præſertim Cęlum Empyreum, quod à nullo videtur multò minùs, quàm Cœlum cryſtallinum, ſupra quod eleuatur, & tamen aſſerit *Perer.* nomine *Cæli* creati prima die *Moyſen* ſignificaſſe Cœlum Empyreum. Pręterea maieſtas *Scripturæ* exigit, quòd ita capiatur à rudibus, vt tamen nutriat etiam intelligentiam Sapientum; & ideo non ſolis *Hebrais*, ſed etiam nobis conſcripta eſt *à Moyſe*. Ad 3. dicitur, quòd vitrum, & lactuca aqua dici non poſſunt, quia componuntur ex terra ſecundùm maiorem partem; at verò ſi Cœlum cryſtallinum ex puriſſima aquæ ſubſtantia glacialiter compactum eſt, aqua rectè dicitur, quia ex aqua inſpiſſata cõponitur. Ad 4. dicitur *Ariſt.* velle Cœlũ nõ agere, niſi per motum, & lucem, tanquam per vehicula, quibus defert influxus ad omnes mundi partes; non tamen negauit agere per calorem, & ideo nec per frigus, cùm hæc ſublunaria aliqua per calorem, & alia per frigus generentur. Nec officit, quòd illa virtus tranſeat per ſphæram ignis; cùm enim illa virtus non ſit formaliter frigus, ideo nec igne abſumitur; nec frigidiorem reddit regionem viciniorem Cælo cryſtallino; quia illa virtus non frigefacit niſi ſubiecta capacia frigiditatis; Cæli autem propinqui non ſunt capaces frigefieri, ſecus eſſent corruptibiles, quia eſſent ſuſceptiui primarum qualitatum contrariarum.

10 Quæres 2; cur in productione *Firmamenti* additur; *& fecit Deus Firmamentum &c; & factum eſt ita*; quod tamen non additur in productione lucis?

Reſp.*Beatiſs.P. ibid.c.8.* in productione *lucis* non dici: *Et fecit Deus &c*; quia natura Angelica ſignificata per lucem non fuit perfectè formata ſtatim, ac creata eſt; non enim fuit formata, niſi quando conuerſa eſt ad Deum Creatorẽ ſuum; quod non fuit niſi in tempore; at verò cetera fuerunt formata, & perfecta in ſe ipſis ſtatim, ac producta ſunt.

11 Quæres 3; an Luna fuerit creata in primo quadrante; vel in quartadecima?

Reſp.*idem ibid. c. 15. aliquos* velle fuiſſe productam in primo quadrante; ordo enim numeri exigit, vt incipiatur à primo, & progrediatur ad ſecundum, tertium, & quartum; & *Deus fecit omnia in numero, pondere, & menſura*; nullus autem eſſet ordo, ſi quis inciperet à quarto; tunc enim quartum non eſſet quartum, ſed primum, quia non haberet ante ſe alium numerum; *alios* verò velle productam fuiſſe in quartadecima cũ plenitudine lucis; quia Deus creauit naturas rerum perfectas; Luna autem non eſt perfecta, niſi in quartadecima, quia tunc eſt cum plenitudine lucis. Tum quia habet *Scripturæ* Lunam factam fuiſſe in inchoationem noctis; tunc autem Luna videtur in inchoatione noctis, cùm plena eſt. Sed contra primum eſt, quòd terra priùs fuit facta inanis, & vacua, & poſtea fuit ornata: ergo à pari; non enim eſt aliquod inconueniens dicere, quòd Deus creauerit aliquod imperfectũ, quod poſtea ipſe perfecerit; eſſet tamen inconueniens, quòd ipſe illud non perfecerit. Tum quia Luna ſemper eſt plena lumine, etiam ſi corniculata nobis appareat; ſic enim apparet, quia non eſt tota ad terram conuerſa; vmbra enim terræ impedit, vt tota videatur. Siue ergo (ait *Beatiſs.P.*) dicatur primum, ſiue ſecundum, fecit Deus Lunam perfectam.

12 Quæres 4; quem ordinem ſitus habuerint elementa inter ſe?

Reſp.*idem ibid. à c.1. vſque ad* 5; quòd terra, vtpotè grauior omnibus alijs, infimum locum tenet; aqua, vtpotè grauior aere, & igne, tenet locum ſub illis; aer, vtpotè grauior igne, eſt ſub illo; ignis verò, vtpotè leuiſſimus omnium elementorum, tenet locum ſupra omnia elementa.

13 Quæres 5; quot ſint genera animalium terreſtrium?

Reſp.*lib.3.c.11.* eſſe quatuor enumerata in *Scriptura*, ſcilicet quadrupedia, reptilia, beſtiæ, & pecora. Nomine *reptilium* ſignificantur omnes ſerpentes. Nomine *beſtiarum* ſignificantur omnia

nia

nia illa animalia, quæ ore, vel vnguibus ſæuiunt, vt leones, lupi, tygrides. Nomine *pecorum* ſignificatur omnia animalia, quæ vſui hominum inſeruiunt, vt oues, boues, equi; & nomine *quadrupedium* ſignificantur cetera animalia, quæ neque ſæuiũt in hominem, neque ſunt ſub hominis cura, vt damulæ, onagri, & apri.

14 Quæres 6; cur de animalibus dictum ſit *ſecundùm genus ſuum*, non autem de homine?

Reſp. *ibid. c.* 12. ideo dictum eſſe de animalibus, quia fuerunt creata ita, vt *ex eis alia naſcerentur, & originis formam ſucceſſione ſeruarent*; at verò de homine hoc dictum non eſſe; *quia non ita Deus fecerat hominem, vt moreretur, ſi præceptum ſeruare voluiſſet; & ideo non erat neceſſarius deceſſori ſucceſſor.*

15 Sed dices. Si homo non erat mortalis, quomodò neceſſarius erat ei cibus, qui ſolùm neceſſarius eſt ad mortem arcendam, & vitam ſeruandam?

Reſp. *c.* 21. fuiſſe hominem immortalem, & tamen eguiſſe cibo; quia talis immortalitas ita ordinata erat, vt cibo ſeruaretur.

16 Quæres 7; cur Deus benedixerit animalia aquarum, ſicut benedixit hominem; non autẽ animalia terræ, aut herbas, & plantas?

Reſp. *ibid. c.* 13. Deum benedixiſſe ſolùm ea, quæ ſenſu prædita ſunt, & habent aliquem generandæ prolis affectum; vt ex tali benedictione confortaretur, & creſceret talis affectus ad prolem; & ideo herbæ, & plantæ, cùm ſenſibus careant, & amoris ſint incapaces, tali benedictione non eguerunt. Animalia autem terræ tunc non fuerunt benedicta; quia ſatis fuit benedici animalia primò nominata, vt ſunt animalia aquarũ, vt intelligerentur benedici & reliqua. Neceſſarium verò fuit repetere benedictionem in homine, vt oſtenderet *in officio gignendi filios nullã eſſe peccatum, ſicut eſt in libidine ſiue fornicandi, ſiue ipſo coniugio immoderatiùs abutendi.*

17 Quæres 8; an animalia, quæ generantur ex cadauerum putrefactione; aut quæ poſt peccatum hominis creata ſunt ad vindictam, vt ſunt animalia venenoſa, & pernicioſa, producta ſint in prima rerum conditione?

Reſp. *ibid. c.* 14. animalia, quæ de animalium corporibus gignuntur, non eſſe producta ſimul cum ipſis animalibus, de quibus naſcuntur, ſed ſolùm radicaliter, & ſeminaliter; non enim ipſa animalia fuerunt producta putrida, aut mortua; ſed ſolùm potentialiter corruptibilia. Animalia verò venenoſa, & noxia fuerunt ſimul creata; quamuis non ceperint nocere niſi poſt peccatũ. Et idem ait de ſpinis, & tribulis, quæ fuerunt ſimul producta cum alijs plantis; quia in iſtis, & illis ſunt multæ vtilitates ipſius hominis, vt ſint medicinæ, & faciunt ad Vniuerſi decorem; verũ tamen non ceperunt cruciare niſi poſt peccatũ.

18 Si dicatur. Vnum animal ſæuit in aliud illud manducando; & tamen illud non habet peccatum.

Reſp. *ibid. c.* 16. hoc eſſe, quia vnum eſt cibus alterius. Præterea hoc factum eſt, vt homo admoneretur, quantùm ſibi ſatagendum ſit pro vita æterna, videns quantùm laborant animalia, ne veniant in refectionem alterius.

Sed ſi animalia ſæuiunt in homines viuos ad vindictam, cur dilaniant etiam corpora mortuorum in eſcam?

Reſp. *c.* 17; vt mirabilis omnipotẽtia Creatoris appareat, cui corpora, quocunque modo deſtruantur, rurſus reformanda ſeruantur; & rurſus admoneatur homo, vt ſe præparet ad omnia mortis genera non timenda, & nullam curam corporis inaniter oſtendat.

19 Quæres 9; in quo factus eſt homo ad imaginem Dei?

Reſp. *ibid. c.* 20. ſecũdùm partem rationalẽ; ſtatim enim ſubiunxit: *Et habeat poteſtatem piſcium maris, & volatilium Cœli, &c. Vt intelligamus, in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit; id autem eſt ratio, vel mens.*

20 Quæres 10; cur Deus poſt creationem hominis immediatè nõ dixit: *Et vidit Deus, quia bonum eſt*; ſicut dixit de beſtijs, & pecoribus ſingillatim; ſed ſolum hoc dixit in communi poſt creationem omnium animalium ſexto die productorum?

Reſp. *c.* 24; quia præſciebat hominem peccaturum, nec permanſurum in ea bonitate, quam acceperat. Quia tamen Deus ordinator eſt etiam malorum, ideo ordinans peccata ad decorem Vniuerſi dixit in communi: *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; quoniam etſi malus futurus erat homo ſingillatim ſumptus; attamen totum Vniuerſum bonum erat, quia illud malum ad decorem illius ordinatum erat; vt ſic nihil inordinatum maneret.

21 Quæres 11; quomodò Deus requieuerit in die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat; & cur benedixerit, & ſanctificauerit diem ſeptimum, & non alios dies, in quibus aliquid operatus ſit; ſic enim nobis innuiſſet opera bona nos ſanctos efficere; & cur diei ſeptimi non nominetur veſpera?

Reſp. *lib.* 4. *c.* 9. quòd requieuit die ſeptimo, idẽſt fecit, vt creatura rationalis, quam die ſexto creauerat, in ipſo requieſceret; ſicut intelligitur illud *Gen.* 22. *de Abraham: Nunc cognoui, quòd timeas Deum*; idẽſt feci, vt cognoſceretur te timere Deum. Præterea quoniam rectè dicitur, quòd ſicut Deus requieuit poſt opera ſua valde bona; ita nos poſt opera noſtra bona requieſcemus; inquiri poteſt de quiete ipſius Dei, non de noſtra, & in hoc ſenſu *requieſcit*, idem eſt, ac *ceſſauit* ab omni opere. Sed quomodò ceſſauit ab omni opere; *Pater vſque nunc operatur, & ego operor*; vt habetur *Io.* 5. Reſp. *c.* 12; quòd ceſſauit ab omni opere, idẽſt à condendis nouis generibus creaturarum; vltra enim iam creata, non poteſt ſe-

ſecundùm hunc ordinem alia creare; aliter die ſexto omnia non conſũmaſſet; vt habet *lib.5.c.2;* non autem ceſſauit ab adminiſtratione creaturarum iam productarum ſecundùm ſua genera; & in hoc ſenſu *Vſque nunc operatur*. Nullum autẽ operis ſui,ſed tantùm quietis diem benedixit,& ſanctificauit;vt oſtenderet ſe beatum eſſe tantùm in ſeipſo,non in ſuis operibus; cùm in ſe ipſo, non in creaturis,requieſcat;quies enim ad beatitudinem ſpectat; & ſic creaturam rationalem, quam ſexto die creauerat,fore ſanctam, & beatã tãtùm,cùm in Deo requieuerit. *Ibid.c.14;& ſeq.* Propterea numerus ſeptenarius dedicatus eſt Spiritui Sancto,cui ſanctificare appropriatur; vt habet *lib. 5. cap.5.* Poſtremò non nominatur veſpera; nam quies Dei initium non habet, nec finẽ;qui quia ſine fine durabit.*Ita c.18;& ſeq.*Cur autem ceſſauerit ab omni opere die ſeptima,non die octaua;reſpõdet *lib.11.de Ciu.Dei c.31*;quòd numerus ſeptenarius deſignat vniuerſitatem, quia componitur ex quaternario, & ternario; omnis autem primus numerus totus impar ternarius eſt; & primus totus par quaternarius eſt; numerus enim par eſt, qui diuiditur in duos numeros,& impar, qui ſic nequit diuidi. Die ergo ſeptimo ſignificante vniuerſitatem ceſſauit, ab vniuerſo opere,quod patrarat.

22 Sed dices. Si Deus ſeptimo die requieuit ab omni opere, quod patrarat ita,vt nihil ex his,quæ patrarat in ſex diebus, penitus operatus ſit; quomodò potuit eſſe ſeptimus dies;cùm dies ſit opus,& creatura Dei, qui eſt factor omnium temporum, ex quibus dies formantur?

Reſp. *ibid.c.20. in fine* ſeptimum diem non eſſe nouam creaturam diſtinctam ab alijs diebus, ſed ſeptimam repetitionem primi diei accepiſſe diei ſeptimi nomen; ex quo concluditur illos nõ fuiſſe dies corporales ſpatiorum temporalium interuallis diſcretos.

23 Quæres 12; quomodò intelligendum ſit illud: *Fons aſcendebat è terra irrigans vniuerſam faciem terræ?*

Reſp.*lib.5.c.9;&* 10.dupliciter intelligi. 1. ita,vt vnus fons irrigaret totã terrã ſtatutis anni temporibus; quemadmodum Nilus aliquando excreſcit ad irrigandam *Aegyptum*; & aliquando ad ſuum ſe alueum reſtringit. 2. ita, vt illud nomen *fons* in ſingulari ponatur pro plurali; ſicut dicitur miles pro militibus;& locuſta,& rana comedens fructus *Aegyptiorum* pro locuſtis, & ranis; & hoc ait eſſe credibilius; videmus enim, quòd aliquando erumpunt à montium iugis aquarum eluuies,quę ex abyſſu per tubos ſubterraneos eleuantur ad altiora montium cacumina ad irrigandam eam terræ partem, in qua nec defoſſis antea altiſſimis foueis, & puteis aqua inueniri potuerit.

24 Inſtat *Pererius* hanc doctrinam doctorũ hominum reſpui fide; incredibile enim videtur, quòd fontes niſi hominis artificio poſſint aquas deriuare, quocunque opus eſt. Illa ergo vox *fons* deriuatur ab *Ed*, quòd *Hebraicè* ſignificat vaporem,ſeu nubem;ex qua generantur pluuiæ, quæ irrigant totam terram.

Reſp.*ibid.c.9*; quòd ſicuti Nilus ſine hominis artificio modò eleuatur,modò ad terræ abyſſum demergitur;*cur ergo ſit incredibile, ſi ex vno abyſſi capite alterna inundatione fluente,atque refluente tunc vniuerſa terra rigata eſt?* Et paulò poſt: *Quis non accipiat, niſi qui contentioſo ſpiritu laborat?* Contendat ergo *iſte Recens* malè verti à *D. Hier.* doctorum hominum iudicio. Et qui erunt iſti homines docti; qui calluerint linguam *Hebræam* magis, quàm *D. Hier*; & illi *Rabbini*, quos conſuluit,& adhibuit in hac verſione? Profectò ſi fidei hominum doctorum ſtandum eſt; potiùs *D. Hieronymo*, & *Hebræis* ab ipſo conſultis credendum eſt, quàm *Euſebio*, & *Theodoreto*, quos nec fama eſt calluiſſe Hebraicũ idioma.

25 Quæres 13; in qua ætate *Adam* formatus ſit?

Reſp.*lib.6.c.13;& ſeq.* fuiſſe formatum in ſtatu *perfectæ virilitatis*; non enim fuit formatus in vtero matris,ſed de limo terræ,& ideo in ætate,qua poterat Deum,& alia cognoſcere.

26 Quæres 14;an *Adam* fuerit formatus cũ corpore animali, & per conſequens mortali, vt habemus nos;vel potiùs cum corpore ſpiritali,& immortali, vt habebimus in reſurrectione vniuerſali ita, vt ſolùm per peccatum mortalis effectus fuerit?Et videtur,quòd non fuerit factus cũ corpore animali; nam per Chriſtum renouamur ad id,quod in Adam ante peccatum eramus; ſed per Chriſtùm renouamur ad vitam immortalem; ergo in Adam eramus ſpiritales, non animales. Tum quia *Luc.10.*filius *Prodigus* ſtolam primam reuertendo ad Patrem recepit, idèſt immortalitatem,quam perdidit *in Adam*, recuperauit. Tũ quia *Apoſt.* Rom. 8: *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*; ergo *Adam* non fuit formatus cum corpore animali.

Reſp. *lib.6.c.19; & ſeq;* vbi proponit hanc quæſtionem,quòd immortalitas duplex eſt; alia, qua homo non poteſt mori ex beneficio naturæ, & hæc ei conuenit in reſurrectione per Chriſtũ, in qua Beati non poſſunt mori, quia natura ipſorùm beneficio Chriſti immortalis facta eſt. Dicitur autem corpus animale ſeminatum reſurgere ſpiritale, quia corpus in reſurrectione viuit vita ſpiritus;ſicut anima in corpore viuit vita corporis;& ſicut vita corporis non habetur, niſi per cibos,quibus alitur corpus,ita vita ſpiritus, qua viuit vita in Beatis, habetur ſine cibo, ſine quo viuit ſpiritus. Alia eſt immortalitas, qua homo poterat non mori,nõ quidem conditione naturę, ſed beneficio Conditoris, qui prouidit aliquem cibũ,quo continuò reparabatur vita, vt erat fructus ligni vitæ in medio Paradiſi plantati, cuius eſu *Adam* ſibi poterat vitam perpetuare. Prima immortalitas eſt ſpiritalis,quã non habuit *Adam*,

vt docet *Apoſt.1. Cor.15. Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem; nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantē.Sed non primum,quod ſpiritale eſt,ſed quod animale, poſtea ſpiritale. Primus homo de terra terrenus,ſecundus homo de Cælo Cæleſtis*;& paulò poſt. *Imaginem ergo Cæleſtis hominis nunc ex Fide portamus habituri in reſurrectione,quod credimus; imaginem autem terreni hominis ab ipſo exordio humana generationis induimus.* Quibus declarat nos in Chriſto ſolùm aquirere immortalitatem ſpiritalem. Tum quia ſi Adam fuiſſet creatus ſpiritalis, non animalis, non indiguiſſet cibo ad conſeruandam vitam, quod tamē tradit *Scriptura*. Tum quia non potuiſſet mori, neque peccare,vt dicitur de Beatis.Alia immortalitas eſt animalis, quæ conſtituitur continua ciborum comeſtione habentium virtutem continuò reparandi vitam animalis, & hanc habuit *Adam*,quia prouiſus fuit de ligno vitæ,cuius fructibus poterat perenniter viuere;quo tamen priuatus eſt per peccatū,& mortalis factus eſt; poſtquam enim peccauit,eiectus eſt de Paradiſo,*ne ſumeret de ligno vita,& comedat,& viuat in aternum*; vt habetur *Gen.3.* Si autem non peccaſſet, immortalitatem animalem, quam habuit,mutaſſet in immortalitatem ſpiritalem. *Vid. Beatiſſ.P. lib.de Cor,& Grat.c.12; & in ſuppl. cont. Iul,* vbi redarguit *Pelagianos* aſſerentes *Adam* fuiſſe factum mortalē, & ideo mortem in nobis non eſſe effectum peccati originalis, ne ex hoc cogerentur ipſū peccatū originale in paruulis admittere.

27 Ad 1. rationem dubitandi ait *Beatiſs.P.* quòd renouari dicimur, quia recipimus iuſtitiā, quam per peccatum perdidimus in *Adam.* Ad 2. ait, quòd redditur nobis ſtola immortalitatis, quam perdidimus in præuaricatione primi parētis,vt dicitur de *Prodigo* figurante peccatorem redeuntem per Chriſtum ad vitam; & vt recitat quotidie Sacerdos celebraturus, cùm induit ſe ſtola;redditur, inquam, ſtola immortalitatis maiori beneficio, quia redditur immortalitas ſpiritalis, qua non poſſumus mori,pro immortalitate animali, qua *Adam* poterat non mori; & ratio huius eſt,quia *ſicuti abundauit delictum; ita ſuperabundauit, & gratia*; ergo ſi gratia Chriſti Domini ſuperabundauit, maius debet eſſe illud beneficium, quod nobis redditur per gratiam, quā illud, quod amiſimus per peccatum; ſed maior eſt immortalitas ſpiritalis,quàm animalis; ergo illa,& non iſta nobis redditur.

28 Quæres 15;an anima *Ada* facta fuerit ex aliquo ſubiecto præiacente,vel creata fuerit?Cū enim dictum ſit omnia ſimul creata fuiſſe,& Deū omnia opera conſummaſſe ſexto die,atque adeo poſt illos dies ſolùm adminiſtrare materiā creatam *vſque nunc* operando,videtur poſſe dubitari de animæ creatione, quam diximus productam fuiſſe poſt illos ſeptem dies.

Reſp.lib.8. per totum; vbi poſtquam dixit animam non fieri ex materia, quia omne, quod ſit ex materia,materiale eſt,& corporeum,anima autē incorporea eſt; neque fieri ex materia ſpirituali,quia ſic fieret ex Angelo,nulla enim alia natura ſpiritualis præter Angelicā creata eſt primo die,ex qua fieri poſſet anima, ſed ex Angelo nequit eſſe facta, aliter eius ſubſtantia diuideretur;& moueretur; Angelus autem eſt indiuiſibilis,& impartibilis, quia caret quantitate molis, cùm non ſit corpus, & *nullum impartibile mouetur iuxta Phil*; ergo anima *Ada* creata eſt à Deo. Cùm autem dicitur omnia ſimul creata eſſe in primo inſtanti,reſpondet omnia ſimul creata eſſe ſecundùm genera eorum, ſiue in ſuis generibus,non tamen ſecundùm indiuidua; ſic concludit *c.vlt.Qui,& conſummauerit ea propter omnium generum terminationem,& incboauerit propter ſæculorum propagationem.*

29 Quæres 16; an Paradiſus, in quo Deus poſuit *Adam*,quem formauerat,ſit literaliter accipiendus?

Reſp.affirmatiuè *lib.8.c.1;2;& 3*; fuit enim locus amæniſſimus fructuoſis nemoribus opertus, magnus, ac magno fonte irrigatus, delicijs plenus, & plantatus *in Edem* verſus orientem. Et ratio huius eſt; quia homo productus à Deo literaliter intelligitur; fuit enim pater omnium hominum,& vixit multo tempore ſuper terram; ergo & locus, in quo poſitus fuit, literaliter eſt accipiendus; quilibet enim homo propriè eſt in loco,vt conſtat;& ideo paradiſus, qui fuit locus *Ada*, propriè, non figuratè eſt accipiendus. Et quanuis etiam figuratè ſumi poſſit; non tamen ſequitur,quòd vltra ſenſum figuratum, non habeat etiam literalem;ſicuti licèt *Sara*, & *Agar* figuratè ſignificent duo teſtamenta;attamen non ſequitur, quòd non fuerint duæ mulieres ſecundùm proprietatem.

30 Quæres 17;an lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni,& mali accipienda ſint literaliter?

Reſp.ibid.c.4;& ſeq. lignum vitæ accipi literaliter pro arbore producente fructus, quibus corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur virtute ſalubritatis ſibi indita à Deo; ſignificare autē figuratè Chriſtum Dominum, qui eſt *lignum vita in paradiſo ſpiritali,quo miſit de cruce latronē*. Et ſic dicendum arborem ſcientiæ boni, & mali fuiſſe veram arborem corporalem;vocata autem eſt ſcientiæ boni,& mali;quia *Adam* comedendo fructum illius,tranſgreſſus eſt præceptum;*in quo* (inquit *Beatiſs.P. c. 6.*) *per experimentum pœna diſceret,quid intereſſet inter obedientia bonum, & inobedientia malum.*Illa autem arbor non fuit cibo noxia ſecundùm ſe; *neque enim (ibid.) qui fecerat omnia valde bona, in paradiſo inſtituerat aliquid mali; ſed malum fuiſſe homini tranſgreſſionem præcepti.*

31 Quæres 18; quomodò *Adam* poterat operari,& cuſtodire paradiſum; videtur enim, quòd operari eſt cum labore; & labor non fuit inflictus *Ada* niſi poſt peccatum. Præterea quo-

mo-

modò poterat cuſtodire paradiſū, ſi nullus erat, qui poſſit eum vaſtare, vel ſpoliare?

Reſp. *c.8; & ſeq*; quòd agricultura nedum eſt ad laborem, ſed etiam ad animi voluptatem, ac delectamentum; & in hoc ſenſu debebat *Adā* ante peccatum operari in paradiſo. Ad aliud dicit *c.10*; quòd debebat cuſtodire paradiſum ſibi, ne perderet tranſgrediendo præceptum; ſed ſicut ager ei obtemperabat; ſic ipſe Deo obediendo paradiſum ſibi ſeruaret.

32 Quæres 19; cur *Moyſes*, quoties Deum nominare contigit, nūquam poſuerit *Dominū*, niſi cùm hominem in paradiſo locauit?

Reſp. *ibid. c.11*. hoc factum eſſe ad commonendum hominem, quantùm illi expediat habere Dominum Deum, hoc eſt ſub Dei dominatione obedienter viuere; ab hoc enim & ſalus propria, & vtilitas, & felicitas illius pendebat.

33 Quæres 20; an præceptum de non comedēdo fructum arboris ſcientiæ dederit ſoli *Adæ*, tunc enim *Eua* non erat formata, vt narrat *Scriptura*. Et ſi hoc; quomodò præceptum, quod dedit in ſingulari: *Et præcepit Dominus Deus Adæ*; concludit in plurali dicens: *Qua die autem ederitis, morte moriemini*; vt habent 70. *Interpretes*?

Reſp. *ibid. c.17*; quòd præcepit vtrique; præcepit autem in ſingulari; ſciens, *quòd facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatiſſimè, vt per virum præceptum Domini ad fæminā perueniret*.

34 Quæres 21; an Deus tunc locutus fuerit corporaliter, vel ſpiritaliter?

Reſp. *ibid. c.18*. probabilius eſſe, quòd locutus fuerit corporalibus ſonis; ſicut poſtea locutus eſt *Abrahæ*, & *Moyſi*; idēſt in aliqua ſpecie corporali; ſcriptum enim eſt, quòd *audierūt eius vocem ambulantis in paradiſo ad veſperam*; quæ verba potiùs indicant vocem corporalem, quàm ſpiritalem. Locutio autem Dei (inquit *c. 27.*) *aut eſt per ſuam ſubſtantiam, aut per ſibi ſubditam creaturam; ſed per ſubſtantiam ſuam non loqui niſi ad creandas omnes naturas*; *ad ſpiritales verò, & intellectuales non ſolùm creandas, ſed etiam illuminandas*; *cùm iam poſſunt capere locutionem eius, qualis eſt in Verbo eius, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod facta ſunt omnia. Illis autem, qui eam capere non poſſunt, cùm loquitur Deus, nonniſi per creaturam loquitur, aut tantummodò ſpiritalem, ſiue in ſomnis, ſiue in extaſi ſimilitudine rerum corporalium; aut etiam per ipſam corporalem, dum ſenſibus corporis, vel aliqua ſpecies apparet, uel inſonant voces.*

35 Quæres 22; ad quam rem fieri oportuit *Eua* in adiutorium *Adæ*?

Reſp. *lib.9. c.2; & 3*. propter filios procreādos, & implendam terram; habet enim *Scriptura*: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*; & ideo etianſi non fuiſſet peccatum, adhuc fuiſſent innocentes nuptiæ, & thorus immaculatus in paradiſo ſine vllo ardore libidinis, & dolore pariēdi; non tamen, vt morientibus parētibus filij ſuccederent; quia nullus mortuus fuiſſet, ſed omnes vixiſſent, vſquedum impletus eſſet numerus hominum creandorum; & poſtea tranſlati fuiſſent ad vitam ſpiritalem immortalem; in qua corpus viuit vita ſpiritus ſine vllis alimentorum corporalium ſubſtentaculis; ſicut tranſlati ſunt *Elias*, & *Henoch*. Non enim dici poteſt, quòd *Eua* fuerit formata in adiutorium operandi cauſa terram; nondum enim erat labor, vt adiumento indigeret, quod datur ad ſubleuandum laborem.

36 Quæres 23; an *Adam*, & *Eua* coiuerint, antequam exierint de paradiſo?

Reſp. *ibid. c.4*. negatiuè; quia nondum Deus iuſſerat, vt coirent; cùm enim nullus tunc eſſet ſtimulus carnis, expectandum erat diuinum præceptum; ideo autem non iuſſerat Deus, quia præuidebat eos in ea felicitate non fore permāſuros; & conſequenter prolem innocentem non habituros; quam ſi innocentem concepiſſent, innocenter non aluiſſent. Ne igitur alimentatio conceptioni incongrueret, permiſit, vt caderent, antequam filios conciperent. Vel non coiuerūt; quia paruum tempus inter eorum creationem, & lapſum interceſſit; quod tempus debuerunt inſumere in ijs, quæ ad proprium ſtatum ſpectabant, non quæ ad ſtatum filiorum, quos debebant progignere.

37 Quæres 24; cur *Eua* ex latere *Adæ* formata ſit?

Reſp. *ibid. c.13*. ad commendandam maximam vnionem, & coniunctionē viri cum vxore.

38 Quæres 25; cur Deus ſoporauit *Adam*, antequam formaret *Euam*?

Reſp. *ibid. c.19*; *vt ipſius mēs per extaſim particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret nouiſſima*; inter quæ erat ſacramentum matrimonij, quod contracturus erat cum *Eua*; quapropter euigilans dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis; & caro de carne mea*; quod ait *Apoſtolus* figuratè ſignificare magnum Sacramentum, idēſt vnionem Chriſti cum Eccleſia; ex quo deducitur *Adam* in illa extaſi recepiſſe Fidem Chriſti venturi.

39 Quæres 26; quare *Eua* de oſſe, & non de carne *Adæ* formata ſit; & quare locum oſſis *Adæ* nō repleuerit alio oſſe, ſed carne: ait enim Scriptura: *Tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea*?

Reſp. *ibid. c.18*; quòd *Eua* non ex carne, ſed ex oſſe formata eſt; quia mulier, vtpotè naturæ infirmæ, ab ipſo firmari debuit; & *Adam*, licèt firmus, per mulierem infirmus debebat euadere; ideo carnem, quæ oſſe infirmior eſt, ex mulieris formatione loco oſſis, quod firmum eſt, recepit; mulier autem è contra.

40 Quæres 27; an anima *Euæ* traducta fuerit ex anima *Adæ*; ſicut caro ex carne illius fuit? Et videtur hoc affirmandum. 1. Quia in formatione *Adæ* dicitur, quòd habuerit animā à Deo; hoc autem non dicitur *de Eua*, ergo quando di-

eitur carnẽ *Eu.* eſſe ex traduce, hoc intelligẽdũ eſt etiam de anima. 2. Si ſola caro eſſet ex traduce, non transfunderetur peccatum originale in paruulis, vt habet *Apoſt. Rom.* 5; peccatum enim nequit eſſe in ſola carne, ſed in carne, & anima; vnde animæ paruulorum decedentes è corpore immaculatæ euolarent; quia anima nequit à Deo peccati ſorde maculata creari, aliter Deus eſſet Auctor peccati. 3. *Hebr.* 7. habetur Sacerdotium Chriſti in hoc differre à Sacerdotio *Leui*; quòd illud fuit figuratum *in Melchiſedech* decimante *Leui* in lumbis *Abrahæ*; in quibus non fuit decimatus Chriſtus, quia decimans fuit; ergo ſi *Leui* fuiſſet tantùm in lumbis *Abrahæ* ſecundùm carnem; in quibus profectò fuit etiam Chriſtus ſecundùm carnem, vterque procul dubio decimatus fuiſſet. Itaque dicendum videtur *Leui* decimatum fuiſſe, quia erat in lumbis *Abrahæ* ſecundùm carnem, & ſecundùm animam; Chriſtum verò non fuiſſe decimatum, quia in illis erat ſecundùm carnem, non ſecundùm animam. 4. Si anima *Euæ* fuiſſet creata, nõ fuiſsēt omnia ſimul.

Reſp. *lib.* 10. per totum; vbi proponit, & ſoluit has rationes. Ad 1. ait *c.* 1. ex eo, quòd *Scriptura* non aſſerat animam *Euæ* fuiſſe creatam, nõ deduci, quòd ſit ex traduce propter eandem rationem, quia neque hoc ſecundum aſſerit *Scriptura*. Imò ex hoc potiùs, quod non aſſeratur *à Scriptura*, arguendum eſt animam *Euæ* fuiſſe creatam, ſicut animam *Adæ*; tacendo enim, quòd ſit ex traduce, poſſumus putare animam Euæ fuiſſe, ſicut animam *Adæ*, à Deo creatam. Non fuit ergo neceſſe, quòd *Scriptura* narraret animã *Euæ* fuiſſe creatam, quia quod aſſeruerat de anima *Adæ*, prudenter intelligi poteſt de animabus ceterorum. Quòd ſi hoc intelligi nõ debuiſſet, explicaſſet, ſicut explicuit de carne *Euæ*, quę diuerſimodè producta fuit, ac caro *Adæ*. Ad 2. ait *c.* 16. animam contrahere peccatum originale, quia obruitur carne peccati; inquit enim: *Contagio peccati ex carne peccati, qua obruitur anima, cùm his inſeritur membris, oberit ei poſt mortem*. Contrahit ergo anima contagionem peccati, cùm infunditur corpori; quemadmodum liquor è vaſe fętido trahit fętorem. Ad 3. ait *c.* 20. etiam Chriſtum ſecundùm carnem fuiſſe in lumbis *Abrahæ*, & tamen nõ fuiſſe decimatum, ſicut *Leui*; quia ſoli illi decimati ſunt, qui per rationem ſeminalem per concubitum venturi erant in vētrem matris; ſecundùm quam rationem non fuit caro Chriſti, qui conceptus eſt ſine ſemine. Ad 4. dicitur fuiſſe omnia ſimul ſecundùm genera, vt *ſup.* dictum eſt. Ex verbis autem ipſius *Adæ* clarè deducitur animam *Euæ* non fuiſſe ex traduce; ait enim *Adam*: *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea*; quibus verbis declarat carnẽ *Euæ* traductam fuiſſe ex ſe ipſo; non autem ait: *Anima de anima mea*; quod quãtò charius, amantiùſq; dixiſſet, inquit *c.* 1; ſi anima, ſicut caro fuiſſet ex traduce; phraſis enim hæc eſt an...is.

41 Sed dicendum eſt *Beatiſs. P.* manſiſſe dubium circa hanc rem; cùm illam determinare non curet?

Reſp. negatiuè (quidquid exprobret *Io. Dallæus*; vt vidimus *to.* 1. *q.* 5. *proem. art.* 7. *n.* 10.) aſſerit enim tantummodò ſibi pro eo tunc non occurrere teſtimonia *Scripturarum*, & rationes, quæ hanc quæſtionem reſcinderent ea euidentia, qua *ipſe* voluiſſet. Cauere tamen ſubſtinentibus animam eſſe ex traduce, vt ſe ipſos conſiderent, & ſciant ſua corpora non eſſe animas ſuas; ait enim *c.* 24. *Admoneo ſanè, quantùm valeo, ſi quos iſta præoccupauit opinio, vt animas ex parentibus credant propagari, quantùm poſſunt, ſe ipſos conſiderent; & interim ſapiant corpora non eſſe animas ſuas*; quibus innuit, & ideo animas non traduci, quemadmodum corpora. Noluit tamen explicatiùs loqui, ne aliquod effugium daret *Pelagianis* negantibus peccatum originale, cum quibus acerrimè confligebatur; quorum pugnã, vt vinceret, non curauit eo tunc cum alijs confligere nullam in Eccleſiã inuehentibus hęreſim.

42 Quæres 28; cur *Adam, & Eua* non ante, ſed poſt peccatum propriæ puduerint nuditatis?

Reſp. *lib.* 11. *c.* 1; quia ante peccatum *nullus erat in corpore motus, cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil ſenſerant refrænandum*. Pudor ergo obortus eſt, cùm carnis concupiſcentia cepit in membris, quæ peccato ſolùm effecta eſt.

43 Quæres 29; quomodò ſerpens vocetur *callidior*; vel vt legunt 70; *prudentiſſimus omnium beſtiarum*; & quomodò loqui potuerit mulieri?

Reſp. *ibid. c.* 2. prudentiſſimum dici non ratione ſuæ animæ irrationalis, ſed ratione ſpiritus Diabolici implentis ſerpentem, & in ore illius voces formantis.

44 Quæres 30; cur Deus permiſerit hominem tẽtari, ſi præſciebat tentatori conſenſurum?

Reſp. *ibid. c.* 4; quia non magna laus eſt benè viuere, cùm nemo malè viuere ſuadet; & aliũde Deus ſuam oſtenderet æquitatem ordinando per pœnam, quod cõmiſerat *Adam* per culpam; & animæ ſuperbæ indicaret ſuam bonitatem, quæ malis etiam voluntatibus in futuris Sanctis vſura eſſet in bonum, cùm illa naturis etiam bonis vſura fuiſſet in malum, & experimēto pœnæ diſceret non de propria virtute præſidere, ſed ſe gratiæ Dei, quæ de malis bonos facit, cõmittere.

45 Quæres 31; cur Deus permiſerit Diabolum potiùs per ſerpentem, quàm per aliud animal tentare?

Reſp. *ibid. c.* 12; quia vilius, & deiectius animal eſt ſerpens repens, & gradiens ſuper pectus ſuũ ſuper terrã; ideo in illud deijciẽdus erat Diabolus, qui delectatione propriæ excellentiæ peccauerat; & ob hoc *Matt.* 8. Chriſtus Dominus in porcos, tanquam in immunda animalia, miſit Dęmonia.

46 Quæres 32; quodnam fuerit peccatum Diaboli?

Reſp.

Reſp.*c.*14.nonnullos ſentire fuiſſe inuidiā, qua inuiderit homo facto ad imaginem Dei. Sed hanc opinionem reijcit, quia ſuperbia eſt cauſa inuidiæ, cùm ſuperbia ſit amor propriæ excellentiæ, & inuidia odium felicitatis alienæ; ex eo autem, quòd quis amat propriam excellentiam, inuidet paribus, quia vellet illis excellere; vel inferioribus, quia nollet eos ſibi coæquari; vel ſuperioribus, quia vellet illis æquari; ergo inuidia non fuit primum peccatum Diaboli, ſed ſuperbia, quæ poteſt etiam vocari auaritia, ſi auaritiam generaliter intelligamus, qua quiſque appetit aliquid ampliùs, quàm oportet propter excellētiam ſuam; ſeu quendam propriæ rei amorem inordinatè cupientem ea, quæ ad propriam magnitudinem pertinent. Auaritia autem ſic generaliter accepta diuiditur in auaritiam ſpirituale̅, quam habuit Diabolus; & corporalem, quæ eſt amor pecuniæ.

47 Quæres 33; an Diabolus, antequam caderet, fuerit beatus?

Reſp.*ibid.c.*16.negatiuè; de ratione enim beatitudinis eſt ſecura perpetuitas illam nunquā amittendi; quia beatus eſſe non poteſt, qui non eſt certus de perennitate ſuæ felicitatis; magna enim miſeria eſt ignorare, an cadendum ſit in miſeriā? De beatitudine ſupernaturali *hic* loquitur.

48 Quæres 34; an Diabolus fuerit malus ab initio?

Reſp.*c.* 16; *& ſeq*; quòd fuit malus ab initio ſuæ creationis, prout illud initium importat totū tempus, quod præceſſit lapſum ipſius ita, vt nunquam fuerit beatus, & poſtea peccator; ſed poſt tempus, quo manſit in veritate, & bonitate accepta à Deo in ſui conditione, continuò fuerit malus. Nō fuit autem à Deo creatus malus, ait enim *Scriptura: Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Certum tamen eſt, quòd peccauerit, antequam *Adam* peccaret; quia in peccatum lapſus ſuperbiæ, & ex hac in inuidiam deiectus hominis cepit felicitati inuidere; & ideo in miſeriam ſuggerendo peccatū conatus eſt ſecū *Adā* attrahere; ne illū ſe ipſo feliciore̅ ſufferret. An aute̅ peccauerit in inſtanti, quo conditus fuit, expreſsè negat *lib.* 11.*de Ciu.Dei c.*15; quos libros poſt iſtos procul dubio cōpoſuit; vt patet *ex 2. lib.Retract. c.*43; vbi aſſerit, quòd cùm 1. *Io.* 3. dicitur: *Ab initio Diabolus peccat*; nō intelligitur initium ſuæ creationis, quod eſt inſtans, ſed initium peccati, quod eſt ſuperbia, quæ eſt primum peccatum; habetur enim *Eccli.* 10. *Initium omnis peccati ſuperbia.* Et quamuis *hic* videatur dicere peccaſſe ab initio ſuæ creationis; conſideranti tamen patebit ipſum loqui referendo iſtam ſententiam, quam poſtea ait mirum eſſe, ſi poſſit defendi; vt habetur c.26.

49 Quæres 35; cur Serpens, antequam ſuaderet Mulieri peccatum, ab ea ſciſcitatus fuerit rationem, ob quam Deus vetuerat eſum talis fructus?

Reſp.*ibid.c.*30.*Vt præuaricatio eſſet inexcuſabilis; neque vllo modo dici poſſet id, quod præceperat Deus, oblitam eſſe mulierem, quanquam, & obliuio præcepti maximè vnius, & tam neceſſarij ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret.*

50 Quæres 36; quomodò poſt peccatum aperti ſunt oculi amborum; nō enim oculis clauſis facti erant, & in paradiſo voluptatis cęcorum more palpando aberrabant; aliter quomodò potuiſſet *Adam* videre animalia, quæ ad illum adduxit Deus, vt videret, quid vocaret ea?

Reſp.*ibid.c.*31.apertos fuiſſe oculos eorum ad intuendum, & cogitandum id, quod priùs nō aduertebant; ſcilicet ad concupiſcentiam carnis, quam priùs non ſentiebant in membris ſuis; quia orta eſt cum peccato. Sic *Luc.* 24. de duobus Diſcipulis dicitur, quod cùm fregiſſet eis Dominus panem, *aperti ſunt oculi eorum, vt eum agnoſcerent*; non enim clauſis oculis ambulabant in via; ſed quia eum agnoſcere non valebant.

51 Quæres 37; quid ſit concupiſcentia?

Reſp.*ibid.c.*32. *eſſe morbidam, & mortiferā qualitatem, quæ ineſt etiam pecorum carni, ac per hoc etiam eundem motum, qui ſit in pecoribus, concumbendi appetitus, vt ſuccedant naſcentia morie̅tibus.* Sed de hoc ſuo loco.

52 Quæres 38; cur Deus eos voluerit exprobrare *poſt meridie̅*, ſeu, vt legūt 70; *ad veſperā*?

Reſp. *ibid.c.*33. *Ea quippe hora tales iam conuenerat viſitare, quæ defecerant à luce veritatis.*

53 Quęres 39; cur interrogauerit priùs *Adā*, quàm *Euam* ſciens peccatum à Diabolo per fæminam ad virum euoluiſſe?

Reſp. *ibid. c.*34; quia *ſicut præceptum viro datum eſt, per quem veniret ad fæminam; ita vir prior interrogatur.*

54 Quæres 40; cur *Adam* refundat in mulierem culpam dicens: *Mulier, quam dediſti mihi &c*?

Reſp.*ibid.c.*35; quia *Adam* peccauit peccato ſuperbiæ; volebat enim eſſe, ſicut Deus ſciens bonum, & malum; *Superbia* autem habet confuſionis *deformitatem, & non habet confeſſionis humilitatem*, ideo non reſpondit: *Peccaui.*

55 Quæres 41; cur Eua quoque refundat culpam in ſerpentem dicens: *Serpens decepit me*?

Reſp.*ibid. Nec iſta confitetur peccatum, ſed in alterum refert impari ſexu, pari faſtu.* Ideoque pœnis mulctatur, quia ſerpentis ſuaſionem præcepto Dei antepoſuit.

56 Quæres 42; quomodò *Adam*, qui erat ſpiritalis mente, non corpore, potuit credere, quod per ſerpentem dictum eſt?

Reſp.*ibid.c.*42. nullo modo hoc credidiſſe, ſed tamen peccaſſe, ne mulierem contriſtaret, victus non quidem carnis concupiſcentia, quæ tūc non erat, ſed amicali quadam beneuolentia; & ideo non dixit: *Mulier ſeduxit me*; ſicut dixit mu-

mulier de ſerpente; ſed dixit: *Mulier, quam dediſti mihi, ipſa dedit, & comedi*. Sicut enim nunquam credendum eſt, quòd *Salomon*, vt potè vir tantæ ſapientiæ, crediderit eſſe aliquid vtilitatis in cultu ſimulacrorum; attamen amori mulierum ad hoc malum trahenti non valuit reſiſtere, ne delicias, quas deperibat, contriſtaret; ita *Adam*, quanuis apertè cognoſceret, quòd Deus nō præceperit abſtinentiam ab eſca illius fructus eo, quia inuideret eis Diuinitatem; attamen ne mulierem turbaret, & aliunde videns eam non eſſe mortuam poſt cibi vetiti eſum aliquali etiam mentis elatione illectus experiendi, quomodò ille fructus ſcientiā boni, & mali ſuggereret menti, præuaricauit.

57 Quæres 43; quo tempore anni Deus Mundum condiderit?

Reſp. *Beatiſs. P. q. 55. ex nouo Teſtamento*, quòd eodem die, & tempore, quo Mundum redemit, creauit; idēſt in æquinoctio veris die Dominico; vnde illi ſex dies intellectuales fuerunt in primo inſtanti diei Solis, ſeu Dominici.

58 *Sed quid plura?* Cōcludit *Beatiſs. P.* expoſitionē hanc *lib. 11.* in fine. *Hoc*, & quodcūq; aliud, *cōſcriptū eſt, ſicut legi ab omnibus oportet, etſi à paucis hæc intelligerentur, ſicut oportet*. Qui autē non intelligit, non contemnat, ne ignorantiæ arrogātiam adiungat; ſed roget Deum, vt intelligentiæ ſpiritum modeſtus, ac pius accipiat; & humilitate altitudinem aſſequatur doctrinæ.

QVÆSTIO II.

De creatione, & principio creatiuo.

SEquitur inquirendum de creatione, & principio creatiuo, quo formatum eſt Mundi opificium; expenſis enim ijs, quæ *ab Expoſitoribus* controuertuntur, declaranda ſunt, quæ *à Scholaſticis* in examen vocantur, vt laudabilibus omnium ſtudijs noſtra ſuffragetur tenuitas, ſi non, vt debet, ſaltem, vt valet, Domino adiuuante; ſine quo ſicut nihil ſumus, ſic ſine eo nihil poſſumus; quia poſſe dimanat ad eſſe, & vtrumque ab eodem deriuatur principio.

ART. I.

Explicatur definitio creationis.

1 CErtum eſt ſecundùm Fidem creationē eſſe *productionem rei ex nihilo*; habetur enim *2. Macbab. 7. Peto, nate, vt aſpicias ad Cælū, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, vt intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus*. Et *Iſaiæ 41. Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod nō eſt*; & *Sap. 2. Ex nihilo nati ſumus*; & *Rom. 4. Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*, vt refert *Beatiſſ. Pater lib. de Nat. Boni. c. 26.* Et ratio eſt. De Fide eſt omnia à Deo fuiſſe producta per creationem; ergo antequam omnia producerentur à Deo per creationem, nihil erat creatum; aliter ſi fuiſſet aliquid, ex quo omnia fuiſſent producta, vel illud non fuiſſet creatum, ſed Deus, & ſic nedum à Deo, ſed etiam ex Deo fuiſſent creata, quod eſt abſurdum, vt *inf.* dicemus; vel ſi eſſet creatum, non eſſet, antequā omnia producerentur; quia non eſſet ante productionem ſui, aliter eſſet, antequam produceretur. Et ſi eſſet, quomodò eſset? Vel per productionem; vel à ſe? Non à ſe; quia eſset Deus. Si per productionem; vel ex alio; & ſic in infinitum iretur; vel ex nihilo; & ſic eius productio eſſet ex nihilo; cùmque eius productio ſit creatio; euincitur creationem eſse ex nihilo. In hoc conueniunt *omnes SS. PP*; *Theologi*, & *Philoſophi*; exceptis *quibuſdam antiquis*; qui (hallucinati illo principio: *Ex nihilo nihil fit*; quod tantùm intelligendum eſt de eductione) dixerunt materiā, ex qua omnia facta ſunt, & fiunt, eſſe increatam. Ita cenſetur ſenſiſſe *Democritū, Epicurum, Anaxagorā, Empedoclem, Pythagorā, et etiam Auicennam*; quapropter *Anaxagoras*, ne aduerſaretur præfato principio, & ne negaret nouas generationes fieri quotidiè ex materia, poſuit formas latitare in materia; *Democritus* verò ſenſit generationes non eſſe, niſi nouas mixtiones corpuſculorum. Sed diſſidium eſt, quomodò explicandum ſit eſſe *ex nihilo*?

2 *Vuicleffus apud Thomam Vualden. tom. 1. lib. 1. art. 1. c. 17.* voluit creationem eſse *productionem de puro eſſe intelligibili ad eſſe eſſentiale extra Deum*; & terminum *à quo* creationis non eſse omnino nihil, ſed *eſſe ideale*; aſserens Deum non poſse in purū nihil. Hanc ſentētiam docuiſſe *Scot. in 2. diſt. 1. q. 2. §. Quantùm ad iſtum* refert *Vaſq. 1. p. q. 45. diſp. 172. c. 1*; vbi ait, quòd quanuis *Scotus* aſserat creationem eſse productionē de nihilo exiſtentiæ, & eſsentiæ; attamen vult nullā rē eſſe de nihilo, idēſt de nullo modo ente ſimpliciter, aut ſecundùm quid, quia omnia quæ creantur, priùs habent eſse quoddam intelligibile, & obiectiuum diminutum productum ab intellectu Diuino, in quo vult conſiſtere poſſibilitatem creaturarum; quam ſententiam reiecimus *to. 1. De Omnipot. art. 4. num. 4*; & *to. 2. De Ideis art. 2.* Nam vel illud eſse intelligibile, & idæale eſt idem, ac Diuina eſsentia, cum qua identificatur idæa; & ſic falſum eſt creaturas fieri ex illo eſse; aliter creaturæ eſsent Deus; quia ſic fierent de ſubſtantia Dei; illud enim, quod fit de ſubſtātia alterius, eſt idem ſpecie cum illo; vt homo, quia fit de ſubſtantia hominis, quæ in eius generatione deciditur à generante, eſt homo; & ideo *SS. PP*; ac præcipuè *Beatiſs. P.* probant *contra Arianos* Verbum nō eſse creaturam, quia eſt de ſubſtantia Patris; vt diximus *to. 2. de Trin. q. 3. art. 3. n. 2*; quapropter *idem Sanctiſs. P. lib. 1. de*

Digitized by Google

Gen.cont.Manich;& de Gen.ad lit;ac ſæpe alibi reperit. *Hæc facta ſunt,neque ea genuit de ſe ipſo, ſed ex nihil fecit ea.* Vel illud eſſe intelligibile, & idæale eſt aliquod creatum extra Deum;ſed hoc nequit dici, quia Fides docet nihil eſſe creatum ab æterno extra Deum; tum quia illud nedum haberet eſſe intelligibile,ſed etiam entitatiuum, & phyſicum, quia omne, quod eſt productum à Deo extra ſe ipſum,eſt verum ens reale.*Vid.quæ diximus loc.cit.*

3 *Thomiſtæ cum D.Tho.1.p.q.45.art.4.* putant ex oppoſito creationem ita eſſe ex nihilo, vt nullo modo præſupponat ſubiectum quocunque modo ſe habens;propter quod aſſerunt non creari propriè niſi rem per ſe ſubſiſtentem, vel rem,quæ licèt exiſtat in alio, àttamen poteſt exiſtere in ſe ipſa;nullum autem accidens etiam ſupernaturale propriè creari,ſed educi de potentia obedientiali animæ,ſeu naturæ ſpiritualis. Vnde concludunt animam rationalem creari, quia etſi recipiatur in corpore, attamen poteſt exiſtere in ſe ipſa ab illo ſeparata;gratiam verò non creari, ſed educi de potentia obedientiali animæ, quia ita dependet in fieri à ſubiecto, vt nequeat in ſe ipſa exiſtere ab illo ſeparata. *Ita Io.à S.Tho.1.p.q.44.diſp.18.art.3;*& *Gonet de Grat.diſp.4.art.2;* vbi aſſerit hanc ſententiam eſſe Thomiſtis communem *exceptis Palud;& Capr.* His adiungitur *Vaſq.1.p.q.45.diſp.*174.per totam; qui *diſp.*172. *c.*3.explicat creationem,debere eſſe ex nihilo;nō quia nihil ſit velut materia, aut quid pertinens ad creationem;ſed quia nihil eſt terminus, *à quo* incipit creatio ita,vt nihil præcedat creationem, quod quoquo modo ad conſtitutionem illius pertineat,quod creatur; vnde creatio dicitur tēdere in ens,in quantùm ens, ſecundùm totam latitudinem entis,extra quam non eſt niſi nihil; & ideo dicitur creatio ex nihilo ſimpliciter, & ſecundùm quancunque rationem; non autem ex nihilo ſecundùm quid. Ita etiam *apud Maſtrium Sua.3.p.to.3.q.62.art.4.diſp.9.ſect.1;& de Grat. lib.8.c.2;Granad;Tāner;Ouied;& ex noſtris Gibb;* qui refert etiam *M.Cornejum, Marq;& alios; Salm; Coninch. diſp.5.de Habitib.ſupernat.dub.3; Turriā.de Grat.diſp.1.dub.12;& Auerſa 1.p.q.45. ſect.1;& ipſemet Maſtrius diſp.4.Phyſ.q.5.art.2; & in 2.ſent.diſp.1.q.2.n.43;contra quem commota eſt vniuerſa Scotiſtarum turba,* vt ipſe ait *ibid;* quaſi piaculum dixerit.

4 Vltima ſententia eſt præſuppoſitionem ſubiecti *in quo* non tollere veram, & propriam rationem creationis; ſiue res, quæ recipitur in illo ſubiecto, poſſit per ſe ſubſiſtere, vt anima rationalis;ſiue non poſſit eſſe extra illud,vt gratia, & cetera dona ſupernaturalia;vnde eſſe *ex nihilo* negat ſolum ſubiectum, ex quo res producta fiat per eductionem. *Ita Fund.Doct.in 2.diſt.1.p.1.q.2.art.4;& ſeq;& diſt.26.q.1.art.2.ad 3;& in Hexam.p.1.c.1;& de eſſe,& eſſent.q.6;& Quodl.5.q.1;*& *ſæpe alibi; Argent.in 4.diſt.1.q.1.art.3; Greg.in 2.diſt.1;& ferè omnes antiqui,vt Alen.p.2.q.9.memb.8;D.Bon.in 2.diſt.26.art.1.q.4;& in 4.diſt.1.art.1.q.4.Ricard.in 2.diſt.26.art.1.q.2;& in 4.diſt.1.art.4.q.2;Scot.in 4.diſt.1.q.5.§.Contra iſtam; Gabr.q.1.art.2.concl.3; Aliacen.in 4.q.1.art.2;Maior in 4.diſt.1.q.1;& ex Thomiſtis Capr.diſt.1.q.1.art.3;Sot.de Nat,& grat.c.9; Vega lib.7.ſup.Conc.Trid.c.7;& 13; Ledeſma 1.p.q.3.ar.1;Ferr.4;cont.Gent.c.57.Palud.in 4.diſt.1.q.1; Conimbr.1.Phyſ.c.9.q.12.art.5; Fonſ.5.met.c.2.q.4;Faber in 4.diſt.2.c.3;Poncius,Vulpes,*& *omnes alij Scotiſtæ communiter* excepto *Maſtrio*; qui tamen fatetur *Scotum* magis inclinare in hanc ſententiam,à qua ipſe recedit,& ſequi *Scotum* profitetur. Igitur

5 Non loquimur *hic* de creatione latè ſumpta,quæ,vt ait *Beatiſs.P.de Fide,& Symb.c.4;* aliquando vſurpatur pro generatione; vt intelligēdum eſt illud *Eccli. Ab initio,& ante ſæcula creata ſum;*& illud *Gen.6. Cùmque cepiſſent homines multiplicari ſuper terram,& filias procreaſſent;& ſæpe alibi;*& aliquando pro conſtitutione,& electione alicuius perſonæ ad aliquam dignitatem,vel munus; ſic enim dicitur creari Magiſtratum,Epiſcopum &c;vt docet *Beatiſs.P.lib.1.cont.Aduerſ.Legis,& Proph.c.23;*ſed loquimur ſtrictè,& propriè, prout eſt *productio rei ex nihilo.* In qua definitione notat *Fund.Doct.in Hexam.vbiſ;& de eſſe,& eſſent.* illam particulam *ex nihilo* non ſumi merè negatiuè ita,vt nihilū producatur,quomodò ſilēs dicitur nihil loqui;nec ſumi materialiter, quaſi ipſum nihil ſit materia ingrediens cōſtitutionem rei,quæ creatur;quomodò ferrum,ex quo fit culter, dicitur materia ingrediens conſtitutionem cultri;ſed ſumi ordinaliter,prout eſt idem,ac terminus,*à quo* incipit creatio; ſicut in generatione priuatio eſt terminus *à quo* ordinatus ad formam generandam;qui ordo non eſt realis poſitiuus,ſed negatiuus,aut rationis;ſiue nihil rei præcedat tēpore formationem illius,vt in rebus productis in tempore;ſiue præcedat natura;ſicut ſi res producta fuiſſet ab æterno.*His ſupp.*

6 Not;quòd licèt falſum ſit eductionem, & creationem adæquatè diuidere omnem efficientiam,vt aſſerit *Sua.in Met.diſp.20.ſect.1.n.1;& aliqui ex noſtris in M.S;*qui aiūt hoc innui *à Fūd. Doct.de eſſe,& eſſent.q.6.§.Secunda via;* vbi tamen.3.*Doctor* tantùm ait effectum in ratione talis entis produci à creatura; & in ratione entis à Deo; & de hac diuiſione explicitè nullum verbum habet;licèt, inquam, falſum ſit prædictum aſſertum; quia generatio hominis eſt vera efficientia,& tamen, prout generatio, non eſt eductio; nam homo non generatur ab alio homine per eductionem animæ rationalis de potentia materiæ,ſicut generantur cetera viuentia;nec eſt creatio; quia eſt per deciſionem partis ſubſtantiæ generantis in ſemine, & ideo genitum eſt de ſubſtantia generantis;creatio verò eſt ex nihilo; tum quia homo generās diceretur propriè creare,

re, quod repugnat, vt *inf*; & ideo licèt productio hominis, quatenus eſt à Deo ſit creatio, quia Deus creat animã, & corpus, ex quibus componitur homo; attamen prout eſt ab homine, eius generatio, quæ eſt vera efficientia, non eſt creatio; nihilominus veritatem habet, quòd omnis productio formæ vel eſt per creationem, vt patet de anima rationali; vel eſt per eductionem, vt de reliquis formis contentis in potentia paſſiua ſubiecti.

7 Educi autem ex potentia paſſiua ſubiecti non eſt formam actu contineri in ſubiecto, ſicut aqua continetur in vaſe; aliter forma ſupponeretur producta, antequam educeretur de potentia materiæ; ſicut aqua, cùm eſt in vaſe, iam eſt producta, & cùm educitur de vaſe, non producitur; quod *omnes Philoſophi* vnanimiter vrgenr contra *Anaxagoram* aſtruentem latitationem formarũ in materia. Neque conſiſtit eductio in factione formæ in materia, quia anima rationalis creatur in corpore; non enim creatur ſeparata à corpore pro aliquo inſtanti temporis, & poſtea infunditur; & tamen non educitur. Sed conſiſtit in tranſmutatione materiæ ad talem formam, quæ tranſmutatio fit per motum alterationis diſponentis per qualitates ipſum ſubiectum; poſt quã alterationem, & diſpoſitionem reſultat talis forma, & recipitur in materia. Ideo formã contineri in potentia paſſiua materiæ, ex qua educitur, nõ eſt actu contineri in materia, neque materiam naturaliter inclinare ad habendam illam formã; nam corpus naturaliter inclinat ad habendam animam rationalem; & tamen anima rationalis non continetur in potentia paſſiua materiæ, ſed eſt materiam poſſe tranſmutari, vt recipiat formam ſibi proportionatam, ſcilicet materialem, quæ ſolùm dicitur contineri in potentia materiæ; nam forma ſpiritualis, cùm ſit perfectior, & ſuperior omni materialitate, nequit in illa contineri; perfectius enim non continetur in imperfectiori, ſed potius è contra. Hæc doctrina traditur etiam *à Thomiſtis doctioribus*, vt videre eſt apud *Caiet.1.p.q.90.art.2.ad 2. D.Tho*; vbi ait: *Nihil aliud eſt formam educi de potentia materiæ, quàm materiam tranſmutari tranſmutatione ſufficiente ita, quòd ex vi tranſmutationis materiæ forma reſultet*, & apud *Io.à S.Tho.in Phyſ. q.4.art.1.ad 2*; vbi aſſerens tres conditiones requiri ad eductionem, ſcilicet quòd forma pendeat in ſuo eſſe, & fieri à ſubiecto, quòd ſubiectum ſit proportionatum; & quod forma naſcatur ex ipſa materia, ait: *Idèſt per eius trãſmutationem fiat, qua reducitur materia de potentia in actum*; & *art.2.de formis cœleſtibus in reſp.ad obiect.* ait: *Eductionem formæ non conſiſtere ſolùm in hoc, quòd forma fiat dependens à materia, ſed quòd tali modo fiat dependens, ſcilicet per tranſmutationem ipſius materiæ, & quaſi emergendo ab illa.* Ratio *Fund.Doct. de Eſſe, & Eſſentia q.3.* eſt. Formam contineri in potentia actiua agentis naturalis nihil aliud eſt, quàm agens naturale mediantibus diſpoſitionibus alterantibus ſubiectum poſſe illud tranſmutare, vt fiat ſub tali forma; ergo formam cõtineri in potentia paſſiua materiæ nihil aliud eſt, quàm materiam poſſe tranſmutari per qualitates alterantes, vt fiat ſub tali forma; nam potentiæ actiuæ correſpondet potentia paſſiua; vt docet *Phil.* Hanc doctrinam ſequuntur *Caiet*; *Bann*; *Conimb*; *Perer*; *Gabr*; *noſter Paulus Venet. 7.Met.q.26*; & *Fund. Doct. vbi ſup.* oſtendit eſſe *Ariſt*; & *Comment.* apertiſſimam ſententiam.

8 Ex hoc manifeſtè deducitur, quòd actio Dei, qua producitur quælibet creatura (ſiue loquamur de creatura, quæ fuit à Deo producta in principio Mundi, cùm omnia fecit ex nihilo; ſiue de illa, quæ quotidiè producitur à Deo per adminiſtrationem materiæ iam productæ, qua *vſque nũc operatur*; vt dix. *in Hexam.art.9.n.11. ex Beatiſſ.P.Aug.*) non eſt eductio, ſed verè, & propriè creatio, quia Deus non agit per motum, & tranſmutationem; nam in tantùm agens naturale agit per motum, & tranſmutationẽ, in quantùm nequit immediatè producere formam; vt *hic* diſcurrit *Fund.Doct*; & ideo illam producit medijs accidentibus; at Deus immediatè producit nedum accidentia, ſed etiam ſubſtantiam; quia immediatè agit per ſuam ſubſtãtiam, & eius virtus agendi non eſt accidens, ſicut eſt in creatura; ideo non agit per motum, & tranſmutationẽ. Tum quia *in Scripturis* Deus nedũ dicitur creator operum ſex dierum; ſed etiam eorum, quæ *vſque nunc operatur*; vt *Iſaiæ 66. Sed gaudebitis, & exultabitis vſque in ſempiternum in his, quæ ego creo.* Et *Deut.26.* loquens populo *Iſrael* ait: *Et faciet te excelſiorem cunctis gẽtibus, quas creauit*; & *ad Coloſſ.1. Omnia per ipſũ, & in ipſo creata ſunt*; patet autem, quòd ea, quæ creat in ſempiternum, ſunt ea, quæ producit in tempore; & gẽtes, quibus excelſiorẽ facturus erat populum *Iſrael*, non fuerunt creatæ in primo inſtãti creationis. Tum quia ab *Eccleſia* ſẽper vocatur Deus *rerum Creator omniũ*, vt patet *in hymno ad Mat. Dom.in albis*; & ſæpè *alibi*; nunquam tamen vocatur *eductor*; quomodò non vocatur *in Scripturis*; quæ quoties loquũtur de productione creaturarum à Deo, vtuntur ferè ſemper nomine *creationis*, aut verbo *creandi*; nunquam autem *educendi*, aut *generandi*; quia nec producit creaturas per motum, nec de ſua ſubſtantia. Tum quia licèt Deus compegerit *Adam* ex limo terræ, & *Euam* ex coſta *Adæ* adminiſtrando materiam priùs creatam, & ſolam animam rationalem creando, vt habetur *Gen.1*; & 2; attamen dicitur: *Maſculum, & fœminam creauit eos*; quod profectò non ſignificat ſolam animam eorum creatam fuiſſe, ſed animam, & corpus, quia ipſi conſtabãt ex anima, & corpore; & ſic diſcurritur de herbis, & animalibus, quæ ex aqua, & terra formauit. Tum quia omnis effectus productus à Deo eſt verè, & propriè creatura Dei, vt habet communis

nis

nis modus loquendi *Scripturarum, PP;* & *Theolog;* ſed creatura non denominatur niſi per creationem, ſicut filius denominatur genitus per generationem, & forma educta per eductionem; ergo actio, per quam Deus agit in tempore adminiſtrando materiam in primo inſtanti temporis productam, eſt verè, & propriè creatio. Tandem quia quælibet actio, per quam Deus producit creaturam, attingit illam ſub ratione vniuerſaliſſima entis, vt ens eſt; Deus etenim eſt agens vniuerſaliſſimum, quia agere ſequitur ad eſſe, eſſe autem Dei eſt vniuerſum eſſe, cùm ſit omne eſſe; & ideo eius actio debet habere pro obiecto, ſeu termino rationē vniuerſaliſſimam, quæ eſt omnis ratio entis; ſed actio, qua attingitur ens, vt ens, eſt creatio, ſicut virtus productiua ſub ratione entis, vt ens eſt, eſt virtus creatiua; tum quia actio attingens ens, vt ens, nihil ſupponit, quia ſupra ens, vt ens, ſolùm eſt nihil; & ideo actio attingens ens, vt ens, eſt ex nihilo, & conſequenter creatio; ergo quælibet actio, qua Deus producit creaturam, eſt creatio. Remanet igitur, quòd actio, ſiue qua ſe ſolo operatus eſt Deus in initio temporis ex nihilo, ſiue qua *vſque nunc operatur* ſimul cū creaturis adminiſtrando materiam iam creatam, eſt verè, & propriè creatio.

9 Dices. Actio, qua Deus agit ſimul cum creatura, eadem eſt, ac actio, qua agit crearura, vt diximus *de ſcient. Dei q.4. art.1. §.3. à n.52;* ſed hæc non eſt creatio, quia creatura non creat; ergo neque illa.

Reſp. non implicare eandem actionem reſpectu diuerſorū agentium habere ſimul diuerſas rationes; nā actio, per quā generatur animal à Sole, tanquam à cauſa vniuerſali æquiuoca; & ab animali tanquam à cauſa vniuoca, reſpectu Solis non eſt generatio, quia non eſt per deciſionem ſubſtātiæ Solis factam in ſemine, neq; in ſimilitudinem naturæ; at verò reſpectu animalis eſt generatio, quia eſt per deciſionem ſubſtantiæ in ſemine, & in ſimilitudinem naturæ; ergo non implicat, quòd eadem actio reſpectu Dei ſit creatio; reſpectu verò creaturæ non ſit creatio.

10 Sed quæres; quomodò actio, qua Deus agit mediante creatura, poſſit eſſe creatio, cùm ſit ex præſuppoſita materia, creatio autem eſt ex nullo præſuppoſito; & quare actio, qua creatura agit ſimul cū Deo, nō ſit creatio, quia eſt ex aliquo præſuppoſito, videtur enim hæc cōtradictio?

11 Reſp. hoc eſſe propter triplicem rationem. Prima eſt; quia Deus non agit per motum, & tranſmutationem, creatura autem agit per motum, & trāſmutationem; ideo actio Dei per ſe non requirit ſubiectum mobile, ſicuti eſſentialiter, & per ſe illud prærequirit actio creaturæ; implicat enim, quòd motus ſit ſine mobili, vnde ſi præſupponatur ſubiectum ante actionem Dei, hoc merè accidit illi actioni, cùm per ſe poſſit eſſe ſine tali ſubiecto, quoniā Deus, ſicuti creat ex materia, ita poteſt creare ex nihilo:

12 Secunda ratio eſt; quia tale ſubiectum præſuppoſitum reſpectu Dei non eſt ex indigentia agētis, quaſi Deus ex ſe nō poſſet agere, niſi præſupponeret tale ſubiectum; at verò reſpectu creaturæ eſt ex indigentia agentis, quia creatura nequit agère, niſi circa aliquod præexiſtens.

13 Tertia eſt; quia licèt terminus productus per vnam actionem, qua Deus operatus eſt in initio temporis, ſit diſtinctus à termino producto in tempore; attamē actio, per quā agit Deus, in Deo vna, & eadem eſt ab antiquo perſeuerās; ergo ſicut in initio temporis dicitur eſſe ex nullo ſuppoſito ſubiecto, quia per illam producitur ratio vniuerſaliſſima entis, ante quod nihil erat, ſic prout per eādem aliquid producitur in tempore, dicitur creatio, cùm ſit illa eadem, per quā producta eſt vniuerſaliſſima ratio entis in prima rerum conditione, antequam nihil eſſet.

14 Tota hæc doctrina ſumpta eſt *ex Beatiſſ. P. Aug. lib.9. de Gen. ad lit. c.15;* vbi agens de productione *Eua* ex coſta *ipſius Ada* ait fuiſſe creationē, quāuis fuerit facta ex præſuppoſitione naturæ viri; & inſinuat rationē, quia ſcilicet fuit ſine motu, & tranſmutatione ipſius naturæ, his verbis: *Natura quippe mulieris creata eſt, quanuis ex virili, quæ iam erat, non aliquo motu iam exiſtētium naturarum. Et lib.5. c.11.* agens de operibus, quæ facit Deus adminiſtrando materiā iam creatā inquit: *Quis enim operatur iſta, niſi Deus, etiam ſine vllo tali ſuo motu? Et lib. de Fide, & ſymb. c.2.* affert aliā rationē ſuper illud ſymb. *Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli, & Terræ,* dicens; quòd licèt Deus producat ex materia præſuppoſita à ſe priùs creata; attamē quia non producit ex materia tanquam ex adiuuaute productionem, ſicut carnaliter videmus Fabros non producere ſuos effectus, niſi adiuuentur à materia iam parata; ideo Deus dicitur creare, quia materia non ſupponitur ex indigentia agentis; poteſt enim Deus producere ſine iſta, & abſque, quòd adiuuetur ab illa, inde in hoc ſenſu definitio creationis explicatur, quòd *ſit ex nullo præſuppoſito ex indigentia agentis;* eductionē verò ait eſſe ex aliquo præſuppoſito ex indigētia agētis, quod indiget, vt adiuuetur in ſua actione à materia præſuppoſita; verba eius ſunt hæc: *Carnali ſcilicet conſuetudine videntes Fabros domorum, & ſtructores, & quoslibet Opifices, qui niſi adiuuētur parata materia, ad effectum ſuæ artis peruenire non poſſūt; ita etiam intelligunt fabricatorem Mundi non eſſe omnipotentem, ſi Mundum fabricare nō poſſet, niſi cum aliqua ab illo fabricata natura tanquam materies adiuuaret.* Hoc habet etiam *lib. de Nat. Boni c.26.* Alteram rationem, quæ probat creationem eſſe productionem ex nihilo, quanuis ſit ex præſuppoſita materia eo, quia materia præſuppoſita per eandem actionem etiā creatur, & ideo illam actionem eſſe ex nihilo, quia nihil eſt productum ante illam actionem, tradit *ibid. At ſi Omnipotentem Deum Fabricato-*

rem Mundi eſſe concedunt, fateantur neceſſe eſt ex nihilo eum feciſſe, quæ fecit. Non enim aliquid eſſe poteſt, cuius Creator non eſſet, cùm eſſet Omnipotẽs; & quia ſi aliquid fecit ex aliquo, ſicut hominem de limo, non vtique fecit ex eo, quod ipſe non fecerat, quia terram, vnde limus eſt, ex nihilo fecerat. Et paulò poſt. *Quapropter rectiſſimè credimus omnia Deum feciſſe de nihilo; quia etianſi de aliqua materia factus eſt Mundus, eadem ipſa materia de nihilo facta eſt.*

15 Has tres rationes proſequitur *Fund. Doct. in 2. diſt. 1. vbiſup. Primam quidem §. Tertia via* ſic. Agentia naturalia ſunt agentia ſecũdaria, & ideo ſunt organa, & inſtrumenta Dei; nam de ratione agentis ſecundarij eſt, vt agat cũ motu facto in illo ab agente primario; quapropter agens primarium dicitur primum mouens vniuerſaliſſimum; quia mouet omnia alia à ſe, quod nequit eſſe niſi cauſando in omnibus motum, quo mouentur; illud autẽ, quod agit, vt motum ab alio agente principaliter mouente, habet rationẽ inſtrumẽti; de cuius ratione eſt agere, vt motũ à principali agente; quod enim agit, vt motum ab alio, nõ poteſt agere, niſi per motũ ab illo cauſatum in ſe ipſo; cùmque ille motus ſit accidens, & tranſeat extra ipſum agens creatum, quia per illum producit effectum extra ſeipſum, ideo requirit ſubiectum mobile, in quo recipitur, & per conſequens agit ex præſuppoſitione ſubiecti. At verò agens principaliter mouens, quia non agit per motum in ſe cauſatum ab alio agente principaliori, aliter non eſſet primum agens, ideo agit ſine motu; quamuis ſubiectum ſupponatur, & per conſequens agit ſine præſuppoſitione ſubiecti; non enim ſubiectum prærequiritur, niſi ratione motus; ergo quia creatura nequit agere ſine motu cauſato à Deo in illa, ideo nequit creare; Deus verò, quia in omni ſua actione agit ſine motu, ideo in omni ſua actione creat.

16 Secundam rationem proſequitur *Fund. Doct. ibid. §. Secunda via.* Agens naturale in tantùm præſupponit ſubiectum ad ſuam actionem, in quantùm indiget diſponere materiam, vt inducat formam; non enim poteſt immediatè introducere formam ſine præuijs diſpoſitionibus, cũ agat mediantibus accidentibus; diſpoſitiones autem ſunt accidentia, quæ neceſſariò indigent ſubiecto; ſed Deus non indiget diſpoſitionibus, quia poteſt in inſtanti introducere formam in materiam ſimul cum omnibus ſuis accidentibus conſequentibus ipſam formam; ergo licèt Deus præſupponat ſubiectum, attamen quia hoc nõ eſt ex indigentia agentis, ideo dicitur creare, quia illa actio eſt ex nihilo adiuuante ipſum Deum.

17 Tertiam proſequitur *ibid. §. Tertia via; & de eſſe, & eſſent. q. 3. §. Tertia via; & q. 7.* ſic. Primum agens ſimpliciter non ſupponit aliud agens prius ſe ipſo; & ſecundum agens eſſentialiter præſupponit primum agens; ergo actio primi agentis eſſentialiter nõ ſupponit aliã actionẽ; ſicut autem actio primi agentis eſſentialiter non ſupponit actionem agentis ſecundarij; ita effectus primi agentis eſſentialiter nullum alium effectũ ſupponit; agens enim, actio, & effectus eundem ordinem ſeruant inter ſe; ergo actio Dei, vtpotè primaria, non ſupponit aliquem effectum priorẽ ſe ipſa, aliter non eſſet actio primaria; & ideo actio Dei eſt creatio, quia eſt ex nihilo præſuppoſito, quod non ſit creatum ab illa.

18 Illa ergo particula *ex nihilo* poſita in definitione creationis explicatur tripliciter. 1. Ex nullo præſuppoſito tranſmutabili per motum agentis. 2. Ex nullo præſuppoſito ex indigentia agentis. 3. Ex nulla re ſimpliciter, quæ non producatur per illam actionem.

19 Hæc diligenter notanda ſunt; dirimunt enim difficultates, quæ *in ſequentibus art.* proponentur. *His viſis.*

20 Vnica concl. Definitio creationis perfectè, & completè explicatur ex eo, quòd ſit *productio rei ex nihilo*; nec addi debet *rei per ſe ſubſiſtentis*; vt cõtendunt *Thomiſtæ*, & eorũ *Aſſeclæ.*

Prob. 1. Omnis res ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens, non producitur à Deo, niſi per creationem; ergo exactè explicatur creatio, quòd ſit *productio rei ex nihilo*, abſque eo, quòd addatur *per ſe ſubſiſtentis*; imò hæc additio, ſi ſit taxatiua ita, vt reſtringat creationem ad ſolam productionẽ ſubſtantię, falſificat talem definitionem, quia etiã accidens verè, & propriè creatur à Deo. Prob. ant. 1. *Ex Scripturis* habetur, quòd omnis res à Deo non producitur ad extra, niſi per creationem, vt *ſup.* dictum eſt. 2. Omnis res ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidẽs, formaliter eſt creatura Dei; ergo non producitur, niſi per creationem; nam in tãtùm effectus denominatur creatura alicuius agentis, inquantùm ab illo producitur per creationem; hinc homo productus ab alio homine verè, & propriè nõ dicitur creatura illius. 3. Nulla forma ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens, producitur à Deo per eductionem; agẽs enim per eductionem eſt agens per motum, & tranſmutationem, vt *ſup.* dictum eſt; ergo producitur per creationem; nam creatio, & eductio adæquatè diuidunt productionem formæ. 4. Actio, qua Deus producit aliquod ad extra, nihil ſupponit; nam tendit in ens, vt ens, ad ens autem nihil ſupponitur, quia ſupra ens nihil eſt. Prętereà vel illud, quod producitur, eſt ſubſtantia completa, quæ non eſt in ſubiecto, & ſic nihil ſupponit; vel eſt forma, aut accidens exiſtens in ſubiecto, & ſic nihil quoque ſupponit, quia per eandem actionem Deus producit etiam ipſum ſubiectum, & ideo ſemper verificatur, quòd iſta actio ſit ex nihilo præſuppoſito. 5. Agens ex ſuppoſitione ſubiecti eſt indigens adiuuari ab ipſo ſubiecto in ſua actione; cùm enim non poſſit producere immediatè illam formam, ideo indiget ſubiecto, quo mediante illam producit; ſed Deus non indiget

crea-

creaturis,vt adiuuetur ad producẽdã ſubſtantiã,
vel accidens, quia quodlibet immediatè produ-
cit, vt diximus *to.2. q.5. art.1*; ergo non agit ex
præſuppoſitione ſubiecti, ſiue producat ſubſtan-
tiam,ſiue accidens. 6.Quælibet actio Dei eſt pri-
maria; actio enim cauſæ primariæ nequit eſſe ſe-
cundaria,cũ ab illa denominetur,ſicut actio cau-
ſę ſecundæ nequit eſſe ſimpliciter primaria,ergo
quælibet actio Dei eſſentialiter nullam aliam
ſupponit actionem, quia ſupra primum ſimplici-
ter eſt nihil,& per conſequens nullum aliũ præ-
ſupponit effectũ,quia implicat effectus,qui nõ ſit
per aliquã actionẽ;ergo eſt ſimpliciter ex nihilo.

21 Prob.2.Si prædicta definitio,vt iacet,nõ
explicaret adęquatè rationem formalẽ creatio-
nis,maximè,quia gratia nõ creatur, ſed educitur
de potentia obedientiali animæ;ſed conſequens
eſt falſum; ergo & ant. Prob. mi. Illud propriè
dicitur educi, quod producitur mediantibus di-
ſpoſitionibus tranſmutantibus ipſum ſubiectum,
ad quas naturaliter reſultat talis forma, vt *ſup.*
dictum eſt etiam ex doctrina *Thomiſtarum*; ſed
gratia non producitur hoc modo; nam vel illæ
diſpoſitiones diſponentes animam, ad quas re-
ſultaret gratia,eſſent naturales; & ſic non eſſent
proportionatæ ipſi gratiæ, quæ eſt ſupernatura-
lis;& ideo ad illas non poſſet reſultare gratia;
implicat enim, quòd aliquod ſupernaturale na-
turaliter reſultet ad aliquod naturale; aliter ſu-
pernaturale naturaliter haberetur, vt volebat
Pelagius.Vel ſunt ſupernaturales,& ſic de illis in
infinitum quærendum eſſet, quomodò producã-
tur in anima; vel per eductionem ab illa, quæ nõ
fieret,niſi medijs alijs diſpoſitionibus, de quibus
iterum quæri poſſet; vel per creationem, & ſic
euinceretur falſitas ſententiæ *Thomiſtarum* aſſe-
rentiũ nullum accidẽs creari à Deo, & creatio-
nẽ eſſe productionẽ ſolius rei per ſe ſubſiſtentis.

22 Tandem prædicta definitio, vt iacet,tra-
ditur *à SS.PP.*communiter;& quidẽ *à Beatiſſ.P.*
nedum *locis cit.* ſufiſſimè, ſed *alibi* ſæpiſſimè, *à
D.Ambr.lib.1.in Hexam.c.4.& in Euang.c.26*;&
alibi paſſim;*à Iuſtino Mart.in Admonit.cont. Gẽt*;
vbi refert hanc definitionem traditam fuiſſe etiã
*à Platone. A Beda in Gen. c.1; à D.Anſ. in Monol.
c.8;à Mag.Sent. in 2.diſt.1*; *& ab omnibus anti-
quis Theologis*; ſed incõgruum eſt dicere *hos om-
nes Doctores grauiſſimos, & doctiſſimos* locutos
fuiſſe inſufficienter circa definitionem creatio-
nis;ergo prædicta definitio exactè explicat ratio-
nem formalem creationis.

23 Obijc.1.Creari eſt quoddam fieri ſub eſ-
ſe;ergo illis propriè cõuenit creari, quibus pro-
priè conuenit eſſe; atqui eſſe propriè conuenit
per ſe ſolis ſubſiſtentibus, quibus propriè con-
uenit eſſe; nam cetera habent eſſe ſolùm à ſubſi-
ſtentibus.Quapropter *Phil.7.Met.c.1.*ait accidẽs
magis propriè dici entis,quàm ens.

Reſp.diſt.ant.Creari eſt quoddam fieri ſub
eſſe ex nullo præſuppoſito ſubiecto adiuuante
talem actionem,& ſine motu,ac tranſmutatione
& nullam aliam ſupponente actionem, conc; ſe-
cus,neg;& in hoc ſenſu diſt.cõ. Ad mi.ſubſũpt.
dicitur; quòd licèt eſſe ſimpliciter propriè con-
ueniat ſolis ſubſiſtentibus, propter quod ſola
ſubſiſtentia dicuntur entia per ſe; attamen eſſe
ex nullo præſuppoſito ſubiecto adiuuante actio-
nem, & ſine motu propriè conuenit etiam acci-
dentibus; & ideo illis etiam propriè conuenit
creari,quia creari non conſiſtit formaliter in ha-
bere eſſe ex alio, hoc enim conuenit etiam ge-
nerationi, ſed in habere eſſe ex nullo adiuuante
productionem illius.

24 Inſt. Illud, quod dependet in fieri à ſu-
biecto,nõ creatur;& ideo anima rationalis crea-
tur,quia non depẽdet à corpore in fieri;ſed gra-
tia dependet in fieri ab anima; quia fieri impor-
tat eſſe;gratia autem non acquirit eſſe,niſi ab ani-
ma, quia gratia non exiſtit, niſi per eſſe animæ;
ergo gratia non creatur; & ſic dicendum de om-
ni alio accidente.

Reſp.eodem modo diſt.ma.Illud,quod de-
pendet à ſubiecto in fieri per motum, & traſmu-
tationem, tanquam ab adiuuante talem actionẽ,
& producitur per actionẽ alterius agentis, non
creatur, conc; ſed in hoc ſenſu neg.min; quia
gratia non fit per motũ,& tranſmutationẽ animę
adiuuantis Deũ in productione gratiæ; nec pro-
ductio gratiæ ſupponit animam productam,per
aliam actionem alterius agẽtis. Nec ex eo,quòd
gratia recipiat eſſe exiſtens ab anima, tollit gra-
tiam eſſe creatam; ſicut enim licèt materia exi-
ſtat per exiſtentiam formæ, vt fatentur *ipſi Tho-
miſtæ*;non facit materiam non eſſe à Deo produ-
ctam per creationem, ita à pari. Illud, quod de-
pendet in fieri à ſubiecto ſine motu,& traſmuta-
tione illius abſque eo, quòd adiuuetur ab illo
eius productio; & quoties fieri illius, & fieri ſu-
biecti eſt per eandem actionem eiuſdem agen-
tis,non creatur, neg; & in hoc ſenſu tenet min;
ſed neg. conſ. Sic ſoluitur principalis ratio
D.Thomæ,& Thomiſtarum.

25 Obijc.2.Sacramenta,& humanitas Chri-
ſti Domini cauſant inſtrumẽtaliter phyſicè gra-
tiam; in hoc enim differunt à Sacramentis vete-
ris Legis,quæ ſolùm moraliter, vt ſigna, illam
cauſabant;ſed Sacramenta ſunt creaturæ; & nul-
la creatura etiam inſtrumentaliter poteſt eleua-
ri ad creandum; ergo gratia non creatur. Præte-
rea gratia non annihilatur; tum quia Deus nihil
annihilauit eorum, quæ fecit;tum quia peccator
poteſt deſtruere gratiam per peccatum; non ta-
men poteſt illam annihilare,quia eiuſdẽ eſt anni-
hilare,& creare;tum quia non intendit per ſe nõ
eſſe gratiam; nam in tantùm Sacerdos in conſe-
cratione nõ annihilat panem, in quantùm per ſe
non intendit deſtruere panem,ſed conficere cor-
pus Chriſti;ergo gratia non creatur. Tum quia
quamuis gratia non contineatur in potentia na-
turali animæ; attamen continetur in potentia

obedientiali; ergo educitur.

Reſp. *Fūd. Doct. De eſſe, & eſſent. q.6. ad* 10; *& Quodl.* 1. *vbiſ.* diſt.ma. Sacramēta cauſant gratiam indirectè, quatenus producunt aliquem ornatum in anima, poſt quem Deus creat, & infundit gratiam, conc; directè influendo vel principaliter, vel inſtrumentaliter in ipſam productionem gratiæ, neg. Vel dicitur non implicare aliquod produci à Deo per creationem; & à creatura per productionem ex ſubiecto; vt diximus *ſup.* Idem dicitur de Humanitate. Ad aliud neg. aſſumpt. Ad 1. prob. inſertam dicitur Deum nihil annihilaſſe naturarum, quas creauit; non autem accidentium circunſtātium naturas; vnde annihilatio gratiæ manifeſtè habetur *in Scriptura*, nam *David* deſcribens amiſſionem gratiæ poſt peccatum *pſ.* 72. ait: *Ad nihilum redactus ſum*; & *pſ.* 14. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus*; quod ſæpiſſimè repetit; at hoc nequit intelligi de eſſe naturali; ergo de eſſe ſupernaturali ipſius gratiæ. Ad 2. dicitur eodem modo peccatorem annihilare gratiam indirectè, quatenus ponit peccatum, ad quod Deus tollit, & anihilat gratiam. Ad 3. dicitur, quòd ad annihilationē nō ſufficit intendere per ſe non eſſe; ſed requiritur, quòd illud non maneat neque in eſſe, neque in potentia ſubiecti. Quare ſi Sacerdos intenderet efficere corpus Chriſti, & non remanerent accidentia panis, illa actio non eſſet tranſubſtantiatio, ſed annihilatio, quia nihil panis remaneret; etianſi Sacerdos talem deſitionem non intenderet: vnde quòd intendat, vel non intendat per ſe, nihil facit ad annihilationem; ad quam ſolùm facit aliquid remanere, vel non remanere. Ad 3. neg. conſ; quia ad eductionem non ſufficit continentia in potentia, ſed requiritur fieri per alterationem præcedentem factam mediantibus accidentibus diſponentibus ipſum ſubiectum, quo modo non fit gratia; & ideo licèt contineatur in potentia obedientiali; attamen non educitur, vt *ſup.* dictum eſt.

26 Obijc. 3. Ideo creatur anima rationalis, quia per eandem actionē, qua producitur in corpore, poſſet produci extra corpus, & naturaliter exiſtere, cùm ſit per ſe ſubſiſtens; ergo gratia, quia nequit naturaliter exiſtere ſeparata, propriè non creatur.

Reſp. neg. cauſalem ma; quia etſi materia nequeat naturaliter exiſtere ſeparata à forma, vt fatentur *Thomiſtæ*; attamen ex hoc non ſequitur, quòd non creetur. Ratio ergo, ob quam anima creatur, non eſt hęc, ſed ſuperiùs aſſignata.

27 Obijc. 4. Gratia in ratione generica accidentis conuenit vniuocè cum ceteris accidentibus; qualitas enim eſt genus vniuocum ad gratiam, & alia accidentia; ſed cetera accidentia, quatenus accidentia ſunt, educuntur de potentia ſubiecti: ergo & gratia.

Reſp. neg. min; nam eductio directè reſpicit formam, quatenus indiuiduam, & ſingularem; nō autem illam reſpicit ſecundùm gradus vniuerſales; idem enim dicendum de eductione, quod dicitur de corruptione, quæ illi opponitur; corruptio autem non fit ſecundùm gradus vniuerſales, qui ſecundùm ſe ſunt neceſſarij, & incorruptibiles, nec corrumpuntur, aut generantur niſi ratione graduum ſingularium, qui vtpotè contingentes, ſunt corruptibiles, & generabiles; & ideo accidentia ſecūdùm rationem genericam nec educuntur, nec corrumpuntur per ſe, ſed tantùm per accidens indirectè ratione graduum ſingulariū, cum quibus nectuntur.

28 Obijc. 5. *In Scripturis* infuſio gratiæ vocatur generatio; vt 1. *Cor.* 4. *Per Euangelium ego vos genui*; & *Iac.* 1. *Genuit nos verbo veritatis*; & 1. *Pet.* 2. *Sicut modò geniti infantes.* Hinc renouati per gratiam vocantur filij; vt *Rom.* 8. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij ſunt Filij Dei; non enim accepiſtis Spiritum Dei in timore, ſed accepiſtis Spiritum filiorum Dei, in quo clamamus: Abba Pater; & ad Gal.* 2. *Omnes enim Filij Dei eſtis; &* 1. *Io.* 2. *Vt Filij Dei nominemur, & ſimus*; & ſæpiſſimè *alibi*; ergo productio gratiæ non eſt creatio: nam creatio contradiſtinguitur à generatione, & non habet pro termino filium, aut genitum, ſed creaturam, vt *ſup.* dictum eſt.

Reſp. infuſionem gratiæ vocari generationem adoptiuam; vt explicat *ibid. Apoſt. Rom.* 9. dicens: *Quorum adoptio eſt filiorum, & ad Gal.* 3. *Vt adoptionem filiorum reciperemus*; generatio autem adoptiua non eſt vera generatio, ſed aſſumptio in filium, & liberalis donatio hæreditatis; nec filius adoptiuus eſt verè genitus, vnde nō dicitur filius naturalis, ſed legalis, qui verè non eſt genitus per veram generationem; & ideo ait *Pet. Quaſi modò geniti*; facit enim ſenſum, quòd Deus aſſumit per gratiam iuſtos in Filios, ac eis ſpondet hæreditatem ſui Regni, quaſi illos genuiſſet; ergo ſi verè non generantur per gratiam, verè creantur: cùm inter generationem, & creationem non detur medium; ſicut inter eductionem, & creationem formæ aliquod non intercedit. Hinc *Epheſ.* 2. iuſti dicuntur creati: *Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu*; & *ad Gal.* 6. gratia dicitur *noua creatura*; & *pſ.* 50. habetur: *Cor mundum crea in me Deus*; ſed cor mundum eſt gratia; ergo gratia à Deo creatur. Igitur ſi gratia dicitur generatio adoptiua *in Scripturis*, quæ non eſt vera generatio naturalis, ſed eſt, ac ſi eſſet generatio; & pariter dicitur creatio non ſimilitudinaria, & adoptiua, manifeſtè colligitur gratiam verè, & propriè creari, non educi; & per hoc magis roboratur noſtra ſententia.

29 Obijc. 6. Actus ſupernaturales non creātur, ſed educuntur de potentia vitali habitu ſupernaturali affecta; ergo idem dicendum eſt de habitibus ſupernaturalibus.

Reſp. 1; quòd ſicut actus vitales animæ rationalis educuntur ab anima, & tamen anima creatur, nō educitur; ita à pari. 2. Dicitur actus vi-

-vitales non educi propriè, quia nō fiunt per motum, & tranſmutationem materiæ, ſed produci; creantur enim à Deo in noſtris potētijs;& ijs potentiæ tendunt actiuè in ſua obiecta, vt diximus *to.2.de Scient.Dei q.5.art.1.§.2;3;& ſeq*;vnde illa productio non eſt vera actio de prædicamento actionis, ſed eſt de prædicamento qualitatis habens modum actionis, quia per illam nullus producitur terminus; quapropter dici ſolet *actio grammaticalis*;quia per illam tendit in obiectum iam exiſtens præſuppoſitiuè.

30 Obijc.7. Si actio, qua Deus adminiſtrat materiam iam creatam ſimul cum creatura producendo entia, quæ fiunt ex materia iam præſuppoſita,eſſet creatio,ſequeretur,quòd creatura non ageret per actionem Dei;nam creatura nequit agere per creationem, vt *inf*; ſed huius oppoſitum dictum eſt *to.2.de Scient.Dei q.4.ar.1. §.1;2;& 3*;ergo actio,qua Deus producit res ex ſuppoſitione materiæ, non eſt creatio; & ideo productio gratiæ ſupponens ſubiectum non eſt creatio.

Reſp.neg.ſeq.ma;nam ſicuti non implicat, quòd idem effectus producatur ſimul à Deo per creationem, & à creatura per eductionem; ita non implicat,quòd eadem actio reſpectu Dei ſit creatio, quia tendit formaliter in rationem entis,quam totam producit,& ideo nihil ſupponit; cùm ſupra ens nihil ſit;& reſpectu agentis creati ſit eductio,quia tendit in tale ens,quod eſſentialiter ſupponit rationem entis, quam contrahit;& ideo eſt ex aliquo præſuppoſito.

31 Colligitur, quòd ſi loquamur de creatione actiuè ſumpta, poteſt naturaliter demonſtrari; quia creatio actiuè immanenter ſumpta poteſt demonſtrari per continentiam omnis eſſe; quod enim continet omne eſſe, poteſt illud producere; & quod producit omne eſſe, agit ex nullo præſuppoſito;omnipotentia autem eſt paſſio, quæ ſolùm eſt demonſtrabilis de ſubiecto; vt diximus *to. 1.de Scient. Dei art.5.§.1.* Si autem loquamur de creatione tranſeunter ſumpta,licèt propriè non poſſit demonſtrari, quia eſt ipſum eſſe ſubſtantiale creaturæ, & ſubſtantia eſt indemonſtrabilis;attamen poteſt naturaliter conuinci;vt patet per rationes adductas in concl.

32 Dices *cum noſtro Greg;& alijs. Ariſt; & Plat.*ignorauerunt creationem; ergo ſignum eſt non eſſe naturaliter demonſtrabilem. Tum quia omne ens vel eſt ſubſtantia,vel accidens;ſed non poſſumus naturaliter cognoſcere accidens poſſe produci extra ſubiectum;ſi ſubſtantia;vel eſt ſpiritalis,vel materialis;ſed ſpiritalis vix poteſt cognoſci,vt exiſtat;& materialis educitur;ergo nequit naturaliter cognoſci creatio. Tum quia creatio eſt entis,in quantùm ens; ſed ens, vt ens, non eſt factibile;ergo non eſt cognoſcibilis creatio. Tum quia ad creandum requiritur virtus infinita,quæ naturaliter eſt indemonſtrabilis.

Reſp.ad 1;quòd *Plato* cognouit creationē, vt diximus *ex Iuſtino n.21*; & licèt non cognouiſſet; attamen non ſequitur non eſſe cognoſcibilem,quia non eſt certum illos cognouiſſe omnem veritatē naturalē, licèt plurimas cognouerint. Ad 2.reſp;quòd ſubſtātia primò creata non potuit eſſe producta ex alia ſubſtantia, aliter nō fuiſſet prima,ſed naturaliter cognoſcitur fuiſſe primam ſubſtantiam, quia cognoſcitur non dari proceſſum infinitum in cauſis; ergo cognoſcitur primam ſubſtantiam nō eſſe ex alia, & ideo fuiſſe creatam. Ad 3.dicitur creationem eſſe entis, in quantū ens,non quòd creetur totum id,quod cōtinetur ſub latitudine entis; ſed quia nihil rei ſupponitur; vt *in ſeq. art.* Ad 4.neg. mi;vt diximus *to.1.de Infinit.*

ART. II.

Quid importet creatio ex parte Dei, & creaturæ?

1 FVnd.*Doct.q.7. de eſſe, & eſſent.in princ. corp;& Quodl.6.q.4.*circa medium ait, quòd in omni productione interuenit duplex actio. Vna,per quam agens, quod erat in potētia ad agendum,fit in actu ſecundo agens;& hæc eſt immanens in ipſo agente; & ſecundùm hanc dicitur: *Agens actu agit,in quantùm actu eſt*; quia per hanc actionem agens reducitur de potentia ad actualem actionem, per quam perficitur intrinſecè, & completur in ratione agentis; virtus enim, ſeu potentia agentis per actualem actionē perficitur,actuatur,& completur; illud autem, per quod aliquod intrinſecè perficitur,actuatur, & completur,eſt intrinſecè in illo,vt conſtat. Altera,per quam effectus ad extra producitur, immutatur, & ponitur ſub eſſe actuali; & hæc eſt actio tranſiens; quia tranſit ad perficiendum intrinſecè effectum ponendo illū ſub eſſe actuali; ſicut enim actio immanens, quia intrinſecè perficit agens,in illo intrinſecè eſt;ita actio trāſiēs, quia per illam perficitur effectus, ponitur enim ſub eſſe actuali,quod eſt ipſius perfectio, & conſummatio,intrinſecè eſt in effectu. Hanc doctrinam ſumpſit *B.Doct.de eſſe,& eſſent.vbi*ſ.*ex Phil. 9. Met*;vbi ait:*Dicemus enim,vt vult Phil.9.Met; quòd duplex eſt actio;quædam tranſiēs in exteriorem materiam,quæ eſt perfectio operati; & quædā manens in agente,quæ eſt perfectio operātis.*Et iſtæ duæ actiones diſtinguuntur realiter,quia ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis,atque adeo actio immanens eſt in agente;& trāſiens eſt in effectu ita, quòd actio tranſiens ſit ab actione immanente.

2 Conf.*ex eodē Quodl.6.vbiſ.* Actiones naturales *ex 7.Met.à c.25.ad 31;& 8.t.c.5.* aſſimilantur actionibus artificioſis;ſicut enim v.g.productio domus extra animam fit ab actione,qua producta eſt domus in anima; ita calefactio in calefactibili fit à calore in calefaciente, ſed productio domus extra animam eſt actio tranſiens, quæ recipitur in effectu; & productio domus in anima eſt actio immanens, quia eſt intellectio; ergo actio tranſiens eſt ab actione immanente.

Actio

3 Actio autem tranſiens, vt habet *ibid*; poteſt adhuc dupliciter conſiderari. 1. Vt recipitur in paſſo, & ſic eſt paſſio, nõ actio. 2. Vt eſt via ad paſſum, & ſic eſt actio; paſſũ enim verè efficitur per aliquod tranſiens ab agente in ipſum; & ideo illud idem, quod tranſit ab agente in paſſum, & in paſſo recipitur, prout eſt ab agẽte, dicitur actio; prout verò recipitur in paſſo, dicitur paſſio; non autem eſt duplex res, quæ tranſit, & recipitur, ſed vna, & eadẽ ſub diuerſo reſpectu; ſcilicet ſub reſpectu ad agens, & ad paſſum; ſicut vna, & eadem eſt via, qua itur *Athenis Thebas, & Thebis Athenas*, ſub diuerſo tamen reſpectu. Hoc pacto actio dicitur *via in eſſe*, non quòd actio, & eſſe effectus realiter diſtinguantur, ſed quia diſtinguuntur ſolùm ratione; & actio priùs ratione intelligitur, quàm paſſio.

4 Ex his patere poteſt, quid ſit creatio actio ex parte Dei; ſeu quid creatio importet in Deo; importat enim actum immanentem ipſius Dei perſeuerantem ab antiquo æternitatis in illo ſine vlla temporalitatis mutatione; vt ait *Fund. Doct. ibid; & lib. 1. Met. q.* 28; qui actus eſt velle, & intelligere Dei, quatenus Deus eſt agens per intellectum, & voluntatẽ, ſeu à propoſito; & importat ipſum Diuinum eſſe, prout cõmunicabile creaturis, per quod conſtituitur omnipotentia; ſicut enim calefactio ſupponit, & importat eſſe actu calidum in calefaciente immanenter intrinſecè, per quod calefaciens calefacit extrinſecè, quia *agens in tantùm agit, in quãtùm actu eſt ſecundùm eam formam, per quã agit*; vt dicebamus; ita creatio importat eſſe in Deo immanẽter perſeuerans, per quod Deus communicat eſſe creaturis illas creando.

5 Dices. 1. Implicat dari actionem ſine termino; quia actio eſt *via ad terminũ*; ſed ab æterno non datur terminus creationis, quia non datur creatura; ergo creatio non importat actionẽ immanentem ab æterno in Deo. 2. Vel illa actio eſt actus primus, & ſic non eſt, niſi virtus agentis proximè potens agere, vt patet de calore in calefaciente, qui non eſt actualis operatio, ſed virtus calefaciendi; vel eſt actus ſecundus, & ſic eſt ipſa actualis productio creaturę, quę nequit eſſe ſine creatura producta. 3. Actio denominat agẽs; ſed Deus nõ dicitur creans ab æterno; denominatio enim Creatoris aduenit Deo extrinſecè in tempore; ergo creatio non importat actionem immanentem in Deo ab æterno.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Actio trãſiens, ſeu prout eſt tranſiens, eſt via ad terminum, conc; via enim eſt id, quo ad terminum tẽditur, actio immanẽs, neg. Vel actio eſt via ad terminum ponendum in tempore, conc; & ſic actio immanẽs Dei ab æterno eſt via ad creaturam, quia creatura ab æterno eſt terminus ponendus, non tamen eſt terminus actu poſitus; & ratio eſt, quia actio eſt via, per quam producitur terminus, & ideo quando eſt via, non eſt terminus; aliter terminus iam ſupponeretur, vt productus, & ſic per ipſam nõ produceretur. Eſt via ad terminum productum, neg. Ad 2. dicitur, quòd actio immanens eſt actus ſecundus agentis, quo agens vltimatè perficitur in ratione agentis; neg. tamen, quòd ſit ipſa actualis productio rei, quia actualis productio rei eſt actio paſſiuè ſumpta recepta in ipſa re, quæ non diſtinguitur ab ipſa re, & ideo nequit eſſe ſine illa; actus autem ſecundus immanens nõ eſt in ipſa re, ſed in agẽte, & ideo ab illa realiter diſtinguitur, & poteſt eſſe ſine illa. Ad id de calore dicitur, quòd in tantùm eſt actus primus, in quãtùm calefaciens, cùm ſit agens per motum, & tranſmutationem, nequit actu agere, niſi fiat motus in illo, per quem motum virtus calefacientis reducitur ad actum ſecundum, & vltimatè perficitur per ordinem ad actualem operationem. At verò Deus eſt agẽs ſine motu, & ideo etiam ſine motu actus immanens Dei dicitur actus ſecundus, quia præter illum nihil ampliùs Deus expectat, vt actu producat creaturas, quæ ſolùm ponũtur ſub eſſe pro eo tunc, quo Diuina volũtas decreuit illas ponere. Ad 3. diſt. ma. Actio tranſiẽs denominat agens, conc; actio immanens, neg; nam actio immanẽs denominat causã vltimatè actuatam in ratione agendi, vt dictum eſt, cùm ſit perfectio intrinſeca illius; actio autem tranſiens importat actualem productionem rei, à qua agens dicitur actu agere, & ideo cum actualis creatio rei ſit tantùm in tempore, Deus denominatur Creator tantùm in tempore, etſi ab æterno ſit in Deo actus immanens, à quo denominatur vltimatè actuatus in ratione agendi.

6 Supereſt modò videre, quid importet creatio formaliter in creatura, circa quod lis eſt *inter Doctores*.

7 Prima ſententia vult creationem, quatenus actio eſt, eſſe merè immanentem in Deo, non tranſeuntem; nec ponere in creatura niſi relationem realem creaturę ad Deum. *Cit. Scot. in 2. diſt. 2. q. 1; Ric. ibid. q. 2; & 3; Dur. q. 1; Capr. q. 2. art. 1; & Caiet; Ban; Vaſq. hic. Zum.* ita explicant *S. Tho. Io.* tamẽ *à S. Tho. in Phyſ. q. 14. art. 4; & 1. p. q. 44. art. 2.* ait actionem duo importare, ſcilicet actionem immanentem, quæ eſt in agente, reducentẽ ipſum agẽs de actu primo ad ſecundum, & emanationem ab agente, quæ recipitur in termino, & ſecundùm hanc eſſe actionem tranſeuntem; addit tamen hanc emanationem tranſeuntem nõ importare niſi relationem dependentiæ à Deo; quamuis *1. p. vbiſ. n. 11. §. Dico* 2; vbi reſoluit difficultatem, videatur dicere creationem importare ipſam creaturam, vt dependet in eſſe à Deo, & per conſequens importare formaliter ipſum eſſe creaturæ. Quantùm ad primum non diſcordat *iſte Auctor à Fund. Doct*; vt *ſup.* viſum eſt; & ſi rectè explicaret ſecundum, concordaret in omnibus; vt *inf.*

8 Secunda ſententia vult creationẽ in creatura nihil aliud eſſe niſi ipſam eſſentiam creatu-

ræ; vt creationem Angeli eſſe ipſam eſſentiam Angeli;à qua eſſentia creatio non differt,niſi ratione. *Ita Nominales, noſter Greg.in 2.diſt.1.q.4; & 5;Okam.ibid.q.1;& alij*.

9 Tertia ſententia docet creationem tranſeunter ſumptam formaliter importare in creatura eſſe in fieri,quod dicit ſolùm modum ipſius eſſe;ſcilicet cum dependẽtia,& reſpectu adDeũ. *Ita Fund.Doct.in 2.diſt.1.p.1.q.3.a.2;& Quodl. 6.q.4;& de eſſe,& eſſent.q.7;Argent.in 2.diſt.19. q.1.art.1;& diſt.37.q.1.art.1;& 2; Sua. in Met. diſp.20.ſect.5;Gabr;& Aureol.in 1.diſt.1.q.2;Conimb.8.Phyſ.c.2.q.1.art.3;& alij*. Diſcrimen tamen eſt inter *hos Auctores*;nam *aliqui* volũt importare ſolum modum,vt realiter diſtinctum ab eſſe,quod eſt terminus ipſius modi; vt *Sua. in Met.diſp.20.ſect.5*; qui modus eſt dependentia ipſius creaturæ à Deo. *Nos* tamen dicimus importare ipſum eſſe non quomodocunque, ſed vt dependens, & communicatum à Deo ita, vt dependentia,ſeu reſpectus non ſit aliud ab ipſo eſſe;ſed ſit modus indiſtinctus ab ipſo,quidquid in contrarium dicant *aliqui ex noſtris*, qui in hac parte videntur ſequi potiùs *Sua*; quàm *Fund. Doct*,qui *de eſſe,& eſſent.vbiſ*.in fine *corp*.ait.*Aduertẽdum tamen,quòd multoties inuenimus,& nos ipſi diximus,quòd creatio eſt relatio, & reſpectus quidam, vtrunque autem ſuo modo veritatem habet;nam creatio poteſt mihi dicere ipſum eſſe,& ipſam relationem fundatam in eſſe; ſic enim dicemus de creatione reſpectu eſſe,& reſpectu relationis fũdata in eſſe; ſicut dicimus de potentia quantùm ad reſpectum fundatum in materia*.Et paulò poſt. *Et ſic potentia materia duo poteſt dicere, videlicet ipſam eſſentiam materia, & reſpectum fundatum in huiuſmodi eſſentia.Sic creatio duo poteſt dicere; & ipſum eſſe creatura, & reſpectum fundatum in tali eſſe,nam ex hoc creatura creatur; quia communicatur ſibi eſſe à Deo;ex qua communicatione cõſurgit quidam reſpectus ipſius creatura ad Deum*. Tandem concludit: *Sic creatio dicit ipſum eſſe creatura,in quo fundatur reſpectus ad Creatorẽ, ſed eſſe cum tali reſpectu non dicit aliam rem,quã ipſum eſſe;ſed dicit ipſum eſſe cum tali conditione, & cum tali modo ſe habendi, vt habet talem depẽdentiam ad ipſum Deum*. Idem penitus habet *in 2.vbiſ.§.Aduertendum*.

10 Vnica concl. Creatio ex parte Dei importat actum immanentem intra Deum;ex parte autem creaturæ importat ſolùm ipſum eſſe, per quod exiſtit creatura, cum reſpectu dependentiæ à Deo.

11 Prima pars concl. ſufficienter probata eſt *ſup.à n.1.ad 6*.

Prob.2.pars.1. *ex Beatiſſ.P.lib.4.de Gen.ad lit.c.12*;vbi docet:*Creatoris namque potentia, & omnipotẽtis,atque omnitenentis virtus cauſa ſubſiſtẽdi eſt omni creatura;qua virtus ab eis,qua creata ſunt,regẽdis ſi aliquãdo ceſſaret,ſimul & illorũ ceſſaret ſpecies,omniſque natura concideret. Et lib. 9.c.15. Si Deus ſubtrahat operationem intimam, qua eam ſubſtituit,& facit, continuò tanquam extincta nulla remanebit*.Ex quo ſic.1.Illud formaliter importat actio in effectu, quod formaliter cauſat in illo; quia omnis actio formaliter importat in ſuo termino id, quod eſt ſpecificatiuũ illius;& ideo illud,quod ſe habet formaliter, nõ materialiter,quia formale ſolùm,non materiale, eſt ſpecificatiuum; ſed creatio cauſat formaliter exiſtentiam,aut ſubſiſtẽtiam, quæ nihil aliud eſt, quàm exiſtentia in ſe, & per ſe; nam creatio formaliter facit rem exiſtentem, quod nequit eſſe niſi formaliter cauſando exiſtentiam; ſicut Dealbator nequit facere parietem album niſi cauſando albedinem in illo; ergo creatio importat in creatura formaliter ipſum eſſe, per quod exiſtit creatura. 2. Operatio Dei importat formaliter id,quod facit ſubſiſtere creaturam,& quo ablato cratura abit in nihilum; ſed hoc eſt exiſtentia, nã ipſa facit rem eſse extra nihilum à parte rei, & ſine ipſa res redit in nihilum; ergo formaliter importat eſſe.

12 Præterea illud formaliter importat creatio in creatura,quo poſito ponitur creatura, & quo ablato aufertur creatura,& ſine quo nequit eſſe,& intelligi actualis creatio creaturæ;ſed poſita,& ablata exiſtentia ponitur,& aufertur creatura,& ſine ipſa actualis creatio nequit eſſe, aut intelligi actualis creatio creaturæ; ergo creatio importat formaliter eſſe creaturæ.

13 Prob.3. *à Fund.Doct.in 2. vbiſ.Via prima,& alijs in locis cit*.Creatio ex parte creaturæ illud formaliter importat, quod tranſit in externam materiam; ſed illud,quod tranſit in externã materiam,eſt ſolùm eſſe creaturæ; ergo formaliter importat ſolùm eſſe creaturæ.Ma.patet;quia creatio ex parte creaturæ eſt actio tráſiens,creatura enim eſt aliquid productum extra Deum, & ideo non producitur niſi per actionem ad extra,& per conſequens per actionem tranſeuntẽ; ſed actio tráſiens definitur,quòd ſit *illa,qua tráſit in externam materiam*; ergo creatio ex parte creaturæ formaliter importat id, quod tranſit in externam materiam; illud enim,quod importatur in definitione,importatur formaliter, quia importatur eſſentialiter,definitio namque eſt eſſentia rei.Prob.mi.Quamuis per creationem producatur totum,ſcilicet tam eſſentia, quàm exiſtentia rei, quia creatio eſt ex nullo præſuppoſito; attamen non dicitur totum tranſire in externam materiam, aliter vel totum reciperetur in aliquo ſubiecto, in quod tranſit, & ſic non eſſet totum,quia etiam illud ſubiectum eſſet pars illius; ſicut materia, in qua recipitur forma, eſt pars compoſiti;vel totum diceretur tranſire in ſe ipſum,& ſic eſſet vitioſa locutio,tráſitus enim importat itionem in aliquod extra; nam tranſire idem ſonat,ac ire extra, ſeu vltra,idem autẽ nequit ire extra,vel vltra ſe ipſum. Nec ipſa eſſentia dicitur tranſire in eſſe, quia eſſe eſt actus eſ-

ſen-

ſentiæ;& in actum nequit eſſentia tranſire; nam illud, in quod aliud tranſit, eſt ſubiectum ſuſceptiuum illius; & ſuſceptiuum alterius eſt potentia paſſiua, non actus; & quāuis materia dicatur trāſire ad formam, nō tamen dicitur tranſire in formam; quia illa particula *in* dicit receptionem; ergo illud, quod tranſit in externam materiam, eſt ſolùm eſſe creaturæ; nam præter totum, & eius partes, quæ ſunt eſſentia, & exiſtentia, nihil aliud poteſt inueniri.

14 Not. tamen, quòd cùm dicimus *in externam materiam*, tunc materia ſumitur latè, prout ſignificat aliquam ſubſtantiam.

15 Conf. *ex eodem ibid.* §. *Reſpondeo.* Quanuis in generatione ſubſtantiali, quæ fit per eductionem formæ, per ſe tantùm generetur compoſitum, & partes ſolùm ratione compoſiti; quia potentia paſſiua, cùm dicat non eſſe, nequit per ſe produci; cùm productio dicat communicationem eſſe, quod nequit ſtare ſimul cum non eſſe; & actus de ſe dicit eſſe; & ideo propriè nequit ei communicari eſſe, quia illud habet de ſe; imò nō eſt niſi ipſum eſſe; idem autem nequit ſibimet communicari; attamen generatio actio formaliter importat ſolùm eſſe cōmunicatum ſubiecto; vt v. g. calefactio formaliter importat ſolùm calorem cōmunicatum ſubiecto; & productio ignis ſolùm eſſe formæ ignis communicatum materiæ; ergo quanuis in creatione producatur totum, ſcilicet eſſentia, & exiſtentia; attamen creatio actio importat formaliter ſolùm eſſe, quod recipitur in eſſentia, non autem ipſam eſſentiam, niſi de materiali, tanquam materiam, in qua recipitur ipſum eſſe tranſiens, & quæ producitur in toto ſimul cum ipſo eſſe.

16 Dices. Ideo in generatione ſubſtantiali importatur ſolùm eſſe, quia ſubiectum præſupponitur; at verò in creatione totum producitur ſine præſuppoſitione ſubiecti; & per conſequens totum importatur.

Reſp. *Fund. Doct. ibid.* neg. cauſalem; nam creans, & generans in hoc vniformantur, quòd actio vtriuſque importat formaliter ſolùm eſſe receptum in ſubiecto; diſcriminantur autem, quòd generans præſupponit tempore ſubiectū, quod non producit ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, quatenus illud facit eſſe ſub tali eſſe; creans verò immittendo eſſe ſimul comproducit ſubiectum pro eodem inſtanti temporis.

17 Explicatur magis. Creatio nihil aliud eſt, quàm factio eſſe; quapropter dicitur communiter terminari ad exiſtentiam; & eſſe viam ad eſſe; ergo creatio nihil aliud importat niſi ipsū eſſe creaturæ; ſicut enim calefactio nihil aliud eſt in calefacto niſi calor productus, etianſi totū calefiat; & licèt calefactio, & calor productus differant; attamen non differunt niſi penes imperfectum, & perfectum; vnde ſi per calefactionem introduceretur totus calor in inſtanti, non differrent; imò ſi calefaciens eſſet ſuum eſſe, & produceret per eandem calefactionem nedum calorē, ſed etiam ipſum calefactibile; attamen illa calefactio importaret formaliter ſolùm calorem, & & ipſum calefactibile ſolùm materialiter; ita creatio trāſeunter ſumpta nihil aliud eſt formaliter, niſi ipſum eſſe creaturæ, & importat ſolùm materialiter ipſam eſſentiam. Et ſic euertitur ſecunda ſententia.

18 Prob. 4. *ab eod. ibid. Via ſecunda.* Actio tranſiens eſt perfectio effectus, ſicut actio immanens eſt perfectio agentis; nam agens, quod erat tantùm in potentia ad agendum, per actionem immanentē in ipſo receptam fit actu agens: & ita effectus, qui erat tantùm in potentia ad eſſendum, per actionem tranſeuntem fit actu exiſtens; ſed perfectio effectus eſt eſſe illius, vt dictum eſt; ergo creatio trāſeunter ſumpta importat formaliter ſolùm eſſe creaturæ.

19 Conf. Actio trāſiens formaliter eſt actus, quo effectus conſtituitur formaliter exiſtens extra ſuas cauſas; actio enim idem ſonat, ac actus; & ideo intellectio vocatur actus, & actio intellectus; ſed actus, quo res formaliter conſtituitur exiſtens extra ſuas cauſas, eſt exiſtentia; ſic enim communiter definitur exiſtentia; ergo creatio tranſeunter ſumpta importat formaliter exiſtentiam creaturæ.

20 Prob. 5. *ab eodem ibid. Tertia via.* Creatio tranſiens eſt aſſimilatiua creaturæ ad Deum; nam cùm Deus ſit agēs per ſuas ideas, ideo agit per aſſimilationem; idæa enim aſſimilat ſibi ideatum; ſed aſſimilatio inter Deum, & creaturam fit ſecundùm eſſe; nam licèt idæa cognitionis, ſeu conſiderationis attendi poſſit etiam ſecundùm eſſentiam; idæa tamen factionis, ſeu productionis importat ſolùm eſſe effectus; vt diximus *to. 2. de Ideis art. 7*; ergo creatio tranſiens importat ſolùm eſſe creaturæ.

21 Tandem prob. Actio tranſiēs nihil aliud eſt formaliter, quàm ipſum fieri rei, ſeu ipſa res in via ad eſſe; vt calefactio non eſt niſi calor in fieri, ſeu in via; ſicuti paſſio nihil aliud eſt, quā ipſum eſſe receptum, & in termino; ſed creatio ex parte creaturæ eſt actio tranſiens; quia creatio ex parte creaturæ eſt extra Deum, qui eſt cauſa; ergo creatio ex parte creaturæ importat eſſe ipſius creaturæ explicatum per modum fieri, & vt ſicut creatio paſſio importat eſſe receptum in creatura ſignificatum per modum termini. Tum quia creatio actio, & creatio paſſio non diſtinguuntur, niſi vt res in via, & res in termino; ſed vna, & eadem res realiter eſt in via, & in termino; ergo vnam, & eādem rem dicit creatio actio, & creatio paſſio; ſed creatio paſſio dicit eſſe in termino; ergo creatio actio dicit idem eſſe, vt in via. Exemplum huius affert *Fund. Doct. q. 5. de Menſ. Ang.*; nam ſicut eſt eadem aqua, quæ eſt in vaſe, & quæ fluit à vaſe; ita eſt idē calor, qui eſt in igne, & qui fluit ab igne; ſed prout fluit ab igne, eſt calefactio actio, & prout eſt in igne genito, eſt eſſe

eſſe caloris;ergo actio idem eſt,ac eſſe effectus.

22 Tertia pars concl. faciliter prob. Eſſe creaturæ, quod importat creatio, vt actio tranſiens, eſt eſſe eſſentialiter acceptum à Deo creãre;ſed eſſe acceptum ab alio eſt eſſe dependens, quia dependentia in eſſe nihil aliud dicit, quàm acceptionem eſſe à cauſa;& dependentia fundat relationem ad cauſam; nam eſſe acceptum non eſt eſſe abſolutè ſumptum; Deus enim habet eſſe abſolutè ſumptum, & tamen non habet illud acceptum ab alio,vt à cauſante;ergo eſſe, quod importat creatio,vt actio tranſiẽs, eſt eſſe,vt dependens,& fundãs reſpectum creaturæ ad Deũ.

23 Conf. Eſſentia Diuina,vt eſt in Filio,dicitur habere diuerſum modum eſſendi,ac habet, prout eſt in Patre,quia in Filio eſt,vt communicata,& accepta à Patre per idẽtitatem puriſſimã; & ſic fundat relationem ad Patrem;in Patre autem eſt,vt incommunicata, & inaccepta ab alio; ſed in creatura eſt eſſe, vt acceptum à Deo per creationem;ergo illud eſſe dicit modum dependentiæ fundantis relationem ad Deum.

24 Prob. denique, quòd creatio, quatenus actio tranſiens, non importet pro illo priori naturæ,quo antecedit creationem paſſionem, quæ eſt terminus actionis,puram relationem, vel modum realiter ſeparatum ab ipſo eſſe mediantem realiter inter ipſum Deum,& creaturas.Relatio, & modus eſſentialiter fundantur ſuper aliquam rem abſolutam; aliter eſſet relatio,& modus nihili;quia in nihilo fundaretur; ergo creatio,quatenus actio tranſiens, nequit importare puram relationem,aut modum ſine re,cuius eſt modus.

25 Eadem ratione reijcitur; quòd creatio actio ſit accidens,vel ſubſtantia media inter eſſe creaturæ,& Deum; nam ſi eſſet accidens, illud pro illo priori naturæ eſſet ſine ſubiecto; & ſic creatio non eſſet naturalis, ſed ſupernaturalis; aliter modus exiſtendi per ſe quantitatis panis in Sacramento Altaris non eſſet ſupernaturalis; tum quia Deus produceret ſubſtantiam mediante accidente, non immediatè; tum quia actio, & terminus non eſſent eiuſdem generis, nec ſpeciei;cùm tamen vnum ſit ſpecificatiuum alterius, & ideo ſint eiuſdem ſpeciei.Si eſſet ſubſtantia, iam illa eſſet creata, quia quidquid eſt in creatura,creatum eſt; ergo eſſet creata per actionem creatiuam;quæ pariter deberet eſſe ſubſtantia, & ſic in infinitum;ergo nequit eſſe ſubſtantia, vel accidens.Sed pro ſolutione argumentorum tria quærenda ſunt.

26 Quæres 1;an relatio cõſurgens ex actione creatiua ſit prædicamentalis, vel trãſcendentalis; & ideo an diſtinguatur realiter ab actione?

27 *Io.à S.Tho. hic diſp.18.art.2.n.4; & ſeq.* vult eſſe prædicamentalem, & ideo eſſe accidẽs realiter diſtinctum à ſubſtantia; quia accidentaliter aduenit creaturæ;non enim ſubſtantia creata eſſentialiter ordinatur in Deum.

28 Verum *ex Fund.Doct. ſuperiùs n.9.*dicẽdum eſt talem relationem non eſſe prędicamentalem, quia non eſt accidens; fundatur enim in ipſo eſſe creaturæ, quod eſt ſubſtantiale; relatio autem non diſtinguitur realiter à ſuo fundamẽto; vt diximus *to.2.de Trin.q.5. art. 4.n.5.* Et licèt eadem res accidentalis,vt docet *q.5.de Mẽſ. Ang.in princ*; ſecundùm alium,& alium modum poſſit eſſe in alio,& alio prædicamento;vt calor, qui, vt inhærens ſubiecto, eſt in prædicamento qualitatis,& vt fluens ab ipſo in effectum,eſt in prædicamento actionis;attamen in ſubſtãtia hoc eſſe nequit; quia impoſſibile eſt ſubſtantiam ſecundùm quamlibet rationem eſſe accidens; cùm omne illud,quod eſt in alijs nouem prędicamentis,ſit verè accidẽs,vt communiter ponitur. Nec deducitur eſſe accidens ex eo, quia accidentaliter competit creaturę;nam etiam exiſtentia accidentaliter cõpetit creaturæ, & tamen eſt actus ſubſtantialis; & ideo ſicut exiſtentia, quamuis ſit quid ſubſtantiale; attamen habet modum accidentis,quia ſubſtantiæ creatæ accidentaliter cõuenit; ita relatio creaturæ ad Deum, quamuis ſit ſubſtantialis; attamen habet modum accidentis, quia accidentaliter illi competit;competit enim ei ratione exiſtentiæ, cum qua identificatur, & quæ accidit creaturæ; vnde ſubſtantia creata ordinatur in Deum ſubſtantialiter ad modum accidentis, non ſubſtantialiter eſſentialiter; ſicuti licèt non exiſtat eſſentialiter,attamen non ſequitur, quòd non exiſtat ſubſtantialiter. Remanet ergo talem relationem non diſtingui realiter ab actione; quia non differt à ſuo fundamento.

29 Quæres 2; an creatio ſit motus, vel mutatio?

Reſp.*Fund.Doct. in 2.diſt.1.p.1. q.2. art.4. ad 2.*nec eſſe motum,nec mutationem;quia motus ſit in tempore,& habet partem poſt partem, cùm ſit diuiſibilis; creatio autem fit in inſtanti, quia fit tota ſimul,non enim fit mediante alteratione per præuias diſpoſitiones; & ideo non eſt motus; & ex hoc habetur nec eſſe mutationem; quia mutatio eſt terminus motus;tum quia omnis mutatio ſupponit aliquod ſubiectum, quod mutatur de vna forma ad aliam,quæ mutatio nõ fit niſi per motum; creatio autem nec eſt terminus motus,quia non eſt per motum,& tranſmutationem; nec ſupponit ſubiectum; ergo non eſt mutatio. Niſi vellemus loqui lato modo,prout mutatio importat quancunque inceptionem, & nouitatem eſſendi,ſiue ex nihilo, ſiue ex aliquo. Et quod dicitur de creatione, dicendum eſt etiã de annihilatione.

30 Quæres 3;an actiò creatiua ſit de prædicamento actionis?

Reſp.*ex Fund.Doct. q.5. de Menſ.Ang.* negatiuè; cùm enim prædicamentum actionis conſtituatur ex accidente;quia nouem prædicamenta ſunt accidentia;ens enim creatum, quod diuiditur in decem prædicamenta, diuiditur in ſubſtantiam, quæ non facit niſi vnicum prædicamẽtum;

tum;& in accidens,quod ſubdiuiditur in alia nouem prædicamenta;cùmque creatio ſit idem, ac eſſe creaturæ,quod eſt ſubſtantiale; ideo nõ pertinet ad prædicamentum actionis;quanuis ſit vera,& realis productio. Hinc deducitur explicatio illius rationis, qua dicitur creationem non eſſe de prædicamento actionis,quia non eſt cum motu; cùm enim non ſit mediantibus accidentibus diſponẽtibus,& alterantibus, quibus ſit motus, ideo non eſt cum motu; nec eſt in prædicamento actionis. Prædicamentum igitur actionis continet ſolùm actiones eductiuas formarum de potentia ſubiecti mediantibus diſpoſitionibus, per motum,& tranſmutationem.

31 Obijc.1.per creationem non ſolùm producitur eſſe,ſed etiam eſſentia, quia producitur totum, & nihil ſupponitur; ergo creatio non importat eſſe in effectu tantùm,ſed eſſe,& eſſentiam;tum quia creatio actio importat aliquod in alio;ergo actio non importat eſſe;tum quia quãdo res eſt producta,dicitur verè eſſe, non tamen dicitur creari.

Reſp.*ex Fund. Doct.in hoc art.2.ad* 1. diſt. ant.Creatur eſſentia ratione ſui, neg; ratione eſſe,conc;& ideo creatio ex ſua ratione importat ſolùm eſſe.Ad 2;& 3.dicitur probati ſolùm creationem non importare eſſe quocumque modo, ſed ſolùm eſſe,vt in fieri,& in via;nam eſſe,vt in facto eſſe,& in termino, importatur à creatione paſſione,non autem à creatione actione,quæ importat eſſe,vt in via;& ideo,vt ab alio, non vt in alio.Additur ad 3;quòd conſeruari eſt continuè creari;ſicut durare illuminationem in aere eſt cõtinuò produci illuminationem à Sole.

32 Inſt.Si creatio actio importaret eſſe, vt in fieri, ſequeretur creationem eſſe cum motu, quia fieri dicit motum; aliter ſi eſſet in inſtanti, ſequeretur, quòd fieri, & factũ eſſe eſſent ſimul, quod implicat; quia fieri dicit rem non eſſe factam; & factum eſſe dicit rem eſſe factam; ergo creatio non importat eſſe in fieri.

Reſp.*cum Doct. diſt.1.p.1.q.2; art.4. ad 3.* creationem non eſſe proprium fieri, ſed habere tantùm modum fieri; vnde ea, quæ producuntur in inſtanti,habent ſuum fieri, & factum eſſe ſimul;vt v.g. aerem illuminari,& illuminatũ eſſe ſunt ſimul ſimultate temporis,non tamen ſimultate naturæ; & ideo licèt in creatione eſſe in fieri præcedat factum eſſe præcedentia naturæ; non tamen præcedit præcedentia temporis, & per conſequens non includit motum,qui non eſt, niſi in tempore.

33 Obijc.2. Creatio actio non ponit in creatura,niſi dependentiam à Deo creante; ſed non minùs dependet à Deo exiſtentia,quàm eſſentia; ergo formaliter importat vtrunque.

Reſp. hoc arg. potiùs concludere noſtram ſententiam;nam dependentia formaliter importat acceptionem ipſius eſſe, & ideo formaliter importat ſolùm eſſe,vt acceptum à Deo.

34 Obijc. 3. Si creatio importaret eſſe in creatura, eſſet actio tranſiens; ſed non eſt actio tranſiens,quia non eſt cum motu, & tranſmutatione,cùm ipſe tranſitus ſit motus; ergo non importat eſſe in creatura.

Reſp.diſt.mi.Actio tranſiens medijs diſpoſitionibus alterantibus ſubiectũ, ſecundùm quas attenditur motus,conc;ſine diſpoſitionibus,& ſine præſuppoſitione ſubiecti, neg.

35 Inſt. *Fund.Doctor in* 1.*diſt.4.art.4.* ait, *quòd* ratio,cur actio non ſit in agente, eſt,quia fundatur in motu,& ideo tranſit ad paſſum;ergo omnis actio trãſiẽs eſſentialiter importat motũ.

Reſp.*Fund.Doct.ibid.*probare ſolùm generationem actionem eſſe in Patre; quia importat relationem Paternitatis, quæ eſt in Patre; generationem autem creatam eſſe in effectu,quia importat motum, & tranſitum de cauſa ad effectũ. Licèt ergo verum ſit generationem,quæ importat motum, eſſe in effectu; attamen ex hoc non concluditur,quòd omnis actio tranſiens importet motum,ſed ſolùm illam,quæ elicitur ab agẽte medijs diſpoſitionibus ſubiecti, vt eſt generatio creata.

36 Obijc. 4. Si creatio eſſet actio tranſiens ponens aliquid in creatura,ſequeretur,quòd potentia productiua huius actionis tranſeuntis eſſet diſtincta à potẽtia volitiua,quę præcisè ſecũdùm ſe ipsã eſt immanẽter agens; ſed cõſequẽs eſt falſum;aliter voluntas Dei non eſſet efficax, quia ſecundùm ſe ipſam præcisè non poſſet producere creaturas;ergo falſum eſt ant.

Reſp.neg.mi; vt diximus *to.* 1. *de Omnipot. art.6.*Ad prob.inſert.dicitur, quòd efficacia voluntatis conſiſtit in poſſe pro ſuo libito mouere potentiã executiuam ad producẽdas creaturas.

37 Obijc.5.Omnis actio tranſiens eſt prior natura ſuo termino;ſed creatio non eſt prior natura re creata; ergo non eſt actio tranſiens; & ideo non importat aliquod receptum in creatura.Prob.mi.1.Si creatio eſſet prior re creata,in illo priori non intelligeretur, in quo eſſet creatio;ergo eſſet creatio nihili.2.In illo priori creatio eſſet extra Deum;eſt enim actio tranſiens;ergo eſſet creatura;& ideo non eſſet prior creatura;aliter eſſet prior ſe ipſa. 3. Omnis actio tranſiens eſt accidens; ſed accidens nequit eſſe, antequam ſit ſubiectum, aliter pro illo priori eſſet ſine ſubiecto; ergo creatio tranſiens nequit eſſe prior re creata,quę eſt ſubiectũ,in quo recipitur.

Reſp.neg.mi.Ad 1.prob.neg.conſ;ſicut enim forma in genere cauſæ formalis eſt prior materia;& in illo priori non eſt neceſſe, quòd forma intelligatur eſſe in ſubiecto, ſed vt in via ad ſubiectum; ſic licèt creatio ſit prior eſſentia,non eſt neceſſe,quòd in illo priori intelligatur eſſe in eſſentia;ſed ſufficit, vt concipiatur, quaſi in via ad eſſentiam.Ad 2.diſt. conſ. Eſſet creatura concepta,vt in via,& fieri,conc;vt in termino, & facto eſſe, neg; patet autem, quòd fieri eſt prius facto

eſſe;

eſſe. Eſt ergo eadem creatura creatio,& creatura ſecundùm diuerſas rationes conſiderata. Ad 3. neg.ma.*cum Fund.Doct.vbiſ; & Quodl.6. q.4.S. sùm ergo*;quanuis à *Sua.hic* ad 2. falsò citetur in oppoſitum.

38 Obijc. 5. Creatio paſſiua eſt in creatura;ergo in ipſa nequit eſſe creatio actiua ; nam maior eſt conuenientia inter generationem actiuam,& paſſiuam,quàm inter creationem actiuã, & paſſiuam ; generatio autem actiua in Diuinis non eſt in Filio,ſed in Patre. Tum quia communiter dicitur,quòd creatio actio eſt in Creatore, & creatio paſſio in creatura.

Reſp.neg.conſ.Ad 1.prob.inſertam dicitur, quòd licèt ſit maior conuenientia in eſſe naturæ; quia generatio eſt per identitatem naturæ, creatio verò per diuerſitatem;attamen non eſt maior conuenientia in ratione principij,& termini. Ex hoc autem potiùs arguitur oppoſitum;nam quia generatio Diuina fit intra naturam Diuinã, ideo nequit fieri per actionem tranſeuntẽ; ergo creatio, quæ fit extra naturam Diuinam, neceſſariò debet eſſe per actionem tranſeuntem in creaturã.Ad 2.dicitur, quòd creatio actio quoad actũ immanentem eſt in Creatore, non verò quoad actum tranſeuntem, qui cùm ſit perfectio effectus,debet eſſe in illo.

39 Obijc. 6. Si creatio eſſet actio tranſiens ſubiectata in creatura,ſequeretur,quòd eſſet aliquod medium inter Deum, & creaturas ; conſequens eſt falſum;ergo & ant.Prob.ſeq;nam omnis actio ſubiectata in paſſo eſt medium inter agens,& patiens,quia mediante tali actione agẽs producit paſſum.Prob.mi. 1. Inter Deũ, & creaturam nihil omnino poteſt mediare ; quia ens adæquatè diuiditur in Denm,& creaturas; aliter daretur aliquod ens, quod non eſſet Deus, nec creatura.2. Deus nihil poſſet immediatè producere,quia omnia produceret mediante ſua actione. 3. Si actio Dei eſſet media inter Deum, & creaturas, actio Dei eſſet effectus Dei, ſicut eſt creatura ; vtrunque enim produceretur à Deo; ſed quatenus produceret talem actionem, non produceret mediante alia actione, aliter daretur proceſſus infinitus;ergo neque quatenus producit creaturas.4.Actio tranſiens eſt actualitas potentiæ operantis;per illam enim agens reducitur de actu primo ad actum ſecũdum; ſed implicat, quòd potentia actuetur ab aliquo extrinſeco; ergo implicat actionem Dei eſſe tranſeuntem.5. Illa actio vel eſſet immediatè à voluntate, vel ab alia actione?Non primum ; quia actus immediatus voluntatis eſt immanens,non tranſiens. Neque ſecundum;quia iretur in infinitum.

Reſp.neg.ma;aliud enim eſt,quòd illa actio ſit media inter Deum,& creaturas ſimpliciter;& aliud, quòd ſit media inter Deum, & creaturas prout in facto eſſe tantùm mediatione naturæ, non verò diſtinctionis. Illa ergo actio eſt media inter Deum agentem, & creaturas tãtùm in facto eſſe conſideratas;non autem quocunque modo conſideratas ; quia etiam creatura in fieri eſt creatura,non tamen diſtincta à creatura in facto eſſe.Ad prob.diſt.Omnis actio ſubiectata in paſſo non productiua illius,ſicut eſt actio accidentalis, quæ non producit paſſum, ſed tantùm aliquod accidens diſtinctum realiter à paſſo, conc; productiua illius,neg. Ad 1.prob. mi. dicitur nihil mediare inter Deum, & creaturas adæquatè ſumptas ſecundùm omnem rationem ; mediare autem ſecundùm vnam tantùm conſideratiõẽ; quia ſi conſideretur creatura tantùm in facto eſſe,mediat creatura in fieri mediatione naturæ,& cauſalitatis,non diſtinctionis,& temporis. Ad 2. dicitur actionem nõ tollere rem produci immediatè; quanuis enim oculus mediante viſione videat parietem, non tamen ſequitur, quòd nõ videat immediatè.Præterea verum eſſet aſſumptũ, ſi actio diſtingueretur realiter à creatura ; quia ſic eſset res media, quæ tolleret immediatam productionem.Ad 3.dicitur,quòd actio eſt effectus Dei *vt quo*,non vt *quod*; quanuis autem ad producendum effectum, *vt quod*, requiratur id, *quo* producitur; non tamen requiritur ad producendum,*vt quo*.Ad 4.diſt.ma. Actio tranſiens in agente per motum,vt *ſup*.dictum eſt, conc; in agente immobili,vt eſt Deus, neg. Ad 5. dicitur illam actionem eſſe ab omnipotentia executiua, *vt quo*,non *vt quod*;& ſic non eſſe per aliã actionem tranſeuntem.

40 Obijc.7.Terminus nõ eſt idem cum eo, cuius eſt terminus, aliter idem terminaret ſe ipſum;ſed eſſe eſt terminus creationis; ergo creatio non importat formaliter eſſe creaturæ. 2. Agentia naturalia poſſunt cauſare eſſe, & tamen non poſſunt creare ; ergo creatio non importat formaliter eſſe cõmunicatum creaturæ. 3.Creatio eſt id,*quo* creatur creatura;eſſe autem eſt id, *quod* creatur;ſed *quod*, & *quo* non ſunt idem; ergo creatio non eſt idem, quod eſſe creaturæ. 4. Fieri,& factum eſſe;ſicut mutari,& mutatum eſſe non eſt idem *ex Phil. 6. Phyſ*; ſed creatio eſt fieri,& mutari;eſſe autem eſt factum,& mutatum eſse;ergo creatio non eſt idem realiter,quod eſſe.5.Creatio importat maximam diſtantiam,quæ eſt inter eſſe, & non eſſe ; ſed maxima diſtantia importat maximam mutationem;nam terra,quia magis diſtat à corpore hominis, quã cibus; ideo indiget maiori mutatione, vt fiat caro hominis; debet enim fieri planta, & poſtea cibus; ergo creatio non importat eſſe.

Reſp.ad 1.diſt.ma. Terminus non eſt idem cum eo,cuius eſt terminus in ſucceſſiuis,conc;ſic enim alteratio, quæ fit medijs diſpoſitionibus, non eſt idem cum eſſe rei productæ; in inſtantaneis,ſubdiſt;terminus,*qui*,conc,*quo*,neg. Terminus igitur *qui* creationis eſt ipſa res producta, quæ non eſt idem cum ſuo eſſe, aliter eſſet ſuum eſſe.Ad 2.diſt.1.pars ant.Poſſunt cauſare eſse ex præſuppoſitione ſubiecti,conc; ex nullo præſup-

poſito ſubiecto,neq; creare autem eſt cauſare eſſe ex nullo præſuppoſito. Ad 3.neg. ma; nam id, quod creatur, eſt ſuppoſitũ, licèt ratio, qua creatur, ſit eſſe, vt *ſup.* dictum eſt. Ad 4. dicitur, vt ad 1; nam fieri, & factum eſſe in ſucceſſiuis non eſt idem; at verò in inſtantaneis eſt idem; quia fieri eſt factum eſſe explicatum per modum viæ. Igitur ad mi. dicitur, quòd creari eſt factum eſſe explicatum per modum fieri; non tamen eſt mutari. Ad vlt. diſt. mi. Maxima diſtantia ex ſuppoſitione ſubiecti importat mutationem, conc; ſine ſuppoſitione ſubiecti, neg.

41 Obijc.8. Si creatio actio importaret eſſe per modum fieri, pro eo tunc daretur exiſtentia ſine eſſentia, quia quando exiſtentia eſt in eſſentia, tũc res eſt in facto eſſe; ſed implicat dari exiſtentiam ſine eſſentia, quia exiſtentia eſt actus, quo formaliter conſtituitur eſſentia à parte rei; ergo creatio actio non importat eſſe creaturæ per modum fieri. 2. Creatio eſt influxus vniuerſalis, quo producitur totum ens ex nihilo; ſed repugnat hunc influxum vniuerſaliſſimum cõmunicari creaturę; quia creatura eſt limitata, & ideo nequit recipere virtutem influxiuam in totum ens creabile; vt dicemus *in ſeq. art*; ergo creatio non importat aliquod in creatura.

Reſp. neg. ma; nam cùm fieri, & factum eſſe ſint ſimul pro eodem nunc, ſeu pro eodem inſtãti temporis, vt dictum eſt, & in fieri non præcedat factum eſſe niſi origine, & natura, quæ præcedentia eſt ſimul tempore, ſicut Sol, & lux; ideo nunquam verificatur, quòd detur vnum ſine alio pro aliquo nũc. Ad 2. diſt. ma. Creatio eſt influxus vniuerſalis, idèſt extẽditur ad omnem rationem entis, quæ eſt in tali effectu, conc; ad omnem rationem entis creabilis ſecundùm totam latitudinem entis etiam, quod non eſt in tali effectu, neg; & licèt in hoc ſecundo ſenſu non poſſit cõmunicari creaturæ, poteſt tamen in primo. Nec ex eo, quòd creatio immanenter ſumpta ſit virtus vniuerſaliſſima tendens in omne creabile ſecundùm totam latitudinem entis, ſequitur, quòd creatio tranſeunter ſumpta, prout tendit in hoc particulare indiuiduum, quod creatur, ſit actio vniuerſaliſſima tendens in omnem rationem entis creabilis; ſed ſufficit, quòd rendat in omnem rationem entis, quæ poteſt competere huic indiuiduo, quod creatur, & à quo limitatur; nam licèt virtus Solis, prout in Sole, ſit vniuerſalis, & vniuerſaliter extendatur ad omnes effectus ſublunares; attamen non ſequitur, quòd actio tranſiens, qua Sol producit aliquem effectum in ſingulari; vt admittit *Io. à S.Tho*; enius eſt hoc arg; ſit influxus vniuerſalis, quo Sol producit omne producibile ab ipſo; cùm enim producit hanc plantam, non producit omnia viuentia, ad quæ tamen extenditur virtus Solis. Igitur ille influxus limitatur ab hoc indiuiduo, In quo recipitur. Præterea explicare debet *Io. à S.Tho*; quomodò actio immanens Dei ſit virtus vniuerſaliſſima tendens in omnem rationem entis creabilis; & tamen quando producit ad extra aliquod indiuiduum, non producat omne creabile; eodem enim modo dicemus, quòd ille influxus tranſiens non eſt vniuerſaliſſimus, licèt procedat ab actioni immanente vniuerſaliſſima.

42 Obijc.9. Gratia creatur, vt dictum eſt *in ſup. art*, & tamen eius creatio non importat eſſe gratiæ in fieri, quia gratia non exiſtit, niſi per exiſtentiam ſubiecti, quæ ſupponitur iam creata; ergo creatio non importat eſſe in fieri.

Reſp neg. 2. p. ant; licèt enim exiſtentia ſubiecti, prout per illam exiſtit ſubiectum, ſupponatur creata; attamen prout per illam exiſtit gratia, non præſupponitur, ſed producitur per creationem gratiæ; vnde fieri exiſtens ipſius gratiæ eſt actio tranſiens, qua Deus creat gr[illegible]; & quamuis per vnicam exiſtentiam ſubie[illegible] exiſtant omnia, quæ ſunt in illo; attamen no[illegible] ſequitur, quòd poſita tali exiſtentia actu exiſtant omnia, quæ poſſunt accidere illi ſubiecto; non enim valet, quòd quia calor producẽdus in ligno ex eo, quòd poſſit exiſtere per exiſtentiam ligni, actu exiſtat in ligno, antequam producatur; quia tantùm actu exiſtit, cùm eſt productus; ideo cũ producitur, dicitur actu fieri in ligno, non quidem per exiſtentiam actualem realiter diſtinctam ab exiſtentia ligni, ſed per eandem diuerſimodè acceptam. Ita creari gratiam eſt nouum accidens fieri in anima; non quidem per diuerſam exiſtentiam, ſed per eandem diuerſimodè ſumptam, quę licèt præſupponatur ſub alia modificatione; attamen non ſufficit creationi, vt diximus *ibid*; ergo creatio gratiæ importat eſſe gratiæ in fieri.

43 Obijc. 10. *Sua*. Ille modus dependentiæ à Deo realiter eſt ſeparabilis ab eſſe creaturæ; ergo diſtinguitur realiter; ſeparabilitas enim eſt ſignum diſtinctionis realis. Prob. ant. 1. Dependentia, qua Deus conſeruat quantitatem ſine materia in Sacramento Altaris, eſt diuerſa à dependentia, qua illam conſeruabat in materia, quia illa eſt independenter à materia; hæc depẽdenter; ergo ſi Deus crearet quantitatem ſine materia; & poſtea illam vniret materiæ, deperderet priorem dependẽtiam; quia improbabile eſt, quòd maneant duæ dependentiæ totales. 2. Suppoſito, quòd creatura eleuaretur inſtrumentaliter ad creandum; tunc diuerſa eſſet dependentia rei creatæ ab illa dependentia, quam habet res à ſolo Deo creata; ergo dependentia eſt variabilis, & ſeparabilis ab eodem ſubiecto. 3. Dependentia actualis non eſt de eſſentia ſubſtãtię creatæ; quia non eſt de eſſentia illius actu eſſe; ergo realiter diſtinguitur ab illa.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur, quòd quotieſcunque res cauſatur à duplici cauſa, tũc dependet ab vtraque; quia depẽdere nihil aliud eſt, quam accipere eſſe; ex eo autem, quòd accipiat eſſe etiam à cauſa ſecunda, non tollitur dependentia à cauſa prima, quia non tollitur, quòd acci-

accipiat eſſe à cauſa prima;hoc enim eſt impoſſibile;ſed ſit ſolùm,quòd illud eſſe, quod depēdebat ſolùm à cauſa prima,dependeat etiam à cauſa ſecunda; vnde illa dependentia aquirit ſolùm reſpectum ad cauſam ſecundam; quod non eſt tolli,neque variari; ſicut non tollitur, nec mutatur albedo in pariete ex eo, quòd referatur ad nouum parietem album;noua enim relatio non tollit, nec mutat formam relatam, cùm non inducat nouum eſſe,per quod ſolùm ſit mutatio in ſubiecto.Et ſic ad 3. diſt.ant. Dependentia non eſt de eſſentia eſſentiæ ipſius creaturæ, conc;non eſt de ratione intrinſeca ipſius exiſtentiæ creatæ, neg;implicat enim,quòd detur exiſtentia creata independens à Deo;illa enim non eſſet creata, ſed à ſe. Et ideo dicimus creationem importare ipſum eſſe creaturæ,vt dependēs à Deo, non autem importare ipſam eſſentiam.Modum autem non diſtingui à re, cuius eſt modus, oſtendimus *to.1.de Attr.in com.q.2.art.2.*

44 Obijc.11. *Vaſq.* Productiones Diuinarū Perſonarum ſunt veræ actiones, & tamen non important in terminis productis niſi puras relationes;ergo à pari de creatione. 2.Si actioni deficiat ratio motus,non ſupereſt niſi pura relatio; nec alio modo poteſt à nobis intelligi, & explicari,niſi per ſolum conceptū relationis;ſed creationi deficit ratio motus; ergo creatio importat ſolam relationem.

Reſp.ad 1.diſt.2.p.ant.Non important in terminis productis niſi ſolas relationes,tanquam quid proprium,& perſonale,conc;tanquam quid commune, neg. Productiones ergo Diuinæ important formaliter communicationem eſſe, ſeu eſſentiæ Diuinæ cum relatione ad producens; aliter non eſſet ratio,cur Pater non eſſet productus à Filio, ſi productio non importaret cōmunicationem eſſe.Præterea neg.conſ;creatio enim eſt actio tranſiens ad extra; ergo aliquid aliud debet importare ad extra præter relationem;aliter non differret ab actione ad intra; non enim poſſet aſſignari, quid tranſiret; nam relatio eſt etiam in actionibus ad intra; & ideo per hoc nō diſtinguitur actio tranſiens ad extra. Ad 2.neg. ant;nam etſi deficiat ratio motus, optimè tamen intelligitur tranſire eſſe creaturæ; vt ſatis explicatum eſt.

45 Collig. ex dictis, quòd quando dicimus Deum producere creaturas ſub ratione vniuerſaliſſima entis; agens verò creatum ſub ratione particulari talis entis; non eſt intelligendum, quòd Deus producat ſub ratione vniuerſaliſſima entis Logicè abſtracti abſtractione cōfuſa, & imperfecta eo modo, quo ens dicitur abſtrahere à ſuis differentijs; nam hoc modo producere eſt imperfectiori modo producere, quàm producere ſub ratione talis entis;quia ratio entis,cùm ſit potentialior inter omnes rationes, quæ ſunt in ipſa re,eſt ratio imperfectior; & ratio talis entis, cùm ſit actualior,eſt ratio perfectior,& ideo cauſa producens ſub ratione particulari perfectiori modo producit, quàm cauſa producens ſub ratione vniuerſali;hinc quia Sol producit hominē ſub ratione corporis, vel viuentis, imperfectiori modo producit, quàm homo generans, qui producit ſub ratione rationalis.Sed intelligendum eſt, quòd producit ſub ratione vniuerſaliſſima entis *phyſicè* accepti; idèſt quòd producit formaliter omnes,& ſingulas rationes creaturę,in quibus eſſentialiter eſt ratio entis ita, vt ratio entis eſsentialiter imbibita ſit ratio producendi omnes, & ſingulas rationes, in quibus eſsentialiter imbibitur,& ad quas contrahitur; hic enim modus producendi eſt perfectior; quia ſic producitur formaliter totum ens.

A R T. III.

An virtus creatiua poſſit principaliter communicari creaturæ?

1 **B***Eatiſſ.P.Aug.lib.10.de Ciuit.Dei c.24.* refert *Platonem*, eiuſque diſcipulos ſenſiſse Deum creaſse ſolùm Angelos,quos vocant *Deos minores*; & ab illis permiſſu, vel iuſſu Dei creata eſse cuncta animantia mortalia, & inter iſta hominem; quod deduxiſse *ex lib. Gen. ipſius Moyſis*, quem & legiſse *Platonem* cōmuniter dicitur; vnde *illum textum: Faciamus hominem ad imaginem,& ſimilitudinem noſtram*; putauit *Plato* intelligendum eſse de Angelis, non autem de perſonis Diuinis.*Ludou. Viues in com. eiuſdem c.* narrat etiam *Menandrum Simonis Magi* diſcipulum, imò & ipſum *Simonem Magum*, vt refert *Iraneus lib.aduerſ.Hareſ.c.20*; ac *Baſilidem Menandri aſſeclam* voluiſse Mundum ab Angelis creatum fuiſse; & *Saturninum* docuiſse à ſeptem Angelis conditum fuiſse Deo inſciente, vt refert *Beatiſſ.P.har.3*;& hanc opinionem apertiùs ſecutum fuiſse *Senecam*. Idem ſomniarunt *Cherinthus,Carpocratiani,Gnoſtici, Manichai,Audiani, & Albigenſes*; vt colligitur *ex Beatiſs. P; Ireneo,Epiphan;Theodoret;& D.Antonin. Seleuciani* autem voluerunt Angelos creaſſe animas rationales ex ſpiritu, & igne; vt refert *Beatiſſ.P. de Har.har.59. Fund.Doct. in fine 2.p.2.ſent.* teſtatur ita etiam ſenſiſse *Auerroem, Auicennam, & Algazelem*,qui voluerunt ab vno,& eodem agēte non poſſe plura inter ſe diuerſa ſimul procedere iuxta illud axioma:*Idem manens idem ſemper facit idem*;non valentes percipere,quòd licèt idem manens idem ſecundùm eandem rationem ſemper faciat idem; attamen idem ſecundùm diuerſas rationes diuerſa poteſt ſimul facere; & ideo Deus, qui apud ſe habet rationes idæales omnium creaturarum, poteſt ſimul facere diuerſas creaturas.

2 *Arius* autem cum ſuis voluit Chriſtum eſſe creaturam immediatè à Deo Patre creatam, quæ poſtea condidit omnia,quæ ſunt in Mundo. De quo *Beatiſs.P.lib.vnico cont.ſerm. Arian. c.3; & tract.1.in Io.*ait: *Quomodò poteſt fieri, vt Ver-*

bum Dei factum ſit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipſum factum eſt, per quod aliud Verbum factum eſt? Eunomius verò cum ſuis aſſeclis ſenſit Verbum creaſſe Spiritum Sanctum; quem propterea dixit non eſſe Deum, ſed creaturam. Sed de hoc actum eſt t.2. de Trin. quæſt.1.cap.5.

3 Veritas igitur Catholica eſt Deum omnia creaſſe per ſe ipſum; & nullam creaturã de facto creaſſe aliquid; & ideo nõ habuiſſe virtutẽ creatiuam. Ita definitur in Conc. Nic.I. in ſymb; quod incipit; Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inuiſibilium factorem, & in Conc. Braccar; quod coactum fuit contra Priſcillianum, c.13; vbi habetur: Si quis dicit creationem vniuerſæ carnis non opificium Dei, ſed malorum eſſe Angelorum, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit; & in Conc. Lat. IV. ſub Innoc.III.c.1; quod inſtitutum fuit contra Albigenſes, Almaricum, & contra errores Abbatis Ioakim. Vnus eſt Deus indiuiſus in eſſentia, & diſcretus in perſonis creator omnium &c. Hic ab initio temporis vtranque de nihilo condidit creaturam corporalem, & ſpiritualem, Angelicam ſcilicet, & mundanam, deinde humanam, quaſi communẽ ex ſpiritu, & corpore conſtantẽ. Et colligitur manifeſtè ex Scripturis; nam Sap.11. legitur: Nõ enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbẽ terrarum; & Eccli.18. Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul; & Iſaiæ 40. Leuate oculos veſtros in excelſum; & videte, quis creauit hæc; qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat; præ multitudine fortitudinis, & roboris; virtutiſque eius; neque vllum reliquum fecit. Et mox. Nunquid neſcis, aut non audiſti: Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, & nõ deficiet. Ad Hebr.3. Qui creauit omnia, Deus eſt. Apoc.4. Tu creaſti omnia. Hoc idem docuerũt SS.PP; inter quos Beatiſs.P.Aug.lib.9. de Gen.ad lit.c.15; vbi ait: Angeli autem nullam omnino poſſunt creare naturam; ſolus enim vnus cuiuslibet naturæ ſeu magnæ, ſeu minimæ Creator eſt Deus; & de Ciu.Dei lib.12.c.24; 25; & 26; & in Epiſt. 142; & in ſententijs decerptis ſent. 146. Nullius quanuis minimæ naturæ niſi Deum Creatorem dici, aut credi licet ab aliquo; quibus verbis declarat hoc eſſe dogma Fidei; & lib. 3. de Trin. c.8. Non ſolùm malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt putare creatores; & alibi ſæpe. Idẽ tradũt D.Athan. or.3.con.Arian; D.Cirill.lib.5. Theſaur.c.2; & lib. 2.cont.Iulian; & D.Dam.lib.2. de Fid.c.3; & omnes alij communiter. Hoc ſupp.

4 Inquiritur, an ſaltem de potentia abſoluta potuerit Deus creaturæ communicare virtutem creatiuam? Quoniam autem cauſa alia eſt principalis, alia inſtrumentalis, de vtraque agendum eſt; de prima in præſenti art; & de ſecunda in ſeq. Principale autem duplex eſt; aliud eſt ſimpliciter primum independens, quod conſtat non poſſe competere creaturæ; aliud dependens ab alio; & de hoc hìc ſermo eſt.

5 Prima ſententia putat non repugnare communicari potentiam creatiuam creaturæ. Ita Dur.in 2.diſt.1.q.4; & à Zum. tribuitur etiam Gabr.in 4.diſt.1; & Aliac.

6 Secunda ſententia docet potentiam creatiuam non poſſe communicari creaturæ, tanquã cauſæ principali. Eſt communis inter Theologos. Ita Fund.Doct.in 2.diſt.1.p.1.q.2.art.5; & de eſſe, & eſſent. q.6; & Quodl.5. q.1; & lib. de cauſ. prop.29.lit.H; & alibi; Argent.in 4.diſt.1.q.1.a.1. Quanuis autem hæc ſententia ſit cõmunis Thomiſtis, Scotiſtis, Nominalibus, Neotericis, & quibuſque alijs; attamen tanta diſſenſio eſt circa rationem inter Scholas; vt Sua.in Met.diſp.20.ſect. 2; & Val.1.p.diſp. 3. q.2. p.4. aſſerant efficaciter non poſſe probari; quia nulla ratio cogens poteſt adduci, quæ faciliter ſolui non poſſit. Operæ igitur pretium præſentis eſt validiſſimas noſtri Fund.Doctoris rationes, in quarum primam magis propendet Sua; adducere, explicare, & impugnationes Scoti, Albert; Faſol; & aliorũ euertere.

7 Vnica concl. Repugnat condi à Deo creaturam habentem virtutem creandi principaliter.

Prob. 1. ex illis Scripturis, in quibus ſolus Deus dicitur Creator; vt Eccli.1. Vnus eſt Altiſſimus Creator omnipotens, & in Symb. Eccleſiæ: Credo in vnum Deum Patrem creatorem Cæli, & Terræ. Ex quibus SS.PP. probant cont. Arianos Verbum non eſſe creaturam, quia eſt principium, per quod creata ſunt omnia; vt Beatiſs. P. vbiſ; D. Athan.ſem.3.cont.Arian; Cirill.lib. 2. Theſ.c.2; Dam, & alij. Ex his Mol; & Sua.in Met. diſp.20. ſect.2.n.12, & 13. eruunt hãc rationẽ, quam efficaciſſimam putat Io.à S.Tho.1.p.q.45.art.5.n.13; ſcilicet. Nulla creatura de facto producta eſt habens virtutem creatiuam principalem; ergo non eſt poſſibilis; ſi enim eſſet poſſibilis, illa vtique eſſet perfectior; quia haberet modum operandi perfectiorem; & ſi Vniuerſo à Deo producto deficeret hæc creatura perfectior, iam non eſſet perfectum; quod repugnat; quia Dei perfecta ſunt opera.

8 Sed hæc ratio facillimè reijcitur ex illo communi axiomate: Ab actu ad potentiam negatiuè non valet conſequentia; vt ſi quis dicat: Non ſunt de facto creaturæ infinitæ exiſtentes; ergo non ſunt poſſibiles infinitæ creaturæ. Quanuis enim in Deo valeat ab actu ad potentiam; quia omne, quod actu non eſt in Deo, non eſt poſſibile, Deus enim eſt actus puriſſimus; attamen in creatura, quæ non eſt actus purus, ab actu ad potentiam non valet. Dicitur ergo, quòd ſicuti ex eo, quòd non dentur de facto Angeli perfectiores ſupremo Angelo, non valet, quòd non ſint poſſibiles perfectiores ſecundùm ſpeciem; neque quòd Vniuerſum non ſit perfectum; quia perfectio Vniuerſi conſiſtit in habere illa omnia, quæ ordinauit Diuina Sapientia, vt eſſent; non autem in habere omnia poſſibilia; vnde ſi Deus dediſ-

ſet

ſet aliũ ordinẽ,& crearet alias naturas,nõ tamen eſſet imperfectũ;vt diximus *to.1.De Omnip.ar.7.* *n.5*; haberet enim omnes illas perfectiones cum illo ordine,quem diſpoſuiſset Diuina Sapientia; ex quo ordine conſurgit perfectio formalis Vniuerſi.Igitur relicta hac ratione.

9 Inſtari poſset *SS.PP*; *& Scripturas* intendere virtutem creatiuam omnium creaturarum non poſse communicari creaturæ; quia ſi communicaretur virtus creandi ſeipſam, quod repugnat,non tamen concludere non poſse communicari virtutem creandi aliquas tantùm creaturas,non omnes; ita enim illa creatura habens talem virtutem ſic limitatam non eſset Deus, qui habet virtutem illimitatam creandi omnes; vnde ex illimitatione virtutis creatiuæ extenſæ ad omnem creaturam optimè deducunt Verbum eſse Deum,non creaturam; non tamen ex hoc infertur non poſse communicari creaturæ virtutem limitatam creandi aliquas.

10 Reſp.*Beatiſs.P. lib.9. de Gen. ad lit.c.15*; quòd ſi creatura poſſet creare aliquam creaturam, poſset etiam creare omnem creaturam, & per conſequens etiam ſe ipſam; ait enim: *Creare naturam tam nemo Angelus poteſt, quàm nec ſeipſum.* Circa explicationem,& probationem huius propoſitionis verſatur totum diſſidium,quod eſt *inter Auctores*.

11 Prob.tamen 1. ex doctrina *eiuſdem Beatiſs.P. allata art.1.* Si creatura poſset creare aliquam creaturam, poſset producere ex nihilo; quia creatio eſt productio rei ex nihilo; ergo actio creaturæ poſset habere pro termino *à quo* ipſum nihil; ſed terminus *à quo* correſpondet,& commenſuratur eum termino *ad quem*; cùm terminus *ad quem* incipiat à termino *à quo*; & finis correſpondeat initio; ergo actio creaturæ poſset habere pro termino *ad quem* illud, quod correſpondet nihilo; atqui illud, quod correſpondet nihilo,eſt omne ens, quod eruitur ex nihilo; nihilum enim non eſt non eſse tantùm, à quo incipit hæc creatura particularis; ſed eſt omne non eſse,à quo incipit omnis creatura; quia in nihilo nequit concipi aliquid, per quod limitetur ad non eſse vnius tantùm creaturæ, & non omnis; nam *in nihilo nihil eſt*; ergo actio creaturæ poſset terminari ad omne ens, quod eruitur ex nihilo, & ideo etiam ad ſuum proprium eſse,quod eſsẽtialiter,vtpotè creaturæ,eſt ex nihilo.

12 Explic. magis. Ideo agens naturale nequit producere omnẽ formam ſuæ ſpeciei, quia agit ex præſuppoſitione ſubiecti habentis priuationem proximam tantùm huius formæ in particulari ortam ex accidentibus diſponentibus determinatè tantùm ad hanc formam in particulari;quòd ſi ſubiectum præſuppoſitum haberet priuationem proximam omnis formæ ortam ex accidentibus diſponentibus proximè ad omnem formam, ex quibus diſpoſitionibus oritur priuatio proxima,quæ dicit non eſse eum aptitudine, & capacitate proxima ad habendam formam (non enim ſermo eſt de priuatione remota)non eſſet ratio; cur non poſset producere omnem formam; quia in tantùm producitur hæc forma particularis, in quantùm ſubiectum eſt proximè aptum,& capax illam recipere;vnde ſi eſset proximè capax recipere omnem, eadẽ ratione poſſet omnem recipere; ſed nihilum eſt terminus *à quo* creationis; & non habet, à quo limitetur ad creationem huius creaturæ, & non alterius; ſicut habet priuatio, quæ limitatur ab his accidẽtibus diſponentibus ad hanc formam, non ad aliam; ergo creatura potens producere ex nihilo, poſſet producere omnem creaturam,& conſequenter ſe ipſam.

13 Prob.2. *ex Fund.Doct. vbiſ.* Terminus formalis *ad quẽ* ſpecificatiuus creationis eſt purũ eſſe; in hoc enim diſtinguitur eductio à creatione; quòd eductio tendit formaliter in tale eſſe,quatenus tale;creatio verò tẽdit in eſſe, quatenus eſse ſimpliciter;eſse autem, vt eſse præciſè,nullam habet admixtionem cùm potentialitate, quia eſse præciſè ſumptum eſt actus ſolitariè ſumptus;aliter ſi eſset admixtum cum alio,non eſset eſse præciſè ſumptum,ſed coniunctum cum illo,cui admiſceretur; ergo actio creatiua eſsentialiter eſt actio pura nihil habens admixtum potentialitatis paſſiuæ,& ideo ſine motu,qui habet aliquid potentialitatis, cùm ſit *actus entis in potentia, prout in potentia*; & ſic virtus creatiua ſpecificata à tali actione eſt actus purus nihil habens potentialitatis paſſiuæ; virtus enim,actio,& effectus formalis eodem modo ſe habent, cùm vnum ſit ſpecificatiuum alterius; & ideo virtus creatiua nequit eſse accidens, quod nedum eſt in potentia ad ſuas actiones, ſed etiam ad recipi in ſubiecto; repugnat autem actui puro non ſolùm recipere aliud in ſe ipſo, ſed etiam recipi in alio;vt diximus *to.1.de Simpl.Dei art.4.&* 5;ergo talis virtus neceſsariò erit ſubſtantia; quia ſubſtantia,& accidens adæquatè diuidunt ens reale, quanuis non diuidant adæquatè ens intentionale. Atqui implicat creatura, quæ ſit actus purus nihil habens potentialitatis paſſiuæ;eſset enim ſuum eſse,à quo nunquam poſſet deſinere; quia nunquam poteſt deſinere ab eſſe niſi per potentiam ad non eſse; & quod habet potentiam ad non eſse,non eſt actus purus,ſed actus admixtus potentiæ,vt patet; & eſset omne eſse, aliter ſi ei deficeret aliquod eſse, haberet aliquod non eſſe;& ſic haberet potentialitatem paſſiuam,quia potentialitas paſſiua nõ importat formaliter niſi non eſſe;ad hoc enim,vt aliquod dicat potentialitatem paſſiuam,non requiritur,quòd poſſit actu recipere illud,quod non habet,ſed ſufficit,quòd excludat illud eſse; ergo repugnat communicari creaturæ virtutem creatiuam principalem.

14 Conf.*ex eod.*Creatura habet eſse eſsentialiter à Deo receptum;creatura enim eſsentialiter dependet à Deo, & dependentia ſumitur ſe-

ſecundùm receptionem eſse; ſed implicat dari receptum ſine recipiente, receptum enim refertur ad recipiens; ergo creatura eſſentialiter habet eſſe receptum in alio, tanquam in ſubiecto; ſed modus agendi eſſentialiter ſequitur ad modum eſſendi; ergo creatura eſſentialiter agit dependenter à ſubiecto ita, vt ſicut eius eſſe, quia eſt receptum, eſt in alio, tanquam in ſubiecto; ita eius actio, quia recepta, ſit in ſubiecto; ſed actio, quæ exigit ſubiectum, non eſt creatio; quia creatio eſt ex nullo ſubiecto; licèt enim creatio, quatenus actio tranſiens, ſi conſideretur in facto eſſe, importet aliquid receptum in creatura, quia importat ipſum eſſe creaturæ receptum in ipſius eſſentia, vt *ſup.* dictum eſt; attamen ſi conſideretur, vt actio in fieri, ſic non eſt in ſubiecto, vt *ibid.* dicebamus; cùm per ipſam producatur ſubiectũ, & ideo pro priori originis illud antecedit; ergo repugnat actionem creaturæ eſse creationem.

15 Ex his duabus rationibus ſic arguitur. Actio inter nihil, & eſſe nequit competere creaturæ; ſed creatio eſt actio inter nihil, & eſſe; ergo creatio nequit competere creaturæ. Mi. patet; ma. iam probata eſt.

16 Contra 2. rationem inſtant *Scot. in 4. diſt. 1. q. 1. §. 4. ratio: apud Faſol. q. 45. art. 5. dub. 3. n. 27;* & idem *Faſol. ibid; Vaſq. 1. p. q. 45. diſp. 175. c. 1. n. 10; Albertin. Corol. 1. Phyſ. q. 17; & Maſtrius hic art. 2. n. 14;* licèt *Faſol. n. 42; & 43; & Albertin. n. 25.* ad eandem rationem, poſtquam illam impugnarunt, recurrant. Arguunt igitur ſic. Si creatura crearet, eius actio effectiuè penderet à Deo, & à creatura, & ſubiectiuè à termino producto; ergo haberet maiorem potentialitatem, quàm habet agens, quod non pendet, niſi à Deo. 2. Non omnis creatura habet potentialitatem materialem per dependentiam à ſubiecto; ergo non bene infertur, quòd omnis actio creaturæ debeat eſſe cum motu, & tranſmutatione. 3. Ex eo, quòd aliquod ſit potentiale, non infertur, quòd debeat eſſe cum motu, & tranſmutatione; nam creatio eſt potentialis, cùm ſit creatura, & tamen eſt ſine motu, & tranſmutatione. 4. Licèt creatio habeat pro termino eſſe; attamen hoc eſſe eſt eſſe creatum, & ideo non eſt actus tantùm, ſed eſt actus mixtus potẽtialitati. 5. Effectus productus per creationem eſt eſſe receptum in eſſẽtia; ergo poterit eſſe à creatura habente eſſe receptum in eſſentia. Tandem quòd creatio habeat pro termino eſſe, non facit ſenſum, quòd per illã producatur omne eſſe; producitur enim eſſe particulare, vt patet; ſed ſolùm quòd per ipſam producatur tota entitas rei, nihil ſupponendo illius.

Reſp. ad 1. neg. ant; ſi enim creatura crearet, creatura eſſet ſuum eſſe, vt dictum eſt; & ſi eſſet ſuum eſſe, iam nõ haberet eſſe à Deo; quia quod eſt ſuum eſſe, non habet eſſe ab alio, ſed à ſe; & ideo non dependeret à Deo in eſſe, quia non reciperet eſſe à Deo; & ſic non dependeret in agere; cùm agere ſequatur ad eſſe. Nec dependeret à ſubiecto præſuppoſito, quia hoc repugnat creationi; & licèt in facto eſſe reciperetur in ſubiecto, vt recipitur de facto; attamen conſiderata, vt in fieri, non intelligeretur, vt recepta in ſubiecto; quia ſic conſiderata eſſet cauſa ſubiecti, quod per illam produceretur; cauſa autem eſt prior effectu; & pro illo priori nõ intelligitur effectus; & ideo eſſet ſine motu, & mutatione, quia pro illo priori non eſſet ſubiectum, quod moueretur, & mutaretur. Ad 2. neg. pariter ant; nam omnis creatura, vt docet *Beatiſſ. P;* habet ſuum *hyleachim,* idèſt potentialitatem paſſiuam vel phyſicã, quæ eſt materia, vel metaphyſicam, quæ eſt potentia ad recipiendum eſſe; aliter eſſet actus purus, quod repugnat. Ad 3. neg. aſſumptum; & ad prob. inſert. dicitur, quòd creatio, licèt vt eſt in facto eſſe, ſit potentialis, quia ſic eſt recepta in ſubiecto; attamen ſi conſideretur, vt in fieri, quatenus præciſè eſt actio egrediens à Deo ſine vllo ſubiecto, quod pro eo tunc non conſideratur, eſt actio pura, & ſine motu, ac mutatione, vt dictum eſt. Cùm autem additur, quòd creatio eſt creatura, & omnis creatura eſt actus admixtus potentialitati, dicitur, quòd creatio in facto eſſe eſt creatura, *vt quod;* in fieri, vt *quo;* quia in fieri eſt id, per quod ſit creatura; id autem, per quòd ſit aliquid, nequit eſſe formaliter illud; aliter idem fieret per ſe ipſum. Creatura ergo quamuis ſit actus mixtus potentialitati, attamen purum fieri creaturæ præciſè conſideratum non eſt actus mixtus, quia non miſcetur, niſi cùm recipitur in ſubiecto; in ipſo autem fieri non conſideratur ſubiectum; quia ſubiectum eſt terminus ipſius fieri; & repugnat, quòd fieri formaliter conſideratum ſit terminus, aut in termino; fieri enim cõtradiſtinguitur à facto eſse; ſicut via à termino. Et ſic ad 4. dicitur, quòd licèt creatio, vt in facto eſſe, importet eſse creatum mixtum potentialitati ipſius ſubiecti; attamen in fieri importat purum eſse, quia nõ importat commixtionem cum ſubiecto; vt ſi daretur albedo ſeparata ab omni ſubiecto, eſset purus actus ſimplex, quia non eſſet compoſita cum alio; cùm autem eſt in ſubiecto, eſt actus mixtus cum alio, & ideo compoſitus. Ad 5. neg. conſ. licèt enim effectus creationis in facto eſſe ſit eſſe receptũ; attamen quia creatio in fieri eſt actio pura, ideo nequit eſſe niſi à ſubſtantia pura nulli admixta potentialitati. Ad vlt. dicitur, quòd licèt per creationem producatur tale eſſe, attamen quia eſt ex nihilo, & formaliter importat purum eſſe, ideo poteſt producere omne illud, quod eruitur ex nihilo; & importat eſſe producibile ex nihilo; eſſentia enim rei, per quam limitatur illud eſse, importatur à creatione tantùm materialiter, non formaliter; ſed omnis potentia poteſt in omne illud, quod habet rationem formalem ſpecificatiuã illius; quia obiectum formale, & potentia adæquantur; ergo ſi creatura crearet, poſſet etiam producere ſuum eſse, quod eſt obiectum formale virtutis creatiuæ;

uæ;

uæ; ſicut quia obiectum formale intellectus eſt ens,licèt intellectus intelligat hoc,vel illud ens, attamen poteſt intelligere ſe ipſum,quia in ipſo eſt ratio entis,quæ eſt ſpecificatiua illius; nõ obſtante, quòd ratio entis non reperiatur à parte rei abſtracta à ratione talis entis; & hoc non ob aliud, niſi quia ratio talis entis ſe haber de materiali reſpectu obiecti ſpecificatiui intellectus; ergo licèt creatio terminetur ad rationem indiuidualem talis entis;quia tamen hæc ratio ſe habet tantùm de materiali, quatenus coniungitur cum ratione entis,*vt ſic*,ideo non tollitur, quin poſſit verſari circa omne eſſe producibile ex nihilo, quod eſt obiectum formale creationis.

17 Et hoc bene explicat *Fund. Doct.* cùm ait, quòd creatura nequit habere pro obiecto ſuæ actionis eſſe,quia *eſſe de ſe eſt actus tantùm*; ſi enim eſſe conderetur in fieri, eſt actus tãtùm, vt dictum eſt;& ſi conſideretur in facto eſſe;quãuis materialiter non ſit actus primus; attamen formaliter precisiuè, prout habet ſpecificare potentiam creatiuam,eſt actus tantùm; non enim ſpecificat,quatenus importat eſſentiam, ſic enim eſt tale eſſe;non autem eſſe,vt eſſe,quod eſt ſpecificatiuum creationis. Hoc neceſſariò erat perpendendum *à Faſol*; vt ſapientiùs ſcriberet circa hanc rationem.

18 Prob. *3.ex eod.Fund.Doct.*ratione allata *art.1.n.15*. Omnis creatura eſſentialiter agit, vt inſtrumentum Dei,ſed inſtrumentum eſſentialiter præſupponit ſubiectum,cui applicatur; ergo omnis creatura eſſentialiter agit ex præſuppoſitione ſubiecti; & ideo nequit eleuari ad creandum. Ma; quam *Faſol.n.29.*ait magis eſſe explicãdam;præterquamquod traditur *ab Ariſt. apud Auicen.12.Met;& à SS.PP*;oſtenditur.De ratione inſtrumenti eſt,quòd recipiat virtutẽ, & moueatur ab agẽte principali, ſine quo nequit agere,quia ſine illo nullam habet actiuitatẽ,& actionem in effectum; & ideo dicitur eleuari ſupra ſuas vires ad agendum,quia ſine tali motu,& receptione virtutis nullas habet vires ad agendũ; ſed creatura recipit virtutem,& mouetur à Deo ad agendum; ſecus Deus non eſſet primum mouens vniuerſaliſſimum, quia non moueret omne id, quod mouetur; tum quia ſicut creatura recipit eſſe à Deo,ita recipit moueri,quod eſt idem, ac agere per motum,quod ſequitur ad eſſe;ergo creatura agit,vt inſtrumentum Dei. Neque officit,quòd creatura ſit etiam cauſa principalis; nõ officit,inquam;nam calor, quòd eſt inſtrumentũ ignis,reſpectu calefactionis eſt cauſa principalis, & reſpectu ignefactionis eſt inſtrumentum; quia reſpectu ignefactionis mouetur ab igne;& reſpectu calefactionis habet virtutem ſufficientem ex ſe ipſo,ſic creatura, ſi comparetur per ordinem ad aliam creaturam,qua mediante agit,& quam mouet,eſt cauſa principalis; ſi verò per ordinem ad Deum,à quo mouetur,& recipit virtutem,eſt inſtrumentum; quotieſcunque enim alicui competit moueri ab alio,& mouere aliud; tunc ſicuti quatenus mouet aliud,ei conuenit eſſe cauſam principalem, licèt non ſimpliciter primam; ita prout mouetur ab alio, ei competit ratio inſtrumenti; cùm ergo creaturæ eſſentialiter cõueniat moueri à Deo,& mouere aliam creaturam, quia eſt agens ſecundum, & ſe habet velut ſecunda rota, quæ mouetur à prima, & mouet tertiam; ideo creatura per ordinem ad Deum habet rationem inſtrumẽti, quamuis per ordinem ad aliã creaturam habeat rationem cauſæ principalis. Prob. mi. Inſtrumentum cauſæ non ita mouetur ab illa, vt ille motus ſiſtat in ipſo inſtrumento, ſed vt recipiatur in effectu, ad quem producendum inſtrumentum mouetur;calor enim ita mouetur ab igne, vt ille motus recipiatur in materia tranſmutabili ad formam ignis; ergo inſtrumẽtum eſſentialiter præſupponit mobile,in quo recipiatur motus ipſius inſtrumẽti; imperceptibile enim eſt, quòd motus recipiatur in nihilo, & quòd nihil moueatur;dicere namque quòd nihil mouetur,eſt dicere,quòd nullus datur motus.

19 Conf.*ex eod.*Sicut ſe habet agens ſecũdum in ordine ad primum agens;ita actio, & effectus ſecundi agentis in ordine ad actionem, & effectum primi agentis; agens enim,actio, & effectus eundem ordinem ſeruant; aliter non poſſemus à poſteriori per effectus,& actiones colligere,quem ordinem habeat agentia inter ſe; ſed creatura ita eſt agens ſecundum, vt eſſentialiter ſupponat in omni ſua actione agens primum,ergo actio creaturæ eſſentialiter ſupponit actionẽ cauſæ primæ;& ſic effectus creaturæ eſſentialiter ſupponit effectum Dei,ſed effectus Dei eſt ens, vt ens;quia Deus, vt potè agens vniuerſaliſſimũ, agit ſub ratione vniuerſaliſſima entis, vt dictum eſt;ergo effectus creaturæ ſupponit in ſe ipſo rationem entis cauſatam à Deo;& ideò non eſt ex nihilo,ſed ex ente,quod opponitur nihilo.

20 Inſt.*Faſol.n.29;& 30. ex Scot.* Cauſam ſecundam ſubordinari in agendo cauſæ primæ, vel eſt recipere à cauſa prima aliquem influxum præuium prædeterminãtem cauſas ſecundas ad agendum;vel eſt ſupponere effectum,vt paſſum, in quod agat, vel quòd creatura præſupponat ſe ipſam, quæ eſt effectus Dei; *omne* enim *agens in tantùm agit, in quantùm actu eſt*? Primum eſt falſum;quia cauſa ſecunda naturalis ex ſe eſt determinata ad vnum, & ideo non indiget prædeterminari; tum quia ille influxus præuius nõ tolleret ab actione creaturæ rationem creationis, quia poneret aliquod tantùm in cauſa, non in effectu,qui propterea eſſet ex nihilo.Si ſecundũ; peteretur principium;quæritur enim, an creatura eſſentialiter agat ex aliquo; quod inſufficienter colligitur ex ſubordinatione ad Deum. Tertium non eſt ad rem; vt patet. Præterea agens materiale,& immateriale ſe habent, vt inferius, & ſuperius; & tamen agens materiale non ſupponit effectum agentis immaterialis; ergo præ-

ſupponere effectum agentis ſuperioris non colligitur ex ſubordinatione agentis inferioris. Tũ quia licèt ars ſubordinetur naturæ; attamen poteſt agere in lignum v.g. à ſolo Deo productum; & agens naturale non ſolùm præſupponit effectum Dei, idèſt materiam primam, ſed etiam effectum naturæ, idèſt formam; non enim agit in materiam informem, ſed formatam; ergo ex ſubordinatione non colligitur præſuppoſitio effectus, aut è contra. Tandem ad ſaluandam ſubordinationem ſufficit, quòd præſupponatur aliquis effectus, ſeu concurſus agentis ſuperioris; non autem, quòd talis effectus debeat eſſe paſſum, in quod agit agens inferius; nam licèt ars ſubordinetur naturæ; attamen nedum ars ſupponit effectum naturæ, ſed etiam natura, quæ eſt ſubordinans ſibi artem, ſupponit paſſum, in quod agit; ergo ſicut ex ſubordinatione actiua non colligitur actionem debere eſſe ex nihilo; ita ex ſubordinatione actiua non colligitur actionem debere eſſe ex effectu præſuppoſito.

Reſp. cauſam ſubordinari in agendo nihil aliud eſſe, quàm recipere actionem à cauſa ſubordinãte; ſicut ſubordinari in eſſẽdo nihil aliud eſt, quàm recipere eſſe à ſubordinante, vt diximus *to. 2. de Scient. Dei q. 4. §. 3;* ſic ſecunda rota horologij ſubordinatur primæ rotæ in mouẽdo, quia recipit motum ab illa; atqui nedum cauſa ſecunda ſubordinatur cauſæ primæ, ſed etiam actus, & effectus cauſæ ſecundæ in productione ſui ſubordinãtur actioni, & effectui cauſæ primæ, aliter nõ eſſent actus, & effectus cauſæ ſecundæ, ergo ſicut cauſa ſecunda nequit non ſupponere primam, ita actio, & effectus cauſæ ſecundæ nequit non ſupponere actionem, & effectum cauſæ primæ. Effectus autem cauſæ primæ debet eſſe paſſum, in quod agit cauſa ſecunda; quia effectus cauſæ primæ eſſentialiter debet eſſe effectus cauſæ ſecundæ; aliter effectus cauſæ ſecundæ non eſſet effectus cauſæ primæ; & vt effectus cauſæ primæ debet præſupponi ad effectum cauſæ ſecundæ, vt dictum eſt; quod optimè explicatur per rationem entis, quæ eſt prior ratione talis entis, & ratio entis, cùm ſecundùm ſe ſit indifferens, determinabilis, & contrahibilis per rationem talis entis, ideo habet rationẽ paſſi, ac receptiui. Neque hoc eſt petere principiũ, ſed rectiſſimè probare à priori per cauſam; quia eſt probare per aliquod eſſentialiter præſuppoſitum ad actionẽ creaturæ, quod optimè infertur ex ſubordinatione, quæ importat aliquod ſupra ipſam actionem, vt actio eſt præcisè. Igitur id, quod quæritur, eſt; an actio creaturæ poſſit eſſe ex nihilo præſuppoſito; & conuincitur hoc medio; quòd cauſa creata non poſſit agere, niſi præſuppoſita prima cauſa; ex quo deducitur, quòd effectus cauſæ creatæ non poſſit eſſe, niſi ex præſuppoſito effectu cauſæ primæ; probare autem effectũ per cauſam quis non videat non eſſe petitionem principij, ſed probationem potiorem? Ad 2. dicitur agens materiale, & immateriale non ſubordinari eſſentialiter, ſicut nec eorum actiones, & effectus, vt ſubordinatur cauſa ſecunda cauſæ primæ, ſed ſolùm ſe habere, vt perfectius, & imperfectius; ſuperioritas autem perfectionis non eſt idem, ac ſubordinatio, vt patet; nam homo licèt ſit ſuperior, & perfectior planta in agendo; nullus tamẽ diceret, quòd ſubordinet ſibi actionem plantæ. Subordinatio ergo vltra ſuperioritatem, & inferioritatem importat productionem eiuſdem effectus ſecundùm rationem vniuerſaliorem, & minùs vniuerſalem. Ad aliud dicitur artem eſſentialiter ſubordinari naturæ naturatæ, vel naturanti; accidentaliter autem ſubordinari naturæ naturatæ, idèſt creaturæ, quia effectus productus à creatura, circa quem verſatur ars, poterat à Deo ſolo produci; at verò effectus productus à creatura non poteſt à Deo non produci; & ideo ars, & creatura in ſua actione eſſentialiter Deo ſubordinantur; alteri autem creaturæ, non niſi accidentaliter ex libera Dei voluntate. Ad illud de materia dicitur, quòd tam materia, quàm forma ſunt effectus Dei; vel quòd forma præſupponitur per accidens, quatenus materia nequit eſſe ſine forma, quòd ſi poſſet eſſe ſine illa, & agẽs naturale induceret in materiã diſpoſitiones ad aliquam formam, poſſet illam educere ex materia. Igitur non præſupponitur forma ratione actionis, ſed ratione materiæ, & ideo per accidens. Ad vlt. dicitur ad ſubordinationem requiri, quòd præſupponatur idem effectus ſecundùm aliquam rationem vniuerſalem productus à cauſa ſuperiori, vt dictum eſt; & cùm dicitur, quòd natura, quæ ſubordinat ſibi artem, præſupponit aliquod in agendo, reſp. naturam præſupponere, non quatenus ſibi ſubordinat artẽ, quia ars ad actionem naturæ nullo modo concurrit; ſed quatenus ſubordinatur Deo, qui concurrit ad actionem creaturæ, vt cauſa prima vniuerſaliſſima. Meliùs ergo capere debebant *Aduerſarij* rationem ſubordinationis, ſic enim vidiſſent, hæc nihil concludere cont. rationem firmiſſimam *Fund. Doctoris.*

21 Prob. 4. *ex eod.* Operari immediatè per ſubſtantiam nequit cõpetere creaturæ; ſed creare eſt operari immediatè per ſubſtantiam; ergo creare nequit competere creaturæ. Prob. ma. Si operari immediatè per ſubſtantiam poſſet competere creaturæ, poſſet ſubſtantia creata eſſe idẽ, ac ſua virtus operandi; ſi enim virtus operandi non eſſet idem, ac ſubſtantia creaturæ, iam illa virtus non eſſet ſubſtantia, ſed accidens, quia præter ſubſtantiam non datur niſi accidens; accidens enim, & ſubſtantia adæquatè diuidũt ens creatum; ſed implicat ſubſtantiam creatam eſſe virtutem operandi; quia implicat eſſe idem cum ſuo eſſe; vt dictum eſt *to. 1. de Subſt. Dei q. 2. art. 3. §. 1;* & per conſequens multò magis implicat, quòd ſubſtantia ſit idem, quod virtus, quia virtus ſupponit eſſe ſubſtantiale, & ideo magis diſtat ab

eſ-

eſſentia,quàm eſſe;& ea, quæ magis diſtant, minùs poſſunt identificari,quàm ea, quæ minùs diſtant; ergo operari immediatè per ſuam ſubſtantiam nequit cōpetere creaturæ. Prob. mi. Creare non eſt operari mediante accidente;nam operari mediante accidente eſt per tranſmutationē ſubiecti,quod neceſſariò requiritur ad hoc, vt in illo recipiatur illud accidens, quo mediāte producitur ſubſtātia, vt patet in operationibus agētiū naturaliū;ſed creare eſt operari ex nullo pręſuppoſito ſubiecto; ergo creare eſt operari non mediante accidēte, ſed immediatè per ſubſtātiā.

22 Inſt. *Faſol. n.31.* Hæc ratio probat concluſionem certam, & magis notam per medium incertum,& minùs notum; quia quòd ſubſtantia creata non poſſit immediatè operari, controuertitur *in Scholis*;& magis notum eſt creaturā non poſſe creare, quàm non poſſe agere immediatè,hoc enim negatur *à pluribus*,quàm illud;ergo non rectè probat.Tum quia non ita conſtat Deū non poſſe facere creaturam immediatè operatiuam, ſicut conſtat non poſſe facere creaturam habentem virtutem creatiuam; ergo iſtud rectè non probatur per illud;quia eſt per ignotius.

Reſp. neg. ant; nam incertitudo illius propoſitionis non eſt ex parte ipſius ſcientiæ,ſed ex defectu ſcientis,qui illam non percipit, ſicut debet percipere.Ceterùm ita certum eſt ſecundùm ſe; quòd eſſe creaturæ nequit eſſe idem cum eſſentia, aliter ipſa eſſentia creaturæ nunquam poſſet non eſſe,vt à nullo rationabiliter diſcurrēte poſſit negari cognitis terminis,ſcilicet quid ſignificetur nomine *Eſſentia*, quæ dicit ordinem ad eſſe;& *exiſtentia*, quæ importat rationem eſſendi à parte rei,& qua manente in eſſentia, eſſentia ſemper eſſet à parte rei;vnde ſi eſſet idem cum eſſentia,ab illa nunquam poſſet ſeparari,& per conſequens eſſentia nunquam poſſet non eſſe; ergo hæc propoſitio eſt principium certum ſecundùm ſe rectè probans concluſionem,quanuis poſſit eſſe incertum per accidens;ſcilicet defectu ſcientis.Ad aliud dicitur,quòd ſubſtantiam creatam operari mediantibus accidentibus nobis innoteſcit per ſenſum; videmus enim, quòd ignis ad hoc,vt producat ignem in ligno, priùs producit calorem,qui calor non eſt forma ignis; lignum enim ſtatim,ac eſt calidum, non eſt ignitum;& mediante calore inducit formam ignis in lignum; rationem autem creationis nō niſi cum magna difficultate poſſumus percipere;vt ex dictis *art. 1;& 2.*poteſt patere;ſed illud, quod aliquo modo apprehenditur per ſenſum, eſt nobis magis notum, cùm omnis notitia pro hoc ſtatu oriatur à ſenſu;ergo hæc ratio probat ignotum per notius,& ideo rectiſſimè procedit.

23 Prob.5.*ex eod.Quodl.5.vbi ſup.* Nequit creaturæ communicari virtus annihilatiua redigens aliquam rem in nihilum;ergo neque virtus creatiua producēs ex nihilo. Prob.ant. Nihilum eſt terminus Omnipotētiæ, quæ ſicut habet agere ex nihilo,ita habet redigere in nihilum; quemadmodum potentia eductiua, quia habet agere ex non eſſe formæ, ita habet reducere in non eſſe formæ;terminus enim *à quo, & ad quem* ſibi correſpondent; ſed omnipotentia nequit cōmunicari creaturæ;ergo neque potentia redigēs in nihilum. Conſ.patet; quia eiuſdem eſt annihilare,cuius eſt creare; vnde ſicuti ſi agens naturale non poſſet reducere in non eſſe formæ, non poſſet formam educere; quia eductio formæ nō fit niſi per deſtructionem formæ antecedentis; ita à pari.Hęc ratio reducitur ad primā.*Vid.vbiſ.*

24 Eſſet *hic* oſtendendum, quòd *Aduerſariorum* rationes re vera patiuntur eam infirmitatem, quam impingere conantur rationibus *Fund.Doct.*ſed ne prolixitas augeat legentium querelas, aliquas tantùm breuiter tangemus.

25 Arguit igitur ex *Scot.Vaſq.hic c.2.n.13.* Si aliqua creatura poſſet creare, maximè creatura ſpiritualis, quia creatio eſt actio trāſiens perfectiſſima, & ideo nequit competere niſi naturæ perfectiſſimæ,vt eſt natura ſpiritualis;ſed creaturæ ſpirituali nequit competere creatio; nam vel competeret per naturam;& hoc non; quia creatio eſt actio libera,& nequit neceſſariò conuenire naturæ;vel per intellectionem, & volitionem; & hoc pariter dici nequit;quia intellectio,& volitio ſunt accidētia,quæ exigunt ſubiectum; nulla autem alia potentia exequens datur in natura ſpirituali diſtincta ab intellectu, & voluntate; ergo virtus creatiua nequit cōpetere creaturæ.

Sed hæc ratio in primis coincidit cum 4. ratione aſſerente creaturam agere per accidentia. Præterea falſum eſt potentiam exequentem in natura ſpirituali non diſtingui ab intellectu, & voluntate;quia potentia exequens eſt tranſeunter agens; intellectus autem, & voluntas immanenter agunt;vt diximus *to.1. de Omnipot.art.6.* Tandem non probatur,cur creatio non poſſit eſſe per naturam maximè in horum ſententia, qui aſſerunt ſubſtantiam creatam poſſe immediatè operari;ſicuti enim generatio poteſt eſſe per naturam,quare non creatio?

26 Arguunt *Alij*: Ad creandum requiritur potentia infinita;creās enim debet ſuperare infinitam diſtantiam,quæ eſt inter nihil, & ens; ſed potentia infinita eſt incommunicabilis creaturæ;ergo & potentia creatiua.

Sed hæc ratio, niſi explicetur, vt explicat *Fund.Doct.*non concludit;nam diſtantia, quæ eſt inter ens,& nihil,eſt negatiua;vt patet; infinitas autem negatiua non videtur repugnare creaturæ; ideo *ab Aliquibus* dicitur Angelus infinitè perfectus in ſua ſpecie, quia habet totam perfectionem ſuæ ſpeciei,nec maiorem poteſt illa ſpeciei habere. Præterea explicandum eſt,quomodò inter ens,quod producitur,quod eſt finitum, & nihil ſit diſtantia infinita; diſtantia enim ſumitur ex parte entis,non ex parte nihili,quod nihil eſt;ens autem finitum quomodò fundare poteſt di-

diſtantiam infinitam? Igitur infinitas potētiæ ſumenda eſſet ex eo, quòd eſſet irrecepta, vt diximus *to.1.de Infin.art.1. §.1*; vel ex obiecto formali adæquato ſpecificatiuo, quod eſt omne eſſe creabile,quod eſt infinitum,vt *inf.n.28*.

27 Aliæ rationes vel ſunt modici valoris, vel reducuntur *ad noſtras* ſuperiùs allatas, vt eſt hæc,quæ valdè efficaciter concludit. Quotieſcũque aliqua actio egreditur ab aliqua proprietate,quam repugnat communicari alteri ab illa natura, cuius eſt proprietas; tunc illa actio nequit communicari alteri naturæ nec etiam diuinitus; quia illi nequit communicari illa proprietas,quę eſt principium proximum illius actionis,vt v.g.ſi riſibilitas ita eſt proprietas hominis,vt repugnet illam communicari alteri ab homine;etiam riſus, qui eſt actus formalis illius, ita conuenit homini, vt nequeat communicari alteri ab homine; ſed creatio eſt actio Omnipotentiæ Dei, quæ ita eſt propria Dei, vt repugnet communicari creaturæ; ergo repugnat creationem communicari creaturæ. Hæc ratio reducitur ad 1; 2; & 5; ſicut enim omnipotentia habet terminum *à quo*, & *ad quem* ſibi proprium,ita debet habere actionem ſibi propriam.

28 Obijc.1. *Dur.* Ad creandum ſufficit potentia finita; ſed hæc non repugnat creaturæ; ergo ei non repugnat potētia ad creandum. Prob. ma.1. Ad creandum ſufficit potētia ſuperans diſtantiam inter nihil, & ens; ſed hæc diſtantia eſt finita,quia ens,quod creatur, eſt finitum, & negatio illius eſt finita;negatio enim nō tollit plùs, quàm ponat affirmatio; ergo ad creādum ſufficit potentia finita.Tum quia diſtantia eſt tantùm inter duo entia poſitiua;cùm negatio fundetur immediatè in ente poſitiuo;& ideo ab illo nō diſtet. 2.Creatura non producitur à Deo ſecundùm rationem infinitam;nam vt docet *Beatiſſ.P. lib.83. q.46;alia ratione conditus eſt homo,& alia equus;* & ideo ratio,qua creatur homo, non eſt infinita; aliter eſſet ratio,qua etiā creatur equus. 3. Infinitas virtutis arguitur ex infinitate termini producti; ſed terminus productus per creationem non eſt infinitus; ergo neque virtus creatiua. 4.Vbi maior eſt reſiſtentia terminorum, ibi maior virtus requiritur ad illam vincēdam; ſed maior eſt reſiſtentia inter duos terminos poſitiuos, ad quam tamen ſuperādam ſufficit virtus finita; quàm inter terminum poſitiuum, & negationem illius; ergo magis ad ſuperandam reſiſtentiam, quæ eſt inter ens & nihil,ſufficit virtus finita.

Reſp.neg.ma.Ad 1.prob.dicitur,quòd licèt admittatur inter nihil,& ens eſſe diſtantiam finitā; attamen quia virtus creatiua habet pro obiecto formali omne eſſe creabile, quod eſt infinitum, ideo requitur virtus infinita. Vel dicitur, quòd ad creandum requiritur virtus irrecepta, quæ eſt actus purus, & ideo eſt infinita, vt diximus *to.1.vbiſ.*Vel dicitur,quòd licèt inter nihil, & tale ens,quod creatur,ſit diſtantia finita,quia ens,quod creatur,eſt finitum;cùm ſit tale eſſe;attamen inter nihil,& eſſe, quod ſpecificat potentiam creatiuam, eſt diſtantia infinita, quia eſſe ſic acceptum eſt omne eſſe, quod eſt infinitum; & nihil negans omne eſſe,eſt pariter infinitum. Ad aliud dicitur verum eſſe de diſtantia poſitiua,non de negatiua.*Vid.Fund.Doct.de eſſe,& eſſent.q.6.ad 6.* Ad 2.dicitur,quòd ratio,qua conditus eſt homo,eſt infinita ſecundùm ſpeciem, quia eſt ratio producendi infinitos homines; & licèt per noſtrum modum intelligendi ſit diſtincta à ratione, qua conditus eſt equus, & ideo ſic præciſiuè accepta non ſit infinita ſimpliciter; attamen realiter eſt idem cum ratione, qua conditus eſt equus,& omnes aliæ creaturæ; vnde realiter eſt vna tantùm omnium Idæa;vt docet *Beatiſſ.P.* Sic illa virtus licèt præciſiuè ſumpta eſſet infinita ſolùm ſecundùm ſpeciem;attamen realiter eſſet infinita ſimpliciter, quia eſſet actus purus, de cuius ratione eſt identificari cum omni eſſe, & excludere omne non eſſe; nam ſi diceret aliquod non eſſe, diceret potentiam paſſiuam, quæ importat non eſſe. Ad 3. diſt.ma. Infinitas virtutis arguitur ex infinitate termini adæquati ſpecificātis,& hoc à poſteriori,cōc; ſed neg.min; inadæquati,non ſpecificantis; & aliunde nequit argui à priori,ſcilicet ex eo,quòd ſit actus purus ſimpliciter irreceptus, neg. Ad 4. dicitur, quòd ſequeretur requiri maiorē virtutem ad educendam formam,quæ fit per reſiſtentiam contrariorum, quàm ad creandum ex nihilo; quod tamen nullus diceret.Maior ergo reſiſtentia arguit maiorem virtutem in agente ex contrarijs ſibi inuicem reſiſtentibus; non tamen arguit maiorem virtutem, quàm ſit in agente ex nihilo, in quo nulla eſt reſiſtentia, quia in illo nulla eſt forma habens primas qualitates, ex quibus ſumitur reſiſtentia.

29 Obijc.2. Creaturæ poteſt communicari viſio beata, quæ eſt nobilior creatione, cùm ſit ſupernaturalis; tum quia ei communicatur actio generatiua, quæ pariter eſt nobilior creatione; cùm generatio ſit in Deo formaliter, & creatio tantùm virtualiter; illud autem,quod eſt in Deo formaliter,eſt perfectio ſimpliciter ſimplex;& illud,quod eſt in Deo virtualiter,eſt perfectio ſimplex, quæ eſt minor perfectione ſimpliciter ſimplici; tum quia creaturæ communicatur poſſe producere formam,quæ eſt nobilior materia; ergo poteſt ei cōmunicari creatio,quæ ignobilior.

Reſp.ommiſſo ant. neg.conſ; nam nobilius eſt poſſe generare hominem, quàm formicam; & tamen homini communicatur primum, non ſecundum. Item intelligere eſt nobilius, quàm ſentire; & tamen primum communicatur Angelo,non ſecundum.

30 Obijc.3.Quando corrumpuntur ſpecies panis iam conſecrati vel in vermes ab aere humido in illas agente, vel in cineres ab igne illas abſumente; & ſic de ſpeciebus vini in acetum

tran-

tranſeuntis; tunc agēs naturale producit non ſolùm formam, ſed etiam materiam vermium, cinerū, & aceti; forma enim ſine materia nequit exiſtere, ſed materia non producitur, niſi per creationem, quia cùm ſit primum ſubiectum nequit ſupponere aliud ſubiectum, ex quo educatur; ergo creatio competit agenti naturali, ſaltem miraculosè.

Reſp. *Fund.Doct.Theor.45.de Corp. Chriſti* materiam non produci ab agente naturali, ſed reſultare ex connexione eſſentiali, quam habet cum illis diſpoſitionibus introductis ab agente naturali in ſpecies conſecratas; & dat exemplū de anima rationali; homo enim generans introducit vltimas diſpoſitiones ad animam rationalem, quæ, quia naturaliter connectuntur cum illa, ideo illis poſitis reſultat anima, quæ tamen nō producitur ab agēte naturali per actionem eductiuam, ſed à ſolo Deo creatur. Ita in caſu, quia illæ diſpoſitiones introductæ in ſpecies cōſecratas ab agente naturali non minùs connectuntur naturaliter cum materia, quàm diſpoſitiones introductæ ab homine generante connectantur cū anima, ideo ad poſitionem illarum reſultat materia abſque eo, quòd producatur ab agente naturali.

Ceteræ obiectiones partim ſolutæ ſunt *art. 1; & 2;* partim faciliter ſoluuntur ex dictis, & partim ſoluentur *in ſeq.art.*

ART. IV.

An Creatura poſſit eleuari, vt cauſa inſtrumentalis, ad creandum?

1 Diligenter examinanda eſt hæc difficultas; ab ipſa enim pendent plures aliæ diſcutiendæ circa materiam de Sacramentis, & circa antiquam *SS.PP.* doctrinam; ad quas diſſoluendas maximè confert id, quod breuiter, ſed ſapientiſſimè docet *Fūd.Doct.Aeg. de eſſe, & eſſent. q.6.ad 9*; quod expreſſiſſimè tradit *Beatiſſ.P.Aug. lib.9.de Gen.ad lit.c.15*; quo *Recentium* lites circa præſentem controuerſiam excitatæ commodè poſſunt componi.

2 Non eſt *hic* ſermo de cauſa inſtrumentali morali, quæ non influit in effectum agentis principalis per verum influxum phyſicum realem, ſed tantùm influit intentionaliter, quatenus ex intentione agentis dirigitur ad illum effectum; patet enim *1. Reg.1*; quòd Deus ordinauit preces *Annæ* ad hoc, vt ipſemet Deus crearet animam *Samuelis*, quem dedit ei filiū; & ſic de precibus *D. Nicolai Myrenſis*, quibus obtinuit *noſtrum S.Nicolaum Tolentinatem*; & non eſt dubium, quòd preces Chriſti Domini, Beatiſſ.Virginis potuiſſent impetrare à Deo creationem alicuius creaturæ. Sermo igitur eſt de cauſa inſtrumentali phyſica influente per verum influxū phyſicum in effectum principalis agentis.

3 Influere autem phyſicè ſtat dupliciter. 1. Directè; & eſt cùm cauſa inſtrumentalis producit aliquod præuium ad effectum cauſę principalis, per quod refert in effectum actionem eiuſdē cauſæ principalis; vt v.g. calor, qui in ignefactione ligni dicitur inſtrumentum coniunctum ignis eo, quòd agit ſupra ſuam ſphæram, producit calorem in ligno præuiè ad ignefactionem; & per ipſum calorem defert in lignum actionem ſubſtantialem ignis, per quam ignefit lignum. 2. Indirectè, & eſt, cùm cauſa inſtrumentalis producit aliquid merè extrinſecè, ad cuius poſitionē cauſa principalis producit ſuum effectum ita, quòd cauſa inſtrumentalis nihil ponat intrinſecè in effectu cauſæ principalis, neque deferat actionem ſubſtantialem illius. Ratio autem, ob quam cauſa inſtrumentalis ſic diuidenda eſt, ſumi poteſt ex eo, quòd cùm cauſa inſtrumentalis reducatur ad genus cauſæ efficientis; eſt enim extrinſeca; ſicut cauſa efficiens diuiditur in cauſam, *à qua* eſt effectus per verum influxum actiuum; & in cauſam, *ad quam* reſultat effectus, non quidem per influxum intrinſecè terminatum, & receptum in effectu, ſed per naturalem colligationem, quā habet aliquod poſterius cū aliquo priori, à quo dicitur emanare, & reſultare; vt anima dicitur cauſa, ad quam reſultant ſuæ paſſiones; & intellectus cauſa voluntatis; ſic cauſa inſtrumentalis, eo, quia eſt efficiens, alia eſt, *à qua* eſt effectus per verum influxum phyſicum intrinſecè receptum in effectu cauſæ principalis ſiue producendo aliquid præuium, ſiue deferendo actionem principalis agentis, vt dictum eſt; alia, *ad quam* ſequitur effectus ex prouidentia ſiue generali, ſiue ſpeciali connexus cum illa; vt voluntas naturaliter connectitur cum intellectu ex ordinatione prouidentiæ generalis naturalis ordinantis omnes res naturales; & dona ſupernaturalia cum gratia ex ordinatione prouidentiæ ſpecialis ſupernaturalis. Vtraque autem hæc cauſa inſtrumentalis dicitur inſtrumentum phyſicum; ſicut vtraque efficiens *à qua*, & *ad quam* dicitur phyſica, prout contradiſtinguitur à morali, quæ non eſt niſi conſulens, iubens, rogans, & intētionaliter mouens, vt dictum eſt. *Hoc ſupp.*

4 Prima ſententia vult creaturam poſſe eleuari tanquam inſtrumentum phyſicum ad creādum. *Ita Mag.Sent.in 4.diſt.5.c.vlt; D.Tho.in 4. ſent.diſt.5.q.1.art.3.quæſtiūc.3.ad 4; & in 2.diſt. 1.q.1.art.3*; qui tamen hanc ſententiam retractauit *1.p.q.45.art.5; & 2.cont.Gen.c.21; Dur.in 2. diſt.1.q.4; Sua.in Met.diſp.20.ſect.3; Hurtad.in Phyſ.diſp.12.ſect.6; Albertin.to.1.q.1.Theol.corol. 1; Arriaga, Tolet; Alliacen; Gabr; Mendoza apud Faſol; Lezana tract.7.diſp.1.q.3; Amic.to.2.diſp.2. ſect.4; & alij* aſſerentes, quòd licèt creatura non poſſit eleuari, vt inſtrumentum naturale ex natura ſua inſtitutum ad creandum, poteſt tamen eleuari, vt inſtrumentum obedientiale.

5 Secūda ſententia tenet ex oppoſito creaturā nō poſſe à Deo eleuari, vt inſtrumētū phyſicum ad creandum. *Ita communiter omnes alij;* *D.Tho.*

D. Tho. vbiſ; Caiet; Bau; Zum; Cabr; Val; Albertus Magn; Scot; Ric; Henr; Ferrar; Io. à S. Tho; Vaſq; Maſtr; Faſol; Vaſq; &c. Eſt tamen inter hos aliqua diſſenſio; nonnulli enim volunt creaturam nullo modo poſſe eſſe inſtrumentum phyſicum creationis. Ita omnes illi, qui putant Sacramenta nouæ legis non cauſare gratiam phyſicè, ſed moraliter; inter quos eſt etiam *noſter M. Conſonius in M.S;* qui putat *Fund. Doct. in 2. diſt. 1. q. 2. art. 5. §. Viſo* ſaluare hac doctrina ſententiam *Magiſtri*; re tamen maturiùs conſiderata hoc non habet *Fund. Doct.* vt mox dicemus. *Alij* verò poſſe eleuari, vt inſtrumẽtum phyſicum indirectè; producendo ſcilicet aliquid extrinſecè ſe habens ad effectum creationis; ad quod poſtea Deus creet ſe ſolo effectum. *Ita* ſentire videntur, qui tenent gratiam à Deo creari, & Sacramenta illam phyſicè cauſare.

6 Noſtra igitur ſententia docet creaturam non poſſe à Deo eleuari tanquam cauſa inſtrumentalis phyſica ad creandum directè, benè tamen indirectè, ſeu miniſterialiter extrinſecè, vt loquitur *Beatiſſ. P. inf;* tanquam inſtrumẽtum, *ad quod,* non *à quo. Ita Fund. Doct. de eſſe, & eſſent. vbiſ;* poſtquam enim dixit, quòd creatura poteſt annihilare indirectè, nõ directè, quia poteſt ponere peccatum, quo poſito annihilatur gratia; ſubdit: *Sic etiam indirectè poteſt facere ex nihilo aliquid, quia poteſt facere aliquid, quo facto aliquid producitur ex nihilo; vt poteſt diſponere ſufficienter corpus ad animam intellectiuam; quo diſpoſito infunditur anima ibi. Et ad* 10. loquens de Sacramentis ait: *Sacramenta efficiunt, quod figurant; nõ quòd directè cauſent; ſed cauſant aliquem ornatũ in anima, quo cauſato, niſi præbeamus obicem, infunditur nobis gratia. Imaginabimur enim, quòd phantaſmata in virtute intellectus agentis poſſunt mouere intellectum poſſibilem non obſtante, quòd phantaſia eſt virtus in corpore; intellectus verò poſſibilis nec eſt corpus, nec eſt virtus in corpore; ſic Sacramenta in virtute ſuperioris actiui, vt in virtute Diuina aliquid efficiunt in anima non obſtante, quòd Sacramenta ſunt quid corporale; anima verò quid ſpirituale. Indirectè ergo Sacramenta cauſant gratiam. Et in 2. Sent. vbiſ.* ſaluans ſentẽtiam *Mag.* ait: *Cùm ergo in ipſa creatura ſanctificata aliquid inducatur per creationem, ſicut gratia, vel aliqua alia dona; poſſet Deus concedere miniſterialiter, quòd poſſet creare aliqua, idèſt quòd inſtrumentaliter operaretur interiùs in anima ad opus creationis excellentiori modo, quàm ei contulerit. Sic ergo poſſe creare miniſterialiter non eſt facere de nihilo aliquid; ſed eſt præſtare miniſteriũ, vt hoc fiat. Quia ſi dicatur hoc communicatum eſſe creaturis; quia Sacerdotes miniſtrando Sacramenta diſponunt ad gratiam; dicemus, quòd hoc eſt faciẽdo aliquid exteriùs; vult autem Magiſter, quòd ſicut collatum eſt creaturæ diſponere ad gratiam faciendo aliquid exteriùs; ſic poterit conferri creatura poſſe creare miniſterialiter; idèſt poſſe exhibere miniſterium ad opus creationis operando etiam interiùs.* Hæc ſentẽtia habet *Patronum Beatiſſ. P. Aug;* à quo nedum doctrinã, ſed & ipſa ferè verba ſumpſiſſe videtur *Fund. Doct;* nec dubitem *omnes* ferè ipſam amplexuros fuiſſe, vno, vel altero excepto, ſi illis explicata fuiſſet. Igitur

7 Vnica concl. Creatura nequit à Deo eleuari, vt inſtrumentum phyſicum, ad creandum directè; bene tamen indirectè, & miniſterialiter extrinſecè; ſeu non vt cauſa inſtrumẽtalis *à qua,* ſed vt cauſa inſtrumentalis *ad quam.*

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. vbiſ;* vbi loquens de formatione *Euæ* ait: *Aliter ergo quæritur, quemadmodum ſit ſoporatus Adam, coſtaque eius ſine vllo doloris ſenſu à corporis compage detracta ſit; Hæc enim fortaſſe dicantur potuiſſe per Angelos fieri; formare autem, vel ædificare coſtam, vt mulier eſſet, vſque adeo non potuit, niſi Deus, à quo vniuerſa natura ſubſiſtit; vt ne illud quidem carnis ſupplementum in corpore viri, quod in illius coſtæ ſucceſſit locum, ab Angelis factum eſſe crediderim; ſicut nec ipſum hominem de terræ puluere; non quòd nulla ſit Angelorum opera, vt aliquid creetur; ſed non ideo creatores ſunt; quia nec agricolas creatores ſegetum, atq; arborum dicimus; non enim qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum, dat Deus. Ad hoc incrementum pertinet etiam in corpore humano, quòd oſſe dempto locus carne ſuppletus eſt; illo ſcilicet opere Dei, quo naturas ſubſtituit, vt ſint, quo ipſos quoque Angelos creauit.* Et paulò poſt proſequitur. *Medicus etiam ægro corpori alimentum adhibet, & vulnerato medicamentum; primum non de rebus, quas creauit, ſed quas creatas opere Creatoris inuenit. Deinde cibum, vel potum potuit præparare, & miniſtrare, & emplaſtrum formare, & medicamenta illico apponere.* Ac deinde. *Voluntas verò Angelica obedienter Deo ſubdita, eiuſq; executa iuſſionem naturalibus motibus de rebus ſubiectis tãquã materiã miniſtrare, vt ſecũdũ illas principales in Verbo Dei non creatas, vel ſecundùm illas in primis ſex dierũ operibus cauſaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur, more agricolandi, vel medendi poteſt. Quale itaq; miniſteriũ Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare?* Ex quo ſic arguitur. Quanuis Agricola, & Medicus non producant per verum influxũ phyſicum herbas, & plantas; & carnem, ac vires in corpore ægroti; non enim deciditur aliqua pars ſubſtantiæ Agricolæ, & Medici, qua ſolùm habetur influxus phyſicus in omni generatione; attamen vterque dicitur phyſicè miniſterialiter operari circa generationem plantarum, & carnis ex eo, quia aliquid merè extrinſecè, & indirectè operentur; non enim quis diceret eos merè moraliter ſe habere ad illarum productionem; ergo quanuis creatura non poſſit à Deo eleuari, vt inſtrumentum intrinſecè influens in effectum creationis; attamen poteſt ad illam phyſicè, non tantùm moraliter, vt inſtrumentum miniſtrans ex-

trin-

trinſecè, indirectè, & vt *ad quod*.

8 Prob.1.pars concl.ratione *Fund.Doct.allata in ſup.art.n.9.* Omne inſtrumentum agit, vt motum à principali agente; idèſt per motum factum in illo, qui motus tranſit; & recipitur in ſubiecto, quod mouetur ad illud eſſe, quod producitur ab agente; ſed motus præſupponit mobile, nihilum enim nequit moueri; nam nihil moueri eſt ſimpliciter non moueri; ergo omne inſtrumentum agit ex præſuppoſito ſubiecto; ſed præſupponi ſubiectum repugnat creationi; quia eſt cõtra eius definitionem; ergo repugnat creaturam eleuari, vt inſtrumentum influens directè ad creandum. *Vid.vbiſ.*

9 Conf.Si creatura poſſet eleuari ad creandum inſtrumentaliter, poſſet eleuari ad agendũ independenter ab omni ſubiecto materiali, ſeu habente potentialitatem paſſiuam; & ad efficiendam actionem habẽtem nihil pro termino *à quo*; & eſſe pro termino *ad quem*; ſed hoc repugnat; vt probatum eſt *in ſup. art*; ergo repugnat creaturam eleuari, vt inſtrumentum, ad creandum. *Vid.alias rationes ibid*; quæ hoc modo reducuntur ad probandam etiam hanc concluſionem; quam propterea *Fund.Doct.* indiſtinctim pertractauit cum illa.

10 Prob.2. Omne inſtrumentum phyſicum tranſeunter influens in effectum principalis agẽtis debet habere actionem præuiam diſponentẽ ad illum, per quam debet deferre actionem principalis agentis; ſed repugnat creaturam habere actionem præuiam diſponentem ad effectum creationis, & deferentem actionem creatiuam; ergo repugnat creaturam à Deo eleuari, vt inſtrumentum directè influens in creationem. Ma. explicatur. Dicitur *inſtrumentum phyſicum*; nam cùm inſtrumenta moralia non producant effectum, ideo non eſt neceſſe, quòd habeant actionem præuiam. Dicitur *tranſeunter influens*; quia cùm inſtrumentum immanenter agens non producat ſuum termnum; vt oculus non producit parietem; nec intellectus ſuum obiectum; ideo nõ eſt neceſſe, quòd habeat actionem præuiam ad actionem animæ rationalis, cuius eſt inſtrumentum; ſed ſufficit, quòd verè agat per eandẽ actionem, per quam agit anima; & illam deferat ad obiectum. Dicitur *influens in effectum principalis agentis*; nam ſi non concurrat ad effectum præſtantiorem ſe ipſo, non agit, vt inſtrumentum, ſed vt cauſa principalis; vt patet de calore ignis; qui niſi concurrat ad actionem ſubſtantialem productiuam ſubſtantiæ ignis in ligno, ſed ſolùm ad producendum calorem, tunc nec habet actionẽ præuiam, nec agit, vt inſtrumentum. Dicitur, quòd *debet habere actionem præuiam diſponentem ad effectum agentis principalis*; aliter actiuè non influeret; quia nihil ageret ſecundùm ſe; hæc autem actio debet eſſe diſtincta ab actione agentis principalis; quia idem nequit eſſe prius ſe ipſo; tum quia actio ſpecificatur, & diſtinguitur à termino; terminus autem productus ab inſtrumẽto per actionem præuiam eſt accidens; & terminus productus ab agente principali eſt ſubſtantia, quæ realiter diſtinguitur ab accidente. Dicitur tandem, quòd *debet deferre actionẽ agentis principalis*; aliter non poſſet explicari, quomodò actiuè concurreret ad effectum agentis principalis. Ex quo deducitur; quòd inſtrumentũ habet duas actiones; vnam accidentalem, per quam producit qualitatem præuiam, quæ diſponit ad effectũ agentis principalis; alteram ſubſtantialem; quia per illam actionem præuiam defert actionem agentis principalis in effectum; & ſic agit, vt inſtrumentum; actio autem ſubſtantialis, ad quam eleuatur inſtrumentum, identificatur cum actione agentis principalis; quia in tantùm eleuatur ab agente principali, in quantùm confortatur ad eliciendam actionem agentis principalis; & ideo actio ſubſtãtialis inſtrumenti eadem eſt, ac actio principalis agentis. Igitur prob.ma. Inſtrumentũ tranſeunter influens, prout inſtrumentum eſt, & quatenus diſtinguitur à cauſa principali, debet habere verum influxum, aliter nõ influeret, quatenus inſtrumentum; ergo influxus proprius inſtrumenti debet eſſe diſtinctus ab influxu cauſæ principalis; quia cauſæ eſſentialiter diuerſæ influentes, prout diuerſæ, habent diuerſos influxus, aliter non influerent; vt diuerſæ, ſed vt vnum, & idem. Tum quia ſi inſtrumeutum non haberet actionem præuiam diſpoſitiuam ad effectum principalis agentis, nulla eſſet determinatio inſtrumentorum; & ſic poſſemus vti quolibet inſtrumento ad producendum quodlibet; & ideo animal poſſet generare nedum mediante ſemine, ſed etiam mediante ſanguine, vrina, ſudore, carne &c; quod reprobat experientia. Tum quia ſi non haberet aliquam actionem præuiam diſtinctam ab actione agentis principalis, fruſtraneum eſſet inſtrumentum; totum enim fieret per actionem agẽtis principalis, quia nulla alia actio interueniret; ergo nõ eſſet neceſſaria alia cauſa, quæ eſſet inſtrumentalis; cauſa enim non requiritur, niſi propter actionem. Tandem notum eſt nobis calorem, qui eſt inſtrumentum ignis, producere in ligno calorem præuiè diſponentem lignum ad actionem ſubſtantialem tranſmutatiuã ligni ad ſubſtantiam ignis; ſine qua actione præuia non poteſt ſequi actio ſubſtantialis; & ideo dicitur calor eſſe inſtrumẽtum neceſſariò requiſitum ad introductionem formę ignis in lignum; quòd ſi non eſſet neceſsarius calor in ligno, benè argueremus calorem non eſſe inſtrumentum ignis ad ignefaciendam; ergo inſtrumentũ tranſeunter influens phyſicè in effectum principalis agentis eſſentialiter importat habere actionem præuiam diſponentem, & deferẽtem actionem ſubſtantialem; inſtrumentum enim importat illud eſſentialiter, in quo contradiſtinguitur à cauſa principali; ſed agere præuiè diſponendo contradiſtinguitur à cauſa principuali; nam in eo,

quòd

quòd ſimul cum cauſa principali producit effectum ſubtantialem, cõuenit cum illa;& per hoc, quòd agat in virtute cauſæ principalis, conuenit pariter cum illa, quia hoc importat vnitatem virtutis, vnitas autem cõuenientia eſt; tum quia agere per virtutem receptam ab alio ſimpliciter non conſtituit rationem inſtrumenti; nam homo genitus agit per virtutem acceptam à generante, & tamen non eſt inſtrumentum illius; ſic Filius in Diuinis creat per virtutem acceptam à Patre, & tamen non eſt inſtrumentum Patris; ergo inſtrumentum phyſicè influens eſſentialiter importat actionem præuiam diſponentem &c.

11 Tandem prob. Quanuis vna creatura poſſit eleuari ad agendum ſupra ſphæram ſuæ actiuitatis ſpecificæ, non poteſt tamen eleuari ad agendum ſupra ſphæram totius actiuitatis creatæ ſimpliciter in omni genere; quia ſupra totam ſphæram actiuitatis creatæ ſimpliciter nõ eſt niſi actiuitas increata, ad quam nequit eleuari creatura; vt v.g. licèt accidens poſſit eleuari ſupra ſphæram actiuitatis productiuæ accidentis, quæ eſt ſphæra actiuitatis, quæ conuenit accidenti; quia poteſt eleuari inſtrumentaliter ad producẽdam ſubſtantiam creatam; quæ productio eſt intra ſphæram actiuitatis creatæ eo, quia ſubſtantia creata poteſt producere aliam ſubſtantiam creatam; attamen nequit eleuari ad producendam perſonam Diuinam, quia talis productio eſt ſupra totam ſphæram actiuitatis creatæ; ſed creare eſt ſupra totam ſphæram actiuitatis creatæ; vt viſum eſt *in ſup. art*; ergo nulla creatura poteſt eleuari ad creandum inſtrumentaliter.

12 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ. P. lib. 6. de Gen. ad lit. c.* 13; vbi loquens de Deo creãte *Adamum* ex terra, non ex parentibus aſſerit: *Ita enim certas temporum leges generibus, qualitatibuſque rerum in manifeſtum ex abdito producendis attribuit, vt eius voluntas ſit ſuper omnia; potẽtia quippe ſua numeros creaturæ dedit, non ipſam potentiã eiſdem numeris alligauit; nam Spiritus eius ita faciendo Mundo ſuperferebatur, vt & facto ſuperferatur, non corporalibus locis, ſed excellentia poteſtatis*. Ex quo ſic. Potuit Diuina voluntas ordinare, vt creatura præſtaret aliquem effectum, quo poſito creetur aliqua res à Deo; hoc enim de facto ordinauit; quia ordinauit hominem formare corpus humanum in ventre matris cum vltima diſpoſitione ad animam rationalem, quo formato ſtatim anima creatur à Deo; & ideo ex ordinatione Diuina creatio animæ naturaliter ſequitur ex operatione hominis; ſed illud, ad quod ſequitur aliud, vel eſt cauſa principalis *ad quam*, ſi illud, quod ſequitur, eſt eiuſdem ſpeciei, vt eſt anima rationalis; vel inſtrumentalis, ſi ſit ſuperioris ordinis, vt gratia, quæ ſequitur ex aquę ablutione in baptiſmo; ergo creatura poteſt à Deo eleuari ad creandum indirectè, & vt inſtrumentum *ad quod*.

13 Conf. 1. *ex eiuſdem* doctrina ſuperiùs tradita. Quanuis agricola nequeat directè generare ſegetes, aut medicus carnem in corpore gracili; quia vſitatus curſus naturæ, vt docet *Beatiſſ. P. lib. 9. vbiſ. c.* 18; eſt, *vt de grano tritici non naſcatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus*; & ſic de plantis &c; attamen poteſt agricola, & medicus aliquod operari, ad quod ſequatur productio ſegerum, & carnis; ergo quanuis creatura directè non poſſit in effectũ creationis actiuè in illud influendo; attamen poteſt aliquid operari, ex quo ſequatur creatio; ſed hoc eſt eſſe cauſam inſtrumenralem *ad quam*; quia illa operatio creaturæ non connectitur cũ creatione ex ſua natura, ſed ex virtute Diuina ipſam eleuante ad talem coniunctionem, quæ eſt ſupra vires ipſius creaturæ; vt patet de gratia conſequente ad ablutionẽ, qua aqua abluit corpus; ergo creatura poteſt inſtrumentaliter à Deo eleuari ad creãdum indirectè, & miniſterialiter, non verò directè, & principaliter.

14 Conf. 2. Potuit Deus facere, quòd Angeli in prima rerum conditione compingerent corpus *Adæ* ex limo terræ; quo compacto ſecuta fuiſſet creatio animę; ergo potuit illos miniſterialiter eleuare ad creãdum indirectè; nam creare indirectè nihil aliud eſt, quã efficere aliquod, quo poſito ponitur creatio; vt ſupra dictum eſt.

15 Prob. 2. Per hoc, quòd creatura eleuetur ad creandum aliquod indirectè, euitantur omnia inconuenientia ſuperiùs poſita, & quę poni poſſunt; & aliunde habemus, quòd homo hoc modo poteſt concurrere ad creationem animæ rationalis; ergo non eſt denegandum Diuinæ Omnipotentię, quòd poſſit aſſumere creaturam, vt inſtrumentum ad creandum indirectè. Prob. ant. Ex hoc, quòd creatura eleuetur ad creandum indirectè, non ſequitur, quòd influat intrinſecè in effectum creationis, nec quod deferat actionem creatiuam; ergo non ſequuntur illa inconueniẽtia, quæ non ſequuntur niſi ex eo, quòd influat per verum influxum phyſicum in ipſum actum creationis.

16 Obijc. 1. Si creatura non poſſet eleuari, vt inſtrumentum creationis, maximè, quia ageret extra ſuam ſpeciem; ſed non repugnat inſtrumẽtum agere extra ſuam ſpeciem; ergo non repugnat creaturam eſſe inſtrumentum creationis. 2. Poteſt creatura eleuari ad videndum Deum; ergo à fortiori ad creandam aliquam creaturam; perfectior enim operatio eſt viſio Dei, quàm creatio creaturæ. 3. Si Deus non poſſet communicare creaturæ potentiam creandi inſtrumentaliter, maximè, quia hæc potentia eſt infinita; ſed non repugnat communicari creaturæ potentiam infinitam; nam durare tempore infinito eſt habere potentiam infinitam; creatura autem, vt patet, poteſt durare tempore infinito; ideo habet potentiam infinitam; ergo non repugnat creaturæ potentia creandi inſtrumentaliter. 4. Sacramenta nouæ legis in hoc diſtinguuntur à Sacramen-

men-

mentis veteris legis; quòd illa tantùm ſignificabant gratiam,hæc autem efficiunt, quod figurāt; ſed gratia creatur; ergo creaturæ poſſunt creare. Tum quia qui poteſt in antecedens, poteſt etiā in conſequens; ſed homo generans poteſt in diſpoſitiones antecedentes animam rationalem; ergò poteſt etiā in ipſam animam; ſed hæc creatur;ergo poteſt creare.

Reſp.*Fund.Doct.de eſſe,& eſſent.vbiſ.ad* 1. diſt.mi. Non repugnat creaturæ agere ſupra ſuā ſpeciem in virtute alterius ſupponendo ſubiectum,in quod agit, conc; hoc autem nō eſt creare,vt patet.Non ſupponendo ſubiectum, neg;ſic enim ageret,vt inſtrumentum, vt ſupponitur; & non ageret,vt inſtrumentum;quia eliceret actionem primam dantem eſſe non præſupponentem aliam actionem; quod eſt agere principaliter, nō inſtrumentaliter. Ad 2. neg. conſ; nam videre Diuinam eſſentiam præſupponit Diuinam eſſentiam;agere autem ex ſuppoſitione ſubiecti non repugnat creaturæ; at verò creare eſſentialiter importat primam actionem,quæ eſt propria primi agentis; & ideo nequit communicari cauſis ſecundis;viſio autem eſt perfectior entitatiuè,nō autem modaliter; tum quia non valet, quòd potens in perfectius,poſſit in imperfectius,nam homo poteſt generare hominem, non formicam, quæ eſt imperfectior homine. Ad 3.ommiſſa ma. diſt.mi. Poteſt communicari creaturæ potentia infinita negatiuè,vt eſt potentia durandi tempore infinito,quę non eſt infinita,niſi quia nihil habet contrarietatis, à qua poſſit corrumpi, conc; poſitiuè,neg.Ad 4.diſt. mi. Efficiunt, quòd figurant,miniſterialiter indirectè, conc; directè,neg. Ad vlt.diſt.ma.Si antecedens,& conſequens ſint idem ſecundùm rem, conc; ſic qui poteſt in rationale,poteſt in animal; ſi differant ſecundùm eſſe, neg; nam aperiens feneſtram illuminat domum; & tamen ex eo, quòd poſſit aperire feneſtram, non ſequitur, quòd poſſit in illuminationem domus.

17 Obijc. 2. Maior virtus requiritur ad Incarnationem,quàm ad creationem; ſed creatura poteſt aſſumi,vt inſtrumentum Incarnationis;ergo & creationis. Præterea ignis inferni producit qualitatem in ſpiritibus, vt inſtrumentum Diuinæ potentiæ; ergo poteſt eſſe etiam inſtrumentum creationis.

Reſp.diſt.mi. Vt inſtrumentum Incarnationis indirectè operans aliquid circa humanitatē, v.g. organizationem corporis, nullo tamen modo influens in vnionem hypoſtaticam,conc;directè,neg.Ad 2.quidquid dicendum ſit de illa qualitate, neg. conſ; quia non repugnat creaturam agere ex ſuppoſitione ſubiecti; ideo non repugnat ignē producere aliquam qualitatem in ſpiritu, vt in ſubiecto; ſed repugnat agere ex nullo ſubiecto præſuppoſito,& ideo repugnat creare.

18 Obijc.3.Creatura agit,vt inſtrumentum Dei; & per eandem actionē, per quā agit Deus; vt docet *Fūd.Doct.*ſed actio, per quā agit Deus, eſt creatio;ergo creatura agit, vt inſtrumentum creationis;nam illud agit,vt inſtrumentum creationis, quod defert actionem creatiuam in effectum deriuatam à principali agente;ſed creatura eſt huiuſmodi; ergo agit, vt inſtrumentum creationis. Præterea creatura agit per eandē actionem,per quam agit Deus, & agit, vt Dei inſtrumentum; ergo de ratione inſtrumenti non eſt, quòd agat per actionem præuiam ad actionem principalis agentis; implicat enim, quòd actio cauſæ ſecundæ præcedat actionem cauſæ primæ.

Reſp.diſt.ma.Per eandem actionem eodem modo ſumptam,neg;diuerſo modo, conc. Igitur actio, prout eſt à Deo,eſt creatio, quia nullum præſupponit ſubiectum; cùm per ipſam producatur etiam ſubiectum;vt diximus *in ſup.art*; prout autem eſt in creatura,eſt eductio,quia prę ſupponit ſubiectum;& ideo creatura,licèt ſit organum Dei,vt agentis, non eſt tamen organum Dei, vt creantis reduplicatiuè. Neque implicat eandem actionem per ordinem ad diuerſa agentia eſſe creationem,& eductionem;quia à diuerſis agentibus recipit diuerſas modificationes, & ideo diuerſas denominationes; nam non implicat eandem rem produci à Deo ſub ratione vniuerſaliſſima entis; & à creatura ſub ratione talis entis; imò neceſſariò res ita producitur, quia Deus eſt cauſa vniuerſaliſſima, & creatura particularis; & ideo Deus ſub ratione vniuerſaliſſima entis, & creatura ſub ratione talis entis debet producere;ſed ratio entis,*vt ſic*, eſt obiectum creationis, quia eſt prima ratio,quæ nihil ſupponit; & ratio talis entis eſt obiectum eductionis, quia ſupponit rationem entis; ergo ſicuti non implicat candem rem ſub diuerſa ratione creari,& educi; ita non implicat eandem actionem eſſe creationem, & eductionem. Sic materia per ordinem ad Deū dicitur creari; per ordinem autem ad agēs naturale dicitur generari ſimul cum forma; quia ab eo generatur totum, quod non eſt niſi materia ſimul cum forma.Ad aliud dicitur,quòd in creatura eſt duplex actio; alia diſponens ad formam ſubſtantialem; & alia introducēs ipſam formam; vtraque hæc actio eſt à Deo; & ideo nulla actio creaturæ poteſt præire actionem Dei ſimpliciter; attamen actio diſponēs ex parte obiecti eſt prior actione introductiua; & ideo creatura agens, vt organum Dei,habet actionem diſponentem prę uiam ad actionem, qua Deus producit formam. Neque implicat in hoc ſenſu actionem creaturæ ex parte obiecti antecedere actionem Dei;quia actio,qua *Adam* generauit *Abelem*,præiuit actionem, qua Deus creauit animam *Seth*; ad ſaluandam autem prioritatem ſimpliciter actionis Dei ſufficit,quòd actio generatiua *Abelis* ſit poſterior actione, qua Deus mouit *Adam* ad generandum *Abelem*.

19 Obijc.4.Intellectus creatus in ordine ad videndum Deum comparatur ad Deum ſicuti in-

inſtrumentum ad cauſam principalem, & tamen non habet præuiam operationem. Præterea phātaſma eſt inſtrumentum, quo intellectus agens imprimit ſpeciem in intellectu poſſibili, & tamen nullam habet præuiam operationem in ipſo intellectu poſſibili. Præterea humanitas Chriſti eſt inſtrumentum ad patranda miracula, & tamen nullam habet præuiam operationem; ergo allata ratio non concludit.

Reſp. ad 1. diſt. Comparatur, vt inſtrumentum tranſeunter phyſicè efficiens, neg; immanēter agens, conc; & ſic ad 2. de phantaſmate; non enim phantaſma producit ipſum intellectū poſſibilem; vt dictū eſt. Tum quia actio intellectus, & phantaſmatis non eſt vera actio, ſed eſt actio grammaticalis, idēſt qualitas explicata per modum actionis; ideo non requiritur ad illam actio præuia, quæ eſt vera actio illam producens. Ad aliud dicitur, quòd humanitas dicitur inſtrumētum indirectè, non autem directè influens in patrationem miraculorum, quatenus ponebat aliquam actionem naturalem, ad quam ex ordinatione Diuina patrabantur miracula; vt dictum eſt de Sacramentis.

20 Obijc. 5. Poteſt Deus eleuare creaturā ad cōſeruandam aliam creaturā à ſolo Deo creatā; tunc enim talis actio conſeruatiua eſſet circa aliquod præſuppoſitiuè creatum, ſed talis actio cōſeruatiua non eſſet diſtincta à creatione, quia conſeruatio eſt continuata productio, & eius productio eſt creatio; ergo poteſt creatura eleuari à Deo, vt inſtrumentum ad creandum.

21 Conf. Species panis, & vini in Sacramēto Altaris conſeruantur à creatura ſine ſubiecto; ergo creatura poteſt eleuari ad agendum ſine ſubiecto.

22 Reſp. ad arg. neg. ma; nam ſi conſeruatio eſt continuata productio, eiuſdē erit conſeruare, cuius eſt producere; ergo ſi illa res à ſolo Deo eſt creata, neceſſe eſt, vt à ſolo Deo conſeruetur. Et cùm dicitur, quòd creatura poteſt eleuari ad agendum circa aliquod præſuppoſitum, diſt; circa aliquid præſuppoſitum, ex quo, tanquam ex ſubiecto, educat formam, conc; aliter, neg.

23 Ad conf. neg. ant; nam ſpecies Sacramentales miraculosè conſeruantur à ſolo Deo ſuſtentante illa accidentia ſine proprio ſubiecto.

24 Obijc. 6. In creatura eſt potentia obediētialis ad agendum quodlibet à Deo volitum; ergo creatura poteſt à Deo aſſumi tāquam inſtrumentum ad creandum.

Reſp. diſt. ant. Eſt potentia obedientialis in ordine ad id, quod nullam implicat cōtradictionem, conc; ſecus neg; quapropter *Beatiſſ. P. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 17; & 18.* definiens potentiā obedientialem ait: *Super hunc autem motum, curſumque rerum naturalē poteſtas Creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quàm eorum quaſi ſeminales rationes habent; nō tamen id, quod in eis poſuit, vt de his fieri, vel abſque ipſo poſſit.* Et paulò poſt. *Alius ergo eſt rerum modus, quòd illa herba ſic germinat, illa ſic, illa ætas parit, illa non parit; homo loqui poteſt, pecus non poteſt &c; vt autem lignum de terra exciſum, aridum, perpolitum, ſine radice vlla, ſine terra, & aqua repentè floreat, & fructum gignat; vt per iuuentam ſterilis fœmina in ſenectute pariat, vt aſina loquatur, & ſi quid eiuſmodi eſt, dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis & hac fieri poſſent; neque enim ex eis vel ille faceret, quod ex eis fieri non poſſe ipſe præfigeret; quoniam ſeipſo non eſt nec ipſe potentior. Veruntamen alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo, quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori ampliùs ſubiaceret. Habet ergo Deus in ſeipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eaſque implet, non illo opere prouidentiæ, quo naturas ſubſtituit, vt ſint; ſed illo, quo eas adminiſtrat, vt voluerit, quas, vt voluit, condidit. Ibi eſt & gratia, per quam ſalui fiunt peccatores.*

25 Sed quæres, an iſta potentia obedientialis ſit actiua, vel paſſiua?

Reſp. ex vltimis verbis *Beatiſſ. P. hic* allatis deduci poſſe eſſe paſſiuam; docet enim in creatura eſſe potentiam obedientialem ad gratiam, per quam ſaluantur peccatores; ſed in creatura non eſt vis actiua productiua gratiæ; hæc enim à ſolo Deo producitur; & ex alia parte in creatura eſt potentia paſſiua receptiua ipſius gratiæ, per quam conſtituitur in actu potens actiuè operari, & producere actus ſupernaturaliter bonos, ergo potentia obedientialis importat quid paſſiuum. Tum quia ſi potentia obedientialis non importaret receptionē alicuius virtutis, per quam res conſtituitur actu potens agere, ſed diceret tantùm ipſam nudam entitatem rei eleuatam à Deo ad agendum, ſequeretur, quòd res ageret ſine virtute agendi, quod repugnat. Sed de hoc *alibi. Vid. q. 1. art. 11.*

26 Ceteræ obiectiones ſolutæ ſunt in *ſup. art*; vel faciliter ſolui poſſunt ex dictis.

27 De ijs autem, quæ hic tractant Theologi circa poſſibilitatem æternitatis Mundi, & circa ipſius Mundi à Deo creati perfectionem agēdum eſt à *Philoſophis lib. 1. de Mundo*, quæ omittimus, ne aliorum facta agamus.

DE

DE ANGELIS.

PRimam Dei creaturam *Cœli* nomine ſignificatam, Angelicam nempe naturam, contẽplari exordimur; quæ quantùm ſuperat hominis dignitatem, tantò maiorem homine exigit *Tractatorem*; & quanuis peregrinas offerat ſpeculantibus veritates, peregrinantium tamen extolluntur ſupra captum, & ſtudium. Si Cœlum, in quo morantur, Paradiſus dicatur; huius Paradiſi ſunt Angeli candidiſſima lilia putredinis neſcia, innocentiæ ſymbola, & puritatis. Si triumphale appelletur Capitolium; beatæ illius militiæ purpurati ſunt Duces ſine metu pugnantes, & ſine armis vincentes. Si æternus nuncupetur Oriens, lucem inocciduam increati Solis *nunciam* ſonat *Angeli* nomen. Ob puritatem limpidiſſima Maria *in Apocalypſi* dicuntur; ob ſublimitatem altiſſimi Montes *in Iob*; ob charitatem feruentiſſimi ignes *ab Ezechiele* inſcribuntur. Sine corporis conſortio omnis corruptionis expertes; agiles ſine pondere, quo retardentur; mobiles ſine circunſcriptione, qua teneantur; potentes ſine labore, quo relaxentur. Perſpicaciſſimæ mentes, quæ ſecretiora penetrant naturæ latibula; ſplendidiſſimi Soles, qui nulla obumbrantur eclipſi; præclariſſimi Principes, quorum imperio Cœlorum orbes continua voluuntur vertigine; quorum iuſſa regio ventorum exequitur; parent elemẽta; & tota obedit natura. Verùm quoniam eorum natura, vtpotè ſpiritalis ex integro, phantaſiabilis non eſt, & ideo innoſcibilis ab humano intellectu per phantaſmata capiente rerum notitias; idcirco, vt aliquando viderentur aerea mentiti ſunt corpora, ſed ſine mendacio. Iuxta fluuium *Tigris* ſeſe obuiam dedere *Danieli*, qui Maieſtatẽ veritus æquè, ac reueritus paucis illos deſcripſit. *Ecce vir vnus*; vnuſquiſque etenim ſuam complet ſpeciem totius abſorbens perfectionem naturæ, vt inter creaturas ceu Phœnices habeantur. *Veſtitus lineis*; originariæ namque iuſtitiæ candor venuſtatis primigenios eos declarat. *Corpus eius quaſi chryſolithus*; ſicut enim hic lapis aureis intermicat punctis, ſic Angelorũ natura tot dotibus illuſtrata aureis quaſi ſtellulis ſplẽdet. *Renes eius accincti auro obrizo*; quia caſtiſſimo flagrant amore; *Oculi eius, quaſi lampas ardens*; quia clariſſimo omnia cernunt intuitu. Sed eorum *aliqui* rectitudinis deſertores, non lucis, ſed tenebrarum ambulones, à Deo rebelles tranquillam in illam Rempublicam bellum factioſa ſeditione inuexerunt. Hinc in duas ſocietates diuiſi lucis, ac tenebrarum deferentes vocabula omnia prælijs impleuere, diſcordijs, ac rixis turbarunt. Vna ſancto Dei amore flagrando, altera propriæ excellentiæ immundo ardore fumando; illa ſumma pace in Cœlis fruendo, hæc in ima deiecta tumultuando irrequieta; illa pietatis ſerenitate tranquilla, hæc cupidinibus turbulenta frementibus; illa Dei nutu nobis clementer ſubueniens, hæc nocendi libidine exæſtuans; illa, vt iuuet, Dei bonitatis miniſtra, hæc ne noceat, Dei poteſtate frænata; illa & natura, & voluntate recta, hæc natura bona, ſed voluntate peruerſa; illa gloriæ hæres, hæc pœnarum; illa hanc irridens, quia etiam perſequendo prodeſt inuita, hæc illi inuidens, cùm Viatores in patriã beandos reducit. De vtraque ſermo erit pro modulo noſtro accuratus; vt illius dignitatem, ac dotes recenſendo caſtum ei rependamus obſequium; & iſtius detegendo malitiam cautè vitemus inſidias.

QVÆSTIO I.

De Subſtantia Angelorum.

RAdix, in qua fundantur omnia prædicata cuiuslibet rei, eſt ſubſtantia, quæ ceteris ſubſtat, nec habet, à quo ſubſtentetur. Cùm igitur ſubſtantia primò competat, & intelligatur in qualibet re; ordo doctrinæ Theologicæ, qui eſt à priori; exigit, vt de ipſa, prout in Angelis reperitur, priùs agamus. Præterea quia omnis quæſtio debet eſſe de ſubiecto ſupponente; primò inquirendum eſt de exiſtentia Angelorum.

ART. I.

Quid ſint, & an ſint Angeli?

1 ANgelos Grecè idem ſonat, ac Latinè *nuncius*; *Nuncium quippe Grecè Angelum dici quis illa lingua vel tenuiter tinctus ignoret?* Inquit *Beatiſſ. P. lib. 16. cont. Fauſt. c. 20*; quod repetit etiã *de Ciu. Dei lib. 18. c. 35; et 15. de Trin. c. 13; & in Io. tract. 24.* prope finem; *& tract. 54.* Angelus ergo eſt nomen *Græcum*, quo Latini vtuntur ad ſignificandas ſubſtantias ſpirituales, quæ *Angeli* nomen acceperunt, quia mittuntur à Deo ad aliquod nobis annunciandum, vnde *Angelus* eſt nomen officij, quo fungitur natura ſpiritalis; non naturæ, quæ proprio nomine appellatur *ſpiritus*; vt docet idem *Sanctiſſ. P. in pſ. 103. conc. 2.* ſuper illud: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus: idèſt eos, qui iam ſpiritus ſunt, qui ſpiritales, non carnales ſunt, facit Angelos ſuos, vt eius prædicent Euangelium.* Et quãuis *in Scripturis* etiam Chriſtus Dominus aliquando vocetur *Angelus*; *vt Malach. 2.* dicitur *Magni conſilij Angelus*; quia, vt exponit *Beatiſſ. P. in Io. tract. 24. vbiſ,* terris pacẽ nunciauit; & etiam homines aliqua nunciantes *Angeli* dicãtur; vt *de Io. Baptiſta* legitur *Malach. 3. Ecce ego mitto Angelum meum &c*; attamen vſu loquendi factum eſt, vt nomine *Angeli* ſignificetur ſola natura ſpiritalis completa homine præſtantior; quam *Philoſophi Gentiles* appellabant ſubſtantiam ſeparatam, ſeu intelligẽtiam motri-

eem Cœlorum; & *Plato* nuncupabat Deum, vel Dęmonem; Deum quidem Angelum ſuperiorē; Dęmonem verò Angelum inferiorem; vt obſeruat *Beatiſſ.P.lib.8.de Ciu.Dei c.14.* Tandem licèt hoc nomen *Angelus* aliquando ſumatur ſolùm pro ſpiritibus infimi ordinis, qui minima nunciant eo,quòd frequentiùs mittuntur,quàm alij, qui maxima nunciant, quoniam maxima uonniſi rarò contingunt; attamen ſumitur etiam generaliter pro omnibus cuiuſcunque ordinis etiam ſupremi; nam ſupremus nunciat inferiori ipſum illuminando de ijs,quæ audit à Deo: & iſte alterum ſibi ſubiectum:& ſic de reliquis. In præſenti ſumitur hoc nomen generaliter, prout ſignificat omnes ſpiritus ſiue bonos,ſiue malos; ſiue infimos,ſiue medios,ſiue ſupremos.

2 Angelus ergo ſic acceptus deſcriptiuè definitur *à Beatiſs.P.lib.de Cog.vera vita c.5.* in fine ſic. *Angelus autem ſpiritus eſt, ſubſtantia incorporea,inuiſibilis,ſenſibilis, rationalis, intellectualis, immortalis,bonorum lucida, & impaſſibilis, malorum tetra,& paſſibilis.* Dicitur *ſubſtantia incorporea*;quia eſt forma completè ſpiritualis;quo confunduntur aſſerentes *Beatiſſ. Patrem* ſubſtinere Angelos eſſe corporeos;vt *in ſeq.art.* Dicitur *inuiſibilis*; quod enim caret corpore, oculis videri non poteſt;quia non videtur uiſi coloratum; & non eſt coloratum niſi corpus quantum.Dicitur *ſenſibilis*;quia ſentit,non quidem ſenſu corporis, ſed ſenſu mentis;vt docet *lib.1.Retract.c.1*; idèſt quia intuitiuè videt; ſicut enim viſio,qua oculus intuetur obiecta ſibi præſentia, dicitur ſenſatio corporis;ita viſio,qua intellectus intuetur obiecta,dicitur ſenſus animę;vt explicat *Epiſt.112.ad Paulinam* non longè ab initio; quapropter ſententiam vocamus actum intellectus; & ſolemus dicere: *Philoſophi hoc ſentiunt* &c. Dicitur *rationalis*;quatenus habet diſcernere præſentia; quæ enim vniuntur in aliquo obiecto,non diſcernuntur per ſenſum, ſed tantùm per rationem. Dicitur *intellectualis*;quia etiam futura intelligit. Dicitur *immortalis*; quia ſpiritus eſt; cui competit eſſentialiter vita. Dicitur *bonorum lucida*; quia ſubſtantia ſpiritualis, quæ manſit in veritate mãſit in luce;cùm veritas lux ſit.Dicitur *impaſſibilis*; quia manendo in veritate fuit beatificata;& ideo ab omni pœna præſeruata. Dicitur *malorum tetra,& paſſibilis*;nam Angeli mali peccando teterrimi, & miſeri effecti ſunt;quia *peccatum tenebra,& nox eſt animæ*; & ob peccatum pœnis addicti ſunt. Poteſt autem hæc definitio ſic reſtringi. Angelus eſt *ſubſtantia ſpiritualis creata completa ſimpliciter ita, vt ei repugnet eſſe partem corporis per informationem*.

3 *Sadducæi* de quibus *Actor.23*; & ante ipſos *quidam Philoſophi apud Ariſt.4.Phyſ.t.52*; & 57. uegauerunt dari Angelos exiſtimantes non eſſe in mundo niſi res corporeas, quæ ſenſibus percipiuntur.

4 Sententia tamen omnium Catholicorum eſt de Fide dari Angelos. Sed diuiſa eſt; *aliqui* enim putant Angelorum exiſtentiam non poſſe ratione euidenter conuinci, ſed tantùm merè probabiliter,& coniecturaliter. *Ita Val. tom. 1. diſp.4. q. 1. art.1; Becc. 1.p; Zum; & alij; & ex noſtris Gibb.hic dub.1.n.6;& ſeq; & alij in M. S. Alij* verò docent poſſe non quidem demonſtratione rigoroſa,ſed ita rationabiliter,& ſapienter concludi,vt non niſi *deſipiendo à veritate* (vt loquitur *Beatiſſ.P. inf.*) poſſit negari. Hanc putamus eſſe mentem *Fund. Doct. 2. Met. q. 16; & Quodl.2.q.8; & 2. Phyſ.t.71. dub. 2; & de Corp. Chriſti propoſit.18,& 22*;ex exteris verò citantur *Sua;Vaſq;Ban;& alij pro eius deciſ.*

5 Vnica concl. De Fide eſt dari Angelos; & licèt exiſtentia Angelorum demonſtratione propriè dicta nequeat ratione naturali conuinci; attamen ita poteſt naturaliter probari, vt nou niſi irrationabiliter,& inſipienter queat negari.

Prob.1.pars concl. *ex Scripturis*;nam *Gen.3.* habetur: *Eiecitque Adam,& collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim,& flammeum gladiū, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*;ex quo ſic. Cuſtodire Paradiſum voluptatis,ne *Adam* inueniret viam ligni vitæ ad euitandam mortem,quam ei Dominus indixerat, non poterat eſſe animi motus,& cogitatio à Deo immiſſa in mentem *Adæ*;vt aſſerebant *Sadducæi*; aliter cogitatio *Adæ* fuiſſet extra mentem *Adæ*, quod implicat;quia *Adam* fuerat eiectus extra Paradiſum;& cuſtos Paradiſi erat in limine Paradiſi; tum quia ſi Dominus poſuit *Cherubim* ante Paradiſum ad impediendum, ne *Adam* ſumeret de ligno vitæ,& viueret, apertè deducitur *Adam* potiùs habuiſſe cogitationem ſumendi de ligno vitæ,ne moreretur; ad quam impediendam poſuit Dominus *Cherubim* cuſtodem ante Paradiſum;ergo *Cherubim* poſitus ante Paradiſum fuit verus Angelus;tunc enim non erat alius homo, qui vocaretur hoc nomine.Item *ex illo Gen. 19. Venerunt duo Angeli Sodomam*. Angeli, qui venerunt Sodomam ad liberandum *Loth* ab incendio, uon potuerunt eſſe cogitationes *eiuſdem Loth*; quia illi incenderunt illas quinque ciuitates,cogitatio autem *Loth* non poterat comburere,vt patet;tum quia *Sodomitæ* videntes eorum pulcritudinem obſcenè illos amauerunt, vt narrat *Scriptura*; cogitatio autem mentis nec videri,nec ſic amari poteſt; tum quia illi remanſerũt *Sodomis Loth* abeunte;tum quia loquebantur cũ *Loth*; loqui autem conuenit propriè ſubſtantiæ intellectuali, non accidenti; ergo fuerunt verè ſubſtantię intellectuales;& ideo veri Angeli.His, & ſimilibus *textibus* librorum *Moyſis*, quos tantùm admittebant *Sadducæi*, coniunguntur; quæ teſtimonia paſſim habentur etiam in alijs libris; vt *in libris Reg; in Iudith, Daniel &c.* Habetur etiam hæc veritas *in Scripturis noui teſtamenti*;vt *Matt.4. Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*; & *18.Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem* Pa-

Digitized by Google

Patris mei;& 22.Sicut Angeli Dei in Cælo; & 28. Angelus Domini deſcendit de Cælo; & *Marc.* 12. *Sunt ſicut Angeli Dei in Cælis*; & *Luc.*1.*Apparuit Angelus Domini;& Io* 5.*Angelus ei locutus eſt*; & innumeris alijs in locis. Tandem definita fuit *in Conc.Lat.in Confeſſ.Fidei ſub Innoc.*3; & refertur *in c.firmiter de ſumma Trin.Vnum vniuerſorum principium,Creator omnium viſibilium, & inuiſibilium,ſpiritualium,& corporalium, qui ſimul ab initio temporis vtranque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem,& corporalem, Angelicam videlicet,& mundanam, ac deinde humanam quaſi cõmunem ex ſpiritu,& corpore conſtitutum.*

6 Prob.2.pars concl. In demõſtratione propriè dicta non ſolùm medium demonſtratiuum, ſed etiam prædicatum concluſionis demõſtratæ debent eſſe paſſiones ſubiecti, de quo prædicatũ demonſtratur; vt diximus *to.*1. *de Subſt.Dei q.*1. *art.*4. §.1; ſed licèt virtus motiua, quæ eſt paſſio Angelorum, poſſit eſſe medium, quo probatur eorum exiſtentia,vt mox dicemus; attamen ipſa exiſtentia non eſt paſſio, quia eſt actus ſubſtantialis,quo eſſentia Angelorum cõſtituitur à parte rei;ergo nequit propriè demõſtrari de Angelo.Tum quia ſubſtantia *ex Phil.*eſt indemonſtrabilis,vt *ibid.* dicebamus; ergo exiſtentia nequit propriè demonſtrari.*Vid.ibid.vbiſ.*

7 Prob.3.pars concl.*ex Beatiſſ. P. Aug. lib. de Cognit.vera vita c.*6.docente. *Angelos eſſe ipſa inſenſibilia probant, quæ tam certam ſui motus legem obſeruãt.Omne quippe,quod mouetur,aut motum à ſe habet,aut aliunde;ſed omne, quod motum à ſe habet,eſt ſenſibile,vt anima;quod aliunde, inſenſibile,vt corpus.Quòd ſi Sol, Luna, & Sydera per ſe mouentur,ſenſu, vel ratione vigere vidẽtur, quæ tam certa tempora, tam certa Cæli ſpatia cuſtodiunt,& quodammodò ſuo intellectu huic mundo lumine,vel ſignis innuunt,ſed qui ea rationabilia,vel ſaltem ſenſibilia corpora arbitrantur, verè ſenſu carentes inter irrationabilia computantur. Cùm autem verè ſint corpora viſibilia, ſed motu carentia,vtpotè inſenſibilia, & tamen mouentur; conſtat profectò,quòd aliũde moueãtur. Reſtat igitur ea per Angelica miniſteria moueri; ſimiliter ventos,pluuias,grandines,fulgura,tonitrua,tempeſtates aereas iuſſu Dei per illos regi. Qui dubitat, & ea ſenſibilia putat, hunc ratio ſtultum cum inſẽſibilibus probat. Bruta quoque animalia vſibus humanis per illos obſecundare,vel aduerſari, qui non credunt; aut illa per rationalem intellectum hæc facere credunt, longè à ratione recedunt. Sed hæc cuncta,quæ in rebus inſenſibilibus,vel creaturis ſenſibilibus geruntur,per illos adminiſtrari,qui ambigit, multùm à luce veritatis deſipit. Igitur conſtat Angelos verè eſſe.*

8 Obiter vocamus *hic* aſſerentes *Beatiſſ.Patrem* dubitaſſe,*an Sydera ſint animata*,& videant eum appellare ſtultos, & irrationales tenentes hanc opinionem.

9 Hanc rationem proſequitur *Fund. Doct. Quodlib.*2.*q.*8;& *de Corpore Chriſti prop.*22. Sic. Omne, quod mouetur, vel mouetur à ſe, vel ab alio; ſed Cœlum mouetur; ergo vel mouetur à ſe,vel ab alio; atqui Cœlum non mouetur à ſe; aliter eſſet animatum, quod eſt contra naturalẽ philoſophiam; ergo mouetur ab alio. Tunc ſic. Illud aliud,quod mouet Cœlũ, nequit eſſe corpus,neque virtus exiſtens in corpore; nam corpus,& virtus exiſtens in corpore continuè mouẽdo laſſatur;patet enim,quòd animalia vel mouendo ſe,vel alia à ſe,laſſantur, & ideo aliquando quieſcunt,nec poſſunt ſemper mouere;Cœlũ autem continuè mouetur, & nunquam quieſcit; & per conſequens mouens Cœlum nec eſt corpus, nec virtus exiſtens in corpore; ergo mouetur à ſpiritu, qui non eſt in corpore; ſed hic ſpiritus mouens Cœlum non eſt Deus; quia,vt docet *D.Dion.apud Fund.Doct.de Corp.Chriſti vbiſ*; *Lex Diuinitatis eſt reducere infima in ſuprema per media*;hinc videmus,quòd motus horum inferiorum reducitur in Deum per corpora cæleſtia,quæ mediant inter Deum, & hæc inferiora; inter Cęlum autem, & Deum mediat ſpiritus, quem naturaliter conſtat eſſe creatum à Deo;vt patet per animam rationalem;& per effectus excedentes potentiam materiæ,vt ſunt intelligere, & velle;ergo ſpiritus mouens Cęlum eſt creatura,per quam talis motus reducitur in Deum; & talis creatura eſt purus ſpiritus nomine Angeli nuncupatus.

10 Conf.Si ex motu Cęlorum non poſſet rationabiliter conuinci exiſtentia Angeli, maximè eſſet,quia talis motus poteſt eſſe à Deo ſolo; nõ enim rationabiliter dici poteſt eſſe ab alio corpore, vel ab homine, qui motu continuo fatigatur; & ideo nequit continuò mouere, vt dictum eſt; ſed hac eadem ratione concludi poteſt nullã eſſe cauſam creatam mouẽtem materiam ad formas, quas recipit; nam omnis talis effectus eſſe poteſt à ſolo Deo; quia *quidquid facit Deus cũ cauſis ſecundis efficientibus,poteſt facere ſe ſolo*; & hoc dicẽdo tolleretur à ſcientijs naturalibus vis conuincendi,& remanerent cum ſola probabilitate;ſcientiæ enim naturales procedentes à poſteriori concludunt cauſas creatas per earum effectus,vt patet; ergo ex motu Cęlorum ita rationabiliter conuincitur exiſtentia Angeli, vt eã negare ſit deſipere à veritate; & propterea poteſt probari exiſtentia illius euidenter; quia propoſitio euidens eſt illa,quæ à nullo ſapienter poteſt negari.

11 Prob.2.*à Fund.Doct.de Corp.Chriſti prop.*22.*cit.*Multi ſunt effectus,quos videmus,qui nequeunt fieri,niſi à ſpiritibus; vt quòd idiota oppreſſus à Dęmone loquatur multis, ac varijs linguis,quas non nouit; hos enim effectus nequit præſtare anima rationalis; aliter etiã poſſet eoſdem præſtare in corpore non oppreſſo; quos tamen nõ præſtat; vt videmus;nullus enim eſt homo non oppreſſus, qui illos omnes præſtet effe-

ctus,

ctus,quos præſtat oppreſſus;neque Deus; quia nequit præſtare id,quod eſt eius offenſa,& eſt in odium,iniuriam,& contra voluntatem ipſius;ergo ex ipſis optimè arguitur exiſtentia Angeli.

12 Dices illos effectus poſſe præſtari ab anima mala ſeparata;quæ à Deo poteſt deijci in aliquod corpus;& in illo ſic operari; anima enim ſeparata,cùm agat independenter à corpore,magis efficax eſt, quàm dum eſt in corpore, à quo dependenter operatur.

Reſp;quòd licèt *D.Tho. 1.p.q.117. art.4.* putet animam ſeparatam non habere vim mouēdi corpora; attamen admiſſo *cum Fund. Doct. Quodl.4.q.17;& noſtro Argent.in 2. diſt.8. qu.1. art.1. p.2. concl.1*;quòd poſſit mouere corpora, nequit tamen illos effectus præſtare;quia genera linguarum ad gratiam Dei pertinent; vt docet *Apoſtol*; animas autem malas ſeparatas nullam gratiam aquirere,ſed in æternum vindicari ratio dictat;quæ ſicut meritis præmia, ita demeritis ſupplicia tantùm cenſet eſſe tribuenda. Nec veriſimile eſt, quòd reperiantur tot animæ ſeparatæ, quæ in hac vita didicerint tot linguas; quot reperiuntur in Mundo arreptitij ſic loquentes; conſtat enim donum linguarum pauciſſimis impijs fuiſſe conceſſum; & non niſi rariſſimos homines probos illud habuiſſe.

13 Obijc.1.*Beatiſs. P.Aug.lib. Medit. c.27. De Deo quidem Creatore omnium, qui eſt incomprehenſibilis,& ineffabilis, excelſa, & mirabilia nimis omni remota ambiguitate legimus,loquimur, & ſcribimus,de Angelis autem quidquid dicimus, non tam euidenter approbare poſſumus*; ergo exiſtentia Angeli nequit euidēter cognoſci.2. Quilibet effectus connexus cum exiſtentia Angeli poteſt attribui concurſui Dei; ergo ex illo non probatur conuincenter exiſtentia Angeli.

Reſp.*Beatiſs.Patrem ibid.*habere: *De Angelis autem, & animabus*; & ideo ſi intenderet per hoc non poſſe probari cōuincenter exiſtētiā Angeli,intenderet etiam non poſſe probari exiſtentiā animę noſtræ,quod eſt euidenter falſum. Igitur nihil aliud vult, vt ex ipſis verbis allatis patet, quàm exiſtentiam Angeli, & animæ noſtræ non probari ita euidenter, ſicuti exiſtentiā Dei; quæ eſt magis nota, & manifeſta,cū Deus ſit ſuū eſſe,quàm exiſtentia creaturæ,quæ contingenter exiſtit.Ex eo autem,quòd vnum ſit magis notū, quàm aliud;non ſequitur, quòd minùs notum non ſit notum;ſed quod non habeat tantam euidentiam,quātam habet magis notum; aliter vnū non diceretur magis notum, quàm aliud;ſi notitia non competeret vtrique;ſicut vnus paries nō eſſet magis albus,quàm alter; ſi alteri albedo nō cōpeteret. Ad 2.neg.ant; nā actus moraliter mali,qui ſunt à Dæmonibus,vt blaſphæmare Deū, non poſſunt eſſe à ſolo Deo.Vel neg. conſ; nam licèt omnis effectus cauſæ creatæ poſſit ſoli Deo attribui;attamen non ſequitur per illum nō probari conuincenter exiſtentiam cauſæ creatæ; vt *ſup.* dictum eſt.

14 Obijc. 2. Non eſt euidens, quòd Cœli non ſint animati, quia hoc docuerunt *Platonici*; ergo ex motu Cęlorum non conuincitur exiſtētia Angeli. 2. Probabile eſt Cœlos immediatè moueri à Deo per impulſum in illos impreſſum; ergo prædicta ratio ruit.

Reſp.neg.ant.Ad prob. infert. dicitur ſententiam aſſerentium Cœlos eſſe animatos eſſe omnino irrationalem,& deſipientem à veritate, vt conuincit ratio naturalis, de quo *in Phyſ.* Ad 2.diſt.ant. Poteſt probabiliter rationabiliter dici,neg;ſine ratione,conc,ratio enim dictat,vt ſupra dictum eſt, infima reduci in ſupremum per media; aliter neque ex effectibus cauſarum corporalium poſſemus conuincenter probare exiſtentiam earum, & ſic deſtrueretur euidentia Philoſophiæ, quæ ex effectibus naturalibus probat eorum cauſas;illi etenim effectus poſſunt eſſe à ſolo Deo immediatè.

15 Obijc.3.In itinerario *Clementis*,vt refert *D.Tho.1.p.q.117.art 4*; dicitur narrante *Niceta ad Petrum*,quòd *Simon Magus* per magicas artes retinebat animam pueri à ſe interfecti,& per eam magicas operationes efficiebat; ergo effectus, quos videmus in obſeſſis, poſſunt eſſe ab anima ſeparata.

Reſp;quòd licèt anima ſeparata poſſit aliquas operationes exercere in aliquo corpore,nō tamen poteſt exercere omnes illas, quas in obſeſſis videmus, vt ſupra dictum eſt de generibus linguarū. Vel dicitur illas operationes fuiſſe ab anima ſeparata,tanquam ab inſtrumento aſſumpto à Dæmone ad exercendas illas operationes magicas; à Dæmone autem tanquam à cauſa principali.

16 Obijc.4.Actiones peccaminoſæ,quæ fiūt in obſeſſis,poſſunt fieri à ſolo Deo,quatenus cōcurrente phyſicè ad entitatem phyſicam illarū; ergo ex illis non conuincitur exiſtentia Angeli.

Reſp. neg. ant; aliud enim eſt, quòd Deus concurrat phyſicè ad entitatem phyſicam ſubſtratam deformitati morali,& aliud, quòd ſe ſolo poſſit illam producere. Primum conceditur, quia illa entitas producitur à Deo, vt phyſicè bona, & vt omnino indifferens ad maliriam, vt diximus *to.2.q.5.art.5*;determinatur autem ſolū ad malitiam ab ipſa creatura illam ordinante ad prauum finem. Igitur ſi Deus ſe ſolo produceret actum blaſphæmiæ,vel mendacij in obſeſſis, cùm ad illam nullo modo concurrat obſeſſus, niſi vt inſtrumentum,quo formatur vox, & aliunde illa actio ex ſe ſit blaſphæmia,vel mendacium, Deus blaſphæmaret,vel mentiretur.

ART. II.

An Angeli ſint corporei?

1 PLures SS. PP. ſenſiſſe Angelos eſſe corporeos tradit *Vaſq. 1. p.q.5. diſp.178. c.2*; vbi refert *Ceſarium* fratrē *Nazianzeni*; *Eliā Cretenſem,Origenem,Tertull; Io.Teſſalon; Athan;*

Ba-

Baſil; Method. Beatiſſ.P; D.Hilar; D.Bern; & omnes illos, qui ſup.illud *Gen. 6. Videntes Filij Dei*; vel vt alij legunt, *Angeli Dei filias hominum, quòd eſſent pulcræ*; opinati ſunt Angelos coiuiſſe cum mulieribus, & genuiſſe Gigantes; vt *Lactan; D.Ambr; Tertull; Iren; Iuſtin; Clem.Alex; Euſeb. Cæſarien; & alij*. Verùm de *Beatiſſ.P.* idem ſentit *Moraines*; imò addit *Adamus* ipſum ſenſiſſe etiã animas rationales eſſe corporeas.

2 Noſtrum inſtitutum in præſenti non eſt, indagare, quid re vera ſenſerint *iſti SS.PP*; quia nimis protraheretur *articulus*; & aliunde tempus non ſufficit. Sententiam tamen *Beatiſs.P*; cuius doctrinam perpetuò ſeruare ſtatuimus, inquiremus; & licèt hoc præſtiterit *noſter Noris in Vindic.c.4.§.1*; attamen operoſiùs, ac diligentiùs rem pertractare conabimur; vt *Beatiſſ.P.* mens explicatiùs appareat.

§. 1.

An Beatiſſ.P. Auguſtinus aſſeruerit, vel ſaltem dubitauerit Angelos eſſe corporeos?

3 PRæſens cenſura, qua notatur *Beatiſs. P*; occaſionem dedit hæreticis irridendi eiùs doctrinam, vt patere poteſt *ex Io. Dallæo* perfidiſſimo *Vgonotta* à nobis allato *tom. 1. q.5. Proem. art. 7.* Quod maximè aduertere debent *Scriptores Catholici* in recenſendis doctrinis *SS. PP*; ne ad confodiendos Eccleſiæ *DD.* tribuant arma inimicis. Satisfacere huic cauſæ *aliqui* putauerunt oſtendendo, quòd *Sanctiſſ.P.* dubius in hac re ſuam mentem ſuſpenderit; vt præſtat *noſter Noris vbiſ*; ſed nobis re maturiùs conſiderata viſum eſt non eſſe ſatis. Igitur.

4 Vnica concl. *Beatiſſ.P.Aug.* neque docuit, neque dubius ſuſpendit ſententiam de corporeitate Angelorum, & animæ rationalis; ſed expreſſè docuit Angelos eſſe incorporeos.

Prob. 1. *explicando loca*; quæ inſinuat *Vaſq.* abſque eo tamen, quòd referat verba, dicens: *Auguſtinus 3. de Gen ad lit.c.10. id videtur ſupponere.* Habet ergo *Beatiſſ.P.c.9.* ante *c.10. Nec ignoro ita quoſdam Philoſophos* (intellige *Platonicos*) *ſua cuiuſque elementi diſtribuiſſe animalia, vt terrena eſſe dicerent non tantùm, quæ in terra repunt, atque gradiuntur, ſed aues etiam, quia & ipſæ in terra requieſcant volando fatigatæ; aerea verò animalia Dæmones eſſe; cœleſtia Deos, quorũ quidem nos partim luminaria, partim Angelos dicimus.* Et initio *c.10. Quapropter etſi Dæmones aerea ſunt animalia, quoniam corporum aereorum natura vigent, &c. Si ergo hæc ita ſunt, non impedit iſta diſtinctio noſtram Scripturam.* Ex quibus manifeſtè conſtat ipſum referre ſentẽtiam *aliorum*, qua etiam tranſmiſſa ait non impedire ſuam doctrinam; ſed referre, & tranſmittere ſententiam *aliorum* non eſſe docere illam ſententiam, aut dubitare circa illam *omnibus* eſt manifeſtum; ergo omnium iudicio *ex hoc loco* non colligitur *Beatiſſ.P.* docuiſſe, aut dubitaſſe circa corporeitatem Angelorum.

5 Addit *Vaſq: Sed apertè ita ſenſit Epiſt.111*; vbi docens Deum eſſe inuiſibilem oculis corporis ait: *Quibus inuiſibilis? Niſi aſpectibus corporalibus etiam cæleſtibus; ſicut ſupra de Angelis, & Poteſtatibus, & Dominationibus dixit, quantò magis terreſtribus.* Super quod *Marginaſtes Eraſmus* notat: *Angelis tribuit corpora.* Quem fortè abſque alia ponderatione ſecutus eſt *Vaſq.* neſciens *Eraſmum* in illis notis ſubdolè ſparſiſſe virus, vt legentes venenatam, non ſanam ebiberent doctrinam.

Ait ergo *Beatiſs.P.* ſuperiùs *ex D.Hier. Videre Deũ, ſicuti eſt in natura ſua, oculus hominis nõ poteſt; nõ ſolũ homo, nec Angeli, nec Throni, nec Poteſtates, nec Dominationes, nec omne nomen, quod nominatur, neq; enim creatura poteſt aſpicere Creatorẽ ſuum. His verbis Vir doctiſſimus ſatis oſtendit, quid etiam de futuro ſæculo ſenſerit, quod ad hãc rẽ attinet; quãtùlibet enim oculi corporis noſtri mutabuntur in melius, Angelorum oculis æquabũtur; his autẽ, & ipſis vniuerſæ omnino cœleſtis creaturæ inuiſibilem naturam dixit eſſe Creatoris. Aut ſi, & hinc fit quæſtio, & infertur vlla dubitatio, vtrum non ſumus futuri Angelis potiores. Ipſius Domini eſt hinc aperta ſententia, vbi ait de reſurrecturis in Regnum: Erunt æquales Angelis Dei; vnde idem ipſe S. Hier. alibi ſic dicit: Hoc igitur Dei faciem videre non poteſt. Angeli autem etiam minimorum in Eccleſia ſemper vident faciem Dei. Et nunc in ſpeculo videmus, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem; quãdo de hominibus in Angelos profecerimus, & potuerimus cũ Apoſt. dicere: Nos autẽ omnes reuelata facie gloriã Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam tanquam à Domini ſpiritu; licèt faciem Dei iuxta naturæ ſuæ proprietatem nulla videat creatura.* Nomine ergo oculorum *corporalium cæleſtium* intelligit oculos corporũ glorificatorum; qui erunt æquales oculis ſpiritualibus mentis naturalis Angelorum; quia per gloriam ſpiritualizabuntur; cùm ſpiritualitas ſit dos corporis glorioſi; & concludit; quòd ſicuti nulla creatura etiam ſpiritalis proprijs viribus naturalibus poteſt Deum videre; vt ait *D.Hier*; ita oculi corporis glorificati, ſeu cœleſtes, qui erunt æquales oculis mentis Angelicæ; vt docet *Apoſt*; quia conſequentur ſpiritualitatem, quæ eſt propria naturæ Angelicæ, Deum videre nõ poſſunt; aliter oculi corporis glorioſi fierent potiores oculis mentis Angelicæ; quod eſt contra *Apoſtoli* ſententiam *Erunt æquales Angelis Dei.* Neque officit; quòd aſſerat: *quòd oculi noſtri Angelorum oculis æquabuntur*; non officit, inquam; quia nomen *oculus* dicitur etiam de intellectu; vt illud *pſ.33. Oculi Domini ſuper iuſtos*; & illud *ad Hebr. 4: Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius*; & tamen certum eſt Deum nõ habere oculos corporales; Et hoc explicat *in eadem Epiſt.* inferiùs *ſup. illud Matt.5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; ait enim: *Vnde inuiſibilia videntur niſi*

ocu-

oculis cordis? Et paulò poſt. *Cùm audimus oculos, viſionem, qua cognoſcitur, intelligere debemus.* Et deinde. *Deus totus oculus eſt; quia omnia videt.* Hinc *lib.1.Soliloq.c.6.*ait: *Oculus animæ mens eſt;* quo in loco, ſicut in iſto, nomine *oculi* Angelorũ intelligit mentem; ergo non aperta, vt ſcribit *Vaſq*; ſed omnino præcluſa eſt via ad demonſtrãdum *Beatiſs.P.in hac epiſtola* ſenſiſſe Angelos eſſe corporeos.

6 Idem ait *Vaſq.* colligi *ex Epiſt.* 115; vbi quærens, quomodò Dęmones moueant noſtras cogitationes, & ingerant nobis ſomnia, ait: *Ex quo licèt conijcere, cùm etiam cogitamus aliquid, neque id nobis in noſtro corpore apparet; apparere tamen poſſe aereis, æthereiſue animãtibus, quorum & ſenſus acerrimus, & in cuius comparatione noſter ne ſenſus quidem putandus eſt.* Omnia autem animantia habent corpora ſibi vnita; quia animans dicitur ab anima, quæ eſt forma corporis; ergo his docet Angelos habere corpora, & ideo eſſe corporeos. Et inf. *Nequaquam eſt abſurdum eos, qui vel aereo, vel æthereo corpore aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longè maiori facilitate ad mouendum, quidquid volunt non ſentientibus nobis; & tamen inde aliquid perpetientibus.*

7 Reſp. *Beatiſs. P. hìc* loqui de corporibus aereis, vel æthereis aſsũptis à Dęmonibus, quibus immittunt phantaſmata in noſtros ſenſus, & quibus illa mouent, & contrectant iuxta eorum voluntatem; vt *ibid.* patenter docet; vocat autem Dęmones aerea, vel æetherea animantia, prout animans idẽ eſt, ac mouens; anima enim eſt principium mouendi; ait namque: *Qui aereo, vel æthereo corpore agunt aliquid in corporibus; vti maiori facilitate ad mouendum.* Igitur dicuntur *animãtia* effectiuè, non formaliter; quatenus cauſant motum in corpore, quod extrinſecè aſſumunt, non intrinſecè informant; & in hoc ſenſu Angeli motores Orbium vocantur animæ ipſorum. Idem omnino repetit *Beatiſſ.P. lib.4. de Trin. c.11;* & ita ſe explicat his verbis: *Facilè eſt ſpiritibus nequiſſimis per aerea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggrauatæ etiam melioris affectus. Si enim corpora ipſa terrena nõnullis artibus, & exercitationibus modificata in ſpectaculis theatricis tanta miracula hominibus exhibent, vt ij, qui nunquam viderunt talia, narrata vix credant; quid magnum eſt Diabolo, et Angelis eius de corporeis elementis per aerea corpora facere, quæ caro miretur; aut etiam occultis inſpirationibus ad illudendos humanos ſenſus phantaſmata imaginum machinari, quibus vigilantes, dormienteſque decipiat, vel furentes exagitet.* Hęc eadem verba, & argumenta habet *in hac epiſtola*; & ideo etiam *hic*, ſicut *illic* loqui de corporibus aſſumptis ratio dictat. Vel dicendum cum *alijs*, quòd *hìc* loquitur in ſententia *Platonicorum*; loqui autem in ſententia alterius non eſſe illam tenere, vel circa illam dubitare quis diceret? Sed prima reſponſio eſt ipſiſſima doctrina eiuſdem *loc.cit.*

8 Pergit *Vaſq.* ipſum referendo *lib. 3. de Trin.c.11.*

Sed quomodò *ex hoc loco* id poſſit deduci, non apparet; probat enim *ibid.* pluribus *Scripturarum* textibus Deum *antiquis PP.* apparuiſſe, & locutum fuiſſe per Angelos, non per ſe ipſum. Niſi fortè id premi, & diſtorqueri, ſed multa violentia, conetur ex illis verbis, quæ habet prope finem illius libri; vbi ait: *Antiquis Patribus noſtris ante Incarnationem Saluatoris, cùm Deus apparere dicebatur, voces illæ, ac ſpecies corporales per Angelos facta ſunt, ſiue ipſis loquentibus, vel agentibus aliquid ex perſona Dei; ſicut etiam Prophetas ſolere oſtendimus, ſiue aſſumẽtibus ex creatura, quod ipſi non eſſent, vbi Deus figuratè demõſtraretur hominibus.* Sed quid inde? Nonne poſſunt Angeli merè efficienter mouere corpora, vt mouent Cœlos; & per conſequens aerem, & ſic illum diſponere, vt ex ipſius refractione formentur voces; ſicut ex diſpoſitione parietum in ædificijs voces *echo* redduntur; & ſic cur non poſſunt efficienter diſponere ſpecies corporales, & illas præſentare videntibus; & hoc vel aſſumẽdo corpora aerea, vt cùm viſibiliter apparuere; vel non aſſumendo, vt cùm mouent Cœlos? Hoc docet *Sanctiſſ.P*; & non illud, quod *ab Aduerſarijs* impingitur.

9 Sequitur illum referre *in pſ.*85; vbi vocat *Dæmones aereas poteſtates.*

Sed *lib.de Nat.Boni c.33.* explicat, cur dicantur poteſtates; non enim ita dicuntur, quia conſtent corpore aereo; ſed quia in hunc aerem inferiorem, tanquam in carcerem, detruſi ſunt vſque in diem Iudicij, poſt quẽ in inferno ſimul cum *Lucifero* claudentur: & ſic explicat illud *Ephes. 2. Secundùm Principem poteſtatis aeris huius;* ait enim: *Quamuis iam pænaliter hunc infernũ, hoc eſt inferiorem caliginoſum aerem, tanquam carcerem acceperint,* Hoc repetit *epiſt.49. q.3; & lib.3.de Trin.c.7;* & ſæpe *alibi.*

10 Præterea ipſum citat *in pſ.* 145; vbi ait: *Sed etiam cùm fuerit tale corpus noſtrum, corpus iam cæleſte, & ſpiritale, corpus Angelicum in ſocietate Angelorum:* & infra. *Sed licèt corpus Angelicũ inferius eſt, quàm anima.*

11 Sed *hìc* agit *Beatiſſ.P.* de transformatione corporis in ſpiritum, cùm glorificabitur; exponit enim illud 1.*Cor.*15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem;* ideo nihil aliud concluditur, quàm illud, quod diximus *n.5.*

12 Item illum refert *lib. 2. de Ciu. Dei c.2.* Verùm illo in loco nec verbum quidem hac de re ſcripſit.

13 Progreditur *ad lib.5. c.23. ibid;* vbi ait: *Non hìc audeo temerè definire, vtrum aliqui ſpiritus elemento aereo corporali (nam hoc elementũ, etiam cùm flabello, ſenſu corporis, tactuque ſentitur)*

Digitized by Google

tur) poſſint etiam hanc pati libidinem, vt quomodò poſsunt, ſentientibus ſæminis, miſceantur?

14 Verũ etiã *hic* decipitur *Vaſq*; quęrit enim *lib.15*; non 5; an Angeli poſſint coire cũ fœminis occaſione *illius textus Gen.6. Videntes Filij Dei*, quod alij legunt: *Videntes Angeli Dei filias hominum &c*; ex quorum concubitu nati ſunt Gigantes ſuper terram; reſpondet autem, quód *Angeli Dei* dicti ſunt filij *Seth*, qui ceperunt inuocare nomen Domini; vt *Scriptura* teſtatur; *filiæ* autem *hominum* dictæ ſunt filiæ *Cain*; cùm quibus ſe immiſcuerunt filij *Seth*. Proponit autem hanc quæſtionem his verbis: *Vtrum poſſint Angeli, cùm ſpiritus ſint, corporaliter coire cum ſæminis; ſcriptum eſt enim: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus; idèſt eos, qui natura ſpiritus ſunt*. Ergo ſi Angeli ſpiritus ſunt, & natura ſpiritus ſunt, uon ſunt corporales; ſi nanque eſſent corporales, eſſent corporales natura; ſi enim non eſſent corporales natura, iam eſſent ſolùm extrinſecè per corpora aſſumpta; de quo nullum eſt dubium; eſſe autem ſpiritum natura, & eſſe corpus pugnant inter ſe; nam homo mixtus ex corpore, & ſpiritu abſolutè nequit dici ſpiritus natura; quia natura eſt nedum ſpiritus, ſed etiam corpus. Subdit autem *Beatiſſ. P. Apparuiſse tamen hominibus Angelos in talibus corporibus, vt non ſolùm videri; ſed etiam tangi poſſent, eadem veraciſſima Scriptura teſtatur*. Hic maniſeſtè loquitur de corporibus aſſumptis, ſecundũ quæ tanguntur, & videntur. Tandem ſubiungit: *Vtrum aliqui ſpiritus elemẽto aereo corporati &c*; ergo conſequenter loquitur de corporibus aſſumptis; in quibus ſolũ apparuiſſe teſtatur *Scriptura*. Præterea quid eſt eſſe corporatum elemento aereo, niſi eſſe vnitum cum corpore ex aere compacto? Vniri autem Angelum cum corpore ex aere compacto verificatur, cùm vnitur cum corpore aſſumpto. Igitur mens *Beatiſſ. P.* hoc in loco non eſt quærere, an Angeli conſtent intrinſecè ex corpore; ſed an vniti cum corporibus aſſumptis poſſint pati libidinem?

15 Tandem adducit *c.59. in Enchir*; quo loco ait *Beatiſs. P.* non dubitare, an Angeli habeant corpora, ſed an eorum corpora poſſint tractari?

16 Sed etiam hęc palmaris hallucinatio eſt; nam *ibid.* quærit, qualia ſint corpora, cum quibus Angeli hominibus apparuerunt; an ſcilicet ſint tantùm viſibilia non quidem oculis corporis, ſed oculis mentis; vt videtur fuiſſe Angelus, qui apparuit *Zach.2*; de quo ait: *Et dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me*; loqui enim intus alicui eſt ſe præbere viſibilem cordi, non oculis corporis. An verò ſint etiam manibus contrectabilia; vt patet de Angelis, quibus *SS.PP.* lauerunt pedes; & de Angelo, cum quo luctatus eſt *Iacob*? Manifeſtum autem eſt corpora, cum quibus Angeli apparuerunt *in Scripturis*, eſſe corpora extrinſecè aſſumpta: Habet igitur *Beatiſs. P. Itemque Angeli quis explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, vt non ſolùm cernerentur, verùm etiam tangerentur*? Ex quibus nec leuiter ſuſpicari poſſumus corporeitatem intrinſecã Angelorum.

17 Addere poterat, quòd *Beatiſſ. P.* pluribus alijs in locis vocat Dęmones *aeris animalia*; vt *lib.1. cont. Acad. c.7; & lib. 2. de Ord. c.9; & alibi*.

18 Sed nec hoc aliquid poſſet obtinere; nam ideo vocat aeris animalia; quia mouentur per aereuı, in quo detruſi ſunt; vt *ſup.* dictum eſt; ſicut animalia terræ dicuntur, quæ ſuper terram mouentur; quemadmodum Diabolus, qui tentauit *Adam*, dictus eſt ſerpens *Gen.2. Serpens decepit me*; quia mouit ſerpentem, in quo erat, ſic etiã dicitur *Leo &c.* Vnde *lib. 1. Retract. c. 13.* ait, quòd aliquando ſumit animam pro vniuerſa natura incorporali; & ideo cùm animalia dicantur ab anima, non eſt inconueniens Dęmones dici animalia, & tamen eſſe incorporales. Addit *Fũd. Doct. in 2. diſt. 3. q. 2. dub. 2*; quòd animal aliquando ſumitur, prout idem eſt, ac viuum; propterea habet quędam translatio, quòd Deus eſt animal; idèſt viuens.

19 Prob. 2. pars cõcl. *Lib. 1. de Gen. ad lit. c. 1.* docet nomine *Cœli*, *& terræ* intelligi naturam ſpiritalem, & corporalem; ſed nomine naturæ corporalis intelligitur natura nedum purè corporea, ſed habens corpus partem ſui; à corpore enim denominatur corporea, vt homo; ergo nomine naturæ ſpiritalis exprimit naturam incorpoream, aliter cacophonicè diuideret creaturam in ſpiritalem, & corporalem; ſi enim Angelus, qui eſt natura ſpiritalis, cõſtaret ex corpore, iam ab illo corporalis diceretur; & ideo comprehenderetur ſub natura corporali, nec ab illa contradiuideretur.

20 Prob. 2. *ex eod. lib. 8. c. 20; & ſeq*; vbi ait: *In quibus rebus quædam ſpiritualia, quædam corporalia condidit formans materiã, quam nec alius, nec nullus, ſed omnino ipſe informem, ac formabilẽ inſtituit, vt formationem ſuam nõ tempore, ſed origine præueniret. Spiritalem autem creaturam corporali præpoſuit; quòd ſpiritalis tantummodò per tempora mutari poſſet, corporalis autem per tempora, & loca.* Et *c.21. Cui enim non facilè occurrat, quòd per locum non moueatur, quæ per loci ſpatia non diſtenditur; quidquid autem per loci ſpatia diſtenditur, corpus eſt.* Ex quibus ſic arguitur. Omne corporeum in hoc diſtinguitur ab incorporeo, quòd corporeum mouetur per loca circunſcriptiuè extenſiuè, quia corpus habet quantitatem molis extenſam in ordine à ſe, & in ordine ad locum; incorporeum autem non ita moueтur per loca, quia caret quãtitate molis; ſed *Beatiſs. P.* expreſsè docet naturam ſpiritalem creatã, idèſt Angelos, non moueri per loca; ergo expreſsè docet Angelos eſſe incorporeos.

21 Prob. 3. *lib. de Cog. veræ vitæ c.5*; vbi definit Angelum ſic: *Angelus autem ſpiritus eſt, ſubſtãtia incorporea, inuiſibilis &c*; vt diximus *in ſup. art.*

22 Dices hunc librum non eſſe *Beatiſſ.P*;vt habetur in nota appoſita eidem.

Reſp.hanc notam *Eraſmi* nullius eſſe momenti,quia leuibus,& falſis motiuis innititur, ait enim *Dialectica nimie tribuere c.2;*& *c.36. Spiritus futura cuncta præſcire* .Sed *c.1.*de Dialectica non ait, niſi *Logica præeunte comitantibus argumentis ſequar veritatem*, quod nihil aliud ſignificat niſi præeunte ratiocinatione,& diſcurſu;hoc autem non repugnare, ſed maximè congruere doctrinæ *Beatiſſ.Patris* quis non videat, quæ ſẽper validiſſimis rationum argumentis munita eſt? De præſcientia autem Angelorum ſimilia ſcribit *lib. de Diuinatione Dæmonum*. Præterea doctrina,quæ traditur *in hoc lib.de Cog. veræ vita* de acceptione *ſpiritus* ſex modis,habetur etiã *lib.12.de Gen.ad lit.c.7*; & ſic de reliquis, quæ ſi tempus ſufficeret, *alibi ab eod. Sanctiſſ.P.* dicta eſſe oſtenderemus; ergo omnino gratis *ab Eraſmo* reijcitur *hic liber*.

23 Conf;nam *lib.12.de Gen. ad lit. c. 7.* ait. *Quidquid enim corpus non eſt, iam rectè ſpiritus dicitur*; ergo nomine ſpiritus ſumit aliquid contradiſtinctum à corpore; ſed Angelum dicit ſpiritum;ergo eum dicit incorporeum.

24 Prob.3. *ex epiſt.174. ad Paſcentium*; vbi ait:*Nõ hoc nomen,quod Spiritus dicitur,non ſecundũ id,quod refertur ad aliquid;ſed ſecũdũ id,quòd aliqua natura ſignificatur,omnis incorporea natura ſpiritus in Scripturis appellatur; vnde non tantùm Patri,& Filio,& Spiritui Sãcto,ſed omni rationali creaturæ,& animæ hoc vocabulum cõgruit. Vnde Dominus dicit:Spiritus eſt Deus; & ideo qui adorant Deum,in ſpiritu, & veritate oportet adorare.Scriptum eſt etiam:Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.Dictum eſt de hominibus quibuſdam:Quoniã caro ſunt,& Spiritus ambulans, & non reuertens.* Neſcio, an quid explicatius, & clarius expetere poſſint *Aduerſarij*:Sic enim arguitur.Spiritus *in Scripturis*, ſignificat omnem naturam incorporeã; ſed *Beatiſs.Pater* docet *cum Scripturis* naturam Angelicam eſſe ſpiritum; ergo docet eam eſſe incorpoream.

25 Prob. 4. ex *lib. 21. de Ciu.Dei c. 10*; vbi poſtquam retulit ſententiam aſſerẽtium Dæmones habere corpora,quæ verè comburuntur igne inferni,illis verbis: *Sunt quædam,ſunt etiam Dæmonibus corpora,ſicut doctis hominibus viſum eſt*; deinde ponit propriam ſententiam, quam dicit potiùs eſſe amplectendam, quia etſi Dæmones ſint incorporei,attamen poſſunt miris, ſed veris modis pœna corporalis ignis affligi; ſicut anima rationalis,licèt incorporea, ex vnione tamen ad corpus verè affligitur pœnis corporalibus cum hac tamen differentia, quòd anima affligitur per vnionem ad corpus informatiuam;Dęmones verò per vnionem ad ignem non informatiuam: Verba sũt hæc:*Cur enim nõ dicamus,quamuis miris,tamen veris modis etiã ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi; ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterũt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebũt ergo,ſi eis nulla ſunt corpora,ſpiritus Dæmonũ, imò ſpiritus Dæmones,licèt incorporei,corporeis ignibus cruciandi,non vt ignes ipſi,quibus adhærebunt,eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant,quæ conſtent ſpiritu,& corpore; ſed vt dixi, miris, & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam,non dantes ignibus vitã. Vid.ibid. lib.14.c.3.*

26 Prob.inſuper auctoritate allata n.14; vbi ſuper illud: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*;vocat Angelos *natura ſpiritus*. Et *in pſ.103. conc.2.* ſuper eundem *textum* ait: *Idèſt eos,qui iam ſpiritus ſunt,qui ſpiritales,non carnales ſunt,facit Angelos ſuos mittendo, vt eius prædicent Euangelium*; & alijs in locis,qui tam frequentes ſunt, vt mirum ſit *Aduerſarios* eos non vidiſſe; niſi fortè (quod valde ſuſpicandum ſit) ipſum legant ſolo animo illi impingendi,quod non dixit,nec ſenſit; quod propheticè præcauẽs *Sanctiſſ.Doctor* cõqueritur *lib.6.de Gen;ad lit.c.6*;& multis alijs in locis: *Cauendum eſt,ne putemur aliquid ſentire, ac dicere, quod ſcimus nos nec ſentire,nec dicere*.

27 Obijc.1.*Beatiſs.P.lib.15.de Ciu.c.23*.quæſtionem de corporeitate Angelorum ambiguã relinquit;ait enim: *Non hic aliquid audeo temerè definire*:ergo ſuam ſuſpendit ſententiam.

Reſp.*ibid.*non audere definire, an Dæmones in corpore aſſumpto poſſint pati libidinem; ſequitur enim: *Non hic aliquid audeo temerè definire, vtrum aliqui ſpiritus elemento aereo corporati (nam hoc elementum, etiam cum flabello agitatur,ſenſu corporis, tactuque ſentitur) poſſint etiã hanc pati libidinem?* Non autem dubitat de eorũ corporeitate. Præterea etianſi vocaret rem dubiam ſecundùm ſe, attamen non ſequitur, quòd ſuam ſententiam ſuſpenderit; quia multæ quæſtiones ſunt dubiæ ſecundùm ſe; & tamen circa illas *Doctores* determinatè proferunt ſuã ſẽtẽtiã.

28 Obijc.2. *In lib. de Eccleſiaſticis Dogmat; ſeu de definitionibus Fidei orthodoxæ c.10;& ſeq.* ait:*Nihil incorporeum, & inuiſibile natura credẽdum, niſi ſolum Deum &c. Creatura omnis corporea eſt, Angeli,& omnes cæleſtes virtutes corporeæ.*

Reſp. aliquos velle hunc librum eſſe *Gennadij*,non autem *Beatiſſ.Patris*.Sed quidquid ſit de hoc,dicitur,quòd incorporeum *ibid.*ſumitur pro ſubſtantia ſimpliciter incommutabili,& immobili de loco ad locum,quæ eſt vbique tota; vt explicat *epiſt.28*,vbi habet:*Item ſi eam ſolam incorpoream placet appellare naturam, quæ ſummè incommutabilis,& vbique tota eſt;corpus eſt anima.* Sic enim incorporeum excludit omnem potentialitatem paſſiuam;quam tamen includit omnis creatura etiam ſpiritualis. Si autem incorporeũ ſumatur,prout excludit corpus ſolummodò,anima eſt incorporea,vt docet.

29 Ex his patere poteſt, quale iudicium facien-

ciendum ſit *de alijs SS. PP*; dici etenim poteſt, quòd vel loquantur in ſententia *Platonicorum*; vel ſumāt corporeitatē pro potentialitate paſſiua receptiua eſſe,vel alicuius formæ accidētalis.

§. 2.

An Angeli componantur ex forma ſpirituali, & materia phyſica?

30 Non inquirimus *hic*, an Angeli conſtent ex materia,& forma;nam *aliqui*,vt videbimus *in ſeq.*S;putant in Angelis eſſe quandam materiam ſpiritualem, & tamen nō eſſe corporeos; quia in illis non eſt materia phyſica;cui annectitur quantitas molis,quæ conſtituit corpus matematicum. Hanc ergo difficultatem ab illa ſeiungimus.

31 *Rupertus Abbas lib.1.de Trin.c.*11;*Caiet. in c.*2.*epiſt. ad Epheſ; & Aug. Eugub. lib.*8. *de perenni Philoſophia c.* 27. putauerunt Angelos eſſe corporeos phyſicè.

32 Communis tamen ſententia omnium Theologorum docet illos eſſe incorporeos. *Ita Fund.Doct.in* 2.*diſt.*3.*p.*1.*q.*1.*art.*1;*& Quodl.*1. *q.*8. Ipſū ſequitur *Argēt.in* 2.*q.*1.*art.*1;*& omnes alij eius Diſcipuli; & exteri omnes communiter.*

33 Certum eſt Angelos non eſſe purè corporeos ita, vt conſtent ex materia phyſica, & forma omnino materiali; quia Angeli *in Scripturis* dicuntur *Spiritus*; quod nomen de re purè materiali nequit verificari; tum quia Angeli sūt perfectiores homine; res autem omnino materialis eſt homine inferior; tum quia Angelis tribuitur intellectio,& volitio, quæ non conueniūt rei purè materiali; tum quia Angeli ſunt propiores Deo, vt docet *Beatiſs. P.*12. *Confeſs.c.* 7. *Duo feciſti Domine; vnum prope te; idèſt naturam Angelicam;alterum prope nihil,nempe materiam informem*; tum quia videmus Dæmones aliquas operationes facere, quæ excedunt naturam rerum purè materialium; vt loqui, occulta reuelare,remota narrare &c. Remanet ergo inquirendum,an ſint corporei eo, quia conſtent ex forma ſpirituali informante materiam phyſicam?

34 Vnica concl. Angeli ſunt phyſicè incorporei. Prob. 1. ex illis *Sciptura* locis, in quibus Angeli abſolutè dicuntur ſpiritus; ſed ſpiritus dicitur per oppoſitionem ad corpus, quia quod includit corpus,non dicitur ſpiritale, ſed corporale;ergo Angeli ſunt incorporei.

35 Prob.2.ex *Conc.Lat. ſub Innoc.III. in Confeſſ. Fidei*;vbi dicitur de Deo: *Simul ab initio temporis vtranque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem,& corporalem, Angelicam videlicet,& mundanam, ac deinde humanam, quaſi communē ex ſpiritu,& corpore conſtitutam.* Ex quibus ſic. Si Angeli eſſent corporei, vel pertinerent ad creaturam mundanam,quæ omnino corporea eſt,vel ad humanam,quæ conſtat ex ſpiritu,& corpore; ergo à *Conc.* non poneretur creatura ſpiritualis, tanquam diſtincta à mundana,& humana.

36 Prob.3.ex *Fund.Doct.hic via prima.*Nullum inextenſum eſt corporeum;ſed Angeli ſunt inextenſi;ergo Angeli non ſunt corporei. Prob. ma.1. Corpus,ſi accipiatur matematicè, importat trinam extenſionem,ſcilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem; vt docet *Beatiſſ. P.epiſt.*28;*& lib.*8. *de Gen.ad lit.c.*22; & cum eo *omnes Philoſophi communiter*; ſi verò accipiatur phyſicè, importat alteram partem compoſiti,quę informatur ab anima,& non eſt,niſi materia phyſica; cùm autē corpus phyſicum aliud ſit homogeneum, quod habet partes ſimilares, & aliud ætherogeneū, quod habet partes diſſimilares;& habere partes non conueniat inextenſo,quia *indiuiſibile*,vt ait *Euclides*, *eſt id,cuius pars non eſt*, & indiuiſibile idem eſt,ac inextenſum; ſi tandem accipiatur metaphyſicè,importat compoſitum ex materia phyſica,quę eſt altera pars compoſiti,& ideo eſt extenſa;ergo corpus,quomodocunque accipiatur,eſſentialiter importat extenſionem;& ideo nullum inextenſum eſt corporeum. 2. Ex *Fund.Doct.*Si daretur corpus inextenſum, non daretur,niſi vnicum corpus numero;vnde ſi Angeli haberent corpora inextenſa,non daretur niſi vnicus Angelus numero, qui non diſtingueretur ab alijs corporibus materialibus; nam in tantùm vnum corpus diſtinguitur ab alio, in quantùm eſt diuiſum ab illo; nequit autem diuidi ab alio,niſi ſit extenſum, quia inextenſum indiuiſibile eſt. Nec poteſt diuidi per formam;quia materia informis, vtpotè cauſa formæ in genere cauſæ materialis, origine præcedit formam; vt docet *Beatiſſ.P.lib.*1. *de Gen. ad lit.c.*15; *& ſæpe alibi*; vnde ſi pro illo priori corpus non ſupponeretur diuiſum ab alio,ſequeretur,quòd indiuiſim cum alio reciperet aliam formam; & ſic duæ formæ haberent idem corpus, quod dici deberet de omni corpore; vt v. g. ſi corpus hominis pro illo priori,quo intelligitur præcedere receptionem animæ rationalis, non eſſet diuiſum à corpore Leonis; vel non poſſet recipere animā hominis,quia,vt experientia conſtat, idem corpus nequit naturaliter recipere plures formas ſpecificè diuerſas ſaltem non ſubordinatas;vel ſi reciperet,vnum eſſet corpus hominis,& Leonis; tum quia diuerſitas formarum ſubſtantialium præſupponit ſaltem origine diuerſitatem ſubiectorum formabilium; aliter vna forma informaret materiam iam informatam ab alia forma; & ſic plures formæ haberent vnum, & idem ſubiectum;vt corpus canis animam canis,& animam Leonis; tum quia ſi diuiſio materiæ haberetur à forma,iam materia non eſſet diuiſa, niſi quando forma in facto eſſe eſt in materia; non enim poteſt materia participare effectū formæ,niſi quando habet actu eſſe formæ, quod non participat, niſi per actualem receptionem formæ; ergo pro illo priori originis, quo actualiter recipit formā, in quo eſt ipſum fieri formæ, materia eſſet indiuiſa à materia alterius formæ; & ſic eſſet ſubiectum commune duplici formę;quia forma in fie-

ri eſt inceptio formæ in materia ; & forma non incipit eſſe in materia , niſi quando materia actu recipit eſſe formæ;tum quia ſi pro illo priori eſſe in fieri vuius formæ eſſet ſimul cum eſſe in facto eſſe alterius formæ, non eſſet aſſignabilis ratio , cur duplex illa forma in facto eſſe non eſſet ſimul , cùm ſit idem eſſe in fieri , & in facto eſſe ; vnde ſi in fieri non habet diuiſum ſubiectum,neque in facto eſſe;ergo nullum inextēſum eſt corporeū. Prob.mi. Eſt propoſitio per ſe nota *apud Sapientes* Angelos non eſſe circunſcriptiuè in loco,neq;eſſe ſituales,aut quantos;vt docet *Beatiſs.P.lib.8.de Gen.ad lit.c.29; & ſeq; & Martyr. Boet.lib.de Hebdomab;& D.Dam.lib.2.de Fide c.3.*& colligitur manifeſtè *ex Scripturis* ; nam ſi haberent quantitatem quantuncūque ſubtilem , non poſſent penetrare corpora ſolidiſſima poris carentia, vt ſunt Cœli; & ſic non poſſent ex illis ad nos deſcendere, quia quantitas quantitati reſiſtit, & eſt impenetrabilis ab illa , cuius contrariū docent *Scripturæ*;ergo Angeli ſunt inextēſi.

37 Conf.Si materia pro priori originis non eſſet diuiſibilis,& tantùm diuideretur per formā in facto eſſe, iam materia pro priori originis eſſet ſecundùm ſuam eſſentiam indiuiſibilis, ſicuti punctus; ſed quod eſt ſecundùm ſuam eſſentiam indiuiſibile,nequit diuidi ab alio,vt patet de pūcto; implicat enim, quòd indiuiſibile diuidatur ; ergo materia non diuiditur per formam ; & ideo non eſt alia,& alia materia,quia recipit aliam , & aliam formam ; non enim fit alia , & alia , niſi quia diuiditur;nam ſi ſit indiuiſa,vna eſt ; quia vnitas eſt indiuiſio,vt dicitur in eius definitione; ergo non diuiditur niſi ratione quantitatis,cuius eſt proprium extendere in partes ; & per conſequens ſi Angeli conſtarent ex materia corporali inextenſa, iam eorum materia eſſet vna numero, & ſic numero non differrent.

38 Prob.4.*ex eod. Fund.Doct. Via ſecunda. Beatiſſ.P. lib. 12. Confeſſ. c. 7.* docet Deum duo feciſſe, vnum prope ſe, idèſt Angelum ; & aliud prope nihil,idèſt materiam; ergo Angelus non eſt phyſicè corporeus ; nam ſi conſtaret ex ſpiritu,& corpore, quod eſt materia phyſica, non eſſet ſolùm prope Deum, ſed ſimul prope Deum, & prope nihil;prope Deum quidem, quia haberet formam ſpiritualem,quę propinqua eſt Deo, qui ſpiritus eſt;& prope nihil,quia haberet in ſe materiam,quæ eſt prope nihil; & ideo non eſſet prope Deum, ſed quid medium inter creaturam Deo propinquam,& creaturam nihilo vicinam; & per conſequens eſſet homo ; & ſic non eſſet Angelus;quo deſtrueretur ſuppoſitio terminorū difficultatis propoſitæ.

39 Prob.5.*ex ead.Tertia Via.*Si Angeli haberent corpus phyſicum, poſſet Deus ex corpore Angelico educere formam irrationalem ; & formam ſpiritualem Angeli inducere in quodlibet corpus ſublunare;nam vt docet *Beatiſs.P.lib. 7.de Gen.ad lit. c.20;Omne corpus in omne corpus mutari poſſe credibile eſt; quodlibet autem corpus mutari poſſe in animam credere abſurdum eſt* ; in tantùm enim agens naturale nequit inducere formam ſublunarem in mareriam Cœli;in quantùm agit mediante motu,& tranſmutatione,quæ non fit,niſi per qualitates contrarias, cùm autem qualitates contrariæ non ſint in materia Cœli , ideo agens naturale nequit materiam Cœli trāſmutare ad formam ſublunarem;at verò Deus,cū agat ſine motu, & tranſmutatione,poteſt in materiam Cœli inducere quanlibet formam ſublunarem;ſed conſequens eſt falſum, & omnino irrationabiliter diceretur, cùm nulla experientia conſtet Angelos eſſe ſic tranſmutabiles; ergo nō ſunt phyſicè corporei .

40 Prob.6.*ex eod. Quarta Via.* Simplex intelligentia non eſt phyſicè corporea; ſed Angeli ſunt ſimplices intelligentiæ iuxta communem *Philoſophorum* ſententiam ; quapropter ab *antiquis Philoſophis* Angeli ſimpliciter vocantur *Intelligentiæ*; ergo Angelus non eſt phyſicè corporeus.Prob.ma.*ex Beatiſs.P. lib.7. de Gen.ad lit.c. 14*; vbi ait : *Cùm igitur bis,quaſi nuncijs,accipiat anima,quidquid eam corporalium non latet; ipſa verò vſque adeo aliud quiddam ſit , vt cùm vult intelligere Diuina,vel Deum,vel omnino ſe ipſam, ſuaſque conſiderare virtutes, vt aliquid veri,certique comprehendat,ab hac ipſorum quoque oculorū luce ſe auertat;eāq; ad hoc negotiū nō tātū nullo adiumento, verùm etiam nullo impedimento eſſe ſentiens ſe in obrutum mentis attollat ; quomodò ex eo genere aliquid eſt,cùm eiuſdem generis ſummum non ſit,niſi lumen,quod ex oculis emicat;quo illa nō adiuuatur,niſi ad corporeas formas,coloreſque ſentiendos ; habetque ipſa innumerabilia longè diſſimilia cuncto genere corporū , qua nōniſi intellectu, atque ratione conſpiciat , quo nullius carnis ſenſus aſpirat.*Ex quo ſic.Operari ſequitur ad eſſe,& cum illo cōmenſuratur; ſed ſimplex intelligere eſt ſupra omne corpus,quia tēdit in incorporalia,vt eſt Deus;ergo eſſe ſimplicis intelligētiæ non eſt phyſicè corporeum;in tantùm enim anima rationalis eſt incorporea; vt ſuſiſſimè probat *Beatiſs.P. in hoc libro* (quidquid dicat *Adamus* , qui profectò ipſum nec vidit à longè) in quantùm habet lumen ſuperius ad lucem corporalem,qua videntur corpora, quo videt Deum , ſeipſam,& alias res, quæ non videntur luce corporea ; ſed ſimplex intelligentia eſt huiuſmodi ; ergo eſt phyſicè incorporea . Mi. per ſe nota eſt ex communi *Sapientum* conſenſu , qui Angelos hoc nomine appellant .

41 Obijc.1. *Apoſt.1. Cor.15.* diſtinguit corpora Cœleſtia,& terreſtria; ſed nomine corporū Cœleſtium intelliguntur corpora Angelica ; quapropter *SS.PP*;vt *Hil.c.5.in Mat; & alij* docent ſolum Deum eſſe incorporeum,quod non eſſet verum,ſi Angeli non haberent corpora;ergo Angeli ſunt corporei. Præterea *in 2. Synodo Nic.art.5.Io.Teſſalon.* obtulit librum,in quo di-

ce-

eebat contra quendam *Philoſophum Gentilem* Angelos *pingi poſſe, quia corporei ſunt, & pictura imitabiles*, quem librum approbauit Synodus reſpondens: *Etiam Domine*.

Reſp.*Apoſt.* nomine corporum Cœleſtium intelligere corpora humana glorificata; & *SS. PP.* vocare ſolum Deũ incorporeum, prout incorporeum negat omnem potentialitatem paſſiuam, quæ dicitur quædam immaterialitas, *Græcè* enim dicitur *Hyleachis* ab *Hyle*, quod Latinè dicitur materia; vnde in hoc ſenſu ſolus Deus eſt incorporeus, quia ſolus Deus eſt actus puriſſimus expers omnis potentialitatis paſſiuæ. Ad aliud dicitur *Conc.* non approbaſſe rationem *Io*; ſed ſolùm determinaſſe Angelos poſſe pingi, quia *poſſunt circunſcribi; & vt homines apparere*; his enim verbis *Patriarca Tharaſius* propoſuit rem *PP. Conc*, cui reſponderunt dicentes: *Etiam Domine*.

42 Obijc.2. Multa nomina attribuũtur Angelis in *Scripturis*, quæ non conueniunt, niſi corporibus; vt *pſal.* 103. vocantur *ignes vrentes*; & *Epheſ.2.Tenebræ*; & *D.Dion. 4.de Diuin. nomin.* ponit in Angelis *phantaſiam proteruam, concupiſcentiam dementem, & furorem irrationalem*: quæ non ſunt, niſi paſſiones corporales; & *Beatiſſ. P. lib.8.de Ciuit.Dei c.16; & lib.21.c.6.*ait: *Dæmones delectari bonis odoribus, rebus venereis, & nidoribus ſacrificiorum Gentilium.* Item *lib.12.Cõfeſſ. c.21.* ait; quòd *Deus fecit materiam communem viſibilium, & inuiſibilium*. Tandem cruciantur igne corporali inferni, quod nequit intelligi, niſi dicatur eos habere corpora.

Reſp.Effectus corporales tribui Angelis *in Scripturis* effectiuè, non formaliter, quia cauſant eoſdem effectus ad extra, quos cauſarent, ſi eſſet corporei. Dicuntur autem Angeli boni *ignes vrentes* per charitatem, qua continuò ardent, & inflãmãt homines, quibus mittũtur ad accedẽdũ in ipſis amorem Dei. Dicuntur Dęmones habere *phantaſiã proteruam*, quatenus malo inſeparabiliter adhęrẽt; *cõcupiſcentiã dementẽ*, quatenus malũ inflexibiliter proſequũtur; & *furorem irrationalẽ*, quatenus ſine pace mens continuò tumultuatur. Ad *Beatiſſ.P.* dicitur, quòd *ibid.c.21.* docet Dęmones delectari rebus corporeis tanquam ſignis rerum ſpiritualium, non autem, vt res corporeæ ſunt. Ad aliud dicitur, quòd nomine materiæ *ibid.* intelligit naturam informem, quæ eſt receptiua formoſitatis; vt ſæpè repetit *in libris de Gen. ad lit.* De igne inferni iam dictum eſt *ſup. n.25.* Præterea ſi hoc cõcluderet, probaret etiam animam rationalem ſeparatam, vel non torqueri igne inferni, vel quòd eſſet corporea; vtrunq; autem falſum eſt.

43 Obijc. 3. *Boetius lib. de Vnitate, & Vno* ait: *Angelos, & animam eſſe vnum vnione ſimplicium*; ſcilicet materiæ, & formæ; & *ſuper prædicamenta* ait; *Quidquid eſt in prædicamento ſubſtantia eſſe compoſitum ex materia, & forma*; Angelos autem conſtat eſſe in prædicamẽto ſubſtantiæ; & *de Trin.* ait: *Formam ſimplicem non poſſe eſſe ſubiectum*; ſubſtantia autem Angelica ſubijcitur ſuis proprietatibus. Item *Phil.1. Meteor.tex.Com.11.* increpat *Antiquos Philoſophos*, qui poſuerunt *materiam elementarem corporum, non corporum autem non*.

Reſp.ad 1. illum librum non eſſe *Boetij*, vt teſtantur *Fũd. Doct; & noſter Argentinã in lib. de duabus naturis, & Perſona Chriſti* expreſsè docet omnem ſubſtantiam ſpiritualem carere materia. Vel dicitur loqui de materia lato modo, prout ſignificat qucunq; potentialitatẽ paſſiuam. Ad aliud dicitur, quòd nihil aliud docet; niſi quòd *Ariſt.* relicta materia, & forma, quæ reductiuè ponuntur in prædicamento, egiſſe ſolùm de corpore compoſito ex materia, & forma, quòd directè ponitur in prædicamento. Ad aliud dicitur verum eſſe de forma ſimpliciter ſimplici excludente omnem compoſitionem, etiam accidẽtalem, vt eſt Deus. Ad *Phil.* dicitur, quòd reprehendit *Philoſophos* admittentes corpora habere materiam, & negantes ipſam materiam eſſe purã potentiam paſſiuam, quæ ſecundùm ſe non eſt corpus compoſitum ex materia, & forma, ſed tãtùm eſt altera pars compoſiti.

44 Obijc.4. Angelus non eſt actus purus; ergo eſt compoſitus ex potentia paſſiua ſubſtantiali, quæ eſt materia, & actu ſubſtantiali, qui eſt forma. 2. In Angelis ſunt proprietates materiæ, quia in Angelis eſt potentia receptiua nedum exiſtentiæ, ſed etiam ſuarum proprietatum, & actionum immanentium. 3. Angeli mouentur de vna actione in aliam, & de vno loco ad alium; ſed moueri importat materiam; ergo in Angelis eſt materia. 4. Angeli ſunt in eodẽ genere, in quo sũt ſubſtãtię corporales; ergo conſtituuntur iiſdem principijs, quibus conſtituuntur ſubſtantiæ corporales; ſubſtantiæ autem corporales conſtituuntur ex materia, & forma.

Reſp.ad 1. Angelos componi ex potentia paſſiua, quæ non eſt materia, ſed eſſentia, quæ eſt in potentia ad exiſtentiam, & ideo nõ ſunt actus puri. Ad 2. dicitur, quòd in Angelis non eſt potentia receptiua rei ſenſibilis, ſed rei ſpiritualis; proprietas autem materiæ eſt potentia receptiua rei ſenſibilis. Ad 3. diſt. mi. Moueri ſenſibiliter importat materiam, conc; inſenſibiliter, vt mouẽtur Angeli, neg; ſic enim importat ſolam potentialitatẽ paſſiuam. Ad 4. diſt. ant. Sunt in eodem genere generaliſſimo, quod non conſtituitur ex materia, & forma, ſed præſcindit, conc; ſubalterno, neg; nam immateriale, & materiale diuidunt ſubſtantiam, *vt ſic*, quę præſcindit à materia, quia eſt genus ad materiale, & immateriale, & ideo nõ conſtituitur per illam. Imò quia immateriale opponitur materiali, tanquam membro excluſo, ſequitur, quòd ſi ſubſtantia materialis conſtituitur ex materia, & forma; ſubſtantia immaterialis non conſtituitur per materiam, & formam; aliter non

ex-

excluderet ſubſtantiam materialem; nec ſubſtantia, *vt ſic*, benè diuideretur; quia non diuideretur per membra ſeſe inuicem excludentia.

45 Obijc.5. Intellectio conuenit homini, & tamen homo eſt corporeus; ergo ex intellectione non probatur Angelos eſſe incorporeos.

Reſp. diſt.conſ. Ex intellectione ſimplici, idèſt independēter à ſenſibus, neg; ex intellectione dependenter à ſenſibus, conc.

46 Obijc. 6. In Angelis eſt compoſitio generis, & differentiæ; ſed genus ſumitur à materia; & differentia à forma; ergo in Angelis eſt materia, & forma.

Reſp. diſt.mi. Genus ſumitur à materia, vel ab aliquo gerente vicem materiæ, ſcilicet potentialitate paſſiua determinabili per actum, conc; à materia tantùm, neg; & ſic de differentia.

47 Obijc.7. Omnes gradus viuentis corporei debent dari in Vniuerſo, aliter non eſſet perfectū; ergo debet dari intelligens ſine ſenſu cum motu progreſſiuo, qui motus non conuenit niſi corpori; ſed tale viuens eſt Angelus; ergo habet corpus.

Conf. Datur vegetans ſine ſenſu, & ſentiēs ſine motu progreſſiuo; ergo debet dari intelligēs ſine ſenſu cum motu progreſſiuo.

Reſp. neg. conſ; nam intelligere ſine ſenſu cum motu progreſſiuo non conſtituit gradum vitæ, imò repugnat; quia intelligens, quod vtitur corpore ad ambulandum, vtitur etiam ad intelligendum; ſi enim eget corpore ad imperfectiorē operationem, à fortiori indiget ad perfectiorem. Præterea ſicut non datur animal progreſſiuum ſine ſenſu, licèt detur sētiens ſine motu progreſſiuo; ita non poteſt dari intelligens progreſſiuum ſine ſenſu, quia progreſſiuum includit ſenſum. Per hoc patet ad Conf. Quomodò autem moueantur Angeli, inferiùs videbitur?

48 Obijc.8. Perfectiorem habet vitā, quod viuit, & viuificat aliud, quàm quod ſolū viuit, & non viuificat; ſed anima viuit, & viuificat corpus ſibi vnitum; ergo Angelus, qui eſt perfectior anima, viuit, & viuificat corpus ſibi vnitum.

Reſp. diſt.ma. Quod viuit, & viuificat per modum formæ incompletę, vt eſt anima, eſt perfectius eo, quod viuit per modum formæ completæ, & ideo non viuificat aliud, quia ſic eſſet forma incompleta, neg; quod viuit, & viuificat efficienter extrinſecè, vt eſt Deus, conc.

§. 3.

An Angeli componantur ex materia ſpirituali?

49 Alen.2.p.q.20.membr.1.in fine; D.Bon. in 2.diſt.3.ar.1.q.1; & Ric.ibid.ar.1. q.2. putauerūt Angelos cōſtare ex materia quadā ſpirituali; quam materiam, etſi de facto non admittant in Angelis, eſſe tamen poſſibilem dixerunt *Arriag.de An.diſp.1 ſect.1; & Ouied.1.Phyſ. controu.5.punct.3.*

50 Noſtra tamen ſententia docet Angelos nullo modo includere materiam; imò quancunque materiam ſpecie diuerſam à materia phyſica eſſe omnino imaginariam. *Ita Fūd.Doct. vbiſ; & diſt.12.q.3.art.4; & in Hexam.p.1.c.4; & de materiali Cœli compoſit.q.2; & alijs in locis*, in quibus docet materiam Cœli, & horum ſublunariū eſſe eiuſdem ſpeciei; *Argent; Paul.Venet; & alij*. Conueniunt *Thomiſtæ* in excludendo materiam ſpiritualem, licèt doceant poſſe dari plures materias ſpecie diuerſas; imò de facto materiā Cœli differre ſpecie à materia ſublunarium; de quo *in Phyſ.*

51 Vnica concl. Angeli non componuntur ex forma, & materia ſpirituali.

Prob. 1. ratione allata *n.36*. Si Angeli componerentur ex materia ſpirituali, non eſſet niſi vnus Angelus numero, vel omnes Angeli differrent genere; vtrunque eſt contra communem ſententiam; ergo Angeli non componuntur ex materia ſpirituali. Prob.ma. Vel materia vnius Angeli ſecundùm ſe ipſam accepta præciſa forma diſtingueretur à materia alterius Angeli; vel non? Si primum; ergo vnus Angelus differret genere ab altero Angelo; nam quia materia Cœli ſecundùm ſe accepta differt à materia ſublunarium, vt docent *Thomiſtæ*, ideo corpus Cœleſte differt genere à corpore ſublunari. Si ſecundum; ergo omnes Angeli eſſent vnum numero; in tantùm enim formæ receptæ in materia differunt numero, in quātùm materia, in qua recipitur vna forma, eſt actu diuiſa ab alia materia in priori originis ad illam formam; quæ diuiſio non fit niſi per quantitatem molis, quæ dat partes materiæ, & ideo partitionem, & diuiſibilitatem, & ſine qua materia eſt impartibilis, & indiuiſibilis; atqui materia ſpiritualis nequit habere quantitatem molis; quia quantitas molis eſt paſſio materiæ corporalis; corpus enim eſt moles extenſa ſecundùm trinam dimenſionem; ergo omnes Angeli eſſent vnum indiuiſibile numero.

52 Dices illam partitionem fieri per quantitatē virtutis, quæ competit materię ſpirituali.

Sed contra eſt; nam quantitas virtutis non habet dare ſubiecto partes, ſecundùm quas fiat realiter diuiſibile; aliter quilibet Angelus eſſet realiter diuiſibilis in ſe ipſo in plures partes reales; & ſic nulla eſſet ratio, cur non eſſet extenſiuè circumſcriptiuè in loco; ſic enim vna pars Angeli locati correſponderet parti loci, & totus Angelus toti loco; quod eſt locari circumſcriptiuè; ergo quantitas virtutis non ſufficit ad diuiſionē realem materiæ ſpiritualis. *Vid.vbiſ.*

53 Prob.2. Vel illa materia ſpiritualis eſſet pura potentia receptiua formæ ſubſtantialis; vel non? Si primum; ergo non haberet, per quid diſtingueretur à materia phyſica; quæ eſt pura potentia receptiua formæ tum corporalis, tum ſpiritualis; vt patet de anima rationali; etenim quia materia Leonis ſecundùm ſuam entitatem præciſè accepta eſt pura potentia paſſiua receptiua formæ ſubſtantialis, non differt ſpecie à materia ho-

hominis, quia hæc pariter eſt potentia paſſiua, receptiua formæ ſubſtantialis; quamuis illa ſit receptiua formæ corporalis, hæc formæ ſpiritualis; vtraque tamen materia corporalis eſt; ergo materia Angelorum nō eſſet ſpiritualis, ſed corporalis, quod nec *iſti Auctores* admittunt. Si ſecundum; ergo illa materia non eſſet materia; quia materia eſſentialiter eſt pura potentia paſſiua, receptiua formæ ſubſtantialis, & ſic non haberet niſi nomen materiæ merè arbitrariò impoſitum; de quo non eſt curandum; nomina enim ſic poſſunt imponi quibuſcunque rebus.

54 Conf. 1. Vel materia v.g. Angeli *Gabrielis* ſecundùm ſe accepta eſſet indifferens, & determinabilis per quancunque formam Angelicā; ſicut dicitur de materia cuiuſcunque corporis ſublunaris; vel ex ſe eſſet determinata ſtātùm ad formam *Gabrielis*? Si primum, ergo poſſet transmutari ad formam cuiuſcunque alterius Angeli ſaltem virtute Diuina, quæ non agit per qualitates contrarias; nam in tantùm poteſt Deus in quancunque materiam inducere quanlibet formam; quia quæcunque materia eſt indifferens, determinabilis, & capax recipere quancunque formam. Si ſecundum; ergo non eſſet materia ſecundùm rem, ſed ſolùm ſecundùm nomen merè arbitrarium; nam nomine materiæ intelligitur ſubiectum indifferens, & determinabile per formam iuxta communem acceptionem.

55 Conf. 2. In potentia paſſiua ſecundùm ſe accepta nulla poteſt eſſe diſtinctio, aut diuerſitas; quia *omnis diſtinctio eſt per actū*; diſtinctio enim eſt quędam determinatio rei; *actus autem eſt, qui determinat*; ſed illa materia ſpiritualis deberet eſſe potentia paſſiua; aliter non eſſet materia; hoc enim intelligitur nomine materiæ; ergo non haberet in ſe ipſa nudè accepta, per quod diſtingueretur à materia corporali, quæ pariter eſt potentia paſſiua; nam per hoc, quòd recipiat formam ſpiritualem, non extraheretur à genere materiæ corporalis; quia materia phyſica recipit animam rationalem, quæ eſt ſpiritualis, & tamen non extrahitur à ratione materiæ phyſicæ; ergo eſſet, & non eſſet materia ſpiritualis.

56 Prob. 2. *ex noſtro Argent.* Si Angelus eſſet compoſitus ex materia, & forma; vel illa forma eſſet ſeparabilis ab illa materia: vel non eſſet ſeparabilis? Si primum; ergo Angelus eſſet mortalis; quia mors nihil aliud eſt, quàm ſeparatio formæ viuentis à materia. Si ſecūdum; ergo forma Angeli eſſet imperfectior anima rationali; nam forma inſeparabilis à materia eſt imperfectior forma ſeparabili; quia forma inſeparabilis magis dependet à materia, quàm forma ſeparabilis, vt patet de forma materiali, vtrunque conſequens eſt abſurdum, & cōtra communem omnium conceptionem, quia omnes fatentur Angelos eſſe immortales, & perfectiores homine; ergo in Angelis non eſt materia ſpiritualis.

57 Prob. 3. Intellectio Angeli eſt perfectior intellectione animæ ſeparatæ, quia creatura, quò magis appropinquat Deo, eò magis particip. de eius natura; quæ eſt ſumma intellectualitas, hinc Angelus antonomaſticè appellatur *Intelligētia*, quia perfectiùs intelligit, quā qualibet alia creatura; ſed anima ſeparata non conſtat ex materia ſpirituali; aliter in homine eſſet duplex materia; idēſt corpus phyſicum, & materia ſpiritualis, ex qua conſtaret anima, quod eſt inauditum; tum quia ſi anima ſeparata conſtaret ex materia ſpirituali, & forma, quæri poſſet de illa forma, ex qua conſtaret anima, an conſtaret ex materia, & forma, & ſic in infinitum; quòd ſi illa non conſtaret ex materia, & forma, nulla eſſet ratio, ob quā anima rationalis deberet conſtare ex materia, & & forma; tum quia materia animæ ſeparatæ ſimul cum ſua forma, cùm vnitur corpori, informaret corpus, quia anima ſecūdū ſe totam informat corpus, informare autem repugnat materię; ergo multò minus Angeli conſtant ex materia, & forma, quia perfectior cognitio arguit immaterialiorem naturam.

58 Conf. Vel illa materia ſpiritualis eſſet perfectior, & ſuperior anima rationali, vel imperfectior, & inferior? Non primum; quia ſicuti repugnat, quòd quæcunque materia corporalis ſit perfectior, & ſuperior qualibet forma materiali; ita implicat, quòd materia ſpiritualis ſit perfectior, & ſuperior forma ſpirituali, vt eſt anima rationalis. Non ſecundum; quia materia ſpiritualis eſſet infimum in Angelo, non eſſet ſupremum in homine, ſed inferius, quod eſt *contra D.Dion.* docentem; *quòd infimum ſupremi eſt ſupremum infimi.*

59 Prob. tandem omnibus alijs rationibus, quibus probata eſt concluſio §. *præcedentis*; faciliter enim poſſunt ad hanc quoque accōmodari, quia vniuerſaliter probant de omni materia, vbi etiam ſoluuntur obiectiones, quæ fiunt contra hanc concl.

60 Colligitur ex dictis Angelum eſſe ſimplicem phyſicè, prout ſimplicitas excludit compoſitionem ex materia, & forma. An autem ſit omnino ſimplex, *videb. in ſeq. art.*

ART. III.

An Angeli includāt aliquam compoſitionem realē?

1 Ngelos non eſſe ſimpliciſſimos ita, vt nullam includant compoſitionem certū eſt *apud omnes Theologos* vno excepto *Marſ. in 2. q. 2. art. 1. concl. 1*; ſecus eis conueniret ſumma ſimplicitas, quæ cùm ſit attributum Dei, vt diximus *to. 1*; nequit in ſummo conuenire creaturæ; nā ſummum non eſt niſi in ſummo, & repugnat eſſe in inferiori, cui repugnat eſſe ſummū. Quæritur modò, quas compoſitiones includant Angeli?

2 Certum inſuper eſt in Angelis non eſſe compoſitionem ex partibus integrantibus, quæ deſumitur ſecundùm quantitatem molis; etenim

in

in Angelis non eſt quantitas molis, vt dictum eſt *ſup.*

3 Prima ſententia negat in Angelis compoſitionem ex genere, & differentia. *Ita Dur. in 2.diſt.3.q.1.*

4 Secunda ſententia vult Angelos non componi ex eſſentia,& exiſtentia, quia putat eſſentiam, & exiſtentiã in creaturis non diſtingui realiter; ad compoſitionem autem realem requiritur diſtinctio realis partium componentium. *Ita Nominal; Sua;* & *quanplures alij Neoterici* allati *to.1.de Subſt.Dei.q.2.art.3.n.1.*

5 Tertia ſententia negat compoſitionē ex natura,& ſuppoſitalitate, ſeu perſonalitate putãs ſuppoſitaliratem conſiſtere in negatione. Ita plures *Recentiores Neoterici.*

Noſtra tandem ſententia docet in Angelis eſſe compoſitionem ex genere,& differentia; ex eſſe,& eſſentia;ex natura, & perſonalitate; & ex ſubſtantia,& accidente. Ita *Fund. Doct.in 2.diſt. 3.p.1.q.1.art.1;2;3;& 4;*& quoad diſtinctionem ex genere,& differentia *in 1. diſt.8. p.2.princ.2. q.1; Argent.in 2.diſt.3.q.1.art.3; & ex alijs Thomiſtæ,& Scotiſtæ ferè omnes.*

6 Addunt *aliqui ex noſtris in M.S.* in Angelis eſſe compoſitionem ex natura, & indiuidualitate. Sed hoc eſt *cont. Fund. Doct. in 1. diſt.24. princ.1.q.2.§.Sed vnum* in fine; vbi docet indiuiſionem dicere ſolam negationem, vel priuationem;negatio autem, vel priuatio non componit cum ſubiecto, quia compoſitio eſt vnio plurium entium poſitiuorum diſtinctorum inter ſe. Cùm ergo indiuidualitas importet indiuiſionem in ſe, vt dicitur in eius definitione; ideo nullam facit compoſitionem realem, quæ eſſentialiter eſt ex rebus realiter diſtinctis vnitis inter ſe. *Vid;* quæ diximus *to.1.de Subſt.Dei q.2.art.4.§.2.n.19.*

7 Vnica concl.In Angelis datur cõpoſitio ex genere,& differentia;ex eſſentia,& exiſtentia; ex natura,& perſonalitate;& ex ſubſtantia, & accidentibus cum hoc tamen diſcrimine,quòd compoſitio ex genere,& differentia eſt virtualis;tres autem reliquæ ſunt reales.

8 Prob.1.p.concl.*ex Beatiſs.P.Aug.lib.7.de Trin.c.4;* vbi ponit Angelum ſub genere ſubſtãtiæ his verbis: *Si autem ſpeciale nomen non eſt eſſentia,*(idèſt ſubſtantia)*ſed generale,quia homo,& pecus,& ſydus,& arbor,& Angelus dicuntur eſſētia; & lib. 6. c.6.* docet, quòd licèt Angelus per comparationē ad corpus ſit ſimplex, quia excludit cõpoſitionem ex materia, & forma; attamen ſecundùm ſe non eſt ſimplex,quia mutabilis eſt. Verba eius ſunt hæc:*Creatura ſpiritalis eſt quidē in corporis comparatione ſimplicior; ſine autem cõparatione corporis multiplex etiam eſt ipſa,nõ ſimplex;nihil enim ſimplex mutabile eſt; omnis autem creatura mutabilis.* Ex his duplex ratio elicitur.

9 Prima eſt.Omne ens completum,quod ponitur in aliquo genere prædicamentali, componitur ex genere,& differentia; ſi enim ponitur in aliquo genere,debet participare illam rationem genericam; hoc nanque eſt poni in genere; & cùm ſit completum, debet habere in ſe ipſo rationem completiuam illius rationis genericæ; ratio autem completiua generis eſt differentia, vt conſtat; ſecus non eſſet ens completum; ſed Angeli ſunt entia completa; quia ſunt entia per ſe ſubſiſtentia; & ponuntur in genere ſubſtantiæ prædicamentalis;vt fatetur etiam *ipſe Dur;* ergo componuntur ex genere,& differentia;tum quia Angelus ita eſt in genere ſubſtantiæ creatæ, vt illud diuidat;ergo eſt genus ſubalternum, quod ponitur ſub genere generaliſſimo ſubſtantiæ, & per conſequens debet habere in ſe rationem genericam ſubſtantiæ, & differentiam diuiſiuam illius,ex quibus intrinſecè componitur;ergo in illo eſt compoſitio ex genere, & differentia.

10 Secunda eſt. Omnis natura dicens potẽtialitatem paſſiuam admixtam actualitati eſt cõpoſita ex genere, & differentia; ſed Angelus eſt huiuſmodi;ergo componitur ex genere, & differentia.Ma.patet;nam vt docet *Fund.Doct.hic,& Quodl.4.q.10;* ratio generis ſumitur ex potẽtialitate paſſiua,& ratio differentiæ ex actualitate; & ideo Deus, qui eſt actus puriſſimus excludens omnem potentialitatem paſſiuam,excludit quoque compoſitionem ex genere, & differentia. Prob.mi.Omne mutabile ad eſſe importat potẽtialitatem paſſiuam,per quam poteſt eſſe,& non eſſe;ſed Angelus,vtpotè creatura, eſt mutabilis; ergo importat potentialitatem paſſiuam.

11 Prob.2.pars concl.In Angelis eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur realiter; ergo Angeli componuntur realiter ex eſſentia,& exiſtentia. Ant.probatum eſt *to.1. de Subſt. Dei q:2. art.3. §.1.* Conſ.patet; quia compoſitio realis eſt vnio diſtinctorum realiter;ſed in Angelis eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur realiter, & vniuntur, cū Angelus ſit exiſtens à parte rei;non enim ſit exiſtens per exiſtentiam ab ipſo ſeparatam, ſed in ipſo intrinſecè receptam,& illi vnitam; ergo in Angelis eſt cõpoſitio realis ex eſſentia. *Vid; quæ diximus vbi ſup;* vbi ſoluimus obiectiones, quæ fiunt contra hoc, & pluribus rationibus probauimus diſtinctionem realem eſſentiæ, & exiſtentiæ in creaturis.

12 Prob.3.pars concl. In Angelis eſt vera perſonalitas vltimò complens naturam Angelicam;ſed perſonalitas eſt quid poſitiuum realiter diſtinctum à natura; ergo in Angelis eſt vera cõpoſitio realis ex natura, & perſonalitate. Prob, ma.Perſonalitas definitur *ex Boet.Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia:* Vbi *ly Rationalis* ſumitur,prout idem eſt,ac intellectualis;aliter ſi ſumeretur pro ſola differentia conſtitutiua hominis, non ſaluaretur ratio perſonæ in Diuinis, quod eſt contra Fidem. Cùm igitur Angeli ſint intellectuales,ideo ex hoc cõuenit eis ratio perſonæ.Præterea dicitur *indiuidua ſubſtantia,* idèſt incommunicabilis ſubſiſtentia, vt explicuimus

tom. 1. *vbi ſup. art.* 4. §. 2. *num.* 20; ſed Angeli ſunt ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes realiter inter ſe differentes, & diuiſæ inter ſe, ac in ſe ipſis indiuiſæ; ergo etiam ex hoc arguitur veram rationem perſonalitatis eſſe in illis. Probatur mi.quo ad 1.part; nam vt diximus *vbi ſup*; perſonalitas eſt vltimus actus vltimò complens naturam; ſed actus importat quid poſitiuum; ergo perſonalitas eſt quid poſitiuum. Tum quia ita ſe habet perſonalitas reſpectu naturæ, ſicut differentia ſpecifica reſpectu generis; ita enim perſonalitas contrahit naturam, & illam limitat ad vnum indiuiduum; ſicut differentia contrahit genus, & illud limitat ad vnam ſpeciem; ſed differentia nequit eſſe quid negatiuum; ergo neque perſonalitas. Tum quia Verbum Diuinum per ſuam perſonalitatem increatam terminauit naturam creatam; ſed hoc non potuit fieri per aliquod negatiuum; ergo perſonalitas Diuina importat aliquod poſitiuum; atq; hoc nõ habet perſonalitas Diuina, quatenus Diuina; aliter etiam innaſcibilitas, quæ eſt proprietas Patris negatiua, cũ ſit Diuina, eſſet quid poſitiuũ, quod eſt falſũ; ergo perſonalitas, vt perſonalitas eſt, importat quid poſitiuũ; & ideo perſonalitas, in quocũq; reperiatur, importat quid poſitiuũ; quia ex ſe ipſa, & ex ſuo cõceptu formali dicit quid poſitiuum; & per conſequens etiã in Angelis importat quid poſitiuum. Tum quia perſonalitas importat ſubſiſtentiam incommunicabilem; nõ enim dicit ſolam negationem incommunicabilitatis; nam etiã accidens proprium eſt incommunicabile, & tamen non eſt perſonalitas; & primò, & per ſe importat ſubſiſtentiam, & ex conſequenti negationem communicabilitatis; ſed ſubſiſtentia eſt quid poſitiuum, quia per illam conſtituitur formaliter ſubſtantia, quæ nequit conſtitui per aliquod negatiuum, aliter ſubſtãtia eſſet mera negatio; cùm *tale ſit conſtitutum, quale eſt conſtitutiuum*; tum quia ſubſiſtentia dicit eſſe in ſe, & per ſe; eſſe autem in ſe, & per ſe eſt differentia contrahens exiſtentiam, *vt ſic*; & illam diſtinguens ab exiſtentia in alio, quæ conuenit accidenti; inaleitas autem, quæ conſtituit accidens, eſt quid poſitiuum; aliter etiam accidens eſſet mera negatio, & per cõſequens omnia conſiſterent in negatiuo, quod eſt ridiculum; ſi autem inaleitas conſtitutiua accidẽtis eſt quid poſitiuum; à fortiori ſubſiſtentia, conſtitutiua ſubſtantiæ eſt quid poſitiuum; cùm ratio poſitiui magis conueniat ſubſtãtiæ, cui magis conuenit ratio entis; quia eſt ens per ſe; quã accidenti; cui minùs conuenit ratio entis, quia eſt entis ens; & licèt eſſe in alio importet ex cõſequenti negationem eſſendi in ſe; attamen principaliter importat quid poſitiuum, ſuper quod fundatur talis negatio; & per quod conſtituitur accidens; ita ſubſiſtentia, licèt ex conſequenti importet negationem dependentiæ ab alio, tanquã à ſubſtentãte, principaliter tamen importet quid poſitiuũ, per quod cõſtituitur ſubſtãtia; ergo perſonalitas importat quid poſitiuum principaliter, licèt ex conſequenti dicat negationem communicabilitatis.

13 Prob. 2.pars mi. Si perſonalitas non diſtingueretur realiter à natura, nõ potuiſſet à Verbo aſſumi natura humana abſque perſonalitate creata, cuius oppoſitum docet Fides *contra Neſtorium*; & ſic non potuiſſet Verbum aſſumere naturam Angelicam, cuius impoſſibilitatem nulla ratio cõuincit, vt fatẽtur *omnes Theologi tract. de Incarn*; nam quia animalitas, & rationalitas nõ diſtinguuntur realiter in natura humana, ideo Verbum aſſumpſit vtranq; nec vnam ſine altera potuit aſſumere; ergo perſonalitas realiter à natura ſecernitur. 2. Perſonalitas importat formaliter ſubſiſtentiam, idèſt exiſtentiam in ſe, & per ſe, vt *ſup*. dictũ eſt; ſed exiſtentia in creaturis realiter differt à natura, quia realiter differt ab eſſentia, quæ realiter identificatur cum natura; cũ natura cuiuslibet rei non ſit aliud, quàm eſſentia eiuſdem rei, prout eſt principium operandi; vt diximus *to.* 1. *de Subſt. Dei q.* 2. *art.* 6. §. 1; ergo perſonalitas realiter differt à natura. *Vid; quæ diximus vbi ſup. art.* 4. §. 2.

14 Prob. vltima pars concl: *contra nonnullos Philoſophos antiquos* relatos *à Com.* 12. *Met. c.* 25; *& Maximin.* remouentes ab Angelis omnia accidentia. In Angelis eſt intellectus, & voluntas, quæ sũt paſſiones ſubſtãtiæ Angelicæ realiter ab illa diſtinctę; imò sũt intellectiones, & volitiones actuales naturales, quæ accidunt ipſis Angelis euntibus de vna in aliam; non enim ſemper intelligunt eaſdem res, quia non ſemper reflectunt ſuper eaſdem ſpecies, vt infra *videb*; ergo in Angelis eſt compoſitio realis accidentalis; tum quia omnis creatura eſt mutabilis ſubſtantialiter, quia poteſt tranſire de non eſſe ad eſſe, & è contra; ergo multò magis accidentaliter; quapropter *Beatiſs. P.* 5. *de Trin. c.* 4. docet ſolum Deum eſſe immutabilem ſimpliciter, & ideo nullum accidens eſſe in Deo.

15 Obijc. 1. Si in Angelo eſſet duplex compoſitio realis ſubſtãtialis, idèſt ex eſſe, & eſſentia; & ex natura, ac perſonalitate, ſequeretur ſubſtãtiam Angelicam non eſſe vnum per ſe, ſed per accidens, quia cõſtitueretur ex duplici actu realiter diſtincto, ſcilicet ex exiſtentia, & perſonalitate, quæ ſunt duo actus contrahentes eſſentiam, & naturam; etenim ex pluribus entibus in actu non fit vnum per ſe, vt docet *Phil*; ſed conſequẽs eſt falſum; quia ſubſtantia definitur ens per ſe; ergo non datur hæc duplex compoſitio realis in Angelis.

Reſp. hoc arg. fuiſſe ſolutum *to.* 1. *vbi ſ. ar.* 4. *n.* 22; negatur enim ſequela; nam exiſtẽtia, & perſonalitas non ſunt duo actus realiter diſtincti, ſicut nec eſſentia, & natura realiter diſtinguuntur, ſed ſunt vnus, & idem actus cum diuerſa modificatione; perſonalitas enim importat ſubſiſtentiã cum negatione communicabilitatis; ſubſiſtentia

autem eſt modus exiſtentiæ,qui non diſtinguitur realiter ab ipſa exiſtentia.

16 Inſt. Suppoſitalitas diſtinguitur realiter à ſubſiſtentia, tanquam totum includens à parte incluſa; quia ſuppoſitalitas includit indiuidualitatem,quæ diſtinguitur realiter à ſubſiſtentia; vt dictum eſt *to.1.vbi*;ergo nulla ſolutio.

Reſp;quòd licèt ſuppoſitalitas ſic diſtinguatur à ſubſiſtentia,non tamen ſunt duo actus; ſed ſunt vnus,& idem actus exiſtentiæ,qui prout includit indiuidualitatem, dicitur perſonalitas; & prout conſideratur in ſe, & per ſe, dicitur ſubſiſtentia. Sic compoſitum phyſicum diſtinguitur realiter à forma phyſica, tanquam includens ab incluſo;quia compoſitũ includit materiam, quæ realiter diſtinguitur à forma; non tamen eſt neceſſe,quòd in compoſito dentur duo actus, quia non diſtinguitur ratione ipſius formæ;ergo licèt perſonalitas diſtinguatur realiter à ſubſiſtentia, tanquam includens ab incluſo; attamen non eſt neceſſe,quòd dentur duo actus,ſed ſufficit,quòd perſonalitas vltra actum ſubſiſtentiæ includat principium indiuiduans, per quod diſtinguitur à ſubſiſtentia.

17 Obijc. 2. Indiuidualitas contrahit ſubſiſtentiam, & tamen eſt quid negatiuum; vt diximus *to.1.de Subſt.Dei q.2.art.4.§.2.n.23*;ergo licèt perſonalitas contrahat naturam, attamen eſt quid negatiuum.

Reſp; quòd indiuidualitas poteſt ſumi dupliciter. 1.In abſtracto,prout dicit ſolam rationẽ indiuiſionis in ſe; & ſic importat ſolam negationem modificantem rem, quam indiuiduat. 2.In concreto,prout dicit ipſam rem, quæ eſt principium indiuiduans; & ſic importat etiam aliquod poſitiuum;& in hoc ſẽſu locuti ſumus *vbi*.Diſt. ergo ant. Indiuidualitas concretè ſumpta cõtrahit ſubſiſtentiam,conc;& hoc modo eſt quid negatiuum,neg;in abſtracto contrahit,tãquam modus,conc;tanquam terminus, neg;perſonalitas autem contrahit,tanquam terminus naturæ; terminus autem eſt actus; quia *actus eſt, qui determinat*.

18 Quæres, an iſtæ duæ compoſitiones diſtinguantur realiter?

Reſp. eodem modo diſtingui realiter per modum includentis,& incluſi; quia compoſitio ex natura,& ſuppoſitalitate includit compoſitionem ex eſſentia,& exiſtentia; cùm ſuppoſitalitas includat exiſtentiam,vt dictum eſt ſuperiùs;& vltra exiſtentiam includit etiam indiuidualitatem, quæ realiter diſtinguitur ab exiſten.

19 Colligitur ex dictis Angelum non eſſe ſimplicem ſecundùm quancunque rationem; quia non excludit omnem compoſitionem.

ART. IV.

An Angeli ſint naturaliter incorruptibiles?

1 NOn ſumitur *hic* corruptibilitas propriè, prout opponitur generationi; in hoc enim ſenſu certum eſt Angelos eſſe naturaliter ingenerabiles, & incorruptibiles; quia cùm careant materia phyſica, carent etiam primis quatuor qualitatibus ſenſibilibus contrarijs, quibus mediantibus fit generatio,& corruptio.Sumitur itaq;latè,prout opponitur deſitioni annihilatiuę.

2 Certum eſt 1. ſecundùm Fidem Angelos perpetuò duraturos.Eſt contra *Cardan. in lib.de Subtilit.* Eſt tamen de Fide,& habetur *in Conc. 6. Conſtantinop.art.11*;vbi definitur *Angelos,et corpora cæleſtia eſſe perpetuò duratura; & Luc. 20. Nec vltra mori poterunt,æquales enim ſunt Angelis Dei; & Matt. 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt Diabolo, et Angelis eius*. Omnes igitur Catholici fatentur Angelos nunquam fore deſtruendos.

3 Certum eſt 2.Angelos eſſe naturaliter incorruptibiles reſpectu agentis creati;quia cùm nullum agens creatum poſſit annihilare, ſicut nõ poteſt creare; ideo nequit Angelos deſtruere, qui nequeunt deſtrui niſi per annihilationem. Præterea cùm omne agens creatum ſubſtantialiter agat per motum, & tranſmutationem ſubiecti; & tranſmutatio non fiat niſi per qualitates ſenſibiles,quarum incapaces ſunt Angeli,vtpotè immateriales; manifeſtè ſequitur non poſſe Angelos deſtruere.Quæritur ergo, an ſint naturaliter incorruptibiles reſpectu Dei?

4 Certum eſt 3. Angelos à Deo poſſe annihilari;ſicut enim Deus liberè illos creauit;ita liberè illos poſſet deſtruere; cùm ſit agens reſpectu creaturarum perfectiſſimè liberum. Quæritur antè, an Angeli ita ſint annihilabiles à Deo, vt in ipſis intrinſecè ſit aliqua potentia paſſiua capax annihilationis; an verò ſint annihilabiles tantùm per potentiã Dei extrinſecam ita,vt nihil in ipſis reperiatur,quod ſit capax annihilationis?

5 Prima ſententia vult Angelos non eſſe natura ſua immortales,& incorruptibiles reſpectu potentiæ Dei; ſed tantùm eſſe immortales,& incorruptibiles gratia Dei, quæ illos conſeruat in eſſe.*Ita Alen.1.p.q.4.memb. 3;D.Bon.in 1.diſt. 8.art.2.q.2;Scot.ibid.q.5; & in 4.diſt.49.q.6; Ricard.in 1.diſt.8.art.2.q.2; Vaſq. hic q.182.c.2; Vulpes,Poncius, & Brancat.hic diſp.2. q.2. n.70*; quanuis *ipſe Maſtrius cum Fabro in 2. diſp.9.c.2.* oppoſitam teneant.

6 Addit *Gabriel 2.diſt.2.q.1. conc.6*; quòd Angeli ex ſua natura non habent, niſi quòd ſibi vendicent diuturniorem duratione, quàm quælibet alia creatura; eſſe tamen incorruptibiles, quia manutenentur à Deo,ne in nihilum refluãt.

7 Secunda ſententia aſſerit Angelos eſſe corruptibiles tantùm per potentiam Dei extrinſecam, quatenus potentia Dei non eſt alligata huic curſui rerum,quo res ſubſtentat in eſſe;poteſt enim liberè ſubtrahere ſuum concurſum, quo illas conſeruat,quo ſubtracto res abirent in nihilum; in Angelis tamen nullam eſſe potentiã ad non exiſtendum, ſed ſolùm ad exiſtendum.

Ita

Ita D.Tho.de Pot.art.3; Naz; Nauarr; Machin; Salm; Io.à S.Tho. hic diſp.20.art.4; Gonet.diſp.2. art.4;Ripa,Serra,et communiter omnes Thomiſtæ; quibus adduntur *Sua.lib.2.de Angelis c.9; Amic. diſp.3.ſect.5; Arriag. diſp.2.ſect. 4; Lez. tract.6. diſp.1.q.5; Maſtrius vbi;Faber,& alij:& ex noſtris Mag.Conſon. in M.S; Gibb.diſp.16. dub.vlt; & alij.*

8 Noſtra tamen ſententia docet,quòd quãuis Angeli ſint annihilabiles à Deo nedum per potentiam Dei extrinſeeam,ſed etiam per potẽtiam paſſiuam intrinſecam in Angelis intrinſecè exiſtentem;ſunt tamen naturaliter incorruptibiles. Duo igitur dicimus. Primum *contra Thomiſtas*; quòd ſcilicet in Angelis detur intrinſecè potentia paſſiua ad non eſſe; quod non poſſunt negare *Fund.Doct.Diſcipuli* ſine inconſequentia doctrinæ *eiuſdem*,docet enim *Theor.5; & 12.de eſſe,& eſsent;& ſæpe alibi*,quòd in qualibet creatura eſſentialiter eſt potentia ad non eſſe; aliter eſſet indeſtruibilis etiam à Deo. Secundò dicimus contra primam ſententiam;quòd ſcilicet nõ obſtante hac potentia intrinſeca ad non eſſe in Angelis intrinſecè exiſtente adhuc ſunt naturaliter indeſtruibiles;in quo conuenimus *cum Thomiſtis*;pro euius explicatione.

9 Not; quòd potentia ad non eſſe duplex eſt; alia merè paſſiuè ordinata ad non eſſe nullã habens virtutem actiuam in ſe ipſa corruptiuã, aut deſtructiuã eſſe,quod habet: alia paſſiuè quidem ordinata ad non eſſe,ſed habens in ſe ipſa virtutem actiuam corruptiuam illius eſſe, quod habet. Exemplum primæ eſt materia Cœli, quæ ſecundùm ſuum eſſentiam eſt paſſiuè ordinata ad non eſſe formæ Cœli,quia ſicuti recipit formam Cœli,ita potuiſſet illam non recipere,ſi Creatori placuiſſet aliam formam introducere in illam; materia enim quæcunque ſecundùm ſe eſt indifferens ad recipiẽdam quamlibet formam diſiunctiuè;ideo ſicuti paſſiuè eſt ordinata ad recipiendam hanc formam in particulari,ita eſt ordinata ad non eſſe illius, quia eſt ordinata ad eſſe alterius in particulari, cùm quo ſtat non eſſe formæ prioris. Nullam tamen habet virtutem actiuam corruptiuam formę,quam habet;quia non habet primas qualitates contrarias,quæ diſponũt actiuè ad formam, quam non habet; & ideo non dicitur habere appetitum,aut inclinationem ad nõ eſſe. Exemplum ſecundæ eſt materia ſublunaris; quæ eſt capax recipere aliam formam,cùm ſecũdùm ſuam eſſentiam ſit ordinata ad poſſe recipere omnem formam;& vltra hoc habet in ſe ipſa virtutes corruptiuas illius formæ, quam habet, & actiuè diſpoſitiuas ad formam, quam non habet; cùm enim illæ qualitates ſint ſymbolæ,& naturaliter connexæ cum forma, quam non habet,& contrariæ ipſi formæ, quam actu habet; ideo actiuè habent corrumpere priùs cõpoſitũ; & poſtea inducere aliam formam, per quam fit nouum compoſitum.Sicut ergo quauis in Cœlo ſit potentia purè paſſiua ad non eſſe formæ, quam actu habet;attamen dicitur naturaliter incorruptibile; quia non habet in ſe ipſo virtutes actiuè corruptiuas, & inductiuas alterius formæ; nec dicitur habere appetitum,aut inclinationem naturalem ad aliam formã;quia iſte appetitus,& inclinatio deſumitur ſolùm penes virtutes actiuas; cùm appetitus, & inclinatio ſit quidã actus; & ideo à virtute actiua tantùm deſumatur. Ità licèt in Angelis ſit potentia merè paſſiuè ordinata ad non eſſe; quia tamen in illis non eſt aliqua virtus corruptiua illius eſſe, quod habet; ideo ſũt naturaliter incorruptibiles; nec dicũtur per illam potentiam merè paſſiuam actiuè inclinare,& appetere non eſſe. *Hoc ſupp.*

10 Vnica concl. Quãuis in Angelis ſit potentia purè paſſiua ad non eſse; attamen ſũt naturaliter incorruptibiles,ſeu immortales.

Prob.1.pars concl.1. *ex Scripturis; nam 1. Tim.* 4. dicitur:*Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo*; *& ibid. c.6. Qui ſolus habet immortalitatem*; *& in epiſt. Sophronij recitata in 6. Synod. art.* 11; & approbata *art.* 13; vbi dicitur de rebus ſpiritualibus: *Nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, iuxta quod ſenſibilia defluunt, atque pertranſeunt; non tamen ſunt immortalia per naturam, neque in eſsentiam incorruptibilem tranſeunt, ſed gratiam eis largitus eſt à corruptione ea, & à morte coercentem.Et Beatiſſ.P.in addit.de Sanct.ſer.*13.*de S.Mauritio: Etenim fratres anima immortalis perhibetur,& eſt immortalis ſecundùm quendam modum ſuum*. Et paulò poſt: *Quare dixit ſecundùm quendam modum ſuum? Quoniam eſt quædam immortalitas vera,immortalitas, quæ eſt omnimoda incommutabilitas, de qua dicit Apoſt. loquens de Deo: Qui ſolus habet immortalitatem*; quod repetit paulò *inſ*; & *epiſt. 28. ad Hier*; quibus in locis probat animam,& ſi ſit immortalis,poſſe tamen occidi à Deo iuxta illud *Mat.* 10: *Nolite timere eos,qui occidunt corpus,animam autem non poſsũt occidere*; quod etiam docent *Iuſtinus Martyr, Cyrill; D.Dam. 2.de Fide c.3; Elias Creten. apud Vaſq*;& colligitur *ex Sap.*11. *Quomodò autem poſſet aliquid permanere,niſi tu voluiſſes,aut quod à te vocatum non eſset,conſeruaretur.*

11 Ex quibus ſic arguitur *cum Fund. Doct. vbiſ.* Si in creatura non eſſet potentia intrinſeca paſſiua ad non eſſe, creatura eſſet indeſtruibilis etiam à Deo;ſed conſequens eſt falſum; ergo & ant.Prob:ſeq. Si creatura non haberet potentiã paſſiuam intrinſecam ad non eſſe, creatura eſſet ſimpliciter immutabilis; nam mutabilitas creaturæ explicatur per hoc, quòd poſſit tranſire de eſſe ad non eſſe,& è cõtra; & immutabilitas Dei explicatur per hoc, quòd ſemper ſit ita, vt nequeat tranſire de eſse ad non eſse,& è contra; & ideo ſi in creatura non eſset potentia paſſiua ad non eſse,non poſset tranſire ad non eſſe;poſſe enim conſtituitur per potentiam intrinſecè exi-

exiſtentem in illo,qui denominatur potens; ſed quod eſt ſimpliciter immutabile, eſt ſimpliciter indeſtruibile,vt eſt Deus;ergo ſi in creatura non eſset potentia paſſiua ad non eſse,eſset ſimpliciter indeſtruibilis etiam à Deo.

12 Conf. Si in Angelis non eſſet intrinſecè potentia paſſiua ad recipiendum eſſe, Angeli nō poſſent à Deo produci, quia productio in eſſe ſupponit in re producibili potentiam paſſiuã ad recipiendum eſſe; ergo ſi in Angelis nō eſſet potentia paſſiua ad non eſſe Angeli; nō poſſent deſtrui à Deo.Ant.patet;in tantùm enim chimæra nequit à Deo produci;in quantùm in ipſa non eſt potentia paſſiua ad recipiēdum eſſe.Conſ.optimè infertur; ita enim ſe habet productio in ordine ad eſſe,ſicut deſtructio in ordine ad nō eſſe.

13 Prob.2.Eſſentia cuiuslibet creaturæ iuxta *Scholam Thomiſticam, & Noſtram* diſtinguitur realiter à ſua exiſtentia; quia nulla creatura eſſentialiter eſt ſuum eſſe, aliter nunquam poſſet per quancunque potentiã ſeparari à ſuo eſſe; ſicut enim eſſentia hominis, quia eſſentialiter eſt animalitas, & rationalitas, ideo per nullam potentiam poteſt ab illis ſeparari,aut ſeparatim intelligi; ſed eſſentia creaturæ eſt indifferens ad eſſe,& non eſſe;in hoc enim eſſentia creaturæ diſtinguitur ab eſſentia Dei,quæ eſt ſuum eſſe iuxta illud *Exod.2: Ego ſum,qui ſum*; & ex eo,quòd eſt indifferens ad eſſe,& non eſſe,dicitur eſſe in potentia paſſiua ad eſſe,& non eſſe; ſicut ex eo, quòd materia ſit indifferens ad eſſe ſub forma determinata, dicitur eſſe in potentia paſſiua nedum ad eſſe, ſed etiam ad non eſſe ſub hac forma; ergo eſſentia cuiuslibet creaturæ formaliter importat potentiam paſſiuam ad eſſe, & non eſſe; ſed in Angelis eſt eſſentia creata, quia ſunt creaturæ; ergo in ipſis eſt realiter potentia paſſiua ad non eſſe.

14 Conf.Si eſſentia creaturæ,quæ iuxta *Thomiſtas* eſt potentia paſſiua ad eſſe, non eſſet potentia paſſiua ad non eſſe,ſequeretur,quòd nunquam poſſet ſeparari ab eſſe,aliter ſi poſſet ſeparari,eſſet potentia ad nō eſſe; ſicut enim eſſe potentiam ad eſſe,nihil aliud importat,quàm poſſe coniungi cum eſſe, ſicut materiam eſſe potētiam ad formam nihil aliud importat, quàm materiã poſſe vniri cum forma;& materiam eſſe potentiã ad non eſſe formæ nihil aliud importat, quàm materiam poſſe ſeparari à forma; ita eſſentiam eſſe potentiam ad eſſe,nihil aliud importat, quã eſſentiam poſſe vniri,& poni ſub eſſe;& eſſentiã eſſe potentiam ad non eſſe,nihil aliud importat, quàm poſſe ſeparari à ſuo eſſe; ſed eſſentia Angelorum ita vnitur cum ſuo eſſe, vt poſſit ab illo ſeparari per potentiam Dei, aliter Angeli non poſſent à Deo annihilari; ergo eſſentia Angeli eſſentialiter importat potentiam paſſiuam ad nō eſſe;ſed in Angelis formaliter intrinſecè eſt ipſorum eſſentia; ergo in illis formaliter intrinſecè eſt potentia paſſiua ad non eſſe.

15 Ex his patet inconſequentia doctrinæ *Thomiſtarum, Aegidianorum, & illorum*, qui docent diſtinctionem realem inter eſſentiã, & exiſtentiam creatam; & eſsentiam creaturæ eſse indifferentem ad eſse,& non eſse; & poſtea *hic* dicunt in Angelis non eſse potentiam paſſiuam intrinſecam ad non eſse. *Vid;* quæ diximus *to.1. de Subſt.Dei q.2.art.3.§.1.n.3;& ſeq.*

16 Conf.magis hæc inconſequentia doctrinæ.Quando arguunt *Sua; & alij*, quòd licèt eſſentia, & exiſtentia in creaturis non diſtinguantur realiter; attamen creaturæ poſsunt deſtrui à Deo per potentiam extrinſecam ipſius Dei agētis; reſpondent *Thomiſtæ, & Noſtri*, & optimè, quòd ad deſtructionem rei nedũ requiritur potentia extrinſeca agentis, ſed etiam requiritur potentia paſſiua receptiua actionis deſtructiuæ intrinſeca ipſi rei deſtruibili;quia potentiæ actiuæ agentis debet correſpondere potentia paſſiua effectus; in tãtùm enim Angelus nequit comburi ab igne, in quantùm in Angelo non eſt potentia paſſiua receptiua actionis combuſtiuæ, quanuis in igne ſit virtus actiuè combuſtiua; ſic de materia Cœli, quæ,cùm non ſit potentia proximè receptiua caloris, nequit ab igne comburi; vnde ſi poneretur in Angelo, vel in Cœlo potētia paſſiua ad recipiendam actionem combuſtiuam; ſtatim ignis ex eo, quòd ei adhæret virtus combuſtiua,poſset Angelos,& Cœlos cōburere; ergo quãdo *hic* dicũt poſse Angelos deſtrui per ſolam potentiam extrinſecam Dei agentis abſq; eo,quòd ponatur in Angelis potentia paſsiua intrinſeca ad non eſse, ſibimetipſis contradicunt. Et hoc conuincitur manifeſtè ad deſtructionem rei non ſufficere potentiam extrinſecam agētis, ſed etiam requiri in ipſa re potentiam paſſiuam intrinſecam ad non eſse;quo magis probatur noſtra ſententia.

17 Hoc tamen diſcrimen eſt aduertendum inter actionem corruptiuam, & annihilatiuam, quòd cùm actio corruptiua ſit generatiua alterius formæ,ideo debet eſſe actio poſitiua, quia per illam ponitur noua forma; at verò actio annihilatiua,quia in nihilum redigit eſsentiam, & exiſtentiam, & nullam aliam rem ponit ſub eſse; ideo explicatur per modum negationis, ſeu per ſubtractionem influxus conſeruatiui in eſse; vnde eſsentia creaturæ,ſi annihilaretur,non diceretur recipere actionem annihilatiuam, ſed potiùs non recipere actionem conſeruatiuam ſui eſse, per quam non receptionem tranſiret ad non eſse.Debet ergo eſse in re potentia ad non recipiendam actionem cōſeruatiuam ſui eſse; & hãc vocamus potentiam paſſiuam ad non eſse, quæ non remanet,cùm ponitur ſub non eſse;ſicut nec remaneret materia, quando deſtruitur aliqua forma,niſi poneretur ſub alia.

18 Et ſic explicatur, quomodò ſolus Deus ſit immortalis, & immutabilis; cùm enim nullam potentiam paſſiuam dicat ad eſse, & non eſse; ideo

ideo eſt ipſum eſse, & puriſſimus actus, qui nullam pati poteſt mutabilitatem, aut deſitionem.

19 Prob.2.pars concl.*ex Beatiſſ.P. lib.9. de Gen.ad lit.c.17.* aſsetente. *Omnis iſte naturæ vſitatiſſimus curſus habet quaſdam naturales leges ſuas, ſecundùm quas & ſpiritus vitæ, qui creatus eſt, habet quoſdam appetitus ſuos determinatos quodammodò, quos etiam mala voluntas non poſſit excedere. Et elementa mundi huius corporei habent definitam vim, qualitatemque ſuam, quid vnunquodque valeat, vel non valeat; quid de quo fieri poſſit, vel non poſſit. Ex his veluti primordijs rerum omnia, quæ gignuntur, ſuo quoque tempore exortus, proceſſuſque ſumunt; fineſque, & deceſſiones ſui cuiuſque generis.* Ex quo ſic. Illud, quod competit rebus ſecundùm curſum vſitatum, quē Deus illis præſtitit in Mundi primordijs, illis cōpetit naturaliter; ſed incorruptibilitatem Deus dedit Angelis ſecundùm curſum vſitatum naturæ in Mundi primordijs; ergo incorruptibilitas competit Angelis naturaliter. Explicatur ma. Si illud, quod Deus dedit rebus in Mundi primordijs, nō competeret eis naturaliter, maximè, quia eſset aliquid ſecundùm ſuam entitatem vel ſimpliciter, vel modaliter ſupernaturale; vt gratia, quā dedit Angelis, & hominibus; ſed illud, quod competit rebus ſecundùm curſum vſitatum, non eſt aliquid ſecūdùm ſuam entitatem ſimpliciter, vel modaliter ſupernaturale; quia entitas ſimpliciter, vel modaliter ſupernaturalis non eſt iuxta, ſed ſupra curſum vſitatum naturæ; non enim viribus naturæ illa poteſt haberi; vt quòd *loquatur aſina*; quòd *virga arida floreat*, & cetera huiuſmodi, quæ ſunt modaliter ſupernaturalia; vt docet *Beatiſſ.P.ibid.* vel *gratia, qua ſalui fiunt peccatores*; & alia dona ſimpliciter ſupernaturalia; ergo illud, quod competit rebus ſecundùm curſum vſitatum, quem Deus illis indidit in Mundi primodijs, illis competit naturaliter. Prob.mi. Incorruptibilitas non eſt aliqua qualitas ſupernaturalis indita Angelis in Mundi primordijs; nihil enim aliud eſt, niſi perpetua duratio eſſe ipſius Angeli; & duratio eſſe non eſt niſi eſſe durans; eſſe autem eſt quid naturale eis naturaliter competens ſecundùm curſum vſitatum naturæ; & ideo etiam ipſa duratio, quæ eſt modus ipſius eſſe inditus Angelis in Mūdi primodijs, eſt naturalis; quod enim aliquod ſit modaliter ſupernaturale, prouenit ex eo, quòd talem modum non accepit in Mūdi primordijs; vt ſi Deus in principio Mundi inſtituiſſet viſionem poſſe reſtitui cæco per vires naturales; tunc viſio reſtituta cæco non eſſet ſupernaturalis ſecundùm entitatem, nec ſecundùm modum; quia ille modus competeret rebus ſecūdùm curſum, quē dediſſet Deus rebus in Mundi primordijs; ergo incorruptibilitas data eſt Angelis ſecundùm curſum vſitatum naturæ in Mundi primordijs.

20 Conf. Illud dicitur naturaliter incorruptibile, quod ex natura ſua non eſt ſuſceptiuum alicuius qualitatis contrariæ actiuè machinantis deſtructionem ſui eſſe; ſicuti illud dicitur naturaliter corruptibile, quod eſt ſuſceptiuum alicuius qualitatis contrariæ actiuè machinantis deſtructionem ſui eſſe; vt corpus cœleſte, licèt ſit materiale, attamen eſt incorruptibile, quia ex ſua natura non eſt ſuſceptiuum qualitatū contrariarū; corpus verò ſublunare eſt corruptibile, quia ſuſcipit qualitates contrarias, quæ actiuè machinantur deſtructionem ſui eſſe; ſed Angelus ex ſua natura non eſt ſuſceptiuus qualitatum contrariarum, quia Angelus eſt ſpiritualis, & qualitates contrariæ ſunt ſenſibiles; ergo Angelus eſt naturaliter incorruptibilis.

21 Explic. magis. Illud, quod per ſolum cōcurſum Dei generalem perpetuò conſeruatur, eſt naturaliter incorruptibile; corpus enim ſublunare in tantùm eſt naturaliter corruptibile; in quantùm adhuc poſito concurſu Dei naturali, qui generaliter ſuſtentat omnes res, corrumpitur à qualitatibus deſtructiuis; ſed Angelus poſito ſolo concurſu Dei generali perpetuò conſeruatur; quia in illo intelligi nequit aliqua qualitas actiuè corruptiua ſui eſſe; ergo Angelus eſt naturaliter incorruptibilis.

22 Tum quia in tantùm corpus ſublunare dicitur naturaliter corruptibile, in quantùm naturaliter appetit eſſe ſub alia forma, quam non habet, nec poteſt habere, niſi prior corrumpatur; ſed eſſentia Angeli *Gabrielis* v.g. non appetit eſſe ſub exiſtentia, vel perſonalitate *Michaelis*; hoc enim eſt imperceptibile, imò impoſſibile; ergo eſsētia *Gabrielis* nō eſt naturaliter corruptibilis.

23 Præterea in tantùm corruptio eſt naturalis corporibus ſublunaribus, in quantùm naturaliter appetunt eſſe ſub non eſſe formæ, quam habent; & in tantùm naturaliter appetunt eſſe ſub non eſſe formæ, quam habent; in quantùm appetunt eſſe ſub forma, quam non habent; denique in tantùm appetunt eſse ſub forma, quam non habent; quia illam poſsunt habere ex vi diſpoſitionum naturalium; nam ſi illam non poſsēt habere ex vi diſpoſitionum naturalium, illā non appeterēt; nō enim datur appetitus naturalis ad aliquod naturaliter impoſſibile; ſed nō eſse Angeli non eſt poſſibile naturaliter; quia Angelus nequit deſinere eſse, niſi per annihilationem; annihilatio autem non eſt naturalis; quia eſſet præter ordinem, curſumque naturæ; tum quia creatio Angeli non eſt poſſibilis naturaliter ex vi alicuius virtutis naturalis, quia hæc repugnat creaturæ; & ideo etiam eius annihilatio non eſt poſſibilis ratione alicuius virtutis exiſtētis in creatura; eiuſdem enim eſt creare, cuius eſt annihilare; ergo Angelus nō eſt naturaliter corruptibilis.

24 Tandē in tantùm Angelus eſset naturaliter corruptibilis, in quantùm in ipſo eſset aliqua vis naturalis potēs ipſum redigere in nihil; vt ſuperiùs dictum eſt; ſed implicat aliqua vis creata redigens in nihil aliquam rem; ſicuti im-

pli-

plicat aliqua vis creata agens ex nihilo;eiuſdem enim eſt agere ex nihilo, cuius eſt redigere in nihilum;ſicuti eiuſdem eſt agere ex potentia ſubiecti præſuppoſiti, cuius eſt reducere in potentiam ſubiecti permanentis; ergo implicat Angelum eſſe naturaliter corruptibilem.Prob.ma. In tantùm corpus ſublunare eſt naturaliter corruptibile,in quantùm in ipſo eſt vis naturalis actiua potens in non eſſe formæ; quæ vis naturalis eſt qualitas contraria illi formæ, quam habet; & vtpotè contraria,illā expellit;*generationes* enim, *& corruptiones fiunt à contrarijs in contraria*; vt communiter dicitur;quod falſum eſſet, ſi in eo, quod corrumpitur,non eſſet vis naturalis actiua illud corrumpens; propter quod Cœlum eſt incorruptibile,quia in illo non ſunt qualitates cōtrariæ actiuæ corrumpentes ſubiectum, in quo ſunt; ergo in tantùm Angelus eſſet naturaliter corruptibilis; in quantùm in ipſo eſſet vis actiua naturalis potens ipſum in nihilum redigere. Mi. probata eſt *q. 2. de Creat.art.3*. Additur, quòd nobis non innoteſcit eſſe aliquam qualitatem corruptiuā,niſi quatuor primas qualitates;quæ, cùm ſint ſenſibiles,in Angelis eſſe non poſſunt.

25 Obijc.1.Plures *SS. PP.* docent Angelos eſſe immortales ex gratia Dei, non ex natura ſua,vt videri poſſūt apud *Vaſq*;ergo Angeli naturaliter ſunt corruptibiles. 2. Si Angeli eſſent naturaliter incorruptibiles,ſequeretur,quòd paterentur violentiam poſito, quòd Deus eos annihilaret; nam annihilatio eſſet contra eorū naturam; ſed nulla creatura poteſt pati violentiam à Deo; ergo Angelus non eſt naturaliter incorruptibilis. 3. Quælibet creatura non minùs dicit potentiam ad eſſe,quàm ad non eſſe;ita enim eſt obiectum omni potentiæ Dei, vt poſſit ab illa produci,& non produci,quæ potentia, & ſi vocetur potentia obiectiua logica, attamen eſt intrinſeca creaturæ; ergo ſicut quælibet creatura, prout dicit potētiam ad eſſe, eſt naturaliter producibilis; ita prout dicit potentiam ad non eſſe, eſt naturaliter corruptibilis.

Reſp.ad 1. *SS.PP.* ſumere ex gratia, prout idē eſt,ac ex dono creationis,vt loquitur *Beatiſs. P. epiſt.* 105 *ad Sixt*;non enim Angeli nō habeāt immortalitatem à ſe,ſed à Deo,à quo pariter habent eſſe,ideo illam habent ex gratia, ſeu ex dono,cùm donum ſit illud, quod pendet ex mera voluntate alterius.Ad 2.neg.ma;& ad eius prob. dicitur, quòd natura creaturæ ſecundùm ſe eſt indifferens ad eſſe,& non eſſe, & ideo ſi annihilaretur,annihilatio non eſſet contra eius naturā. Ad 3. neg. conſilicèt enim in Angelis ſit potentia ad non eſſe,attamē hoc non ſufficit,vt dicatur naturaliter corruptibilis;ſed requiritur, quòd in ipſo ſit aliqua vis contraria eius naturæ actiuè ipſam corrumpens,vt ſupra dictum eſt. Neque valet paritas de productione,quia productio dicitur naturalis,cùm ſit ſecundùm ordinem naturæ,quem Deus dedit rebus; at verò annihilatio non eſſet naturalis, quia non eſſet ſecūdùm curſum naturæ; non tamen eſſet ſupernaturalis, vt dicūt *Recentiores*,ſed eſſet præternaturalis, quia eſſet præter,non ſupra ordinem naturæ.

26 Obijc.2. Angelus hodie exiſtens nō petit naturaliter durationem craſtinam; quia vel peteret illā potentia actiua;& hoc non;aliter cōſeruaret ſe ipſum;vel potentia paſſiua;& hoc pariter eſt falſum;aliter hodie reciperet durationē craſtinam; quod implicat; ergo non inclinat naturaliter ad ſui conſeruationem.

Reſp. etiam conceſſo Angelum non inclinare naturaliter ad ſui conſeruationem, adhuc non ſequi eſſe naturaliter corruptibilem; nam ad hoc requiritur vis intrinſeca naturalis potens deſtruere Angelum, vt ſupra dictum eſt. Ad arg.tamen neg.ant; nam omnis res naturaliter appetit ſui conſeruationem; & talis inclinatio non eſt aliqua actio productiua conſeruationis,aut paſſio receptiua eiuſdem,ſed potiùs quędam naturalis exigentia indita rebus ab Auctore naturæ.

27 Obijc.3.Angeli non exiſtunt neceſſariò, ſed contingenter ex libera Dei voluntate; ergo ſolùm ex gratia Dei perpetuantur in eſſe; nam perpetuari in eſſe eſt continuò produci; ſed producuntur ex mera gratia Dei;ergo ex mera gratia Dei perpetuantur. 2.Si eſſent naturaliter immortales,ſequeretur, quòd concurſus Dei perpetuatiuus illorum eſſet illis naturaliter debitus; ſed hoc eſt falſum;quia nihil debetur naturaliter creaturæ; quæ omnia merè gratuitò recipit à Deo;ergo non ſunt naturalitèr immortales.

Reſp.diſt.ant.Non exiſtunt neceſſariò ſimpliciter, conc; ex ſuppoſitione, quòd fuerint à Deo producti ſine aliqua vi corruptiua illis intrinſeca,neg.Et ſic ad 2.Eſſet illis naturaliter debitus ſimpliciter,neg;quia abſolutè poſſet Deus illos non conſeruare; ex ſuppoſitione, quòd à Deo ſic fuerint producti ſecundùm talem legem naturæ;quàm ſtatuit Deus,vt nunquam deſtruerentur, conc. Nihil autem debetur naturaliter creaturæ ſimpliciter; debetur tamen creaturæ naturaliter, quòd habeat has, vel illas proprietates ſuppoſito, quòd Deus illā decreuerit creare; vt homini debetur naturaliter riſibilitas &c; ſuppoſito,quòd Deus illum decreuerit creare.

28 Obijc.4.In ente defectibili materiali datur intrinſecè potentia defectibilitatis; ergo in ente defectibili ſpirituali debet dari potentia defectibilitatis; ſed Angeli ſunt eſſentialiter defectibiles,quia ſunt contingentes,finiti,& limitati, ac dependentes à Deo in eſſe, & conſeruari; ergo in ipſis debet intrinſecè dari potentia defectibilitatis. 2.Si in Angelo non eſſet potentia ad deficere, ſed ex ſua natura eſſent indefectibiles, nō poſſet Deus illos annihilare;ſicut enim Deus non poteſt producere illud,quod ex ſua natura non eſt producibile; ita non poteſt annihilare illud, quod ex ſua natura non eſt annihilabile;

ſed

ſed conſeqnens eſt falſum;ergo & ant. 3. Quod conſeruatur ab aliquo agente extrinſeco, eſt defectibile ex ſua natura; nam quod ex ſe eſt indefectibile, non indiget conſeruari, vt eſt Deus; ſed Angeli indigent conſeruari à Deo; ergo ex ſua natura ſunt defectibiles.

Reſp.ad 1.diſt.conſ. In ente defectibili ſpirituali debet dari potentia merè paſſiua defectibilitatis; & hæc ſufficit ad denominandum illud ens naturaliter defectibile,neg; & non ſufficit, vt dictum eſt, conc;& ſic ad mi. ſubſumpt. dicitur; quòd Angeli ſunt eſſentialiter defectibiles merè paſſiuè,non actiuè. Ad 2.neg. ſeq; & ad prob.infert.dicitur,quòd naturaliter ſumitur dupliciter, ſcilicet eſſentialiter,& non eſſentialiter;vt homo eſſentialiter eſt rationalis naturaliter; & naturaliter,non tamen eſſentialiter,ridet.Igitur diſt.Illud,quod non eſt naturaliter eſſentialiter producibile, nequit à Deo produci,conc; illud, quod non eſt producibile naturaliter,non eſſentialiter, neg;nam gratia non eſt producibilis naturaliter, & tamen quia eſsētialiter eſt producibilis à Deo, producitur. Sic Angeli licèt ſint naturaliter indefectibiles,quia tamen eſſentialiter poſſunt deficere,ideo à Deo poſſunt annihilari. Ad 3. diſt. ma. eodem modo. Quod conſeruatur ab aliquo agente, eſt defectibile ex ſua natura eſſentialiter merè paſſiuè,conc;& ideo indiget conſeruari.Eſt defectibile actiuè ratione ſui, ſiue ratione alicuius virtutis corruptiuæ exiſtentis in ipſo,neg.Licèt autem Angelus ſit indefectibilis naturaliter, quia non eſt in ipſo virtus corruptiua ſui eſſe;attamen quia producitur à Deo, ideo ab illo indiget conſeruari,conſeruatio enim eſt continuata productio.

29 Obijc.cont.1.p.concl.Nulla potentia eſt directè ad non eſſe,ſed tantùm indirectè, quatenus ordinatur ad aliquod eſſe, cum quo coniungitur non eſſe alterius;vt v.g.materia directè reſpiciens formam ignis indirectè reſpicit non eſſe ligni,quod coniungitur cum eſſe ignis; ſed potētia paſſiua vnius Angeli nequit directè reſpicere eſſe alterius Angeli, quia nequit tranſmutari in alium Angelum; ergo in ipſo non eſt potentia paſſiua ad non eſse.

Reſp.diſt.ma.Nulla potentia eſt directè ad non eſse ſecundùm curſum vſitatum naturæ,cōc; ſecundùm alium ordinem, quem Deus potuiſset indere rebus,neg;nam ſi voluiſset, potuiſset facere, quòd materia, quando corrumpitur vna forma,abiret in nihilum; & ſic illius potentia directè terminaretur ad non eſse.

30 Colligitur ex dictis Angelos eſse immutabiles naturaliter,non eſsentialiter ſecundùm eſse ſubſtantiale; eſse tamen mutabiles accidentaliter naturaliter, idèſt ſecundùm accidentia; quia modò habent aliquam cognitionem,& volitionem naturalem; modò non habent; modò ſunt in hoc loco,modò non ſunt; modò *hic* operantur,& modò non;vt *inf.*videbimus.

ART. V.

An Angeli ſint, vel poſſint eſse plures ſpecie?

1 Certum eſt Angelos multiplicari; nam in eodem ordine, & hierarchia eſse plures Angelos Fides docet. Difficultas igitur eſt,quomodò multiplicentur; an ſcilicet ſecundū ſpeciem ita,vt tot ſint ſpecies Angelorum, quot ſunt Angeli,vel ſolùm ſecundùm numerum ita, vt in vna ſpecie infima reperiantur vel plures, vel omnes Angeli? Et hoc an de facto, vel de poſſibili.

2 *Orig. lib.de principijs* videtur voluiſse nedum Angelos omnes, ſed etiam animas rationales eſse eiuſdem ſpeciei cum Angelis;nam vt refert *Beatiſſ.P.lib.11.de Ciu.Dei c.22*;putauit omnes ſubſtantias ſpirituales à Deo factas fuiſse in Cœlo extra corpus; vbi per aliquod tempus vixerunt;& earum aliquas peccando pro diuerſitate peccatorum in diuerſa corpora quaſi ad diuerſos carceres alligatas in pœnam fuiſse detruſas;in quibus per aliquod tempus bene viuendo quaſi pœnitentia expiatas à carceribus corporū diſsolui,& ad ſuam ſpiritualitatem reaſsumi.Sed contra Fidem hæc opinio eſt; nam vt dictum eſt ſuperiùs,Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis per ſe completa omnino incorporea nedum,quia non componitur intrinſecè ex forma,& materia corporali; ſicuti non componitur anima rationalis; ſed etiam quia non miſcetur corpori tanqnam forma illius;ſicut miſcetur anima; vt docet *Conc. Lat.*Et ratio quoque huius ſententiæ falſitatem conuincit;anima enim rationalis,& Angelus differunt,quòd illa eſt actus materiæ,iſte autem nō; ergo illa conſtituit tanquam pars ſimul cum materia aliquod compoſitum materiale;ille autem eſt ſuppoſitum omnino immateriale; ſed materiale, & immateriale differunt genere; ergo & conſtitutiua compoſiti materialis, & immaterialis genericè differre neceſse eſt; quia quælibet pars reducitur ad ſuum totum,non quidem directè;nam pars nequit in recto prædicari de toto; & ideo non valet: ***Anima rationalis eſt quid corporale,aut materiale***; ſed indirectè,& obliquè; & ideo dicitur,quòd anima rationalis eſt actus corporis,ſeu materiæ phyſicæ organicæ;ergo Angelus,& anima differunt genere;& à fortiori ſpecificè.*Vid.Fund.Doct. hic diſt.3.p.1. art.5.* Omiſso igitur hoc errore.

3 Prima ſententia vult Angelos de facto eſse eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Diximus *ſpecialiſſimæ*; quia de ſpecie ſubalterna nullum eſt dubium; omnes enim Angelos poni in ſpecie ſubſtantiæ ſpiritualis intellectualis, quæ ponitur ſub genere generaliſſimo ſubſtantiæ tanquam membrum diuidens, nullus negat. Hæc igitur ſententia vult eſse eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Sed diuiſa eſt; nam ***aliqui*** volunt omnes Angelos cuiuſcunque ordinis, & hierarchiæ eſse eiuſdem ſpeciei infimæ. Tribuitur *Albert. Magn; D.Bon; Marſi*

*Marſ;& Guil.Pariſ.*Eam ſequitur *Maſtrius* tanquam probabiliorem *hic q.1.art.2.n.16;*& *Vaſq.* illam tribuit *noſtro Argent*;ſed de more;quia *loc. cit.à Vaſq.* nõ agit *Argent.*de diſtinctione, ſed de numero Angelorum; ceterùm *in eadem q. art.2. concl.2.* aſserit: *Dico, quòd quanuis dubium ſit ad vtranque partem; credo tamen probabilius eſse tenendum, quòd nunc de facto omnes Angeli differant.Alÿ* verò volunt Angelos diuerſorum ordinum, & hierarchiarum diſtingui ſpecie; illos verò, qui ſunt eiuſdem ordinis, vel hierarchiæ,diſtingui ſolo numero. Tribuitur *Alen. 2.p. q.20. membr.6.art.1; & 2; Gabr. in 2. Sent. diſt.3. q.1. art.2.concl.2;& 3;Dion.Carth.q.3;Scot;Dur;Mol; Peſant,Ferrar; Fauent; Greg. de Val; Sua; Auerſ; Abul.q.19.in c.21.Num;& alÿ.*

4 Altera ſententia docet probabilius eſse omnes Angelos de facto differre ſpecie. Sed hęc quoque diuiſa eſt; nam *aliqui* volunt deduci *ex Scripturis* ita, vt oppoſita ſententia ſit pluſquam falſa,& temeraria. *Ita Zum; & quidam alÿ. Alÿ* verò ita de facto differre ſpecie, vt repugnet de poſſibili. *Ita ferè omnes Thomiſtæ recentes*;exceptis ijs,de quibus *inf. Alÿ* volunt *ex Scripturis* nihil certi deduci; omnia enim, quæ *in Scripturis* habentur,explicari poſsunt de officiorum diuerſitate,quę habent Angeli;& gradus diuerſos eorum eſse diuerſa munera,quibus fungũtur; ſicut plures homines numero *in Aula Principis* dicũtur dignitatum,officiorumque gradibus diſcreti, quatenus vnus habet munus magis propinquum Principi,alter minùs propinquum,& alter remotius;ſic enim conſtituũtur gradus munerũ,& officiorũ, quorũ vnũ eſt altius alio,vnde *ex Scripturis* nõ concluditur efficaciter intentũ; attamen ita de facto differre ſpecie, vt tamen de poſſibili poſſint ſolo numero differre. Ita *Fund.Doct. hic diſt.3.p.1.q.2.art.3; Argent,Capr,Ban,Zum;Ripa; & alÿ quanplurimi;pro cuius declarat.*

5 Not.*cum Fund.Doct. Quodl.2. q.7;* quòd indiuidualitas formæ ſeparatæ à materia nequit ſumi,niſi ab exiſtentia,quæ eſt actus determinans eſsentiam; nam in forma ſeparata non reperitur niſi eſsentia,& exiſtentia; loquendo de prædicatis ſubſtantialibus; exiſtentiam autem rei eſse partialem, & inadæquatam ſuæ eſsentiæ, poteſt prouenire ex duobus.1.Quia ipſa forma acquirit exiſtẽtiam in ſubiecto non habente capacitatem ad recipiendam exiſtentiam adæquatam, cuius naturaliter eſt capax illa eſſentia; *quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur*; vnde cũ aliquod ſubiectum non poteſt recipere tantam exiſtentiam, quantam poteſt ſuſcipere forma, Ideo illa forma non recipit exiſtentiam ſibi adæquatam; v. g. albedo in pariete non recipit niſi eſse parietis,non autem eſse lactis, cycni,& eſse omnium aliorum alborum,quod poteſt terminare albedinem;non enim paries eſt ſuſceptiuus eſſe ſubſtantialis lactis,cycni &c;vt patet; ideo albedo in pariete non recipit eſse ſibi adæquatũ, à quo poteſt determinari;& per conſequẽs multiplicatur numero in diuerſis ſubiectis,in quibus inadæquatè, & veluti partialiter reperitur. Quòd ſi in vno ſubiecto terminaretur adæquatè, & reciperet totum eſſe, quod naturaliter poteſt habere; non poſſet naturaliter multiplicari; quia naturaliter non eſſet capax alterius eſſe extra illud ſubiectum. 2.Quia Deus poteſt pro ſua libertate illi formæ non tribuere totum eſſe, cuius naturaliter eſt capax; v.g. poterat Deus non tribuere materiæ Solis totum eſſe, cuius eſt capax materia Solis;& ſic multiplicare numero Soles; totum enim illud eſſe à Deo liberè Soli tributum eſt,& ideo poterat Deus non totum liberè tribuere; aliter ſuppoſito, quòd Deus decreuiſſet dare eſſe Soli,non tribuiſſet liberè totum eſſe,ſed neceſſariò;nulla autem apparet ratio huius neceſſitatis; Deus enim, qui tribuit tantum eſſe huic terrę,poterat procul dubio tribuiſſe minus;& ſic de reliquis.

6 Dices 1. Anima ſeparata, & accidẽtia Euchariſtica non habent totum eſſe, quod poſſunt habere;ergo falſa hæc doctrina.

Reſp. *Fund.Doct.* neg.conſ;nam anima ſeparata, & accidentia Euchariſtica conſeruant illud eſſe,quod acquiſierunt in ſubiecto,quod eſt eſſe inadæquatum. At verò ſi fuiſſent creata extra ſubiectum,& ſine ordine ad illud, naturaliter exegiſſent ſuum eſſe adæquatum.

7 Dices 2. *cum Scoto*. Eſſe indiuiduale, quod poteſt recipere forma,eſt infinitum; eſt enim infinitè multiplicabile in infinitis indiuiduis; ſed implicat infinitum in actu;ergo implicat formam ſeparatam habere actu totum ſuum eſſe adæquatum.

Reſp. *Fund.Doct.* neg.ma; nam forma eſt finita,quia componitur ex genere, & differentia, quæ ſunt termini definientes rem; & ideo forma non eſt naturaliter capax recipere eſſe infinitũ, ſed finitum. Ex eo autem,quòd eſſe indiuiduale ſit multiplicabile in infinitum,nõ arguitur,quòd ſit categorematicè, ſed tantùm ſincategorematicè infinitum; quatenus illud eſse poteſt à Deo diuidi in infinitum;& per illud in infinitum diuiſum multiplicare formas in indiuiduis in infinitum,non tamen actu infinitis. Sicut licèt Sol conſtet ex tota ſua materia, quæ profectò finita, & limitata eſt;aliter non poſſet tota menſurari, aut videri;cuius contrarium experimur;attamen non ſequitur, quòd non ſint à Deo producibiles infiniti Soles;quia poteſt Deus infinitè diuidere materiã Solis;& illam extendere,vel per productionem nouæ quantitatis, vel per maiorem extenſionem illius,quam de facto habet;& ſic per illas partes inadæquatas materiæ Solis multiplicare formam illius in infinitum;ſic philoſophandum eſt de eſse formæ ſeparatæ.

8 Inſt. *Maſtr. vbi ſ. n.12.* Quotieſcunque aliqua perfectio eſt tota ſimul in actu,& æquiualet infinitis perfectionibus in potentia,neceſſariò eſt in-

infinita categorematicè. 2. Ex ſimultate plurium, & plurium perfectionum in infinitum arguitur infinitas virtutis intellectiuæ; etianſi illæ plures intellectiones ſint eiuſdem rationis; ergo à pari. 3. Partes continui, quæ dicuntur infinitæ, ſunt inæquales; & ideo minores, & minores in infinitum; atque adeo non efficiunt extenſionem infinitam; ſed ſingulæ indiuiduationes addunt ſpeciei perfectionem determinatam, & æqualem; vt patet in hominibus; ergo conſtituerent infinitam perfectionem.

Reſp. ad 1. diſt. Quotieſcunque aliqua perfectio tota ſimul eſt in actu per actualem continentiam perfectionum, quibus æquiualet; vt eſt eſse Dei; quod quia actualiter continet eſse omnium creaturarum, quibus æquiualet, eſt infinitum, conc; per continentiam potentialem, vt sũt partes proportionales in continuo, neg; ſic enim cõtinuum eſset categorematicè infinitum, quod eſt falſum *ſecundùm omnes*. Ad 2. diſt. 1. pars ant. Arguitur infinitas categorematica virtutis intellectiuæ, neg; ſic enim intellectus creatus eſset categorematicè infinitus. Infinitas ſincategorematica, conc. *Vid. to. 1. de Infin. Dei art. 2. §. 2.* Ad 3. dicitur, quòd ſicut Deus poteſt extendere partes minimas, vel producendo nouam quantitatem, vel antiquam augendo; & ſic minimas reddere æquales maximis; ſi enim Deus poteſt extendere materiam, quæ ſecundùm ſe præciſa quantitate eſt indiuiſibilis, producendo in materia quantitatem; multò magis poteſt extendere illas partes minimas, quæ ſunt diuiſibiles; magis enim capax eſt extenſionis diuiſibile, quàm indiuiſibile; quia minùs opponitur; & tamen per hoc non argueretur continuum, prout continet illas partes in potentia, eſse infinitum; ita per quantitatem virtutis poteſt reddere ęquales partes potentiales alicuius eſse ſpecifici abſque eo, quòd eſse ſpecificum ſit infinitum. *His not.*

9 Vnica concl. Quanuis nihil certi *ex Scripturis Diuinis, & SS. PP.* poſſimus circa præsẽtem difficultatem eruere; attamen valde probabile eſt omnes Angelos de facto differre ſpecie; & de poſſibili ſolo numero potuiſse differre.

Prob. 1. pars *ex Beatiſſ. P. in Enchir. c. 58.* docente: *Quomodò autem ſe habeat beatiſſima illa, & ſuperna ſocietas; quæ ibi ſint differentiæ perſonarum; vt cùm omnes tanquam generali nomine Angeli nũcupentur, ſicut in Epiſt. ad Hebr. legimus: Cui enim Angelorum Deus aliquando dixit: Sede à dextris meis; hoc quippe modo ſignificauit omnes vniuerſaliter Angelos dici; ſint tamen & illic Archãgeli; & vtrum ijdem Archãgeli nominẽtur virtutes; atque ita dictum ſit: Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes; ac ſi diceretur: Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Arcangeli. Et quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus vniuerſam illam cæleſtem ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus dicẽdo: Siue Sedes, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue poteſtates; dicant, qui poſſunt; ſi tamen poſſunt probare, quod dicunt. Egò me iſta ignorare confiteor.* Et lib. cont. Priſcillianiſt. c. 11. ait: *Certè ait Apoſt. Siue Sedes, ſiue Dominationes, ſiue Poteſtates. Et eſſe itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in cæleſtibus apparatibus firmiſſimè credo; & differre inter ſe aliquid indubitata Fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas eſse Doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio?* Et mox. *Et ideo puto Spiritu Dei per Auctores noſtros, Scriptores ſanctorum eloquiorum non plenè expoſita, ſed raptim tacta, atque præſcripta; vt ſicubi fortè tali, quales nos ſumus, per altiorem reuelationem aliquid huiuſmodi fuerit demonſtratum; non ſe inferiores fuiſse credat eos, per quos nobis Canonicarum Scripturarum Sancta præconia miniſtrata ſunt. Quantùm enim cunque ſciendo profecerit, infra illas literas ſe inueniet, quas Deus tanquam Firmamentum ſupra omnia humana corda conſtituit.* Ex quibus ſic. Quotieſcunque concluſio Theologica nequit deduci *ex Diuinis Scripturis*, aut ex aliqua propoſitione nobis nota per ſenſus, nequit haberi certitudo illius; ſed differentia ſpecifica, vel numerica Angelorum nequit deduci *ex Scripturis*, aut ex aliqua propoſitione nobis nota per ſenſus; ergo non habetur certitudo illius. Ma. patet; nam in rebus Theologicis non poſsumus procedere niſi ex auctoritate *Diuinarum Scripturarum* præciſè, vel coniunctim cum aliqua propoſitione naturali nobis nota per ſenſus. Mi. etiam conſtat; nam ſi ex aliquo *textu* poſset deduci, maximè ex illo *Coloſs. 1. Siue Sedes &c*; hoc autem, vt dictum eſt, rectè poteſt intelligi de diuerſitate munerum, & officiorum, quibus funguntur Angeli, in vna, & eadem ſocietate ſpecifica, vt patet in ſocietate humana, in qua plura, & diuerſa conſpiciuntur officia, dignitates, & gradus; ideo nequit aliquid certi deduci; nec per ſenſum poteſt aliquid inueſtigari, cùm Angeli, vtpotè incorporei, non ſint per ſenſum directè cognoſcibiles, ſed tantùm indirectè, & merè probabiliter; tum quia quanuis ex ſenſibilibus poſsemus aliquid inueſtigare; attamen non haberetur certitudo Theologica, de qua hic loquimur, quia hæc tranſcendit omnia corda humana; vt ait *Beatiſſ. P.*; cùm procedat ex reuelatione Diuina.

10. Prob. 2. pars concl. *ex Fund. Doct.* Illud probabilius dicimus in rebus Theologicis, quod conformius ad rationem naturalem arguimus; ſed Angelos de facto differre ſpecie eſt conformius ad rationem naturalem; ergo probabilius eſt omnes Angelos differre ſpecie. Ma. patet, quia ratio naturalis non opponitur, ſed conformatur Fidei. Prob. mi. Forma naturalis, quę nõ acquirit eſse in materia, vel in aliquo ſubiecto ge-

rente vicem materiæ, ſed extra materiam, & ſubiectum, habet totum ſuum eſſe, cuius naturaliter eſt capax , niſi illud eſſe limitetur ab agente extrinſeco , vt ſupra dictum eſt; ſed Angeli ſunt formæ naturales per ſe exiſtentes ſeparatę à materia non acquirentes eſſe in ſubiecto,& ſecundũ curſum naturæ non limitátur à Deo in eſſe,quia eorum natura ſecundùm naturalem exigentiam, ſecundùm quam habetur curſus naturæ ,*exigit totum ſuum eſſe ſpecificum , cùm ſit naturaliter capax illius,vt patet de Sole; ergo cõformiùs ad rationẽ naturalẽ Angeli de facto differũt ſpecie .

11 Conf. Si Angeli de facto ſolo numero different, poſſemus illud arguere vel ex ipſis naturis,ſeu formis Angelorum ; vel ex aliquo conſequente ad naturas,ſeu formas? Non primum; quia ex naturis,ſeu formis non arguitur , niſi diſtinctio ſpecifica; nam differre per naturam, ſeu per formam idem eſt, ac differre ſpecie. Non ſecundum; quia illud conſequens ad formam , vel eſſet exiſtentia, vel aliqua proprietas ipſius formæ;ſed neutrum dici poteſt quia exiſtentia in formis ſeparatis eis naturaliter conformatur, & adæquatur; cùm forma ſit naturaliter capax ſuæ exiſtentiæ totalis, vt patet de Sole habente totũ ſuum eſſe ſpecificum;proprietates autem formarum conſtat diuerſificari ſolùm ex diuerſitate ipſarum formarum,à quibus oriuntur;& ideo ex illis nequit colligi,niſi diſtinctio ſpecifica ; ergo nequit naturaliter argui , quòd Angeli differant ſolum numero .

12 Prob.2.*ex eod.*In ſubſtantijs perfectioribus ponendus eſt ſolus ordo perfectior; quò enim perfectior eſt res ordinata,eò perfectior eſt ordo illius,aliter ordo non congrueret rebus ordinatis;ſed Angeli ſunt ſubſtantiæ perfectiores , quia ſunt in genere ſubſtantiæ purè ſpiritualis , quod eſt perfectius genere ſubſtantiæ materialis ſenſitiuæ,vel vegetatiuæ; ergo in Angelis eſt ponendus ordo perfectior;atqui ordo perfectior inter ſubſtantias eſt ille,qui deſumitur penes differentias ſpecificas,quia talis ordo eſt per ſe; nã inter indiuidua eiuſdem ſpeciei eſt ordo per accidẽs,vt diximus *to.1.de Subſt.Dei q.1.art.7.n.3*; ergo in Angelis de facto eſt differentia ſpecifica.

13 Conf.ex *D.Dion. de Cæl. Hier. c.10*; vbi poſtquam diſtinxit Angelos in tres hierarchias , vt obſeruat *Fund. Doct*, diuidit omnem hierarchiam in primam,mediam , & extremam ; & poſtea ſingulam ſic diſtributam, quæ idẽ eſt , ac ordo,diſtinguit in plures inter ſe diſcretas,ex quarum diſcretione pulchritudo conuenientiæ conſurgit his verbis: *Denique hierarchiam omnem cernimus in primas, & medias, extremaſque virtutes diſtributam ; imò & ipſas quoque ſingulas , vt propriè dixerim,diſtinctiones ita diſcreuit , vt in eiſdem conuenientia pulchritudo ſeruetur* . Legunt autem *alij Harmonia* pro *conuenientia* ; ſed pulchritudo harmonica , ſeu conuenientia vniuerſalis cõſurgit ex diuerſitate ſpecifica; harmonia enim conſtat ex numeris ſonoris ſpecie diuerſis,vt tripla, quinta, octaua &c; quia numeri vniſoni harmoniam non faciunt , vt docet *Beatiſſ.P.in lib.de Muſica; & pulchritudo Vniuerſi nõ coaleſcit, niſi ex diuerſitate ſpecierũ,ſicut pulchritudo corporis ex diuerſitate membrorum*,vt docet *Fund.Doct.de Reg. Principum*. Vnde licèt oculus ſit pars nobilior corporis; attamen ſi totum corpus eſſet oculus non eſſet ita pulchrum , & vagum,ſicuti ex eo,quòd conſtet ex diuerſitate ſpecifica membrorum; ergo in Angelis de facto datur diſtinctio ſpecifica.

14 Prob.3.*ex eodem* . In genere ſubſtantiæ corporeæ illa corpora quæ ſunt perfectiora , ſibi vindicant totam perfectionẽ ſuæ ſpeciei, & ideo differunt ſpecie ab alijs corporibus , & ſolo numero non multiplicantur,vt patet de Sole; ergo in genere ſubſtantiæ incorporeæ ſubſtantiæ perfectiores ſibi vendicant totam perfectionem ſuæ ſpeciei, & ideo non differunt numero , ſed ſpecie . Atqui Angeli ſunt ſubſtantiæ perfectiores in genere ſubſtantiæ incorporeæ ; nam anima rationalis in illo genere tenet infimum locum , cũ attingat corpus,cuius eſt actus;ergo Angeli vindicant ſibi totam perfectionem ſuæ ſpeciei, & ideo differunt ſpecie .

15 Conf.In tantùm multiplicantur indiuidua ſpecierum creatarum, in quantùm natura debet prouidere conſeruationi ſpecierum; quotieſcunque enim in vnico indiuiduo ſpecies nõ poteſt conſeruari , tunc neceſſariò ponenda eſt multiplicatio indiuiduorum, ex quorum ſucceſſione conſeruetur natura; ſed in vno Angelo tota ſpecies poteſt ſeruari ; quia in tantùm in vno homine , vel in alia re materiali nequit conſeruari natura ſpecifica; in quantùm omnis res materialis eſt corruptibilis;& ideo corrupto illo indiuiduo corrumperetur natura , ſi in illo tantùm reperiretur; Angelus autem eſt incorruptibilis, vt ſupra dictum eſt;ergo Angeli non multiplicantur numero . Ma. poteſt probari ex his , quæ videmus in rerum natura; nam corpora cœleſtia non multiplicantur numero , quia ſunt incorruptibilia;& ideo eorum naturæ conſeruantur in vno indiuiduo; ſublunaria verò,quia corrumpũtur,numero multiplicantur,ne eorum natura penitus intereat,ſic enim deſtrueretur perfectio eſſentialis totius Vniuerſi,quæ ex vnione omnium naturarum coexiſtentium componitur.

16 Prob.3.pars concl.1.In tantùm *per Thomiſtas* nequeunt Angeli diuinitus multiplicari in eadem ſpecie infima ; in quantùm carent materia;ſed hæc ratio nulla eſt; ergo nulla eorum ſent. Prob. mi. Quotieſcunque datur aliquod gerens vicem alterius , tunc poteſt haberi effectus formalis illius,vt patet de ſpecie ; quæ quia gerit vicem obiecti in intellectu, ideo præſtat illud,quod præſtaret ipſum obiectum ; ſed in Angelis eſt eſſe,quod trahitur ad modum materiæ , & ideo gerit vicem materiæ;nam ſicut materia par-

partitur in varias, eaſque maiores, vel minores portiones;ita eſſe partitur à Deo creaturis, quæ magis,vel minùs habent de eſſe;nulla enim creatura eſt omne eſſe;hoc nanq;ſoli Deo conuenit, cui conuenit omnis perfectio, quæ ſumitur ab omni eſſe; & ideo creatura habet eſſe particulare; etenim inter omne, quod eſt vniuerſale, & particulare nihil mediat;particulare autem idem eſt,ac particulam, ſeu partem habens; ergo ſicut corporalia poſſunt numero multiplicari,quia habent materiã,quæ diuiditur in partes;ita Angeli poſſunt diuinitus ſolo numero multiplicari,quia habent eſſe, quod ad modum materiæ diuiditur in partes.

17 Conſ. Poteſt Deus non tribuere totum eſſe naturæ Angelicæ;ergo in illo caſu illa natura eſſet adhuc terminabilis per aliud eſſe;ſed tũc non multiplicaretur ſpecie;implicat enim eandẽ ſpeciem infimam multiplicari in plures ſpecies; aliter non eſſet infima,ſed ſubalterna; ergo multiplicaretur ſolo numero. Prob. ant. Potuit Deus v.g. *pigmæo* tribuere magis de eſſe materiali, quã de facto tribuit; & ſic de alijs quibuſcunque rebus materialibus; ergo à pari de rebus ſpiritualibus;nam eſſe ſecundùm ſuum conceptum formalem non conſiſtit in indiuiſibili;aliter cuicunque participatur eſſe,participaretur totum eſſe, quod eſt manifeſtè falſum; ergo poteſt ſuſcipere diuiſionem; & ſicut in rebus materialibus diuiditur molariter ratione quantitatis molis; ita in ſpiritualibus diuiditur ratione quantitatis perfectionis,ſeu virtutis. Tũ quia creatura quò eſt perfectior, eò magis habet de actu; quia magis appropinquat Deo, qui eſt actus puriſſimus; ergo magis habet de eſſe,quod importat actum;& per quod magis appropinquat Deo, qui eſt puriſſimum,& omne eſſe; ergo à diuerſis creaturis eſſe participatur inæqualiter ſecundùm maius,& minus;& ideo Deus poteſt de facto partiri illud eſſe, quod habet natura illius Angeli; & diuerſis illis particulis terminare illam naturam; ex quo haberetur multiplicatio numerica in eadem ſpecie infima.

18. Dices. Licèt eſſe ſuſcipiat maius,& minus reſpectu diuerſarum naturarum; attamen ex hoc non ſequitur eſſe vnius,& eiuſdem naturæ poſſe diuidi in partes, & illas terminare eandem naturam illam multiplicando.

Reſp. ex eo,quòd eſſe ſecũdùm ſe acceptũ poſſit ſuſcipere maius, & minus reſpectu diuerſarum naturarum,optimè inferri ſuſcipere etiam reſpectu eiuſdem naturæ; quia quod ſecundùm ſe formaliter eſt tale; ideo reſpectu cuiuſcunque eſt tale; hinc quia materia quanta eſt formaliter diuiſibilis;ideo reſpectu cuiuſcunque formæ ſiue ſpecificè,ſiue numericè diuerſæ eſt diuiſibilis;ergo ſi eſſe ſecundùm ſe eſt diuiſibile (ſecus non ſuſciperet maius,& minus) nedum eſt diuiſibile reſpectu formarum ſpecie differentium; ſed etiã reſpectu eiuſdem formæ ſpecie immultiplicabilis. Tum quia ſi eſſe non eſſet diuiſibile reſpectu eiuſdem ſpeciei infimæ,maximè,quia illa ſpecies eſſentialiter exigeret totum ſuũ eſſe; ſed hoc eſt falſum;quia eſſe accidentaliter, non eſſentialiter conuenit creaturis; aliter creaturæ neceſſariò exiſterent; quia illud conuenit neceſſariò, quod conuenit eſſentialiter;illud autem, quod conuenit accidentaliter,poteſt ſimpliciter non participari ab illo; ergo ſi habeat ſecundùm ſe latitudinem,poteſt participari ſecundùm quid;eſſe enim caloris,quia habet latitudinem graduum, & accidentaliter competit ligno, ideo poteſt participari à ligno ſecundùm quid,idèſt ſecundùm vnũ gradum ſui eſſe, & non ſecundùm omnem; ergo ſi eſſe conuenit eſſentiæ Angelorum accidentaliter;& aliunde ſecundùm ſe habet gradus, poterit ab eadem natura ſecundùm quid,& diminutè participari. Tum quia ita ſe habet eſſentia rei ſpiritualis ad eſſe ſpirituale;ſicut eſſentia rei materialis ad eſſe materiale; nam eſſentia cuiuſque creaturæ eodem modo ordinatur ad ſuam propriam exiſtentiam ordinatione eſſentiali; nec talis ordinatio poteſt inuerti;aliter non eſſet eſſentialis;quia eſſentialia ſunt immutabilia;ſed eſſentia rei materialis poteſt ſuſcipere maius, vel minus eſſe materiale; quia poteſt diuidi numero; ergo & eſſentia rei ſpiritualis; aliter ſi eſſentia rei ſpiritualis diceret ordinationem eſſentialem ad ſuum eſſe totale;non eſſet ratio,cur eſſentia rei materialis illam non diceret;ſi eſſentia,vt eſſentia eſt,illam diceret; quòd ſi illam non dicit, vt eſſentia,iam illam dicit accidentaliter,non eſſentialiter;ergo à pari.

19 Prob. 2. Quanuis in rebus corporeis ratio generis ſumatur à materia, & ratio differentiæ à forma; attamen in rebus incorporeis datur genus diuiſibile per ſuas differentias,quanuis in illis non ſit materia; ergo poterit dari ratio ſpeciei diuiſibilis per indiuidualitates; quanuis indiuidualitas in rebus corporeis ſumatur à materia. Ant. *ab Aduerſarijs* admittitur. Prob. conſ. In tantùm in Angelis admittitur ratio generis diuiſibilis per plures differentias ei inadæquatas; in quantùm in ratione vniuerſali eſt potẽtialitas paſſiua contrahibilis, & determinabilis per differentias; quæ potentialitas paſſiua tenet locum materiæ; propterea dicitur, quòd etiam Angeli habent ſuum *hyleachim*, idèſt materialitatem; *hyle* enim ſignificat materiam *apud Latinos*; ſed etiã in ratione ſpecifica eſt potentialitas paſſiua contrahibilis, & determinabilis per indiuidualitates ei inadæquatas;nam in tantùm ratio generica eſt potentialis, in quantùm non eſt actus purus; & ideo habet aliquid potentialitatis admixtum;nõ minùs autem ratio ſpecifica nõ eſt actus purus, & ideo importat potẽtialitatem; quapropter Deus propter ſuam actualitatem puriſſimam non admittit rationem generis, aut ſpeciei; ergo ſicut genus ratione ſuæ potentialitatis paſſiuæ tenentis locum materiæ eſt contrahibile,& determina-

bile per plures differentias inadæquatas; ita ſpecies ratione ſuæ potentialitatis poterit diuidi in plures indiuidualitates, ſeu ſuppoſitalitates inadæquatas.

20 Conf. Maior eſt diuiſibilitas generis in ſpecies, quàm ſpeciei in indiuidua; quia illa eſt maior diuiſibilitas, qua aliqua magis differunt; quàm illa, qua minùs differunt; ſicut autem ea, quæ differunt genere, vt canis, & planta, magis differunt, quàm ea, quæ differunt ſpecie, vt canis, & Leo; ita ea, quæ differunt ſpecie, vt homo, & equus, magis differunt, quàm ea, quæ differunt numero, vt *Petrus, & Paulus*; vnde quò altior, & generalior, eò maior eſt differentia; ſed in Angelis ratione potentialitatis paſſiuæ locum tenentis materię etiam ſine materia datur diuiſibilitas generis in ſpecies; etenim hoc nomē *Angelus* eſt genus ad omnes Angelos; vt docet *Beatiſs. P. vbiſ*; ergo ratione eiuſdem potētialitatis paſſiuæ etiam ſine materia datur diuiſibilitas ſpeciei in indiuidua; atqui prima diuiſio datur de facto; ergo ſecunda dari poteſt ſaltem de poſſibili.

21 Explicatur magis. Diuiſio generis in ſpecies nedum importat diuiſionem ipſius generis, ſed etiam diuiſionem ipſarum ſpecierum per indiuidua; diuiſio autem ſpeciei in indiuidua importat ſolam diuiſionem ſpeciei; ergo diuiſio generis in ſpecies eſt maior diuiſione ſpeciei in indiuidua, quia per illa plura diſtinguuntur ſaltē radicaliter, quàm per iſtam; ſed illa nō repugnat naturæ Angelicæ propter potentialitatem paſſiuam; ergo multò minùs iſta iuxta illud principiū: *De quo maius dicitur & minus*, quod eſt locus à fortiori.

22 Præterea materia non diuiditur niſi ratione quantitatis, diuiſibilitas enim eſt ſaltem paſſio quantitatis, cuius eſt extendere in partes; & ideo reddere totum diuiſibile; ſed in eſſe Angelico eſt quantitas virtutis; & quantitas virtutis habet præſtare eoſdem effectus, quos præſtat quantitas molis; ſicut calor virtualis præſtat eūdem effectum, quem præſtat calor formalis; ergo ratione quantitatis virtutis natura Angelica eſt diuiſibilis ſolo numero; ſicut enim ratione quantitatis molis natura animalis nedum diuiditur phyſicè in ſpecies, & in indiuidua, quia omnis diuiſio phyſica, & materialis eſt per quantitatem molis, quæ ſequitur materiam; ita per quantitatē virtutis natura Angelica non ſolùm diuiditur in ſpecies, ſed etiam diuidi poteſt in indiuidua.

23 Tandem probari ſolet. Natura Angelica habet rationem ſpeciei, quæ eſt ſecundum Prædicabile *Logicum*; vt docent *plures Thomiſtæ*; ſed ſecundum Prædicabile definitur, quod eſt prædicabile de pluribus differentibus numero; ergo natura Angelica eſt eſſentialiter prædicabilis de pluribus differentibus numero; quia quod eſt tale ſecundùm definitionem, eſt tale eſſentialiter, cùm definitio ſit eſſentia ipſius rei; ſed non eſt prædicabilis de pluribus, niſi quia vel reperitur, vel poteſt reperiri in pluribus à parte rei diſtinctis; ergo licèt natura Angelica de facto non ſit in pluribus indiuiduis diuiſa, attamen poteſt in illis ſic eſſe.

24 Dices *cum Gonet ex Caiet.* quòd vniuerſale aliud eſt ſecūdùm rem, & intellectum ſimul; aliud ſecundùm intellectum tātùm, quatenus intellectus apprehendit in natura præcisè rationē conſtituentis eſſentialiter; quanuis enim illa natura habeat duo munera inadæquata, ſcilicet cōſtituendi eſſentialiter, & reddendi rem incōmunicabilem inferioribus; attamen concepta præciſiuè, vt habet rationem conſtituendi præcisè, habet rationem ſpeciei; etſi ſecundùm aliam rationem ſit incommunicabilis ſimpliciter.

Sed contra eſt; nam vel illa duo munera inadæquata diſtinguuntur virtualiter, & cū fundamento in re ita, vt munus conſtituentis ſecundùm ſe aptum ſit eſſe in multis; & hoc ſufficit ad hoc, vt de facto poſſit eſſe in multis actualiter; animalitas enim, & rationalitas diſtinguuntur virtualiter; & quia animalitas ſecundùm ſe præcisè accepta apta eſt eſſe in multis, ideo de facto eſt in multis, & prædicatur de illis. Vel non diſtinguuntur cum fundamento, & ei ſecundùm ſe acceptæ repugnat eſſe in multis; & ſic ei repugnat eſſe ſpecies vniuerſalis, quia ei repugnat definitio ſpeciei; tum quia ſi ratio ſpeciei non importaret diſtinctionem cum fundamēto rationis vniuerſalis à ratione indiuiduali, ſpecies poſſet conuenire eſſentiæ Diuinæ, vt aſſerunt *Nominales*, qui dicūt totam diſtinctionem ſe tenere merè extrinſecè per ordinem ad creaturas. Nec valet, quod ſubdit *ibid. Gonet*, Diuinam eſſentiam non habere rationem ſpeciei, quia in ipſa non eſt compoſitio ex genere, & differentia, cùm ſit actus purus. Nam contra eſt; quia licèt non eſſet ibi ſpecies quātùm ad id, quod materialiter importat, ſcilicet quantùm ad genus, quod ſolùm materialiter dicit; attamen ibi eſſet ratio formalis ſpeciei; quia ibi eſſet ratio vniuerſalis prædicabilis de pluribus indiuidualitatibus, quam formaliter ſecundùm ſuam definitionem importat ſpecies; ergo ibi eſſet ſpecies formaliter. Tū quia diſtinctio ſine fundamento non officit rationi actus puri; & ſi ſaluaretur ratio ſpeciei abſque diſtinctione cum fundamento, ſaluaretur quoque ratio actus puri; imò ſi ſaluaretur ratio veræ ſpeciei ſine diſtinctione cum fundamento, poſſet pariter ſaluari ratio generis propter eandem rationem; & per conſequens compoſitio ex genere, & differentia ſine fundamento in re; ſic enim illam ponunt *Nominales* in Deo.

25 Rationes *Scoti* omittūtur; patiūtur enim plures difficultates, quibus reſpondendo nimis in longum protraheretur *Articulus*.

26 Aduertendum tamen *Fūd. Doct.* hanc 3. part. concl. probare *Quodl. 2. q. 7*; vt explicet articulum *Pariſien*; in quo *Stephanus* Epiſcop. nomine Vniuerſitatis damnauit hanc propoſitionē:

Non

Digitized by Google

Non poteſt Deus multiplicare indiuidua ſub vna ſpecie ſine materia. Quæ cenſura reuocata eſt, vt teſtatur *Gonet*. Hanc tamen ſententiam non tanquam omnino certam approbare; vt loquitur *Beatiſſ.P*; ait enim in fine quæſtionis: *Hanc autẽ euaſionem non omnino approbamus; quia non eſt omnino clarum, quomodò Angelus poſſit habere eſſe perfectum, & diminutum modo, quo dictum eſt. Dicimus ergo eſſe poſſibile, quod articulus dicit; modum tamen poſſibilem datum magis poſuimus ad exercitandum legentium mentes, quàm ad id, quod dictum ẽſt, pertinaciter aſſerendum*.

27 Obijc.1.cont.2.p.concl. *Beatiſs. P. Aug. in Enchir.c.28.* ait naturam Angelicam non eſſe reparatam, quia non cecidit tota, ſicut humana; ſed ſi Angeli differrent ſpecie, plures totæ naturæ cecidiſſent; ergo non differunt ſpecie. 2. *D.Baſil.lib.3.cont.Eunom.* in principio ait: *Omnes Angeli, ſicut appellationem vnam, ſic etiam naturam omnino eandem habent*; ſed ſi differrent ſpecie, non haberent naturã omnino eandem; tum quia intẽdit probare Diuinas perſonas, etſi habeant ordinem inter ſe, attamen ſunt eiuſdem naturæ exẽplo Angelorum; qui licèt dignitate ſint diuerſi, attamen ſunt eiuſdem naturæ; nihil autem probaret, ſi ſpecie differrent, quia differrent naturas ergo Angeli non differunt ſpecie; quod repetit *Conc.Flor.ſeſſ.20.3. D.Athan.lib. qq. ad Antioch. q.4.* loquens de Angelis ait: *Vna, & eadem eſt eſſentia; ſicut vna tantùm eſt eſſentia hominum*. 4. *D.Anſ.lib.2.Cur Deus homo c.21.* oſtendens, cur vnus Angelus non potuit ſaluari per alium Angelum; ſicut omnes homines redempti ſunt per vnum hominem ait: *Quanuis omnes ſunt vnius naturæ, non ſunt eiuſdem generis, ſicut homines*. 5. *D.Dam.lib.primar.Inſtitut.c.7.* ait: *Intelligendum eſt ea, quæ ſola indiuidua continent, ſpecies infimas vocari, cuiuſmodi eſt Angelus, homo, & equus*. 6. *D.Greg.Niſſ.De Opific.hominis c.17. Licèt in Angelis non ſit propagatio, nihilominùs ad infinita prope millia ſic eſſe diffuſos, vt & vna numero, & multi eſſe numero poſſint*. 7. *D. Dion. de cæl. Hier. c. 6.* ait primam hierarchiam eſſe per omnia æqualem.

Reſp.*Fund.Doct.ad* 1. *Beatiſſ. P.* loqui de totalitate in ordine ad gloriam; à qua omnes homines, non omnes Angeli exciderant; non de totalitate in ôrdine ad naturam ſpecificè ſumptam; bene tamen genericè. Ad *D.Baſil.* loqui de identitate naturæ Angelicæ communiter ſumptæ in ordine ad vnam, & eandem gloriam acquirendã; in quo ſenſu dicit naturam hominum, & Angelorum eſſe vnam; ſubdit enim *ibid. Nam ſtella differt à ſtella in gloria, natura verò omnium ſtellarum eſt vna. Et multæ manſiones ſunt apud Patrem, hoc eſt dignitatum differentiæ; natura verò glorificatorum vna.* Et deinde: *Cùm enim duæ res dicantur Deitas, & creatura; Dominium, & ſeruitus, potentia ſanctificans, & quæ ſanctificatur; potentia ex natura habens virtutem, & quæ ex propoſito eam acquirit, in qua parte ſpiritum locabimus?* Tandem concludit: *Sic etiam ſanctæ poteſtates, ac virtutes ex ſocietate ad eum, qui natura ſãctus eſt, per totam ſuam ſubſtantiam progreſſam iam, & cognatam ſanctificationem habent. Verùm diuerſitas à Spiritu S. hæc ipſis eſt, quòd huic quidẽ natura eſt ſanctificatio ipſa; illis verò ex participatione contingit, vt ſanctificentur.* Ex quibus patet ipſum loqui de vnitate naturæ in ordine ad vnã, & eandem gloriam participandam; quæ vnitas eſt vnitas ſocietatis, vt *ibid.* non ſemel loquitur; non autem de vnitate ſpecifica; quia vna eſt ſocietas Angelorum, & hominum Sanctorum iuxta illud *Io.10. Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*; & tamen homines, & Angeli differunt ſpecie. Probat ergo Spiritum Sanctum eſſe Deum, etſi ordine ſequatur à Patre, & Filio; ſicut Angelus inferior non eſt extra naturam Angeli, licèt ſit inferior dignitate; & rationem affert; quia Spiritus Sanctus ſimul cum Patre, & Filio ſanctificat; & ideo vnus Deus eſt cũ Patre, & Filio; cùm creatura non ſanctificet, ſed per vnam gloriam ſanctificetur. Ad *D.Athan.* dicitur, quòd nihil aliud intendit, quàm Angelos eſſe vnius naturæ intellectualis capacis boni, & mali; nam *q.3.* ait: *Dæmonem non differre ab Angelo eſſentia, ſed voluntate*; & licèt eos comparet ad vnitatem naturæ humanæ, quæ eſt vna ſpecie; omnis tamen comparatio aliquam ſimilitudinem, & multas diſſimilitudines ſecum differt. Similitudo ergo conſiſtit in hoc; quòd ſicut homines alij damnantur, & alij ſaluantur; & tamen omnes ſunt capaces beatitudinis; ita dicẽdum de Angelis. Ad *D.Anſ.* dicitur nihil aliud velle, quàm Angelos non eſſe genitos ex vno Angelo, ſicut homines ex vno homine; nam homines eſſe eiuſdem generis cũ brutis nihil ad rem concluderet; ſunt ergo eiuſdem generis, quia ex vno generãtur. Ad *D.Dam.* dicit *noſter Argent.* loqui differendo; nam *lib.2.de Fide c. 2.* fatetur modum diſtinctionis Angelorũ ſe penitus ignorare; ait enim: *Siue æquales ſint Angeli ſecundùm ſpeciem, ſiue differẽtes, neſcimus, Deus ſcit.* Quòd repetit *c.3.* Ad *D.Niſs.* infinita, idèſt ferè innumera millia Angelorum eſſe vna numero; quia aliquo numero, licèt magno poſſunt numerari; & eſſe multa numero; quia multis numeris poſſunt numerari; vnde *ly numero* ſumitur Aritmeticè, non Logicè. Ad *D.Dion.* dicitur loqui de æqualitate dignitatis, & officij; non autem naturæ ſpecificæ.

28 Obijc.2. Quæ habent eandem perfectionem, ſunt idem ſpecie; ſed Angeli habent eandẽ perfectionem, ſcilicet gratiam, & gloriam; ergo ſunt idem ſpecie. 2. Quæ magis appropinquant Deo, ſũt magis vnũ, quia Deus eſt maximè vnus; ſed natura Angelica magis appropinquat Deo; ergo eſt magis vna; maior autem vnitas eſt vnitas ſpecifica. 3. Omnes animę rationales ſunt vnũ ſpecie; ergo & Angeli. 4. Diuerſitas ſpecifica Angelorum colligi non poteſt ex eorum proprieta-

ti-

tibus,quæ nobis non innoteſcunt;ergo gratis aſſeritur. 5.Ad perfectionem,& ſocietatem iucundã pertinet habere ſocios eiuſdem ſpeciei ſimiles in natura; ſed Angelorum eſt perfecta,& iucunda ſocietas;ergo conueniunt in ſpecie.

Reſp.ad 1.nimis probare;probat enim Angelos,& homines eſſe idem ſpecie.Diſt.ergo ma. *cum Fund.Doct.* Eandem perfectionem naturalẽ conſequẽtem ad naturam ſpecificam athomam, conc; ſed neg. mi. Eandem perfectionem cõmunem, neg. Ad 2.dicitur, quòd animalia, vtpotè magis perfecta, magis appropinquant Deo, quã elementa,& tamen illa ſunt plura ſpecie.Diſt.ergo ma.*cum Fund.Doct.ad 6.* Sunt magis vna, ſi ſumantur ſpecificè athomè,conc;& ſic ſupremus Angelus eſt magis vnus;quia in illo nec eſt differentia ſecundùm ſpeciem, nec ſecundùm numerum;ſi ſumantur genericè, neg;vt dictum eſt de animalibus.Ad 3.neg.conſ.*cum Fund.Doct.ad* 2. nam animæ tenent infimum gradum in genere intellectuali;& ideo conſtituunt vnam ſpeciem infimam;Angeli verò tenent gradum ſuperiorẽ, & ideo non conſtituunt ſpeciem infimam. Ad 4. neg.conſ.nam licèt non colligatur ex proprietatibus, colligitur tamen ex rationibus à priori ſuperiùs allatis.Ad 5.neg.ma. *cum Fũd.Doct.ad* 5; nam ſi homo poſſet intueri ſuum Angelum, magis gauderet de eius ſocietate, quàm alterius hominis,quia vtilior eſſet ei ſocietas illius.

29 Obijc.3. Quamuis ordo per ſe in vno genere ſit perfectior ordine per accidens; attamen multiplicatio indiuiduorũ poteſt excedere multiplicationem ſpecierum; quia duo Seraphim ſunt quid magis perfectũ, quàm vnus Seraphim, & alter Cherubim;ergo ex perfectione Vniuerſi colligitur diſtinctio numerica Angelorũ. 2.Perfectio Vniuerſi exigit, quòd vna perfectio reperiatur in pluribus numero diſtinctis;quia ex plurium varietate conſurgit. 3. Ad ornatum Aulæ Principis pertinet,vt multiplicentur perſonæ cũ æqualitate. 4. Sedes Angelorum reparantur per homines prædeſtinatos; ſed plures ſunt homines prædeſtinati æquales in gratia,& gloria;vt patet de pueris decedentibus cũ baptiſmo;ergo ęqualem gloriam habebunt, quam habuiſſent Angeli,ſi manſiſſent; ſed Angelis fuiſſet collata gratia iuxta proportionem perfectionis naturalis;ergo illi Angeli habuiſſent æqualem gloriã, & æqualem naturam.

Reſp.ad 1.neg.ant.Ad prob.inſert.diſt.Duo Seraphim ſunt quid magis perfectum quoad numerum materialiter ſumptum,conc;quoad ordinem,neg.Vel dicitur,quod duo Seraphim haberent eſſe diminutum, & imperfectum; vnus autẽ Seraphim, & alter Cherubim haberent eſſe perfectum,& adæquatum ſuæ ſpeciei,vt dictum eſt; *perfectio* autem *ſumitur ab eſse*; & ideo illi eſſent minùs perfecti, quàm iſti. Ad 2. neg. aſſumpt; nam perfectio Vniuerſi exigit, quòd vna perfectio reperiatur in pluribus numero tantùm per accidens, quatenus illa perfectio nequit conſeruari in vno; & cõſurgit per ſe ex plurium per ſe; ex pluribus autem per accidens non cõſurgit niſi per accidens.Ad 3.diſt.Cum æqualitate officiorum,ac dignitatum,tranſeat; naturarum, neg. Ad 4. dicitur numerum Angelorum fore implẽdum per homines, quatenus tot homines ſaluabuntur,quot Angeli ceciderunt;non autem quia homines habebunt eundem gradum gloriæ,quẽ habuiſſent Angeli, ſi ſtetiſſent; quia *B.Virgo* habet maiorem gloriam, quàm quilibet Angelus.

30 Obijc.cont. 3. p. concl.1. *Ariſt.12.Met. c.8.t.49.*dicentem: *Quæcunque numero ſunt multa,ea materiam habent.*2.Si albedo eſſet ſeparata à ſubiecto, non poſſet diuidi in plures albedines numero;ſed eſſentia Angeli eſt ſeparata ab omni ſubiecto;ergo nequit numero multlplicari.3.Illi repugnat multiplicari numero, cui repugnat principium participationis inadæquatæ, & limitatæ; ſed Angeli ſunt huiuſmodi; quia eis repugnat materia, quæ eſt principiũ limitationis inadæquatæ; cùm vnunquodque limitetur per ſuũ oppoſitum;oppoſitum autem formę etiam Angelicæ eſt materia; ergo repugnat Angelos multiplicari. 4. Subſtantiæ ſimplices ſunt infinitæ ſecundùm quid;quia carent materia,quæ eſt principium limitationis;ſed infinitum nequit eſſe niſi vnum,ergo repugnat Angelos multiplicari numero. 5.Principium formale diſtinctionis numericæ nequit eſſe ipſa forma Angeli; quia forma eſt principium diſtinctionis ſpecificæ,non numericæ;neque poteſt eſſe exiſtentia, vel ſubſiſtẽtia; quia natura humana Chriſti Domini eſt indiuidualis præciſa exiſtentia,& ſubſiſtentia; ergo eſſentia Angeli nequit numero multiplicari; implicat enim rem numero multiplicari ſine principio multiplicationis numericæ.

Reſp.ad 1.*Ariſt.* loqui de multiplicatione numerica prædicamentali, quæ deſumitur à numero,qui eſt ſpecies quantitatis; vnde cùm in carentibus materia nequeat dari quantitas, quæ eſt paſſio illius;ideo nequit dari vnitas numerica prædicamentalis, quæ ſumitur ſecundùm quantitatem;& per conſequens neque multitudo numeralis, quæ conflãtur ex pluribus vnitatibus numericis,de quo *Vid.Fund.Doct.* hic *art.2. in reſol*,& quæ diximus *to.1.de Vnit. Dei art.1.n.2.* Præterea Fides Catholica nos maximè debet dirigere in cognitionem eorum, quæ poteſt Deus facere ſupra curſum naturæ; *Ariſt.* autem caruit Fide;ideo tanti habenda non eſt eius auctoritas. Ad 2.patet ex dictis *cum Fund.Doct*; quòd ſi talis albedo ſepararetur à ſubiecto, poſtquam fuit in illo, conſeruaret illud eſſe particulare acquiſitum in ſubiecto. Si autem nunquam fuiſſet in ſubiecto, tunc ſecundùm exigentiam naturalem haberet totum ſuum eſſe, nec poſſet numerus multiplicari;bene tamen præter hunc rerum ordinem. Ad 3.neg.mi; nam principium multiplicationis numericæ eſſet eſſe,quod traheretur ad

mo-

modum materiæ. Ad 4.diſt. mi. Sunt infinitæ ſecundùm quòd de facto,conc;de poſſibili,neg. Ad 5. dicitur, quid licèt in rebus materialibus exiſtentia non ſit principium multiplicationis numericæ,quia in illis eſt materia, quæ eſt ſufficiés radix partitionis; attamen in rebus immaterialibus exiſtentia poteſt eſſe principiũ,vt dictum eſt.

31 Obijc.2.*ex Gibb.* Non ſunt poſſibiles diuerſi modi participandi naturam ſpecificam Angelorum; ergo non eſt poſſibilis multiplicatio numerica Angelorum. Prob. ant. Illi modi nequeunt deſumi eo, quòd vnus Angelus participet magis ſuam naturam,quàm alter;quia eſſentiæ rerum non ſuſcipiunt magis,& minùs, cùm in indiuiſibili conſiſtant. Neque per ordinem ad diuerſa accidentia; quia indiuiduatio numerica eſt ſubſtantialis; & ideo nequit eſſe effectus formalis accidentium. Neque per ordinem ad materiam,& ſubiectum;quia Angeli ſunt formę per ſe ſubſiſtentes irreceptibiles in materia,& ſubiecto. ergo non ſunt poſſibiles diuerſi modi participandi eandem ſpecie naturam Angelicam. 2. Repugnat multiplicari indiuidua,quin multiplicentur differentiæ indiuiduales; ſed iſtæ in Angelis nequeunt multiplicari; quia nec ratione ratiocinata diſtinguuntur à natura ſpecifica;ergo repugnat multiplicari indiuidua. 3. Quod eſt eſſentialiter ſingulare,& indiuiduum, eſt eſſentialiter vnum numero; ſicut quod eſt eſſentialiter indiuiſibile in ſpecies, nequit ſpecie multiplicari,vt patet de natura humana; ſed natura Angelica athomè ſumpta eſt eſſentialiter ſingularis,& indiuidua;quia per eandem differentiam ſpecificam,per quam conſtituitur in ſpecie, indiuiduatur;ergo nequit ſolo numero multiplicari. 4. In Angelis repugnat aliqua diſtinctio,aut multiplicatio, quæ non proueniat à forma Angelica per ſe ſubſiſtẽte,& irreceptibili in materia; ſed omnis diſtinctio proueniens à forma ſpecifica nequit eſſe purè materialis,quin ſit ſimul formalis; ergo in Angelis nequit eſſe indiuiduatio purè numerica,quæ eſt purè materialis.

Reſp. hæc vel procedere ex falſo ſuppoſito,vel eſſe merè æquiuoca, ideo faciliter ſolui. Ad 1.neg. ant. Ad prob. dicitur non enumerari omnes modos participandi numericè eandem naturam;natura enim participatur numericè per ſolã partitionẽ ipſius eſſe, quod trahitur ad modum materiæ; vt *ſup.* dictum eſt;ideo neg. conſ. tanquam deducta ab inſufficienti enumeratione. Ad 2.neg.mi;falſum enim eſt differentias indiuiduales nõ diſtingui à ratione ſpecifica;ſicuti falſũ eſt differentias ſpecificas non diſtingui formaliter à ratione generica; cùm eodem modo ſe habeat differentia indiuidualis reſpectu ſpeciei; ſicut differentia ſpecifica reſpectu generis. Præterea ſi differentia indiuidualis eſſet idem virtualiter cum differentia ſpecifica; vt dicunt *Nominales*; adhuc non ſequeretur multiplicari ſpecie poſita multiplicatione numerica;quia ſaltem differrent ſecũdùm munera inadæquata;& hoc ſufficeret ad ſaluandam multiplicationem numericam ſine ſpecifica; quia ita differrent, vt haberent vnum munus multiplicandi numericè,quod eſt munus differẽtiæ indiuidualis;& aliud munus immultiplicationis ſpecificæ, quod eſt munus differẽtiæ ſpecificæ;ergo ſi haberẽt hæc duo munera,haberẽt pariter,quòd multiplicarentur numero,& non ſpecie;aliter non haberent hæc duo munera;& ſic haberent,& non haberent; ex quo magis apparet repugnãtia huius doctrinæ. Ad 3. neg.mi; natura enim Angelica, licèt de facto ſit naturaliter vna numero; attamen non eſt eſſentialiter talis, ſicut Sol licèt naturaliter de facto ſit vnus ſpecie; attamen nõ eſt eſſentialiter talis; aliter non poſſent dari plures Soles ſolo numero diſtincti. Ad 4.neg.ma; diſtinctio enim in Angelis poteſt prouenire ab eſſe,vt dictum eſt. Præterea eo modo, quo admittitur in Angelis diſtinctio materialis,quæ eſt ſimul ſpecifica,etianſi in illis non ſit materia; ita poteſt admitti diſtinctio purè materialis,quæ non ſit ſpecifica,etianſi non ſit in illis materia; non enim minùs implicat dari effectum formalem vnius cauſæ formalis ſine illa cauſa formali coniunctũ cum effectu formali alterius cauſæ formalis,quàm ſeparatum ab illa;vt non minùs implicat dari ſine albedine eſſe album in pariete ſeparatũ ab eſſe dulci; quàm implicet dari ſine albedine eſſe album in lacte coniunctum cum eſſe dulci.

32 Obijc. 3. Multiplicatio indiuiduorum non eſt per ſe intenta à natura,ſed tantùm propter conſeruationem ſpeciei;vt docet *Phil.2. de An*; atqui in Angelis conſeruatur natura ſine multiplicatione indiuiduorũ; quia ſunt immortales; ergo in illis nequit dari multiplicatio numerica præciſa à ſpecifica. 2. Forma abſtracta à materia habet totam perfectionem pertinentem ad ſuam ſpeciem; ergo nequit numero multiplicari; quia vltra totum nihil eſt;aliter totum non eſſet totum. 3. Formæ ſimplices non poſſunt non diſtingui forma; aliter ſi diſtinguerẽtur per aliud à forma,iam non eſſent formæ ſimplices, ſed mixtæ cum illo alio,per quod diſtinguerentur; ſed Angeli ſunt formæ ſimplices; ergo non poſſunt non diſtingui forma; diſtingui autem forma eſt diſtingui ſpecie;cùm forma det rei eſſe ſpecificũ.

Reſp.ad 1.diſt.ma.De facto,conc;de poſſibili,neg;quanuis enim hoc ſit de facto;attamen nulla ratio cogit ad aſſerendum nõ potuiſſe aliter eſſe de poſſibili;ſic ad 2.Ad 3.omiſſa ma.diſt. mi.Angeli ſunt formæ ſimplices per ordinem ad materiam; idèſt non ſunt formæ componentes cum materia,conc; per ordinem ad eſſe, neg; vt dictum eſt *art.2.n.60;& art.3.n.19.*

33 Obijc.4.Natura *Gabrielis* de facto habet totam latitudinem ſuæ perfectionis ſpecificæ; vt dictum eſt,ergo nequit à Deo produci alius Angelus habens eandem naturam ſpecificam, quã habet Angelus *Gabriel*; aliter illa natura non eſſet

eſſet perfectè, & completè ſuppoſitata.

Reſp. doctrinam allatam non procedere ſupponendo id,quod eſt de facto;nō enim quærimus,an ſuppoſitis iiſdem Angelis,qui ſunt de facto,poſſit Deus vltra illos producere alios Angelos ſolo numero differētes;ſed dicimus, quòd ſicut Deus de facto produxit Angelos ſpecie differentes,& cum adæquata perfectione ſpecifica;ita nulla apparet ratio, cur non potuerit plures in eadem ſpecie cum eſſe inadæquato producere.Et ſi velimus ſupponere, quod eſt de facto;dicimus,quòd Deus ad hoc,vt producat Angelos eiuſdem ſpeciei v. g. *Gabrielis*, debet illi imminuere eſſe, & ſic illud partiri in pluribus Angelis.

34 Inſt.Si natura *Gabrielis* variaretur in eſſe,iam non eſſet eadem natura,ſed alia; ſicuti ex eo,quòd natura *Sortis* eſt ſuppoſitata ad tale eſſe,ſi variaretur in eſſe,iam non eſſet amplius natura *Sortis*;ergo omnes naturæ Angelorum, quæ ſunt de facto, cùm ſint ſuppoſitatæ ad ſuum eſſe totale,nequeunt numero multiplicari.

Reſp. neg.ant;nā cùm eſſe accidat naturæ,& realiter diſtinguatur ab illa;ideo etianſi varietur eſſe,non variatur natura. Quod intelligēdum eſt de variatione ſecundùm quid, ſcilicet de imminutione; quidquid ſit de variatione ſimpliciter. Et ad prob.inſertam dicitur, quòd ſicut *Sortes* licèt per tantam materiam ſit ſuppoſitatus ad tale eſſe ſuppoſitale;attamen nulla apparet repūgnatia, quòd Deus ex aliqua parte materiæ *Sortis* non poſſit formare alium hominem remanente eodem *Sorte*; Fides enim docet Deum ex coſta *Adæ*,quæ erat pars materiæ *Adæ* indiuiduans ſimul cum alijs partibus ipſum *Adam*, formaſſe *Euam* remanente eodem numero *Adam*. Ita per imminutionem eſſe ipſius *Gabrielis* poſſet formari alius Angelus eiuſdem ſpeciei remanente eodem *Gabriele*.

ART. VI.

De Numero Angelorum.

1 SVpponimus multitudinem Angelorum exiſtentium à parte rei non eſſe infinitam;quod probat *Fund. Doct. in hac diſt. 3. p. 1. q. 2. art. 2. dub. 4. lat. ex illo Sap. 2. Omnia fecit in numero,pondere,& menſura*; ſed Angeli exiſtentes à parte rei ſunt à Deo creati;ergo ſunt in aliquo numero determinato, & menſurabili; ſed multitudo numerata eſt finita; quia multitudo infinita eſt innumerabilis;ergo multitudo Angelorum non eſt infinita.

2 Et in *reſol. eiuſdem dub.* hoc probat duplici ratione.Prima eſt.In illis,quæ ordinantur per ſe,non datur infinitas; quia eſſe per ſe videtur importare aliquid determinatum; ſicut eſſe per accidens importat aliquid indeterminatum;nam eſſe per accidens importat poſſe eſſe,& non eſſe tale;hoc autem eſt indeterminatum,& indifferēs ad tale eſſe,vt patet; eſſe autem per ſe, cùm opponatur eſſe per accidens, importat determinatum eſſe,quod opponitur eſſe indeterminato;ſed eſſe determinatum eſt finitum;quia determinatū eſt aliquo termino affectum; ergo in illis,in quibus eſt ordo per ſe,nequit reperiri infinitas; atqui in Angelis de facto eſt ordo per ſe, quia diſtinguuntur ſpecie,vt dictum eſt *in ſup. art*; ergo in illis nequit eſſe multitudo infinita.

3 Altera eſt. Nullum poteſt dari infinitum in actu; vt ſupponimus *ex Phyſicis*; ſed omnes Angeli fuerunt actu ſimul à Deo creati; ergo Angelorum multitudo non eſt infinita.

4 Dices.*Iob.25.*habetur:*Nunquid eſt numerus militum eius?*Sed nomine *militum* Dei intelliguntur Angeli;vt exponit *D.Greg.*ſup.hunc textum;ergo Angeli ſunt infiniti.Præterea *iuxta Strabum* Cœlum Empyreum ſtatim, ac factum eſt, ſanctis Angelis fuit repletum; ſed Empyreū eſt capax infinitorū;ergo Angeli ſunt infiniti.Tādem *ex D.Dion.de Cœl. Hier. c.13.* habetur boatas militias ſuperare commenſurationem numerorum, infimam, & coarctatam multitudinē multarum rerum materialium; ſed multitudo ſuperans commēſurationem numerorum, & coarctatam,idèſt limitatam multitudinem rerum materialium eſt infinita:ergo Angeli ſunt infiniti.

Reſp. *Fund. Doct.* aliquod non habere numerum ſtare dupliciter. 1. Secundùm ſe; & hoc eſt infinitum, quia intrinſecè caret termino. 2. Quoad nos; quia licet ſecundùm ſe habeat numerum finitum; attamen talis numerus non eſt determinatè à nobis aſſignabilis. In hoc ſecundo ſenſu locutus eſt *Iob*;quomodò *3.Reg.3.* locutus eſt *Salomon* dicens. *Et ſeruus tuus in medio eſt populi,quem elegiſti,populi infiniti, qui numerari, & ſupputari non poteſt præ multitudine.* Ad 2. ait Empyreum fuiſſe Angelis repletum quoad ornatum,non quoad loci occupationem. Sed iſta opinio *Strabi* non congruit expoſitioni *Beatiſſ.P*; vt diximus *in Hexam*; quidquid tamen ſit de ea; adhuc non colligitur infinitas numeralis, vt dictum eſt.Ad 3.ait Angelos ſuperare multitudinē finitam ſpecierum materialium,non autem multitudinem indiuiduorum materialium; ſed hoc merè probabiliter dicitur; præterea etianſi ſuperent multitudinem finitam rerum materialium, attamen non ſequitur eſſe infinitos;quia infinitas eſt illa, quæ ſuperat omnem multitudinem finitā poſſibilem;non autem quę ſuperat aliquam multitudinem finitam determinatam; poteſt enim vna multitudo finita ſuperari ab alia multitudine finita maiori; quia non implicat dari aliquod finitum maius alio finito in infinitum. *Hoc ſupp.*

5 Quærimus, an poſſimus habere aliquam notitiam numeri Angelorum? Et quidem circa hoc *Fund.Doct.vbi ſ. in reſol.dub.2.*ait *Auicennam* poſuiſſe tantùm decem Angelos; nouem motores nouem ſphærarum cæleſtium;& alterum motorem ſphæræ actiuorum, & paſſiuorum; *Ariſt.* verò poſuiſſe tot eſſe Angelos,quot ſunt motus cæ-

cæleſtes;& in hoc *Phil.*ſecutum eſſe ſententiam *Odoritij*, & *Chilonij* ; primi quidem ponentis 47. motus;alterius verò admittentis 55.motus;quos motus volebant eſſe per ſphæras deferentes, & reuoluentes,quibus ſaluabant apparentiã planetarum;non autem per epiciclos, & eccentricos ; vt volunt *Matematici*.

6 Sententia tamen omnium Catholicorum eſt numerum Angelorum eſſe maximum, quanuis determinatè nobis *ex Scripturis* non innoteſcat. *Ita Fund. Doct. vbiſup. dub.* 2; *&* 3; *& omnes alij communiter*.

7 Vnica concl. Ex *Scripturis* apertè colligitur numerum Angelorum eſſe maximum in confuſo,non determinatè.

Prob. 1. pars concl; nam *Dan.*7. habetur: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.*Vel vt *alij* legunt *apud Fund. Doct.dub.*3.*ad* 1. *Et decies millies centena millia aſſiſtebant ei*;Angeli enim aſſiſtentes,vtpotè perfectiores miniſtrantibus, debent eſſe in maiori numero.Et *Matt.*26. *Putas, quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum. Et Luc.*8. legitur in vno tantùm oppreſſo fuiſſe integram legionem Dœmonum,legio autem conſtat ex ſex millibus ſexcentis ſexaginta quinque Angelis.*Et Apoc.*5.*Audiui vocem Angelorum multorum.*Et inf.*Erat numerus eorum millia millium.* Ex his,& alijs conſimilibus textis;vt *Hebr.*12;colligitur numerum Angelorum eſſe maximum.

8 Prob.etiam duplici ratione *à Fund.Doct. vbiſ.dub.*2.Prima eſt.Vniuerſum ita connectitur, vt genus ſuperius tangat inferius ſecundùm partem minimam; & longè maior ſit pars non tangens,quàm pars tangens, vt pars aeris, quæ tangit terram,eſt multò minor ea parte,quæ terram non tangit;ſed plures ſunt Angeli mouentes hęc corpora; ergo multò plures ſunt Angeli nõ mouentes; & per conſequens Angeli ſunt in maximo numero.

9 Altera eſt.PerfectioVniuerſi exigit,quòd entia nobilia excedãt numero minùs nobilia,& formaliora excedant numero materialiora;videmus enim, quòd aqua, quia eſt formalior terra, decuplo maior terra creditur eſſe; & aer decuplo maior aqua,& cẽtuplo terra;ignis verò decuplo maior aere,centuplo aqua,& millecuplo terra;vnde arguitur elementa ſecundùm decuplam proportionem ſe excedere;corpora autem cœleſtia ita excedunt terram, vt hæc dicatur quaſi punctus centralis reſpectu illorum;ergo ex rebus corporalibus arguere poſſumus maximam eſſe multitudinem Angelorum; quia multò magis excedunt nobilitate, & perfectione omnia corpora, quàm quodcunque corpus excedat aliud corpus.

10 Tandem maximè decet Maieſtatem infinitam habere multitudinem penè infinitam familiarium aſſiſtentium,& miniſtrantium ſua frequentium iuſſa; ſed Deus eſt infinita Maieſtas, cuius familiares aſſiſtentes, & miniſtrantes ſunt Angeli;ergo Angelorum numerus eſt maximus.

11 Prob.2.pars concl. ex illis *Scripturæ* locis,in quibus Angeli dicuntur innumerabiles,cũ enim hoc nequeat intelligi de innumerabilitate ſecundùm ſe;quia ſecundùm ſe habent numerũ, in quo creati ſunt,vt *ſup.*dictum eſt; conſequenter intelligi debet de innumerabilitate certa, & determinata reſpectu noſtri.

12 Præterea traditur *à Beatiſſ.P.lib.*15.*de Ciu.Dei c.*1.aſſerente. *Nunc autem quoniam de exortu earum* (ſupple ſocietatum prædeſtinatorum,& damnandorũ) *ſiue in Angelis, quorũ numerus ignoratur à nobis.* Hinc plurimi *SS.PP.*vocant Angelos innumerabiles, vt *D.Greg. lib.*17. *Mor. c.* 9; *& alij*; ſic enim ſolemus appellare maximam multitudinem.

13 Prob.ratione.Numerus certus,& determinatus Angelorum haberetur vel *ex Scripturis*;vel ex effectibus naturalibus eorum;ſed neutro modo habetur; ergo nullo modo. Prob. mi. nam *Scripturæ inſ.* explicabuntur;& ex effectibus naturalibus eorum non poteſt colligi numerus certus;quia non omnes eorum effectus nobis innoteſcunt; tum quia neſcimus,an ad vnum effectum concurrant plures, vel vnus Angelus; ſi enim Dœmones obſidentes oppreſſum non manifeſtarent numerum obſidentium;nos non poſſemus arguere, an vnus tantùm, vel plures Dœmones illud corpus obſidcant;ergo nullo modo poteſt haberi numerus certus, & determinatus Angelorum.

14 Obijc.1.Angeli diuiduntur in aſſiſtentes, & miniſtrantes; ſed numerus aſſiſtentium, & miniſtrantium eſt certus, & determinatus *in Scriptura*;habetur enim *Dan.* 7. *Millia millium miniſtrabant ei; & decies centena millia aſſiſtebant ei*; qui numerus non eſt tam magnus,vt patet;ergo numerus Angelorum non eſt maximus;& determinatè cognoſci poteſt.Tum quia *Tob.*12.habetur: *Ego enim ſum Raphael vnus ex ſeptem, qui adſtamus ante Deum.* Tum quia hoc nomen *Angelus* ſæpe ſumitur *in Scripturis* etiam pro rebus corporalibus,quatenus nobis aliquid annunciãt ſpectans ad noſtram ſalutem;vnde illud *Apoſt.*2. *Cor.* 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis Angelus Sathanæ,qui me colaphizet*;à multis exponitur de morbo illiaco; qui inſtruebat *Paulum* de infirmitate ſuæ naturæ, ne magnitudine reuelationũ extolleretur; & *aliqui* illud *pſ. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*;intelligunt de tonitruis, ventis, fulguribus, quæ annunciant omnipotentiam Dei,& ideo Angeli dicuntur. Tandem nomen Angeli tribuitur etiam hominibus;vt diximus *art.*1.*n.*1; ergo ex nomine Angelorum *in Scripturis* nequit colligi multitudo maxima ſubſtantiarum ſpiritualium.

Reſp. ad 1. eſſe conſuetudinem loquendi, quòd quando ignoratur numerus certus magnæ

multitudinis,vocatur *millia millium*; in hoc ſenſu loquitur *Scriptura*. Vel dicitur,quòd numerus eorum Angelorum,quos vidit *Daniel*, erat millia millium miniſtrãtium, & decies centena millia aſſiſtentium; non tamen ait ſe vidiſſe omnes Angelos;ſed numerat tantùm eos, quos vidit,nõ autẽ eos,quos non vidit. Ad 2.dicitur illos ſeptẽ Angelos eſſe Principes habẽtes ſub ſe plurimos Angelos. Vel dicitur nomine ſeptem adſtantium ante Deum deſignari Angelos exercentes opera pietatis;& ideo *Raphael* vnus ex illis venerat curare *Tobiam*,& dictus eſt medicina Dei. Ad 3.dicitur, quòd licèt pluries nomine *Angeli* intelligantur etiam creaturæ corporales,quatenus nobis aliquid annunciant; attamen locis à nobis *hic* allatis non intelliguntur niſi ſubſtantiæ ſpirituales incorporeæ.

15 Obijc.2.cont.1.rationẽ. Connexio Vniuerſi exigit inferiora dicere ordinem ad ſuperiora; ſed poſito maximo numero inferiora non dicerent ordinẽ ad ſuperiora; nam ad illa nequeũt ordinari, niſi per motum, per quem ſolùm recipiunt influxum à ſuperioribus; ſi autem eſſent plures Angeli non mouentes corpora, illi non connecterentur cum corporibus;ergo ex connexione Vniuerſi potiùs arguitur oppoſitum.

Reſp.neg.mi. Ad prob.infert.dicitur,quòd corpora dicunt ordinem immediatè per motum ad Angelos mouentes;ad non mouentes autem dicunt ordinem tantùm mediatè, non quidem per motum;ſed quia illuminant,& iubent Angelis motoribus;ſic enim connectũtur partes habẽtes diuerſam gradus eleuationem.

16 Obijc.3.cont.2.rationem. Vnio hypoſtatica eſt infinitè perfectior omni ſpecie creata; & tamen nõ excedit in numero. 2.Sequeretur Perſonas Diuinas debere eſſe infinitas ſecundùm numerum. 3.Sequeretur multiplicando eſſe Soles magis,quàm hæc corpora inferiora. 4.Ad nobilitatem naturalẽ ſufficit, quòd illa res excedat alias,quibus eſt dignior perfectione,non autem numero. 5.Videmus res pretioſiores,vt gemmas, eſſe in minori numero,quàm lapides viles; ergo hæc ratio non concludit.

Reſp. ad 1; quòd vnio hypoſtatica non debuit multiplicari,quia fuit infinita ex parte ſuppoſiti terminantis; & infinitum non eget multiplicari,vt magis extendatur eius perfectio; è cõtra verò perfectio finita. Ad 2. dicitur Perſonas Diuinas non eſſe partes Vniuerſi;& aliunde ſunt infinitæ ſecundùm infinitatem eſſentiæ; & ideo ex hoc habent magnitudinem ſuæ perfectionis; Angeli autem, cùm nequeant habere perfectionem infinitatis, illam debẽnt ſaltem habere per extenſionem ad plures ſpecies. Ad 3.dicitur Solem eſſe vnum ſpecie infima corporum cœleſtium,& hæc non multiplicatur,ſicut non multiplicatur ſpecie vnus Angelus; ſicut ergo multiplicãtur corpora cœleſtia,ſeu genus corporũ cœleſtiũ magis, quàm genus corporum ſublunariũ, quia illud eſt ſuperius; ita de genere Angelico. Ad 4.dict.Ad perfectionem ſpeciei athomæ,cõc; genericæ, neq; nã perfectio generis eſt,quòd cõtrahatur ad plures ſpecies. Sic reſponderi poteſt etiam ad 1;& 2. Ad 5.dict. Gemmæ ſunt pauciores quoad indiuidua,conc;quoad ſpecies,neg.

17 Obijc. 4. Angeli ſunt,ſicut numeri magis propinquiores vnitati;ſed numerus propinquior vnitati habet pauciores vnitates; ergo Angeli ſunt in paruo numero.

Reſp. Angelos eſſe,ſicuti numeros propinquiores vnitati,ſed cum hac differẽtia; quòd numeri propinquiores vnitati ſunt imperfectiores, quàm remotiores; & ideo pauciores important vnitates; vnde tres ſpecies animalium minorem perfectionem important, quàm decem ſpecies. At verò Angeli propinquiores Deo ſunt perfectiores, & ideo debent conſtare ex pluribus vnitatibus ſpecificis.

18 Quæres; an numerus Angelorum excedat numerum animarum rationalium?

Reſp. poſſe negatiuè defendi ex ijs,quæ tradit *Fũd.Doct.in 2.diſt.11.q.2.dub.4.lit.* Eſt contra *Recẽtiores Zum,Ban,Sua,Vaſq;* quibus addũtur *noſter Gibbon hic diſp.16.dub.3.n.8; & ſeq; & Gonet.diſp.2.art.2.* Probatur.Probabile eſt numerum hominum ſaluandorum fore æqualem numero Angelorum beatorum;habetur enim *Deut. 32. Conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael*; vel vt legunt 70.*Iuxta numerum Angelorum Dei*;quòd *D.Greg.in Euang.Hom.34.* exponit de æqualitate numeri Angelorum beatorum, & hominum ſaluandorum. Ita etiam *Lyran;* & *Abul.* teſtantur hanc ſententiam pluribus placuiſſe. Præterea *ex Scriptura* colligitur Angelos damnatos eſſe tertiam partem ipſorum, iuxta illud de Dracone *Apoc. 12. Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum*; qui textus licèt ab aliquibus figuraliter exponatur *de Antichriſto*,& de tertia parte hominum fideliũ, quos in fine Mundi decepturus eſt;attamen etiam de Angelis malis, & *de Lucifero* ſolo propriè intelligi poteſt;cùm *Scriptura* in eodem *cap.* manifeſtè id afferat;ait enim poſt illa verba:*Et proiectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui dicitur Diabolus, & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum Orbem, & proiectus eſt in terram, & Angeli eius*(qui ſunt tertia pars ſtellarum,quam trahebat) *cum illo miſſi ſunt.* Super quod *Beatiſs.P.in Apoc.hom. 9.* ait:*Draco magnus rufus Diabolus.* Et *inf.*nomine ſtellarum: *Multi homines illos æſtimant, quos ſibi conſentientes Diabolus fecit ſodales: Multi Angelos,qui cum illo, quando cecidit,præcipitati ſunt;* & hoc magis congruit *cum textu*. Tertia autem pars ſtellarum ſumitur quoad officiũ,non quoad numerum; Angeli enim in triplicem claſſem diuiduntur;ſcilicet in *Aſſiſtentes,miniſtrantes,& nos exercitantes*;pars autem nos exercitantium cecidit,& ideo tertiam partem traxit;non tamen iſtæ partes fuerunt æquales quoad numerum ipſorũ

An-

Angelorum; quia plures ſunt aſſiſtentes, vtpotè ſuperiores; & plures miniſtrantes, quàm exercitantes; vnde *aliqui* aſſerunt ſolam decimam partem Angelorum cecidiſſe. *Vid. Fund. Doct. hic diſt.6.dub.1.lit.ſup.lit. Mag.* Ex quo ſic. Numerus hominum damnandorum eſt multò maior numero hominum ſaluandorum; vt patet ex illo *Matt.20. Multi ſunt vocati,pauci verò electi*; ſed numerus Angelorũ damnatorũ eſt multò minor numero hominum damnandorum;quia numerus hominum damnandorum eſt multò maior numero Angelorum beatorum, cùm ſit maior numero hominum ſaluandorum, qui numerus eſt æqualis numero Angelorum beatorum; & numerus Angelorum damnatorum eſt minor numero Angelorum beatorum; ergo totus numerus Angelorum collectiuè ſumptus eſt longè minor numero hominum. *Vid. multas coniecturas*, quas affert *Guil.Pariſ.tract.3. de Vniuerſo 1.p.2. partis c.64;& ſeq.*

19 Obijc.*ex Sua.*Non eſt multùm probabile,quòd numerus Angelorum,& hominum beatorum ſit æqualis; quia Angeli ſunt nobiliores, & propinquiores Deo, quàm homines;ergo hęc ratio non probat. 2. Numerus beatorũ complectens Angelos, & homines eſt maior tota collectione damnatorum;quia conueniens eſt in illis, quæ principaliter à Deo intenduntur,bonum eſſe in pluribus,quàm malum; tum quia decet miſericordiam, & remuneratricem iuſtitiam manifeſtari in pluribus,quàm iuſtitiam vindicatiuam.

Reſp.ad 1. neg. ant; beatitudo enim pertinet ad ordinem gratię redemptionis Chriſti Domini; & ideo reſpici non debet ad perfectionem naturæ. Ad 2.neg. ant. Ad prob. infert. dicitur; quòd æquè militare poſſet de natura humana; & tamen certum eſt plures homines reprobari. Præterea admiſſo maiori numero ſaluandorum non ſequitur maiorem eſſe numerum Angelorum;nam Angeli damnati ſunt in tam paruo numero; vt homines ſuppleant illos; & cùm aliunde ſit æqualitas in beatis;ideo poteſt ſtare maior numerus hominum.

20 Obijc.1.Angeli cuſtodes deputantur ſingulis hominibus,& præter illos plures alij deputantur prouincijs, & Regnis; & plurimi alij ſunt cuſtodientes; quia cuſtodes ſumuntur ſolùm ex vltimo ordine;nec eſt probabile,quòd vnus Angelus cuſtodiat ſimul,vel ſucceſſiuè plures homines; ergo ſunt plures hominibus. 2. Modus loquendi *Scripturæ* eſt cum maxima exaggeratione circa numerum Angelorum.3. *Vaſq;* & *Carthuſ. de Cœl.Hier.c.4.* referunt *D.Brigitta* fuiſſe reuelatum ſingulis hominibus poſſe pluſquam decẽ Angelos in cuſtodiam aſſignari; quo motus eſt *Vaſq.* ad ſequendam hanc opinionem.

Reſp.nullum eſſe inconueniens, quòd vnus Angelus cuſtodiat plures homines ſimul,& ſucceſſiuè;non enim laborãt in cuſtodia; neque priuantur viſione beata iuxta illud *Matt.18. Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris*; nec eſt inconueniens, quòd vſque in finem Mundi Angeli verſentur in cuſtodia hominũ; ſicut Angeli motores Cœlorum verſabuntur in mouendo. Neg. ergo 2. pars ant. Ad 2. dicitur, quòd *Scriptura* eodem modo loquitur de hominibus; vt *Apoc.7. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus,populis,&c.* Illa ergo exaggeratio magnã multitudinem ſolùm ſignificat,quam admittimus. Ad 3. dicitur illam reuelationem eſſe intelligendam de omnibus hominibus actu exiſtentibus ſimul; non autem de præteritis etiam,& de futuris.Sed hæc omnia probabilitatis limites non excedunt.

QVÆSTIO II.

De Loco Angelorum.

AD exiſtentiam rei in ſe ipſa ſequitur exiſtentia in loco;quia res ex eo,quòd ſit in rerum natura, naturaliter ſibi vendicat eſſe in aliquo loco. Idcirco poſtquam egimus de exiſtentia Angelorum in ſe ipſis,recta methodus poſtulat,vt agamus de loco,in quo Angeli exiſtunt.

ART. I.

An,& quomodò Angelus ſit in loco?

1 ALiqui *Philoſophi antiqui apud Fund. Doct.in 1.diſt.37.p.2.princ.1.§.Secundus modus* ſenſerunt Angelum nullo modo eſſe in loco; aſſerebant enim Angelum nullo modo poſſe operari immediatè circa corpora; ſed immediatè mouere animam, & mediante anima mouere corpus.

2 Sententia tamen communis docet Angelum eſſe in loco.*Ita Fund.Doct.vbiſ;& in 2.diſt. 8.q.2.art.2.§.Habito.*Sed diuiſa eſt, *aliqui* enim putant nõ eſſe determinatè in vno loco, ſed vbique.*Ita Dur.Alij* non eſſe propriè,& vniuocè in loco cum corporibus; ſed tantùm æquiuocè, & metaphoricè. *Ita quoque Dur. in 1. diſt.37.q.1. Caiet;Zum;Hiſpal;Salm;Philipp.à SS.Trin; Gonet hic diſp.4.art.1.§.7.Alij* verò docent eſſe in loco propriè,non metaphoricè.*Ita Naz;Ban;Sua,Curiel;* & *ex noſtris Bernardin;* & *Gibb;pro cuius deciſ.*

3 Not.*ex Fund.Doct.in 2.vbiſ;& de Sacram. Altar. prop.5*; quòd aliquod eſſe in loco ſtat tripliciter.1.Circunſcriptiuè,& ſitualiter.2.Definitiuè,non ſitualiter.3.Repletiuè conſeruando, & continendo locum. Primo modo ſunt in loco omnia corpora; quæ ita ſunt in loco,vt ab ipſo circunſcribantur;& vna pars corporis contineatur ab vna parte loci,eique correſpondeat;& totum corpus à toto loco,& in hoc ſenſu Angelus non

non eſt in loco; quia cùm careat quantitate, non habet dimenſiones correſpondentes dimenſionibus loci. Secundo modo ſunt in loco omnes ſubſtantiæ ſpirituales creatæ; quia definiri à loco eſt eſſe intra fines huius loci, vt non ſit extra hūc locum; cùm autem Angelus non habeat infinitā virtutem, ita eſt in vno loco ſibi adæquato, vt nō ſit extra illum. Tertio modo ſolus Deus eſt in loco; quia ratione ſuæ immēſitatis replet omnia loca intimè illa penetrando, & conſeruando ita tamen, vt ab illis non contineatur, quia omnia loca ſunt finita, & finitum nequit continere infinitum; ſed vt illa contineat. Addi poteſt quartus modus eſſendi in loco, ſcilicet determinatiuè; vt docet *Fund. Doct. in Theor. de Sacram. Altaris*; ſic enim corpus Chriſti eſt determinatè in Sacramento Altaris, ſeu in ſpeciebus panis, & vini; vt ſit etiam extra illas, non tamen illas actiuè conſeruando in eſſe, nec infinitè illas excedendo ita, vt ſit vbique; quemadmodum aſſerebant hęretici *Vbiquiſti*. Eſſe in loco circunſcriptiuè eſt per quantitatem molis; quæ conuenit ſolis corporibus; eſſe in loco definitiuè eſt per quantitatem virtutis finitam, & limitatam; eſſe in loco repletiuè contentiuè eſt per immenſitatem; & eſſe in loco determinatiuè eſt eſſe in loco per ſubſtantiam, ſeu, vt loquitur *Conc. Trid. ſubſtantialiter*. *Hoc not.*

4 Vnica concl. Angeli verè, & propriè ſunt in loco determinatè definitiuè, ſed non vniuocè cum corporibus.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Scripturis*; nam *Apoc.* 12. de Dæmonibus dicitur: *Neque locus inuētus eſt eorum ampliùs in Cælo. Et 2. Pet. 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferni detrudens tradidit in iudicio puniēdos reſeruari.* Sup. quod *Beatiſſ. P. lib. 11. de Ciu. Dei c.* 33; ait: *Peccaſſe autem quoſdam Angelos, & in huius Mundi ima detruſos, qui eis velut carcer eſt vſque ad futurā in die iudicij vltimam damnationem.* Quod repetit *lib. de Nat. Boni c. 33. Et de Agone Chriſt. c. 3. Non ergo arbitremur in ſummo Cælo habitare Diabolum cum Angelis ſuis, vnde lapſum eſſe credimus.* Ex quibus ſic. Illud dicitur verè, & propriè eſſe in loco determinatè, definitiuè, quod ita definitur ad vnum locum, vt non ſit extra illum; ſed Angeli mali ita ſunt in hoc aere caliginoſo, vt non ſint extra ipſum; & poſt diem iudicij ita claudentur in inferno, vt futuri non ſint extra illum; ergo Angeli verè, & propriè ſunt in loco determinatè definitiuè.

5 Dices. *D. Hier.* ad *Vigilāt. c. 2.* ex *illo Apoc. 14. Sequuntur Agnum, quocunque ierit*; infert Virgines eſſe vbique, quia Agnus eſt vbique.

Reſp. dici eſſe vbique diſiunctiuè, quia ſcilicet magna agilitate poſſunt eſſe in quolibet loco; hoc enim modo tantùm Chriſtus, qui eſt Agnus, prout eſt homo, eſt vbique.

6 Conf. Illud dicitur eſſe verè, & propriè determinatè definitiuè in loco, quod habet finitam quantitatem virtutis, per quam eius præſentia ita limitatur ad vnum locum, vt ſit totum in toto illo loco, & totū in qualibet parte illius loci, & nullo modo extra illum; quemadmodum anima noſtra, vtpotè formaliter indiuiſibilis, eſt in corpore; ſed Angeli ſiue boni, ſiue mali habēt finitam quantitatem virtutis, per quam eorum præſentia limitatur ad vnum locum ita, vt ſint toti in toto, & toti in qualibet parte, & nullo modo extra illum; ſunt enim creaturæ, quibus competit finitas ſecundùm eſſe, & ſecundùm virtutem ſequentem ad eſſe; ergo verè, & propriè ſunt in loco definitiuè.

7 Prob. 2. Si Angelis verè, & propriè non competeret præſentia localis determinatè, & definitiuè, maximè, quia Angeli ſunt incorporei, & locus eſt corporeus; ſed nō implicat rē incorpoream eſſe verè, & realiter præſentem rei corporeæ; quia Deus, licèt ſummè incorporeus, eſt pręſens omni creaturæ etiam corporeæ; habetur enim *Gen. 31. Nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit*; verba autem *Scripturæ* accipi debent ſecundùm propriam ſignificationem, quoties nullum ex illis ſequitur incōueniēs; & *Beatiſſ. P. lib. 7. de Ciu. Dei c. 30*, ait: *Deus implens Cœlum, & terram præſente potentia, non abſente natura*; præſentia enim non importat formaliter niſi habere *præ ſe ens*, ſeu indiſtantiam ab alio ente; vt diximus *to. 1. de Immenſit. art. 2. n. 5; & ſeq*; & in tantùm ei non conuenit eſſe definitiuè, quia eſt infinitus; ergo Angelis, qui ſunt finiti, verè, & propriè competit eſſe in loco determinatè, & definitiuè; nam eſſe in loco verè, & propriè definitiuè nihil aliud importat niſi verā, & propriam pręſentiam localem determinatā ad vnum tantùm locum, non indifferentem.

8 Conf. Si eſſe in loco diceretur verè, & propriè ſolùm de re corporali, ſequeretur, quòd Deus verè, & propriè non eſſet vbique, quia eſſe vbique eſt eſſe in omni loco; ſed conſequens eſt abſurdum; vt oſtendimus *to. 1. vbi ſup. art. 7*; vbi *ex communi Theologorum ſententia* dictum eſt Deum eſſe vbique; ergo exiſtentia in loco verè, & propriè dicitur etiam de re ſpirituali, & ideo Angeli verè, & propriè ſunt in loco definitiuè.

9 Tandem. In tantùm corpus dicitur verè, & propriè eſſe in loco circunſcriptiuè; in quantùm in ipſo corpore eſt vera quantitas molis, per quam verè, & propriè circunſcribitur à loco; ſed in Angelis eſt vera quantitas virtutis, per quam verè, & propriè determinatur, & definitur ad vnum locum ita, vt non ſit extra illum; & in Deo eſt vera, & formalis immenſitas, per quā verè, & propriè replet omnia loca continendo illa, & conſeruando; ergo Angeli verè, & propriè sūt in loco determinatè definitiuè; & Deus repletiuè. Ma. patet; quia de illo dicitur aliquis effectus verè, & propriè, in quo eſt cauſa formalis vera, & propria illius effectus; & de illo dicitur metaphoricè, in quo non eſt cauſa formalis talis effe-

ctus

ctus vera,& propria,ſed tantùm ſimilitudinaria; vt homo dicitur verè,& propriè diſcurrere,quia in ipſo eſt rationalitas,quæ eſt vera, & propria cauſa formalis diſcurrendi; dicitur autem metaphoricè *Agnus*,quia in ipſo non eſt verè, & propriè differentia ſubſtantialis conſtitutiua *Agni*, ſed tantùm ſimilitudinariè; quatenus illius natura inclinat ad manſuetudinem. Mi. etiam conſtat;quia ſicuti quantitas molis verè, & propriè dicitur de corporibus; ita quantitas virtutis verè,& propriè dicitur de Angelis; & immenſitas de Deo;aliter non eſſet attributum Dei;quia attributum,vt diximus *to.1*;importat aliquod prædicatum formaliter verè, & propriè in Deo exiſtens, per quod excluduntur à ratione attributi omnia prædicata metaphorica, vt diximus *ibid*; ſed Angeli per quantitatem virtutis comparantur ad locum,ſicuti Deus per immenſitatem,per quam reſpicit loca, quæ replet, vt communiter aſſerũt *Theologi*;ergo in Angelis eſt verè,& propriè quãtitas virtutis, per quam verè,& propriè determinantur, & definiuntur ad locum; & in Deo eſt formaliter immenſitas, per quam replet verè,& propriè omnia loca.

10 Prob.2.pars concl. Illa dicuntur vniuocè,quæ habent vnam, & eandem rationem formalem; *vniuoca enim ſunt illa, quorum nomen commune eſt,& ratio importata per nomen vna,& eadem*;ſed Angeli, & corpora non habent eandẽ rationem formalem eſſendi in loco;Angeli enim ſunt in loco per quãtitatem virtutis, quæ differt genere à quantitate molis, per quam ſunt in loco corpora;ergo eſſe in loco non dicitur vniuocè de Angelis,& de corporibus.

11 Conf.In tantùm eſſe album,& eſſe nigrũ non dicuntur vniuocè; in quantùm albedo, per quam formaliter conſtituitur eſſe album, diſtinguitur ſpecie à nigredine, per quam formaliter conſtituitur eſſe nigrum; ſed quantitas virtutis non ſolùm diſtinguitur ſpecie, verùm etiam differt genere à quantitate molis, quia quantitas virtutis eſt immaterialis, & quantitas molis materialis;materiale autem, & immateriale differũt genere;ergo à fortiori eſſe in loco, quod conſtituitur per quantitatem virtutis, non dicitur vniuocè de eſſe in loco, quod conſtituitur per quantitatem molis; & ideo eſſe Angeli in loco non dicitur vniuocè cum corporibus.

12 Prob.2.Eſſe in loco,quod conuenit corporibus, eſt eſſe circunſcriptum; & eſſe in loco, quod conuenit Angelis,eſt eſſe incircunſcriptũ, & inextenſum;ſed eſſe circunſcriptum,aut extẽſum; & eſſe incircunſcriptum, ac inextenſum nõ ſunt vnum,& idem;implicat enim,quòd vnum, & idem ſit ratio formalis circunſcriptionis,& incircunſcriptionis;ſicuti implicat, quòd vnum, & idem ſit ratio formalis rationalitatis, & irrationalitatis; aliter eſſentiæ rerum conſiſterent in contradictorio; & ſic contradictoria non repugnarent,quia nulla repugnat eſſentia; ergo eſſe in loco non dicitur vniuocè de Angelis, & corporibus; illud enim, quod dicitur vniuocè de pluribus, ſecundùm ſuum conceptum formalem præcisè acceptum eſt vnum, & idem in illis, vt patet de animalitate in homine,& brutis.

13 Obijc.1.*ex Gonet*. Ad eſſendum propriè in loco non ſufficit habere præſentiam, & indiſtantiam à loco, ſed requiritur, vt circunſcribatur ab illo;ſed Angelus non circunſcribitur;quia caret quantitate molis; ergo non eſt in loco verè,& propriè. Prob.ma. Deus eſt præſens omnibus locis; anima rationalis corpori; & corpus Chriſti ſpeciebus Euchariſticis, & tamen Deus, anima,& corpus Chriſti non dicuntur verè, & propriè locari in illis,quibus ſunt præſentes; ergo ad eſſe in loco non ſufficit pręſentia realis ad locum,ſed vlteriùs requiritur circunſcriptio, & menſuratio. Tum quia Angelus eſt in loco, in quantùm illum tangit; ſed tangit locum contactu metaphorico,non proprio; ergo non eſt in loco propriè,ſed metaphoricè.

Reſp.neg.ma.Ad prob.diſt.ant.Non dicuntur verè, & propriè locari paſſiuè circunſcriptiuè,conc; nam hoc modo ſolùm locatur corpus, quod habet annexam quãtitatem molis,& quod dicit ordinem ad corpora Cœleſtia; quia paſſiuè contentum in loco dicit ordinem ad centrum, & polos mundi,vt dicitur 4.*Phyſ*; non locãtur actiuè ſibi ſubijciendo loca, vel replendo finitè, vel infinitè, neg; ſic enim non ſubordinantur corporibus cœleſtibus,ſed potiùs ſubordinant ſibi aliquod dicens ordinem ad corpora Cœleſtia. Ad 2. neg. ma; licèt enim ad exiſtentiam rerum corporalium in loco requiratur contactus, qui eſt operatio ſenſibilis;attamen ad exiſtentiam rerũ ſpiritualium in loco ſufficit præſentia, & indiſtãtia,vt dictum eſt.

14 Obijc.2.*Beatiſſ.P.lib.8.de Gen.ad lit.c.19*. loquens de Deo ait: *Neque enim eſt in eius ſubſtantia,qua Deus eſt, quod breuius ſit in parte, quàm in toto;ſicut neceſſe eſt eſſe de ijs,quæ in locis ſunt*; ſed etiam hoc verificatur de Angelis, qui non habent partes; ergo Angeli non ſunt in loco.2.*Fund.Doct.in 2.diſt.12.q.1.art.2.* §. *Tertiò loeus* in fine ait: *Vnde de ſpiritualibus cùm dicimus: Hic ſunt; propriè loquendo deberemus dicere:Hic operantur,vt vult Dam.1.lib.c.16*.

Reſp. *Beatiſſ. Patrem ibid.* loqui manifeſtè de exiſtentia in loco circunſcriptiua, & commẽſuratiua, qua vna pars loci commenſuratur parti locati,& totus locus toti locato;agit enim de eo, quod mouetur per locum; & aſſerit *c. 22*; *quòd per locum non moueatur, quod per loci ſpatia non diſtenditur*; & in hoc ſenſu conceditur Angelos eſſe in loco impropriè;in alio autem ſenſu negamus cum eodem *Beatiſſ.P. vbiſup.* concedente Dœmonibus locum determinatum,nempe hunc aerem caliginoſum,& poſt diem iudicij infernũ. Ad *Fund.Doct.*dicitur eodem modo; nam vt explicat *diſt.vbiſup.* eſſe in loco definitiuè eſt eſſe in

in loco circunſcriptiuè impropriè, quatenus *circunſcribi loco dicitur aliquod, quod non eſt extra locum illum.* Licèt ergo eſſe in loco definitiuè ſit eſſe in loco circunſcriptiuè impropriè; attamen non ſequitur, quòd talis res exiſtens in loco non exiſtat verè, & propriè definitiuè.

15 Obijc. 3. In Angelis non datur *Vbi* prædicamentale; ergo verè, & propriè non ſunt in loco; nam ad exiſtentiã in loco reſultat *Vbi* prædicamentale. Prob. ant. *Vbi* prædicamentale eſt circunſcriptio corporis locati à circunſcriptione loci proueniens; ſed in Angelis non eſt corpus; ergo neque *Vbi*. Tum quia *Vbi* prædicamentale eſt illud, quod per ſe primò facit rem præſentem præſẽtia locali; ſed *Vbi* Angelicũ nõ facit Angelum per ſe primò præſentem præſentia agentis ad paſſum, quia reſultat ex operatione, vt *inf.*; ergo non eſt *Vbi* prædicamentale. Tum quia *Vbi* reſultat ex adiacentia loci, ſicut *quãdo* ex adiacientia temporis; ſed licèt Angelus coexiſtat tẽpori noſtro, attamen ex illa coexiſtentia non reſultat *quando*; quia caret ſucceſſione; ergo ex eo, quòd coexiſtat loco, non reſultat *Vbi*, quia caret extenſione. Tum quia Angelis non conuenit ſitus; ergo neque *Vbi*. Tum quia ſequeretur etiam Deo aduenire *Vbi*.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur, quòd ſicut datur triplex modus eſſendi in loco, vt *ſup.* dictum eſt; ita datur triplex *Vbi*; vnum reſultans ex circunſcriptione actiua, quod conuenit ſolis corporibus; aliud ex definitione, quod conuenit ſpiritibus; & aliud ex repletione actiua omnium locorum, quod dicitur *vbique*, quod verè, & realiter competit Deo, vt diximus *to. 1. vbiſ. art.* 7; cum hac tamen differentia, quòd *Vbique* conuenit Deo tantùm extrinſecè; *Vbi* verò conuenit creaturis intrinſecè; extrinſecè enim non habent eſſe in omni loco, ſicut Deus; propter quod intrinſecè illud acquirunt; nõ ſic Deus. Ad 2. diſt. mi. *Vbi* Angelicum non facit primò præſentem ſecundùm rationem *Vbicandi*, neg; ſecũdùm aliã rationem, conc. Sicut enim actio per ordinem ad agens conſtituit prædicamentum actionis, quod præcedit prædicamentum paſſionis conſtitutum per ordinem ad patiens, quod eſt poſterius; ita à pari. Ad 3. neg. paritas; nam Angelus ita coexiſtit tempori, vt nõ exiſtat in illo; at verò ita coexiſtit loco, vt exiſtat in illo. Ad 4. dicitur ſitum conſequi ſolùm ad *Vbi* circunſcriptibile, quia ſitus importat partes; non ad *Vbi* definitiuum, quod caret partibus. Ad vlt. dicitur *Vbiq*; quod reſultat ad exiſtentiam Dei in rebus, eſſe quid extrinſecum Deo, & ideo per illud non ponitur Deus intrinſecè in prædicamento.

16 Obijc. 4. *ex Dur.* Quidquid facit ſitus in corporibus, facit ordo in ſpiritibus; ergo ſicut in corporibus requiritur præſentia ſitus ad agendum; ita in ſpiritibus ſufficit præſentia ordinis cũ hoc tamen diſcrimine; quòd corpus non eſt immediatè coniunctum cum omni corpore, quia impeditur per corpora interiecta, per quæ diffundit ſuam virtutem; at verò Angelus à nullo corpore poteſt impediri, vt non ſit præſens omnibus locis. Tum quia ſi Angelus non eſſet præſens omnibus corporibus, quæ poſſet mouere, ſequeretur, quòd non poſſet incipere mouere aliquod corpus, quod antea non mouebat niſi priùs mouendo ſe ipſum; ſed hoc nequit intelligi. Tũ quia non poſſet aſſignari ratio, cur Angeli, qui in nullo corpore operãtur, potiùs ſint pręſẽtes vni corpori, quã alteri; ergo nullibi eſſent.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Quidquid facit ſitus in corporibus, facit ordo præſentiæ realis, conc; abſtrahens à preſentia reali, neg. Ad diſcrimen dicitur, quòd corpus nõ eſt præſens omnibus corporibus ſolùm propter interiecta corpora, ſed etiam propter quantitatem finitam; ſpiritus autem non eſt præſens omnibus locis ſolùm propter virtutem finitam, & limitatam. Ad 2. neg. ſeq; ad hoc enim, vt Angelus moueat corpus diſtãs, neceſſe eſt, vt tranſeat ad illud, quod quomodò poſſit fieri ſine motu, dicemus inferiùs. Ad 3. dicitur, quòd operari eſt duplex; aliud trãſmutatiuè, aliud applicatiuè; ratio ergo, cur Angeli potiùs ſint præſentes vni corpori eſt, quia operantur ſe applicando vni, non alteri.

17 Inſt. *ex eod.* Angeli ſunt in loco per potentiam operatiuam; ſed potentia operatiua eſt indifferens ad eſſendum in omni loco; ergo Angelus non eſt determinatè in aliquo loco, ſed in omni loco. Tum quia Angelus non neceſſitatur ad eſſendum in aliquo loco determinato; ergo eſt vbique.

Reſp. diſt. mi. Potentia operatiua eſt indifferens ad eſſendum in omni loco diſiunctiuè, conc; poteſt enim, vbicunque placet Angelo, illam applicare; ad eſſendum in omni loco collectiuè, neg. Ad 2. eodem modo. Non neceſſitatur ad eſſendum in aliquo loco determinato diſiunctiuè, ſeu mobiliter, neg; cùm enim habeat virtutem limitatam, ideo habet etiam limitationem ad locum. In loco determinato coniunctiuè, ſeu immobiliter ita, vt ſemper coniungatur cum aliquo loco determinato immobiliter, conc.

18 Obijc. 5. *ex noſtro Gibb.* cont. 2. part. cõcl. Eſſe in loco importat ſolam præſentiam, & indiſtantiam à loco; ſed hæc vniuocè dicitur de Angelis, & corporibus; ergo Angeli ſunt in loco vniuocè cum corporibus.

Reſp. neg. mi; præſentia enim non dicitur vniuocè de Deo, de Angelis, & de corporibus; nam de Deo dicitur ſolùm repletiuè, de Angelis definitiuè, & de corporibus commenſuratiuè, ſeu circunſcriptiuè; & ideo nec eſſe in loco vniuocè dicitur.

ART. II.

Quænam ſit ratio conſtitutiua Angeli in loco?

1 HAnc difficultatem ſatis diſcuſſimus *to. 1. de Immenſit. art.* 2; ſicut enim vna,

vna,& eadem eſt ratio conſtituens omne corpus in loco;ita vna, & eadem eſt ratio conſtitutiua ſpiritus in loco proportione ſeruata analogiæ, quæ reperitur inter Deum,& creaturas. Igitur quæ illic fusè tradidimus,breuiùs colligemus, & aliqua pauca huc propriè ſpectantia afferemus.

2 Prima ſententia opinatur Angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtãtiam.*Ita D.Bon. in 2.diſt. 2.q.1.art.1;Greg; Gabr; & communiter Nominales;Scot.ibid.q.6;& omnes eius aſſeclæ*, quibus accedunt *Hugo de Sacram.p.3. c.13; Mol,Sua;Val; & alij*.

3 Sed *Maſtrius in Phyſ. diſp.* 11. *c.*5. *art.*2. videtur,vt conqueruntur *plures Scotiſtæ*,recedere à ſententia *Scoti*; ait enim ſubſtantiam eſſe tãtùm rationem fundamentalem, & remotam, per quam Angelus conſtituitur in loco; rationem verò proximam eſſe, *vbi* definitum, ſeu præſentiam Angelo inhærentem,quæ præſentia eſt forma purè relatiua Angelo intrinſeca; vt ait *ibid. q.3.art.1.*

4 Verùm quòd ſubſtantia ſit fundamentum remotum,nihil facit ad præſens; quærimus enim *hic* de ratione formali proxima conſtitutiua Angeli in loco; quòd autem ſubſtantia Angeli ſit fundamentum, in quo recipitur, & ſubiectatur ratio formalis proxima,nullus poteſt negare,qui aſſerit Angelum proximè conſtitui in loco per aliquod ſibi intrinſecum: omne enim intrinſecũ Angelo, quod non eſt eius ſubſtantia, fundatur in ipſius ſubſtantia;cùm ſubſtantia Angeli ſit fundamentum proximum omnium illorũ, quæ ſunt in Angelo.Igitur cùm *hic* quæratur, quænam ſit ratio formalis proxima, directè negat *Maſtrius* eſſe ſubſtantiam;quia concedit ſolùm hanc eſſe præſentiam Angeli ad locum. Hanc ſententiam videtur ſumpſiſſe à *Sua. lib.* 4. *de Angelis cap.* 2; 3; 7; & 8.

5 Secunda ſententia putat Angelum eſſe in loco per vnionem ad corpus productam à libera voluntate Angeli.*Ita Vaſq. diſp.*288.*c.*7;& *Alarc.diſp.*5.*c.*5;& 6.

6 Tertia ſententia vult Angelum poſſe eſſe in ſpatio imaginario ratione ſubſtantiæ. *Ita noſter Gibb;* qui refert *Mol;Curiel;& Sua.*

7 Quarta ſententia vult Angelum eſſe in loco corporeo proximè,& immediatè per applicationem ſuæ virtutis,ſeu per actionem virtualiter tranſeuntem.*Ita communiter Thomiſtæ,Salm;* quibus adduntur *noſter Gibb;& plures alij ex noſtris in M.S.*

8 Noſtra tamen ſententia conformiter ad ea,quæ diximus *to.*1. *vbiſ;* docet Angelum effectiuè conſtitui in loco per operationem; repletiuè autem per quantitatẽ virtutis.*Ita Fund.Doct. loc.vbiſ.cit;& in* 1.*diſt.*37. *p.*2.*princ.*1.*q.*1. *§.Primum ſic*;vbi habet: *Nam vt habitum eſt,non conuenit alicui per ſe loquendo alicubi eſſe, niſi per quantitatem ſuam. Sicut ergo rebus quantitatem tribuimus,ſic eis locum tribuere debemus. Corpora ergo,quæ habent quantitatem dimenſiuam, ſunt in loco per commenſurationem; ſpiritus autem quantitate dimenſiua carent,& ideo ſpiritum eſſe in loco non eſt ſpiritum commenſurari loco;verùm quia habent quantitatem virtutis, per virtutem ſuam in loco erunt. Virtus autem non habet rationem quanti,vt comparatur ad ſubiectum,ſed magis habet rationem qualis potiſſimè in rebus creatis; eſt enim naturalis potentia. Si ergo habet rationem quanti,hoc eſt per comparationem ad obiectum,ſiue per comparationem ad id, in quod agunt. Si igitur nihil eſt in loco,niſi per quantitatem ſuam,ſpiritum eſſe in loco nihil aliud eſt, quàm in loco operari.* Quibus verbis non ſolùm affert rationem fundamentalem,de qua *inſ;* ſed etiam docet; quòd virtus Angeli poteſt conſiderari,vt naturalis potentia operatiua alicuius effectus,& ſic habet rationem qualitatis, & ideo ſecundùm hanc rationem non conſtituitur Angelus repletiuè in loco; & vt extenditur ad tantum obiectum; & ſic habet rationem quantitatis, per quam conſtituitur repletiuè in loco.Igitur

9 Vnica concl.Angelus eſt in loco effectiuè per operationem; repletiuè verò per applicationem quantitatis virtutis.

Prob.1.pars concl.ex dictis *to.*1.*vbiſ*,nam omnis res,quæ eſt in loco,vel eſt Deus,vel ſpiritus, vel corpus; ſed Deus eſt in omnibus rebus illas efficiendo,replendo,& ſubſtẽtando;ait enim *Beatiſ.P.lib.*4. *de Gen ad lit. c.*12: *Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus cauſa eſt ſubſiſtendi omni creaturæ; & lib.* 9. *c.*15. *Si Deus ſubtrahat operationem intimam, qua naturam ſubſtituit,& facit,continuò tanquam extincta nulla remanebit*. Spiritus verò creatus, vel producitur à Deo in aliquo loco, & ſic effectiuè eſt in loco per operationem Dei, quia per illam efficitur in loco; vt patet de Angelis in principio temporis à Deo in hoc ſpatio reali creatis; vel per actionem ſuam applicat ſe alicui loco,in quo priùs non erat,& ſic efficitur in loco per operationem ſuam; vt patet de Angelis ab vno ad alium locum ſe tranſferentibus;vel efficitur in loco, quatenus à Deo ligatur tali loco tanquam carceri, à quo nequit exire, & ſic eſt in loco effectiuè per operationem Dei, vt patet de Dœmonibus à Deo detruſis in hũc carcerem caliginoſum vſque ad diem Iudicij,& poſtea detrudendis in infernum; vbi ſpiritaliter ligabuntur,ne poſſint exire; ſicut nunc ligantur in hoc aere caliginoſo,quem non poſſunt tranſcendere;vt docet *Beatiſs. P. cit.ſup.art.*

10 Conf. Fieri eſſentialiter importat actionem,imò formaliter eſt ipſa actio; vt patet ex ipſo nomine;ergo fieri in loco importat actionem, per quam res applicatur,& tangit locum; nam actio importat eſſentialiter applicationem,& cõtactum agentis ad paſſum; niſi enim ignis applicatus fuerit ſtupæ, illam non comburit; & niſi tangat, non agit; quia *agens in tantum agit,*

agit, in quantùm tangit. Vid. vbiſup.

Prob.2.pars concl.1.*ex Beatiſſ.P.lib.de Eccleſiaſt.Dogmat.c.*82.docente:*Dæmones per energicam operationem non credimus ſubſtantialiter illabi animæ, ſed applicatione, & oppreſſione vniri.* Ratione autem ſic. Angelus eſt in loco formaliter repletiuè, prout virtualiter extenditur ad locum; non enim locus repletur niſi per aliquod adæquatiuum ſui;quia cùm locus eſſentialiter ſit ſuperficies,& ſuperficies ſit extenſio ſecundùm latitudinem; locus nequit repleri ab aliquo niſi ab illo adæquetur; non poteſt autem adæquari ab alio,niſi illud aliud habeat æqualem extenſionem;ſed nulla res virtualiter extenditur niſi per quantitatem virtutis, ſicut nulla res extenditur formaliter niſi per quantitatem molis; ergo Angelus eſt in loco formaliter repletiuè per quantitatem virtutis.

11 Conf.Indiuiſibile nequit eſſe locus;quia locus formaliter eſt ſuperficies,vt dicitur in eius definitione; ergo indiuiſibile, vt indiuiſibile, nequit eſſe locatum; quia locatum dicitur per ordinem ad locum; vnde ſicuti locus non dicitur niſi per quantitatem;ita locatum formaliter non dicitur niſi per quantitatem; ſed in Angelo non eſt quantitas molis, quia eſt incorporeus; ergo Angelus non locatur niſi per quantitatem virtutis. Ant. patet. Prob. ampliùs conf. Indiuiſibile formaliter,vt indiuiſibile, non poteſt replere diuiſibile; aliter pũctus poſſet replere ſuperficiem; & ſic vnum indiuiſibile aquæ poſſet replere vas; quod eſt patenter falſum; ergo Angelus nequit replere locum formaliter,vt indiuiſibilis;& ideo poteſt ſolùm replere,vt diuiſibilis;ſed non eſt diuiſibilis formaliter per quantitatem molis; quia mole caret;ergo poteſt ſolùm replere per quantitatem virtutis.

12 Explicatur magis. Illud dicitur eſſe repletiuè in alio, quod adæquat capacitatem paſſiuam illius;vt vna gutta aquæ non dicitur replere flumen; quia non adæquat totam capacitatem illius,ſed nullum indiuiſibile formaliter, vt indiuiſibile,poteſt adæquare capacitatem paſſiuam alicuius rei diuiſibilis, æqualitas enim per ordinem ad rem diuiſibilem habetur ſolùm per quãtitatem, cuius eſt paſſio; ſecus punctus repleret quamlibet magnam concauitatem; ergo nullum indiuiſibile formaliter, vt tale, poteſt replere capacitatẽ rei diuiſibilis; ſed locus eſſentialiter eſt diuiſibilis,quia eſt ſuperficies; ergo Angelus nequit eſſe repletiuè in loco niſi per quantitatem virtutis,à qua redditur virtualiter diuiſibilis.

13 Prob.2.Eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte habetur ſolùm per quantitatem virtutis;ſed Angelus eſt in loco totus in toto, & totus in qualibet parte loci; ergo Angelus eſt in loco per quantitatem virtutis.Prob.ma.Reſpicere totum, & partes non habetur niſi per quantitatem;quia totum dicit diuiſibilitatem, & partes diuiſionem;diuiſio autem, & diuiſibilitas eſt paſſio quantitatis;ſed eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte non habetur per quantitatem molis; quia quantitas molis habet eſſe totã in toto; & partẽ in parte,vt patet; ergo eſſe totũ in toto, & totum in qualibet parte habetur per quantitatem virtutis; nam quantitas adæquatè diuiditur in quantitatem molis,& virtutis; & ex vno membro adæquatè diuidente affirmatiuè infertur aliud; vt latrare conuenit animali;ſed non conuenit animali rationali; ergo cõuenit irrationali. Tum quia quantitas virtutis eſt illa, quæ præſtat eundem effectum, quem præſtat quantitas molis abſque diuiſibilitate, & partibilitate reali;aliter ſi haberet diuiſibilitatem,& partibilitatem realem,eſſet quantitas molis,non virtutis; ſed eſſe totum in toto, & in omni parte loci diuiſibiliter eſt effectus quantitatis molis;ergo eſſe totum in toto,& in omni parte indiuiſibiliter eſt effectus formalis quantitatis virtutis;ſed eſſe autem in omni parte indiuiſibiliter eſt eſſe totum in qualibet parte, vt patet. Prob. mi. *ex Beatiſſ. P. Aug.lib.*8.*de Gen.ad lit.c.*19;vbi loquens de Deo ait: *Neque enim eſt in eius ſubſtantia, qua Deus eſt,quod breuius ſit in parte,quàm in toto.Et ſerm.*38.*de Verb.Domini c.*3. *Omne autem,quod ſpatiũ loci occupat,minus eſt in parte, quàm in toto. Pars corporis humani v.g. brachium, vtique minus eſt brachium, quàm totũ corpus; & ſi minus eſt brachium,breuiorem locum occupat. Item caput, quia pars eſt corporis, in minori loco eſt; & minus eſt, quàm totum corpus,cui caput eſt,& ſic omnia,quæ ſunt in loco,minora ſunt in parte, quàm in toto. Et de Immortal.animæ c.*16. *Non eſt ita anima, ſicut moles in loco. Moles quippe omnis, quæ occupat locum,non eſt in ſingulis ſuis partibus tota, ſed in omnibus; quare alia pars eius alibi eſt, & alibi alia. Anima verò non modò vniuerſæ moli corporis ſui,ſed etiam vnicuique particulæ illius tota ſimul adeſt.* Et paulò poſt rationem reddit: *Tota igitur ſingulis partibus ſimul adeſt, quæ tota ſimul ſentit in ſingulis.* Ex quibus ſic. Angelus ita eſt in loco diuiſibili, vt tamen in illo non ſit diuiſus in partes;omnis enim res ſpiritualis eſt eſſentialiter indiuiſibilis;vt anima rationalis; ergo Angelus ita eſt in loco diuiſibili, vt ſit totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci. Tum quia ſi Angelus non eſſet totus in qualibet parte loci, eſſet pars in parte; nullus enim alius modus eſſendi in parte loci poteſt excogitari; ſed eſſe partem in parte non conuenit niſi rei diuiſibili habenti quantitatem molis; à qua ſolùm habetur diuiſio in partes;ergo Angelus eſt totus in toto loco,& totus in qualibet parte loci.Tum quia eſſe partẽ in parte dicit eſſe minus, & breuius; & eſſe totũ in toto dicit eſſe maius,& lõgius; ſed minoritas, & maioritas; breuitas, & longitudo ſunt effectus formales quantitatis molis; qui non competunt Angelo,qui mole caret;ergo eſſe partem in parte non competit Angelo. Hæc ratio maximè attendenda eſt;explicat enim non ſolùm quantitatem

tem virtutis,& per conſequens modum, quo res ſpiritualis eſt in loco;ſed etiam multa alia, quæ valde implicant *Aduerſarios* ; vt *infra. Vid. to.1. vbiſ.n.17.*

14 Ex dictis licèt ſufficienter reiectæ ſint aliæ ſententiæ;attamen ſingulatim,& breuiter de illis eſt diſcurrendum.

15 Prima quidem impugnata fuit *to.1.vbi-ſup.n.20;& ſeq.* Præterea *Fund.Doct. in 1. vbiſ. §.Nam quidam* ait; quòd hæc ſententia peruertit ordinem Vniuerſi, & attribuit ſubſtantiæ Angelicæ illud,quod nulli ſubſtantię conuenit.Primum probat ſic. Tota ratio,quare aliquid ſecūdùm ſe eſt in loco corporeo, eſt,quia dicit ordinē ad corpus cœleſte; vnde *Phil. 4. Phyſ.t. c.40.* ait;quòd totus fluuius magis habet rationem loci,quàm partes fluuij ; quia partes fluuij mouentur,& defluunt; totus autem fluuius eſt immobilis, quia ſeruat eandem diſtantiam ad corpus cœleſte; ſed ſubſtantia Angelica ſecundùm ſe non ordinatur ad corpus cœleſte ; quia non eſt inferior,ſed ſuperior;ergo ſecundùm ſe ipſam, idèſt per rationem formalem ſubſtātiæ ſpiritualis,non eſt in loco . Secundum probat ſic. Nulli ſubſtantiæ, vt ſubſtantia eſt, conuenit eſſe in loco,quia nulli ſubſtantiæ, vt ſubſtantia eſt,conuenit extenſio;illud autem , quòd eſt in loco,debet eſſe extenſum,aliter non eſſet in loco;qui eſſentialiter eſt diuiſibilis, cùm ſit ſuperficies ; ſed indiuiſibile , quia indiuiſibile eſt, non poteſt occupare niſi indiuiſibile , cui ſolùm adæquatur; nā ſi occuparet diuiſibile , ſequeretur , quòd ſecundùm aliquid ſui occuparet indiuiſibile;& ſecūdū aliquid occuparet diuiſibile;& ſic non eſſet indiuiſibile; ergo Angelus ratione ſubſtantiæ nequit eſſe in loco, ſed ad ſummum ei poteſt competere eſſe in puncto indiuiſibili,qui non eſt locus.

16 Sententia *Maſtrij* reijcitur ſic.1.Pręſentia Angeli,quæ idem eſt, ac *Vbi* Angelicum , eſt aliquod conſequens ad exiſtentiam Angeli in loco ; ergo nequit eſſe ratio formalis exiſtentiæ Angeli in loco, quæ debet concipi , vt aliquod prius.Ant.eſt doctrina ipſius *Maſtrij*.Prob.conſ. 1.Ita ſe habet *Vbi* in ordine ad locum,ſicut *quādo* in ordine ad tempus; ſicut enim *quādo* reſultat in rebus ex adiacientia temporis; ita *Vbi* reſultat in locato ex circunſcriptione loci ; quapropter *Vbi* definitur *circunſcriptio paſſiua corporis locati ex circunſcriptione actiua loci proueniēs*; ſed *quando* non eſt ratio formalis conſtitutiua rei in tempore,cùm ſit potiùs effectus illius;ergo neque *Vbi* eſt ratio formalis conſtitutiua rei in loco.2.Præſentia locati ad locum vel eſt idem, ac exiſtentia in loco , quia præſentia idem eſt, ac habere *præ ſe aliud ens*;& quia locus dicit receptionem alterius in ſe ipſo,ideo præſentia localis importat habere præ ſe locum , in quo exiſtit ; ergo nequit eſſe ratio conſtitutiua rei in loco; quia ratio formalis debet eſſe prior effectu formali . Vel eſt quid conſequens ad exiſtētiam in loco ; non enim poteſt eſſe quid prius, implicat nāque,quòd aliquid ſit præſens localiter, & non ſit in loco;neque poteſt eſſe ſimul , quia ſic non eſſet ratio formalis , quæ neceſſariò debet concipi , vt prior , vt dictum eſt ; ergo remanet, quòd ſit quid conſequens.

17 Præterea præſentia,ſeu indiſtantia vnius rei ab alia præciſè ſumpta non conſtituit rem in loco;nam vnus locus eſt præſens, & indiſtans ab alio,& tamen nō eſt in illo; ergo pręciſè ſumpta nequit conſtituere rem in loco. Tandem præſētia localis ſecundùm *Maſtr.*eſt mera relatio; ſed mera relatio non conſtituit in loco; eſſe enim in loco non pertinet formaliter ad prædicamentū relationis,ſed ad prædicamentum *Vbi*; prædicamenta autem diſtinguuntur ſaltem formaliter , cùm ſint genera primò diuerſa; ergo præſentia localis non conſtituit in loco .

18 Ita reijcitur *Vaſq.*;nam ille modus vnionis reſultat ex operatione Angeli virtualiter adæquanre locū ; ergo ille modus ſupponit Angelum conſtitutum in loco;& ideo nō conſtituit. Præterea modus vnionis non minùs reſultat in corpore locato,quàm in Angelo locato;quia nō minùs vnitur corpus locatum loco,quàm Angelus ; ſed corpus locatum non conſtituitur per illum modum; ergo neque Angelus .

19 Sententia *noſtri Gibb.*reijcitur auctoritate *Beatiſſ.P.epiſt.57.* aſſerentis : *Spatia locorum tolle corporibus,nuſquam erunt*; ergo ſubſtantia eſt ratio non exiſtendi in loco. Pręterea ſpatium imaginarium nihil eſt extra ſubſtantiam Angeli; ergo ſubſtantia Angeli in ſpatio imaginario exiſteret in ſe ipſa tantùm , non in alio ; quia nihil aliud daretur præter Angelū ; & ideo colligitur ſolū ex hoc,quòd ſubſtantia Angeli ſit ratio exiſtendi in ſe,& per ſe;nō autem in alio ; quod potiùs repugnat rationi ſubſtantiæ;quæ quia habet eſſe rationem exiſtendi per ſe, videtur non poſſe habere rationem exiſtendi in alio; vt quia accidens habet rationem exiſtendi in alio potentialiter,illi repugnat eſſe rationem exiſtendi in ſe,& per ſe potentialiter ; per quod magis euertitur prima ſententia.*Vid.to.1.vbiſ. art.4.*

20 Obijc.1.*Maſtr.* Vel Angeli ſunt in loco per operationem tranſeuntem,vel per operationem immanentem? Non primum; quia operatio tranſiens nequit eſſe ratio, cur aliquid ſit alicubi;Sol etenim operatur in terra,& non eſt in terra ſecundùm ſubſtantiam . Tum quia ratio eſſendi in loco debet eſſe intrinſecè in re locata, vt patet de quantitate reſpectu corporum . Tum quia Angeli , & animæ beatæ ſunt in Empyrco , vbi tranſeunter non operantur, quia illud non mouent;& Dœmones ſunt in inferno,vbi ſolùm patiuntur,nec per liberam voluntatem ſe applicant illi loco pœnarum . Tum quia motor Cœli habet pro mobili adæquato totum Cœlum, & tamen non eſt in toto Cœlo;aliter ſimul eſſet in oriente, & occidente . Tum quia operatio tran-

ſiens Angeli eſt in loco commenſuratiuè,cùm ſit materialis;ergo Angelus eſſet in loco commenſuratiuè. Tandem præſentia agentis eſt conditio præuia ad actionem;ergo actio ſupponit præſentiam localem. Non ſecundum;quia operatio immanens abſtrahit à loco ; illum enim reſpicit ſolùm intentionaliter. Tum quia ſi actio, qua Angelus vult applicare ſuam virtutem alicui corpori,conſtitueret Angelum in loco, ſequeretur, quòd Diabolus volens applicare ſuam virtutem Cœlo ſtatim eſſet in Cœlo. Tum quia Angelus *Dan.*10.miſſus à Deo in *Perſidem* ad liberãdum populum habebat volitionem applicatiuam illi Regno , & tamen non erat in illo Regno ; quia Angelus *Perſarum* reſiſtebat , ne in illud intraret;& Dœmones *Marc.*5.habebant voluntatem applicatam ad eundum in porcos,& tamen in illis non erant. Tandem ridiculum eſt ponere Angelos naturæ adeo melanconicæ , vt ſemper occupentur in cogitando,vt ſint in aliquo loco .

Reſp. *cum Fund.Doct. de Menſ. Ang. q. 9.* Angelos effectiuè, non per operationem formaliter tranſeuntem , nec per actionem formaliter immanentem, ſed eſſe in loco per actionem virtualiter tranſeuntem,ſicut corpus non ſit in loco per operationem tranſeuntem in locum, & mouentem locum;locus enim eſt immobilis;ſed per operationem applicantem corpus loco ; quæ dicitur virtualiter tranſiens,quia reſpicit locum , qui eſt aliquid extrinſecum;repletiuè autem eſſe in loco per quantitatem virtutis, prout virtualiter extenditur ad talem locum. Ad 1.improb.dicitur Solem non eſſe in terra effectiuè per operationem,quia operatio Solis eſt merè tranſiẽs ; non autem eſt applicatiua, & vnitiua ſubſtantiæ Solis ad ipſam terram. Ad 2.dicitur , quòd licèt ratio eſſendi in loco debeat eſſe intrinſeca locato;attamen debet reſpicere locũ , qui eſt extrinſecus,& ideo dicitur virtualiter tranſiens. Ad 3. dicitur Angelos eſſe in Empyreo per operationem virtualiter tranſeuntem, non quidem motiuam Empyrei; quia actio motiua alicuius corporis eſt merè tranſiens , cùm recipiatur in corpore, ſed applicatiuam, & vnitiuam ſubſtantiæ Angelicæ ad ipſum Cœlum.Ad aliud de Dœmonibus dicitur effectiuè pati. in inferno per actiõne Dei,qua ligantur tali loco, & ideo inuoluntariè. Ad 4.dicitur,quòd licèt actio tranſiens,qua Angelus mouet Cœlum , habeat pro mobili adæquato ipſum Cœlum , non tamen verificatur de actione applicatiua Angeli ad Cęlum. Ad 5.neg; quòd actio applicatiua ſit materialis , quidquid ſit de actione tranſeunte.Ad 6.dicitur præſentiã agentis eſſe conditionem præuiam ad actiõnem tranſeuntem,non ad actionem applicatiuã agentis ad paſſum. Ad alteram improb. dicitur, quòd licèt actio merè immanens reſpiciat obiecta ſolùm intentionaliter; falſum tamen eſt de actione immanente virtualiter tranſeunte. Ad 2.dicitur, quòd Diabolus poteſt quidem habere voluntatem applicatam in actu primo ad eſſendum in Cœlo, non tamen in actu ſecundo; quia ligatur à Deo in hoc aere caliginoſo tanquam in carcere; vnde ſicuti homines detenti in carcere habent quidem potẽtiam ad eſſendum extra carcerem , non tamen actu eſſe poſſunt extra carcerem,cùm actu ligantur in carcere; ab illa enim alligatione impeditur potẽtia locomotiua, ne actu ſint extra carcerem.Sic dicitur de Angelo miſſo in *Perſidẽ*, quod habebat potentiã in actu primo potentem ſe applicare , non tamen actu applicatam , quia impediebatur ab Angelo Regni *Perſarum*,& de dœmonibus , qui impediuntur à Deo, ne ingrediantur corpora creaturarum, quibus tamen in actu primo poſſunt ſe applicare .

21 Obijc.2.Certum eſt Angelum poſſe ceſſare à quacunque operatione,vel ob ſuam libertatem,vel ob concurſum Dei denegatum; ſed in tali caſu Angelus eſſet in loco, in quo eſt, quia non poteſt diſcedere à loco , niſi per aliquam operationem , nullam enim operationem haberet ; tum quia eſſet indiſtans ab hoc loco, & Deus videret illum nõ eſſe præſentem alteri loco;ergo eſſet in hoc loco ſine operatione. Tum quia ſi Deus auferret quantitatem à corpore , adhuc corpus eſſet in loco definitiuè per ſuam ſubſtantiam. Tum quia ſi Angelus non eſſet in loco per ſuam ſubſtantiam,maximè, quia eſſe in loco eſt aliquod accidentale , & variabile ; illud autem, quod competit rei ratione ſubſtantiæ,eſt aliquod ſubſtantiale,& inuariabile; ſed hæc ratio non concludit,quia Angelus eſt in loco per ſubſtantiam, prout liberè applicatam loco ex imperio voluntatis ipſius Angeli; ergo nihil per eam concluditur ;

Reſp.ad 1. diſt.ma. Poteſt ceſſare ab omnĩ operatione formaliter tranſeunte,tranſeat ; cùm enim Angelus ſubdatur imperio Dei,qui eſt primum mouens,ideo non poteſt ceſſare ab operatione,ad quam illum mouet Deus; nullus enim poteſt reſiſtere voluntati Dei iuxta illud *Eſther* 13:*Non eſt,qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati* . Ab omni operatione applicatiua ad locum diſiunctiuè,conc;collectiuè,neg;non enim poteſt ſe diſconnectere ab Vniuerſo. Ad mi.dicitur,quòd in hypotheſi,qua Deus ſuſpenderet concurſum ad omnem actionem Angeli, ſiue motiuam,ſiue applicatiuam , Angelus nullibi eſſet ; & licèt eſſet indiſtans à loco, non tamen eſſet repletiuè in illo ; quia non extenderet ſuam quantitatem virtutis ad illum; licèt enim, vt dictum eſt , locus *A* ſit indiſtans à loco *B* ; quia tamen non applicat ſuam quantitatem repleudo quantitatem loci *B*, ideo non eſt in illo. Ita à pari licèt Deus videret Angelum indiſtantem à loco; attamen non videret eſſe in loco, quia non videret quantitatem virtutis ipſius applicatam, & replentem locum . Ad 2. neg. aſſumpt; vel dicitur , quòd ſi corpus ablata quantitate molis eſſet in loco definitiuè , hoc eſſet per quantitatem virtutis,per quam re-

ple-

pleret locum;aliter nulla eſset ratio repletiuæ, vt dictum eſt. Ad 3. dicitur, quòd ſi ſubſtantia Angeli eſt in loco, prout applicata per imperium voluntatis ipſius Angeli, apertè ſequitur operationem applicatiuam eſse rationem formalem conſtituentem Angelum in loco;ſubſtantiam verò Angeli eſse rem materialiter cõſtitutam in loco; illa enim particula *prout* reduplicat rationem formalem,vt cùm dicitur: *Homo, prout rationalis,diſcurrit.* Et ſic *Maſtrius* ruit in noſtrã ſententiam. Et ſi dicatur imperium voluntatis eſſe tantùm conditionem applicatiuam, ſicut approximatio ignis ad lignum. Contra eſt; quia ex eo, quòd noſtra voluntas applicet corpus noſtrũ ad talem locum,quia tamen non eſt ratio formalis locatiua, ideo non poſsumus eſse modò in minori,modò in maiori loco;quia quantitas,quę eſt ratio formalis locãs,non variatur; ſed ſubſtãtia Angeli eſt inuariabilis; ergo Angeli locus non eſset variabilis.

22 Obijc.3.Prius eſt rem eſse in loco,quàm operari in illo; quia prius eſt rem eſse ſimpliciter,quàm operari ſimpliciter;*cùm operari ſequatur ad eſſe*;ſicut *enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita ſecundùm quid ad ſecundùm quid*; ergo Angelus non eſt in loco per operationem. 2.Sequeretur Angelos nunquam poſse quieſcere in loco; quia ſemper deberent operari, vt in illo exiſterent.

Reſp. ad 1.diſt. ant. Operari in loco tranſeunter ſupponit eſse in loco applicatiuè, conc; operari in loco applicatiuè, idẽſt ſe applicare loco,ſupponit eſse in loco,neg; nam eſse in loco non conſtituitur niſi per applicationem locati ad locum;vnde ſi ſubſtantia eſset in loco ratione ſui,adhuc eſset in loco per applicationem ſui ad locum;& ideo nec *ab Aduerſarijs* hoc poteſt negari. Sicut ergo eſse ſimpliciter præſupponitur ad operari ſimpliciter; ita eſse applicatiuè in loco præſupponitur ad operari in loco; quia eſse applicatiuè in loco proportionatur cũ eſse ſimpliciter; eſse autem applicatiuè non eſt, niſi per operationem,ſicut eſse ſimpliciter creaturæ non eſt niſi per operationem Dei productiuam ipſius eſse creaturæ. Præterea diſt. Quotieſcunque eſse ſecundùm quid producitur per operari ſecundũ quid,neg;vt quia cytharizando efficimur cytharedi; ideo cytharizare non ſupponit eſse cytharedum; quia eſse cytharedum producitur per actionem cytharizandi; ſic nec eſse in loco præſupponitur ad operari in loco applicatiuè, quia conſtituitur per operari applicatiuè ad locum, vt probatum eſt. Quotieſcunque eſſe ſecundùm quid non producitur per operari ſecundũ quid; ſicut eſſe ſimpliciter non producitur per operationem ipſius creaturæ; quia nulla creatura poteſt producere ſe ipſam,conc. Ad 2.neg.aſſumpt; nam Angelus conſeruando applicationẽ ad eundem locum,dicitur quieſcere in illo,ſicut corpus conſeruans idem *Vbi* acquiſitum per motum dicitur quieſcere in illo. Præterea operari Angelicum non eſt laborioſum, vt ruditer imaginantur *Aduerſarij* reſpicientes ſpiritualia, ſicut corporalia;ſed voluptuoſum,& indicãs perfectionem, quæ in operatione conſiſtit.

23 Obijc. 4. Si Angelus eſſet in loco per operationem, ſequeretur, quòd vnum corpus mouens aliud corpus eſſet in duplici loco,quia in vno eſſet per quantitatem molis,& in alio per quantitatem virtutis; & ſic Cœlum operans in grano milij eſſet definitiuè in illo; ſed conſ. eſt falſum;ergo & ant. 2.Per *Articulum Pariſienſem* declaratur erronea ſententia aſſerens Angelum eſſe in loco per operationem tantùm, & non per ſubſtantiam.

Reſp.ad 1. neg.ſeq; procedit enim ex falſo ſuppoſito; Angelus nanq;nõ eſt in loco per operationem tranſeuntem mouentem corpus, ſed eſt in loco per operationem, qua ſe applicat loco;& ſic corpus non eſt in loco per operationem, qua mouet aliud corpus,ſed qua applicat ſuam quãtitatem loco; Cœlum autem operans in grano milij non applicat ei ſuam quantitatem,vt patet; ideo nihil omnino ſequitur. Ad 2.dicitur *Articulum Pariſienſem* damnare aſſerentes ſolam operationem Angeli,non autem ſubſtantiam eſſe in loco; nos autem dicimus vtrunque eſſe in loco ita tamen, vt ſubſtantia conſtituatur effectiuè in loco per operationem;ſicut dicimus ſubſtantiam corpoream,& quantitatem molis eſſe in loco ita tamen, vt ſubſtantia cõſtituatur in loco per quãtitatem; quapropter alius *Articulus Pariſienſis*, vt notat *Maſtrius n.76*; decernit ſubſtantiam nõ eſſe rationem eſſendi in loco definitiuè, & ideo ne concedamus contradictionem *in his Articulis*,explicandus eſt primus in ſenſu allato. Vel dicitur *hos Articulos* non eſſe magnæ auctoritatis, plura enim continent ferè communiter reiecta ab omnibus.

24 Obijc. 5. Anima ſeparata eſt in loco, & tamen nullam habet operationem circa corpora,vt docet *D.Tho;*ſed anima eſt ſpiritus; ergo ſpiritus non conſtituitur in loco per operationẽ.

Reſp.Non eſſe adeo certum,& manifeſtum animam ſeparatam non poſſe operari circa corpora,vt *dix.q.1.art.2.n.12*; & ideo poteſt negari ma.Vel dicitur nõ habere operationẽ informatiuam,vel motiuam, habere tamen operationem applicatiuam, & hac diſtinctione continuò vtendum eſt;ſic enim ſoluuntur ferè omnes obiectiones,quæ æquiuocè procedunt de operatione.

25 Obijc.*6.Gibb.*ſubſtantia Angeli ſecundũ ſe eſt finita, & limitata; ergo ſecundùm ſe exiſtit in aliquo loco determinato, aliter eſſet immẽſa.

Reſp.*Fũd.Doct.vbiſ.* §.*Nam quidam* dicẽs: *Motiuum autem iſtorum rude fuit, nam eſſentia Angeli eſt finita,quia continetur inter proprios terminos ſuæ ſpeciei;non tamen eſt finita,quia de ſe determinetur ad locum*; igitur ſic dicentes *æquiuocatione decepti ſunt*.

Digitized by Google

26 Inſt. *Gibb.* Non poteſt ſubſtantia Angeli produci à parte rei abſque eo, quòd exiſtat in aliqua determinata duratione; ergo neque abſq; eo, quòd exiſtat in aliquo loco. Tum quia quidquid eſt à parte rei, neceſſariò vel exiſtit vbique, vel in aliquo determinato loco. Tum quia Angelus productus extra Cœlum haberet diſtantiam, & propinquitatem ad Cœlum, & ad alia entia, quæ in ſpatio imaginario à Deo poſſunt creari; ſed tunc non eſſet in illo ſpatio per operationem; ergo per ſuam ſubſtantiam. Tum quia ſi Deus produceret Angelum extra Cœlũ, Deus eſſet in Angelo realiter ei præſens; ergo ſicut Angelus eſſet in aliqua duratione determinata, ita eſſet in loco determinato. Tum quia Angelus ordine naturæ priùs eſt propinquus corpori quoad locum, quàm operetur in illo. Tum quia Angelus in vacuo poſſet moueri, & acquirere aliud *vbi*.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Non poteſt Angelus produci in eſse abſque eo, quòd exiſtat in aliqua determinata duratione, abſque ratione formali conſtitutiua durationis, neg; implicat enim eſſe effectum formalem ſine cauſa formali. Abſque eo, quòd exiſtat in aliqua duratione poſita ratione formali durationis, conc. Igitur ſi Deus produceret Angelum in inſtanti, & in alio inſtanti ipſum non conſeruaret, ille Angelus non duraret; quia duratio eſt permanentia in eſſe, quam non haberet Angelus. Sic non poteſt producere Angelum ſine loco poſita ratione formali exiſtentiæ in loco, & poſito loco. Sed non poſita ratione formali exiſtendi in loco, & non poſito loco produceret ſine loco; ſicut non poſita menſura durationis Angeli, quæ ſe habet ad duratione͂ Angeli; ſicut locus ad exiſtentiam in loco; & non poſita adiacentia eſſe Angeli ad talem menſurã, quæ adiacentia ſe habet, ſicut exiſtentia Angeli ad locum, Angelus non eſſet in aliqua duratione. Sic ad 2. Quidquid eſt à parte rei, neceſſariò eſt in loco poſita ratione formali eſſendi in loco, conc; ablata tali ratione, neg. Ad 3. dicitur procedere ex falſa imaginatione, qua concipitur ſpatiũ extra Cęlum, quod eſt purum nihil, habere diſtãtiam, & propinquitatem; quæ imaginatio corrigenda eſt. Præterea dicitur, quòd data tali diſtãtia Angelus eſſet in illa per applicationem ſuæ quantitatis virtutis, per quam applicaret ſe illi ſpatio nihil tamen producendo tranſeunter in illo ſpatio. Ad 4. eodem modo dicitur, quòd Angelus eſſet locus Dei, quia eſſet aliquod reale; Angelus autem non eſſet in loco; ſed in nihilo, quia illud ſpatium eſſet nihil, vel ſi eſſet ſpatium, eſſet per applicationem ſuæ virtutis ad illud. Ad 5. dicitur probare Angelum eſſe etiam in loco reali per ſuam ſubſtãtiam; quod negat *Gibb. dub. ſeq*; vnde eadem reſponſione, qua ſolueret ipſe hanc obiectionem de ſpatio reali, ſoluitur de ſpatio imaginario. Solutione͂ huius *vid. ſuperiùs*. Ad vlt. diſt. In vacuo habente circunferentiam localem, tranſeat; non habente neg; nam in vacuo primo modo ſumpto haberet aliud *vbi* per ordinem ad circunferentiam poſitiuam; quod non haberet in ſpatio purè imaginario.

26 Quæres; an operatio, per quam Angelus eſt in loco, ſit actio intellectus, vel voluntatis?

Reſp. neutrius eſſe actionem, ſed potentiæ tranſeunter agentis, quæ in Angelis diſtinguitur realiter ab intellectu, & voluntate; nam intellectus, & voluntas ſecundùm ſe ipſas præcisè acceptæ ſunt potentiæ immanenter agentes; nec poſsunt tranſeunter agere, niſi mediante potentia agente ad extra. Eſt contra *Thomiſtas, & quã plures ex noſtris. Vid*; quæ diximus *to. 1. de Omnipot. art. 6.* Illa ergo potentia, quatenus ex libera voluntate Angeli applicatur huic ſpatio, vel illi; maiori, vel minori, eſt ratio eſſendi in loco.

27 Collig. 1. Angelum non poſſe eſse in eſſentia alterius Angeli, vel animæ rationalis tanquam in loco; quia locus eſt eſſentialiter extenſus, cùm ſit ſuperficies; tum quia in eſſentias non datur niſi illapſus; & illapſus repugnat creaturæ, vt *videbimus ſuo loco.*

28 Collig. 2. Angelum non poſse naturaliter nullibi eſse; quia, vt docet *Fund. Doct*; Angelus nequit naturaliter inuertere ordinem Vniuerſi; inuerteret autem, ſi nullibi poſset eſse, quia poſset ſeipſum ſeparare à partibus illius; eo ipſo enim, quòd non eſset in loco, iam non tangeret corpus; quia ſi tangeret, eſset in illo, tanquam in loco; & ſi non tangeret, non eſset connexus cum illo, & ideo tolleretur ordo totius, qui in connexione partium conſiſtit. Hinc *Beatiſſ. P. lib. de Immortalit. animæ c. 1.* ait: *Quidquid eſt, nuſquam eſſe non poteſt.* Quid autem dicendum ſit per ordinem ad Diuinam omnipotentiam iuxta alium curſum, quem poterat dare creaturis; nulla apparet repugnantia; eſse enim in loco eſt quid extrinſecum accidentaliter adueniens creaturæ; & ideo poteſt ſaluari creatura ſine exiſtẽtia in loco.

A R T. III.

An Angelus poſſit eſſe in loco minori in infinitum?

1 ANgelum eſſe in loco diuiſibili ſupponimus *contra aliquos antiquos* relatos *à Fund. Doct.* aſſerentes Angelum ſemper eſſe in loco punctali; quia eſt in loco per ſuam ſubſtantiam; quæ cùm ſit indiuiſibilis, exigit eſſe in loco indiuiſibili. Impugnantur autem ſic. Angelus eſt in loco per operationem, vt oſtenſum eſt *in ſup. art*; ſed operatio Angeli poteſt ſe extendere ad corpus quantum diuiſibile; imò neceſſariò ſic extenditur; vt *inferiùs in ſeq. art.* oſtendemus; ergo Angelus eſt in loco diuiſibili, & quanto. Tum quia anima noſtra eſt indiuiſibilis, ſicut Angelus, quia eſt ſpiritualis; & tamen eſt in toto corpore, quod eſt diuiſibile, & quantum; ergo Angelus, licèt ſpiritualis, & indiuiſibilis ſecundũ ſubſtantiã, attamen eſt in loco diuiſibili, & quanto. Tum quia indiuiſibilitas Angeli non eſt, ſicut in-

indiuiſibilitas puncti;quæ dicit maximam imperfectionem; ſed indiuiſibilitas dicens magnam perfectionem ſuperiorem ad perfectionem, quã importat diuiſibilitas;atqui indiuiſibilitas perfectior,& ſuperior diuiſibilitate cõtinet virtualiter perfectionem diuiſibilitatis; quia quæ diſpergũtur in inferioribus, continentur in ſuperioribus ſaltem virtualiter;vt patet de anima noſtra,quæ, quia eſt perfectior anima ſẽſitiua, & vegetatiua, ideo illas virtualiter continet; ergo indiuiſibilitas Angeli eſt virtualiter diuiſibilis; atqui quod eſt virtualiter tale, poteſt præſtare eundem effectum,quem præſtat illud, quod eſt formaliter tale;ergo indiuiſibilitas Angeli, cùm ſit virtualiter diuiſibilis, poterit eſſe in loco diuiſibili; ſicut in illo eſt formaliter diuiſibile. *Hoc ſupp.*

2 Prima ſententia vult Angelum neceſſariò eſſe in loco adæquato quantitati ſuæ virtutis, nec poſſe eſſe in minori eo prorſus modo, quo corpus exiſtit in loco. *Ita Val. hic diſp. 4. q. 3. punct.3*;& hanc ſentẽtiam *Scotus in 1.diſt.8.q.2.* videtur indeciſam relinquere aſſerens non poſſe probari ſufficienter oppoſitum.

3 Secunda ſententia opinatur, quòd licèt Angelus poſſit eſſe in loco inadæquato;attamen nequit exiſtere in minori in infinitum;ſed exiſtere in loco ita paruo;vt non poſſit eſſe in minori. Tribuitur *Scoto in 2.diſt.2.q.2.5. Ad propoſitum*; & quãuis *Maſtr. in Phyſ.diſp.11.q.5.art.2.n.84.* aſſerat ipſum diſputatiuè, & dubitatiuè loqui; attamen *cæteri Scotiſtæ* tenent hanc ſententiam *Scotum* docuiſſe.

4 Noſtra tamen ſententia docet, quòd licèt Angelus non poſſit eſſe in loco maiori in infinitum;& ideo neceſſariò admittendus ſit terminus magnitudinis loci Angeli;attamen poteſt exiſtere in loco minori in infinitum; & ideo non dari terminum paruitatis. *Ita Fund.Doct.in 1.diſt.37. p.2.princ.1.q.2;Greg.in 2.diſt.2.q.1.art.2;& omnes alij ex noſtris*; quibus acceſſit *Gibb. hic diſp. 18.dub.3.n.13;& ſeq.* Hanc ſequuntur *Thomiſtæ;& omnes alij communiter.*

5 Vnica concl. Angelus nequit eſſe in loco maiori in infinitum;& ideo neceſſariò dandus eſt terminus magnitudinis loci Angelici; poteſt tamen eſſe in loco minori finitè in infinitum.

Prob.1. pars concl.1. ex illis *Scripturæ* locis,in quibus vbiquitas tribuitur ſoli Deo, tanquam proprietas illius; vt *Iob.11. Excelſior Cælo,profundior inferno,longior terra menſura eius, & latior mari.*Ex quo ſic.Angelus nequit exiſtere in toto Vniuerſo à Deo creato cum potentia ad exiſtendum in maiori ſpatio reali à Deo creabili; quia hoc eſt proprium menſuræ Dei; vt ait *Scriptura*; ergo neceſſariò dandus eſt terminus magnitudinis loci ipſius Angeli; aliter nedum poſſet exiſtere in toto hoc Vniuerſo;ſed etiam in maiori ſpatio in infinitum à Deo creabili.*Vid. Beatiſſ.P.tract.1.in Io*; vbi deſcribens Deum ait eſſe *ſubſtãtiam viuam vbique præſentem, vbique totam,nuſquam incluſam*; ſed ſi non daretur terminus magnitudinis loci Angelorũ, Angeli poſſent eſſe vbique præſentes,vbique toti,quia sũt definitiuè in loco;hoc enim eſt eſſe totũ in omni parte,& nuſquã includerentur; quia poſſent eſſe in maiori loco;ergo hæc nõ eſſet deſcriptio Dei.

6 Prob.2.*ex Fund. Doct.*Angelus habet eſſentiam finitam,& ideo intra terminos clauſam; ergo quantitas virtutis, quæ eſt proprietas eſsẽtiæ Angeli, habet terminum ſuæ magnitudinis; aliter proprietas non commenſuraretur cum eſſentia;& effectus excederet ſuam cauſam.

7 Prob.2.pars concl.ex doctrina *Beatiſſ.P. tradita in ſup.art.* Illud, quod eſt totum in toto, & totum in qualibet parte loci, poteſt eſſe in qualibet parte minori ipſius loci;videmus enim, quòd anima rationalis, quia eſt tota in toto corpore,& tota in qualibet parte; modò eſt in corpore minori,vt in puero; modò in maiori, vt in viro;& licèt ipſa non poſſit eſſe in minori in infinitum;eſt, quia ipſa nedum habet rationem locati;ſed etiam habet rationem formæ informantis ipſum corpus;& ideo requirit debitam quantitatem ſufficiẽtem organizationi neceſſariò exigitæ ad recipiẽdam talem formam;illud autem, quod merè habet rationem locati,cùm non exigat organizationem ad hoc,vt recipiatur (ad rationem enim locati ſufficit quæcunque diuiſibilitas conſtituens ſuperficiem;ſicuti exigitur præcisè à ratione loci;vt patet ex eius definitione) ideo poteſt eſſe in qualibet parte loci; ſed quælibet pars loci eſt diuiſibilis in minorem in infinitum;quia nullum diuiſibile eſt reſolubile in indiuiſibilia; aliter cõponeretur ex ipſis; nã quodlibet componitur ex his,in quæ reſoluitur; ergo illud,quod eſt totum in toto, & totum in qualibet parte, poteſt eſſe in qualibet parte loci minori in infinitum.Atqui Angelus eſt totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci; quia eſt formaliter indiuiſibilis, & diuiſibilis ſolùm virtualiter;ſicut anima rationalis; ergo poteſt eſſe in loco minori in infinitum; & ideo non datur terminus paruitatis loci ipſius Angeli.

8 Conf. In tantùm corpus denſum nõn poteſt occupare minorem locum; in quantùm eius partes non poſſunt ſe penetrare, nec magis reſtringi;& in tantùm corpus rarum poteſt minorem locum occupare;in quantùm eius partes,licèt non poſſint ſe penetrare, poſſunt tamen per condenſationem reſtringi;ergo Angelus, quia caret partibus, poterit eſſe in loco minori in infinitum;ratio namque, ob quam non poteſt corpus cõtineri totum in minori loco, quàm exigat ſua quantitas, eſt, quia illius partes adeo extenduntur,vt in minori loco contineri non poſſint; atqui hæc ratio deeſt in Angelo;ergo in illo nulla eſt ratio, cur non poſſit eſſe in loco minori in infinitum.

9 Prob.2.*ex Fund.Doct.vbiſ.*Illud,quod eſt in loco per quantitatem virtutis liberè applica-

tam

tam loco,poteſt eſſe in loco minori in infinitum; ſed Angelus ita eſt in loco; ergo poteſt eſſe in loco minori in infinitum.Prob.ma.In tantùm applicatio alicuius agentis terminatur ad aliquod obiectum ita, vt non poſſit applicari ad minus obiectum;in quantùm illud eſt agens ex neceſſitate naturæ,quod agit, quantùm poteſt intenſiuè,& extenſiuè; cùm enim agens ex neceſſitate naturæ non habeat dominium ſuorum actuum; ideo non poteſt illos extendere,vel reſtringere; intendere,vel remittere, quantùm vult; vt patet de igne,qui calefacit quantùm calefacere poteſt; & ideo nequit calefacere ſolũ aliquas partes ligni approximati, & non alias; vel introducere pro libito calorem ſolùm,vt duo, velvt quatuor; non vt octo. Vel in tantùm applicatio alicuius agentis non poteſt terminari ad minus obiectũ; in quantùm illud agens, licèt ſit liberum, attamẽ eſt ſenſibile,vt homo, & in ſe applicando vtitur operatione ſenſitiua; quæ exigit determinatam quantitatem ita,vt ſi eſſet minor, non fieret ſenſatio. Vel quia licèt agens habeat dominium extendendi,vel remittendi ſuam operationem; attamen obiectum,in quod agit, debet eſſe determinatę ſpeciei; quæ exigit determinatam quantitatem ita,vt ſi minor eſſet,non eſſet ampliùs in illa ſpecie; quapropter *Phil.1. Phyſ. t.c.28.* ait, quòd eſt dare *minimam aquam, & minimã carnem*; aqua enim ſic poteſt minutatim diuidi, vt ſi ampliùs diuidatur,non remaneat ampliùs aqua; & ita de carne;& ideo agens, quod debet agere in aquam, vel carnem, ex parte effectus neceſſitatur ad agendum in determinatam quantitatẽ ita,vt nequeat agere in minorem; ſicut anima noſtra, quia debet informare corpus humanum; & corpus humanũm requirit talem organizationem, quæ nequit fieri niſi in tanta quantitate; ideo licèt ſit ſpiritualis,attamen nequit informare embrionem ſtatim,ac formatus eſt, ſed ſolùm poſtquam eſt talis magnitudinis requiſitæ ad organizationem exigitam ad corpus humanum. Vel tandem quia illud, in quod agens agit, eſt indiuiſibile;cùm enim non detur minus indiuiſibili,quod eſt extremum quantitatis; & vltra extremum nihil ſit; ideo tale agens nequit agere in minus;ergo illud, quod eſt in loco per liberã applicationem ſuæ quantitatis virtutis;nec aliũde talis applicatio ſit per operationem ſenſitiuã; neque locus exigit determinatam quantitatem ita,vt non poſſit habere minorem; nec tandem eſt indiuiſibilis,poterit eſſe in loco minori in infinitum. Prob. mi. Quòd Angelus ſit in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis, oſtenſum eſt *in ſup.art*; quia ita applicat quantitatem ſuæ virtutis huic loco, vt liberè poſſit illam applicare alteri loco. Quòd non vtatur operatione ſenſitiua,conſtat;quia Angelus caret ſenſu. Quòd res, cui ſe applicat localiter, nõ debeat eſſe talis ſpeciei determinatæ, pariter patet; quia localiter poteſt ſe applicare cuilibet corpori, cuiuſcunq; ſpeciei illud ſit; & ratio eſt; quia in tantùm anima noſtra requirit corpus determinatę ſpeciei,in quantùm vnitur cum illo ad faciẽdam vnam naturam ſpecie; vnio autem localis non eſt ad faciendam vnam naturam ſpecie; & ideo locatum non exigit locum determinatæ ſpeciei;quapropter ad rationem loci ſufficit,quòd ſit ſuperficies; ſic enim definitur; ſuperficies autem diuidi poteſt in ſuperficies minores in infinitum; ſicut linea in lineas;corpus autem phyſicum nequit diuidi in infinitum ita,vt maneat idem ſpecie,quia cùm exigat talem organizationem, quæ nequit fieri niſi in tanta quantitate, ideo licèt remaneret corpus matematicum,non tamen phyſicum. Tãdem quòd locus Angeli non ſit indiuiſibilis, probabitur *in ſeq. art*; ergo Angelus eſt in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis;nec aliũde talis applicatio eſt operatio ſenſitiua; nec exigit determinatam quantitatem loci;nec eſt in indiuiſibili.

10 Obijc.1.Angelus eſt in loco per quantitatem ſuæ virtutis;ſed non eſt in eius poteſtate ad habendam minorem virtutem, quàm ei naturaliter competat;ergo non eſt in eius poteſtate ad eſſendum in loco minori; ſed neceſſariò ſemper eſt in loco ſibi adæquato non minùs, ac corpus.

Reſp.diſt.ma. Angelus eſt in loco per quãtitatem ſuæ virtutis liberè applicabilem, conc; naturaliter,ac neceſſariò,neg.Neque valet à potentia ad actum; nam ſicuti licèt fortitudo naturaliter competat homini; attamen quia ſubditur imperio voluntatis; ideo poteſt illam applicare in remiſſo,vt non agat toto conatu; vt cũ potens portare decem pondera excrto toto conatu, non vult portare niſi quinque pondera. Præterea licèt anima noſtra habeat virtutem ad informandum corpus perfectæ magnitudinis;attamen non ſemper illud informat; vt in puero. Sic ſi ignis ageret liberè, poſſet calefacere, vt duo,& non vt octo;& ratio eſt,quia in agentibus liberis potentiæ externæ obediunt libertati; & ideo non agunt ſemper, ſed cùm vult voluntas, & quomodò vult.

11 Obijc.2.Quamuis Deus ſit totus in toto, & totus in qualibet parte; attamen non poteſt pro ſua libertate reſtringere ſuam immenſitatẽ ad minorem locum; ſic enim non eſſet immenſus,quia non repleret omnia loca; ergo à pari de Angelo.

Reſp.diſt.ant.Non poteſt reſtringere ſuam immenſitatem ad minorem locum cum conſiſtẽtia loci,in quo non eſt,conc;ſine conſiſtentia loci,neg.Si enim Deus deſtrueret medietatem huius Vniuerſi,eſſet in minori ſpatio; nec deſineret eſſe immenſus;quia eius immenſitas non dependet à loco. At verò conſiſtente ſpatio nequit Deus exiſtere ſolùm in medietate; non quia tolleretur immenſitas,ſed quia repugnat, quòd aliqua creatura ſit à parte rei; & non repleatur à Deo; cùm ſola præſentia Dei ſit ratio, cur creatu-

tura conſeruatur in eſſe; vt ſæpe diximus *ex Beatiſſ. P.*

12 Inſt. Anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte; & tamen nequit pro libito ſe reſtringere ad eſſendum ſolùm in aliquibus partibus corporis; etianſi illæ partes poſſint eſſe abſque eo, quòd in illis ſit anima; ergo nulla ſolutio.

Reſp. neg. conſ; nam vt diximus n.7; anima non eſt in corpore tantùm, vt locatum in loco; ſed etiam, vt forma in materia; & quia informare materiam competit animæ naturaliter, vt eſt natura; non liberè, ideo nequit pro ſuo libito ſe reſtringere ad informandam quātitatem corporis.

13 Obijc. 3. *Vbi* Angelicum non eſt diuiſibile; nequit enim in ſubiecto indiuiſibili recipi accidens diuiſibile; ergo nequit Angelus amittere partem illius *Vbi*, & retinere aliam partem; & ideo neceſſariò eſt in loco adæquato.

Reſp. *Maſtr. in Phyſ. vbiſ. n.81; & ſeq; ex Arrub; & noſter Gibb. hic n.20.* in Angelo non eſſe vnum *Vbi*, per quod redditur præſens omnibus partibus loci; ſed tot eſſe *Vbi* partialia, quot ſunt partes proportionales ipſius loci, quia ſi per vnum *Vbi* eſſet præſens pluribus partibus, non poſſet amittere præſentiam vnius partis retenta præſentia ad aliam partem; tum quia nō eſt vnica vnio, qua anima vnitur omnibus partibus corporis; aliter reſecata vna parte corporis tolleretur illa vnio; & ſic ſequeretur mors; tum quia corpus Chriſti exiſtit indiuiſibiliter in puncto ſpecierum; & hoc non habet per vnicam præſētiam corporis Chriſti, quæ eſt diuiſibilis, non indiuiſibilis; tandem quia præſentia vnius partis nequit aliam partem conſtituere præſentem.

14 Sed hæc reſponſio multiplicat entia, ſeu modos infinitos ſine neceſſitate; nam ſicut eadem anima formaliter indiuiſibilis informat omnes partes corporis formaliter diuiſibiles abſq; eo, quòd anima multiplicetur in partes ad multiplicationem partium corporis; & ſicut cùm reſecatur pars corporis, non reſecatur pars animæ, neque ſeparatur anima à toto corpore; ſed vna, & eadem anima, quæ priùs informabat omnes partes corporis, abſque ſui diuiſione, & deſtructione deſinit tantùm informare aliquam partē corporis, quam priùs informabat; ita Angelus per vnicum *Vbi* eſt præſens omnibus partibus loci; & poteſt non eſſe præſens vni parti per ſolam ſeparationem illius partis à ſua præſentia, abſque eo, quòd præſentia ſeparetur, & deperdatur reſpectu aliarum partium. Sicut album per vnicam relationem ſimilitudinis eſt ſimile omnibus albis; ſicut enim per vnam albedinem eſt ſimile pluribus; ita per vnam ſimilitudinem refertur ad plura; idem dicitur de Patre reſpectu plurium filiorum; & ſi deſtruatur vnum album, ceſſat vtique relatio ad illud, non tamen ceſſat relatio ad alia alba; ſed præſentia localis *iuxta Maſtrium in hoc eodem art.* eſt forma relatiua; ergo ceſſante præſentia ad vnam partem poteſt remanere præſentia ad alias partes. Falsū ergo eſt eſſe plures vniones in anima, etſi ſint plures partes corporis, quibus vnitur; ſicut enim vna anima vnitur pluribus partibus corporis; quia ſufficit animam eſſe virtualiter diuiſibilem; ita per vnicam vnionem vnitur; & ſufficit illam vnionem eſſe virtualiter diuiſibilē. Et ſicut anima nō ſeparatur à toto corpore, cùm ſeparatur à tantummodò ab vna parte corporis; ita eadem vnio non deſtruitur reſpectu omnium partium corporis, cùm deſtruitur reſpectu vnius; & ideo non ſequitur mors; quia mors eſt totalis ſeparatio à corpore; quæ non ſequitur, cùm eſt vnio cū aliquibus partibus. Ad aliud dicitur præſentiam corporis Chriſti conſtitui per ſubſtantiam, quæ eſt indiuiſibilis; non per quantitatem, quæ eſt diuiſibilis. Ad vltimum neg. ſupp; nam præſentia partis non eſt alia à præſentia totius; ſed per vnicam præſentiam totius fiunt præſentes omnes partes; ſicut enim partes ſimul non ſunt aliud, quàm totum; ita præſentia partium ſimul non eſt aliud, quàm præſentia totius.

15 Reſp. ergo ad arg. diſt. ant. *Vbi* Angelicū non eſt diuiſibile formaliter, conc; virtualiter, neg. Sicut ergo ſi eſſet diuiſibile formaliter, poſſet amittere aliquam partem, & alias retinere; ita quia eſt diuiſibile virtualiter, poteſt amittere præſentiam ad vnam partem, & retinere præſentiam ad alias.

16 Obijc. 4. Si Angelus poſſet eſſe in loco minori in infinitum, ſequeretur non eſſe definitiuè in loco; ſic enim eſſet in minori loco, vt poſſet eſſe in maiori; ideo enim Deus non eſt definitiuè in Mundo; quia poteſt eſſe extra Mundum; ergo nequit eſſe in loco minori loco maximo. 2. Si Deus crearet Angelum non determinando ei locum, ſed illum naturæ ſuæ relinquendo, Angelus inciperet eſſe in loco ſibi naturaliter adæquato; ergo illa determinatio ad locū eſſet Angelo naturalis; & ab ipſo variari non poſſet.

Reſp. neg. ſeq; nam eſſe in loco definitiuè eſt habere locum adæquatum, extra quem non poſſit eſſe; ſic Deus eſt in loco, quatenus poteſt eſſe extra omnem locum; & nullus locus eſt aſſignabilis, extra quem Deus non poſſit eſſe. At verò Angelus exiſtens in loco minori ita poteſt eſſe in maiori, vt ſit dabilis aliquis locus adæquatus quantitati ſuæ virtutis, extra quem non poteſt eſſe; & ideo definitiuè eſt in loco. Ad 2. dicitur, quòd omiſſa hypotheſi Angelus poneret ſe in tanto loco pro ſuo libito.

17 Obijc. 5. *cum Scoto.* Si Angelus non eſſet in loco determinato quoad minimum, ſequeretur, quòd poſſet eſſe in ſpatio maiori in infinitū; docet enim *Euclid. lib. 1. propoſit. 33. Si corpus impleat locum quadratum, implebit quoque quadrāgulum æqualem, quanuis latera coarctentur; ſi figuratio ei non repugnet*; nulla autem figuratio repugnat Angelo, quia non eſt corpus; neque eſt

ali-

aliqua ratio, ob quam neceſſitetur ad aſſumendũ corpus talis, vel talis figuræ (quidquid dicat *ali-qui*) cùm ſæpius viſi ſint Dæmones aſſumere figuras diuerſorum animalium; locus autem Angeli poteſt reſtringi, & in infinitum extendi; & ſic fieri maior extenſiuè in infinitum; ſed implicat Angelũ eſse in loco maiori in infinitũ etiã extẽſiuè, ſic enim eius quãtitas eſset infinita; ergo Angelus nequit eſse in loco minori in infinitũ. 2. Si Angelus poſſet eſse in loco maiori in infinitum, eſset infinitæ potentiæ; ergo ſi poſset eſse in loco minori in infinitum, eſset infinitæ potentiæ.

Reſp. ad 1. neg. ſeq; Angelus enim eſt in loco determinato maximo ſecundùm omnes tres dimenſiones, ſcilicèt ſecundùm latitudinem, longitudinem, & profunditatem ita, vt habeat determinationem nedum ſecundùm profunditatem, & latitudinem, ſed etiam ſecundùm longitudinẽ. *Ad Euclid. reſp. noſter Greg.* illam propoſitionem verificari ſolùm, ſi illud locale determinet ſibi maximum, & minimum; nõ autem in caſu, in quo non determinat ſibi minimum. Et habemus inſtantiam de cauſa creata, quæ licèt poſſit agere in quocunque ſpatio minimo ſuæ actiuitatis; nõ tamen poteſt extendi ad agendum ſecundùm lõgitudinem, ad quam poteſt extendi ſpatium ſuæ actiuitatis. Vel dicitur *eum B. Doct. de Sacram. Altar*; quòd corpus quadratum poteſt extendi vſquè ad determinatam quantitatem; quia licèt quadratum, quatenus ens mathematicum poſſit in infinitum extendi; attamen quatenus ens phyſicum habet quantitatem determinatam, & nequit extendi in infinitum; ſed ens mathematicũ non exiſtit à parte rei, niſi in ente phyſico; ergo corpus quadratum à parte rei nequit in infinitũ extendi; & ideo quamuis Angelus poſſit mathematicè locari in loco minori in infinitum; attamen locus nequit phyſicè extendi in infinitum. Ad 2. neg. cõſ. nam ſi Angelus poſset eſse in maiori loco in infinitum, non eſset determinatę virtutis, & ideo eſset infinitæ potentiæ; attamen ex eo, quòd poſſit ſe locare in minori in infinitum, non eſt infinitæ virtutis; quia ad finitatem virtutis ſufficit, quòd habeat terminos ex parte magnitudinis.

18 Quæres; quanta ſit virtus Angeli in ordine ad locum?

Reſp. hoc non cõſtare; poſsumus tamen dicere; quòd quantitas virtutis Angeli infimi ſit maior quantitate virtutis animæ rationalis; & ideo maiorem occupet locum, quàm anima; dicitur enim de homine *pſ. 8. Minuiſti enim paulò minùs ab Angelis.* Et ſic dicendum reſpectiuè de Angelis ſuperioribus vſque ad ſupremum.

ART. IV.

An Angelus poſſit eſſe in puncto?

1 PRima ſententia vult Angelum poſſe eſſe in puncto indiuiſibili. *Ita D. Tho. 1. p. q. 52. art. 2; & in 1. ſent. diſt. 37. q. 3. art. 2; Capr; Caiet; Ferr; Ban; Zum; Io. à S. Tho. 1. p. diſp. 20. art. 3. n. 7; Salm; Gonet diſp. 4. art. 1. §. 8; Scot. cum ſuis;* & nouiſſimè *Maſtr. in Phyſ. diſp. 11. q. 5. art. 2. n. 84; Mol; Sua; Val; & ex noſtris Gibb.*

2 Noſtra tamen ſententia docet Angelum non poſſe locari in ſolo puncto, ſed neceſſariò eſſe in loco diuiſibili. Ita *Fund. Doct. in 1. diſt. 37. p. 2. princ. 1. q. 2*; vbi habet: *Eſt autem tertius modus dicendi, nam quidam dicunt Angelum eſſe in loco per operationem; & ideo poteſt eſſe in loco magno, & in loco paruo etiam indiuiſibili; ſecundùm quod diuerſimodè operari habet. Sed iſti quodamodò peius dicunt, quàm alij, quantò apertiùs ſibi cõtradicunt. Nam ſi Angelus eſt in loco per operationem; non poterit eſſe alicubi, quod non ſit operationis ſuſceptiuum. Non ſunt autem operationis ſuſceptiua, ad quæ virtualis contactus eſſe non poteſt; quæ autem ſic tanguntur, magnitudinem habent; vt probat Phil. 1. de Gen. t. c. 44. t. de Tactu. Non igitur poterit eſſe Angelus in loco indiuiſibili.* Hanc ſententiam docent *Alen. 1. p. q. 32. mẽb. 3; D. Bon. in 2. diſt. 2. q. 3. noſter autem Greg. Gabr; Maior; & alij Nominales* eam tradunt ex alio motiuo; quia ſcilicet negant puncta indiuiſibilia in continuo. His additur *Vaſq;* qui etiam admiſſo puncto indiuiſibili aſſerit Angelum non poſſe in eo locari.

3 Vnica concl. Angelus nullo modo poteſt eſſe in puncto indiuiſibili.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. in lib. 83. qq. q. 20*; vbi ait: *Locus in ſpatio eſt, quod longitudine, & latitudine, & altitudine corporis occupatur. Et lib. 4. de Gen. ad lit. c. 18. Locus propriè dicitur in ſpatijs, quæ corporibus occupãtur.* Ex quo ſic. Angelus nequit naturaliter ſe abſoluere ab omni loco; vt docent *Thomiſtæ*; ergo nequit eſſe in puncto; nam punctus non eſt locus; cùm, de ratione loci ſit diuiſibilitas; locus enim definitur *ſuperficies*; quæ importat latitudinem, & longitudinem; & ideo diuiſibilitatem.

4 Dices Angelum non eſſe in puncto localiter propriè, ſed impropriè.

Sed contra. Angelus nequit ſe abſoluere ab omni loco propriè loquendo; quia poſſet eſſe nullibi propriè loquendo; ergo nequit eſſe in puncto.

5 Prob. 2. *ex Fund. Doct. vbi ſ.* Id eſt localiter ſuſceptiuum Angeli, quod eſt ſuſceptiuum operationis Angelicæ; Angelus enim *per Aduerſarios* conſtituitur in loco per operationem; ſed punctus non eſt ſuſceptiuus operationis Angelicæ; quia non eſt capax contactus virtualis, qui eſſentialiter requiritur ad operationem; nam *ex Phil. agens in tantùm agit, in quantùm tangit*; nihil autem eſt capax virtualiter tangi, vt docet *idem Phil. vbi ſ.* quod non eſt præditum magnitudine, qua caret punctus; ergo punctus nequit eſſe ſuſceptiuus localiter Angeli.

6 Reſp. *Salm.* pũctum non eſse ſuſceptiuum operationis Angelicæ, quin illa operatio extendatur ad partem diuiſibilem continui; attamen ope-

operationē Angelicā immediatè immediationes virtutis, & ſuppoſiti coniungi puncto; & mediante puncto parti diuiſibili. 2. *Gibb. cum Scotiſtis* ait Angelum eſse in puncto ratione ſuæ ſubſtantiæ, quæ eſt indiuiſibilis; non ratione operationis.

7 Sed contra. Illud dicitur recipi in aliquo mediatè;quod priùs verè,& propriè recipitur in alio;ſed in puncto verè, & propriè non recipitur operatio Angelica; quia punctum verè, & propriè non tangitur; ergo operatio Angelica non recipitur mediatè in parte diuiſibili, ſed immediatè;quia immediatè tangitur;eodem enim modo ſe habet operatio,ac contactus. Ad 2.dicitur falſum eſse rationem ſubſtantiæ eſse conſtitutiuam Angeli in loco;vt oſtenſum eſt *art.*2.Præterea etiam dato, quòd conſtituatur in loco per rationem ſubſtantiæ; attamen quia locus eſsentialiter importat magnitudinem, cùm ſit ſuperficies, qua caret punctus; ideo Angelus nequit eſse in puncto.

8 Prob. 3. Angelus eſt in loco per quantitatem ſuæ virtutis,vt diximus *art.*2; ſed quantitas virtutis nequit eſse in puncto;ergo Angelus nequit eſse in puncto. Prob.mi. Quantitas molis nequit eſse in puncto; aliter punctus adæquaret lineam,quod implicat;ergo neque quantitas virtutis;nam ita ſe habet quantitas virtutis ad quātitatem molis;ſicut qualitas virtualis ad qualitatem formalem; v.g. calor virtualis Solis ad calorem formalem ignis; ſed qualitas virtualis v. g. calor nequit terminari niſi ad calefactibile, ad quod terminatur calor formalis; ergo quantitas virtutis nequit terminari niſi ad diuiſibile, ad quod terminatur quantitas molis.

9 Cōf.Calor virtualis nequit terminari ad incalefactibile,quod opponitur calefactibili,ad quod terminatur calor formalis; quia calor virtualis, cùm æquiualeat calori formali, comparatur ad eundem terminum, ad quem comparatur calor formalis; ergo quantitas virtutis nequit terminari ad indiuiſibile,quod opponitur diuiſibili,ad quod terminatur quantitas molis; quia quantitas virtutis,cùm æquiualeat quantitati molis(eſt enim in toto diuiſibili,ſicut eſt quantitas molis) comparatur ad eundem terminum, ad quem comparatur quantitas molis.

10 Prob.4. Dato etiam,quòd operatio Angeli terminaretur ad punctum, adhuc non eſset in illo;ergo Angelus nequit eſse in pūcto. Prob. ant. Si Angelus eſset in puncto,vel eſset definitiuè in illo; vel conſeruatiuè conſeruando eſse illius? Non definitiuè;quia eſse definitiuè in alio eſt claudi intra terminos illius; ſed Angelus nequit claudi intra terminos puncti; quia punctus caret terminis; aliter ſi haberet terminos, eſset diuiſibilis in illos terminos,& ſic non eſset punctus,ſed quantitas; quia quantitas eſt illa, quæ clauditur terminis;ergo nequit eſse definitiuè in puncto.Non conſeruatiuè;quia hoc modo ſolus Deus eſt in rebus; ergo nullo modo poteſt eſse in puncto.

11 Conf.& ſimul euertitur reſponſio *Suar.*& *Thomiſtarum*. Si ad eſsendum in puncto ſufficeret præſentia, & indiſtantia, ſeu iuxtapoſitio ad pūctum;vt aſſerunt *Aduerſarij*; ſequeretur,quòd locus *A* indiſtans, & poſitus iuxta locum *B* eſſet in loco *B*; & punctus corporis perfectè ſphærici poſitus iuxta punctum perfectè plani, & indiſtās ab illo eſſet localiter in illo; ſed conſequens eſt manifeſtè falſum;ergo & antecedens.

12 Tandem prob.Si Angelus poſſet eſſe in puncto indiuiſibili, poſſet etiam eſſe in eſſentia alterius Angeli;quæ pariter eſt indiuiſibilis; imò à fortiori quia eſſentia Angeli, licèt ſit formaliter indiuiſibilis, eſt tamen virtualiter diuiſibilis; punctus autem eſt indiuiſibilis formaliter,& virtualiter;illud autem,quod eſt aliquo modo diuiſibile,magis habet rationem loci,qui eſt diuiſibilis; quàm illud, quòd nullo modo eſt diuiſibile; atqui Angelus nequit eſſe in eſſentia alterius; aliter daretur illapſus creaturæ in creaturam; quod repugnat,vt *inf.* videbimus; ergo Angelus nequit eſſe in puncto.

13 Dices 1;quòd punctus,quia eſt extremū lineæ,habet ſitum, & per conſequens certam diſtantiam ad polos mundi; non autem Angelus, quia eſt indiuiſibilis extra genus quātitatis; cùm autem ad rationem loci requiratur talis diſtantia;ideo punctus poteſt eſſe locus Angeli,non autem alius Angelus. 2. *cum Gonet.* Punctus eſt indiuiſibilis intra genus quantitatis habens ſitum, ideo poteſt ab Angelo tangi contactu virtutis, eiuſque operationem, & impulſum recipere; at verò Angelus,cùm ſit incorporeus,& ſpiritualis, nequit ſic tangi.

14 Sed contra 1.eſt.Situs eſt diſpoſitio partium quātitatis in ordine ad locum; ſed punctus non habet partes;ergo neque habet ſitum. Præterea vnus Angelus exiſtens in Angelo *A* haberet diuerſam diſtantiam ad polos mundi, ſi ille Angelus eſset in Oriente, quam non haberet, ſi eſſet in Angelo *B* exiſtente in Occidente; ergo haberet determinatam diſtantiam. Tandem licèt vnus Angelus non poſſet eſse in alio Angelo localiter, attamen poſset eſse in illo non localiter, & ſic daretur illapſus,quem negant *Aduerſarij*; ratio enim, quare vnus Angelus non poſſit intimè penetrare alium Angelum, eſt,quia Angelus eſt indiuiſibilis; patet enim, quòd quia corpus eſt diuiſibile, ideo Angelus poteſt illud penetrare,& eſse in illo; ſed punctus eſt indiuiſibilis;ergo ſi Angelus polset penetrare punctum,& eſse in illo,poſset etiam penetrare alium Angelum, & eſse in illo; quidquid ſit de eſse localiter, vel non eſse localiter. Ad 2. dicitur eodem modo. Præterea licèt punctus ſit intra genus quantitatis tanquam terminus illius, non eſt tamen intra illud tāquam ſpecies, & ideo non eſt corporeus, quia eſse corporeum eſſentialiter includit longitu-

gitudinem, latitudinem, & profunditatem, quibus caret punctus, & ideo corporeus non eſt, licèt ſit terminus corporis; ſicuti anima rationalis, licèt determinet corpus, quia eſt actus illius; attamen non eſt corporea, ſed terminus corporis; ergo ſi ratio incorporei impedit, ne Angelus ſit in illo, Angelus nequit eſse in puncto. Tandem ſpirituale, & incorporeum ideo nequit tangi cōtactu virtutis, quia eſt formaliter indiuiſibile; nā diuiſibile tangitur, vt conſtat; ergo pūctus, prout formaliter indiuiſibilis, nequit tangi contactu virtutis.

15 Obijc. 1. Quanuis Angelus non poſſit applicare ſuam virtutem puncto præciſo à quantitate, quia punctus ſic præciſus non datur; attamen poteſt illam applicare ſoli puncto exiſtenti in quantitate; ergo in illo caſu eſset in puncto. Prob. ant. Poteſt vnum corpus tāgere aliud corpus ſolùm in puncto, vt ſi corpus perfectè ſphæricū poneretur ſupra aliud corpus perfectè planū; ergo à fortiori idem dicendū eſt de Angelo.

Reſp. omiſso ant. neg. conſ. quanuis enim concedatur Angelum poſse tangere corpus in puncto; attamen non ſequitur, quòd ſic tangendo ſit in illo; ſicut corpus ſphæricum tangēs corpus planum in puncto, non dicitur eſse intrinſecè in puncto plani, ſed merè extrinſecè; non enim minùs, ſed magis indiuiſibilis eſt punctus corporis ſphærici tangens punctum indiuiſibilem corporis plani; quàm ſit indiuiſibilis Angelus, cùm ille ſit indiuiſibilis formaliter, & virtualiter; Angelus verò tantùm formaliter, non virtualiter, vt dictum eſt.

16 Obijc. 2. Angelus operans in aliqua linea eſt totus in illa linea; ſed in linea ſunt pūcta, quia punctus eſt principium, medium, & finis lineæ; ergo Angelus eſt in punctis.

Reſp. diſt. conſ. eſt in punctis, prout præciſis à linea, ſeu in ſolis punctis, neg; eſt in punctis, prout coniunctis cum linea, ſeu prout coniungunt lineam, conc; ſed non eſt ad rem; ſic enim etiam locatum corporeum eſt in punctis, prout coniunctis cum linea; & tamen nequit eſſe in illis præciſè; quia eſt in illis tantùm per accidens; ſcilicet prout coniunctis cum linea.

17 Inſt. Angelus eſt in punctis, prout coniunctis cum linea; ergo poteſt eſſe in illis, & non in linea.

Reſp. neg. conſ. nam ratio formalis eſſendi in aliquo localiter eſt quantitas, vt dictum eſt; ſed puncta in linea coniunguntur quantitati; ergo Angelus ratione quantitatis poteſt eſſe in punctis; at verò punctus præciſè ſumptus à linea non habet quantitatē, & ideo non habet rationē formalem loci, per quā Angelus poſſit eſse in illo, vnde impropriè dicitur Angelus eſſe in pūctis.

18 Obijc. 3. Angelus poteſt eſſe in parte minori in infinitum, quia cùm ſit totus in toto, & totus in qualibet parte, eſt in loco modo indiuiſibili, non diuiſibili; ſed illud, quòd eſt in loco modo indiuiſibili, non requirit locum diuiſibilē, ſed indiuiſibilem; ergo Angelus poteſt eſſe in indiuiſibili. Ma. patet ex dictis *in ſup. art.* Prob. mi. Ita ſe habet locatum diuiſibile in ordine ad locum diuiſibilem, ſicut locatum indiuiſibile in ordine ad locum indiuiſibilem; ſicut enim locatū diuiſibile ſpecificatur à loco diuiſibili; ita locatū indiuiſibile ſpecificatur à loco indiuiſibili; ſed locatum diuiſibile exigit locum diuiſibilem, & poteſt eſſe in illo; ergo locatum indiuiſibile exigit locum indiuiſibilem, & poteſt eſſe in illo.

Reſp; quòd ſi hoc argumentum concluderet, conuinceret Angelum non poſſe eſſe in loco diuiſibili; ſicut enim locatum diuiſibile, quia ſpecificatur à loco diuiſibili, nequit eſſe in loco indiuiſibili; nullum enim ſpecificatum poteſt eſſe extra ſuum ſpecificatiuum; ita Angelus, qui eſt locatum indiuiſibile, non poſſet eſſe in loco diuiſibili, quia ſpecificaretur à loco indiuiſibili. Diſt. ergo 2. p. ma. Eſt modo indiuiſibili formaliter, & virtualiter, neg; modo indiuiſibili formaliter, virtualiter diuiſibili, conc; & ſic diſt. mi. Illud, quod eſt in loco modo indiuiſibili formaliter, & virtualiter, nō exigit locū diuiſibilē, neg; ſicut enim calor formalis, & virtualis terminantur ad idem calefactibile formaliter; & calor virtualis nequit terminari ad calefactibile virtualiter præciſè ſumptum, quia calefactibile virtualiter ſecundū ſe præciſè nequit calefieri, vt patet de corporibus cęleſtibus; ſed neceſſariò terminatur ad calefactibile formaliter; ita diuiſibile formaliter, & diuiſibile virtualiter terminantur ad locum diuiſibilē formaliter; & diuiſibile virtualiter nequit terminari ad diuiſibile virtualiter, per quod euincitur vnum Angelum non poſſe eſſe in alio Angelo, quia vterque eſt diuiſibilis virtualiter. Ad prob. dicitur eodem modo, quòd diuiſibile formaliter, & diuiſibile virtualiter ſpecificantur à loco diuiſibili; dicitur enim diuiſibile virtualiter, quatenus comparatur ad diuiſibile formaliter; vt patet de calore virtuali, & formali.

19 Obijc. 4. Angelus vnitus alicui puncto haberet *vbi* determinatum; quia eſſet in determinata diſtantia ad polos mundi; ergo eſſet in illo, tanquam in loco.

Reſp. locum non conſiſtere in illa diſtantia; ſed in ſuperficie per ordinem ad talem diſtantiā, vnde etianſi eſſet in diſtantia determinata; attamen non haberet *vbi*, quia *vbi* eſt effectus ſuperficiei ambientis: & quanuis poſſet deſignari exiſtentia Angeli, attamen talis deſignatio eſſet per ordinem ad locum, in quo nō eſſet Angelus; ſed in quo eſt ille punctus.

ART. V.

An idem Angelus poſſit eſſe in pluribus locis?

1 Locus alius eſt adæquatus; alius inadęquatus. Locus adæquatus, & totalis eſt ille, ad quē extēditur tota virtus locatiua locati; locus inadæquatus, ſeu partialis eſt ille, vltra quē vir-

virtus locatiua poteſt ſe extendere. Inſuper locus inadæquatus alius eſt diſcontinuus, & diſcontiguus, ſeu diſtans ab alio loco; & eſt ille, qui diſtat ab alio loco propter aliquod ſpatium reale intericctum. Alius eſt continuus, & contiguus, ſeu indiſtans, qui non diſtat ab alio loco partiali. Tandem locus inadæquatus diſcontinuus alius eſt, qui non reperitur intra ſphæram actiuitatis ipſius Angeli; cùm enim Angelus non poſſit agere, niſi infra determinatam diſtantiam; ideo ſi ille locus inadæquatus diſtat ab alio loco inadæquato magis, quàm extenditur talis diſtantia, ille locus inadæquatus dicitur nō eſſe intra ſphæram actiuitatis Angeli; quia actiuitas Angeli nō extenditur ad talem diſtantiam. Alius eſt, qui reperitur intra ſphæram actiuitatis Angeli eò, quia talis diſcontinuitas non extenditur extra illam. In his omnibus ſenſibus procedit difficultas.

2 Aſſerunt communiter *Theologi* Angelum naturaliter non poſſe in pluribus locis adæquatis exiſtere. Et ratio eſt. Si Angelus poſſet eſſe in pluribus locis adæquatis, non daretur determinata magnitudo loci ipſius Angeli; quia determinata magnitudo eſt locus adæquatus; hoc enim intelligimus nomine determinatæ magnitudinis; ergo ſi poſſet eſſe in pluribus locis adæquatis, poſſet eſſe in loco maiori loco maximo; & eadem ratione, qua poſſet eſſe in duobus locis adæquatis, poſſet eſſe in tribus, & ſic in omnibus, & vbique; quia nulla daretur determinatio, & limitatio ad talem locum determinatum, extra quem nō poſſet eſſe; & ſic nulla penitus daretur determinatio, ideo poſſet eſſe in omnibus; cuius oppoſitū *ſuperiùs* docuimus *cont. Dur.* 2. Locus adæquatus non eſſet adæquatus, quia non terminaret totam virtutem locatiuam, per quam Angelus poteſt extendi ad locum; aliter ſi totam terminaret, non poſſet eſſe extra illum; quia extra totum nihil eſt. Sed hoc magis conſtabit ex rationibus *infra* adducendis de impoſſibilitate in ordine ad potentiam Dei.

3 Prima igitur ſententia opinatur Angelū poſſe eſſe ſupernaturaliter in pluribus locis adęquatis. *Ita D.Tho.1.p.q.52.art.2.ad 2; & Thomiſtæ*; inter quos *Io.à S.Tho. hìc diſp. 20.art.3*; & *Gonet diſp.4. art.2.* aſſerentes, quòd licèt Angelus nequeat eſſe in duplici loco per propriam operationem; quia nequit operari *hìc*, & *alibi*; attamen poteſt eſſe in vno loco adæquato per ſuā operationem, & in alio conſtitui à Deo per paſſionem. *Gonet* autem idem dicit de locis inadæquatis diſcontinuis aſſerens hanc eſſe ſententiā omnium *Thomiſtarum* excepto *Io.à S.Tho. Ita etiam Scot.in 2.diſt.2.q.6.art.8; & Scotiſtæ*; inter quos *Maſtr.in Phyſ.diſp.11.q.8.n.118.* ait, quòd hæc ſententia *tenetur ab omnibus Catholicis; ita enim Fides docet de corpore Chriſti in pluribus hoſtijs conſecratis incircumſcriptè replicato.* Sed *iſte Scriptor* confundit modum, quo corpus Chriſti eſt in hoſtia, cum modo, quo Angelus eſt in loco; qui tamen non eſt confundendus; quia ille eſt merè miraculoſus, & non eſt modus eſſendi in loco definitiuè, ſed ſacramentaliter merè determinatè ita, vt poſſit eſſe alibi; Angeli verò non ſunt in loco ſacramētaliter, ſed definitiuè; & ideo non rectè diceretur Angelum poſſe replicari in omnibus locis, ſicut poteſt replicari corpus Chriſti; quòd ſi hoc eſſet, Angelus non haberet terminum magnitudinis loci; vt docet *idem Maſtr*; ſicut non habet terminum magnitudinis loci corpus Chriſti; aliter poſito in tot hoſtijs, quæ facerent determinatam magnitudinem loci corporis Chriſti, tunc nulla hoſtia poſſet ampliùs conſecrari; quod non congruit Fidei Catholicæ; & ideo non parum ſe ſe implicat *Maſtr. Ita etiā noſter Greg.in 2.diſt.2. q.3; & Gibb.hìc diſp. 18. dub.4.n.1; Alen.1.p.q.44.memb.2; Sua.de Angelis lib.4.c.10; & alij.*

4 Noſtra tamen ſententia docet Angelum non poſſe eſſe in pluribus locis adæquatis, ſiue inadæquatis diſcontinuis; ſiue intra, ſiue extra ſphæram actiuitatis Angeli. *Ita Fund.Doct. in 1. diſt.37.p.2.princ.2.q.2; Argent. in 1. diſt. 37. q.1. art.2.cōcl.2; Bernardin.apud Gibb; Vaſq.1.p. diſp. 191.c.3*; vbi refert *Alen.2.p.q.32.mēb.3; D. Bon. in 2.diſt.2.p.2.art.2.q.2. in corp; Ricard; D.Tho; & Io.à S.Tho.* conſentiunt de locis inadęquatis diſcontinuis.

5 Vnica concl. Angelus nequit diuinitus ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis, aut inadęquatis diſcontinuis non exiſtendo in medio.

Prob. 1. pars concl. ex illis *Scripturæ* locis, de quibus diximus *art. 3. n.5*; vbi vid. etiam rationem ex *Beatiſſ.P.* deſumptam.

Prob. 2. Ita ſe habet locus adæquatus Angeli reſpectu virtutis ipſius; ſicuti ſe habet obiectū adæquatū cuiuſcunq; potētiæ reſpectu illius potētiæ; ſicut enim obiectum adæquatum ſpecificat potentiā, & ſic illam adæquat, vt extra illud ferri non poſſit; ita locus adæquatus ſpecificat virtutē Angeli, & ita illam adæquat, vt extra illum eſſe non poſſit; tum quia ſicut obiectum cuiuſq; potentiæ eſt terminus limites eſſentialiter præbēs potentiæ; ita locus adæquatus eſt terminus virtutis locatiuæ limites ei eſſentialiter ſtatuens; tū quia ſicut ſi potentia poſſet extra ſuum obiectū ferri diuinitus, illud non eſſet obiectum adæquatum, ſed inadæquatum; ita ſi virtus locatiua poſſet ferri extra ſuum locum, ille locus non eſſet ei adæquatus; vt docent etiam *Thomiſtæ*; ſed nulla potentia poteſt ferri extra ſuum obiectū adæquatum etiam diuinitus; intellectus enim non poteſt ferri extra verum; & oculus extra colorē; aliter ponerentur extra ſuum ſpecificatiuum, & ſic ei non adæquarētur, quod implicat; ergo virtus, per quam Angelus eſt in loco, nequit ferri extra ſuum locum adæquatum; ſed Angelus non eſt formaliter in loco, niſi per quantitatem ſuæ virtutis; quanuis effectiuè ponatur in loco per operationem; ergo nequit eſſe extra ſuum locū

adæquatum etiam diuinitus;& ideo nequit eſſe in pluribus locis adæquatis; ſic enim neceſſariò eſſet extra ſuum locum adæquatum, qui vnus eſt; ſicut vnum eſt obiectum adæquatum cuiuſcunque potentiæ.

6 Prob.2. Omnis res creata,ſiue ſit ſubſtantia,ſiue ſit accidens eò, quia eſſentialiter eſt vnica,clauditur eſſentialiter intra terminos adæquatos, extra quos neque etiam diuinitus poni poteſt;ſed ratio, per quam Angelus ponitur in loco, eſt quid creatum; ergo eſſentialiter habet terminum adæquatum, extra quem nec diuinitus poni poteſt.Ma.patet;quia de ratione finitatis eſt terminis claudi; in hoc enim diſtinguitur ab infinitate,quæ terminis caret;ſed omnis creatura eſſentialiter eſt quid finitũ;ergo eſſentialiter clauditur terminis adęquatis,extra quos nec etiã diuinitus poni poteſt,nam ſi poſſet poni extra terminos eſſentialiter, variaretur eius eſſentia; vnde ſi eſſentia hominis poneretur extra genus animalis, & extra differentiam ſpecificam rationalis,quę ſunt termini eſſentiales adequatè claudentes eſſentiam hominis, variaretur illius eſſentia.Mi.conſtat; ſiue enim dicatur, quòd ratio conſtitutiua Angeli in loco ſit ſubſtantia, vel operatio, vel quodcunque aliud exiſtens in Angelo,neceſſariò debet eſſe quid creatum. Hac ratione vtitur *Fund. Doct. Quodl.1.q.1.*ad probãdum, quòd idem corpus nequit eſſe in duplici loco;aſſerit enim: *Sic comparatur res ad locum per ſuam quantitatem; vt comparatur ad ſpeciem per ſuam naturam.*Hoc autem explicatur eo modo,quo dictum eſt.

7 Conf. Eſſentia Angeli habet terminos ſibi adæquatos,extra quos nequit poni etiam diuinitus; ergo & virtus, per quam Angelus comparatur ad locum,habet terminum ſibi adæquatum, extra quem à Deo non poteſt poni; nã hæc virtus eſt quantitas virtutis ipſius Angeli, quatenus extendit ſuam operationem;vel applicationem ad tantam latitudinem rei corporalis, & ſic eſt proprietas Angeli;proprietas autem eſt æqualis latitudinis,ac eſſentia,cuius eſt proprietas;aliter non diceretur ad conuertentiam cum illa;illa enim ſolũ conuertuntur,quæ ſunt æqualis latitudinis. Tum quia proprietas eſſet magis illimitata,quàm eſſentia, quod repugnat. Vel eſt ſubſtantia, vt aſſerunt *Scotiſtæ*, & ſic habetur intentum.

8 Prob.3. ſimul & 2.pars concl.*ex eod. Fũd. Doct.*Implicat Angelum non eſſe in loco definitiuè; implicat enim rem finitam per ordinem ad locum non definiri ad locum; aliter non eſſet finita; ergo implicat Angelum eſſe in duobus locis ſiue adæquatis, ſiue inadæquatis diſcontinuis. Ant. patet; nam quod eſt in loco; vel eſt circunſcriptiuè, vel definitiuè, vel ſacramentaliter,vel indefinitè;ſed Angelus nequit eſſe in loco circunſcriptiuè; quia caret quantitate molis, quæ ſolùm habet partes dimenſibiles, & circunſcriptibiles;nec Sacramentaliter; quia hic modus eſt miraculoſus, & competit ſolùm corpori Chriſti Domini,& ſic neque indefinitè;quia non definiri,aut nõ limitari à loco competit ſoli Deo,qui,vtpotè immenſus,nequit definiri; ergo implicat Angelum non eſſe in loco definitiuè; ſuppoſito tamen,quòd ſit in loco; quia rationes eſſendi alio modo in loco ei repugnant; vt dictũ eſt.Prob.conſ. Si Angelus eſſet in pluribus locis adæquatis,vel inadæquatis diſcontinuis, non eſſet definitiuè in quolibet ex illis locis; quia eſſe definitiuè in loco eſt ita definiri ad hunc locum particularem, & determinatum, vt nullo modo ſit extra hũc locum; vel vt loquitur *Fund. Doct. vbiſ.§.In cõtrarium,*eſt ita eſſe *hic*, vt non ſit *alibi*;quia enim Deus ita eſt *hic*, vt ſit etiam *alibi*; ideo non eſt definitiuè in loco;ſi autem Angelus eſſet in pluribus locis,vt plura ſunt,ſiue adęquatis,ſiue inadæquatis,ita eſſet in vno, vt etiam eſſet in alio;ita eſſet *hic*,vt non eſſet limitatus ad hoc *vbi*;quia eſſet etiam in alio *vbi*,& ideo non eſſet definitiuè in illo *vbi*; ergo implicat Angelum eſſe in pluribus locis adæquatis diſcõtinuis.

9 Prob.2.2.pars concl. Duo *vbi* nequeunt ſimul eſſe in eodem locato; ergo idẽ Angelus nequit eſſe in duobus locis inadęquatis diſcõtinuis.Prob.ant. Duo accidẽtia ſolo numero differẽtia nequeũt eſſe in eodem ſubiecto; vt duæ albedines ſolo numero diuerſæ nequeunt eſſe in eodem pariete;ſed duo *vbi* ſunt duo accidentia ſolo numero differentia;accidunt enim ſubſtantiæ; & pertinent ad eandem ſpeciem loci; ergo duo *vbi* nequeunt ſimul eſſe in eodẽ ſubiecto. Prob. conſ.Si Angelus eſſet in pluribus locis diſcontinuis etiam inadæquatis,haberet duo *vbi* inadæquata ſolo numero diuerſa;nam eſſent duo loca inadæquata numero diuerſa;& ideo cauſarent in Angelo in illis exiſtente duo *vbi* inadæquata; *vbi* enim, quod reſultaret ex loco *A*, eſſet ſeparatum ab *vbi*,quod reſultaret ex loco *B*;ſicut ſeparatus eſt locus;nam *vbi* non ſeparatur à loco, quia ex loci adiacentia reſultat;neque eſſet vnũ *vbi* continuè, quia non daretur *vbi* reſultans ex loco mediante inter illa duo loca, aliter Angelus eſſet etiã in medio, cùm ex ſola exiſtentia in loco medio reſultet *vbi* medium, quod poſſet continuare illa duo *vbi*; ergo idem Angelus nequit eſſe in duobus locis inadæquatis etiam diſcontinuis.

10 Conf. Angelus nequit ſimul intelligere plura obiecta etiã inadæquata, vt plura per modum plurium; vt docet *D. Tho*; ergo idem Angelus nequit ſimul eſſe in pluribus locis inadæquatis, vt plura,ſeu per modum plurium; nam in tantùm intellectus nequit intelligere plura obiecta inadæquata, vt plura;quia reciperet ſimul plures intellectiones inadęquatas,vt plures; ſed ſi exiſteret in pluribus locis inadæquatis, vt plura ſunt, reciperet plura *vbi* inadæquata, vt plura ſunt;quod non minùs repugnat, quàm recipe-

cipere plures intellectiones inadæqnatas, vt plures ſunt; cùm eodem modo quãtitas virtutis Angeli ſit determinata ad recipiendum *vbi*, ſicut intellectus ad recipiendam intellectionem; ergo Angelus nequit eſſe in pluribus locis inadęquatis etiam diſcontinuis.

11 Reſp. *Gonet;* quòd licèt hoc verum ſit de locis diſcontinuis exiſtentibus extra ſphæram actiuitatis Angeli; attamen falſum eſt de locis inadæquatis exiſtentibus intra ſphæram actiuitatis illius; quia hoc ipſo, quòd illa loca partialia contineantur intra ſphæram actiuitatis Angeli, habent rationem vnius loci. Et rationem reddit; quia licèt vnitas loci reſpectu corporis deſumatur ab vnitate ſuperficiei ambientis per ordinem ad polos Mundi; attamen reſpectu rei ſpiritualis deſumitur ab vnitate virtutis operatiuæ ipſius Angeli potentis ſimul tãgere illa loca.

12 Sed contra; nam licèt plures intellectiones inadæquatæ contineãtur intra ſphæram actiuitatis intellectus; attamen intellectus nequit illas, vt plures, recipere; ergo vana reſponſio. Ad rationem dicitur. Si vnitas loci deſumeretur per ordinem ad virtutem operatiuam Angeli, non eſſet niſi vnus locus, quia non eſt niſi vna virtus operatiua in Angelo. Tum quia licèt vnitas loci dicat ordinem ad virtutem operatiuam Angeli, cum qua commenſuratur, non tamen deſumitur ab illa; ſicut quanuis vnitas obiecti potentiæ intellectiuæ dicat ordinem ad intellectum, cum quo commenſuratur; nihilominus nõ deſumitur ab intellectu, ſed è contra; ergo licèt vnitas loci dicat ordinem ad virtutem Angeli, cum qua cõmenſuratur, non tamen deſumitur ab illa; ſicut enim verum eſt obiectum intellectus; ita locus eſt obiectum virtutis Angeli. Tãdem vnitas indiuidualis rei etiã *per Thomiſtas* deſumitur à materia, vel à ſubiecto; ſed locus partialis eſt vnus indiuidualiter, & non recipitur in Angelo; quia Angelus non eſt ſubiectum loci, ſed potiùs è cõtra; ergo vnitas loci nõ deſumitur à virtute operatiua ipſius Angeli.

13 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *ex Gonet.* Poteſt Deus augere virtutem Angeli, ita vt ſi priùs naturaliter extendebatur ad vnam leucam, extẽdatur ſupernaturaliter ad duas leucas; ergo tunc eſſet in duplici loco adæquato ſuæ virtuti naturali; licèt ille locus eſset vnus tantùm adæquatus vni virtuti ſupernaturali. 2. Corpus Chriſti per ſuam quantitatem eſt circunſcriptiuè in Cęlo; & tamen per plures præſentias eſt in pluribus locis in terra; ergo Angelus per ſuam operationem actiuam poteſt eſse in vno loco ſibi adęquato; & per paſſionem detineri à Deo in alio loco ſibi adæquato.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Poteſt augere vltra terminos eſsentiales, neg; intra terminos eſsentiales, conc; ſicut enim nequit Deus ita augere virtutem oculi, vt feratur extra ſuum obiectũ adæquatum; quanuis poſſit illam confortare, vt feratur in aliqnod contentum ſub ſuo obiecto adæquato, in quod non poterat ferri ob debilem virtutem; vt patet de oculo noctuæ reſpectu Solis; ità à pari. Ad 2; quod eſt totum fundamentum *Scotiſtarum*; neg. conſ; nam corpus Chriſti non eſt definitiuè in loco, ſicuti Angelus, ſed Sacramentaliter; idèſt per conuerſionem panis in ſe ipſum. Igitur corpus Chriſti non eſt localiter in ſpeciebus, quãuis ſpecies ſint in loco; quia corpus Chriſti non eſt modò diuiſibili, ſed indiuiſibili, cùm ſit in ſpeciebus ratione ſubſtantiæ, non ratione ſuæ quantitatis; eſse autem modo indiuiſibili in alio non eſt eſse localiter in illo; quia locus eſſentialiter dicit diuiſibilitatem, cùm ſit ſuperficies; & ideo quòd ſaltem virtualiter non extenditur ad occupandam ſuperficiem, non eſt propriè in loco; id autem, quod extenditur virtualiter, habet modum eſſendi diuiſibiliter in alio; ſicut Angelus, & anima rationalis.

14 Inſt. Corpus Chriſti eſt totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte; ergo eſt in illa eodem modo, quo Angelus eſt in loco.

Reſp. diſt. ant. Modo virtualiter diuiſibili, neg; ſi enim corpus Chriſti ita eſſet in hoſtia, ſequeretur, quòd abſciſſa vna parte hoſtiæ non eſſet in illa; vt contingit de parte corporis ſeparata, in qua non eſt anima; quia virtualiter extẽdebatur ad eſſendum in illa, quatenus continuabatur cum corpore. Modo indiuiſibili, conc; ſed negatur conſ; quanuis enim Angelus ſit formaliter indiuiſibilis, quia caret quantitate molis, quæ eſt ratio formalis diuiſionis; attamen eſt virtualiter diuiſibilis; propter quod eſt in loco modo diuiſibili.

15 Igitur corpus Chriſti eſt in hoſtia modo ineffabili, qui nequit competere puræ creaturæ in ordine ad locũ; cùm enim corpus Chriſti ſuppoſitetur à Verbo Diuino; ideo multa ei conueniunt, quæ nequeunt conuenire creaturæ ſic nõ ſuppoſitatæ, & per cõſequens non bene arguitur ex illo ad puras creaturas. Propterea dicimus illud determinari ad locum, non definiri; Angelos autem definiri, & ideo nõ valet paritas; & eo magis, quia *Aduerſarij* in hoc maximè hallucinantur putantes eodem modo definiri corpus Chriſti, ſicut Angelos.

16 Obijc. 2. *Maſtr.* Non implicat plurificari reſpectus immultiplicato fundamento; immultiplicata enim albedine multiplicantur relationes ſimilitudinis; ſed præſentia localis importat ſolam relationem locati ad locum; ergo non implicat multiplicari præſentias locales non multiplicato locato. 2. Quanuis naturaliter implicet mutatio ſubiecti de vno contrario ad aliud abſque eo, quòd deſtruatur illud contrarium præcedens; v.g. qnanuis implicet parietem album denigrari, quin deſtruatur albedo; attamen poteſt Deus ſupernaturaliter ponere ſimul albedinem, & nigredinem; ergo quanuis naturaliter implicet Angelum exiſtentem ſub vna locatione adæquata ac-

qui-

quirere aliam locationem,niſi deperdat primam; attamen ſupernaturaliter facere poteſt;vt acquirat nouam locationem prima non amiſſa.

Reſp.hæc leuia eſſe. Ad 1.diſt.ma.Non implicat plurificari reſpectus adæquaros immultiplicato fundamento,neg; ſi enim albedo diceret reſpectum adæquatum ſimilitudinis ad omnem albedinem, tunc non poſſet poni alius reſpectus ſimilitudinis; ita quia locatum dicit reſpectum adæquatum ad ſuum locum adæquatum, ideo nequit plurificari talis reſpectus. Non implicat plurificari reſpectus inadæquatos, tranſeat; hoc enim etiam falſum eſt;quia albedo per vnam relatiōnem ſimilitudinis refertur ad omnia ſimilia; ſicut Pater per vnam relationē paternitatis refertur ad omnes filios; vnde hæc ratio *Scoti* nititur purè in falſo. Ad 2.dicitur eiuſdem leuitatis eſſe;neg.enim conſi& diſparitas eſt,quia albedo, & nigredo sūt diuerſæ ſpeciei;at verò duæ locationes sūt eiuſdē ſpeciei;vnde licèt albedo,& nigredo poſſint ſupernaturaliter ſimul poni à Deo; de quo nolumus diſputare;attamen nequit eundem Angelum locare in dupliei loco;ſicut enim ſi album haberet in ſe totam albedinem; cuius eſt eſſentialiter capax, non poſſet Deus aliam albedinem ponere in pariete;ita quia Angelus habet totum locum ſibi adæquatum,cuius eſt eſsētialiter capax;ideo nequit poni in alio loco adęquato.

17 Dices.Actio,& paſſio ſunt diuerſæ rationes; ergo Angelus poterit eſſe in vno loco adæquato per actionem, & in alio per paſſionem.

Reſp;quòd licèt poſſit poni in loco effectiuè per actionem,& paſſionem,quia poteſt ſe actiuè applicare, & poteſt à Deo alligari tali loco; attamen non eſt in loco formaliter,niſi per quātitatem ſuæ virtutis,per quam diſtenditur ad tātum locum ſibi adæquatum;& ideo ſicuti eſt vna tantùm ratio formalis eſſendi in loco formaliter; ita in vno tantùm loco ſibi adæquato poteſt eſſe. Præterea licèt animal poſſit actiuè ſe ponere in aliquo loco per motum progreſſiuum; & paſſiuè poni à Deo in alio loco; non tamen ſequitur, quòd poſſit eſſe in duplici loco adæquato præcisè ex hoc;quia implicat,quòd actiuè ſe moueat ad alium locum,quoties paſſiuè detinetur à Deo in vno loco; aliàs detineretur, vt ſupponitur,& non detineretur,quia actiuè ſe moueret ad alium locum;illud enim detinetur,quod non poteſt ſe mouere; & quod actiuè ſe mouet,non detinetur; ergo nequit Angelus,dum paſſiuè detinetur à Deo in aliquo loco, ſimul actiuè ſe mouere ad alium locum;quāuis id poſſit ſucceſſiuè.

18 Obijc.3. Plus differunt corporale,& ſpirituale,quàm corporale,& corporale;ſed Angelus,dum operatur circa ſpiritum,non deſinit operari circa corpus; ergo quando ſe applicat alicui loco,poterit etiā ſe applicare alteri loco.2.Omne agens,cuius virtus excedit illud, in quo operatur,poteſt operari circa aliud;ſed virtus Angeli excedit quodlibet corpus; ergo dum operatur circa vnum corpus ſe conſtituēdo localiter adæquatè in illo,poterit etiam operari circa aliud.

Reſp.ad 1.neg.ſupp.mi;ſupponit enim Angelum conſtitui in loco per operationem circa ſpiritum,quod eſt falſum,quia cùm locus ſit corporeus,nequit conſtitui in loco,niſi per applicationem ad corpus,cùm non conſtituatur in loco, niſi per applicationem ad locū. Vel retorq. arg; ſed Angelus,dum operatur circa ſpiritum, non deſinit operari circa corpus ita, vt ſit tantùm localiter in corpore,non in ſpiritu; ergo ita applicat ſuam virtutem vni loco, vt ſit tantùm in illo, & tamen poſſit etiam operari mediatè in alio loco,in quo non eſt; ſicut dicimus Angelum mouere totum Cœlum, & tamen non eſſe in toto Cœlo, ſed tantùm in parte determinata Cœli. Ad 2. diſt. mi. Virtus Angeli excedit quodlibet corpus in eſſe entis,conc; quia illa eſt ſuperioris ordinis,cū ſit ſpiritualis;in eſſe obiecti,neg; nam virtus motiua non excedit corpus mobile, quod habet pro obiecto adæquato.

19 Obijc.1.cont.2.part.concl.Anima rationalis eſt in pluribus partibus diſcontinuis,vt in medulla,& in oſſibus; ergo à fortiori Angelus.2. Si diuidatur tabula v. g; in qua eſt Angelus, in duas partes;Angelus non deſinit eſſe in illis partibus,quia eſt totus in toto, & totus in qualibet parte; ergo erit in duobus locis diſcontinuis. 3. Si diuidatur hoſtia conſecrata, Chriſtus eſt in partibus diſcontinuis, quia eſt totus in tota, & totus in qualibet parte hoſtię.4.Si in ſphęra actiuitatis Angeli ſit ignis,aer,& aqua, Angelus eſſet in pluribus locis ſimul; & ſi deſtruatur aer medius, Angelus eſſet in igne, & aqua diſcontinuè. Tum quia Angelus poteſt ſuſpendere ſuam operationem circa medium.Tum quia Sol eſt in pluribus locis per ſuam operationē; ergo à fortiori Angelus,qui eſt maioris virtutis.

Reſp. ad 1. dubium eſſe apud *Philoſophos*, an medulla ſit animata, quidquid tamen ſit, dicitur medullam eſſe contiguam, ſi non ſit continua, & ſic Angelus poteſt eſſe in pluribus locis partialibus continuis, vel contiguis. Ad 2. dicitur, quòd ſi illę partes remaneant intra latitudinem ſpatij, cui poteſt ſe applicare Angelus,erit in illis, & in medio; ſi autē adeo diſtent inter ſe, vt ſint extra latitudinem quantitatis virtutis Angelicæ, Angelus erit tantùm in illa, cui voluerit ſe liberè applicare. Ad 3.dicitur, *vt ſup*; quòd modus eſſendi in hoſtia Chriſti Domini, eſt diuerſus à modo eſſendi in loco ipſius Angeli; & ideo ab vno ad alium non valet arguere.Ad aliud dicitur illa tria elementa eſſe vnum locum formaliter, materialiter tamen diuerſum;ſicut dicitur de loco baculi, cuius medietas eſt in aere, & altera in aqua. Ad aliud dicitur, quòd deſtructo aere ceſſaret eſſe, vel in igne,& eſſet tantùm in aqua;vel in aqua, & eſſet tantùm in igne.Vel dicitur ignem,& aquam tunc

fore

fore contigua, quia nihil mediaret inter illa; & ideo Angelus eſſet in vtroque; & ſic ad aliud; nam ſi Angelus ſuſpenderet operationem circa medium, deſineret eſſe in aliquo extremo. Ad aliud dicitur illa loca eſſe obiectum adæquatum operationis Solis.

20 Obijc.2. Angelus eſt in loco per liberam operationem; ergo ſicut liberè poteſt ſe tollere à toto loco; ſic à medio ipſius loci remanendo in extremitatibus. 2. Ratio, propter quam corpus nequit eſſe in locis diſcontinuis, eſt, quia corpus eſt quid continuum, & ideo nequit eſſe in locis diſcretis, niſi eius quantitas diuidatur; ſed Angelus caret quantitate; ergo poterit eſſe in locis diſcretis.

Reſp. ad 1. neg. conſ; ſicut enim ex eo, quòd ſit liberè in loco, non arguitur, quòd poſſit ſe abſoluere ab omni loco, ſed tantùm ab hoc, vel ab illo; ita ex eo, quòd eſt liberè in loco, non arguitur, quòd poſſit ſe abſoluere à medietate loci remanendo in extremitatibus, ſed tantùm, quòd poſſit eſſe in maiori, & minori loco. Ad 2. dicitur probare noſtram concluſionem; nam in tantùm corpus nequit eſſe in duplici loco diſcontinuo, quia non eſt diſcretum, ſeu diuiſum in duas medietates, cùm ſit continuum; ſed Angelus nequit eſse diſcretus, neq; diuiſus in duas medietates; quia eſt indiuiſibilis; ergo nequit eſse in duobus locis diſcretis; & hoc à fortiori; nam indiuiſibile eſt magis vnum, quàm continuum, quia indiuiſibile excludit partes; & ideo ſi continuum, quia eſt vnum, nequit eſſe, niſi in vno loco; à fortiori dici debet de Angelo, qui eſt indiuiſibilis, ex quo patet infirmitas rationis *Gonet*.

ART. VI.

An plures Angeli poſſint eſſe in eodem loco?

1 SEcundùm vſitatum naturæ curſum agitatur ſolùm *à Theologis* hæc difficultas; quia tamen rationes, quæ probant naturaliter, videntur probare etiam ſupernaturaliter, vt patebit, ideo in vtroque ſenſu diſſoluenda eſt; veritas enim ſic magis patebit, quæ non ſatis explicatur *à Recentioribus*, qui *Antiquorum* doctrinas explanandas ſuſceperunt.

2 Prima ſententia cenſet plures Angelos poſſe naturaliter eſſe in eodem loco. Tribuitur *Scoto*; & eam ſupponit, ac præterit *Maſtr. in Phyſ. diſp.* 11. *q.* 7. *n.* 101; *Auerſa* 1. *p. q.* 52. *ſect.* 10; vbi refert *Ban; Mol; & Vaſq;* nec non *Caiet; & Zum.* aſſerentes plures Angelos poſſe eſse in eodem loco inadæquato, non verò in eodem loco adæquato; *Noſter Greg. in* 2. *diſt.* 2. *q.* 3; *Sua; Marſil; Gabr.* His additur *noſter Gibb. hìc diſp.* 18. *dub. vlt;* vbi ait plures Angelos ratione ſubſtantiæ poſſe eſſe naturaliter in eodem loco; ratione verò operationis, cuius ſunt cauſæ totales, non poſſe eſse in loco adæquato, poſse tamen ratione eiuſdem operationis, ad quam partialiter concurrũt, eſse in eodẽ loco inadæquato. *Gonet* verò *hìc diſp.* 4. *art.* 4. vult plures Angelos non poſse eſse in eodem loco formali adæquato ſibi cõnaturali; poſſe tamen eſse in eodem loco violento, vel qui ſit connaturalis vni, & violentus alteri.

3 Secunda ſententia abſolutè docet plures Angelos nõ poſse naturaliter eſse in eodem loco. *Ita Fund. Doct. in* 1. *diſt.* 37. *p.* 2. *q.* 3. Et quanuis nihil aſserat de potentia Dei ſupernaturali; attamen conformiter ad eius doctrinam affirmatiuè ſubſtinendum eſt; nam vt aſserit *noſter Greg;* cùm certum ſit plura corpora ſupernaturaliter eſse in eodem loco, nullum debet eſse dubium *apud Theologos* de Angelis; quoniam minùs poſſibile hoc videtur de corporibus, quàm de ſpiritibus. Et licèt *Marginaſtes Greg.* referat *Fund. Doct;* tanquam ſentiat nec etiam ſupernaturaliter poſse eſse; attamen immeritò; quia probans ſuam ſentẽtiam affert paritatem de duobus corporibus, quæ quia eodem modo comparãtur ad locum; idèſt habent eundem modum eſſendi in loco, nempe per quantitatem; ideo (ait) *duo corpora in eodem eſſe non poſſunt naturaliter loquendo;* ex quo infert duos Angelos, quia habent eũdem modum eſſendi in loco, ſcilicet per quantitatem virtutis, non poſſe eſſe in eodem loco; quod ſolùm naturaliter intelligi poteſt, aliter nihil concluderet; ab eo enim, quod eſt naturaliter, non ſupernaturaliter, ſolùm id, quod eſt naturaliter, non ſupernaturaliter, argui poteſt; vt patet. Hanc ſententiam *ferè tota Schola* noſtra defendit. *Ita* etiam *Io. à S. Tho. hìc diſp.* 20. *art.* 3. *à n.* 27. *ad* 31; *& plures alij Thomiſtæ;* licèt differãt in ratione, vt mox *videb.*

4 Not. *Fund. Doct. hìc* hãc ſententiam probari *à D. Tho.* ſic. Impoſſibile eſt idem ſecundùm idem pati, & moueri à diuerſis agentibus, & mouentibus, ſi vtrunq; ſit perfectæ virtutis ad inducendum effectum; ſed vnus Angelus eſt perfectæ virtutis ad educendum in actum totum illud, quod eſt operandum; ergo duo Angeli nequeũt operari circa idem operatum; & ideo nequeunt eſſe in eodem loco. Propter hoc *Recentiores* licèt aſſerant illam operationem, per quam Angelus eſt in loco, non eſſe formaliter tranſeuntem; attamen putant eſſe motiuam corporum, in quibus eſt; in quo ſibi apertè contradicunt; quia motus recipitur in mobili, & ideo in corpore moto; & per conſequens eſt operatio tranſiens. Hinc *Io. à S. Tho. vbi ſ. n.* 27. vult plures Angelos non poſſe eſſe in eodem loco formali, quia idem effectus nequit eſſe à duabus cauſis totalibus; poſſe tamen eſſe ſupernaturaliter; vt docet *n.* 31; quanuis *in Phyſ. q.* 10. *de cauſa in com. art.* 5. doceat eundem effectum non poſſe eſſe à duobus cauſis totalibus adæquatis etiam ſupernaturaliter.

5 Ad euitandas ergo has contradictiones aduertenda eſt explicatio *Fund. Doct. vbi ſup. q.* 1; qua, vt diximus *art.* 2. *n.* 8; ait operationem Angeli poſſe conſiderari, vt effectiua eſt; & vt extẽſiua; ſcilicet quatenus extenditur ad tantum

ſpa-

ſpatium.Primo modo habet rationem qualitatis actiuæ; per quam Angelus effectiuè ponitur in loco,in quo non erat. Secundo modo habet rationem quantitatis virtutis, quia per illam Angelus virtualiter extenditur,& applicatur ad tãtum ſpatium;ſicut corpus per quantitatem molis extenditur,& applicatur ad tantum locum;& per hanc Angelus eſt in loco formaliter, & repletiuè; & ſic dicitur eſſe in loco per applicationem virtutis, idèſt per quantitatem virtutis applicatam, & extenſam ad talem locum. Motio ergo corporis eſt quid conſequens ad ipſam locationem Angeli; & ideo poſſunt plures Angeli exiſtentes in eodẽ loco adæquato mouere aliquod corpus partialiter abſque eo, quòd deſinant eſſe adæquatè in illo loco. Et ſic ceſſare debet admiratio *Maſtrij vbiſ.* dicentis inuериſimile eſſe oppreſſum ab vna legione Dœmonum debuiſſe moueri ſex millibus,ſexcentis, & nonaginta ſex motibus; quamuis enim tot Angeli fuerint in oppreſſo, non tamen neceſſe fuit moueri ab omnibus; ſed ſolùm à Principe illius legionis; vel ab vno ex alijs illi ſubdito, quod eſt veriſimilius; fuerunt tamen in illo corpore, quatenus applicauerunt quãtitatem ſuæ virtutis modicæ parti illius corporis; in quo nõ ſolùm tot partes phyſicæ, ſed multò plures poſſunt deſignari;& ideo multò plures Dœmones in illo eſſe potuiſſent.

6 Contra rationem autem *D.Tho.* Sic arguit *Fund.Doct.* Quia Angelus non agit ex neceſſitate naturæ,ſed liberè; ideo non neceſſitatur ad agendum extenſiuè in totum obiectum, in quod poteſt;ergo quia non agit ex neceſſitate naturæ, ſed liberè, ideo non neceſſitatur ad agendum in obiectum intenſiuè, ſecundùm quod poteſt; ſed quia non neceſſitatur ad agendum in totum obiectum extenſiuè, poteſt alius Angelus eſſe in illa parte,in qua non agit; ergo quia non neceſſitatur ad agendum intenſiuè,vt poteſt,poterit alter Angelus ſimul operari in toto illo obiecto; quia primus Angelus non educit actum perfectum in id,in quod operatur, non quidem ex inſufficientia virtutis,ſed ex libertate arbitrij. Præterea iſta ratio procedit de operatione tranſeunte;vt dictum eſt;ideo non probat intentum. Igitur hac dimiſſa.

7 Vnica concl. Plures Angeli nequeunt eſſe naturaliter in eodem loco, ſed tantùm ſupernaturaliter.

Prob.1.pars concl;de qua ſolùm eſt cõtrouerſia;*ex Beatiſſ.P.lib.Quæſt.veteris,& noui Teſtam ex vtroque mixtim c.*115;vbi ait:*Diuerſa enim ſunt Dæmonia,& diſparem habent voluntatem. Quædam enim,quæ,cùm perturbant animos, elidunt corpora. Quædam verò admiſcentia ſe ſanguini,generant animis deſideria; alia autem cordi hominis ſe copulantia ſuggerunt cum blandicijs cõtraria;nonnulla autem ſunt, quæ ſola corpora obligant infirmitatibus.* Quibus verbis expreſsè docet, quòd Angeli,quia habent diuerſam naturaliter voluntatem, ideo naturaliter exigũt diuerſas applicationes ad diuerſa; & propterea aſſerit Dœmones in oppreſſis alios eſſe in ſanguine, alios in corde. Arguit autem ſic *Fund.Doct.* Plures virtutes habentes eundem modum eſſendi in alio nequeunt naturaliter reperiri in eodem; ſed plures Angeli ſunt in loco per plures virtutes habentes eundem modum eſſendi in loco; ergo plures Angeli nequeunt naturaliter eſſe in eodem loco. Prob. ma. Plures albedines diſtinctæ nequeunt eſſe in eodem ſubiecto; quia habent eundem modum eſſendi; ſic plures animæ rationales nequcunt naturaliter eſſe in eodem corpore, quia habent eundem modum eſſendi ſpecificum. In tantùm autem albedo, & nigredo poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, quia habent diuerſum modum eſſendi; ſic anima,& corpus ſunt in eodem loco, qnia habent diuerſum modum eſſendi ſpecificum, corpus enim eſt in loco per quantitatem molis, anima autem per quantitatem virtutis;at verò duo corpora in eodem loco eſſe non poſſunt, quia ambo ſunt in loco per quantitatem molis. Et ratio eſt, quia capacitas ſubiecti ita expletur per vnam formã, vt non ſit naturaliter capax recipiendi ſimul aliã formam; natura enim, cùm ſit determinata ad vnum,expletur per vnum,& ideo dicitur *abhorrere à ſuperfluo*,quia ſecũdũ ſuperfluit,cùm ſufficiẽter expleatur ab vno. Hinc videmus in intellectu nõ eſse ſimul naturaliter duas intellectiones realiter diſtinctas eiuſdẽ rationis;neque in volũtate duas volitiones; nec in oculo duas viſiones; nec in alio ſenſu duas ſenſationes,neq; in igne duos calores,& ſic de reliquis; ergo plures virtutes habentes eundem modum eſsendi nequeunt eſse naturaliter in eodem ſubiecto. Prob.mi. Omnes Angeli ſunt in loco per quantitatem ſuæ virtutis, ſicut omnia corpora sũt in loco per qnantitatem molis;ſed ex eo, quòd omnia corpora ſint loco per quãtitatem molis, habent eũdem modum eſsendi in loco;ergo plures Angeli ex eo, quòd ſint in loco per quantitatem virtutis,habent eundem modum eſsendi in loco.

8 Dices hac ratione probari plures Angelos neque ſupernaturaliter poſſe eſſe in eodem loco, quod eſt contra 2. part. concl; imò nec duo corpora;quod eſt contra Fidem; nam duæ albedines neque naturaliter,neque ſupernaturaliter poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; vt ſæpe videtur docere *Fund.Doct*;ergo hæc ratio nihil probat.

Reſp.neg.ant;hæc enim eſt diſparitas inter duas albedines per ordinem ad idem ſubiectum, & inter duo locata ad eundem locum;quòd duæ albedines ſunt duo accidentia eiuſdem ſpeciei, quæ nequeunt eſſe in eodem ſubiecto;cùm enim deriuent vnitatem, & diſtinctionem numericam à ſubiecto; ideo repugnat eorum diſtinctio numerica in vnitate numerica ſubiecti; nam vnitas numerica accidentis eſt vnitas numerica ſubiecti;& ſic daretur vnitas;quæ non eſſet vnitas,ſed di-

diſtinctio; quod repugnat. At verò duo locata, ſeu duæ quantitates virtutis non recipiunt vnitatem numericam à loco; locata enim ſunt indiuidua ex ſe ipſis;& virtutes indiuiduantur à locatis, in quibus ſunt;ideo licèt naturaliter non poſſint ſimul eſſe, poſſunt tamen ſupernaturaliter;quia non ſequitur cõtradictio allata de duabus albedinibus,neque alia quæuis.Procedit ergo paritas de albedine,& de quantitate virtutis naturaliter,nõ ſupernaturaliter,vt cùm dicimus: *Sicuti intellectus viribus naturæ nequit videre Deum;ita neque oculus*; valet enim hæc paritas tantùm naturaliter, quia neque intellectus, neque oculus poteſt naturaliter videre Deum;non tamen ſupernaturaliter, quia ſupernaturaliter intellectus poteſt Deũ videre, non autẽ oculus.

9 Conf. Tunc aliquod ſubiectum nequit naturaliter recipere aliquod, quando eius capacitas naturalis eſt totaliter expleta; ſed capacitas naturalis loci eſt totaliter naturaliter expleta per vnius Angeli exiſtentiam in illo;ergo nequit recipere naturaliter alium Angelum. Ma. patet; nam vas aqua plenum nequit naturaliter recipere alium liquorem;quia eius capacitas eſt naturaliter expleta; vnde quandiu non vacuetur, nequit alium humorem recipere naturaliter; vt docet experientia. Prob. mi.Capacitas naturalis corporis humani totaliter naturaliter expletur per receptionem vnius animæ rationalis ita, vt nequeat aliam ſimul naturaliter recipere; quia anima rationalis virtualiter extenditur ad totũ corpus;& præſtat id, quod præſtaret forma materialis habens quantitatem molis; ſed Angelus virtualiter extenditur ad totum locum; & per quantitatem virtutis præſtat id, quod præſtaret corpus habens quantitatem molis; ergo capacitas naturalis loci eſt totaliter naturaliter expleta per exiſtentiam vnius Angeli in ipſo.

10 Prob.2.Ideo locus repletus ab aliquo corpore nequit naturaliter recipere aliud corpus; quia vnũ corpus reſiſtit alteri corpori per quantitatem molis;& ideo ſupernaturaliter poteſt illud recipere;quia Deus poteſt impedire talem reſiſtentiam; ſed vnus Angelus naturaliter per ſuam voluntatem poteſt reſiſtere alteri Angelo; vt patet *Dan.*10;vbi dicitur,quòd Angelus *Perſarũ* reſtitit alteri Angelo viginti vno diebus; & ratio eſt;quia Angelus per quantitatem virtutis præſtat id, quod præſtat corpus per quantitatẽ molis; corpus autem reſiſtit alteri corpori per quantitatem molis; & ideo etiam Angelus per quantitatem virtutis reſiſtit alteri Angelo; ergo locus repletus ab vno Angelo nequit naturaliter recipere alium Angelum;& ſic plures Angeli nequeunt naturaliter eſſe in eodem loco.

11 Prob.2.pars concl;quæ ab omnibus cõceditur,*ex Beatiſſ.P.in epiſt.*3;vbi agens,quomodò Chriſtus Dominus ex vtero Virginis inniolato exierit;& ad Apoſtolos ianuis clauſis intrauerit,ait:*Hic ſi ratio quæritur,non erit mirabile;ſi exemplum poſcitur,non erit ſingulare.Demus Deũ aliquid poſſe,quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Ex quo ſic. Plura corpora poſſunt naturaliter eſſe in eodem loco; ergo à fortiori plures Angeli,quia Angeli non habent materialitatem,quæ impediat locationem; ſicuti habẽt corpora. Tum quia Deus poteſt impedire reſiſtentiã,qua vnũ corpus impedit aliud, ne ſit in eodẽ loco;ergo poteſt impedire reſiſtentiã, qua vnus Angelus reſiſtit alteri Angelo. Tum quia nulla poteſt adduci contradictio, quæ nõ poſſit adaptari corpori; & quæ non ſoluatur paritate de corpore; ergo hoc non eſt denegandum Diuinæ potentiæ.

12 Dices.Non poſſunt duo Angeli ad inuicem ſe penetrare; aliter vnus illaberetur in eſſentiam alterius; ergo nequeunt eſſe in eodem loco;in tantùm enim duo corpora ſunt in eodem loco,in quantùm ſe penetrant.

Reſp.diſt.ant. Non poſſunt ſe penetrare, quoad eſſentiam,conc;ſic enim daretur illapſus, qui eſt ſolùm in eſſentiam; quoad quantitatem virtutis,neg; ſicut enim penetratio corporum fit ſolùm per quantitatem molis in aliam quantitatem molis; non autem per eſſentiam vnius corporis in eſſentiam alterius;ita à pari de Angelis.

13 Obijc.1.cont.1.part.concl.*ex Gonet.Iob.* 8.narratur *Raphaelem* Angelum relegaſſe Dœmonium in deſertũ ſuperioris *Aegypti*;ergo tunc ſimul in eodem loco deſerti fuerunt duo Angeli;vnus, vt alligãs per operationem actiuè ſumptam; alter, vt alligatus per paſſionem. 2. *Marci* 5. dicitur in vno homine fuiſſe integram legionem Dœmonum; ſed non eſt credibile ſingulos Dœmones fuiſſe in diuerſis partibus corporis obſeſſi;ergo plures Angeli naturaliter sũt in eodem loco. 3. Plures Angeli poſſunt ſe applicare eidem loco operando effectus ſpecie diuerſos; ergo poſſunt eſſe in eodem loco naturaliter; nã in tantùm nequeunt eſſe naturaliter in eodem loco;in quantùm comparantur ad locum per eãdem rationem,vt dictum eſt; ſed in caſu eſſet diuerſa ratio,quia eſſet diuerſa operatio, per quã diuerſimodè comparantur ad locum;ergo eſſent naturaliter in eodem loco.4.Poſſunt plures Angeli pati ab eodem corpore per hoc, quòd ibi ſimul alligentur,& detineantur;vt v.g.ab eodem igne; videmus enim virtute magica plures Dœmones alligari eidẽ corpori; & ideo multò magis virtute Diuina;ſed tunc ſunt in loco per paſſionem;ergo poſſunt eſſe in eodem loco.

Reſp.hæc faciliter ſolui ex dictis.Ad 1.dicitur *Raphaelẽ* relegaſſe Dœmoniũ per operationem tranſeuntem; per operationem autem tranſeuntem non eſt in loco; quia eſt in loco per aliquod ſibi intrinſecum;vt patet de corpore,quod eſt in loco per quantitatem in corpore exiſtentem. Ad 2.neg.mi;cùm enim non detur determinatio loci Angelici versùs minimum;ideo non ſolùm

tot,ſed multò plures Angeli potuerunt eſſe in diuerſis partibus corporis illius obſeſſi. Ad 3. neg. conſ.nam licèt plura corpora poſſint in eodem loco ſucceſſiuè operari diuerſos effectus; vt v.g.ignis calefactionem,& aqua frigefactionem; attamen per hoc non comparãtur ad locum diuerſimodè; quia vniformiter ſunt in loco per quantitatem molis; ita licèt plures Angeli poſſint operari in eodem loco diuerſos effectus; attamen quia per illos non conſtituuntur in loco; nam circa illos effectus merè tranſeunter ſe habẽt;ſed vniformiter per quantitatem virtutis ſe applicant loco; ideo nequeunt eſſe in eodem loco. Ad 4.dicitur vel quòd poſſunt etiam pati à corpore contiguo, & illi alligari contiguè abſq; eo,quòd ſint in ipſo localiter repletiuè; vt patet de corpore;vel quòd ſunt in illo corpore inadæquatè ita,vt vnus ſit in vna parte illius corporis; alius in alia;vt dictum eſt de corpore obſeſſi.

14 Obijc.2. *ex Vaſq.1.p.q.72.diſp.193.c.2. n.6.* Vel ratio adducta *à Fund. Doct.* procedit particulariter;vel vniuerſaliter?Si primum;nihil concluditur; quia ab vno particulari ad aliud nõ valet.Si ſecundum; aſſumit tanquam certum id, quod eſt probandum, & ideo probat idem per idem.2.In tantùm duæ formæ nequeunt eſſe in eadem materia; quia tribuunt materiæ diuerſos effectus formales,qui pugnant inter ſe;& in tantùm duo corpora nequeunt eſſe in eodem loco, quia vnunquodque replet totum locum per ſuã quantitatem; Angelus autem non replet locum, neque tribuit effectum formalem loco;ergo non quantùm comparantur ad locum eodem modo. 3. Si diuerſus modus ſufficeret, vt plura poſſent eſſe ſimul, ſequeretur duas quantitates vnam informantem,& alteram præſentem poſſe eſſe in eadem materia; ſed conſequens eſt falſum; ergo hæc ratio non probat.

Reſp.hæc pariter leuia eſſe. Ad 1. dicitur procedere à particularibus ſufficienter enumeratis;& ſic optimè inferri vniuerſale;nam forma vel eſt ſubſtantialis, vel accidentalis;vel eſt qualitas, vel eſt quantitas; ſed neque duæ formæ ſubſtantiales, neque duæ qualitates, neque duæ quantitates poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; ergo optimè concluditur, quòd nullæ formæ comparatæ ad ſubiectum eodem modo poſſunt eſſe in eodem ſubiecto. Prætetea hoc probatur ex eo, quòd cũ capacitas ſubiecti naturaliter expleatur per vnam formam,nequit expleri ſimul per aliã, vt *ſup.*dictum eſt. Ad 2.dicitur, quòd illi effectus pugnãt inter ſe,quia ſunt ab eadem virtute comparata eodem modo ad ſubiectum; nam eſſe calidum,quod eſt à calore;& eſſe album, quod eſt ab albedine,non pugnant inter ſe,& poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; quia ſunt à formis accidentalibus diuerſis ſpecie;quæ diuerſimodè,idẽſt per ordinem ad diuerſa eſſe, comparantur ad ſubiectum; ergo cõparatio ad ſubiectum eodem modo eſt ratio à priori pugnæ effectuum. Ad aliud inſertum dicitur, quòd ſicut vnunquodque corpus replet locum formaliter; ita quilibet Angelus replet virtualiter;quia in tantùm illud replet formaliter,in quantùm formaliter extenditur ad occupandum totum locum; ergo iſte replet virtualiter, in quantùm virtualiter extenditur ad totum locum; vt dictum eſt de anima rationali reſpectu corporis. Ad 3.neg. ſeq;nã modus quãtitatis naturalis eſt eſſe in ſubiecto extendendo; & ideo informando;vnde falsò ſupponit quantitatem habere modum eſſendi in materia per ſolam præſentiam ſine informatione; quòd ſi quãtitati competeret naturaliter iſte duplex modus eſſendi in materia, poſſent ſimul eſſe hoc modo duæ quantitates.

15 Obijc.3.Plures ſpecies intentionales poſſunt eſſe ſimul in eodem medio; ſed iſtæ comparantur ad medium eodem modo;ergo hæc ratio non concludit.2. In Phantaſia eſt ſimul phantaſma Petri,& Pauli;ergo à pari.

Reſp. diſt. ma. Poſſunt ſimul eſſe merè terminatiuè,conc;informatiuè,neg; nã ſi ſpecies albi eſſet informatiuè in aere, faceret aerem formaliter album;& ſic de reliquis. Sũt ergo ſolùm terminatiuè, quatenus continentur in potentia ſubiecti;& terminantur ad medium, vt recipiantur in potentia ſenſibili. Præterea ſi arg.concluderet,probaret etiam albedinem, & nigredinem poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Ad 2. neg. ant; non enim vnum phantaſma eſt ſimul cum alio phantaſmate,ſed tantùm ſucceſſiuè.

16 Inſt.In memoria ſenſitiua ſunt ſimul omnia phantaſmata materialia; ſed iſta eodem modo comparantur ad illam;ergo & in phantaſia.

Reſp. diſt.ma. Sunt ſimul in diuerſis partibus organi memoriæ ſenſitiuæ, conc; in eadem parte,neg; quanuis enim vna albedo poſſit eſſe in vno palmo parietis,& alia in alio palmo diſſuſo;attamen in eodem palmo repugnat.Sic organum phantaſiæ,cùm ſit materiale, & quãtum,poteſt eſſe locus plurium locatorum partialium.

Reſp.igitur 2.ad principale arg.Plures ſpecies intentionales poſſunt eſſe in eodem medio ſecundùm diuerſas partes accepto, conc; & ſic plures Angeli poſsunt ſimul eſse in eodem loco ſecundùm diuerſas partes loci; ſecundùm eãdem partem accepto, neg. Ratio autem *Fund. Doct.* procedit de pluribus eodem modo comparatis ad ſubiectum acceptum ſecundùm eandem partem, non ſecundùm diuerſas partes;nam ſic nulla eſt difficultas,& nihil probaret de Angelis.

17 Obijc.4.Deus,& creatura ſunt in eodem loco; ſic Angelus, & anima in eodem corpore humano; & anima, & corpus in eodem loco naturaliter; ergo à fortiori plures Angeli naturaliter eſſe polsunt in eodem loco.

Reſp. *Fund. Doct.* neg. conſ; nam Deus, & creatura; Angelus,& anima;ac anima, & corpus diuerſimodè comparantur ad locum;plures autẽ Angeli eodem modo; vtdictum eſt *ſup.*

QVÆ-

QVÆSTIO III.

De Motu Angelorum.

DIximus in *ſup.q.art.*1. Angelum eſſe in determinato loco,& liberè poſse tranſire de vno loco ad alium;vnum deſerendo,& alterũ acquirendo. Modò de iſto tranſitu diſcurrendum eſt,qui per comparationem ad motum localem corporum vocatur motus localis Angelorum; quia eſt operatio potentiæ motiuæ,quæ eſt proprietas ſubſtantiæ Angelicæ.

ART. I.

An Angeli propriè moueantur?

1 OPeroſè tractanda eſt hæc difficultas, vt *Beatiſſ. Patris* ſententia circa hoc aperiatur.

2 Non loquimur de motu metaphoricè ſumpto;prout idem eſt,ac operatio;cùm enim operatio ſit quidã exitus ab agẽte in paſsũ;ideo operatio habet quandam ſimilitudinem cum motu; & propter hoc motus metaphoricè dicitur. In hoc ſenſu *D.Dion. de Diuin. Nomin. c.9*; vt obſeruat *Fund.Doct*; aſserit motum competere Deo,Angelo, & animæ rationali; nam motus localis *ex Phil.8.Phyſ.t.c.64.* alius eſt rectus, alius circularis,alius obliquus; & ſic Deus dicitur metaphoricè moueri motu recto, quatenus ab eo procedit creatura inflexibiliter,& indeclinabiliter;motus enim rectus non flectitur; & dicitur moueri circulariter; quatenus creatura procedit à Deo, & ad eum conuertitur; & tandem obliquè; quatenus motus obliquus componitur ex motu recto,& circulari;vt cùm quis ſe mouet per lineam rectam, & ad initium illius lineæ redit per lineã curuam; motus autem circularis includit ſtabilẽ permanentiam mobilis ſecundùm ſe totum in eodem loco; vt Cœlum mouetur circulariter, & ſecundùm ſe totum non mutat locum; cùm ergo à Deo procedat creatura inflexibiliter, à quo ſumitur motus rectus; & ſtabiliter, à quo ſumitur motus circularis, ideo in hoc ſenſu dicitur Deus moueri obliquè. Sic tripliciter, vt habet *idem D. Dion. c.4*; mouetur Angelus motu metaphorico; nam quatenus transfundit lumen receptum à Deo in Angelum inferiorem, dicitur moueri motu recto; quatenus recipit lumen à Deo, & per lumen ad Deum conuertitur, mouetur motu circulari; & quatenus transfundit lumen in Angelum inferiorem, qui per illud lumen non conuertitur ad Angelum illuminantem,ſed in Deũ, dicitur moueri obliquè. In hoc ſenſu in præſenti non loquimur.

3 Præterea docet *Beatiſſ.P. lib. Categ. c.21.* mutationem,& motum;ſeu mutari, & moueri nõ eſſe idem; mutatio enim eſt genus ad motum; quia mutatio diuiditur in generationem,corruptionem, & motum. Verba eius ſunt hæc: *Omnis autem immutatio,quæ metaboli Græcè eſt,fit tribus modis; aut ex non ſubiecto in ſubiectum, vt eſt ortus,vel natiuitas, quam Græci geneſin dicunt; aut ex ſubiecto in non ſubiectum, vt eſt interitus, vel corruptio, quam phtorain Græci dixerunt; aut ex ſubiecto in ſubiectum,vt eſt motus, qui Græcè Kiniſis dicitur.* Ex quo patet motum propriè eſse inter duos terminos poſitiuos;propter quod generatio, quæ eſt tranſitus de non eſse ad eſse; & corruptio,quæ eſt tranſitus de eſſe ad non eſſe, propriè loquendo non ſunt motus. Et licèt *Phil.* aliquando generationem, & corruptionem motum appellet;ait tamen *Beatiſſ. P.* tunc ſumere ſpeciem pro genere; vt cùm diuidit motum in ſex ſpecies; ſcilicet *in geneſin*,ſeu generationem; *phtoran*,idèſt corruptionem; *auxiſin*; idèſt augmentationem;*mioſin*;idèſt diminutionem;*allioſin tiotitos*; idèſt commutationem qualitatis; & *nata ton topon metabolin*;idèſt tranſgreſſionem loci.

4 Motus ergo propriè ſumptus diuiditur in tres ſpecies;ſcilicet augmentationem, & diminutionem;alterationem,ſeu alieratem,& motum localem. Sic proſequitur *Beatiſſ.P. ibid. Sed & ipſe motus tres ſpecies habet; idèſt incrementum, imminutionem,commutationem qualitatis, ſiue loci.Hæc à Græcis auxiſis,mioſis, allioſis, ſiue phora dicta ſunt; namque commutationem circa locum phoran dici voluerunt,quam nos quoque trãſgreſſionem maluimus dicere.*

5 Omnes iſtæ tres ſpecies motus neceſſariò dicunt ordinem ad aliquod diuiſibile; quapropter ait *Beatiſſ.P. lib. 1. Muſic. c.8. Motus habet partes dimenſas*; & rationem huius tradit *de Immortal.animæ c.3.* dicens: *Omne autem,quod tempore mouet corpus, tametſi ad vnum finem tendat, tamen nec ſimul omnia poteſt facere,nec poteſt non plura facere. Neque enim valet, quauis ope agatur, aut perfectè vnum eſſe, quod in partes ſecari poteſt,aut vllum eſſe ſine partibus corpus, aut ſine morarum interuallo tempus.* Ex quo ſic.Omne illud,quòd mouetur de vno eſſe ad aliud eſſe,non eſt perfectè vnum;vbi enim datur vnum,& aliud eſſe; ibi dantur plures vnitates, quæ ſequuntur ad plura eſſe;ſed omnis motus propriè dictus eſt de vno eſſe ad aliud eſse,vt *ſup.* dictum eſt; ergo omnis motus non eſt perfectè vnus; at quod nõ eſt perfectè vnum,eſt diuiſibile, quia oppoſitum vnitatis,quę eſt indiuiſio,eſt diuiſio; ergo omnis motus neceſsariò attenditur penes aliquod diuiſibile.Illud autem,quod eſt diuiſibile in partes ſucceſſiuas, vt eſt motus, nequit ſecundùm omnes partes pro eodem inſtanti temporis ſimul eſſe in termino;vt idem ſubiectum nequit ſimul eſſe album,& nigrum; diminutũ,& auctum;& corpus nequit eſse in toto loco per motũ ſecundũ omnes partes, aliter non eſset diuiſibile. Et magis explicatur de ſingulis ſpeciebus. Motus augmentationis, & diminutionis eſsentialiter reſpi-

ciunt quantitatem, quæ eſt diuiſibilis, vt patet. Motus ſecundùm qualitatem reſpicit vnum eſse accidentale poſt aliud eſse accidentale; ſed vnũ eſse poſt aliud eſse importat tempus, quod eſt diuiſibile;ergo motus ſecundùm qualitatem neceſsariò importat diuiſibilitatem. Tandem motus tranſgreſſiuus, quo fit tranſitus de loco ad locum, importat, quòd vna pars locati acquirat partem loci,& ſic per partem, & partem totum locatum acquirat totum locum; ergo motus localis importat diuiſibilitatem. Præterea motus *eſt actus entis in potentia, prout in potentia*; ergo motus debet habere aliquid,per quod ſit in actu; & aliquid,ad quod ſit in potentia; ſed quod habet aliquid,& aliquid,eſt diuiſibile; ergo motus neceſsariò importat diuiſibilitatem.

6 Ex his patet, quomodò ad tria tantùm prædicamenta ſit per ſe motus; ſcilicet augmentatio, & diminutio ad quantitatem; alteratio ad qualitatem; & motus localis ad vbi. *His ſupp.*

7 Prima ſententia vult Angelum non poſse tranſire de loco in locum.*Ita Dur.*putans Angelum eſse vbique; *& Heru*; qui cenſet Angelum non eſse in loco.

8 Secunda ſententia vult Angelum moueri localiter motu verè,& propriè dicto vniuocè cũ motu corporum.*Ita Auerſa hic q.53.ſect.1;& 2; & ex noſtris Greg.in 2.diſt.6. q.1. art.1; ac Gibb. diſp.19.dub.1;& alij*.

9 Tertia ſentẽtia vult Angelum moueri localiter motu propriè dicto,nõ vniuocè,ſed æquiuocè cum motu corporis. *Ita ferè omnes Thomiſtæ*,& nouiter *Gonet hic diſp.5.art.1.*

10 Noſtrã tandem ſententia docet Angelum, cùm tranſit de vno loco ad alium, verè, & propriè moueri ſolùm per tempora, non per loca;vnde potiùs dicitur mutare loca,quàm moueri per loca, & talis mutatio loci ſolùm æquiuocè, & impropriè motus localis dici debet. *Ita Fund.Doct.in 1.diſt.37.p.2. princ.2. q.1; D.Tho, Caiet,Ferrar;& alij*;pro cuius explic.

11 Not;quòd licèt *Fund.Doct. vbiſ. §.Viſo quomodò* aſserat motum localem *quodãmodò propriè* competere Angelo, non tamen abſolutè ait *propriè* competere, ſed *quodãmodò*, quod eſt intelligendum per ordinem ad motum metaphoricum;non autem abſolutè, & ſecundùm ſe; nam ille motus magis propriè accedit ad rationem motus localis, qui importat tranſitum, & mutationem de vno loco ad alium,quàm ille,qui non importat talem trãſitum,& mutationem;ſed motus Angelorum, qui fit per tempora, importat mutationem de vno loco ad alium; quam non importat motus metaphoricus; ergo motus Angelorum *quodãmodò propriè*, idèſt ſecũdùm quãdam rationem propriè dicitur motus localis.Nõ tamen dici poteſt propriiſſimè motus localis, ſeu motus per loca,vt loquitur *Beatiſſ.P*;propter rationes *inf.* afferendas. Ex quo apparere poteſt *Fund.Doct.* non diſcordare à mẽte *Beatiſſ.P*;qui docet Angelum non moueri per loca propriiſſimè loquendo; patet autem,quòd vltra acceptionem propriiſſimam datur acceptio propria, ſeu minùs propria,& acceptio lata;quapropter ſolẽt *DD.* ſæpe dicere, quòd aliquod tripliciter ſumi poteſt; ſcilicet latè, propriè, & propriiſſimè. *Hoc ſupp.*

12 Vnica concl.Angeli verè,& propriè mouentur ſolùm per tempora,non per loca.

Prob.*ex Beatiſſ.P. lib.8.de Gen. ad lit.c.*20; vbi poſtquam dixit Deum creaſse ſpiritalem, & corporalem creaturam, ait: *Spiritalem autẽ creaturam corporali præpoſuit,quòd ſpiritalis tantummodò per tempora mutari poſſet; corporalis autem per tempora,& loca.* Et paulò poſt. *At non omne, quod mouetur per tempus,neceſſe eſt etiam per locũ moueri. Sicut ergo ſubſtantiam,quæ mouetur per tempus,& locum,præcedit ſubſtantia, quæ tantùm per tempus;ita ipſam præcellit illa, quæ nec per tẽpus,nec per locum; ac per hoc ſicut per tempus, & locum mouet corpus ipſe tantùm per tempus motus conditus ſpiritus; ita per tempus mouet conditum ſpiritum ipſe nec per tempus, nec per locum Cõditor Spiritus;ſed ſpiritus creatus mouet ſe ipſum per tẽpus; & per tempus, ac per locũ corpus.* Ex quibus ſic. Mediũ participat de extremis; vt cõmuniter dicitur; ſed Angelus eſt medius inter Deum, & creaturam corporalem;ergo Angelus participat aliquid de Deo, & aliquid de creatura corporali; atqui Deus non mouetur per tempora, aut loca;& creatura corporalis mouetur per tempora,& loca; ergo Angelus mouetur per tempora, non per loca; quatenus enim mouetur per tempora,conuenit cum creatura corporali;prout verò non mouetur per loca, conuenit cum Deo; & quatenus mouetur per tempora, eſt inferior, & decliuis à Deo; prout verò non mouetur per loca,ſupra creaturas corporales extollitur.

13 Explicantur, & probantur ſingulæ partes concl. *Prima ex eod.ibid.* docente: *Exempli enim gratia per tempus mouetur animus,vel reminiſcendo,quod oblitus erat, vel diſcendo, quod neſciebat,vel volendo,quod nolebat.*Ex quo ſic.Illud mouetur per tempora, quod in tempore acquirit aliquam perfectionem,quam priùs non habebat;lignum enim,quod acquirit calorem,quem antea non habebat, dicitur calefieri in tempore; ſed Angeli acquirunt aliquam intellectionem; & volitionem naturalem,quam antea non habebant; non enim omnia ſimul, & ſemper, ex quo creati ſunt,intelligunt,& volunt,vt *inf.*;ergo Angeli mouentur per tempora, quia per tempora mutantur ad aliquod eſse accidentale, quod tẽpore antecedente non habebant.

14 Conf.*ex Fund.Doct.vbiſ.*Illud mouetur per tempora,quod ſucceſſiuè tranſit de vna operatione ad aliam, ſiue de vno eſse accidentali ad aliud;tempus enim,cùm ſit ens ſucceſſiuum, menſurat omne illud,quod ſucceſſionem importat; & ideo omne illud, quod ſucceſſiuè moue-

tur, per tempus mouetur; ſed Angeli tranſeunt de vna operatione naturali ad aliam; habetur enim *ex Scripturis*, quòd miſſi fuerant à Deo in tempore ad annunciandum aliquid, quod tempore antecedente nõ annunciabant, vt *Luc.* 1. legitur *de Annunc. Beatiſſ. Mariæ Virg;* & de Angelis inferioribus, qui illuminantur à ſuperioribus de ijs, quæ antea neſciebant; ergo Angeli mouentur per tempora.

15 Conf. 2. Illud, quod pro diuerſis inſtantibus realibus ſucceſſiuis mutatur de vna qualitate ad aliam, mouetur per tempora, vt v.g. lignũ, quod pro inſtanti *A* calefit; & pro inſtanti *B* frigeſit, dicitur moueri de calore ad frigus in tempore; ſed Angeli pro diuerſis inſtantibus ſucceſſiuis mouentur de vna qualitate ad aliam; vt de vna intellectione ad aliã; de motione huius corporis ad aliam; ergo mouentur per tempora.

16 Dices. Angeli non menſurantur tempore, ſed æuo; vt *inf.* ergo nec eorum operationes tempore menſurantur; & ideo non mouẽtur per tempus.

Reſp. diſt. ant. Non menſurantur tempore quoad eſſe, conc; quoad operationes, ſubdiſt; tempore noſtro, conc; Angelico, neg. Sed de hoc *inf.* cùm *de Menſ. Angel.* ſermo erit.

17 Prob. 2. pars concl. *ex eod. Beatiſſ. P. ibid. c.* 21. aſſerente: *Si enim, quod in ſe ipſo agitur, capere nondum poteſt; quantò minùs illud, quod ſupra eſt? Aſſ. Iſta quippe anima carnalium ſenſuum conſuetudine etiam ſe ipſam cum corpore per locum moueri putat, dum id per locũ mouet. Quæ ſi poſſet diligẽter inſpicere tãquam cardines membrorũ corporis ſui, quemadmodum articulatim diſpoſiti ſũt, à quibus initia motionum nitantur; inueniet ea, quæ per ſpatia locorum mouentur, niſi ab eis, quæ loco fixa ſunt, non moueri. Non enim mouetur ſolus digitus, niſi fixa ſit palma, à cuius articulo velut immoto cardine moueatur. Sic tota palma ab articulo cubiti; ſic cubitus ab articulo humeri; ſic humerus ab ſcapula mouetur, ſtantibus vtiq; cardinibus, quibus motio nitatur; ut per loci ſpatiũ, quod mouetur, moueatur. Sic cruris in genu, & totius pedis in coxa, & nullius membri motus omnino eſt, quẽ voluntas mouet, niſi ab aliquo articulari cardine, quem motus eiuſdem voluntatis primitus figit; vt ab eo, quod loci ſpatio nõ mouetur, agi valeat, quod mouetur. Denique nec in ambulando pes leuatur, niſi alius fixus totum corpus ferat; donec ille, qui motus eſt, à loco, vnde fertur, ad locum, quò fertur, immoto articulo ſui cardinis innitatur. Porrò ſi in corpore nullum membrum voluntas mouet, niſi ab eo membri articulo, quem non mouet; cùm & illa pars corporis, quæ mouetur; & illa, quæ fixa ſit, vt moueatur, corporeas habeant quãtitates ſuas, quibus occupent ſpatia locorum ſuorum; quantò magis ipſe animæ nutus, cui membra deſeruiunt, vt quod placuerit, figatur, vnde id, quod mouendum eſt, innitatur; cùm anima non ſit natura corporea, nec locali ſpatio corpus impleat; ſicut aqua vtrem, ſiue ſpõgiam; ſed miris modis ipſo incorporeo nutu commixta ſit viuificando corpori, quo & imperat corpori quadam intentione, non mole; quantò magis, inquam, ipſe nutus voluntatis eius non per locum mouetur, vt corpus per locum moueat; quando totũ per partes mouet, nec aliquas loco mouet, niſi per illas, quas loco non mouet. Quod ſi intelligere difficilè eſt, vtrunque credatur, & quòd creatura ſpiritalis non per locum mota moueat corpus per locum; & quòd Deus non per tempus motus moueat creaturam ſpiritalem per tempus.*

18 Ex his arguitur. 1. Imaginatio rei ſpiritualis ad modum rei corporalis eſt omnino falſa, & erronea; ſed dicere, quòd Angeli moueantur per loca, eſt imaginatio rei ſpiritualis ad modum rei corporalis; ergo dicere, quòd Angeli moueantur per loca, eſt omnino falſum, & erroneum. Ma. patet; quia ſpiritualia ſicut habẽt modum altiorem eſſendi; ita habent modum altiorem intelligendi; cùm modus intelligendi ſequatur modum eſſendi. Prob. mi. Modus rei corporalis per ordinem ad locum eſt, quòd moueatur per loca; nam res corporalis verè mouetur per loca; ſed Angeli ſunt res ſpirituales; ergo dicere, quòd Angeli moueantur per loca, eſt imaginari res ſpirituales ad modum rei corporalis.

19 Arguitur 2. Anima noſtra mouens corpus, quod informat, de vno loco ad alium, non mouetur per loca; ſed Angelus ita ſe habet in corpore aſſumpto mouens illud de vno loco ad alium; ſicut anima noſtra in corpore, quod informat, moto de vno ad alium locum; ergo Angelus non mouetur per loca. Mi. patet; quia ſicut principium efficiens motum localem in corpore eſt anima; ita principium efficiens motum localem in corpore aſſumpto eſt Angelus. Prob. ma. Anima eſt, veluti cardo, à quo incipit motus corporis; quia eſt principium illius; ſed de ratione cardinis eſt eſſe immotum; vt patet de cardinibus Mundi, per ordinem ad quos ſumitur immobilitas loci; ab ipſis autem non poſſet ſumi immobilitas, ſi immoti non eſſent; & de cardinibus, quibus mouentur ſphæræ; ergo anima mouens corpus localiter non mouetur per loca.

20 Conf. Magis ligatur anima cum corpore, quod informat, quàm Angelus cum loco, cui vnitur; quia anima vnitur corpori, vt pars intrinſecè illud informans; & vt exiſtens in illo, tanquã in loco; Angelus verò vnitur tantùm extrinſecè, non intrinſecè; illud autem, quod vnitur intrinſecè, magis vnitur, quàm vnitum extrinſecè, quia illud facit vnum per ſe cum re vnita; hoc autem nequaquam; ſed anima in corpore moto non mouetur per loca; ergo à fortiori neq; Angelus.

21 Conf. 2. Res corporalis, etſi poſſit moueri per loca; attãmen prout eſt id, à quo incipit motus alterius rei corporalis, non mouetur per loca; vt patet de pedibus, & reliquis partibus corporis; nam pes dexter non mouetur de loco, in quo eſt, ad locum, in quo non eſt, niſi immoto

pe-

pede ſiniſtro, à quo incipit motus pedis dextri; ergo à fortiori Angelus, à quo incipit motus corporis per loca, non mouetur per loca; nam ſi illud, quod per locum molari magnitudine diſtenditur, quatenus eſt initium, à quo incipit motus per loca, non mouetur per loca; à fortiori dicendum eſt de Angelo, qui, cùm mole corporea careat, non diſtenditur, nec circunſcribitur loco.

22 Conf. 3. In omni motu debet neceſſariò dari principium actiuè mouens, quod, prout mouens, reduplicatiuè ſit immotum; & ſubiectum paſſiuè receptiuum motus, quod verè moueatur; implicat enim, quòd detur paſſio ſine actione; ſed nõ eſt aſſignabile, à quo moueatur Angelus, vel anima per loca; ergo Angelus, vel anima non mouentur per loca.

23 Præterea Deus ex eo, quòd moueat omnia per tempora, & loca, eſt immobilis ſimpliciter per tempora, & loca; mouẽs nanq; in eo, quòd mouens, motum non eſt; implicat enim agens reduplicatiuè, vt agens, agi; aliter cauſa, prout cauſa eſt, eſſet effectus; ergo Angelus mouens per loca, reduplicatiuè, vt mouens, non mouetur per loca.

24 Tandem ſubdit *Beatiſſ. P. ibid. c. 22. Cui enim non facilè occurrat, quòd per locum non moueatur, qui per loci ſpatia non diſtenditur; quidquid autem per loci ſpatia diſtenditur, corpus eſt; ac per hoc conſequens eſt; vt anima per locum moueri nõ putetur, ſi corpus non eſſe credatur.* Ex quo ſic. Illud mouetur localiter, quod partim eſt in loco, ad quem tendit; & partim in loco, à quo recedit; vnde quod mouetur localiter, non acquirit, vel deſerit totum locum ſimul, ſed partem poſt partem; motus enim eſſentialiter eſt actus entis in potentia; ac propterea dicitur actus imperfectus, quia non eſt cum omni ſua actualitate; cuius partem habet, quia eſt actus; & partem non habet, quia eſt in potentia; cùm autem habet totam ſuam actualitatem, non eſt ampliùs motus, ſed quies; nam tunc eſt in termino ſuæ actualitatis; & habito termino ceſſat motus; tum quia mobile partim eſt in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*; cùm enim totum mobile eſt in termino *à quo*, nondum inceptus eſt motus; & cùm totum eſt in termino *ad quem*, completus eſt motus, & eſt quies; ſed Angeli non habent partem, per quam ſint in loco, ad quem mouentur; & partẽ, per quã ſint in loco, quem deſerunt; nec imperfectè, ſed totum ſimul in inſtanti locum acquirunt, & deſerunt; quia ſunt ſubſtantiæ incorporeæ carentes quantitate molis, à qua ſolùm habetur diuiſio in partes; ergo Angeli non mouentur per loca.

25 Conf. Si Angelis competeret motus localis vniuocè ad motum localem corporum, eodem modo mouerentur, ſicuti corpora; illa enim, quæ vniuocè dicuntur de pluribus, eodem modo reperiuntur in illis; ſed motus localis corporum eſt ſecundùm partes ipſorum corporum; videmus enim, quòd corpora mouentur ſecundùm vnam partem ſui ad vnam partem loci; non autẽ mouetur corpus ſecundùm totum ſimul, aliter non eſſet corpus, vt *ſup.* dictum eſt; nec totum ſimul locum acquirit; ergo Angeli mouerentur ſecundùm partes ipſorum; ſed admittere partes in Angelis, eſt concedere eis corpus phyſicum, & deſtruere naturam ipſorum, quæ, cùm ſit ſpiritualis completè, excludit corpus; ergo Angeli non mouentur per loca.

26 Vlteriùs. Motus localis eſſentialiter eſt extenſus de vno loco ad alium; ſed implicat in Angelo recipi motum extenſum; ſicuti implicat lineam recipi in ſolo puncto; aliter Angelus extenderetur formaliter per illum motum, & eſſet realiter partibilis; ſicut extenderetur, & fieret partibilis punctus, ſi in ſe ipſo reciperet lineam; ergo implicat Angelum moueri per loca, motus enim recipitur in mobili; & ideo quia Deus nullum poteſt recipere motum, non mouetur ſimpliciter. Tum quia motus localis contradiſtinguitur à motu ſecundùm qualitatem; eſt enim vna ſpecies motus ab illa ſpecificè diſtincta; ſed motus ſecundùm qualitatem non extendit ſubiectum; ergo motus localis extendit ſubiectum; in hoc autem diſtinguitur à motu augmentationis, quòd iſte extendit ſubiectum in ordine ad ſe; ergo motus localis extendit locatum in ordine ad locum; iſta autem extenſio nequit eſſe virtualis; quia extenſio virtualis eſt ſecundùm qualitatem; ergo eſt extenſio formalis; atqui Angelus non eſt capax extenſionis formalis; quia non eſt capax quantitatis; ergo non eſt capax motus localis. Tum quia de ratione motus localis, vt docet *Fund. Doct. De Menſ. Ang. q. 7. & 9.* eſt ſucceſſio ſecundùm partes ipſius mobilis; ſed Angelus non habet partes; ergo nõ mouetur localiter.

27 Poſtremò ſi Angelis competeret motus localis vniuocus ad motum corporis, poſſet ei eadem ratione competere etiam motus augmentationis, & diminutionis vniuocus ad motũ corporis; quia augmentatio eſt, qua res diſtenditur ad occupandum maiorem locum; & diminutio ad minorem; Angeli enim modò occupant maiorem, modò minorem; vt dictum eſt in *ſup. q.* ſed hoc eſt abſurdum; quid namque eis deficeret, vt nos poſſemus eos appellare quantos, & corporeos; haberent enim partes, ſecũdùm quas augerentur, & minuerentur; ergo ſicuti licèt virtualiter extendantur ad maiorem, vel minorem locum; attamen non admittimus in ipſis motum augmentationis, & diminutionis propriè dictum vniuocum ad motum corporum; ita licèt trãſeãt de vno loco ad alium; attamen in ipſis non eſt motus localis propriè dictus, qui eſt motus per loca; ſed impropriè, qui eſt tantùm per tempora.

28 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Angeli ſunt incorporei; ergo eis nullus competit motus; & per conſequens non mouentur per loca, nec per tem-

tempora. Ant.patet ex dictis. Prob. conſ; nam *Phil.2.Met.t.c.12.*ait: *Oportet imaginari materiã in re mota*;& 2.*Phyſ.t.c.71.*ait:*Omnia,quæ mouẽt mota,ſunt de conſideratione Phyſici*;Angeli autem non ſunt de conſideratione Phyſici;quia ſunt ſeparati à materia; ergo Angelis nullus competit motus.2. *Idem Phil.6.Phyſ.t.c.8.* ait: *Nullum impartibile mouetur*; ſed Angeli ſunt impartibiles,quia carent materia quanta;ergo non mouẽtur. 3. Si Angeli mouerentur, vel mouerentur per ſe;vel per accidens ad motum corporis? Nõ primum; quia non ſunt quanti;nec ſecundum; quia ſi Angeli mouerentur ad motum corporis, maximè,quia ſunt in corpore;ſed etiam Deus eſt in re mota,& tamen non mouetur; ergo Angeli nullo modo mouentur.

Reſp. hæc omnia fieri ſolere contra motũ localem, quæ libenter admittimus. Igitur ad 1. neg.conſ. vniuerſaliter accepta, prout excludit etiam motum per tempora. Ad 1. prob. reſp. *Fund.Doct.hic ad* 1; quòd *Phil.*loquitur de motu phyſico,& ſenſibili;vt eſt motus per loca;non autem de motu inſenſibili;vt eſt motus per tempora. Vel quòd nomine materiæ intelligit potẽtialitatem paſſiuam,qua mouetur de vna ad aliã perfectionem accidentalem per diuerſa tempora;qua cùm careat ſolus Deus, ideo ſolus Deus eſt immobilis per tempora,& loca; Angeli autẽ habent ſuum *hyleachin*, ſeu potentialitatem paſſiuam, & ideo mouentur per tempora ad diuerſas perfectiones accidentales. Et hæc reſponſio magis cõuenit doctrinę *Beatiſſ.P.*Et ſic ad aliud. Illud enim pertinet ad conſiderationem Phyſicam, quod mouetur motu ſenſibili,motus autem per tempora,quo mouentur Angeli,non eſt ſenſibilis,& ideo non pertinet ad conſiderationem Phyſicam.Ad 2.pariter ait *Fund. Doct. hic ad 3.* nullum impartibile moueri motu ſenſibili, qui eſt eſſentialiter per partes;moueri tamen poſſe per tempora,quia poteſt in diuerſis inſtantibus temporis acquirere diuerſas perfectiones accidentales; Angeli enim, vt patebit *inf;* ſucceſſiuè acquirunt, & deperdunt diuerſas intellectiones, & volitiones,ac mutant diuerſa loca.Ad 3. *Fũd. Doct.ad* 5.ait, quòd *Angelus quodammodò per ſe mouetur,& licèt ipſe non ſit quantus, operatur tamen in loco quanto*; at hoc intelligendum eſt de motu per tempora,non per loca,vt explicat *in corp.quæſt*; ſic etiam accipi debet,cùm ait Angelum moueri per accidens in corpore aſſumpto; aſſerit enim *Beatiſſ.P.vbiſ.*expreſsè: *Affecta quippe anima carnalium ſenſuum conſuetudine etiam ſe ipſam cum corpore per locum moueri putat,dum id per locum mouetur*;ex quo colligitur Angelũ, & animam nec per ſe, nec per accidens moueri per loca;ſed tantùm per tempora.*Sed de hoc inf.*

29 Obijc.2.Operatio Angeli eſt tota ſimul, quia eſt perfecta;ergo non menſuratur tempore, quod menſurat ſolùm ſucceſſiua.

Reſp;quòd licèt vna operatio ſit tota ſimul, & tempore nõ menſuretur; collectio tamen plurium operationum non eſt tota ſimul,ſed ſucceſſiuè,& ideo tempore menſuratur.

30 Obijc.3.cont.2.part.concl.*Ex Scripturis* habetur, quòd Angeli mittuntur à Deo in terras;vt *Luc.1. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Iudæ ad Virginem deſponſatam Ioſeph &c. Et ingreſſus Angelus ad Virginem*; idèſt ad locum, in quo erat Virgo.Et *Act.* 12. Angelus miſſus eſt *ad Petrum* in carcerem; & *Petrus* ſequebatur Angelum; & Angelus diſceſſit ab eo. *Et Iſaiæ 6. Volauit ad me vnus de Seraphim*; ſuper quòd *D. Ambr. lib. de Spiritu Sancto apud Mag.in 1.diſt.37.*ait:*Seraphim de loco ad locum tranſit; non enim complet omnia*; ſed quod tranſit de loco ad locum,mouetur per loca;ergo Angeli mouentur per loca.Tum quia motus diuiditur in inſtãtaneum,& ſucceſſiuum *ex Phil*; ergo motus localis non importat extenſionem partium, quæ nequit eſſe niſi ſucceſſiuè.

Reſp.ex his,& ſimilibus *textibus* nihil aliud deduci niſi, quòd Angelus mutet loca; mutatio autem non eſt motus; ſed genus ad motum; vt *ſup.*dictum eſt *ex Beatiſſ.P*;nam creatio eſt mutatio creaturæ de non eſſe ad eſſe, & tamen nõ eſt motus;& eo modo, quo creatio eſt mutatio, eſt tranſitus; eſt enim tranſitus de non eſſe ad eſſe; & ſic Angeli mutant loca, & tranſeunt de loco ad locum;nec tamen mouentur per loca. Igitur diſt.mi.Quod tranſit de loco ad locum imperfectè acquirendo locum,idèſt partem loci per partem locati,mouetur per loca,conc;Quod tranſit perfectè acquirendo totum locum per totalem exiſtentiam locati;ſicut tranſit Angelus, qui eſt totus in toto, & totus in qualibet parte loci, neg.Ad aliud dicitur *ex Beatiſſ.P*; quòd cũ *Phil.* diuidit motum,ſumit ſpeciem pro genere; idèſt motum pro mutatione.

31 Dices.Angelus verè,& propriè eſt in loco;& verè, ac propriè tranſit ad locum, in quo antea non erat; ergo verè, & propriè mouetur per loca;eodem enim modo ſe habet ad eſſe in loco;ac ad moueri ad locum.

Reſp.neg.conſ;& prob; nam ad eſſendum definitiuè in loco ſufficit, quòd habeat virtutem finitam, per quam determinetur, & limitetur ad locum;vt diximus *q.2. art.*1. At verò ad moueri per loca requiritur diuiſibilitas, ac partibilitas locati;vt dictum eſt.

32 Obijc.4. Angeli poſſunt cognoſcere, & appetere præſentiam,& abſentiam ab aliquo loco;ergo poſſunt moueri de vno ad alium locum; aliter Deus fruſtra dediſſet eis talem appetitum, ſi eis denegaſſet potentiam locomotiuam. 2.Poteſt Angelus ſucceſſiuè operari in diuerſis corporibus immotis illis ſe tantùm applicando; ſed hoc nequit eſſe, niſi moueatur per diuerſa loca, in quibus ſunt illa diuerſa corpora; ergo Angelus mouetur per loca.

Reſp. ad 1. neg. conſ; talis enim appetitus

non

non eſt ad mouendum ſe per loca, ſed ſolummodò ad mutanda diuerſa loca. Ad 2. eodem modo neg.mi;ex eo enim, quòd Angelus poſſit ſe applicare diuerſis locis, ſequitur tantùm, quòd poſſit mutare loca, vt dictum eſt.

33 Objc. 5. Cùm mouetur nauis, non datur pars immota, & pars mota; quia mouetur ſecundùm omnes partes; ergo falſum eſt motum localem fieri ſecundùm partem motam à parte immota.

Reſp. aliter philoſophandum eſſe de ſe mouentibus ab intrinſeco, de quibus loquitur *Beatiſſ.P.*; aliter de motis ab extrinſeco; vt eſt nauis. Licèt ergo nauis moueatur ſecundùm omnes partes, quia ille motus eſt ab extrinſeco; & ideo ſolùm extrinſecum, à quo incipit motus, debet eſſe immotum; attamen cùm motus eſt ab intrinſeco; & motus vnius partis incipit ab alia parte; ſicut videmus illam partem, à qua incipit motus, eſſe immotam; ita debemus arguere omne initium motus eſſe immotum.

§. 2.

An Angeli ſaltem per accidens moueantur per loca?

34 ADuerſarij, qui tenent Angelos verè, & propriè moueri per loca, vniuerſaliter docent moueri per ſe, & per accidens. Moueri per ſe eſt, cùm per ſe ipſum immediatè tranſit de vno loco ad alium; moueri per accidẽs eſt, cùm in corpore aſſumpto mouetur ad motũ illius; ſicut anima mouens corpus dicitur per accidens moueri ad motum corporis, quod ipſa mouet, & nauta ad motum nauis, quam mouet. Et quãuis huius reſolutio pateat ex dictis *n.* 26; attamen vt magis appareat mens *Beatiſſ. P*; ac magis explicetur doctrina *Fund. Doct.*; qui parti affirmatiuæ adhærere videtur, breuiter tractanda eſt.

35 Vnica concl. Angeli nec etiam per accidens mouentur per loca.

Prob. 1. *ex Beatiſſ.P. vbiſ. n.*26. aſſerente: *Affecta quippe anima carnalium ſenſuum conſuetudine etiam ſe ipſam eum corpore per locum moueri putat, dum id per locum mouetur. Et infra. Cùm anima non ſit natura corporea, nec locali ſpatio corpus impleat, ſicut aqua vtrem, ſiue ſpongiã.* Ex quibus patet *Beatiſſ.Patrem* docere Angelos nec per ſe, nec per accidens moueri per loca; cõſtat enim animam non moueri per loca per ſe ipſam immediatè, ſed tantùm prout eſt in corpore, & ratione corporis, quod verè localiter mouetur; ergo ſi negat animam moueri in corpore ad motum corporis, & ideo per accidens; negat etiam de Angelis; arguit enim ab anima ad Angelos; quia, cùm ambo ſint ſpirituales, in hoc docet præcellere corporalia.

36 Prob. autem iiſdem rationibus, quibus probata eſt concl. *ſup. art*; nam Angelus non eſt in loco, ſicut aqua eſt in vaſe, vel in ſpongia; aqua enim eſt in vaſe, & ſpongia diuiſibiliter per adæquationem partis ad partem; Angelus autem nõ eſt ſic in corpore aſſumpto; ſed aqua in vaſe, aut in ſpongia mouetur per accidens ad motum vaſis, aut ſpongiæ; ergo Angelus non mouetur per loca ad motum corporis aſſumpti. Mi. conſtat; & maior etiam patet; nam dicere, quòd Angelus ſit in corpore aſſumpto; ſicut aqua eſt in vaſe, eſt imaginatio omnino carnalis, & materialis; qua imaginamur ſpiritualia habere eundem modum eſſendi in alio, quem habent corporalia; & ideo abijcienda eſt; vt diximus *n.* 17; *& ſeq*; & ſic de alijs rationibus *ibid.* allatis.

37 Conf. Illi competit motus localis per accidens, cui poteſt competere motus localis per ſe; aqua enim, quæ ab agente extrinſeco mouetur in vaſe de vno loco ad alium, poteſt per ſe ipſam moueri etiam extra vas; ſed Angelus nequit per ſe ipſum moueri per loca; vt dictum eſt; ergo neque per accidens.

38 Tandem ſi moueretur per accidens, vel moueretur ab ipſo corpore, vel à ſe ipſo? Neutrũ dici poteſt; ergo neque primum. Ma. patet; quia, quod mouetur, ab aliquo moueri neceſſe eſt. Prob. mi. Non moueretur à corpore; aliter non minùs diceretur corpus mouere Angelum; quàm Angelus corpus; licèt enim Angelus moueret corpus per motum factũ à ſe in corpore; corpus verò moueret Angelum reflectendo illum motũ in Angelum; ſicut nauta mouet nauim per motũ factum in illam; & nauis per eundem motum mouet nautam; attamen corpus non poteſt rẽflexè mouere Angelum, quia Angelus non eſt ſubiectum ſuſceptiuum talis motus; ſicut nauta non moueretur, niſi eſſet ſuſceptiuus talis motus; & nauis nõ moueretur à nauta, niſi eſſet mobilis, & ſuſceptiua motus. Sed ſi Angelus eſſet mobilis, & ſuſceptiuus motus localis, qui eſt quantitatiuus, & diuiſibilis, eſſet formaliter quantus, & ideo corporeus; implicat enim aliquod quantitatiuum recipi in non quanto, quin illud non quantum fiat extenſum; cùm repugnet haberi cauſam formalem ſine effectu formali illius; vt albedinem ſine eſſe albo; rationalitatem ſine eſſe rationali; extẽſio autem eſt effectus formalis intrinſecus rei quantitatiuæ; ergo Angelus nequit à corpore moueri. Si autem non mouetur à corpore; quia ſecundùm ſe ipſum non eſt mobilis; nec ſuſceptiuus motus localis, qui eſt extenſus; neceſſe eſt enim motum recipi in re mota; quia motus eſt in mobili; vt dicitur *in Phyſ.* neceſſariò ſequitur Angelum nec etiam à ſe ipſo poſſe moueri per loca; quod enim ſecundùm ſe non eſt mobile; nec à ſe, nec ab alio poteſt moueri.

39 Objic. 1. *Fund. Doct. vbiſ. ad* 5. loquens de Angelo in corpore aſſumpto ait: *Mouetur etiã per accidens, prout mouetur ad motum corporis aſſumpti.* Et paulò poſt. *Et ideo mouetur per accidẽs Angelus ad motũ corporis, in quo eſt, & non Deus, quia Angelus poteſt definiri in aliquo corpore, non tamen Deus*; ergo ex *Fund. Doct.* Angelus mouetur

tur per loca. Præterea in tantùm Deus exiſtẽs in omnibus rebus nõ mouetur per loca ad motum earum rerum, in quibus eſt; in quantùm eſt immenſus;nec reperitur aliquis locus, in quo non ſit;ſed Angelus non eſt immenſus, cùm ſit definitus ad locum determinatum: ergo moto corpore,in quo eſt,mouetur per loca.

Reſp. *Fund.Doct. ibid.* aſſerere Angelum etiam moueri per ſe,aſſerit enim:*Ad 5.dicendum, quòd Angelus quodammodò per ſe mouetur, & licèt ipſe non ſit quantus,operatur tamen in loco quãto;*ſed cùm ait Angelum moueri per ſe, intelligit moueri per tempora, non autem propriè loquẽdo,in fine enim *corp.quaſt.* ait: *Aduertendum tamen, quòd cùm Angelus non ſit in loco localiter,ſed per operationem, per ſe, & primò motus Angeli eſt ſucceſſio operationum,quodammodò ex conſequenti eſt ſucceſſio locorum,ideo etiam talis motus,qui attenditur ſecundùm operationes tranſeuntes in exteriorem materiam, magis dicitur moueri ſecundũ tempora,quàm moueri ſecundùm loca. Nam omnis ſucceſſio reducitur ad menſuram temporalem, & cùm immediatè ibi attendatur aliqua ſucceſſio,non tamen localis ibi immediatè attenditur,ſed mediatè;talis motus magis propriè dicitur motus per tempora,quàm per loca, & propter hoc fortè Auguſtinus 8.ſup.Gen. ad lit. negat ſimpliciter ſpiritualem creaturam moueri per loca aſſerens ipſam mutari per tempora;*ergo,*cùm Fund.Doct.*aſſerit Angelũ moueri per accidens, intendit motum per tempora, non per loca propriè loquendo. Ad rationem dicitur,quòd in tantùm Deus nec mouetur, nec mutatur per loca,nec per tempora, quia eſt immẽſus,& immutabilis ſimpliciter; at verò Angelus, quia eſt definitus ad locum, & ſimpliciter mutabilis, ideo actiuè mutat loca, & mouetur per tempora, nec tamen mouetur per loca, quia caret quantitate. Quid autem ſit mutare loca, *in ſeq.*§.patebit.

§. 2.

In quo conſiſtat mutatio loci Angelorum?

40 QVi aſſerunt Angelos moueri per loca, laborant in explicando, in quo formaliter conſiſtat talis motus.

Aliqui aſſerunt ad motum Angeli concurrere duas mutationes ſucceſſiuas nulla quiete media interruptas;vnam quoad vnionem Angelicæ ſubſtantiæ cum corporibus; álteram quoad extrinſecam denominationem diſtantiæ à punctis fixis, quæ denominatio ſumitur ab ordine, quem intrinſecè dicunt corpora ad eadem puncta fixa;motum autem Angeli conſiſtere ſolùm in hac ſecunda ſucceſſione. *Ita Vaſq. hic diſput.* 195.*c.*4.

41 Sed contra eſt. 1. Motus eſt intrinſecus mobili, quod denominat motum: ergo non poteſt conſiſtere in aliquo extrinſeco ipſi mobili; ideo enim Deus cauſans motum in corporibus, in quibus eſt,non dicitur moueri,quia motus nõ recipitur intra Deum; ſed ſolùm intra res, quas mouet;ergo ex eo,quòd Angelus ſit in corporibus habẽtibus diſtantiam à punctis fixis, nequit dici propriè moueri localiter.2.Ex eo,quòd Angelus exiſtens, & replens hanc aulam ſucceſſiuè vniatur cum diuerſis corporibus habentibus diuerſam diſtantiam ad puncta fixa, non dicitur mutare locum,poteſt enim modò vniri cum corpore in parte aulæ verſus Orientem, & deinde cum alio corpore in parte aulæ verſus Occidentem;patet autem,quòd corpora exiſtentia in parte aulæ verſus Orientem, & verſus Occidentem habent diuerſam diſtantiam ad puncta fixa; ergo motus Angeli nequit conſiſtere in ſucceſſiua vnione ad corpora habentia diuerſam diſtantiã ad puncta fixa.

42 *Alij* aſſerunt conſiſtere in eo, quòd voluntas Angeli liberè applicet ſuam ſubſtantiam diuerſis locis ſucceſſiuè.*Ita Scotiſtæ,* quos ſequitur noſter *Gibb.hic diſp.*19.*dub.*1.*n.*12; *& ſeq.*

43 Sed contra. 1. Angelus non eſt in loco per ſubſtantiã;vt diximus *in ſup.q.ar.*2;ergo neque mouetur per loca ratione ſubſtantiæ applicatæ ſucceſſiuè diuerſis locis.2.Ratione ſubſtantiæ non attenditur niſi generatio, & corruptio *ex Phil. vbiſ;* ergo ratione ipſius non attenditur motus localis.3.Motus localis formaliter attenditur penes extenſionem,quia attenditur ſecundùm diſtantiam,quæ non habetur niſi à quantitate; ergo non attenditur penes ſubſtantiam Angeli,quæ eſt inextenſa.

44 *Alij* dicunt motum localem Angeli conſiſtere in diuerſis contactibus quantitatis virtutis,quibus ſucceſſiuè tangit diuerſa loca, abſque vlla quiete intermedia. *Ita Thomiſtæ;* vt habet *Gonet hic diſp.*5.*art.*1.§.*Dico tertiò.*

45 Sed contra eſt.Succeſſio contactuum virtutis eſt ſucceſſio diuerſarum operationum, vt fatentur *Thomiſtæ*; ſed operationes Angeli ſunt qualitates; ergo ſucceſſio contactuum virtutis eſt ſucceſſio qualitatum;ſed ſecundùm ſucceſſionem qualitatum attenditur ſolùm mutatio per tempora; quia illæ operationes fiunt in diuerſis temporibus; ergo ſecundùm talem ſucceſſionem nequit attendi motus localis propriè dictus. 2. Arguit *noſter Gibb.*Angelus exiſtens in parte determinata Cœli ſucceſſiuè tangit diuerſas partes ipſius Cœli, quæ mouentur, & tranſeunt; & tamen non mouetur. Sed hoc nihil obtinet; quia illæ partes ſunt locus tantùm materialiter, non formaliter;ſicut aer circa turrim flante vẽto mutatur,& tamen turris non mutat locum. Locus ergo eſt ſuperficies immobilis per ordinem ad puncta fixa; vnde cùm Angelus ſit ſemper in eadem diſtantia ad centrum terrę,& ad polos Mũdi,non mutat loca,etſi mutentur partes Cœli,in quibus eſt illa ſuperficies immobilis. Igitur hoc dimiſſo.

46 Vnica concl.Angelus mutat loca,quatenus per diuerſa tempora ſucceſſiuè ſe applicat diuerſis locis,ex quibus reſultant diuerſa *vbi* defini-

finitiua. Sicut enim dicitur mutare intellectionẽ; quatenus tranſit de vna intellectione, quam habet, ad aliam intellectionem, quam non habet; ita dicitur mutare loca, quatenus tranſit de vna applicatione ad vnum locum, in quo eſt, ad aliam applicationem alteri loco, in quo non erat. *Ita Fũd. Doct. vbiſ.* aſſerens: *Motus Angeli eſt ſucceſſio operationum*; iſta tamen ſucceſſio eſt ſecundùm tempora, quia eſt ſucceſſio ſecundùm qualitatem per ordinem ad diuerſa tempora; non ſecundùm loca, quia non eſt ſucceſſio ſecundùm quantitatem, & extenſionem.

47 Dices. Quod tranſit de vno *vbi* ad aliud, mouetur localiter; ſed Angelus tranſit de vno *vbi* ad aliud; ergo mouetur localiter.

Reſp. diſt. ma. Quod tranſit de vno *vbi* circunſcriptiuo, quod importat extenſionem, mouetur localiter, conc; de vno *vbi* definitiuo, quod dicit inextenſionem, ſicut tranſit Angelus, neg.

48 Inſt. *Vbi* definitiuum importat extenſionem virtualem; ſed extenſio virtualis ſufficit ad motum localem; quia ad motum localem ſufficit extenſio formalis; ergo Angelus mouetur localiter.

Reſp. neg. mi; nam extenſio virtualis ſufficit ad replendum locum; non autem ad motum localem; ad quem neceſſariò requiritur extenſio formalis; quia ad ipſum neceſſariò exigitur diuiſio actualis in partes, quæ repugnat extenſioni virtuali; cùm ſit effectus extenſionis formalis.

49 Dices 2. Corpus Chriſti ſub ſpeciebus mouetur localiter; cùm à Miniſtro defertur de vno ad alium locum; quanuis non moueatur ratione propriæ quantitatis; quia non eſt in illis ratione quantitatis, ſed ſubſtantiæ; ergo à pari.

Reſp. neg. ant; ſolùm enim mutatur de vno loco alium; non tamen propriè mouetur motu locali. Hac inſtantia ſæpe vtuntur *Aduerſarij*; qui tamen ſi intelligerent corpus Chriſti non eſſe definitiuè in ſpeciebus; ſicut Angelus eſt definitiuè in loco; ſed altiori modo, qui à nobis dicitur Sacramentalis, quia eſt valdè ſetretus à naturali cognitione; faterẽtur ſe nihil penitus cõcludere.

50 Dices 3. *cum Gibb.* Poteſt Angelus ſucceſſiuè operari in partibus inadæquatis ſui loci adæquati; ſed tunc non mutat locum; ergo mutare loca non eſt ſe applicare ſucceſſiuè corporibus.

Reſp. diſt. ma. Non mutat locum ſecundùm totum, conc; ſecundùm partes, neg.

ART. II.

An motus Angeli ſit continuus, vel diſcretus?

1 DIximus *in ſup. art.* Angelum moueri per tempora; non per loca; quærimus modò, an iſte motus ſit continuus, vel diſcretus?

2 Prima ſententia vult motum Angeli eſſe tantùm continuum. *Ita noſter Greg. in 2. diſt. 6. q. 2; & 3; Scot. in 2. diſt. 2. q. vlt; Mol, & alij.*

3 Secũda ſententia vult poſſe eſſe cõtinuũ, quatenus ſucceſſiuè poteſt ſe extẽdere ad acquirendas partes loci; & diſcretum; quatenus in vnico inſtanti poteſt acquirere, & deſerere totum locum. *Ita communiter Thomiſtæ; & nouiter Gonet diſp. 5. art. 2; D. Bon, Ricard; Salm; Vaſq,* quibus additur *noſter Gibb. hic diſp. 19. dub. 3; & 4; Auerſa 1. p. q. 53. ſect. 3; & alij.*

4 Noſtra tandem ſententia docet motum Angelorum per ſe, & formaliter eſſe diſcretum; & ſolùm merè per accidens poſſe dici continuũ. *Ita Fũd. Doct. de Menſ. Angel. q. 9; pro cuius expl.*

5 Not. *ex Fund. Doct. ibid*; quòd motus eſſentialiter habet aliquas partes actu, & alias in potentia; prout enim definitur *actus entis*, importat aliquid actu; & prout dicitur *in potentia, prout in potentia*, importat aliquid, quod actu non eſt; quod autem importat aliquid, quod actu eſt; & aliud, quod actu nõ eſt, neceſſariò habet partim eſse, & partim nõ eſſe, & ideo habet aliquas partes actu, & alias in potentia. Tum quia motus eſt ens ſucceſſiuum; ens autem ſucceſſiuum importat aliquas partes actu, & alias in potentia; in hoc enim diſtinguitur ens ſucceſsiuum ab ente permanente; quòd ens permanens habet totum ſuum eſſe ſimul ſecundùm omnes ſuas partes; vnde ait *Fund. Doct*; quòd ens permanens, etſi duraret per annũ, non diceretur moueri ſecundũ eſſe, quia nõ volueretur de parte in partẽ ſecũdũ ſui eſſe; nam eſſet in actu ſecundùm totum ſuum eſſe. Motus igitur importat trãſitum de eo, quod eſt, ad id, quod nõ eſt; & cùm incipit eſſe id, quod non eſt, deſinit eſſe id, quod erat.

6 Motus autem continuus in hoc diſtinguitur à diſcreto; quòd ille habet partes, quæ ita copulantur termino communi, vt conſtituant vnum per ſe; iſte verò habet partes realiter diuiſas, quæ conſtituunt vnum ſolùm per aggregationem; vt patet de continuo, & diſcreto permanẽte; nam in ratione continui, & diſcreti ens permanens, & ſucceſsiuum conueniunt; & differunt ſolùm, quòd illud habet omnes ſuas partes ſimul; iſtud autem habet alias poſt alias.

7 Ex his colligi poteſt motum in Angelo non poſſe deſumi, niſi penes operationes ipſius; nam penes eſſe ſubſtantiale nequit dari motus, quia non datur viciſſitudo de vno eſſe ad aliud eſſe; neque penes proprietates; quia iſtæ ſtabiliter, & fixè illis conueniunt; ergo ſupereſt, quòd ſolùm moueatur de vna in aliam operationem; quia de vna cognitione, & volitione naturali voluitur ad aliam, quatenus modò ſuper hanc, modò ſuper illam ſpeciem reflectit, vt colligit *Fund. Doct. ex Beatiſſ. P. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 21*; vt videre eſt *in ſup. art.*

8 Operatio autem Angeli triplex eſt, vt obſeruat *Fund. Doct. vbiſ.* Alia purè tranſiens, alia purè immanens, alia verò immanens quidem, ſed applicata ad aliquam externam materiam. Operatio purè tranſiens eſt motus ab Angelo cauſatus in corpore, & hanc eſſe motum continuum

ina-

manifeſtum eſt, quia recipitur in corpore continuo,quod habet partes copulatas termino communi, vt patet de motu Cœli, quẽ nullus negaret eſſe continuum. Verùm ſecundùm hanc operationem Angelus non dicitur moueri, ſed actiuè mouere, quia illud dicitur paſsiuè moueri, in quo recipitur motus;iſte autem motus non recipitur in Angelo, ſed in Cœlo, & ideo Cœlum, non Angelus, dicitur moueri. Secundùm autem vnam,& eandem operationem immanentem nequit eſſe motus continuus, aut diſcretus; non quidem continuus, quia vna,& eadem operatio non habet partes ſucceſsiuas, quarum vna ad alterius ſucceſsionem decedat; eſt enim ſimplex, & tota ſimul incipit,& deſinit. Neque diſcretus, quia iſte non datur niſi inter partes realiter diuiſas,conſtat autem, quòd vna,& eadem intellectio non habet partes. Supereſt ergo, quòd motus ſecundùm operationes immanentes ipſius Angeli nequeat deſumi, niſi quatenus Angelus vertitur de vna ad aliam operationem.Circa tertiam operationem dubium eſt *inter Theologos*; volunt enim *Aduerſarij*,quòd cùm ſit virtualiter quanta, poſſit ſucceſsiuè continuè moueri,vel ſe retrahendo ab aliquibus partibus loci ſe reſtringendo ad minores; vel ſe extendendo ad maiores; & in hoc ſenſu volunt motum continuum competere Angelis.*His not.*

9 Vnica cõcl.Motus per tempora, quo mouetur Angelus,per ſe, & formaliter non eſt continuus,ſed diſcretus. Imò etiam dato, quòd Angelus moueretur per loca, talis motus eſſet diſcretus, non continuus, niſi tantùm per accidẽs merè extrinſecè.

Prob. 1.pars concl. Succeſſio operationum ipſius Angeli eſt diſcreta,non continua; ſed motus,quo mouetur Angelus de vna ad aliam operationẽ,mẽſuratur tẽpore fundato in ſucceſſione operationũ ipſius Angeli; ergo motus, quo Angelus mouetur de vna ad aliã operationẽ, eſt diſcretus,nõ continuus. Ma.patet; nã operationes Angeli non vniũtur tanquã partes ad cõponẽdã vnam totalem operationem realiter indiuiſam; ſicut partes continui vniuntur ad componẽdum vnum totum continuum realiter indiuiſum;quia quęlibet operatio Angeli eſt tota ſimul,ſimplex, & realiter numericè diuiſa ab alia operatione; ergo talis ſucceſſio nõ eſt continua,ſed diſcreta; ſucceſſio enim dicitur continua , vel diſcreta à cõtinuatione,vel diſcretione partium. Prob. mi. Tempus menſurans operationes Angeli non fundatur in motu primi mobilis;aliter operationes Angeli reducerentur in motum primi mobilis,tanquam in propriam menſuram;quod repugnat; quia menſura eſt quid prius menſurato; cùm ſit cauſa illius; hinc motus primi mobilis, qui eſt cauſa omnium motuum inferiorum, eſt menſura illorum; operatio autem Angeli non eſt effectus motus primi mobilis,ſed cauſa illius; quia operatio Angeli mouet primum mobile; tum quia nullum ſpirituale reducitur in corporale;nam ſolùm inferius reducitur ad ſuperius; ergo tempus menſurans operationes Angeli fundatur in ſucceſſione earundem operationum. Atqui illud,quod fundatur in pluribus diuiſis,& diſcretis,diuiditur, & diſcernitur ad diuiſionem, & diſcretionẽ illorum; vt albedo fundata in pariete *A* diſcernitur ab albedine fundata in pariete *B*;quia diſcreto fundamento diſcernitur res fundata; ergo tempus menſurans operationes Angelicas eſt diſcretum,non continuum; & per conſequens Angelus ſe mouens per illud tempus mouetur diſcretè,non continuè.

10 Conf.1.In tantùm ſucceſſio numerorum eſt diſcreta,non continua; in quantùm numeri ſuccedentes ſunt diſcreti, non cõtinui; ſed operationes Angeli ſunt diſcretæ, ſicut numeri; diſtinguuntur enim numero, vt communiter dicitur;ergo ſucceſſio earum eſt diſcreta, non continua.Atqui motus, quo Angeli mouentur per tẽpora, attenditur penes ſucceſſionem operationũ ipſorum; ergo talis motus eſt diſcretus, non continuus.

11 Conf.2.Si Angeli mouerentur continuè per tempora,maximè,quia eius operationes mẽſurantur æuo,vel *nunc* æui, quod eſt quid vnum, non diſcretum; ſed conſequens eſt falſum; nam, vt inquit *Fund.Doct.*,æuum menſurat ſolùm permanentiã,quia menſurat eſſe ipſius Angeli, cùm ſit ipſum eſſe Angeli ſemper durans; & *nunc* æui menſurat ſubſtantiam Angeli, quæ nunquam deſinit, vt ſuo loco dicemus; operationes autem Angeli deſinunt eſſe, quia Angelus voluitur de vna in aliam; ergo Angeli non mouentur motu continuo,ſed diſcreto.

12 Præterea.Illud mouetur continuè,quod habet partes,quæ non ſunt ſimul,& quarum vna vnitur cum alia ad faciendum aliquod ſolùm numericè vnum; ſed motus Angeli non eſt huiuſmodi,quia illius operationes non vniuntur ſic, vt dictum eſt; ergo Angelus non mouetur continuè.

13 Prob.ampliùs. Ad hoc,vt aliquis motus ſit vnus,requiritur, quòd operatio, ſecundùm quam attẽditur talis motus, ſit vna;dicitur enim quis continuè legere,quando lectio eſt vna; diſcretè autem,cùm plures ſunt lectiones diſtinctæ; ſed operatio,qua mouentur Angeli,non eſt vna, ſed multiplex,quia ſecundùm vnam operationẽ nequit eſſe motus, cùm fiat in inſtanti tota ſimul in eſſe perfecto; in hoc enim diſtinguitur homo intelligens per diſcurſum, qui procedit de imperfecto ad perfectum, ab Angelo intelligente per ſimplicem intuitum, qui vnico inſtanti perfectè intelligit;ergo motus, quo mouentur Angeli, non eſt vnus, ſed multiplex; ſed quod eſt multiplex, eſt diſcretum, non continuum; ergo motus,quo mouentur Angeli, non eſt cõtinuus, ſed diſcretus.

14 Vlteriùs.Illud,quod mouetur per inſtã-

tia diſcreta, moueretur diſcretè, non continuè, ſicut quod moueretur per partes diſcretas lineæ, moueretur diſcretè, non continuè; ſed Angeli mouentur de vna ad aliam operationem per inſtantia diſcreta; nam in vno inſtanti elicit vnam operationem, quia cùm illa operatio ſit tota ſimul, non poteſt fieri niſi in inſtanti: & in alio inſtanti elicit aliam operationem, ad quam vertitur, non enim eſt minor ratio de vna, quàm de alia; ergo Angeli mouentur diſcretè per tempora.

15 Prob. 2. pars concl; quòd ſcilicet etiam admiſſo, quòd Angelus moueretur per loca; dũmodò tamen eſſet totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci, non moueretur continuè, ſed diſcretè; Ad continuitatem motus localis requiritur nedum continuitas ſpatij, ſed etiam cõtinuitas operationis mobilis, & continuitas tẽporis menſurantis talem motum localem; ſed etiãſi daretur cõtinuitas ſpatij, nõ tamen daretur continuitas operationis, & continuitas temporis menſurantis motum Angeli; ergo Angelus non moueretur continuè, ſed diſcretè. Ma. patet; nam ſi plures quantitates diſcretæ mouerentur ſuper quantitatem continuam, totus motus factus ſuper illam quantitatem cõtinuam non eſſet vnus cõtinuè, ſed diſcretè; & ſi motus fieret in diuerſis temporibus, nõ eſſet vnus, ſed multiplex, & ideo diſcretus; ergo ad continuitatem motus localis non ſufficit cõtinuitas ſpatij, ſed requiritur etiã continuitas operationis, ſeu applicationis actualis, & temporis. Prob. mi. Angelus non eſt in diuerſis locis niſi per diuerſas operationes, quibus illis ſe applicat, & per diuerſa inſtãtia, vt dictum eſt, nam ſecundùm vnam tantùm operationem nequit deſumi motus, vt pariter probatum eſt, ſed ſecundùm diuerſas operationes, & ſecundũ diuerſa inſtantia deſumitur diſcretio, non continuitas; ergo etiamſi daretur cõtinuitas ſpatij, nõ tamẽ daretur cõtinuitas operationis, & tẽporis.

16 Prob. rurſus hæc 2. pars euertendo fundamentum *Aduerſariorum*. In tãtùm motus Angeli eſt continuus; in quantùm poteſt reſtringere ſe ad occupandas pauciores partes loci, vel extendere ſe ad replendas maiores, vel tranſire ſucceſſiuè ad alias abſque quiete intermedia; ſed ex hoc arguitur tantùm continuitas loci, quę eſt merè extrinſeca Angelo, non autem continuitas motus intrinſecè afficientis Angelum; ergo Angelus non mouetur continuè, ſed diſcretè. Ma. eſt ratio *Aduerſariorum*. Prob. mi. Angelus dum reſtringit ſe ad minorem locum, reſtringit ſe totum, non partem; & ſic dum extendit ſe ad maiorem locum, extendit ſe totum; & dum tranſit ad alium locum, tranſit ſecundùm ſe totum, eſt enim *totus in toto, & totus in qualibet parte*; quod meliùs capere debent *Aduerſarij*; ergo Angelus in his omnibus non mouetur continuè; quia motus continuus eſt ſucceſſio ſecundùm partes ipſius motus ita, vt aliqua pars decedat, & alia ſuccedat; in hoc nanque diſtinguitur à permanente, quod habet ſemper omnes partes ſuas ſimul. Ex quo ſequitur nõ ſufficere partes virtuales; quia partes virtuales propriè non ſunt partes, ſed totum æquiualens partibus.

17 Tertia pars concl. deducitur ex dictis; nam quòd tempus noſtrum, vel locus continuus coexiſtat operationibus Angeli, merè extrinſecè, & per accidens ſe habet ad motum ipſius Angeli; non enim tempus noſtrum menſurat intrinſecè operationes Angeli, & locus tantùm extrinſecè terminat applicationẽ virtutis ipſius Angeli; ſed motus Angeli dici poteſt ſolùm continuus in ordine ad tempus noſtrum; & in ordine ad locum; ergo motus Angeli tantùm extrinſecè, & per accidens dici poteſt continuus.

18 Conf. Ex eo, quòd plura diſcreta moueãtur ſuper aliquod continuum, ille motus dicitur continuus tantùm extrinſecè terminatiuè; ſed Angelus non mouetur niſi per plures operationes diſcretas, quia repugnat per vnam moueri; ergo ex eo, quòd moueatur per tempus noſtrum, & per locum continuum, mouetur continuè tãtùm extrinſecè, & per accidens.

19 Obijc. 1. cont. 1. p. concl. *Beatiſſ. P. Aug. lib. 11. Confeſſ. c. 28.* ait: *Inſtãs carere ſpatio, quia in puncto præteris*; ſed operationes Angelorum durant per aliquod ſpatium temporis, quia Angeli manent per aliquod tempus in eadem operatione; ergo Angeli mouentur motu continuo, quia mouentur motu facto in tempore noſtro, quod eſt quid cõtinuum. Tum quia ex eo, quòd aliquod corpus ſecundùm omnes partes quieſcat per aliquod tempus, dicitur menſurari illo tẽpore, ergo ex eo, quòd aliquis Angelus quieſcat per aliquod tempus cõtinuò in aliqua operatione, dicitur menſurari continuè. 2. Ita ſe habet punctus ad lineam, ſicut inſtans ad tempus; ſed vnus punctus continuatur eum linea, non eum alio puncto, aliter linea componeretur ex punctis; ergo vnum inſtans cõtinuatur cum parte diuiſibili temporis; ſed Angeli operatio elicita in inſtanti poteſt durare per totam illam partem diuiſibilem temporis continuatam cum illo inſtanti; ergo menſuratur tempore continuo.

Reſp. diſt. mi. Operationes Angelorum durant per aliquod ſpatium temporis merè extrinſecè coexiſtentis, conc; intrinſecè menſurantis, neg. Ad aliud dicitur cum *Fund. Doct.*; quòd ideo vnum corpus quieſcens ſecundum omnes ſuas partes menſuratur tempore, quia ſubijcitur tempori, tanquam propriæ menſuræ, cui ſubijciuntur nedum entia corporalia ſucceſſiua, ſed etiam entia corporalia permanẽtia; at verò operatio Angeli non ſubditur tempori noſtro, ideo nec menſuratur ab illo; & quamuis non deſinat in inſtanti temporis noſtri, quod eſt inſtans fluens; attamen non durat, niſi vnicum inſtans temporis Angelici, quod eſt inſtans manens; ſicut dicitur de inſtanti æternitatis; vnde illa duratio, quæ merè extrinſecè, & per accidens menſuratur tempore no-

noſtro, cenſetur vnicum inſtans manens temporis Angelici. Ad 2. diſt. ma. Sicut ſe habet punctus ad lineam;ita ſe habet inſtans ad tempus; ſi ſermo ſit de inſtanti temporis continui, ſicut eſt tempus noſtrum,conc; ſi de inſtanti temporis diſcreti,vt eſt tempus Angelicum,neg;ideo enim punctus continuatur cum linea, ſiue cum parte diuiſibili lineę, quia linea eſt quid continuum,& ideo nequit componi ex indiuiſibilibus ; at verò totum diſcretum poteſt componi ex indiuiſibilibus, & ideo inſtans temporis diſcreti poteſt coniungi cum alio inſtanti.

20 Obijc.2.cont.2.p.concl.Angeli ex *Sacra Scriptura* ſe mouerunt in corporibus aſſumptis per aliquod tempus,vt patet de Angelo, qui luctatus eſt *cum Iacob* vſque mane ; & de illo, qui comitatus eſt *Tobiam Iuniorem* per adeo longũ iter;ſed illud tempus fuit continuum ; ergo Angeli mouentur per tempora continuè . 2. Angelus exiſtens in loco ſibi maximo poteſt ſucceſſiuè continuè deſerere partem illius loci, & in alijs partibus remanere;quod dicendum eſt etiam de partibus minoribus reſpectu partium maiorum ; ergo poteſt moueri per loca continuè,& per cõſequens etiam per tempora. 3.Poteſt anima ſucceſſiuè continuè informare nouas partes materiæ, quæ per augmentationem adduntur corpori;& ſic deſinere informare aliquas partes ipſius corporis ; ergo & Angelus continuè moueri per tempora,& per loca.

Reſp.ad 1.diſt.ma.Angeli ſe mouerunt in corporibus aſſumptis per motum factum in corporibus,neg; per motum exiſtentem in ipſis Angelis, qui motus eſt ſucceſſio operationum Angelorum,conc.Ad mi. diſt. Illud tempus menſurans motum corporum erat continuum, conc; menſurans motum Angelorum,neg. Ad 2.patet ex dictis; licèt enim detur continuitas ex parte loci,non tamen datur ex parte operationum Angeli,quibus deſerit, vel acquirit aliquas partes loci,quia vna operatio non eſt continua, cũ non habeat partes; nec plures operationes ſunt quid continuum,vt dictum eſt. Ad 3.neg.ant;cũ enim anima humana incipiat tota in parte ſuperaddita corpori; ideo non continuè, ſed diſcretè incipit eſſe in partibus additis per augmentationem,& ſic deſinit eſſe in illis.

21 Obijc.3. Illud mouetur continuè per locum, quod ſucceſſiuè acquirit partes loci ; ſed Angelus eſt huiuſmodi;ergo mouetur continuè. Prob.ma.Ideo corpus mouetur continuè, quia eius locus eſt diuiſibilis , & acquirit illum per partes; ergo moueri continuè eſt acquirere ſucceſſiuè partes loci.Prob.mi.Acquirere ſucceſſiuè partes loci eſt priùs peruenire ad partes propinquiores,quàm ad remotiores;ſed Angelus tranſit priùs ad partes propinquiores , quàm ad remotiores ;ergo acquirit ſucceſſiuè partes loci.

Reſp. neg. ma; licèt enim ad motum continuum requiratur diuiſibilitas loci ; attamen hæc non ſufficit; quia requiritur etiam continuitas ipſius motus extenſi in mobili ; cùm autem continuitas motus conſiſtat in habere partes copulatas termino communi , & hæc non detur in Angelo,vt dictum eſt; ideo non mouetur continuè , etiam ſi ſucceſſiuè acquirat partes loci,qui eſt continuus .Ad prob.neg.ant. tanquam inſufficiens ; non enim corpus mouetur continuè ex eo ſolùm,quòd eius locus ſit continuus,ſed quia etiam motus intrinſecè receptus in corpore eſt continuus .

22 Inſt.Licèt operatio Angeli ſit indiuiſibilis formaliter, attamen eſt diuiſibilis virtualiter ; ſed diuiſibile virtualiter poteſt præſtare totum illud,quod præſtat diuiſibile formaliter; ergo ſicut diuiſibilitas formaliter in motu facit mobile continuè moueri;ita diuiſibilitas virtualis .

Reſp.diſt. mi. Diuiſibile virtualiter præſtat totum id,quod præſtat diuiſibile formaliter , & non repugnat indiuiſibilitati formali,conc;& repugnat,neg;facere autem motum continuum eſt diuidere motum in partes , quarum vna realiter non eſt alia,quia vna realiter decedit altera ſuccedente , quod formaliter repugnat indiuiſibilitati reali ipſius Angeli .

23 Obijc.4. De ratione motus diſcreti eſt , quòd ſit vnus; ſed ſucceſſio operationum Angeli nõ eſt vnus motus,quia vna operatio interrumpitur per quietem mediam ab alia operatione ; ergo Angeli non mouentur diſcretè. Præterea mobile,dum eſt in termino *à quo* , non mouetur, quia tunc nondum eſt inceptus motus ; neque mouetur,quando eſt in termino *ad quem* , quia habito termino ceſſat motus;ſed ſi Angelus moueretur diſcretè,trãſiret de termino *à quo* immediatè ad terminum *ad quem* ; ergo nullo modo moueretur .

Reſp.ad 1.diſt.ma.De ratione motus diſcreti eſt, quòd ſit vnus per aggregationem plurium operationum conſtituentium motum diſcretum ; motus enim diſcretus cõſiſtit in ſucceſſione plurium mutationum inſtantanearum , conc; vnus per continuitatem,neg; & ſic diſt. mi. Succeſſio operationum Angeli non eſt vnus motus per aggregationem,neg;per continuitatem, conc. Falſum autem eſt vnam operationem Angeli neceſſariò interrumpi ab alia per aliquam quietem;licèt enim duo inſtantia temporis noſtri, quod eſt continuum , & duo puncta in linea ſeiungantur neceſſariò per partem diuiſibilem ; attamen duo inſtantia temporis Angelici,quod eſt diſcretum, poſſunt immediatè ſuccedere;ſicuti duo puncta duarum linearum diſcretarum poſſunt immediatè vniri contiguè , vt patet . Ad 2.dicitur,quòd motus non conſiſtit in termino *à quo* , neque *ad quem* præciſiuè ſumptis,ſed in tranſitu, ſeu reuolutione mobilis à termino *à quo* ad terminum *ad quem* ; vnde licèt Angelus non moueatur in prima operatione,neq; in ſecũda,mouetur tamen in ſucceſſione,ſeu trãſitu de vna operatione ad aliã.

Inſt.

24 Inſt. Si Angelus eſſet in puncto, nullo modo poſſet moueri, quia non haberet partes, ſecundũ quas attẽditur motus; ergo ab vna operatione inſtantanea nõ mouetur ad aliã diſcretè.

Reſp.diſt.ant. Non poſſet moueri diſcretè, neg; ſicuti corpus ſphæricum tangens in puncto poteſt moueri ad tangendum alium punctum; partes autem huius motus eſſent duo contactus ad illos duos pũctos; & ſic duæ operationes Angeli ſunt partes illius motus diſcreti.

25 Hæc prout procedunt de motu per loca, disputandi gratia dicta ſunt; ſunt enim de ſubiecto non ſupponente, quia Angeli non mouẽtur per loca, vt diximus *ex Beatiſſ.P.*; & ideo ſemper poteſt negati ſuppoſitum.

26 Colligitur ex dictis motum, quo mouetur Angelus per tempora, eſſe intrinſecè in ipſo Angelo; eſt enim in eius operationibus, quæ ſunt intrinſecè in Angelo.

27 Quæres; an vnus Angelus, ſicut poteſt mouere corpora; ita poſſit mouere aliũ Angelũ?

Reſp; quòd cùm non omnes Angeli ſint æqualis naturæ; ita nec ſunt æqualis fortitudinis, quæ eſt proprietas conſequẽs naturã; vnde ſicut corpus maioris fortitudinis poteſt aliud corpus minoris fortitudinis mouere; ita Angelus ſuperior poteſt mouere inferiorẽ. Habetur *Apoc.* 20; vbi de Angelo dicitur: *Apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui eſt Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum. Et Tob.*8.*Tunc Raphael Angelus apprehendit Damoniũ, & relegauit illud in deſerto ſuperioris Aegypti.* Ex quibus manifeſtè conſtat Angelum poſſe mouere de vno loco ad alium alterum Angelum.

28 Quomodò autem fiat iſte motus, an ſcilicet per qualitatem impulſiuam in Angelo, vel immediatè mouendo; idem dicendum eſt proportionaliter, ac de corpore; mouetur enim producẽdo ipsũ motũ in moto, quo Angelus motus mouetur; vis autem impulſiua eſt in Angelo mouẽte. *Vid.in Phyſ.* Vincula verò, quibus ligantur, ſunt ſpiritualia; ſicut vincula, quibus ligãtur corpora, ſunt corporalia. *Vid.Fund.Doct.in* 2.*diſt.*8.*q.*2.*art.*2.*dub.*1.

ART. III.

An Angelus poſſit tranſire de loco ad locum non tranſeundo medium?

1 VT vidimus *in ſup. art;* diſtinguunt *Aduerſarij* motum Angeli in continuũ, & diſcretum; & concorditer aſſerunt Angelum non poſſe continuè moueri de loco ad locum non tranſeundo per medium; quia continuitas motus exigit continuitatem loci; dubitãt tamen de motu diſcreto. Et procedit tum de locis adæquatis, tum de inadæquatis; pro quo notant medium inter duo loca eſſe duplex, ſcilicet communicans cum extremis; quod eſt pars proportionalis, ſeu potentialis quantitatis loci; quæ non facit actu diſtare extrema; quia actu non eſt pars, ſed tantùm poteſt eſſe; & non communicans cum extremis; quod eſt pars aliquota, & actualis, quæ facit actu diſtare extrema.

2 Prima ſententia opinatur Angelum poſſe diſcretè tranſire de extremo ad extremum non tranſeũdo medium ſiue ſit cõmunicãs, ſiue nõ cõmunicans. *Ita D.Tho.*1.*p.q.*53.*art.*2; *Caiet.ibid; Capr.in* 2.*diſt.*6.*q.*1.*art.*1.*concl.*3; *Ferrar.*3.*cont.Gent; Heru.in* 1.*diſt.*37.*q.*4; *Marſil.in* 2.*q.*7; *Carthu.in* 1.*diſ.*37.*q.*4; *Dur.ibid.q.*3; *Ban; Zum; Naz; Nauarret; Io.à S.Tho.hic diſp.*20.*ar.*4; *Gonet diſp.*5.*art.*3; *Vaſq; & ex noſtris Gibb.* aſſerit Angelum ratione operationis poſſe trãſire de vno loco ad alium non tranſeundo per medium; non tamen ratione ſubſtantiæ. Refertur etiam *noſter Greg.in* 2.*diſt.*6.*p.*3.*art.*2; qui tamen loquitur ſecundùm potentiam Dei abſolutam; de potentia autem ordinaria ait *in fine corp. Mihi tamen dubium eſt, nec bene clarum; ideo de hoc nihil ad præſens.*

3 Secunda ſententia docet oppoſitum. *Ita Fund.Doct. in* 1.*diſt.*37.*p.*2.*princ.*2.*q.*2; *D.Bon. ibid.art.*2.*q.*2; *Albert.ibid.art.*17; *Ricard.art.*3.*q.*2; *Gabr; Sua; Scot.in* 2.*diſt.* 2.*q.*12; *Maſtr.autem in* 2.*diſp.*2.*q.*4. explicat *Scotum*; quòd licèt Angelus non poſſit tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo medium non participans; poteſt tamen non tranſeundo medium participans. Medium non participans eſt illud, quod nõ componitur ex partibus extremorum; vt ſecundus palmus lineæ tripalmaris. Medium participans eſt, quod componitur ex parte vnius extremi, & ex altera parte alterius extremi; vt ſit linea bipalmaris, palmus medius illius lineæ cõponitur ex ſemipalmo primi palmi; & ex alio ſemipalmo ſecundi palmi.

4 Probat autem *Maſtr.* poſſe Angelum trãſire de loco ad locum non tranſeundo medium participans. 1. Quia ſi tranſiret per medium participans, tranſiret continuè, nõ diſcretè; quod eſt contra ſuppoſitum; agitur enim *hic* de motu diſcreto. 2. Quia Angelus exiſtens in media parte loci ſibi adæquati, poteſt illa non relicta ſe collocare in inſtanti in altera media parte; cùm enim Angelus non habeat partes, ſed ſit totus in toto loco, & totus in qualibet parte; non eſt neceſſe, quòd deſerat priorem locum, & ſucceſſiuè acquirat alterum locum.

5 Sed hæc diſtinctio omnino inutilis eſt; & ſibi contradicens; nam eadem ratio omnino eſt de medio participante, & non participante; vtrũque enim eſt verum ſpatium intermedians; ergo ſi ratione ordinis à Deo præfixi Vniuerſo nequit Angelus deuenire de extremo ad extremum ſine tranſitu per medium; quia iſte eſt ordo rebus à Deo inditus; vt fatetur de medio non participante; nec poterit tranſire ſine tranſitu per medium participans. 2. Si Angelus poſſet tranſire ſine medio participante; quia poteſt tranſire diſcretè, aliter tranſiret continuè; hoc etiam militaret de

medio non participante; quia ſi Angelus exiſtẽs in primo palmo lineæ, vt deueniret ad tertium palmum, cogeretur tranſire per palmum mediũ, taſis motus eſſet continuus; non enim ille tranſitus interrumperetur per non tranſitum medij; ſicut non interrumperetur tranſitus per medium participans; ſed hoe eſt contra ſuppoſitum; ſupponitur enim Angelum tranſire diſcretè; ergo idem dicẽdum eſt de vtroque. 3. Si Angelus poſſet tranſire de extremo ad extremũ ſine tranſitu per mediũ participans; quia trãsit totus ad totũ, & totus ad quanlibet partem; poſſet etiam tranſire ſine tranſitu per medium non participans; quia etiam in tali tranſitu trãſit totus ad totum; & totus ad quanlibet partem; ergo eadem ratione vnum negatur, & aliud affirmatur; & ideo cõtradicitur. 4. Angelus tranſiens de primo palmo ad ſecundum palmum per medium participans vel occuparet palmum intermedium participãs, vel non? Si primum; ergo non tranſiret ſine trãſitu per medium; quia tranſire ſine tranſitu per medium eſt tranſite ſine occupatione loci intermedij. Si ſecundum; ergo falſum eſt; quòd tranſiret ad totam dimidiam partem loci; vt aſſerit *Maſtr*. 5. Poteſt Angelus acquirere locum minorem, & minorem in infinitũ; vt fatetur *Maſtr*; & hoc in diuerſo tempore; ergo Angelus exiſtens in vno palmo, qui eſt medietas ſui loci adæquati, poreſt hodie acqnirere decuplam partem alterius palmi; & poſt annum alteram partem, & ſic deinceps; ſed in tali caſu ille motus non eſſet cõtinuus, ſed diſcretus; ergo falſum eſt, quòd Angelus, ſi tranſiret per medium participans, tranſiree continuè. 6. In medio participante reperitur medium non participans; quia in palmo compoſito ex duobus ſemipalmis reperitur tertia pars duorum palmotum, quæ non componitur ex aliquo vtriuſque tertiæ partis; duo enim palmi poſſunt diuidi in tres partes æquales; quarum vna non componatur ex aliquo alterius; ergo ſi Angelus tranſiret ſine tranſiru medij participantis, tranſiret etiam ſine tranſitu medij non participantis. 7. Eſt impoſſibile, quòd Angelus in eodem inſtãti ſit in primo palmo, non in ſecundo; & in eodem inſtanti ſit in ſecundo palmo; aliter in eodem inſtanti ſimul eſſet, & non eſſet in ſecundo palmo; ergo ſecunda ratio procedit ex impoſſibili. Tum quia ſicut in eodem inſtanti poteſt acquirere ſecundam partem loci; ita in eodem inſtanti poteſt primam deſerere; eodem enim modo ſe habet Angelus ad deſerendum, & acquirendum locũ; ergo ſucceſſiuè acquireret, & deſereret. Tandẽ *hic* non quæritur, an poſſit Angelus in eodem inſtanti, vel in diuerſis inſtãtibus trauſire de vno loco ad alium; de hoc enim ſermo erit *in ſeq. art*; ergo ſiue tranſeat in eodem, ſiue in diuerſis inſtantibus de vno loco ad alium per medium participans, daretur certus tranſitus; ſed tranſitus non eſt ſine ſucceſſione illius, à quo tranſit, ad illud, ad quod tranſit; ergo ſi Angelus verè tranſiret de vno extremo ad aliud; vt ſupponit *Maſtr*; per medium participans, ſucceſſiuè tranſiret. Igitur dimiſſa hac opinione; quæ nullam vndequaque firmitatem haber.

6 Vnica concl. Nequit Angelus tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo per medium naturaliter loquendo.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 23.* docẽte: *Ac per hoc ſublimioribus Angelis Deo ſubditè fruentibus, & Deo beatè ſeruientibus ſubdita eſt omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas vel infirmra, vel praua, vt hoc de ſubditis, vel cum ſubditis agant, quod naturæ ordo poſtulat in omnibus iubente illo, cui ſubiecta ſunt omnia.* Et paulò poſt. *Mouentur autem eius imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto.* Ex hoc ſic arguit *Fund. Doct.* Nequit Angelus naturaliter inuertere ordinem naturalem Vniuerſi; ergo nequit tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo medium. Ant. patet; quia nequit Angelus impedire voluntatem Dei, quæ præfixit ordinem naturis rerum; tum quia Angelus eſt pars Vniuerſi, quod conſtat ex natura ſpiritali, & corporali; pars autem non poteſt agere in totum, vt totum eſt; quia totum excedit potẽtiam partis; cùm illi non adæquetur; & nulla cauſa poteſt in effectum excedentem proprias vires; aliter daretur effectus præſtãtior ſua cauſa; quod repugnat *Philoſophiæ*; & ideo Angelus non poteſt in ordinem totius Vniuerſi; quia ordo totius commenſurarur toti; vnde ſicut non poteſt Angelus in totum Vniuerſum; quod eſt effectus ſolius potentiæ Dei; ita nec poteſt in ordinem illius. Prob. conſ. Si Angelus poſſet tranſire de extremo ad extremum, poſſet inuertere ordinem Vniuerſi; quia ordo Vniuerſi cõſiſtit in eo, quòd vna pars illius tantùm immediatè vniatur cum parte immediata; & mediatè cum parte remota; ſed ſi Angelus poſſet vniri immediatè cum locis mediatis, & remotis; vna pars Vniuerſi non vniretur mediatè cum partibus mediatis, & remotis, ſed immediatè; quia Angelus, qui eſt pars Vniuerſi, vniretur immediatè cum locis remotis, & diſtantibus abſque eo, quòd vniretur cum parte media, quam non tranſiret, & ideo ei non vniretur, cùm non poſſit ei vniri, niſi tranſeundo per illam; & ſic inuerteret ordinem, quem habent partes Vniuerſi; ergo nequit tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo per medium.

7 Prob. 2. alia ratione *Beatiſſ. P. vbiſ.* Ita ſe habet Angelus in ordine ad tranſitum de vno loco ad alium; ſicut ſe habet in ordine ad tranſitum de vna differentia temporis ad aliam; ſicuti enim Deus ita ordinauit partes Vniuerſi per ordinem ad tempus, vt pars illius immediatè coniungatur cum parte immediata, & mediatè cum mediata temporis; ita ordinauit partes Vniuerſi per ordinẽ ad locũ; vt vna pars immediatè vniatur cum parte immediata, & mediatè cũ mediata ipsius loci; ſed Angelus nequit trã-

ſire

ſire de vna parte remota temporis ad aliam partem remotam,niſi tranſeat partem mediatam, nō enim poteſt tranſire de præterito ad futurum, niſi per præſens; ex eo nãque, quòd tranſeat ad futurum,neceſſe eſt, quòd futurum fiat præſens; ergo Angelus nequit tranſire de extremo ad extremum,niſi tranſeundo per medium.

8 Prob.3.Angelus exiſtens in vno extremo in inſtanti *A* vel poteſt tranſire ad aliud extremum in inſtanti *B.* immediatè ſubſequente non tranſeundo per medium;vel per inſtãs *B.* immediatè ſubſequens, aut per tempus medium in nullo extremo eſſet,nec in medio? Si 1;ergo in inſtanti poteſt tranſire ad quancunque remotiſſimam diſtãtiam,& eſſe ſimul in duobus locis inadæquatis diſcontinuis, quod eſt contra *Thomiſtas*,vt videre eſt apud *Gonet diſp.*4.*art.*3;vbi docet Angelum non poſſe eſſe in duobus locis inadæquatis diſcontinuis extra ſphœram ſuæ actiuitatis;ſi enim Angelus exiſtens v.g.in parte Oriẽtali in loco inadæquato ſuæ virtuti,poſſet tranſire ad alium locum inadæquatum ſine trãſitu per medium in inſtanti,nulla eſſet ratio,cur non poſſet tranſire ad locum inadæquatum in parte Occidentis,& remanere ſimul in vtraque,& ſic non daretur determinatio loci adæquati ipſius Angeli;hæc enim ſumitur ſolùm per ordinem ad diſtantiam medij, v.g.ſi ſphæra adæquata actiuitatis ignis eſſet diſtantia trium palmorum, ſuppoſito, quòd actio ignis poſſet immediatè ab igne deſcendere ad diſtantiam trium palmorum abſque eo, quòd ageret in primos tres palmos,poſſet extendi ad alios tres palmos, & ſic extenderetur vſque ad ſex vltra determinationem ſuæ actiuitatis adæquatæ; ideo Angelus exiſtens in vno extremo inadæquato ſuæ virtuti,nequit trãſire ad aliud extremum pariter inadæquatum in inſtanti *B* immediatè ſubſequente ſine trãſitu per medium. Si 2; ergo pro illo inſtanti,vel tempore intermedio, quo Angelus tranſiret, & non eſſet in vllo extremo, nec in medio, nullibi eſſet, & per conſequens eſſet ſeparatus ab Vniuerſo, & ſic tolleretur ordo ipſius, qui conſiſtit in connexione partium; ſed Angelus nequit nullibi eſſe naturaliter,nec ſe ſeparare ab Vniuerſo;ergo nequit tranſire de extremo ad extremum, non trãſeundo per medium.

9 Prob. 4. euertendo fundamentum præcipuum *Aduerſariorum*. Ideo Angelus poteſt trãſire de extremo ad extremum ſine tranſitu per medium, quia cùm ſit in loco per liberam applicationẽ ſuę virtutis,poteſt ſe applicare locis extremis non applicando intermedijs; ſed hoc eſt falſum;ergo falſa concluſio. Prob.mi. Quanuis homo liberè ſit in hoc, vel in illo loco, poterat enim ad alium locum ſe mouere;attamen nequit tranſire de vno loco ad alium ſine tranſitu medij,per hoc,quòd in eo ſit libertas ad applicandã ſuam quantitatem huic, vel illi loco; ergo licèt Angelus ſit liber ad applicandam quantitatem ſuæ virtutis huic,vel illi loco;attamen non infertur, quòd poſſit tranſire de extremo ad extremũ ſine tranſitu medij.Et ſic poſſunt retorqueri omnes rationes *Thomiſtarum*,vt patebit in earum ſolutione.

10 Obijc.1.*ex Gonet.* Quia Angelus eſt in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis, ideo liberè poteſt applicare ſe ipſum toti loco ſibi adæquato; & ſolùm parti ipſius loci ſibi inadæquatæ; ergo,quia eſt in loco per applicationẽ ſuæ virtutis, poteſt applicare partibus extremis ipſius loci, non applicãdo partibus intermedijs; & ideo in hoc caſu tranſiret de loco ad locum ſine tranſitu medij.

Conf. Ideo corpus nequit tranſire de loco ad locũ non tranſeundo per mediũ, quia,cùm nō ſit in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis, non poteſt liberè eſſe in maiori, vel minori loco, ſed neceſſariò eſt in loco ſibi adæquato, cũ ſit in loco menſuratiuè; ſed Angelus poteſt liberè eſſe in maiori,vel minori loco, cùm ſit in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis ad locũ; ergo poteſt tranſire de loco ad locum ſine tranſitu medij.

Reſp.neg.cauſalitatem ant; non enim quia Angelus eſt in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis,ideo poteſt eſſe in maiori,vel minori loco, ſed quia eius virtus, cùm non ſit formaliter extenſa, ideo poteſt occupare maiorem,vel minorem locum; vnde adducitur non cauſa pro cauſa. Præterea quanuis admitteretur ant; neg. tamen conſ.quia licèt Angelus ſit liber ad applicandum ſe maiori, vel minori loco,non tamen eſt liber ad applicandum ſe extremitatibus loci ſine applicatione partibus intermedijs,quia non eſt liber ad euertendum ordinem Vniuerſi,& ad exiſtendum in partibus remotiſſimis,vt dictũ eſt.

Ad cõf.neg.pariter cauſalitas ant. propter eãdẽ rationẽ;quanuis enim corpus non ſit liberè in maiori,vel minori parte loci,ſed neceſſariò ſit in loco adęquato;attamen quia eſt liberè in hoc,vel illo adęquato;ſicut ex eo,quòd Angelus ſit liberè in hoc,vel illo loco adæquato;quod eſt eſſe in loco maiori, & minori,poteſt tranſire ad aliũ locũ inadæquatũ ſine tranſitu medij; ita corpus ex eo,quòd ſit liberè in hoc,vel illo loco adęquato, poſſet tranſire de vno ad alium locum adæquatum ſine tranſitu loci medij adæquati; ſed hoc non deducitur;ergo neque illud.

11 Obijc.2.Ideo Corpus Chriſti poteſt deſinere eſſe in parte media hoſtiæ conſecratæ remanendo in partibus extremis;quia eſt in hoſtia modo eleuato,quanuis ſupernaturali;ſed Angelus eſt in loco modo eleuato, quanuis naturali; ergo poteſt eſſe in extremis,non in medio.

Reſp.diſt.mi. Angelus eſt in loco modo eleuato ſupra totũ ordinẽ naturæ,neg, ſic enim ille modus nō eſſet naturalis; ſupra ordinẽ aliquarũ partium naturæ, conc; ſed ex hoc non infertur, quòd ſicut corpus Chriſti, quod eſt in loco modo

do eleuato ſupra totum ordinem naturæ, poteſt eſſe tantùm in partibus extremis; ita etiam Angelus: qui,cùm ſit intra ordinem naturæ, nequit illum inuertere. Sicut ex eo, quòd homo ſit in loco adæquato liberè; qui modus eſt eleuatior, quàm modus,quo terra eſt in loco, qui eſt neceſſarius:non arguitur, quòd homo poſſit tranſire de loco ad locum ſine medio.

12 Obijc.3. Inter duo loca extrema mediãt infinita loca communicantia tum indiuiſibilia, cum diuiſibilia;ſed nequit Angelus diſcretè trãſire per omnia illa;quia infinitum nequit pertrãſiri;aliter ille motus eſſet infinitus; & ſic nunquã eſſet in termino;ergo neceſſe eſt, quòd Angelus relinquat plura loca communicantia impertrãſita;& ideo quòd tranſeat de vno ad alium locum ſine tranſitu medij.

Reſp.*Fund.Doct*; quòd loca communicantia non ſunt actu, ſed tãtùm in potentia;ſicut dicitur de partibus proportionalibus communicantibus;ideo non eſt neceſſe, quòd illa diſcretè pertranſeat; ſed ſufficit, quòd tranſeat loca non communicantia, quæ actu ſunt in ſpatio ipſius loci; actu enim tranſitur locus tantùm, qui actu eſt;non ille,qui poteſt eſſe. Tum quia ſi hoc valeret,ſequeretur etiam non poſſe tranſire locum motu continuo;quia infinitum nec continuè,nec diſcretè poteſt pertranſiri. Nec ſatisfacit *Vaſq.* dicendo,quòd id, quod mouetur continuè, illa loca communicantia nõ numerat; cùm numerus in diſcretione conſiſtat; & ideo poſſunt pertranſiri. Non ſatisfacit, inquam; nam licèt mobile continuè non numeraret diſcretè illa loca; attamen illa menſuraret, & verè tranſiret continuè; ſed implicat infinitum continuum menſurari, & pertranſiri non minùs, ac infinitum diſcretum numerari, & tranſiri; ergo idem ſequeretur in vtroque caſu.

13 Obijc. 4. Angelus poteſt tranſire de extremo ad extremum medio communicante impertranſito; ergo eadem ratione poteſt impertranſito medio non communicante. Prob. conſ. Ideo Angelus nequit tranſire non pertranſito medio non communicante; quia naturæ ordo petit, quòd mobile priùs trãſeat partes viciniores, quàm remotiores; ſed Angelus nullam dependentiam habet à loco; vel hæc ratio militat etiam de partibus communicantibus;ergo nulla eſt ratio.

14 Conf. Dum Angelus deſcendit de Cœlo in terram motu diſcreto, nequit omnia media non communicantia pertranſire; quia Angelus perficit motum ſuum vnico inſtanti; eſt autem imperceptibile, quòd Angelus vnico inſtanti de Cœlo in terram deſcendat,& omnia media pertranſeat; aliter eodem momẽto eſſet in pluribus locis adæquatis;vel ſaltem in loco maiori maximo; ergo pertranſit pluribus locis medijs non pertranſitis.

Reſp. neg.conſ;poteſt enim Angelus tranſire ad locum non pertranſito loco,qui actu nõ eſt; non autem poteſt tranſire non pertranſito loco, qui actu eſt,& actu mediat inter vnum extremũ, & aliud. Ad prob. dicitur ad mi; quòd licèt Angelus non dependeat à loco; pendet tamen ab ordine naturæ,cui ſubditur, & quem nequit inuertere;vnde arg.in mi.variat medium terminũ, vt patet. Ad aliud dictum eſt non eſſe eandem rationem de partibus communicantibus, quæ actu non ſunt, ſed tantùm poſſunt eſſe; vt fatentur etiam *ipſi Thomiſtæ*.

Ad Conf.neg.ant. Ad prob.inſertam dicitur, quòd Angelus perficit ſuum motum de vno loco adæquato ad alium adæquatum vnico inſtanti;non tamen de vno loco adæquato ad omnia loca adæquata, quæ ſucceſſiuè mutat; cùm ergo inter Cœlum,& terram ſint plura loca adæquata ipſius Angeli;ideo non vnico inſtanti, ſed pluribus mouetur, & ideo mouetur per tempora;quod debebat aduertere *Gonet*.

15 Obijc.5. Ordo ſitualis præfixus à Deo partibus corporeis Vniuerſi conſiſtit in eo,quòd ignis ſit ſurſum,terra deorſum,aer, & aqua inter vtrunque medient; ergo non conſiſtit, vt Angelus moueatur priùs ſuper propinquiores, quàm ſuper remotiores. 2. Angelus eſt ſubſtantia purè ſpiritualis; ergo non ligatur rebus materialibus.

Reſp.diſt.ant.Ordo ſitualis conſiſtit in eo, quòd ignis ſit ſurſum &c. ita,vt vna pars connectatur cum alia, conc; ſicut enim eſt vnum caput Vniuerſi,quòd eſt Deus; ita & Vniuerſum debet eſſe vnum;quod nõ eſſet, niſi illius partes eſſent connexæ; ſicut autem vna pars nequit vniri immediatè cum parte remota; ita mobile nequit tangere partem remotam immediatè. Ad 2.diſt. conſ.Non ligatur rebus materialibus, prout habet rationem partis Vniuerſi,neg;prout habet rationem formæ completæ,conc;ſicut enim anima rationalis, licèt ſpiritualis; attamen quia habet rationem partis vna cum corpore conſtituens hominem, ideo vnitur corpori; aliter non fieret vnum ex ipſa,& corpore; ita Angelus,licèt ſpiritualis, attamen quia habet rationem partis vna cum re materiali conſtituens vnum Vniuerſum; ideo vnitur cũ re materiali; aliter ſine tali vnione non fieret vnum Vniuerſum vnione quidem ſituali,non informatiua.

16 Obijc. 6. *ex Sua.* Si daretur hic ordo,eſſet inſtitutio naturalis, ſeu lex quædam poſitiua ex libera voluntate Dei prouenieus;ſed lex Dei poſitiua innoteſceret nobis vel per reuelationem,vel per experimẽtum; hic autem ordo neutro modo nobis innoteſcit; ergo gratis aſſeritur. Mi. quoad 2. part. patet; quia ſi lex Dei nobis nullo modo innoteſceret, eſſet fruſtranea. Prob. 1. pars mi. Hic ordo rerum aſſignatus nobis non innoteſcit per reuelationem, quia non habetur in *Scripturis*; neque ex ijs, quæ videmus, quia, quòd corpus non poſſit tranſire de extremo ad extremum,niſi per medium, poteſt prouenire ex in-

intrinſeca natura quantitatis,non ex lege ſpeciali ipſius Dei; ergo hoc non poſſumus arguere in Angelis,qui carent quantitate. 2. Nulla perturbatio ſequeretur in ordine Vniuerſi, ſi Angelus deſcenderet de Cœlo in terram non tranſeundo per medium; ergo ex ordine Vniuerſi non colligitur, quòd Angelus ſe mouens de vno loco ad alium neceſſariò debeat medium tranſire. 3. Si Angelus tranſiret de vno loco ad alium ſine trāſitu medij,adhuc ſaluaretur ordo Vniuerſi,quia ſemper Angelus eſſet connexus cum aliqua parte Vniuerſi; ordo enim in connexione partium conſiſtit;ergo nihil ex hoc infertur. 4. Licèt Angelus in corpore aſſumpto non poſſit ſe mouere,quin tranſeat per medium, quia motus factus in corpore aſſumpto,dependet à loco, ſicut dependet corpus aſſumptum; attamen cùm ſe mouet ſine corpore aſſumpto non cogitur ad tranſeundum per medium,quia non depēdet à loco.

Reſp.neg.2.partem mi; habetur enim *Gen.2;* quòd *Deus ceſſauit ab vniuerſo opere, quod patrarat;* idèſt ab opere verſo in vnum mundum; non eſſet autem vnus mundus,niſi daretur ordo partium colligatarum inter ſe immediatè,& mediatè. Idem colligitur ex alijs *Scripturæ* locis, in quibus mundus vocatur vniuerſus; vt *Lucæ 9; Rom. 1; & Apoc.12.* Quòd autem hoc pateat etiā experimento,manifeſtum eſt; videmus enim in omni motu, quòd ſemper eſt ad partes propinquas, deinde ad remotas; vt in augmentatione priùs adduntur partes propinquæ,deinde remotæ; in alteratione priùs introducitur primus gradus caloris v.g;deinde ſecūdus;& ſic de reliquis;non verò priùs octauus, deinde primus &c; & ſic de motu locali; & tandem in omni actione priùs agens agit in partes propinquas,deinde in remotas; ergo hoc nequit prouenire ex natura quantitatis; cùm fiat etiam in qualitate; & cùm quantitas ſecundùm ſe poſſit eſſe continua, & diſcreta. Ad 2.diſt.ant. Nulla fieret perturbatio viſibilis,tranſeat; quæ enim perturbatio eſſet, ſi ignis calefaceret priùs partem remotam, quàm proximam;inuiſibilis, neg. Ad 3. dicitur, quòd alia eſt connexio Angeli cum partibus Vniuerſi; & alia partium Vniuerſi inter ſe; neg. ergo ant; quia licèt ſaluaretur connexio Angeli cum Vniuerſo,non tamen ſaluaretur ordo partium inter ſe,qui exigit,vt tranſeantur mediantibus medijs. Ad 4.dicitur, quòd licèt Angelus non depēdeat à loco;attamen nequit ſe abſoluere ab omni loco, quia colligatur cum partibus Vniuerſi; ſic licèt intellectus non dependeat à voluntate, cùm non ſit effectus ſequēs ad illam; attamen nequit eſſe ſine illa; ergo propter hanc colligationem nequit Angelus peruertere legem, & ordinem, quem dedit Deus partibus loci.

17. Obijc.7.Omne,quod mouetur,priùs trāſit ſpatium æquale ſibi,quàm ſpatium maius ſe ipſo; ſed Angelus eſt indiuiſibilis; ergo ſi tranſit per medium, debet tranſire priùs indiuiſibile; atqui in loco ſunt infinita indiuiſibilia, quæ nequeunt pertranſiri; ergo non tranſit per mediū.

Ad hoc arg.reſponſum eſt *ſup*,probat enim Angelum nec continuè poſſe tranſire per loca, quod tamen aſſerunt *Aduerſarij*; diſt.igitur mi. Angelus eſt indiuiſibilis ſecundùm entitatem occupans diuiſibiliter ſpatium ſecundùm virtutem,conc;occupans indiuiſibiliter ſpatium, neg.

ART. IV.

An Angeli moueantur in inſtanti?

1 Non loquimur de motu continuo facto in corpore aſſumpto ab ipſo Angelo;patet enim talem motum eſſe in tempore;quia per talem motum mouetur corpus aſſumptum,ſicut cetera corpora, non autem mouetur ipſe Angelus;vt ſuperiùs diximus.Loquimur ergo de motu, quo Angelus mutat loca ſiue mouendo corpus aſſumptum, ſiue nullum corpus mouendo;quantùm enim ad hoc idem eſt;quia ſiue moueat corpus, ipſe non mouetur ad motū corporis aſſumpti;ſiue non moueat, ipſe nō mouetur per loca,ſed tantùm mutat loca mouendo ſe per tēpora. Difficultas ergo procedit de motu diſcreto;ſic enim ſolùm mouetur;ſiue iſte motus diſcretus ſit factus cum tranſitu medij;ſiue ſine tali tranſitu.

2 Prima ſententia putat Angelum moueri in inſtanti.*Ita noſter Greg.in 2.diſt.6.q.3; Scot. in 2.diſt.2.q.11;& 12;& Scotiſtæ;Marſ.in 2.diſt.2.q.11;Sua,Mol;Bec;& alij.*

3 Secunda ſententia docet Angelum moueri in tempore ſiue ſuppoſito, quòd tranſeat medium;ſiue quòd non tranſeat.*Ita Fund. Doct. in 1.diſt.37.p.2.princ.2.q.3;* vbi hanc difficultatē fuſiſſimè pertractat in terminis;vnde mirum eſt, quòd *noſter Gibb.* eum referat pro oppoſita ſententia;niſi fortè viderit ſic referri ab alio, non in ſe ipſo.Idem docet *ipſe Gibb.& ex alijs D.Bon.in 1.diſt.3;D.Tho.1.p.q.52. art.3;Capr.in 2. diſt.2. q.1.art.3;Caiet,Ban;Zum;Nazar,Nauarret; Ric; Val;Gran;Arrub.Vaſq;& alij.*

4 Not. *ex Fund. Doct. vbi ſ. §. Primum ſic;* quòd tempus ſecundùm ſe præciſè acceptum præſcindit ab eo,quòd ſit continuum,vel diſcretum;eſt enim *numerus ſecundùm prius, & poſterius;* numerus autem licèt reſpectu alterius numeri ſit quantitas diſcreta; quia ab illo diſcernitur,& ſeparatur; attamen reſpectu ſui poteſt eſſe quantitas continua, & diſcreta; nam quinque pedes v. g. in materia diuiſa, vt quinque pedes quinque hominum,ſunt diſcreti;at verò quinque pedes in materia continua; vt in ligno (de quo dicere ſolemus:*Lignum quinque pedum*) ſunt cōtinui. In tantùm igitur tempus eſt quid cōtinuū; in quantùm ſubiectatur in motu primi mobilis, qui eſt continuus. At verò tempus Angelicum, cùm fundetur in operationibus ipſius Angeli, quas menſurat,eſt quid diſcretum; quia operationes Angeli ſunt diſcretæ inter ſe, cū ſint plures;

res;aliter eſſent vna, & eadem operatio; quia continuum eſt vnum.

5 Hæc autem eſt differentia inter continuũ, & diſcretum;quòd in continuo non poſſunt dari duo puncti immediatè vniti; quia punctus eſt vnio partis diuiſibilis cum alia parte, vnde ſi darentur duo puncti immediatè vniti alicui parti diuiſibili ipſius continui, ſecundus punctus vniretur cum parte continui mediante primo puncto;& ſic daretur vnio vnionis. Igitur partes cõtinui ita ſe habent, vt claudantur, ſeu medient inter duos pũctos. At verò in quantitate diſcreta poſſunt eſſe duo puncti immediatè vniti; quia ſi ponatur vna linea diſcreta iuxta aliam contiguè,tunc punctus,qui eſt terminus vnius lineæ, tangit,ſeu vnitur immediatè puncto, qui eſt terminus alterius lineæ;ſic quando dicimus,quòd ſi corpus perfectè ſphæricum poneretur ſupra perfectè planum, tunc ſphæricum tangeret planum in puncto; quia punctus corporis ſphærici tangeret punctum corporis plani; & ſic punctus immediatè vniretur alteri puncto;patet autẽ, quòd corpus ſphæricum,& planũ debent eſſe diſcreta.

6 Et ſicut continuum aliud eſt permanens, ſeu ſimultaneum,quod habet ſimul actu omnes parte ſui; aliud ſucceſſiuum, quod non habet ſimul actu omnes ſuas partes, ſed vnam poſt aliã; ita dicendum eſt de toto diſcreto; cùm enim linea ſimul eſt diuiſa in decem partes ſimul exiſtentes,dicitur diſcretum permanens; cùm verò diuiditur in vnam partem poſt aliam; tunc talis diuiſio dicitur diſcretum ſucceſſiuum.

7 Vt autem *Tyrones* percipiant terminos, quibus in hac materia vtũtur *Philoſophi antiqui*, ſcire debent,quòd indiuiſibilia, quæ terminant partes continui permanentis, vocantur puncti; indiuiſibilia,quæ terminant partes diuiſibiles tẽporis,vocantur inſtantia, ſeu *nunc*; indiuiſibilia verò, quæ terminant partes diuiſibiles motus, vocantur mutata eſſe;pars verò diuiſibilis motus vocatur *moueri*;ſed pars diuiſibilis temporis vocatur *tempus*; & pars diuiſibilis lineæ vocatur *linea* nomine ſui totius.

8 Ex his colligit *Fund. Doct.* quòd *Phil.* 8. *Phyſ.t.c.69.* mutationes ſubſtantiales rerum corporalium, quæ menſurantur tempore noſtro, quod eſt quid continuum, ita ſe habent; vt corruptio formæ præcedentis fiat in tempore;ſeu in parte diuiſibili temporis; generatio verò formæ ſubſequentis fiat in inſtanti ſubſequente,ſeu copulante illam partem diuiſibilem temporis cum alia parte; nam ſi corruptio formæ præcedentis fieret in vno inſtanti, & generatio formæ ſubſequentis fieret in alio inſtanti ſubſequente;cùm inter duo inſtantia temporis noſtri, quod eſt cõtinuum,detur tempus, ſeu pars diuiſibilis temporis,ſequeretur;quòd,cùm moritur animal, daretur aliquod tempus medium, in quo nec eſſet viuum,nec mortuum;nam in primo inſtanti, in quo moreretur animal, eſſet mortuum; & ſic in illo tempore medio non diceretur viuum; nec diceretur mortuum; quia viuit vſquedum generatur forma cadauerica, quæ non introducitur, niſi in inſtanti ſequente ad tale tempus.

9 Hac doctrina ſoluitur ratio dubitandi, quam accipere poſſent *Aduerſarij*,qui ſic poſſũt arguere. Angelus in toto tempore præcedente eſt in loco,à quo diſcedit;& in inſtanti ſubſequẽte eſt in loco,ad quem tranſit; ergo mouetur in inſtanti; ſicut dicitur de forma ſubſtantiali, quæ generatur in inſtanti; quia materia per totum tempus antecedens eſt ſub priori forma. Prob. ant. Angelus non eſt in loco priori in inſtanti antecedente; aliter daretur tempus medium, in quo nec eſſet in loco,à quo diſcedit,nec in loco, ad quem tranſit;& ſic nullibi eſſet; etenim inter duo inſtantia cadit tempus medium; ergo Angelus in toto tempore antecedente eſt in loco, à quo diſcedit.

10 Solutio,inquam, huius patet ex dictis; procedit enim ex falſo ſuppoſito; quia ſupponit motum Angeli menſurari tempore noſtro,quod eſt continuum, & ideo quòd inter duo inſtantia cadant partes diuiſibiles mediæ. Neg. ergo ant. Ad prob.neg.ant;& ad id,quod ſubditur, dicitur inter inſtantia temporis diſcreti non dari tempus medium; ſicut datur inter inſtantia temporis continui.

11 Tandem aduerti debet, quòd licèt quælibet operatio Angeli ſingulatim ſumpta fiat in inſtanti; quia non fit per partes, ſed tota ſimul; attamen ſucceſſio plurium operationum, quarũ vna eſt poſt aliam,non fit in vnico inſtanti,ſed in pluribus;plura autem inſtantia componunt tempus diſcretum; vnde idem eſt dicere in tempore, ac in pluribus Inſtantibus.Quanuis ergo ſi conſideremus vnam tantùm operationem, qua Angelus acquirit aliquem locum; illa operatio, & acquiſitio loci fiat in inſtanti; etenim in vna, & eadem operatione Angelica non eſt motus, quia illam non acquirit ſucceſſiuè per partes,vt diximus *art.* 2; attamen ſi conſideremus ſucceſſionem plurium operationum ſucceſſiuè, idêſt vnius poſt aliam, ſecundùm quam ſolùm ſumitur motus, illa ſucceſſio nequit eſſe in vno inſtanti, ſed in pluribus, & ideo in tempore diſcreto. *His ſupp.*

12 Vnica concl. Motus Angeli nequit eſſe in inſtanti,ſed in tempore diſcreto, ſiue per talẽ motum tranſeat,ſiue non tranſeat medium.

13 Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. loc.cit.art.*1.*n.*12. vbi ait; quòd Angelus mouetur per tempora, quia ſucceſſiuè mutatur de vna ad aliam operationem, ex quo ſic. Tempus eſt ſucceſſio ſecundùm prius, & poſterius; ſed motus Angeli eſt huiuſmodi, quia eſt tranſitus de vna operatione priore ad aliam poſteriorem;ergo eſt in tẽpore.

14 Conf. *ex Fund.Doct.vbi ſ.* Illud,quod eſt in pluribus inſtantibus diſcretis,eſt in tẽpore diſcreto;ſed motus Angeli eſt huiuſmodi;ergo eſt

in tempore diſcreto; Prob. ma. Nullus diceret, quòd ſucceſſio generationũ omniũ hominũ,quæ fit in pluribus inſtantibus diſcretis, ſit in inſtãti; quæ enim ſunt in inſtanti, ſunt ſimul; quia in inſtanti non eſt aſſignabilis pars, quæ ſit; & alia pars,quæ non ſit; ſucceſſio autem generarionum nõ eſt tota ſimul; ſed vna generatio eſt poſt aliã; & quanuis ſingulæ generationes ſint in inſtanti; tota tamen eollectio,ſeu ſucceſſio generationũ, quæ complectitur plura inſtantia, non eſt in inſtanti,ſed in tempore;ergo illud,quod eſt in pluribus inſtantibus diſcretis,eſt in tempore diſcreto. Prob. mi. Motus Angeli formaliter importat ſucceſſionem operationum, ſeu applicationum ipſius Angeli, quæ fiunt in diuerſis inſtantibus ſucceſſiuis; quia motus eſſentialirer eſt ens ſucceſſiuum;& ideo eſſentialiter importat ſucceſſionem;ergo motus Angeli eſt in pluribus inſtantibus ſucceſſiuis.

15 Conf. 2. Si motus Angeli non fierèt in tempore, maximè, quia in loco, à quo recedit, Angelus eſſet in tempore antecedente, & in inſtanti ſubſequente eſſet in loco,ad quem tranſit; vt dicitur de generatione formæ ſubſtantialis; vel quia vera ratio temporis nequit formaliter ſaluari in motu diſcreto facto in duobus inſtantibus; ſed vtrunque eſt falſum; ergo motus Angeli fit in tempore, non in inſtanti. Prob. 1.pars mi.Angelus eſt in loco, à quo recedit, per vnam operationem, ſeu applicationem ſuæ ſubſtantiæ ad locum;ſed talis operatio fit in inſtanti,& durat per illud inſtans continuatum; non enim illa operatio fit per partes,ſed tota ſimul; ſicut æternitas eſt vnum inſtans ſemper durans, quia eſt tota ſimul ſine ſucceſſione partium;tum quia non eſt minor ratio, cur Angelus sit in loeo, ad quem transit, in inſtanti per vnam applicationẽ; & non in loco,à qno recedit, cùm sit in illo eodem modo; ergo Angelus non eſt in loco, à quo recedit, iu tempore antecedente; ſed in inſtanti. Prob. 2. pars mi. Tempus formaliter acceptum præſcindit à continuitate; qnia non eſt continuũ nisi de materiali,idèſt ratione motus primi Mobilis,in quo ſubiectatur; sicut albedo dicitur cõtinua ratione ſuperficiei, in qua eſt; quæ ſuperficies,si ſcindatur in duas partes,& fiat diſcreta; fit diſcreta etiam albedo; quia fit duplex albedo realiter diuiſa, quæ priùs erat vna, & indiuiſa.Præterea tempus importat formaliter ſolam ſuceeſſionem ſecundùm prius, & poſterius; ſed imer duo inſtantia, quorum vnum ſequitur ad aliud, datur vera ſucceſſio ſecundùm prius, & poſterius,etiansi sint diſcreta; ergo in ſucceſſione duorum inſtãtium diſeretorum ſaluatut vera ratio formalis temporis.

16 Prob.2.alia ratione *Fund.Doct.S.Secunda via.Omnis mutatio ex Phil. 5.Phyſ.t.c.7. eſt à quodam in quoddam; & illud, à quo eſt,eſt prius; illud autem,in quod eſt, eſt poſterius*; ergo mutatio,qua Angelus mutat loca,eſt à quodam,quod eſt pri us;in quoddam,quod eſt poſterius; ſed illud, quod eſt à quodam priori in qnoddam poſterius,nequit menſurari vnico inſtanti;aliter illud inſtans eſſet diuisibile in aliquod correſpondens ei,quod eſt prius;& in aliud eorreſpondens ei,quod eſt poſterius;& sie non eſſet inſtãs,quia nomine inſtantis intelligimus indiuisibile temporis;sicut nomine puncti intelligimus indiuisibile lineæ; ergo mutatio Angeli nequit eſſe in inſtanti,ſed in tempore.

17 Conf.*ex eod.ibid.* Ita ſe habent duo mutata eſſe reſpectu ipsius mutari, quod eſt indiuisibile,& eſt inter illa mutata eſſe; sicut ſe habẽt duo mutata eſſe reſpectu ipsius moueri; ſcilicet reſpectu ipsius moueri, quod eſt pars diuisibilis motus;sicut enim mutata eſſe sũt termini, à quo incipit,& ad quem desinit motus;ita ſunt termini,à quo incipit, & ad quem tendit ipſum mutari; ſed duo mutata eſſe, prout includunt vnum moueri,menſurantur tempore;ergo prout includunt vnum mutari, menſurantur tempore, non inſtanti; ſed mutari ipsius Angeli eſt inter duo mutara eſſe; quia eſt inter terminum, à quo incipit motus;& terminum,ad quem tendit;ergo eſt in tempore,non in inſtanti.

18 Prob.3. alia ratione eiuſdem allara *Tertia via.*Mutatio,quę fit in corporibus,in hoc differt à mutatione,quæ fit in Angelis; quia illam ſemper pręcedit aliqnis verus motus sine diuersi generis; vt illuminationem præcedir motus Solis,qui eſt diuerſus à mutatione aeris;vel eiuſdem generis;vt calefactio, quæ eſt motus alterationis,præcedit eſſe ealefactum, quod eſt eiuſdẽ rationis cum calefactione; & quia motus præcedens menſuratur tempore; & quandiu eſt motus, non eſt mutatio; nam mutatio eſt terminns motus; ideo mutatio in rebus corporalibus fit in inſtanti; ſed mutationem Angeli non præcedit aliquis motus, quia non eſt terminus alicuius motus; ipſam enim præcedit alia mutatio ad locum,à quo recedit, quæ facta fuit in inſtanti;ergo mutari ipſius Angeli de vna mutatione ad aliam non fit in vno inſtanti, ſed in duobus; & ideo fit in tempore diſcreto. Per hoc magis roboratur,& explicatur 2.Conf.primæ rationis.

19 Roboratur magis.Nullum ſucceſſiuum fit in inſtanti;nam fieri ſucceſſiuè eſt fieri partem poſt partem; fieri autem in inſtãti eſt fieri totum ſimul; vt patet de forma ſubſtãtiali, quæ tota introducirur in materiã;ſed motus Angeli,ſiue fiat per media,ſiue nõ fiat,eſt ſuceeſſiuus;qnia motus ſucceſsiuus eſt ille, qui eſt ſecundùm aliqnid prius,& aliquid poſterius;&Angelus priùs eſt in vno loco adæquato,& poſreriùs in alio;aliter eſſet ſimul in pluribus locis, imò in omnibus, quæ tranſit; ergo motus Angeli non eſt in inſranti. Tum quia ſi Angelus eſſet ſimul in omnibus locis,quæ mutat,non moueretur; quia eſſet in termino ad quem; & res in termino non mouetur; ergo ſucceſsiuè tantùm tranſit de loco ad lo-

eum;

cum; & per conſequens in tempore.

20 Tandem prob. *à Fund.Doct.ex Auempace*,quem refert *Com.* Tunc motus eſt in tempore, quando eſt aliqua reſiſtentia ad mobile vel ex parte medij,vel ex parte rei motæ; quæ reſiſtentia vel eſt ſtrictè ſumpta; vt eſt,cùm medium, vel res mota retardat motum; vel largè ſumpta; vt quando mobile eſt diſtans à re, ad quam mouetur,ſeu eſt in alio loco, quàm motor velit;in hoc enim reſiſtit eius voluntati; ſed Angelus eſt diſtans à loco, ad quem tendit; & non eſt ibi, vbi vult eſſe;ergo mouetur in tempore.Sed hanc rationem refert tantùm;vt oſtēdat, quomodò poſſit defendi ſententia *horum Philoſophorum*.

21 Obijc.1.*ex noſtro Greg.*Vel illis inſtantibus Angelicis immediatè ſe conſequentibus reſpondet vnicum inſtans in tempore noſtro; vel duo inſtantia? Si 1; ergo Angelus in eodem indiuiſibili inſtanti eſt in pluribus locis,quod eſt abſurdum. Si ſecundum;ſequitur, quòd cùm inter duo inſtantia temporis noſtri cadat tempus medium,daretur tempus, in quo Angelus nec eſſet in termino *à quo*, neque in termino *ad quem*, quod repugnat.

Reſp.hoc ſibi obijeciſſe *B.Doctorem*; vnde mirum eſt illius reſponſionem non impugnari *à Greg*; dicitur ergo,quòd illis duobus inſtantibus non reſponderet vnicum inſtans temporis noſtri,neque duo inſtantia; ſed vni inſtanti reſponderet pars temporis noſtri, & alteri reſponderet inſtans; v.g.ſi ſuper lineam continuam ponantur duæ mediæ lineæ diuiſæ, in tali caſu in illis lineis diuiſis eſſent duo puncti immediatè vniti,vt *ſup.* dictum eſt; & puncto vnius lineæ diuiſæ reſponderet punctum lineæ continuæ; puncto autem alterius lineæ diuiſæ non reſponderet punctum, ſed pars diuiſibilis lineæ continuæ;ita à pari. Additur,quòd licèt illis duobus inſtātibus Angelicis reſponderet vnicum inſtans temporis noſtri; attamen non diceretur Angelus moueri in inſtanti, quia cùm omnis motus menſuretur à propria menſura,& ab illa denominetur, non verò à mēſura aliena; motus autem Angeli non reducatur in menſuram temporis noſtri, quod non menſurat,niſi corporalia,cùm ſit corporale;non autem ſpiritualia, quæ nequeunt ſubijci rei corporali; ideo motus Angeli non diceretur fieri in inſtanti; ſicuti quamuis ſi motus rerum temporalium compararetur ad æternitatem,ei reſpondeat vnum inſtans æternitatis; attamen non dicitur abſolutè fieri in inſtanti, ſed in tempore, quia propria illius mēſura eſt tempus,non æternitas; ita à pari.

22 Obijc. 2. Si Angelus moueretur in tempore, vel in toto tēpore eſſet in termino *à quo*, vel in termino *ad quem*, vel partim in termino *à quo*,& partim in termino *ad quem*? Si primum; ergo moueretur, cùm quieſcit; nam dum res eſt in termino *à quo*,nondum eſt motus. Si ſecundū; idem ſequeretur, quia in termino *ad quem* res pariter quieſcit. Præterea cùm in termino *à quo* nondum ſit inceptus motus, & in termino *ad quem* ſit completus;ſi Angelus moueretur in termino *à quo*, ſequeretur, quòd moueretur, antequam moueretur, quia moueretur, antequam ſit inceptus motus; ſi verò moueretur in termino *ad quem*, moueretur, poſtquam non eſt motus. Si tertium,ſequeretur,quòd cùm partes temporis correſpondeant partibus motus, daretur vna pars motus Angelici,antequam Angelus inciperet moueri,& altera pars, poſtquam Angelus nō mouetur.

Reſp.hoc arg.procedere ex falſa imaginatione; imaginatur enim tempus diſcretū, & motum factum in tempore diſcreto ad modum tēporis continui, & motus facti in tempore continuo. Dicitur ergo neutrum eſſe; ſed in toto tempore eſſe totum Angelum in termino *à quo*,& in termino *ad quem*;quia Angelus eſt totus in toto, & totus in qualibet parte, cùm ſit indiuiſibilis formaliter; hic enim modus eſſendi eſt proprius rerum ſpiritualium indiuiſibilium; vt patet de anima rationali; de qua pariter poſſet fieri idem arg;eſſe autem partim in parte eſt proprium rerum corporalium,quæ partibus conſtant. Et cùm dicitur in vtroque termino eſſe quietem, reſp. *Fund.Doct.* in neutro ex illis inſtātibus eſſe propriè quietem; quies enim eſſentialiter eſt terminus moueri, quod eſt pars diuiſibilis temporis cōtinui; nam quieſcere eſt ſe habere eodem modo nunc,ac priùs; habere autem eſſe diſcretè nō eſt habere idem,ſed diuerſum eſſe; vnde cùm Angelus non moueatur tempore continuo; ideo propriè non quieſcit. Præterea quies requirit duo *nunc*,quorum vnū ſe habeat,vt priùs; aliud, vt poſterius;ſed in neutro ex illis inſtātibus poſſunt eſſe duo *nunc*;aliter quodlibet ex illis non eſſet indiuiſibile, ſed diuiſibile; ergo in neutro poteſt eſſe quies. *Vid.Fūd.Doct.de Mēſ.Ang.q.9.*

23 Obijc.3. Velocitas motus Angelici excedit ſine proportione velocitatem motus corporei;ergo motus Angeli eſt in inſtanti;nam ſi eſſet in tempore,ſicut eſt motus corporis;poſſet inter motum Angeli, & motum corporis dari aliqua proportio; cùm inter duo tēpora ſit aliqua proportio. Præterea corpus poteſt moueri velociùs, & velociùs in infinitum; ergo poſſet peruenire ad æqualitatem velocitatis Angelicæ. Tandem corpus glorioſum mouetur in inſtanti ratione ſummæ agilitatis, quæ eſt paſſio illius; hinc *Beatiſſ. P. lib.de Reſurr.* ait: *Corpus glorioſum vtraque interualla celeritate pari pertingit,vt radius Solis*; radius autem Solis pertingit in inſtanti; ergo à fortiori Angelus.

Reſp.neg.conſ. Ad prob.dicitur,quòd tempus Angelicum eſt diuerſæ ſpeciei à tempore menſurante motum corporalem; vt dictum eſt; cùmque *ex Eucl.5.Geom.* proportio ſit ſolùm inter ea,quæ ſunt eiuſdem ſpeciei;ideo inter motū Angeli,& motum corporis nulla eſſe poteſt proportio. Igitur inter duo tempora eiuſdē ſpeciei ſo-

ſolùm poteſt eſſe proportio. Ad 2. eodem modo; dato enim, quòd corpus poſſet moueri velociùs, & velociùs in infinitum; & quòd non darentur termini tarditatis, & velocitatis, quod eſt magis probabile; adhuc non ſequeretur æqualitas; quia ſunt diuerſæ ſpeciei; ſic licèt corpus poſſet ſubtilizari in infinitum; attamen nunquam æquaret ſubtilitatē ſpiritus; ita à pari. Ad 3. neg. ant; nam corpus glorioſum licèt moueatur ſine difficultate, & labore, ac cum magna velocitate; attamen non mouetur in inſtanti. Ad *Beatiſſ.P.* dicitur nō loqui de motu locali, ſed de reſurrectione corporum; quæ ſiue ſint mortua à multo, ſiue à breui tempore, vnico inſtanti reſurgent.

24 Inſt. Si Angelus moueretur in tempore compoſito ex duobus inſtantibus, ſaltem ſequeretur Angelum ſuperiorem non poſſe velociùs moueri, quàm Angelum inferiorē; quia Angelus ſuperior, & inferior æquè mouerentur in duobus inſtantibus; ſed hoc eſt falſum; nam Angelus ſuperior magis habet de ſpiritualitate, ſeu perfectiorem habet ſpiritualitatem; & res, quò eſt ſpiritualior, eò velociùs mouetur; ergo ſaltem Angelus ſuperior non mouetur in tempore.

Reſp. neg. ſeq; nam velocitas motus Angelici non deſumitur ex illis inſtantibus præcisè, ſed per ordinem ad loca, quæ Angelus replet in illis duobus inſtantibus; Angelus enim ſuperior replet v. g. quatuor palmos loci in vno inſtanti, quia tantus locus eſt ei adæquatus; & in alio inſtanti alia quatuor; Angelus verò inferior replet tantùm tres palmos loci in vno inſtanti, & totidē in alio inſtanti; ideo Angelus ſuperior in duobus inſtantibus pertranſit octo palmos loci; inferior verò tantùm ſex palmos, & hac ratione ille velociùs mouetur, quàm iſte. Sed hoc tenentur ſoluere *Aduerſarij*; nam ſi Angeli mouerentur in inſtanti, mouerentur æquè velociter.

25 Obijc. 4. Angelus acquirit locum in inſtanti, quia acquirit indiuiſibiliter, cùm ſit totus in toto, & totus in qualibet parte; ergo in eodem inſtanti deſerit alium locū; quotieſcunque enim acquiritur aliquod, tunc in eodem inſtanti derelinquitur oppoſitum illius, quod acquiritur; vt in eodem inſtanti, quo acquiritur forma, amittitur priuatio; & quo aer illuminatur, expelluntur tenebræ; ſed motus Angeli nihil aliud eſt, quàm deperditio vnius loci, & acquiſitio alterius; ergo motus Angeli fit in inſtanti.

Reſp. neg. conſ. Ad prob. inſert. diſt. Derelinquitur oppoſitum negatiuè, vel priuatiuè, vt in inſtantijs adductis, cōc; oppoſitum poſitiuum, neg; cùm enim oppoſitum negatiuum, vel priuatiuum nihil aliud ſit, quàm non eſſe illius, cui opponitur; ideo ſufficit poſitio eſſe ad tollendum non eſſe; at verò oppoſitum poſitiuum importat diuerſum eſſe incompoſſibile cum alio eſſe; ideo illud priùs debet derelinqui, quàm hoc acquiri.

26 Obijc. 5. Angelus, dum eſt in termino *à quo*, non mouetur; ergo ſolùm quando eſt in termino *ad quem*; ſed terminum *ad quem* acquirit in inſtanti; ergo mouetur in inſtanti.

Reſp. diſt. ant. Quando eſt in termino *à quo* relatiuè ad terminum *ad quem*, neg; præcisè, cōc. Tum quia in termino *ad quem* ceſſat motus; ideo ſi non moueretur in termino *à quo*, nullo modo moueretur. Meliùs ergo dicitur Angelum moueri à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, quā moueri in termino *à quo*, & *ad quem*; illa enim particula *in* deſignat ſtatum, non motum; litera autem *à* deſignat motum; proprietas igitur ſignificationis verborum eſt attendenda.

27 Obijc. 6. Motus Angeli conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis; ſed iſti fiunt in inſtanti; ergo & motus. 2. Motus Angeli debet eſſe ſimplicior, quàm quælibet mutatio corporalis, quia Angelus eſt ſimplicior omnibus corporibus; ſed aliquæ mutationes corporales fiunt in inſtanti, vt generatio ſubſtantialis, illuminatio aeris &c; ergo à fortiori dicendum eſt de motu Angeli.

Reſp. ad 1. neg. vniuerſaliter ma; licèt enim detur in Angelis motus immanens ſecundùm qualitatē in intellectione, & volitione; attamen datur etiam potentia tranſeunter motiua in Angelis diſtincta ab intellectu, & voluntate; aliter cùm intellectus, & voluntas ſint potentiæ eſſentialiter immanenter agentes, Angelus nunquam poſſet per illas tranſeunter agere; ſicut enim implicat, quòd agens per potentiam tranſeunter agentem agat immanenter; ita à pari, vt *diximus To.1. de Omnipot. art.6*. Præterea poteſt diſt. ma. Motus Angeli conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis præcisè ſumptis, neg; ſucceſſiuè, ſeu reuolutiuè de vno ad alium, conc; & ſic diſt. mi. Actus intellectus præcisè acquiritur in inſtanti, conc; ſucceſſio, & reuolutio de vno ad aliū, neg. Ad 2. diſt. ma. Motus Angeli eſt ſimplicior quacūque mutatione corporali integraliter ſumpta, cōc; ſed in hoc ſenſu neg. mi; nam generatio ſubſtantialis inuoluit alterationem præcedentem, & illuminatio aeris motum Solis, vt *ſup.* dictum eſt, quæ ſunt magis compoſita, quàm motus Angeli. Eſt ſimplicior, quàm mutatio corporalis formaliter ſumpta, neg; ens enim ſucceſſiuum non eſt ſimplicius ente non ſucceſſiuo; motus autem Angeli eſt ſucceſſiuus, vt dictum eſt; & mutatio corporalis ſecundùm ſe præcisè accepta nō eſt ſucceſſiua, quia nō eſt per partes. Præterea hoc arg. non concludit; arguit enim motum Angeli debere eſſe in minori duratione, quā in inſtanti, quod eſt impoſſibile.

28 Obijc. 7. cont. vlt. rationem. Si diſtinctio motoris à mobili argueret tempus in motu, ſequeretur, quòd Deus non poſſet mouere aliquid in inſtanti, cùm Deus diſtinguatur ab omni eo, quod mouetur. 2. Sequeretur, quòd quodlibet corpus æqualiter moueretur ab omnibus Angelis, quia quodlibet corpus, quantumuis paruum, æqualiter diſtinguitur ab Angelis infimis, & ſupe-

pe-

perioribus etiam fortiſſimis. 3.Sequeretur,quòd poſito vacuo,ſi proijceretur aliquod animal,non deſcenderet in terram in inſtanti;quia anima,quę eſt pars mouens,diſtinguitur à corpore, quæ eſt pars mota. 4. Sequeretur,quòd etiã in alijs motibus daretur tempus,quia etiam in illis mouens diſtinguitur à mobili,& ſic nullum alteratiuum poſſet per quancunque diſpoſitionem alterare in inſtanti,quod eſt falſum;aer enim illuminatur in inſtanti.

Reſp. hanc rationem defendi in gratiam *aliorum*;vt dictum eſt. Neg.ergo ſeq;Deus enim licèt diſtinguatur à mobili, non tamen diſtat ab illo, & ideo nequit ad illud moueri. Ad 2. neg. aſſumpt;virtus enim Angeli ſuperioris magis extenditur, quàm virtus Angeli inferioris, & ſic corpus paruum minùs extenditur, quàm corpus magnum;ſecundùm autem maiorem,vel minorẽ extenſionem attenditur maior,vel minor diſtantia,vt patet.Ad 3.dicitur,quòd ſi illud animal ſe moueret ab intrinſeco, moueretur in tempore;ſi autem moueretur deorſum ſolùm per grauitatem, moueretur in inſtanti, quia,cùm vacuum nihil ſit, ideo in illo nulla eſſet diſtantia. Ad 4. patet ex dictis; nam quælibet mutatio integraliter ſumpta ſupponit aliquem motum; ſic illuminatio ſupponit motum Solis.

29 Inſt. Non eſt minoris virtutis Angelus, quàm Sol; ſed Sol illuminat aerem in inſtanti, & eius lux in inſtanti defertur ab Oriente in Occidẽtẽ; ergo & vnus Angelus in inſtanti mouetur de vno loco ad alium.

Reſp.neg.ſupp.mi; lux enim, quæ recipitur in aere,non eſt virtus,quæ eſt in Sole,ſed eſt effectus virtutis Solis; ideo generatur in inſtanti, quia eius generatio non eſt motus; ſic Angelus poſſet illuminare in inſtanti, ſi Deus vellet; illa tamen illuminatio non eſſet motus;non tamen poteſt tranſire de vna ad aliam operationem in inſtanti, quia illa duplex operatio eſt in duplici inſtanti.

30 Obijc. 8. Corpus Chriſti in inſtanti terminatiuo verborum conſecrationis incipit eſſe ſub ſpeciebus,& tamen diſtinguitur ab illis;ergo hæc ratio nihil probat.

Reſp.diſt.ant. Incipit eſſe per aliquem motum,neg;per conuerſionem Sacramentalem,quæ non eſt in aliqua ſpecie motus,ſed ſupra omnem motum,& ſupra noſtrum captum,vt ſuo loco dicemus,conc.

QVÆSTIO IV.

De cognitione Angelorum.

EGimus de quantitate virtutis,per quam Angelus definitur ad locum; & de potentia motiua, qua mouetur per tempora, & mutat locum; nam ſicut quantitas eſt prima paſsio corporis; per quam corpus eſt in loco,& non mutat locum,niſi per potentiam motiuam; ita priùs agendum erat de quantitate virtutis, & de potentia motiua Angelorum. Modò ſequitur agendum de potentia cognoſcitiua,per quam differt à re corporali; vt ab eo, quod ſaltem analogicè eſt commune, ad id, quod eſt ſpeciale, deſcendamus. Priùs autem de potentia cognoſcitiua pertractamus; quia hæc priùs competit naturæ Angelicæ,vt ſpiritualis eſt.

ART. I.

An Angelus intelligat ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam?

1 QVatuor, vt ſpectat ad præſens,concurrunt ad quanlibet intellectionem;ſcilicet potentia intellectiua,actio intellectiua,ſpecies,& lumen; vt diximus *to.1.de Viſ*;ideo ad hæc omnia poteſt referri titulus difficultatis propoſitæ; poteſt enim eſſe dubium. 1. An potentia intellectiua Angeli ſit idem realiter, ac eius ſubſtantia; ſed de hoc ſufficienter dictum eſt *in 3.lib.de An*; & *in 2.Phyſ*; vbi oſtendimus nullam ſubſtantiam eſſe immediatè operatiuam; idem enim ipſiſſimum, quòd dicitur de paſsionibus animæ per ordinem ad illam,dicitur de proprietatibus naturæ Angelicę per ordinem ad ipſam;de quo *vid. Fund.Doct.in 1.diſt.3.p.2. princ.3.q.1.art.2*; nulla enim alia differentia eſt inter intellectum Angelicum, & humanum, niſi quòd iſte eſt pura potentia,ille verò eſt actualis; vt *inf.*patebit. 2. An actio intellectiua diſtinguatur ab anima;& de hoc §.1.*ſeq.agemus*.3.An ſubſtantia teneat locũ immediatè ſpeciei, & de hoc quęrimus principaliter *in hoc art.*Tandẽ an ſola ſubſtãtia Angeli ſit ſufficiens ſine lumine ad eliciendam intellectionem,& de hoc *inf.art.4.§.1.*

§. 1.

An intellectio Angeli diſtinguatur realiter ab eius ſubſtantia?

2 ANgelum eſſe intelligentem certum eſt *apud omnes*; imò ei ſpecialiori titulo competere eſſe intellectiuum, quàm competat nobis,non obſcurè indicarunt *Philoſophi*, qui eũ *Intelligentiam* antonomaſticè dixerunt; & colligitur à priori ex illius immaterialitate; vt diximus *To.1.de Sub.Dei q.2.art.7.§.1.*

3 Refertur *Com.12.Met.t.52.* ſenſiſſe eſſentiã, & operationem in ſubſtantijs ſeparatis non differre; ac proinde intellectionem Angeli non differre ab eius ſubſtantia.*Dur.*verò *in 2.diſt.3.q.5. ad 1.*aſſerit, quòd licèt intellectio, qua Angelus intelligit alia à ſe, diſtinguatur ab eius ſubſtantia;intellectio tamen, qua cognoſcit ſe ipſum,eſt idem realiter cum eius ſubſtantia.

4 Noſtra tamen ſententia, quæ communiſſima eſt,docet intellectionem,ſiue qua cognoſcit ſe ipſum, ſiue qua cognoſcit alia à ſe, diſtingui

rea-

realiter ab eius ſubſtantia. *Ita Fūd.Doct. q.1.de Cog.Angel.ad 2;& in 2.diſt.3.in reſol.ar.1.§.Erit ergo*;& deducitur *ex locis ſup.cit;noſter Greg.in 2.diſt.7.q.2.* ſuſiſſimè; *& omnes alij communiter*.

5 Vnica concl. Intellectio Angeli, quæcunque ſit, diſtinguitur realiter ab eius ſubſtantia.

Prob. 1. *ex Beatiſſ.P. lib.9. de Trin.c.2.* docente: *Vnde liquidò tenendum eſt, quòd omnis res, quamcunque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui; ab vtroque enim notitia paritur, à cognoſcente, & cognito. Itaque mēs, cùm ſe ipſam cognoſcit, ſola parens eſt notitiæ ſuæ, & cognitum enim, & cognitor ipſa eſt. Erat autem ſibi ipſa noſcibilis, ſed notitia ſui non erat in ea, cùm ſe ipſam non nouerat.* Ex quo ſic arguitur. Intellectio Angeli, ſiue qua cognoſcit ſe ipſum, ſiue qua cognoſcit alia à ſe, eſt effectus ſubſtātiæ ipſius, ergo nequit eſſe idem cum ipſius ſubſtantia. Ant. patet; quia intellectio eſt actio immanens, quæ producitur ab eodem principio, in quo recipitur. Prob. conſ. Implicat, quòd effectus realiter productus ab vna cauſa ſit idem realiter cum illa; ſed quælibet intellectio Angeli eſt effectus ſubſtantiæ ipſius; quia ſubſtantia eſt primum principium radicale effectiuum omnium actionum; cùm *actiones ſint ſubſiſtentium*; ſubſiſtere autem appellat ſubſtantiam formaliter; ergo quæuis intellectio Angeli nequit eſſe idem cum eius ſubſtantia.

6 Conſ. Quælibet actio immanens recipitur in eodem principio, à quo elicitur; ſed intellectio, qua Angelus cognoſcit ſe ipſum, & alia à ſe, eſt actio immaneus; non enim per illam producitur Angelus, nec alia à ſe; ergo intellectio, qua Angelus cognoſcit ſe ipſum, & alia à ſe, recipitur in eodem principio, à quo elicitur. Atqui ſubſtantia nequit recipi in intellectu, à quo elicitur intellectio; quia ſubſtantia nequit eſſe in alio, tanquam in ſubiecto; cùm ipſa ſit ſubiectum omnium aliorum; ergo intellectio Angeli nequit eſſe idem cum ſua ſubſtantia.

7 Prob. 2. Nullum accidens poteſt producere neque etiam partialiter ſuum ſubiectum, in quo, & à quo habet eſſe; quia nullus effectus poteſt producere neque etiam partialiter ſuā cauſam, à qua recipit eſſe, vel per efficientiam, vel per emanationem; ſed intellectus Angeli eſt accidens dimanans à ſubſtantia ipſius, ergo nequit producere neque etiam partialiter ſuam ſubſtātiam. Atqui producit intellectionem; ergo eius intellectio non eſt eius ſubſtantia. Prob. mi. Intellectus Angeli non eſt ſubſtantia ipſius; aliter ſi eſſet ſubſtantia, multò minùs poſſet producere intellectionem, quæ eſſet eius ſubſtātia; ſic enim ſubſtantia produceret ſe ipſam; quod æquè repugnat; ergo eſt accidens.

8 Prob. 3. *ex noſtro Greg.* Si intellectio Angeli eſſet eius ſubſtantia, Angelus ſemper intelligeret ſe ipſum; ſed conſequens eſt falſum; docet enim *Beatiſſ.P*; quòd *mens aliquando ſe ipſam non noſcit*; ergo eius intellectio non eſt eius ſubſtantia. Prob. ma. Quod eſt idem realiter cum alio; pro eadem duratione, qua affirmatur aliud, affirmatur, & illud; aliter ſi aliquando negaretur, non eſſet idem; quia negatio eſt diſtinctio, non identitas; ſed de Angelo, quandiu eſt, affirmatur, quòd ſit ſubſtantia; ergo ſi eius intellectio eſſet idem cum eius ſubſtantia, quandiu Angelus eſt, affirmaretur, quòd ſemper intelligat. Prob. ampliùs mi. Cognitio Angeli eſt actio libera; eſt enim circa obiectum creatum, quod nullo modo poteſt neceſſitare potentiam creatam; cùm ſolū ſummum bonum habeat inducere hāc neceſſitatem; ſed actio libera creaturæ non ſemper eſt; quia creatura naturaliter eſt mutabilis de vna in aliam actionem ſibi naturalem; in hoc enim diſtinguitur à Deo, qui in omni actione eſt ſimpliciter immutabilis; ergo Angelus non ſemper ſe intelligit. Diximus *naturalem*; quia licèt ſit immutabilis per gratiam à viſione beata; attamen quia ſecūdùm ſuam naturam eſt mutabilis; ideo per ordinem ad actiones ſibi naturales, quæ ei cōueniūt ratione ſuæ naturę, eſt mutabilis; cū ſic conſideratus habeat pro obiecto ſolā creaturā, quę eſsētialiter eſt mutabilis, & à qua trahit mutabilitatē; potentia enim ſpecificatur ab obiecto.

9 Dices Angelum non ſemper intelligere ſe ipſum, quia ad intellectionem requiritur intētio voluntatis, quæ ſemper non eſt in Angelo,

Reſp. *Greg*; quòd intentio voluntatis *ex Beatiſſ.P.14 de Trin.c.8; & 9.* requiritur ſolū ad copulandum obiectum cum intellectu ad hoc, vt ex illis pariatur notitia, quaſi proles illorum; ſed in noſtro caſu obiectum, quod eſt ſubſtantia Angeli, eſt ſemper copulatum cum intellectu, à quo eſt inſeparabile; neque ex eis pareretur notitia, quaſi proles, quia proles neceſſariò diſtinguitur à parentibus; cùm idem nequeat parere ſe ipſū, aut eſſe prolem ſui ipſius; ergo fruſtra requiritur intentio voluntatis.

10 Sed hæc ratio *noſtri Greg.* eſt contra *Fūd. Doct*; nam vt *inf.* videbimus, Angelus neceſſariò cognoſcit, & amat ſe ipſum; & ideo nequit deſiſtere à cognitione, & amore ſui; ſicut enim quia neceſſariò videt, & amat Deum, nequit ceſſare à viſione, & amore illius; ita à pari. Ad illud ergo, quod adducit *Greg. ex Beatiſſ.P*; dicimus non concludere; non enim eſt paritas de mente noſtra, de qua loquitur *Beatiſſ.P*; quæ, quia eſt pura potentia, & anima non eſt illi præſens actualiter in ratione obiecti, ideo nec ſemper illam cognoſcit per ſe ipſam, ſed per ſpeciem noſcit; ſubſtantia verò Angeli eſt illi neceſſariò præſens in eſſe obiecti intelligibilis, ideo ſemper illam cognoſcit. Ad vlteriorem prob. eiuſdem mi. neg. ma; nam cùm ſubſtantia Angeli connectatur neceſſariò in ratione obiecti intelligibilis, & non poſsit ab illo diuelli; & cùm aliunde Angelus ſit eſſentialiter actū intelligens, in hoc enim diſtinguitur ab homine; ideo cognitio ſui ipſius non eſt libera, ſed neceſſaria, quamuis eius ſubſtantia non ſit

ſum-

ſummum bonum. *Vid.inf.q.7.art.*1.

11 Obijc. 1. Ideo anima noſtra non eſt ſua intellectio, quia eſt intelligens in potentia; ſed Angelus eſt intelligens actu; ergo eius intellectio eſt ſua ſubſtantia.

Reſp.diſt.ma.Si *ly in potentia* importet omnem potentialitatem paſſiuam ſiue coniunctam actui, ſiue ſeiunctam ab actu, conc.Si importet ſolùm potentialitatem paſſiuam ſeiunctam ab actu, non tamen potentialitatem paſſiuam coniunctam actui, neg; nam quando anima actu intelligit, non eſt intelligens in potentia excludente actum, ſed in actu, quia per ipſum actum intellectionis ponitur in actu;& tamen non eſt idem cũ ſua intellectione.Et ſic diſt.mi. Angelus eſt actu intelligens primo modo, neg; ſecundo, conc.

12 Obijc.2. Actus primus, & ſecundus in eodem ſubiecto non diſtinguuntur realiter; vt *alibi* dictum eſt; ſed natura Angeli eſt actus primus,& intellectio eſt actus ſecundus; ergo non diſtinguuntur realiter. Tum quia ſi intellectio eſſet forma diſtincta à ſubſtantia Angeli, illa forma poſſet habere aliam operationem,& ſic daretur operatio operationis in infinitum. 3. Ita ſe habet intelligere ad ſubſtantiam Angeli; ſicut lucere ad lucem; ſed lucere non diſtinguitur à luce; ergo nec intelligere à ſubſtantia.4.Omne realiter diſtinctum poteſt à Deo ſeparari; ſed intelligere nequit ſeparari à ſubſtantia Angeli; ergo non diſtinguitur.

Reſp.ad 1.diſt.ma. Actus primus radicalis, & actus ſecundus non diſtinguuntur, neg; & in hoc ſenſu conc; quòd ſubſtantia ſit actus primus radicalis.Actus primus formalis, conc; ſed in hoc ſenſu neg.mi; nã intellectio, vt qualitas, eſt actus primus formalis. Ad 2.neg. ſeq; nam illa forma ſolùm poteſt habere operationes, quæ habẽt rationem principij; intellectio autem habet rationem termini, & ideo nequit habere aliam operationem; Ad 3.neg. ma; nam intelligere ita ſe habet ad intellectionem, vt lucere ad lucem; ſicut enim intelligere eſt verbum deriuatum ab hoc abſtracto *intellectio*; ita lucere eſt verbum deriuatum ab alio abſtracto *lux*; & ſicut lucere non diſtinguitur à luce, ita intelligere ab intellectione. Ad 4.neg.ma; nam intellectus, & volũtas diſtinguuntur realiter, & tamen à Deo nequeũt ſeparari.Vel neg.mi.

§. 2.

Aſſertur reſolutio Articuli.

13 SPeciem eſſe vicariam obiecti diximus *to.1.de Viſ.q.3.ar.1.n.*1;& dici vicariã eò, quia gerit vicem obiecti; cùm enim obiectum non eſt actu intelligibile; neque eſt præſens in ratione obiecti; ſeu non eſt in proſpectu mentis, vt loquitur *Beatiſſ.P.lib.14.de Trin.c.6*; quanuis enim oculus ſit præſens ſibi; quia nihil poteſt diſtare à ſe ipſo; attamen quia non eſt in ſuo proſpectu; ideo nequit ſe ipſum videre.Igitur quando aliquod obiectum eſt per ſe ipſum intelligibile in actu;& quando eſt præſens in ratione obiecti, ſeu eſt in proſpectu mentis per ſe ipſum; tũc fruſtranea eſt ſpecies, per quam videatur. Hanc doctrinam tradit *idem Beatiſſ.P.ibid.c.*4. docens: *Nihil enim tam nouit mẽs, quàm id, quod ſibi præſto eſt, nec menti magis quicquam præſto eſt; quàm ipſa ſibi*. Idem habet *Phil. 3. de An*; vbi habet: *Neceſſe eſt, aut res ipſas extare in anima noſtra, aut earundem ſpecies*. Ratio autem eſt. Ad quacunque actionem neceſſaria eſt vnio agentis cũ paſſo; quia *agens in tantùm agit, in quantùm tangit*; cùm nequeat agere in diſtans; quapropter *Beatiſſ.P.lib.9.de Trin.cit. vbiſ. n.*5. ait ex obiecto,& potentia gigni intellectionem, quaſi prolem mentis; ſed intellectus eſt agens;& paſſum, in quod agit, eſt obiectum; ergo neceſſaria eſt vnio obiecti cum intellectu; cùm autem obiectũ nequit vniri propter improportionem, tunc datur ſpecies, quæ gerit vicem illius; ergo quando obiectum eſt proportionatum, per ſe ipſum poteſt intelligi ſine ſpecie. Et inſtantiam habemus de eſſentia Diuina in intellectu Beatorum.Alias rationes de vnione neceſſaria obiecti, vel ſpeciei cum intellectu; vt quia intellectio eſt actio vniuoca; & ideo intellectus debet vniri cum re intellecta,& fieri ipſa; *vid.in 3.lib.de An.*

14 Vnica concl. Angelus cognoſcit ſe ipsũ per ſuam ſubſtantiam, non per ſpeciem.

Prob.1.ratione *Beatiſſ.P. vbiſ.* allata, quam ſic format *Fund.Doct.*Illud, quod eſt de genere intelligibiliũ, & eſt actu intelligibile, & eſt præſens, ac proportionatum intellectui, intelligit ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam ſine ſpecie; ſed Angelus eſt huiuſmodi; ergo intelligit ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam ſine ſpecie.Prob.ma.Ideo corporalia nequeunt intelligi per ſe ipſa, ſed per ſpecies illorum; quia conſtant ex materia, quæ impedit cognitionem, cùm ſola immaterialitas ſit radix intellectionis; vnde ſola immaterialia ſunt de genere intelligibilium; & ideo anima noſtra intelligitur per ſpeciem, nõ per ſe ipſam; quia eſt pura potentia paſſiua in genere intelligibilium; cùm naſcatur tanquam tabula raſa ſine vlla forma intelligibili, ſeu ſpecie; tum quia ſicut materia in genere entis tenet vltimum locũ ita, vt infra ipſam ſit nihil, & ſupra ipſam ſit actus; ita pariformiter anima noſtra tenet vltimum locum in genere entium intelligibilium ita, vt infra ipſam nullũ aliud ſit intelligibile inferius, ſed ſolùm ſenſibile;& ſupra ipſam ſit actus intelligibilis; ſubſtantia autem Angeli eſt ſupra animam noſtram; & ideo eſt actus in genere intelligibilium; & tandem ſubſtantia vnius Angeli nequit intelligi per ſe ipſam ab altero Angelo, quia nec eſt illi præſens, nec proportionata, vt *inf.*videbimus; ergo illud, quod eſt de genere intelligibilium,& eſt actu intelligibile, & eſt præsẽs, ac proportionatum intellectui, intelligit ſe ipsũ per ſuam ſubſtantiam ſine ſpecie. Prob. mi. Angelus eſt immaterialis, & ideo eſt in genere in-

telligibilium , quod conſtituitur per immaterialitatem.Item eſt actu intelligibilis ; quia eſt ſuperior ad animam rationalem, quæ eſt pura potentia in tali genere;ſicut autem id, quod eſt ſupra materiam, quæ eſt potentia paſſiua phyſica, eſt actus phyſicus; ita illud, quod eſt ſupra animam rationalem,quæ eſt potentia paſſiua in genere intelligibili,eſt actus intelligibilis. Tandem ſubſtantia Angeli non diſtat ab intellectu eiuſdē Angeli,vt dictum eſt,eique proportionatur ; ergo ſubſtantia Angeli eſt huiuſmodi,vt per ſe ipſam intelligatur ab eodem Angelo.

15 Conf.1. *ex eod.* Ad hoc, vt aliquod habeat aliquam actionem in aliquo genere,tria requiruntur.1.Quòd ſit in illo genere; quia *operari ſequitur ad eſſe*.2.Quòd ſit actu in illo genere; *agens enim in tantùm agit,in quantùm actu eſt*.3. Quòd ſit in debita diſtantia approximatum;quia deficiente approximatione non ſequitur actio ; & quòd ſit proportionatum; nam quod eſt inferius,nequit agere in ſuperius,ergo ad hoc,vt aliquod habeat aliquam actionem in genere intelligibilium, requiritur, quòd ſit in genere intelligibili,quòd ſit actus;& quòd ſit præſens, & proportionatū; ſed ſubſtantia Angeli reſpectu eiuſdem Angeli habet hæc tria ; ergo poteſt producere in intellectu ipſius intellectionē ſine ſpecie.

16 Conf. 2. Quotieſcunque aliquod obiectum poteſt eſſe præſens intellectui in ratione obiecti intelligibilis , tunc intelligitur per ſe ipſum,non per ſpeciem; ſpecies enim dicitur vicaria obiecti ; in quantùm ponitur loco obiecti, quoties obiectum nequit eſſe præſens intellectui; aliter nulla ratio eſſet , cur ſpecies dicatur vicaria obiecti,ſed ſubſtantia Angeli eſt præſens intellectui eiuſdem Angeli in ratione obiecti intelligibilis; quia ad rationem obiecti intelligibilis ſufficit, vt habeat rationem immaterialitatis ; & ſit actu intelligibile ; ergo ſubſtantia Angeli intelligitur per ſe ipsā ab eodē Angelo .

17 Conf. 3. Ideo eſſentia Diuina videtur à Beatis per ſe ipſam; quia ſecundùm ſe ipſam eſt præſens intellectui Beato ; & eſt actu intelligibilis;ergo à pari .

18 Tum quia ſpecies repræſentatiua alterius Angeli exiſtens in intellectu Angelico cognoſcitur ab Angelo ; quia Angelus cognoſcit omnia,quæ ſunt in ſe ipſo;cùm ſe intueatur ; ſed non cognoſcitur per aliam ſpeciem ; ſecus cùm alia ſpecies eſſet pariter in eius intellectu , pariter cognoſceretur per aliā ſpeciē; & ſic in infinitum;ergo cognoſcitur immediatè per ſe ipsā.Atqui in tātū ſpecies cognoſcitur per ſe ipſam,quia eſt actu intelligibilis, præſens, & proportionata; ergo eodem modo cognoſcitur ſubſtantia ipſius.

19 Tandem ideo anima noſtra non intelligitur per ſe ipſam,licèt ſit de genere intelligibilium,cùm ſit immaterialis, quia anima noſtra nō eſt actu intelligibilis;nam cùm illud,quod vnitur intellectui per modum obiecti intelligibilis , debeat cauſare efficienter intellectionem; ex obiecto *enim, & potentia paritur notitia*; & cùm *omne agens in tantùm agat,in quantùm actu eſt*;exiſtentia enim actualis eſt conditio neceſſaria ad agendum;ideo omne intelligibile debet eſſe actu tale;aliter non produceret intellectionem;ſed ſubſtantia Angeli eſt actu intelligibilis ; vt dictum eſt;ergo intelligitur per ſe ipſam .

20 Dices.Anima noſtra intelligit ſe ipſam per ſe ipſam;vt docet *Beatiſſ.P.*14.*de Trin. vbiſ. & ſæpe alibi*; ergo doctrina tradita eſt falſa. Tum quia etiam materialia dicuntur eſſe intelligibilia in potētia;ergo anima,quæ eſt immaterialis , eſt actu intelligibilis; ac propterea allata doctrina falsò nititur fundamento.

Reſp.*Fund.Doct.in* 1.*diſt.*3.*p.*2.*princ.*3.*q.*1. *art.*4:*& ex eo noſter Greg.in* 2.*diſt.*7.*q.*2.*art.*1; quòd *Beatiſſ.P.* nihil aliud vult, quàm quòd anima ſemper ſe intelligit habitualiter, non actualiter;prout intelligere eſt idem , ac habitus primorum principiorum;nam *in eod.lib.c.*6.ait:*Mēs ſe ſemper intelligit,ſed non ſe ſemper cogitat*; patet autem,quòd cogitare eſt actu intelligere,& ideo intelligere , quod *hic* ſumitur, prout contradiſtinguitur à cogitare,eſt tantùm habitualiter intelligere , idēſt habere annexum ſemper habitū intelligendi ſe ipſam. Hinc *lib.* 10. *de Trin. c.* 5. affert exemplū de homine habente plures ſcientias , qui dum de vna cogitat v. g. *Phyſica* , dicimus eum noſſe etiam *Theologiam* . Licèt ergo anima habeat innatum habitum primorum principiorum,per quem poteſt cognoſcere ſe ipſam; non tamen poteſt actu cognoſcere niſi per ſpeciem acceptam ab extra;quia cùm pro hoc ſtatu non cognoſcat , niſi mediante phantaſmate ; & phantaſma non accipiatur niſi à re ſenſibili;quæ ſola eſt phātaſiabilis,propter quod dicitur;quòd *omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu* ; ideo actu non cognoſcit ſe ipſam, niſi per ſpeciem acceptam à rebus;hinc ait *Phil.*3. *de An.* animam cognoſcere ſe ipſam cognoſcendo alia à ſe , loquendo de hoc ſtatu ; quia in ſtatu ſeparationis eſt alia ratio.Ad aliud dicitur , quòd anima , & corpus ſunt intelligibilia in potentia , ſed cum hoc diſcrimine;quòd anima, quia eſt immaterialis,habet eſſe intelligibile,ſed potentiale;corpus verò,quia eſt materiale; non habet per ſe eſſe intelligibile actuale,nec potentiale;ſed per aliud.

21 Obijc. 1. Species intelligibilis vnitur cū intellectu tanquam forma cum ſubiecto ; & tanquam actus determinans intellectum ad cognitionem talis obiecti ; ſed eſſentia Angeli nequit recipi in intellectu tanquam forma in ſubiecto ; quia eſſentia eſt ſubiectum intellectus, & omnis alterius paſſionis; repugnat autem ſubiectum ſubiectari in ipſa forma; & formam eſſe ſubiectum ſui ſubiecti ; ſecus ſubiectum eſſet , & non eſſet ſubiectum; & ſic de forma; nam repugnat radicē eſſe radicatam,& radicatum radicem;ergo eſſentia Angeli nequit intelligi per ſe ipſam.

Reſp.

Reſp. diſt. 1. part. ma. Tanquam forma informans (formaliter loquendo) neg; licèt ſpecies materialiter ſumpta, quatenus eſt accidens, poſſit eſſe forma informans. Tanquam forma purè determinans, conc; forma autem purè determinans non recipitur in alio, vt in ſubiecto; vnde conc. mi; & neg. conſ; ſicut enim eadem eſſentia, licèt ſit ſubiectum intellectus, in eſſe entitatiuo; attamen in eſſe intelligibili poteſt eſſe terminus illius, quia poteſt eſſe obiectum eius; ita licèt ſit ſubiectum, & radix intellectus in eſſe entis; attamen in eſſe intelligibili poteſt eſſe forma, & actus illum determinans.

22 Obijc. 2. Si Angelus cognoſceret ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam, vel eſſet, quia eius ſubſtantia eſt præſens eius intellectui, vel quia eſt actu intelligibilis? Non primum, quia anima noſtra eſt præſens noſtro intellectui, & tamen nō cognoſcitur per ſe ipſam. Non ſecundum; quia eſſentia alterius Angeli eſt actu intelligibilis; & tamen ipſa non cognoſcitur per ſe ipſam; ergo nulla eſt ratio.

Reſp. cognoſci propter vtrunque ſimul, nō diſiunctiuè; & vltra hoc requiri proportionem; nam ſi Diuina eſſentia vniretur cum intellectu creato ſine lumine; intellectus creatus illam non videret propter improportionem, quæ tollitur ſolùm à lumine eleuante intellectum ad ordinē Diuinum *in noſtra Schola*; vel ab alio extrinſeco eleuante, vt dicunt *alij*.

23 Obijc. 3. Nulla ſubſtantia eſt immediatè operatiua; ſed ſi Angelus cognoſceret ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam, eius ſubſtātia eſſet immediatè operatiua; quia illud, quod vnitur intellectui per modum ſpeciei, efficienter producit actionem intellectiuam; vt diximus *to. 1. de Viſ. q. 3. art. 3*; ergo Angelus non cognoſcit ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam.

Hoc arg. communiter ſoluitur dupliciter. 1. Neg. mi; nam ſuſiſtantia Angeli operatur mediante intellectu, tanquam mediante propria virtute; vnde operatur ſolùm remotè, & radicaliter. 2. Diſt. ma. Subſtantia non eſt immediatè operatiua in eſſe phyſico, conc; in eſſe intelligibili, neg; cùm enim ſpecies non ſit potentia, ſed determinatio potentiæ actiuæ, & proximæ; ad hoc, vt ſubſtantia Angeli exerceat munus ſpeciei, non eſt neceſſe, quòd concurrat per modū potentiæ actiuæ; ſed per modum determinationis potentiæ. Addit *Gonet*; quòd ideo ſubſtantia in eſſe phyſico nequit eſſe immediatè operatiua; quia eſſe, & operari diſtinguuntur realiter; & ideo ſubſtantia, quæ eſt potentia ordinata ad eſſe, diſtinguitur realiter à potentia, quę ordinatur ad operari. At verò eſſe ſubſtantiæ Angelicæ, prout habētis rationem ſpeciei, & operatio, quæ eſt intellectio, nō diſtinguūtur realiter, quia exiſtētia totius ordinis intelligibilis eſt ipſū intelligere, quod eſt vltima actualitas talis ordinis.

24 Sed hæc omnia non concludunt; nam. 1. falſum eſt ſpeciem operari mediante intellectu; cùm intellectus operetur mediante ſpecie; ſpecies enim ſe habet, vt forma determinans intellectum; & vt ratio, qua intellectus intelligit; forma autem non operatur mediante eo, cuius eſt forma; ſed è contra; vnde calor non dicitur operari mediante igne, ſed ignis mediante calore; ergo licèt ſubſtantia Angeli, prout eſt ſubiectum intellectus Angelici, operetur mediante intellectu; attamen prout eſt forma intelligibilis, non operatur mediante intellectu; aliter ſpecies intelligeret; ſicut intelligit anima, quia operatur mediante intellectu; actiones enim tribuuntur principali agenti, quod eſt illud, quod operatur mediante alio. Secundum quoque inutile eſt, nā licèt ſpecies concurrat, vt determinatio potentiæ intellectiuæ; attamen verè efficienter producit intellectionem, vt eſt qualitas diſtincta realiter ab ipſa ſpecie; ergo aliqua ſubſtantia ſaltem ſpiritualis eſſet immediatè operatiua; quod ſi cōcedatur; facilè poteſt euinci etiam de ſubſtantia materiali; ratio enim vnius poteſt concludere etiam de altera.

25 Sed multò magis implicatum eſt id, quod de ſuo addit *Gonet*; quia nō minùs eſſe ſubſtātiale intellectuale diſtinguitur realiter ab operatione ſpirituali; quàm eſſe materiale ab operatione materiali; aliter Angelus eſſet ſua operatio, ſuus actus, & ideo actus purus; ergo eadem ratio de vtroque. Tum quia ſi Angelus non haberet aliud eſſe intellectuale, quàm eſſe intellectionis actualis, ſequeretur, quòd non eſſet intellectualis niſi per accidens; & quòd toties mutaret eſſe intellectuale, quoties mutaret intellectionem; & ſic eſſe intellectuale non eſſet prædicatum ſubſtantiale in Angelo; aliter toties deperderet eſſe ſubſtantiale, quoties deperderet aliquam intellectionem. Tum quia ſi ſubſtantia Angeli, prout habens rationem ſpeciei, haberet eſſe intellectionis actualis; haberet eſſe accidentale, & ſic eſſet forma informans intellectum Angeli non minùs, ac ſpecies hominis; & ideo non eſſet ſubſtantia; implicat enim ſubſtantiam exiſtere per exiſtentiam accidentis; cùm potiùs è contra res ſe habeat. Igitur his dimiſſis.

26 Reſp. neg. mi; nam ſubſtantia Angeli, licèt non operetur mediante intellectu; operatur tamen mediante lumine, quia operatur quatenus apparens, & manifeſta intellectui; omnis autem apparentia, & manifeſtatio eſt per lumen; vt docet *Apoſt*; aliter ſi non operaretur, vt manifeſta, non eſſet præſens intellectui in ratione obiecti; de cuius ratione eſt manifeſtè apparere, vt poſſit videri. *Vid. to. 1. de Viſ. q. 2. art. 2.*

27 Obijc. 4. Si ſubſtantia Angeli poſſet habere rationem ſpeciei, poſſet inhærere; quia ſpeciei, cùm ſit accidens, competit inhærere; & poſſet ſubordinari intellectui, qui eſt accidens; quia principiū *quo* ſubordinatur principio *quod*; ſed ſubſtantiæ repugnat inhærere, quia ei repu-

gnat eſſe in alio;& repugnat ſubordinari accidẽti;quia repugnat dependere in eſſe ab accidẽte; ergo ſubſtantia Angeli nequit habere rationem ſpeciei.

Reſp.neg.1.part. ma; nam ſpeciei formaliter, & per ſe conuenit ſolùm actuare intellectũ, & repræſentare obiectum;quamuis materialiter, prout reperitur in accidente, poſsit competere inhærere. Et diſt.2.part. Poſſet ſubordinari in eſſendo, neg; hæc enim ſubordinatio dicit dependentiam in eſſe; in agendo ſubdiſt. Recipiendo virtutem ab intellectu,neg; actuando intellectũ, conc. Hæc igitur ſubordinatio nihil aliud importat niſi ordinem prioris,& poſterioris ſine aliqua cauſalitate; patet autem, quòd ſicut ſubſtantia Angeli,prout eſt intellecta,ſubordinatur intellectioni actuali; quia eſt poſterior illa, cùm ſit terminus illius; ita,prout ſpecies,poteſt ſic ſubordinari intellectui,cùm ſit ratio agendi illius.

28 Obijc. 5. Si Angelus intelligeret ſe per eſſentiam ſuam,ſemper ſe intelligeret;imò intellectio ei competeret ſubſtantialiter, quia ei conueniret per ſubſtantiã; nam ſicut nũquam poteſt recedere à ſua ſubſtantia;ita non poſſet recedere à ſua intellectione;ſed conſ.eſt falſum;aliter non poſſet intelligere alia à ſe;ergo & ant.

Reſp.neg.ſeq. hoc enim ſequeretur, ſi eius intellectio eſſet eius ſubſtantia; ex eo autem, quòd eius ſubſtantia concurrat, vt ſpecies, ad cauſandam eius intellectionem, non ſequitur, quòd ſemper ſe intelligat, nec quòd intellectio ei competat ſubſtantialiter, quia producit intellectionem mediante accidente, quod eſt lumen, vt dictum eſt,& ideo intellectio ei competit tantùm per accidens. Imò ſi arg. valeret,conuinceret omnes ſubſtantias ſemper agere,& earum actiones eis competere ſubſtantialiter;cũ omnis ſubſtantia ſit principiũ ſuarũ actionũ. Angelus ergo ſẽper ſe intelligit,quia eius eſſentia ſemper eſt ſibi præſens in ratione obiecti, nõ quia eſt ſubſtãtia.

29 Obijc.6.Cognitio eſt actio vitalis; ergo nequit competere ſubſtantiæ per ſe; quia actio vitalis competit ſubſtantiæ ſolùm ratione principij accidentalis,quo ſubſtantia viuit; ſed ſpecies eſt principium intellectionis;ergo ſubſtantia nequit habere rationem ſpeciei.

Reſp.diſt.conſ. Nequit competere ſubſtantiæ,tanquam principio efficienti, neg;tanquam principio formali,conc; ſpecies autem concurrit ad intellectionem, vt principium merè efficiens; intellectus autem, vt cauſa formalis vitalis; quia actio ſpeciei tranſit à ſpecie in intellectum, in quo recipitur; & ideo ſpecies eſt cauſa extrinſeca. *Vid. de Viſ. q.3. art.2. n.4.*

30 Obijc.7.Quamuis Angelus cognoſcendo quiditatiuè per ſuam ſubſtantiam cognoſcat ſe ipſũ;attamen ſi abſtractiuè cognoſceret ſua prædicata eſſentialia non cognita exiſtentia,& ſubſiſtentia, neceſſariò deberet cognoſcere per ſpeciem; quia ſubſtantia Angeli repræſentat quiditatiuè,non abſtractiuè; ergo ſaltem in tali caſu non cognoſceret per ſuam ſubſtantiam.

Reſp;quòd etiam dato Angelum poſſe præſcindere abſtractiuè vnum ab alio, quod eſt in ſua ſubſtantia; attamen cognoſceret abſtractiuè per ſuam ſubſtantiam,non per ſpeciem;quia ſubſtãtia eſt ei præſens,vt actu intelligibilis, & proportionata;vnde ſicut non repugnaret intellectũ Angeli actiuè præſcindere; ita non repugnaret eius ſubſtantiam actiuè repræſentare vnum ſine alio;& paſſiuè præſcindi, idẽſt cognoſci ſecundũ vnum non cognito alio.

31 Quæres 1. an Angelus cognoſcendo ſe ipſum formet verbum;vel ſubſtantia ipſius gerat etiam vicem ſpeciei expreſſæ; ſicut gerit vicem ſpeciei impreſſæ.

Reſp.neg.Ita *Fund.Doct. Quodl.2. q.9*; vbi quamuis non reſoluat quæſitum de poſsibili;quia non repugnat dari aliquod creatum actualius ſubſtantia Angeli;negat tamen de facto. Eſt *cont. noſtrum Gibb. hic diſp.2.dub.1.n.19; Gonet diſp.7. art.1.§.1; & alios Thomiſtas*, ex quibus tamen nobiſcum ſentit *Caiet. Naz. & alij*. Fundamentũ eſt. Eadem eſt ratio ponendi ſpeciem expreſſam, quæ eſt verbum;ac ſpecies impreſſa,quæ eſt forma intelligibilis; ſed ad intelligendum ſe ipſum non indiget ſpecie impreſſa;ergo neque ſpecie expreſſa; & ideo verbum non format cognoſcẽdo ſe ipſum; ſicut format cognoſcendo alia à ſe. Prob.ma. Ratio,quare ponitur verbum,eſt, vt in eo intellectus, tanquam in ſpeculo,cernat naturam intellectam; tunc autem neceſſe eſt ponere aliquod, in quo intellectus videat naturam intellectam; quando res intellecta non eſt præſens intellectui, vt poſſit videri in ſe ipſa; ſed hæc eſt eadem ratio, ac illa, qua requiritur ſpecies impreſſa,vt *ſup.* dictum eſt;ergo eſt eadem ratio ponendi ſpeciem expreſſam,& impreſſam; ſed quia eſſentia Angeli eſt præſens, actu intelligibilis, & proportionata ſuo intellectui,nõ ponitur ſpecies impreſſa; ergo propter eandem rationem de facto non ponitur verbum.

32 Conf. Verbum producitur vel ex fœcunditate naturæ, vt Verbum Diuinum; vel ex neceſſitate,vt verbum creatum; ſed Angeli nec ex fœcunditate formant verbum;aliter ſi ex fœcunditate,natura Angelica produceret verbum ſubſtantiale;ſicut producit natura Diuina,& ſic Angeli haberent filios; nam fœcunditas naturæ eſt ad communicandum ſe pluribus ſuppoſitis; nec ex neceſsitate; quia tunc eſt neceſsitas, quando obiectum non eſt præſens per ſe ipſum ita, vt poſſit videri in ſe ipſo; ergo Angelus cognoſcẽdo ſe ipſum non format verbum.

33 Ex hoc habetur reſponſio ad aliam obiectionem,quæ fieri ſolet;ſcilicet; Subſtantia Angeli nequit gerere vicem ſpeciei expreſſæ; ergo nec impreſſæ. Reſp.enim neg.ant.

34 Obijc. *Gonet.* Hoc eſt diſcrimen inter ſpeciem impreſſam, & expreſſam; quòd iſta eſt forma

ma

Digitized by Google

ma intelligibilis non pertingens ad vltimam actualitatem ordinis intelligibilis; at verò ſpecies expreſſa eſt in actu ſecundo intellecta ita,vt eſſe intellectum ſit ei intrinſecum,ſed ſubſtantia Angeli,quamuis ſit adeò perfecta,vt poſsit eſſe forma intelligibilis in actu primo;non tamen poteſt eſſe forma intellecta in actu ſecundo; ergo ſubſtantia Angeli gerit vicem ſpeciei impreſſæ, non expreſſæ. 2. Si natura Angeli eſſet verbum, identificaret ſibi intellectionem Angeli; quia identificaret ſibi ſpeciem impreſſam,& expreſsã, inter quas mediat verbum;identificatis enim extremis,quæ magis diſtant, neceſſe eſt identificari medium, quod minùs diſtat; ergo natura Angeli eſſet actus purus,quod repugnat.3.Ideo eſſentia Diuina in viſione beata gerit rationem verbi; quia eſt intelligibilis in actu ſecundo,& eſt actus purus ſimpliciter;ergo eadem ratione eſſet actus purus ſubſtantia Angeli.

Reſp. hæc implicare *hunc Auctorem*. Ad 1. dicitur, quòd hoc eſt diſcrimen inter ſpeciem impreſſam,& verbum; quòd illa eſt principium intellectionis,iſtud verò eſt terminus:& ſicut illa ex eo, quòd ſit principium, non identificat ſibi intellectionẽ; nec eſt actus purus;ita illud ex eo, quòd ſit terminus, nõ identificat ſibi intellectionem, nec eſt actus purus; nam ſicut ſpecies expreſſa eſt terminus intellectionis,& eſt intellecta in actu ſecundo, vt loquitur *ipſe*; & tamen non identificat ſibi intellectionem; nec eſt actus purus;ita dicendum de ſubſtantia.Patet hoc etiam in ſenſibilibus; nam obiectum viſionis corporeæ terminat viſionem,nec identificatur cum illa.Ad 2.dicitur, quòd ſoluitur per 3; nam viſio beata eſt media inter Diuinam eſſentiam, vt eſt forma intelligibilis,& vt eſt verbum,& tamen non idẽtificatur cum Diuina eſſentia. Dicitur ergo *cum Auctore de Cauſis*, quòd intelligendo ſe ipſum fit reditus ab eodem in idem; vnde ab eodem poteſt incipere, & ad idem terminare; quare intellectio propriè eſt via vel ad terminum diſtinctum directè, vel ad ſe ipſum per circulum Ad 3. dicitur,quòd licèt eſſentia Diuina ſit ſpecies expreſſa,& impreſſa, quia eſt actus purus, non tamen valet,quòd ſubſtantia, quæ eſt ſimul ſpecies impreſſa,& expreſſa,ſit actus purus. Sicut ex eo, quòd eſſentia Diuina ſit ſpecies intelligibilis, quia eſt actu intelligibilis per ſe ipſam, cùm ſit actus purus; non tamen valet; quòd ſubſtantia Angeli, quæ eſt ſpecies intelligibilis, ſit actus purus.

35 Quæres 2. An Angelus per propriam ſubſtantiam cognoſcat accidentia,quę in illa ſubiectantur?

Reſp.affirmatiuè *cum Fund.Doct. in 2. diſt. 3.p.2.q.2.art.1.in reſol.dub.2. §.Secundò poteſt in fine;& de Cog.Angel.q.2. ad* 10.nam ſicut ſpeculum repræſentat nedum imagines rerum exiſtentium extra ſpeculum, ſed etiam omnia illa, quæ ſunt in ſpeculo; ita dicendum de ſubſtantia Angeli. Tum quia ſubſtantia Angeli repræſentat omnia illa, quæ continentur formaliter in ipſa; licèt diſtinguantur ab ipſa realiter; vt diximus de ſpeculo,quod repræſentat imagines rerum, quæ procul dubio diſtinguuntur realiter ab illo. Tum quia ſicut per ſpeciem alterius Angeli cognoſcuntur etiam accidentia propria illius Angeli,ita per ſubſtantiam propriam cognoſcuntur accidentia propria; cùm ſubſtantia reſpectu ſui ipſius præſtet omnia, quæ præſtaret propria ſpecies; ſed propria ſpecies repræſentaret ſubſtantiam,& accidentia:ergo & ſubſtantia.Tum quia quod eſt ratio eſſendi,eſt ratio cognoſcendi;cùm cognoſci ſequatur ad eſſe tanquam paſſio illius; ſed ſubſtantia Angeli eſt ratio eſſendi ſuarum paſſionum, quæ ab illa dimanant; ergo eſt ratio illas cognoſcendi.

36 Dices.*D.Dion.de Cæl.Hier.c.9.* ait *Angelos ignorare proprias virtutes.*

Reſp.*textum* illum eſſe erratum; etenim alia editio loco *ignorare* habet *cognouiſſe*; vt teſtatur *D.Tho.hic art.1.ad 1.*

ART. II.

An Angelus cognoſcat alia à ſe per ſubſtantiam propriam, vel alienam?

1 Certum eſt quemlibet Angelum cognoſcere alios Angelos quiditatiuè abſtractiuè adæquatè; vt diximus *to. 1. De Subſt. Dei q.1.art.1.§.1.n.8.& 14*; quia cùm obiectum naturale intellectus Angelici ſit tota quiditas naturalis; intra cuius latitudinem eſt omnis Angelus; ideo quilibet Angelus naturaliter cognoſcit omnes alios Angelos.

2 Nullus tamen Angelus poteſt alium cõprehendere comprehenſione propriè dictã; ſiue ſit inferior,ſiue ſit ſuperior; quidquid dicãt *Thomiſtæ*, quorum comes eſt *noſter Gibb*, vt diximus *vbi ſ.de Inuiſib.Dei q.5.art.1. à n.3.* Dubium ergo eſt ſolùm de medio cognoſcendi.

3 Prima ſententia fuit cuiuſdam *Clementis* Philoſophi, vt refert *D. Dion. de Diuin. Nomin. c.5.apud Fund.Doct.in hac diſt.3.q.2.p.2.art.1.in reſol.dub.1.§.Propter primum*,qui cenſuit Angelos perfectiores eſſe exemplaria Angelorum inferiorum eò, quia *quæ diſperguntur in inferioribus, continentur in ſuperioribus*; & ideo per proprias ſubſtantias,tanquam per idæas,cognoſcere Angelos inferiores.

4 Secunda ſententia vult Angelum cognoſcere alios Angelos immediatè per eſſentias illorum.Ita *quidam* ſuppreſſo nomine allati *à Fũd. Doct.vbi ſ.dub.2*; quos ſequitur *Mol. 1.p. q. 56. art.2. dub.5.*

5 Communis tamen ſententia docet Angelum non cognoſcere alios Angelos per ſuam ſubſtantiam, nec per ſubſtantiam illorum. *Ita Fund.Doct.vbi ſ.in reſol. dub. 1. & 2; & de Cogn. Ang.q.2; & 3; Argent; Greg.hic diſt.7.q.3. art.3; Gibb.diſp.22.dub.2; & communiter omnes noſtri*.

Cou-

Conſentiunt *Thomiſtæ*, *Salm. 1. p. q. 56. diſp. 6. dub. 2. §. 2. n. 33, Sua. c. 3. n. 12; & alij*.

6 Not; quòd hic non loquimur de cognitione *quoad an eſt*, qua cognoſcitur alios Angelos exiſtere; ſed de cognitione *quoad quid eſt*, qua cognoſcitur exiſtentia Angelorum quiditatiuè adæquatè cognoſcendo omnia prædicata eſſentialia, & attributalia, quæ ſunt in eſſentia Angeli. Igitur quanuis per exiſtentiam cuiuſcunque effectus poſſit cognoſci exiſtentia cauſæ *quoad an eſt*; attamen nequit cognoſci cauſa *quoad quid eſt*; ſed tunc ſolùm cognoſcitur cauſa *quoad quid eſt*, quando effectus eſt vniuocus, & cognoſcitur *quoad quid eſt*; cùm enim effectus vniuocus ſit naturalis ſimilitudo ſuæ cauſæ, quia procedit ab illa in ſimilitudinem naturæ; ideo ex cognitione quiditatiua effectus poſsumus deuenire in cognitionem quiditatiuam cauſæ; habet enim hoc ſimilitudo ex ſua ratione formali, vt poſſit repræſentare, & eſse medium cognoſcendi illud, cui eſt ſimile, vt patet de imagine corporali. Effectus ergo habet eſſe mediũ cognoſcẽdi cauſam quiditatiuè, non vt effectus, ſed vt ſimilitudo; ex quo deducitur, quòd ad hoc, vt aliquod ſit medium cognoſcẽdi aliud quiditatiuè, requiritur, quòd ſit naturalis ſimilitudo illius; nulla enim res poteſt per aliam cognoſci, niſi per illam repræſentetur; nec poteſt repræſentari, niſi ſit ei ſimilis.

7 Dupliciter autem aliquod poteſt eſſe ſimilitudo alicuius rei. 1. Si ſit idæa illius, per quã producitur, vt eſt idæa cuiuſcunque creaturæ in mente Dei, vel idæa creata in mente Artificis creati, à qua procedit res artefacta. 2. Si ſit ſimilitudo, vel imago deriuata, & producta ab ipſis rebus, vt eſt ſpecies, qua mediante noſter intellectus intelligit res, vel imago artificialis facta ad ſimilitudinem rei artefactæ, quæ vulgò dicitur *copia*. Ad rationem autem imaginis, & ideæ, vt diximus *to. 1. de Ideis; & to. 2. de Trin. q. 1. art. 3*; requiritur, quòd repræſententur rationes particulares, & indiuiduales; in hoc enim diſtinguitur imago, & idæa à veſtigio. *Hoc ſupp.*

8 Vnica concl. Angelus nõ cognoſcit alios Angelos per ſuam ſubſtantiam, nec per alienam.

Prob. 1. pars concl. à *Fũd. Doct. ex D. Dion. vbi ſup*; vbi ait: *Si Philoſophus Clemens probat exemplaria dici in exiſtentibus principaliora, procedit non propria, & perfecta, & ſimplici nominatione ſermonis*. Ex quo triplex ratio eruitur. Prima ſic efformatur. *Ex Beatiſſ. P. Aug. lib. 83. qq. 46.* habetur *non eadem ratione conditum eſſe hominem, & equum, ſed ſingula proprijs ſunt creata rationibus*, ergo vna creatura nequit eſſe ratio propria idæalis repræſentans aliam creaturam, quod intelligendum eſt de creaturis ſpecie differentibus, vt eſt homo, & equus. Explicatur ant. Ab vna, & eadem ratione idæali nequeunt procedere diuerſa ſpecie idæata, quia ratio idęalis reſpicit formaliter idæata ſecundùm rationes indiuiduales, ſecundùm quas diuerſificantur, & ideo per illas diſtinguuntur, vt diximus ſuo loco; ergo idæatorum ſpecie diuerſorum ſunt diuerſæ ideæ. Prob. conſ. Ita ſe habet vnum idæarum reſpectu alterius idæati; ſicut vna idæa reſpectu alterius ideæ, ſed vna idæa nequit repræſẽtare aliã idæam, quia eſt illi diſſimilis; ergo neque vnum idæatum poteſt repræſentare aliud idæatum; quia eſt illi diſſimile. Atqui ſubſtantia vnius Angeli eſt vnum idæatum ſpecie diuerſum à ſubſtantia alterius Angeli; ergo nequit eſſe idæa repræſentans alterum Angelum, & ideo Angelus nequit cognoſcere alios Angelos per ſuam ſubſtantiam.

9 Dices. Species creata hominis v.g. diſtinguitur genere ab ipſo homine, quia illa eſt accidens, hic eſt ſubſtantia; & tamen repræſentat hominem; ergo hæc ratio non probat.

Reſp. diſt. ant. Diſtinguitur in eſſe intellectiuo, neg; nam in eſſe intellectiuo per eandem idæam Diuinam producitur homo, & ſpecies illius. In eſſe entitatiuo, conc; ſed ſic non eſt ſpecies.

10 Secunda ratio eſt. In tantùm Angelus ſuperior poſſet repræſentare Angelum inferiorem, in quantùm continet perfectiones, quę ſunt in Angelo inferiori; de ratione enim repręſentatiui eſt, quòd contineat perfectiones eſſentiales rei repræſentatæ ſaltem in eſſe intelligibili, ſi ſit repræſentatiuum intellectuale; ſed vnus Angelus non continet, niſi prædicata generica Angeli inferioris; quia non continet prædicata ſpecifica athoma, & indiuidualia, ſecundùm quæ deſumitur propria, & perfecta ratio ideæ, ſeu ſpeciei, vt dictum eſt; ergo ſubſtantia vnius Angeli nequit eſſe idæa quiditatiuè repræſentans alios Angelos, quia idæa quiditatiuè repræſentans propriè, & perfectè debet continere omnia prædicata propria, & perficientia rem repræſentatam, quæ ſunt prædicata indiuidualia, quæ habent perficere, & complere naturam.

11 Conf. De ratione ideæ eſt, vel quòd ab ipſa oriatur idæatum; propter quod *D. Dion. vbi ſup.* vocat eas *ſubſtantificas*; idèſt effectiuas ſubſtantiarum; & *Beatiſſ. P. vbi ſ.* ait: *Secundùm eas formari dicitur omne, quod oritur*; vel quòd ipſa oriatur ab idæato, vt patet de ſpecie à rebus accepta; & de imagine ab originali depicta; ſed ab vno Angelo nequit alter oriri; nec ipſe ab altero; aliter inter illos daretur generatio ſubſtantialis, ergo vnus Angelus nequit eſſe idæa, vel ſpecies alterius; & ideo per ſe ipſum nequit alium cognoſcere.

12 Tertia ratio ſic formatur. Singulæ creaturæ ſunt formatæ diuerſis idæis, ſeu rationibus intellectualibus; ergo rationes cognoſcendi diuerſas creaturas ſunt diuerſæ; ſed per ſubſtantiã vnius Angeli cognoſcitur ille idem Angelus; ergo nequit cognoſci alter Angelus; ſecus eadem eſſet ratio cognoſcendi diuerſas creaturas; atque

adeo

adeo alter Angelus nequit cognoſci niſi per aliquod ſuperadditum eſſentiæ Angeli cognoſcentis,quod ſit repræſentatiuum alterius Angeli; & ideo eſſentiæ Angeli non ſunt exemplaria ſimplicia aliorum Angelorum,ſed compoſita ad differentiam Diuinæ eſſentiæ; quæ eſt exemplar proprium, perfectum, & ſimplex omnium creaturarum; quia continet omnes creaturas ſecundùm omnes rationes vniuerſales, & particulares perfectiſſimè, & cum ſumma ſimplicitate.

13 Conf. Sicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci;ſed ſubſtantia vnius Angeli nequit eſſe ſubſtantia alterius Angeli; ergo neque ratio cognoſcendi vnum Angeli poteſt eſſe ratio cognoſcendi alterum. Atqui per ſuam ſubſtantiam Angelus cognoſcit ſe ipſum; ergo per eandem nequit cognoſcere alios à ſe.

14 Prob.2.pars concl. *ab eodem dub.2.vbiſ.* Subſtãtia vnius Angeli eſt improportionata virtuti intellectiuæ alterius Angeli;ergo per ſe ipsã nequit cognoſci ab altero Angelo. Patet conſ; quia ad quamlibet actionem requiritur proportio potentiæ cum obiecto; aliter non eſſet ratio, cur potẽtia non poſſet agere in quodlibet; quod eſt manifeſtiſſimè falſum. Prob.ant.Improportio potentiæ triplex eſt;ſcilicet per ordinem ad ſubſtantiam, cuius illa potentia eſt virtus; per ordinem ad obiectum; & per ordinem ad actionem, ſeu ad modum agendi; *ſubſtantia* enim,*virtus,& operatio* per ordinem ſe habent; nam ex eo,quòd aliqua virtus ſit in aliquo ſubiecto, limitatur ad terminos illius; aliter eſſet in illo, & extra illud; ſic videmus, quòd in ſubſtantia perfectiori eſt virtus excellentior; in inferiori verò minùs excellens; & ideo virtus debet proportionari cum ſubiecto; & ex eo, quòd virtus ſit à ſubiecto determinata, & limitata,habet, quòd non poſsit ferri in obiectum maius ſe ipſa; & conſequenter quòd nõ poſſit elicere actionem perfectiorem ſe ipſa; ideo debet proportionari cum obiecto; tandem ex eo, quòd agens debeat tangere paſſum; ideo actio debet proportionari cum præſentia obiecti; ſed ſubſtantia vnius Angeli eſt improportionata ſubſtantiæ alterius, & obiecto virtutis cognoſcitiuæ,& actioni, ſeu modo agendi;ergo eſt ſimpliciter improportionata. Prob. hæc mi.Vel ſubſtantia Angeli, qui cognoſcitur, eſt ſubſtantia Angeli ſuperioris; & ſic patet eſſe improportionatam ſubſtantiæ Angeli inferioris, quia illam excedit; & omnis exceſſus improportionem facit;& ideo Angelus inferior nequit cognoſcere ſuperiorem per ſubſtantiam illius. Vel eſt ſubſtantia Angeli inferioris; & ſic licèt non eſſet improportionata in ratione ſubſtantiç,quia eſt infra illam, & ideo continetur ſub illa; eſſet tamen improportionata in ratione obiecti; quia obiectum debet mouere potentiam intellectiuã, & cauſare in illa intellectionem, vt qualitas eſt; vt diximus ſuperiùs; illud autem, quod eſt inferius,nequit agere in ſuperius;quia, vt docet *Beatiſſ.P.lib.12.de Gen.ad lit.c.15;omne agens eſt præſtantius patiente*; & ideo omne inferius eſt improportionatum ſuperiori in ratione agẽdi; quapropter Angeli ſuperiores illuminant quidem inferiores,non è contra; Angelus autem inferior nequit eſſe præſtantior Angelo ſuperiori; aliter eſſet inferior,& ſuperior. Tandẽ eſſet improportionata in ratione actionis, ſeu in modo agendi; nam cùm obiectum,vt intelligatur,debeat cauſare in intellectu actionem intellectiuam; & *omnis cauſa in tantùm agat; in quantùm tangit ex Phil. 11.Met; & 1.de Gen. c.de Act; & paſſ.* ſubſtantia autem vnius Angeli nequit tangere ſubſtantiam alterius;aliter illi illaberetur, quod implicat; ergo eſt improportionata tum ſubſtãtiæ,tum obiecto,tum actioni,ſeu modo agendi.

15 Probat igitur *Fund.Doct.*quòd Angelus ſuperior nequit cognoſcere inferiorem duplici ratione. Prima eſt. Obiectum cognitum debet cauſare efficienter in cognoſcente actionem intellectiuam; ſed res inferior nequit agere in ſuperiorem; quia agens eſt præſtantius patiente; ergo Angelus inferior nequit cognoſci per ſuam ſubſtantiam à ſuperiori.

16 Secunda eſt. Obiectum debet eſſe præſens potentiæ ipſam tangẽdo,quia in ipſam agit; ſed ſubſtantia Angeli inferioris nequit tangere intellectum Angeli ſuperioris, quia ille cõtactus non eſſet ſitualis, vt patet; Angeli enim carent mole,per quam occupatur ſitus; neque eſſet informatiuus; quia ſubſtantia vnius Angeli nequit informare aliquod ſubiectum; cùm ſit forma cõpleta,neque ſimpliciter extrinſecè aſſiſtens, quia obiectum ita debet eſſe intra intellectum,vt fiat vnum cum illo;neque eſſet per identitatem;quia vnus Angelus diſtinguitur realiter ab Angelo; neque per colligationem naturalem; quia ſic nõ poſſent ſeparari,ſicut paſſiones;ergo eſſet contactus eſſentialis, qui fit per illapſum; ſed illapſus repugnat creaturæ; nam vt ſuo loco videbimus, illapſus fit intra eſſentiam ad conſeruandam illã in eſſe;quæ ſine illo nõ conſeruaretur; ergo ſubſtantia vnius Angeli nequit per ſe ipſam intelligi ab altero Angelo.

17 Obijc.1.cont.1.part.concl.*Beatiſſ.P. lib. 9.de Trin.c.3.ait:Mens ſicuti corporearum rerum notitias colligit per ſenſus corporum,ſic incorporearum per ſe ipſam*; ergo ſi anima noſtra cognoſcit Angelos per ſe ipſam;à fortiori Angelus cognoſcit alios Angelos per ſe ipſum.

Reſp. *Beatiſſ. P.* nihil aliud intendere, niſi quòd anima cognoſcendo per ſpecies acceptas à corporibus ſe ipſam; ex hac cognitione, qua cognoſcit ſe ipſam, aſſurgit in cognitionem Angelorum;ſemper tamen per ſpecies. Addit *Fund. Doct.in 2.vbi ſ.ad 3*; quòd anima intelligit ſpiritualia per ſe ipſam cognitione habituali, non actuali; vt diximus *in ſup.art.n.20.*

18 Obijc.2.*Auctor de Cauſis prop.11.*habet: *In-*

Digitized by Google

Intelligentia intelligit res per eſſe ſuum;& prop.8. dicitur *ſcire res per modum ſubſtantiæ ſuæ*;ſed eſſe intelligentiæ eſt ſubſtantia Angeli; ergo Angelus intelligit res per ſuam ſubſtantiam. Præterea *3.de An.t.c.6.* anima dicitur *ſpecies ſpecierũ*; ergo multò magis Angelus.

Reſp. intentionem *Procli in illa propoſitione* nihil aliud eſſe, quàm quòd Intelligentia non poteſt immediatè producere corruptibilia, quia eius ſubſtantia, & eius eſſe eſt incorruptibile; diſt.ergo ma. Intelligit res per eſſe ſuum immediatè,& proximè,neg;radicaliter,& remotè,cõc. Ad aliud dicitur legendum eſſe: *Eſt locus ſpecierum*; ſic enim ſonat *in Græco*. Vel dicitur ſpecies ſpecierum, quia ipſa eſt id, quo recipiuntur ſpecies;ſicut manus dicitur organum organorum. Vel dicitur, quòd eſt ſpecies ſpecierum,quia recipiẽdo ſpeciem fit ſpecies; nam intellectus fit res intellecta.*Vid.Fund.Doct.*

19 Obijc. 3. Ad hoc, vt eſsentia Angeli ſit forma intelligibilis,non exigit neceſsariò continere actu alia à ſe;nam ſpecies lapidis v.g. non continet lapidem; quia ſpecies eſt accidens, & lapis eſt ſubſtantia;accidens autem nequit continere ſubſtantiã; ergo licèt eſsentia vnius Angeli non contineat actu,& perfectè eſsentiã alterius, poteſt eſse ratio illum cognoſcẽdi. Tum quia ad hoc,vt eſſentia Angeli ſit ratio intelligendi alia à ſe,ſufficit,quòd ſit radicaliter intellectiua aliorum à ſe;nam ſicut ex eo, quòd omnipotentia ſit factiua omnium poſſibilium,dicitur ratio faciendi poſſibilia; ita ex eo, quòd natura Angelica ſit intellectiua aliorum à ſe,dicitur ratio intelligẽdi alia à ſe,ergo non requiritur, quòd eſſentia Angeli actu contineat alia à ſe.

Reſp.diſt.ant. Nõ exigit continere actu alia à ſe in eſſe intelligibili,neg;in eſſe phyſico,conc. Species igitur lapidis licèt non contineat ſubſtantiam in eſſe phyſico, quia phyſicè conſiderata eſt accidens;attamen in eſſe intelligibili poteſt continere ſubſtantiam,& accidens; quia ſic conſiderata præſcindit à ſubſtantia,& accidente. Ad 2.neg. ant; ſi enim verum eſſet,nulla daretur neceſſitas ſpeciei, aut vnionis obiecti cum potentia, quod ſecundùm omnes eſt ſalſum. Ad prob. dicitur, quòd omnipotentia in tantùm eſt ratio faciendi poſſibilia,in quantùm actu continet eſſe omnium poſſibilium eminenter;ita à pari.

20 Obijc. 4. Per eandem cognitionem, qua Angelus cognoſcit genus, cognoſcit etiam omnes differentias poſſibiles illius generis; ſed genus,ex quo componitur ipſe Angelus,cognoſcit per ſuam ſubſtantiam; ergo per ſuam ſubſtantiã cognoſcit etiam alios Angelos; quia ad hoc, vt cognoſcat quiditatiuè alios Angelos, ſufficit, quòd cognoſcat genus, & differentiam; ex quibus componitur eorum natura. Prob.ma. Angelus cognoſcit diſtinctè genus, ex quo ipſe componitur;nam ſi cognoſceret confusè, nõ cognoſceret intuitiuè,& clarè ſe ipſum; ſed nequit cognoſcere diſtinctè, niſi cognoſcendo omnes differentias illius; ergo cognoſcit diſtinctè omnes differentias illius.

Reſp. neg.ma. Ad prob. diſt. ant. Angelus cognoſcit per ſuam ſubſtantiam genus, ex quo componitur, prout contractum ad talem differẽtiam;conc; ſic enim componit ſubſtantiã illius;& ideo ex vi ſuę ſubſtantiæ illud tantùm hoc modo cognoſcit; prout cõuenit omnibus Angelis,neg; ſic enim non componit eius ſubſtantiam.

21 Obijc.5.Res habent eſſe in Verbo, in ſe ipſis,& in mentibus Angelorum;ſed in Verbo,& in ſe ipſis habent eſſe ſubſtantialiter; ergo & in mentibus Angelorum; quia eſſe in mẽtibus Angelorum eſt medium inter habere eſſe in Verbo, & in ſe ipſis;medium autem participat naturam extremorum. 2. Subſtantia plus conuenit cum ſubſtantia,quàm cùm accidente;ſed per ſpeciem, quæ eſt accidens,poteſt cognoſci alter Angelus; ergo à fortiori per ſubſtantiam. 3. Si ſpecies intelligibilis eſſet quid per ſe ſubſiſtens, cognoſceret ſe ipſam, & alia à ſe, nempe repræſentata per illam ſpeciem; ſed ſubſtantia Angeli eſt per ſe exiſtens;ergo per illam cognoſcitur Angelus, & alia ab Angelo. 4. Species eſt aliud ab Angelo;ſed ſpeciem nõ cognoſcit per aliam ſpeciem; aliter iretur in infinitum; ergo Angelus non cognoſcit alia à ſe per ſpeciem.

Reſp.*Fund.Doct.de Cog.Angel.q.2*.neg.cõſ; nam in Deo ſunt ſubſtantialiter propter ſummã Dei ſimplicitatem;& in ſe ipſis,quia ſunt per ſuã ſubſtantiam; at verò in mentibus Angelorum nõ ſunt per ſuam ſubſtantiam; quia ſubſtãtia nequit eſſe in accidente;aut in alia ſubſtantia niſi per illapſum, vt dictum eſt; ideo ſunt accidentaliter per ſpeciem. Eſſe autem in mẽtibus Angelorum dicitur eſſe medium quantùm ad nobilitatem, nõ quantùm ad naturã;idèſt quatenus res habet ſpiritualius eſſe, & ideo nobilius in mente Angelorum,quàm in ſe ipſa.Additur, quòd idem argumentum poteſt fieri de intellectu humano; nam res habent eſſe in Verbo, in intellectu noſtro,& in ſe ipſis; & tamen in intellectu noſtro non habent eſſe ſubſtantialiter. Tandem hoc nimis probat; quia concludit Angelum cognoſcere per ſe ipſum nedum alios Angelos, ſed etiam res corporales. Ad 2.diſt.ma. Plus conuenit in eſſe entis,cõc;in eſſe intelligibili,neg. Ad 3.neg. 2.pars ma;nam ſi ſpecies eſſet per ſe exiſtens,haberet eſse determinatum ad repræſentandam ſe ipſam; ſicut habet ſubſtantia Angeli. Vel neg. conſ;& diſparitas eſt; quia illa ſpecies eſſet eiuſdem naturæ in eſſe intelligibili cum alijs à ſe; ſubſtantia autem Angeli eſt diuerſæ naturæ. Ad 4. diſt. ma. Species eſt aliud ab Angelo exiſtens extra Angelum, neg; exiſtens intra Angelum, conc;ſed neg.conſ; cùm enim dicimus Angelum non cognoſcere alia à ſe per ſuam ſubſtantiam, intelligimus de alijs à ſe exiſtentibus extra Angelum;illa enim, quæ ſunt in Angelo,cognoſcũtur

tur per ſubſtantiam Angeli.*Vid.Fund.Doct.vbiſ.*

22 Obijc.6.Angelus per ſuam ſubſtantiam naturaliter cognoſcit Deum; quapropter *Ezech.* 28. dicitur *Signaculum ſimilitudinis Dei*; ergo multò magis alios Angelos;quia habet maiorem ſimilitudinem cum alijs Angelis,quàm cū Deo.

Reſp. diſt. ant. Cognoſcit Deum quantùm ad *an eſt*,conc;quantùm *ad quid eſt*, neg; & neg. pariter conſ; quia in tantùm cognoſcit Deum quoad *ad an eſt*; quia eſt effectus illius;non autē eſt effectus alterius Angeli;cui eſt ſimilis tantùm imperfectè ſecundùm prædicata generica, non ſecundùm ſpecifica,& indiuidualia.

23 Obijc.1. cont.2.part.concl. *ex Sua*; cui non placet ratio allata de illapſu ſic. Illapſus eſt ille,per quem Deus intimè penetrat eſſentias rerum conſeruando,& continendo eas in eſſe cum abſoluto dominio,& plena poteſtate:ſed poſito, quòd vnus Angelus produceret aliquid in mente alterius,non conſeruaret,aut contineret illum in eſſe; neque haberet perfectum dominium illius;ergo non illaberetur. 2.Species à Deo producta in mente alicuius Angeli non dicitur illabi;quia non ingreditur terminos illius;ſed ſolùm illam circunſtat,& adiacet; ergo neque ſi eſsentia Angeli vniretur cum mente alterius Angeli, illaberetur; quia illa eſsentia non faceret plus, quàm facit ſpecies intelligibilis.

Reſp.neg.mi;ex eo enim, quòd intimè penetraret eſſe rei,faceret aliquo modo ad illud eſſe;facere autem ad eſſe rei eſt illud conſeruare,cùm iam eſt productum.Ad 2.neg.conſ;nam ſpecies eſt in mente per informationem, & per adiacientiam; at verò ſubſtantia eſſet per intimam penetrationem, vt dictum eſt.

24 Obijc.2.Ad hoc,vt aliquod intelligatur, non eſt neceſſe, quòd recipiatur in intellectu, ſed ſufficit,quòd ponatur in eius proſpectu;nam eſſentia Angeli intelligitur ab eodem Angelo,& tamen non recipitur in illo; quia repugnat ſubſtantiam recipi in accidente; & eſſentia Diuina intelligitur à Beatis, & tamen non recipitur in eorum intellectu;ergo allata ratio non probat.

Reſp. eſſe neceſſe aliqua vnione vniri; *ex vnione* enim *obiecti cum potentia paritur notitia*, quæ eſt proles vtriuſque; tum quia intellectus debet determinari ad intelligendum tale obiectum,& ſpecificari à tali obiecto;determinatiuū autem, & ſpecificatiuum debet eſſe vnitum rei ſpecificatæ,& determinatæ; ſecus res nunquam haberet tale eſſe ſpecificum.Vnio autem vel poteſt eſſe per receptionem informatiuam; vel per ſitualem iuxtapoſitionem; vel per naturalem colligationem, vt vnitur ſubſtantia cum ſuo intellectu;vel per illapſum,vt Diuina eſſentia cum intellectu Beatorum; ſed ſubſtantia vnius Angeli non poſſet vniri cum altero Angelo, niſi per illapſum,vt dictū eſt; quod repugnat;ergo nullo modo poteſt vniri.Diſt.ergo ant. Non eſt neceſſe,quòd recipiatur, vel vniatur, neg; quòd recipiatur, ſed tamen vniatur, conc.

25 Obijc.3.Subſtantia Angeli eſt actu per ſe intelligibilis; ergo poteſt per ſe ipſam ab alio Angelo cognoſci; quia enim eſſentia Diuina eſt actu per ſe intelligibilis; ideo per ſe ipſam cognoſcitur à creaturis, quæ ſunt aliud à Deo; & ideo à fortiori ſubſtantia vnius Angeli cognoſci poteſt ab altero Angelo; cùm intellectus Angeli habeat maiorem conuenientiam cum ſubſtantia alterius Angeli, quàm cum Diuina eſſentia. 2.Non minoris actualitatis, virtutis, & efficaciæ eſt ſubſtantia Angeli,quàm ſit anima rationalis, & proprietates illius;ſed anima rationalis poteſt vniri corpori; & proprietates eſſentiæ; ergo à fortiori ſpiritus poteſt vniri ſpiritui.

Reſp.diſt.ant.Eſt actu intelligibilis,& proportionata, neg; & improportionata, conc; ſed neg.conſ;ad cuius 1. prob.inſert. diſt. illa cauſalis; quia eſt actu intelligibilis, & vnita, conc; ſecus,neg.Ad aliud ſimiliter dicitur, quòd intellectus Angeli habet maiorem conuenientiam cū ſubſtantia alterius Angeli in ratione entis, non tamen in ratione obiecti.Ad aliud dicitur, quòd ſi valeret, concluderetur Angelum poſſe informare corpus;ſicut informat anima rationalis; vt tenuit *Origenes*; & inhærere ſubſtantiæ; ſicut inhærent proprietates. Diſt. igitur mi. Anima poteſt vniri corpori; & hoc dicit perfectionem virtutis,neg;imperfectionem,conc;dicit enim eſſe partem ſimul cum corpore conſtituentem compoſitum;pars autem deficit à toto, & omnis defectus imperfectio eſt. At verò Angeli,cùm ſint formæ completæ, & totales,nequeunt vniri per modum partis; hoc enim diceret in eis imperfectionem; quia deficerent à perfectione ſuæ totalitatis.

26 Obijc.4.Angelus ſuperior eſt multò formalior,& actualior Angelo inferiori;ergo Angelus inferior poteſt cognoſcere Angelos ſuperiores per ſe ipſos;nam maior formalitas, & actualitas eſt maior ratio cognoſcendi.2.Angelus ſuperior cauſat illuminationem in inferiori; ergo cauſat intellectionem in illo; & ideo per ſe ipſū intelligitur ab illo.3.Hoc eſt diſcrimē inter Angelum,& hominem; quòd homo cognoſcit res, prout ſunt in ſe ipſis,per conuerſionem ad phātaſmata; Angelus verò illas cognoſcit immediatè per ſe ipſas; aliter nullam rem ſingularem intelligeret; ergo cognoſcit res per earum eſſentias.

Reſp.ad 1. neg. conſ.Ad prob.inſert.diſt.Maior formalitas ſuppoſita vnione,conc;ſecus,neg. Ad 2.neg.conſ;nā illuminare non eſt cauſare intellectionē in intellectu Angeli inferioris;vt *inf.* videbimus. Ad 3. dicitur diſcrimen inter modū cognoſcendi Angelorum, & noſtrum eſſe; quòd illi intelligunt ſingularia per conuerſionem ad ſuas ſpecies, prout per illas repræſentantur res in ſe ipſis, quæ ſunt obiectum illarum ſpecierū; nos verò ſic non intelligimus ſingularia, quia

ſpecies à rebus accepta, dum immittitur in intellectum poſſibilem, ſpoliatur conditionibus indiuiduantibus, quæ ſunt materiales; nullum enim materiale poteſt recipi in intellectu, qui eſt ſpiritualis, quia illud eſſet improportionatum; & ſit vniuerſalis; & ſic per illam nequit repræſentari res ſingularis; atque adeo neceſſe eſt, quòd intellectus ad hoc, vt intelligat ſingularia, conuertatur ad phantaſmata, quæ habent conditiones indiuiduantes; & conſequenter illa repræſentant. At verò ſpecies Angelorum, cùm non ſint acceptæ à rebus per ſenſus, ſed ab Idæis Diuinis, quæ ſunt actualiſſimæ, & repræſentant res ſecũdùm gradus ſingulares, & vniuerſales; ideo non debent ſpoliari ſingularitate; quia talis ſingularitas eſt ſpiritualis; & non repugnat intellectui; aliter repugnaret etiam intellectui Diuino. *Vid. Fund. Doct. vbiſ. dub. 2. ad vlt.*

A R T. III.

An Angeli cognoſcant alia à ſe per ſpecies?

1 OStendimus *in ſup. art.* Angelum non cognoſcere alia à ſe per propriam, vel alienam ſubſtantiam; modò inquirendum eſt, quodnam ſit medium illa cognoſcendi? Alia autem ab Angelo vel ſunt alij Angeli; vel res materiales; de quibus omnibus procedit difficultas.

2 Prima ſententia vult Angelum cognoſcere alia à ſe per quendam habitum ſcientialem, quem habuit naturaliter ſibi congenitum faciẽtem omnia naturaliter cognoſcibilia ſibi præſẽtia. *Ita aliqui antiqui* ſuppreſſo nomine relati *à Fund. Doct. in 2. inf,* inter quos *Henr. Quodl. 3. q. 14.*

3 Secunda ſententia vniuerſaliter negans neceſſitatem ſpeciei ad cognoſcenda quælibet obiecta conſequenter negat Angelos cognoſcere alia à ſe per ſpecies aſſerens illa cognoſcere per propriam ſubſtantiam, & per ſuum intellectum; & nihil aliud ampliùs requiri. *Ita Dur. in 2. diſt. 3. q. 6; & aliqui Nominales, vt Gabr, Baſſol,* quibus adhæret *Vaſq. hic diſp.* 200. *c.* 3; vt refert *Conct.* Hanc ſententiam fusè impugnat *Fund. Doct. de Cog. Ang. inf.*

4 Noſtra tandem ſententia docet Angelos intelligere alia à ſe per ſpecies. *Ita Fund. Doct. hic diſt. 3. p. 2. q. 2. art. 2; & de Cog. Angel. q. 4; & Quodl. 3. q. 14; Greg. diſt. 7. q. 3. art. 3; Argent. q. 2. art. 4, Gibb. hic diſp. 21. dub. 1. & ex alijs D. Thō; Caiet. cum reliquis Thomiſtis; Salm; & omnes alij communiter;* pro cuius reſol.

5 Not; quòd *Auctores* ſecundæ ſententiæ differunt *ab Auctore* primæ ſententiæ allatæ *in ſup. art*; quòd *ille* volebat ſolùm eſſentiam Angeli ſuperioris eſſe medium ad cognoſcendum Angelum inferiorem eò, quia eſt exemplar illius, cùm contineat perfectiones illius; *iſti* verò indiſcriminatim volunt Angelum ſuperiorem ſine ſpecie cognoſcere inferiorẽ; & inferiorẽ cognoſcere pariter ſuperiorem ſine ſpecie; quia ad cognoſcendum ſufficit intellectus; nec requiritur idæa.

6 Vnica concl. Angelus nequit per habitũ ſibi connaturalem cognoſcere alia à ſe, ſed neceſſariò cognoſcit per ſpecies.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Beatiſſ. P. in lib. 83. qq. q. 46.* docẽte: *Non eadem ratione conditus eſt homo, qua equus; ſed ſingula proprijs ſunt creata rationibus.* Ex quo ſic arguit *Fũd. Doct. in 2. vbiſ.* Illud, quod eſt per ſe, & directè in aliquo genere, & ſpecie determinata, nequit repræſentare quiditatiuè rem diuerſi generis, & ſpeciei; ſed habitus per ſe, & directè eſt in aliquo genere, & ſpecie determinata; ergo nequit repræſentare quiditatiuè rem diuerſi generis, & ſpeciei; & per conſequens Angelus per vnum, & eundem habitum ſibi connaturalem nequit cognoſcere alia à ſe, quæ differunt genere, vel ſpecie. Mi. patet; nam habitus eſt in genere qualitatis; & eſt ſecũda ſpecies illius. Prob. ma. Illud, quod eſt in aliquo genere, & ſpecie determinata, habet quiditatem diuerſam ab eo, quod eſt in alio genere, & ſpecie determinata; quiditas enim rei componitur ex genere, & differentia; vnde ſi diuerſum eſt genus, & differentia, diuerſa quoque eſt quiditas; ſed quiditas diuerſa nequit repræſentare aliam quiditatem; quia eſt illi diſſimilis; repræſentatio autẽ fit ſolùm per ſimile; ergo illud, quod eſt per ſe, & directè in aliquo genere, & ſpecie determinata, nequit repræſentare rem diuerſi generis, & ſpeciei.

7 Dices. Species eſt in diuerſo genere, & ſpecie ab obiecto, quod repræſentat; nam ſpecies eſt accidens, & obiectum eſt ſubſtantia; accidens autem, & ſubſtantia ſunt diuerſa genera; ergo allata doctrina non ſtat.

Reſp. diſt. ant. Species materialiter ſumpta in eſſe entis, conc; formaliter in eſſe intelligibili, neg; nam ſpecies, prout ſpecies eſt formaliter, & per ſe, præſcindit à ratione ſubſtantiæ, & accidẽtis; importat enim ſolam, & puram repræſentationem, quæ poteſt competere ſubſtantiæ, & accidenti; ideo diximus, quòd illud, quod eſt per ſe, & directè in aliquo genere determinato; quia ſpecies tantùm indirectè, & materialiter ratione ſubiecti, in quo eſt, eſt in genere. Vnde concludit *Fund. Doct*; quòd ſpecies, & obiectum per illam repræſentatum non differunt formaliter, quia ſunt ab eadem idæa Diuina; ſed differunt tantùm materialiter; quia recipiuntur in diuerſis ſubiectis; ſpecies enim lapidis recipitur in intellectu; & forma lapidis recipitur in materia ſenſibili.

8 Conf. *ex eod.* euertendo fundamentum *Henr.* In tantùm Angelus poteſt per vnum habitum cognoſcere alia à ſe; quia *fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora*, & ideo non eſt neceſſe ponere pluralitatem ſpecierum, cùm per vnum habitum poſſint cognoſci; ſed per vnum habitum nequeunt cognoſci plura diuerſi generis;

ris; nam quanuis vnus habitus poſſet repræſentare aliud à ſe;non tamen poſſet repræſentare plura diuerſi generis; ſicut quanuis ſpecies hominis poſſit repræſentare hominem;non tamen poteſt repræſentare leonem; ergo Angelus nequir per vnum habitum cognoſcere alia à ſe.

9 Prob.2.*ab eod.ibid.*Habitus propriè ſũptus datur tantùm ad faciliùs,non ad ſimpliciter agẽdum ita, quòd potentia, licèt ſine habitu non poſſit agere tam faciliter, poteſt tamen agere cũ difficultate; ſed ſine tali habitu connaturali non poteſt intellectus Angeli cognoſcere alia à ſe; vt volũt *Aduerſarij*; ergo Angelus pèr habitum naturalem non cognoſcit alia à ſe.

10 Prob.3.*ab eod.* Ad id, ad quod ex natura determinamur, non datur habitus; vt v. g. ad videndum, audiendum &c; ſed Angelus intelligens per illum habitum naturalem determinaretur à natura ad intelligenda alia à ſe; ergo ille habitus non eſſet habitus propriè dictus. Maior patet; quia potentia viſiua non indiget habitu ad videndum; quia ex natura ſua determinata eſt ad viſionem. Prob. mi. Illud determinatur à natura ad aliquam actionem, quod determinatur per aliquod naturaliter cõſequẽs naturam;vt v.g. homo determinatur à natura ad videndum,quia determinatur per potentiam viſiuam,quæ naturaliter conſequitur naturam humanam; ſed Angelus determinaretur ad intelligenda alia à ſe per illum habitum, qui naturaliter conſequeretur naturam ipſius; quia eſſet inditus à natura,ſicut eſt indita potentia viſiua naturæ hominis; nõ enim eſſet habitus acquiſitus; ergo Angelus intelligens per illum habitum cõnaturalem eſſet determinatus à natura ad intelligenda alia à ſe; & ideo ille habitus non eſſet habitus.

11 Conf. *ex eod.* Habitus ponitur ad ſuperandam difficultatem in opere; ſed in Angelo nulla eſt difficultas;quia cùm ſit ſeparatus à materia,non habet,à quo poſſit retardari,aut impediri in ſua operatione;nam *Sap. 9.* ſolum *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*; ergo ille habitus Angelo connaturalis eſt omnino chimæricus.

12 Prob.2.pars concl.1.Negare ſpecies repræſentatiuas rerum cognitarum eſt *contra SS. PP;& Philoſophos*; ergo Angelus neceſſariò cognoſcit alia à ſe per ſpecies. Prob. 1. pars antec. *Beatiſſ.P.lib.10.de Trin.c.5.* expreſsè eas admittit;docet enim: *Quia non poteſt anima ſecum introrſus tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipſa corpora inferre,imagines eorum conuoluit, ac rapit;*quod ſæpe repetit *lib.11;*& *lib.12.ſup.Gen. ad lit.c.16. Cùm aliquid oculis cernitur,continuò fit imago eius in ſpiritu,ſed non dignoſcitur facta, niſi cùm ablatis oculis ab eo, quod per oculos videbamus, imaginem eius in animo inuenerimus*; & paulò poſt dat exemplum *de Balthaſſare*, cui videnti manum ſcribentem in pariete imago illius manus impreſſa eſt in animo;per quam recordabatur illius viſionis,& intuebatur tanquam præſentem,etſi eſſet preterita: Et deinde:*Imago rei, quæ oculis cernitur, fit in ſpiritu;& illa tranſacta manet impreſſa ſpiritui. Et c.46. Eò, quòd corpus ſenſu corporis tangitur, fit etiam,in animo tale quid, non quòd hoc ſit, ſed quòd ſimile ſit. Et 10. Confeſſ. c. 8. In memoria ſunt theſauri innumerabilium imaginum;& c. 11. Iſtæ quippe res non intromittuntur ad eam, ſed earum ſolæ imagines mira celeritate capiuntur;& miris tanquam cellis deponuntur;& mirabiliter recordando proferũtur; & D.Dion.7.de Diuin.Nomin.*vocat *Angelos plenos formis*; quod ſæpe repetit *de Cæl. Hier; & D.Angel.in Monol. c.36;* ergo negare ſpecies eſt *contra SS.PP.*Prob.2.pars ant.*Proclus* prop.176. habet:*Omnis intellectus plenitudo eſt ſpecierum; & Auctor de Cauſis prop.* 10. *Omnis intelligentia eſt plena formis;& Phil.3.de An.*habet;*Anima eſt locus ſpecierum,ſed non tota, ſed intelligentia tantùm;*& deinde:*Oportet autem ipſas res eſſe in anima, aut earum ſpecies;* per quod reijcitur nomine ſpeciei intelligi intellectionem; ſi enim res eſſet in anima,non eſſet intellectio, quia intellectio eſt actus vitalis productus ab anima. Et *Com.11. Met.* vult, quòd *balneum habeat duplicem formam in anima,& extra animam*; forma autem in anima eſt ſpecies,non cognitio; ſubdit enim, quòd forma in anima mouet ad cognitionem; idem autem nequit mouere ad ſe ipſum; & *Beatiſſ.P.* ait ex obiecto, & potentia gigni notitiam,& ideo ſpecies,quæ gerit vicem obiecti,nequit eſſe idem cum intellectione, quia idem nequit gignere ſe ipſum;pro quo *Vid. noſter Greg. vbi ſ.art.2.*ergo negare ſpecies eſt *contra Philoſophos.*Prob.conſ.Tunc ponitur ſpecies, quando obiectum per ſe ipſum nequit vniri in ratione obiecti cum intellectu; ex vnione enim vtriuſq; gignitur cognitio; ſed alia ab Angelo nequeunt per ſe ipſa vniri cum intellectu; vt dictum eſt *in ſup. art;* ergo Angeli intelligunt alia à ſe per ſpecies.

13 Prob. 2. exponendo illam auctoritatem *Beatiſſ.P.Ex obiecto, & potentia paritur notitia* ſic. Indifferens, & purè potentiale paſſiuum, vt indifferens, & purè potentiale eſt,nequit habere aliquam actionem; ſed intellectus Angeli ſecundùm ſe præcisè ſumptus eſt indifferens, & purè potentialis paſſiuus; ergo ſecundùm ſe præcisè ſumptus nequit habere aliquã actionem;& ideo, vt actu intelligat alia à ſe, eget ſpeciebus.Prob. ma;nam *agens in tantùm agit, in quantùm actu eſt*; quapropter communiter dicitur, quòd exiſtentia eſt conditio neceſſaria ad agendum; & ideo ignis,qui actu non eſt, nequit calefacere; nec ſufficit exiſtentia quæcunque,ſed debet eſſe exiſtentia ſecundùm illam formam, ſecundùm quam agit; aliter quodcunque poſſet agere in quodlibet,dummodò eſſet exiſtens;& ſic homo, qui non habet artem muſicæ,poſſet muſicè cane-

re; quapropter ad hoc, vt agens agat, debet eſſe in actu ſecundùm illam formam, ſecundùm quã agit; hinc materia, quia ſecundùm ſe ſpectata eſt indifferens, & merè potentialis paſſiuè, ac nullã formam includens; ideo nullius eſt actiuitatis; ſed indifferens, & purè potentiale paſſiuum nullam habet formam in actu; aliter eſſet determinatum, & actuale, non indifferens, & potentiale; quia forma eſt actus materiæ, & *actus eſt, qui determinat*; ergo indifferẽs, & purè potentiale paſſiuum, vt tale eſt, nequit habere aliquam actionem. Prob. mi. Intellectus Angeli ſecundùm ſuã entitatem præcisè acceptam eſt potentia vniuerſaliſſima potens tendere in quodlibet intelligibile; eius enim obiectum eſt intelligibile, *vt ſic*, præſcindens ab omni intelligibili particulari; aliter ſi ſecundùm ſe ipſum eſſet potentia determinata ad intelligendum aliquod obiectum particulare, non poſſet niſi illud intelligere; ſed omne vniuerſale eſt indifferens, & potentiale, vt patet de animali &c. ergo intellectus Angeli ſecundùm ſe præcisè acceptus eſt indifferens, & purè potentialis paſſiuus per ordinem ad quamlibet intellectionem.

14 Conf. 1. Quamuis intellectus Angeli ſit actuatus per ſuam ſubſtantiam; attamen eius ſubſtantia eſt forma intelligibilis ipſum determinãs ſolùm ad cognoſcendum ſe ipſum; ergo per ordinem ad alia à ſe ſine ſpeciebus eſt purè indifferens, & potentialis; ſicut materia, dum eſt ſub vna forma determinata, licèt actu ſit ſecundù illam formam, & ideo poſſit exercere actiones illius formæ; attamen eſt in potentia paſſiua ad alias, & ideo nequit exercere actiones aliarum.

15 Conf. 2. Materia non extrahitur à ſua indifferentia niſi per formam phyſicã, quæ eſt eius actus; ergo intellectus non extrahitur à ſua indifferentia, niſi per formam intelligibilem, quæ eſt eius actus; ſed nomine ſpeciei intelligimus formam intelligibilem actuantem intellectum, & conſtituentem ipſum potentem intelligere tale obiectum ſpecie; ergo præciſa tali ſpecie repræſentatiua, & determinatiua ad intelligendum tale obiectum intellectus Angeli nequit illud intelligere.

16 Dices. Superiùs dictum eſt intellectum Angelicum differre ab humano, quia iſte eſt purè potentialis, ille verò actualis; ergo *hic* contradicitur.

Reſp. intellectum Angeli eſſe actualem, quia eſt informatus à ſua ſubſtantia in ratione obiecti, & à ſpeciebus ſibi congenitis; ſi autem non eſſet actuatus à propria ſubſtãtia, nec à ſpeciebus, nõ haberet, per quid diſtingueretur ab humano. Et per hoc magis roboratur concl; nã ideo intellectus humanus eſt purè potentialis in genere intelligibilium, quia naſcitur ſine omni forma intelligibili, quam acquirit ſolùm ab obiectis; ergo intellectus Angeli, quia eſt actualis, habet actu omnes formas intelligibiles rerum, quas intelligit.

17 Conf. 3. Ita ſe habet intellectus in ordine ad cognoſcendum; ſicut oculus in ordine ad videndum; vnaquæque enim potentia vniformiter comparatur ad ſuum obiectum; imò hac cõparatione ſæpe vtuntur *SS. PP; & Phil.* aſſerentes, *quòd ſicut potentia viſiua corporea eſt oculus corporis, ita intellectus eſt oculus animæ*; ſed oculus nequit videre obiecta, quæ non ſunt in ſuo proſpectu, niſi in imagine illa repræſentante; ergo intellectus Angeli nequit intelligere alia à ſe, quæ non ſunt ſibi præſentia in ratione obiecti, vt dictum eſt *in ſup. art*; niſi per imaginem, quæ ſpecies à nobis vocatur.

18 Prob. 3. *ex eod. Beatiſſ. P. 2. de Trin. c. 8*; vbi ait: *Ita fit, vt omnis, qui corporalia cogitat, ſiue ipſe aliquid confingat, ſiue audiat, vel legat, vel præterita narrantem, vel futura prænunciantem, ad memoriam ſuam recurrat; & ibi reperiat modum, atque menſuram omnium formarum, quas cogitans intuetur*. Ex quo ſic arguit *noſter Greg. vbi ſ.* Experientia conſtat in nobis, quòd poſt viſionem alicuius obiecti v. g. leonis, remanet in nobis imago illius, quæ manet in proſpectu noſtri intellectus etiam abſente tali obiecto; videmur enim leonem videre intra nos, ſicut eum vidimus extra nos; etianſi ille leo ſit mortuus; hanc experientiam fatetur habuiſſe in ſe ipſo *Phil. lib. de Mem; & remin, & Beatiſſ. P. vbi ſ*; quã experientiam ſi *Scotus* negaret in ſe ipſo; reſpondet tamen *Greg.* credendum *Scoto* non eſſe; *ſuppoſito, quòd ipſe ſit homo vniuocè mecum*; ergo experientia conſtat ad intellectionem actualem requiri ſpecies; ſeu imagines rerum cognoſcendarum in nobis, ſed ex ijs, quæ videmus in nobis, ſolùm poſſumus ratiocinari naturaliter de ijs, quæ ſunt in Angelis; ergo Angeli cognoſcunt per ſpecies alia à ſe.

19 Præterea in hoc diſtinguitur intellectus à voluntate; quòd *intellectus noſter trahit res ad ſe, voluntas verò trahitur à rebus*; ſed intellectus nequit trahere ad ſe res ſecundùm earum entitatem phyſicam; aliter quis intelligens hominẽ exiſtentem *in India* traheret illum etiam inuitũ *in Italiam*, vbi reperitur intelligens; & Angelus exiſtens in Oriente non poſſet intelligere alterũ Angelum exiſtentem in Occidente niſi illum mutãdo de loco ad locum; quod eſt ridiculũ; ergo intellectus trahit ſpecies obiectorum; & ideo per ſpecies intelligit, atque adeò idem dicendum de Angelis.

20 Tum quia intellectus intelligens debet fieri res intellecta; quia *intellectus poſſibilis eſt omnia fieri: ſicut intellectus agens eſt omnia facere*; vt docet *Phil; & cum eo omnes communiter*; ſed nequit fieri res intellecta ſecundùm entitatem phyſicam, vt patet; aliter intelligens Pontificem fieret verè, & realiter Pontifex, & ſic nullam haberet neceſſitatem electionis; & intelligens lapidem fieret lapis; & ſicut lapis ſecundùm entitatem non intelligit, ſic intelligens lapidem non

eſſet

Digitized by Google

eſset intelligens,quod repugnat:ergo debet fieri res intellecta ſecundùm eſse intelligibile; atqui res nõ fit in eſſe intelligibili ,niſi per formam intelligibilem,quam dicimus ſpeciem;ſicut non fit res in eſſe phyſico niſi per formam phyſicam; ergo intellectus non fit intelligens, niſi per ſpeciem. Hoc vniuerſaliter probat de omni intellectu præſcindendo ab eo, quòd illa ſpecies ſit diſtincta,vel non;infuſa,vel acquiſita.

21 Tum quia intellectus habet formaliter aſſimilare;& ideo Verbum Diuinum procedit in ſimilitudinem naturæ, quia procedit per intellectum;ſed nequit fieri iſta aſſimilatio,niſi ponatur in intellectu ſimilitudo obiecti;non enim obiectũ aſſimilatur intellectui per aliquam ſimilitudinem intellectus poſitam in obiecto, quia obiectum nõ fit intellectus; ſed obiectum aſſimilatur intellectui per ſimilitudinem obiecti poſitam in intellectu; quia intellectus fit res intellecta; ergo in intellectu ponitur ſimilitudo obiecti; ſed nomine ſpeciei intelligimus ſimilitudinem obiecti; ergo in intellectu neceſſariò danda eſt ſpecies;& ideo nequit intelligere niſi per ſpeciem.

22 Obijc.1. Species vel ponitur propter aſſimilationem, vel propter productionem cognitionis; vel propter repræſentationem obiecti;vel propter determinationem potentiæ; vel propter vnionem mouentis,& moti? Non propter aſſimilationem;quia ſpecies eſt accidens,obiectum verò eſt ſubſtantia; accidẽs autem eſt diſſimile ſubſtantiæ, & ideo nequit ei aſſimilari; tum quia ſi ſpecies coloris eſſet ſimilis colori, redderet coloratũ oculum,& aerem, in quo recipitur. Non propter productionem cognitionis; nam in tantùm eſſet neceſſaria ſpecies ad productionem cognitionis;in quantùm obiectum materiale nequit agere in rem immaterialem, vt eſt intellectus;ſed hoc eſt falſum; aliter obiectum materiale non poſſet producere ipſam ſpeciem, quæ eſt immaterialis; & ſi poteſt producere ſpeciem immaterialem,poterit etiam producere cognitionẽ immaterialem. Tum quia cognitio eſt actio vitalis; ergo non producitur à ſpecie, quæ non eſt potentia vitalis,cùm oriatur ab extrinſeco,nempe ab obiecto; non ab intrinſeco, nempe à natura. Non propter repræſentationem;quia obiectũ præſens ex ſe ipſo ſufficiens eſt, vt videatur intuitiuè abſque ſpecie; nam obiectum ſicut habet ſe repræſentare intuitiuè,ita & abſtractiuè; tum quia ſi ſpecies eſſet neceſſaria ad repræſentandũ, maximè, quia obiectum eſſet diſtans; & nullum agens poteſt agere in diſtans; & ideo debet fieri præſens per ſpeciem; ſed hoc eſt falſum; aliter obiectum diſtans non poſſet cauſare ſpeciem in intellectu, niſi producendo aliquod præuium ad productionem ſpeciei, per quod fieret præſens; & ſic in infinitum. Non propter determinationẽ potentiæ;nam potentiæ determinãtur per actus, & actus per obiecta;ergo non egent determinari per ſpecies. Non propter vnionem mouẽtis cum moto; quia obiectum de facto non vnitur; ergo nulla eſt neceſsitas.

Reſp. eſſe neceſſariam propter omnia. Ad 1.dicitur aſſimilationem fieri in eſſe intelligibili,non in eſſe entitatiuo. Ad 2.neg.ma; nam phãtaſma,quod eſt materiale, poteſt inſtrumentaliter in vi intellectus agentis, qui eſt ſpiritualis, eleuari ad agendum in intellectum poſſibilem producendo ſpeciem intelligibilem; neceſſaria ergo eſt ſpecies;quia intellectus nequit actuare ſe ipſum; cùm idem nequeat agere in ſe ipſum; vt probatum eſt *to.2.de Scient Dei q.4.art.1.§.3; & loc.ibid.cit*,& ideo debet actuari ab obiecto,& propter rationes aſſignatas *to. 1. de Inuiſib. q.3. art.2*. Adducitur ergo non cauſa pro cauſa. Ad aliud dicitur actionem vitalem eſſe à principijs intrinſecis, quæ ſunt intra naturam, non quæ oriantur ab intrinſeco; nam viſio beata procul dubio eſt vitalis, quia eſt vita ſupernaturalis; & tamen eſt à lumine gloriæ,quod eſt intra intellectum, ortum tamen ab extrinſeco. Vel dicitur actionem vitalem eſſe à principio intrinſeco in genere cauſæ formalis, non in genere cauſæ efficientis,quæ eſſentialiter eſt cauſa extrinſeca. Ad 3.dicitur, quòd ſicut obiectum nequit videri intuitiuè, niſi ſit præſens per ſe ipſum, ita nequit videri abſtractiuè, niſi ſit præſens per ſpeciem. Ad aliud dicitur, quòd ad cauſandam ſpeciem non ſupponitur obiectum vnitum cum intellectu;ſicut ſupponitur ad cauſandam intellectionẽ; nam ſpecies non producitur ab obiecto ſimul,& intellectu;ſicut producitur intellectio;vnde quia intellectus actiuè concurrit ad producendam intellectionem, debet eſſe in actu ſecundùm illam formam,in quam agit;at verò quia ad cauſandam ſpeciem concurrit ſolùm paſſiuè illam recipiendo, non debet eſſe in actu, ſed in potentia. Ad 4. diſt.ant. Potentia determinatur per actum, qui eſt forma,conc;qui eſt operatio,ſubdiſt;determinatur ſpecie,neg;indiuidualiter,conc. Ad vltimũ diſt.ant. Non vnitur in eſſe entis,conc;in eſſe intelligibili,neg.*Vid.Greg.*

23 Obijc. 2. Vel illa ſpecies eſset eiuſdem rationis cum obiecto, quod repræſentat, vel diuerſæ rationis? Non primum;aliter ſpecies coloris v.g.redderet potentiam coloratam; ſicut color facit coloratum ſubiectum. Si ſecundum.ergo non poſſet repræſentare tale obiectum; quia repræſentatio nequit fieri per diſſimile.

Reſp.eſſe eiuſdem rationis in eſſe intelligibili,non in eſſe entis,vt dictum eſt.

24 Obijc.3. Poteſt volũtas abſque eo,quòd recipiat obiectum in ſe ipſa,terminari per ſe ipsã ad aliquod obiectum etiam abſens ad extra,ergo à pari de intellectu.

Reſp. 1. neg. conſ, & diſparitas attenditur penes diſcrimen, quod eſt inter intellectũ,& voluntatem; nam intellectus trahit res à ſe; & voluntas trahitur à rebus; & ideo ſicuti ex eo, quòd voluntas trahitur à rebus, debet vniri cum

illis

illis per trãſformationem, cùm ſit propriũ amoris transformare amantem in rem amatam; ita ex eo, quòd intellectus trahat res ad ſe, debet obiectum vniri cum intellectu, & fieri idem cum illo, vel ſecundùm ſe, vel per ſpeciẽ; quia intellectus eſt omnia fieri. Ad 2. neg. ant; nõ enim volũtas poteſt tendere in aliquam rem ad extra, niſi illa res ſit ſibi præſentata ab intellectu in eſſe obiectiuo, quod eſſe obiectiuum nihil aliud eſt, quàm ſpecies exiſtens in intellectu, quotieſcunque obiectum eſt abſens.

25 Obijc. 4. Noſter intellectus intelligit ſine ſpecie; ergo multò magis angelicus, qui eſt perfectior. Prob. ant. Si noſter intellectus intelligeret per ſpeciem, non indigeret phantaſmate ad actu intelligendum; ſed conſ. eſt falſum; docet enim *Phil*; & patet experientia nos actu non intelligere, niſi conuertamur ad phantaſmata; ergo noſter intellectus intelligit ſine ſpecie; ſi enim intelligeret per ſpeciem, poſſet per illam intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata.

Reſp. neg. ant. Ad prob. neg. ma; nam vt docet *Fund. Doct. de Cog. Angel. vbiſ*; anima noſtra, quandiu eſt coniuncta corpori cortuptibili, ita ab illo aggrauatur, vt non poſſit ita liberè, & expeditè ſe conuertere ſupra ſuas ſpecies, niſi dependenter à phantaſmate corporeo; & ſpecies exiſtens in anima coniuncta corpori debilitatur à ſubiecto, in quo eſt, nempe ab anima ita, vt non poſſit per ſe ipſam mouere intellectum ad intelligendum; & quia forma ab eo, à quo generatur, perficitur, & roboratur, vt patet de calore exiſtẽte in ligno, qui roboratur à calore ignis, à quo genitus eſt; ideo neceſſe eſt noſtrum intellectum, quoties vult aliquid actu intelligere, ſe conuertere ad phantaſmata, quæ illuſtrata lumine intellectus agentis habent magis intendere, roborare, actuate, & perficere illam ſpeciem, vt poſſit mouere intellectum ad actu intelligendum.

26 Obijc. 5. In hoc diſtinguitur noſter intellectus ab intellectu Angeli, quòd noſter eſt pura potentia; ille verò eſt actu intellectiuus; ſed ex eo, quòd noſter intellectus ſit pura potentia, indiget ſpeciebus; ergo ex eo, quòd intellectus Angeli ſit actus, non indiget ſpeciebus. 2. Si eſſet de ratione intellectus, quòd intelligeret per formam intelligibilem ipſum intrinſecè informantem; ſequeretur, quòd omnis intellectus etiam Diuinus intelligeret per formam intelligibilem intrinſecè informantem; ſed hoc eſt falſum, quia intellectus Diuinus, cùm ſit actus puriſſimus, nequit informari; & intellectus Angelicũs, quando cognoſcit ſe ipſum, nõ intelligit per informationem; ergo non eſt de ratione intellectus exigere formam intelligibilem.

Reſp. ad 1. *ſuperiùs* fuiſſe ſolutum; in hoc enim differt intellectus humanus ab Angelico; quòd iſte naſcitur ſine vlla forma intelligibili, & ideo eſt merè in potentia; ille verò productus eſt ſimul cũ ſpeciebus, & ideo eſt actu intellectiuus. Ad 2. dicitur eſſe de ratione intellectus intelligere per formam intelligibilem; quòd autem illa forma informet, vel non informet, accidentaliter contingit, quatenus illa forma eſt accidens, vel ſubſtantia; & ideo nec eſſentia Diuina reſpectu intellectus Diuini; nèc ſubſtantia Angeli reſpectu intellectus Angelici habet rationem formæ informantis, quia eſt ſubſtantia.

27 Obijc. 6. Si Angelus intelligeret per ſpecies deriuatas ab idæis Diuinis, darentur in intellectu Angelico infinitæ ſpecies; nam ideæ Diuinæ ſunt infinitæ ſecundùm numerum, quia idea reſpicit formaliter particularia, quæ ſunt infinita; ſed conſequẽs eſt falſum, quia infinitum creatum repugnat; ergo & ant.

Reſp. neg. ma; licèt enim Ideæ Diuinæ ſint infinitæ ſecundùm numerum, ſi ſumantur reſpectu poſſibilium, futurorum, & exiſtentium; attamen quia ab illis non deriuantur omnes ſpecies illarum in intellectũ Angeli, ſed tantùm ſpecies creaturarũ exiſtentiũ, quæ sũt finitæ; ideo ſpecies exiſtẽtes in intellectu Angeli nõ ſunt infinitæ. Sicuti quãuis eſſe creaturarũ in Deo ſit infinitũ; & eſſe creaturarũ exiſtentiũ deriuetur à Deo; attamen non ſequitur eſſe creaturarum exiſtentium eſſe infinitum; quia eſſe creaturarum exiſtentium non deriuatur à Deo ſecundùm totalitatem numeri, quam habet in Deo; ſicut nec deriuantur ſecundùm totalitatem numeri Idæarum Diuinarum ſpecies exiſtentes in intellectu Angeli. Vel dicitur ſpeciem Angeli repræſentare indiuidua, & eſſe vniuerſalem in repræſentando, vt patet de ſpeculo, quod repræſentat plura indiuidua ſecundùm proprietates indiuiduales, & ideo non eſſe tot ſpecies, quot indiuidua. *Sed de hoc inf.*

28 Obijc. 7. Si Angelus intelligeret per ſpecies; non poſſet aſſignari, per quid intellectus Angeli reduceretur in actum ſecundum; non enim per illas ſpecies hoc fieret; quia cùm illæ ſpecies ſemper informarent intellectum Angeli, ſequeretur Angelum ſemper, & neceſſariò intelligere; quod tamen eſt falſum; tum quia ita ſe haberet ſpecies ad intellectum Angeli; ſicut lux ad corpus, in quo eſt; & ideo ſicut quandiu lux eſt in ſubiecto, neceſſariò lucet; ita quandiu ſpecies eſſet in Angelo, neceſſariò intelligeret; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. inſert. dicitur reduci in actum per liberam applicationem voluntatis ſe conuertentis modò ſuper hanc, modò ſuper illam ſpeciem. Ad 2. neg. paritas; ſi enim corpus lucidum eſſet liberum; & lucere dependeret à voluntate illius, tunc non eſſet neceſſarium, ſed liberum; ſicuti eſt de facto intelligere in Angelis.

29 Obijc. 8. Species nequit eſſe ratio cognoſcendi aliud à ſe; ergo fruſtra ponitur. Prob. ant. Subſtantia Angeli, quæ gerit vicem ſuæ ſpeciei, nequit eſſe ratio cognoſcendi aliam ſubſtantiam; ergo neque ſpecies.

Reſp. diſt. ant. Aliud à ſe, cuius eſt imago,

neg;

neg:cuius non eſt imago,conc; ſpecies enim hominis eſt ratio cognoſcendi hominem, non leonem. Ad prob. dicitur,quòd ſubſtantia Angeli non eſt ſimilis ſubſtantiæ alterius Angeli.

30 Obijc.9. Si Angelus intelligeret alia à ſe per ſuam eſſentiam, eſſet creator per ſe illorum; ergo ſi intelligeret per accidentia ſuperaddita, eſſet creator per accidens.

Reſp.neg.conſinam ſi intelligeret per ſuam eſſentiam,illa contineret in eſſe phyſico in ſe ipſo;& ideo eſſet creator; quia in illo reſeruaretur omne eſſe;non autem ex eo, quòd illa contineat in eſſe intelligibili.

ART. IV.

An Angelus ſumat ſpecies à rebus?

1 SVpponimus ſpecies acceptas à rebus materialibus non poſſe recipi in noſtro intellectu niſi magiſterio intellectus agentis; cuius officium eſt denudare phantaſmata materialia à conditionibus materiæ, quæ ſunt *hic, & nunc*; nullum enim materiale poteſt recipi in ſubiecto ſpirituali. Igitur videndum eſt, an in Angelis detur intellectus agens; qui habeat ſpiritualizare phantaſmata accepta à rebus materialibus,& reddere apta, vt poſſint recipi in intellectu Angelico?

§. I.

An in Angelis ſit intellectus agens?

2 PRima ſententia abſolutè negat in Angelis intellectum agentem. *Ita videntur ſentire Thomiſtæ,& ferè plerique extra Scholam Nominalium; & Scot;* vt teſtatur *noſter Gibb. hic diſp.20.dub.2;Gonet;& alij 1.p.q.54.art.4.*

3 Secunda ſententia abſolutè concedit in Angelis intellectum agentem.*Ita Alen.p.2.q.22. memb.3; D.Bon.in 2. diſt.3.p.2. art.2.p.1; noſter Greg.in 2.diſt.7.q.5. art.1; Ric. diſt.3.art.6. q.2; Maior ibid.q.3; Scot.in 2. diſt. 3. q. 11; Tataret; Baſſol;Lichet;Fab;Rada; Ponc;Vulp; apud Maſtr. hic diſp.2.q.5.art.1;& alij Scoti ſequaces.*

4 Noſtra tamen ſententia docet in Angelis eſſe intellectum agentem quoad munus illuminandi intellectum poſſibilem; non tamen quoad officium depurandi phantaſmata materialia à conditionibus materiæ.*Ita Fund.Doct.Quodl.2. q.7;& de Cog.Ang.q.7; & in 2.diſt.24.q.1.art.4; & diſt.3.p.2.q.2.art.2. in reſol.3. dub. in reſp. ad arg.§.Ad tertium; & alibi;& 3.de An.* Hanc ſententiam docet etiam *D.Tho.q.10.de Verit.* in fine corp;*Caiet.3.p.q.9.art.4.circa dub.2.apud Io. à S.Tho.q.10. de An.art.2. difficult.3;* & videtur à nullo eſſe rationabiliter negabilis; *pro cuius explic.*

5 Not.*ex Fund.Doct.Quodl.vbiſ;* quòd primus,& præcipuus effectus, ſeu ratio ponendi intellectum agentem,eſt, vt illuminet intellectum, & manifeſtet obiecta intelligibilia; nam vt diximus *to. 1.de Inuiſib.q.2. art.2. n.5. ex Beatiſſ. P.* (cuius locus ex *Typographi* inſcitia erratus eſt; habētur enim verba illic citata *t.2.de Trin.c.vlt;* non autem *de Ciu. Dei*) omnis cognitio neceſſariò fit per lumen;vbi habet;*Credendum itaque eſt mentis intellectualis ita conditam eſſe naturam,vt omnia videat in quadam luce ſui generis*; quod tradit etiam *in pſ.41.col.2.*aſſerens:*Omnis,qui intelligit,luce quadam non corporali,non carnali,non exteriore, ſed interiore illuſtratur*. Et ratio eſt; quia implicat aliquem intellectum intelligere aliquod obiectum, quin illud obiectum manifeſtetur illi intellectui;ſed manifeſtatio eſt effectus formalis luminis, ſeu eſt ipſum lumen; vt docet *Apoſt.Omne,quod manifeſtat,lumen eſt*; ergo implicat dari cognitionem ſine lumine. Hoc autem lumen intellectus agentis eſt inſeparabile ab intellectu poſſibili; quia vt docet *Beatiſſ.P.de Spir. & An.c.12; Sicut Solem non videt oculus, niſi lumine Solis:ſic verum, ac Diuinum lumen non poterit intelligentia videre,niſi in ipſius lumine*, igitur lumen intellectus agentis ſe habet in ordine ad intellectum poſſibilem; ſicut lux Solis in ordine ad Solem;nam ſicut per lucem Solis manifeſtantur omnia corporalia; ita per lumen intellectus agentis manifeſtantur omnia obiecta;ſed lux Solis eſt inſeparabilis ab ipſo,cùm ſit proprietas illius;ergo & lumen intellectus agentis eſt inſeparabile ab anima, cuius eſt proprietas; & ideo inſeparabile ab intellectu poſſibili, qui eſt inſeparabilis ab anima. Addit *Fund.Doct;* quòd omnis qualitas naturaliter indita cuilibet ſubſtantiæ nō eſt deſtruibilis, niſi deſtruatur illa ſubſtantia, cui inhæret naturaliter;propter quod paſſiones fundatæ in ſubſtantia nunquam deſtruuntur,niſi deſtructa illa ſubſtātia; ergo lumen intellectus agētis, quod eſt naturaliter inditum animæ, eſt inſeparabile ab ipſa;ex quo deducit in anima ſeparata remanere intellectum agentem.

6 Præterea alter effectus intellectus agētis eſt irradiare ſpecies exiſtentes in intellectu, quæ nō ſūt viſibiles,niſi ſint apparentes, & manifeſtæ intellectui;& ideo niſi ſint lucidæ.Quia autē ſpecies aliæ ſunt congenitæ;aliæ à rebus acceptæ;& quia ſpecies à rebus acceptæ ſunt inuolutæ conditionibus materiæ;& ideo ineptæ,vt recipiantur in intellectu; ideo intellectus agens habet irradiare etiam phantaſmata,& illa eleuare,vt agant in intellectum poſſibilem, vt docet *Phil. 3. de An. t. c.18*;quod eſt denudare ſpecies materiales à cōditionibus materiæ. Hoc autem ei accidit per accidens, non per ſe; quia per ſe neque eſt virtus corporis, neque virtus exiſtens in corpore immediatè loquendo; nam eſt virtus animæ immediatè exiſtens in illa;per accidens ergo habet irradiare phantaſmata, quia exiſtit in anima, quæ, cùm ſit forma corporis, habet operari dependēter à corpore,& per conſequens dependenter à phantaſmate corporeo. Itaque cùm quælibet res poſſit eſſe ſine eo,quod ei competit per accidēs, poteſt dari lumen intellectus agentis abſque eo, quòd ei competat irradiare phantaſmata materia-

ria-

rialia; ſufficit enim, quòd illuminet intellectum poſsibilem, & ſpecies exiſtentes in illo, quod ei competit primariò, & per ſe. *Hoc not.*

7 Vnica concl. In Angelis verè, & propriè eſt intellectus agens quoad id, quod ei competit per ſe, non quoad id, quod ei competit per accidens.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſſ. P. lib. imperf. de Gen. ad lit. c. 5*; vbi poſtquam diſtinxit tres ſpecies lucis, vnam merè corporalem, quæ deſeruit viſioni oculari; alterã ſenſitinam internam, quæ deſeruit ſenſibus internis; & aliam intellectualem, quæ deſeruit potentiæ intellectiuæ ſpirituali concludit: *Siue ergo Lucem ætheream, ſiue ſenſualem, cuius animalia participãt; ſiue rationalem, quam Angeli, & homines habent à Deo factam primitus in rerum natura &c.* Ex quibus ſic. Ad omnem cognitionem intellectualem neceſſariò dandum eſt lumen intellectuale intrinſecè illuminans intellectum poſſibilem; ſed in Angelis eſt cognitio intellectualis; ergo in Angelis neceſſariò dandum eſt lumen intellectuale intrinſecè illuminans intellectum poſſibilem; atqui lumen intellectuale eſt intellectus agens, qui vocatur etiam lumen naturale, ſeu lumen rationis; ergo in Angelis datur intellectus agens. Prob. ma. 1. Ad omnem cognitionem ſenſitiuam ſiue externam, ſiue internam requiritur lumen ſenſibile externum, vel internum intrinſecè illuminãs talem potentiam cognoſcitiuam; & de externa patet; oculus enim orbatus lumine intrinſecè non poteſt videre; imò experientia conſtat, vt obſeruat *Fund. Doct. in 2. diſt. 24. vbiſ*; muſcipulam in nocte emittere ex oculis radios luminoſos, qui nequeunt eſſe niſi effectus lucis exiſtẽtis in oculis illius; lux enim externa non eſt; & de potentia interna ait *Beatiſſ. P. vbiſ*; quòd diſcernit inter colorem album, & nigrum; ſonum acutum, & obtuſum; amicitiam, & inimicitiam; ſicut autem oculus, qui eſt potentia externa, ſine luce nequit diſcernere vnum obiectum ab alio; ita potentia interna ſine luce nequit diſcernere vnũ ab alio; ergo & ad cognitionem intellectiuam neceſſarium eſt lumen intrinſecè illuſtrans intellectum. 2. Ad omnem cognitionem intellectiuam neceſſarium eſt, vt obiectum fiat manifeſtum potẽtiæ; quia neceſſarium eſt, vt obiectum per illam fiat cognitum; cognitum autem, & manifeſtum idem eſt; ſicut ignotum, quod opponitur manifeſto, idem eſt, ac incognitum, quod opponitur cognito; ſed omnis manifeſtatio eſt per lumen, vel eſt ipſum lumen, vt dictum eſt *ex Apoſt*; & patet de luce Solis, per quam manifeſtantur oculo hæc ſenſibilia; ergo ad omnem cognitionem intellectiuam neceſſarium eſt lumen intrinſecè illuminans intellectum.

8 Conf. Ad videndam Diuinam eſſentiam neceſſarium eſt admittere in ſubſtantia ſpiritali lumen ſupernaturale proportionatum obiecto; ergo ad videndum obiectum naturale neceſſariũ eſt ponere in ſubſtantia ſpiritali lumen naturale; quia ſicut ſe habet potentia ſupernaturalis ad obiectum ſupernaturale; ita potentia naturalis ad obiectum naturale; & ideo ſicuti ad hoc, vt potentia ſupernaturalis videat obiectum ſupernaturale, neceſſarium eſt lumen ſupernaturale intrinſecè illuſtrans intellectum poſſibilem ſubſtantiæ purè ſpiritalis; ita ad videndum obiectum naturale neceſſarium eſt lumen naturale intrinſecè illuſtrans intellectum poſſibilem; ſed Angelus eſt ſubſtantia ſpiritalis; ergo in ipſo eſt lumen naturale ad hoc, vt videat obiecta naturalia; nomine autem intellectus agentis intelligimus lumen naturale; ergo in Angelo eſt intellectus agens.

9 Tandem in anima ſeparata eſt lumen intellectus agentis; quia eſt proprietas illius, quæ nequit deſtrui niſi ad deſtructionem illius; ſed anima ſeparata eſt pura forma ſpiritalis; ergo neceſſariò admittendus eſt intellectus agens in forma purè ſpiritali; atqui Angelus eſt forma purè ſpiritalis; ergo in Angelo eſt intellectus agẽs.

10 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ. P. vbiſup.* docente: *Cùm autem dicimus manifeſtum eſt hoc canorum eſſe, manifeſtum eſt hoc dulce eſſe, manifeſtum eſt hoc frigidum eſſe, & quod fortè huius generis, per corporales ſenſus attingimus; hæc lux, qua iſta manifeſta ſunt, vtique intus in anima eſt; quamuis per corpus inferantur, quæ ita ſentiuntur.* Ex quo ſic. Intellectus agens quoad munus irradiandi phantaſmata materialia, & illa depuranda à conditionibus materiæ, eſt tantùm in illa ſubſtantia, quæ poteſt recipere ſpecies materiales per ſenſus, & præcipuè per phantaſiam, à qua immediatè imprimũtur ſpecies in intellectu poſſibili; ſed Angelus nequit recipere phantaſmata per ſenſus, quia caret phantaſia, & ceteris ſenſibus, per quos tranſeunt phantaſmata, & à quibus immittuntur in intellectũ poſſibilẽ; cũ Angelus ſit purè ſpiritualis, & incorporeus, quod non eſſet, ſi haberet ſenſus, qui ad exercitium ſuarum operationum neceſſariò indigent organo corporeo; ergo in Angelo non eſt intellectus agens quoad munus irradiandi phantaſmata.

11 Conf. *ex eod. ibid.* paulò ſuperiùs. *Neque cum hoc miniſteria deſunt corporis, ſicut in cæcis, aut ſurdis; nam in iſtorum animis eſt iſta lux, de qua nunc agimus, ſed inſtrumenta corporis deſunt.* Ex quo ſic. Ad hoc, vt anima recipiat ſpecies ſenſibiles, neceſſariò debet illas recipere per organa materialia benè diſpoſita ſibi coniuncta; ſed Angelus non habet organa materialia ſibi coniuncta; ergo nequit recipere ſpecies à rebus ſenſibilibus; & ideo non habet in ſe ipſo intellectum agentem quoad munus irradiandi phantaſmata ſenſibilia, & illa introducendi in intellectũ poſſibilẽ. Prob. ma. Experientia conſtat, quòd ſi oculus, qui eſt organum potentiæ viſiuæ, ſit cæcus, vt in cæco; & ſic aures in ſurdo, non poteſt per oculum, aut per aures introduci ad sẽſus in-

ter

tet nos aliqua ſpecies horum ſenſibilium; & eadem ratione, ſi ſit cæcum organum phantaſiæ, nulla ſpecies ſenſibilis poteſt per intellectum agentem introduci in intellectum poſſibilem: ergo ad hoc, vt anima recipiat ſpecies ſenſibiles, neceſſariò debet illas recipere per organa materialia ſibi naturaliter vnita; aliter ſi non eſſet hæc neceſſitas, poſſet etiam illas recipere ſuppoſita quacunque læſione organorum.

12 Tandem prob. Nequit Angelus intelligere per ſpecies acceptas à rebus; cùm omnes ſpecies ei fuerint inditæ à Deo in inſtanti ſuæ creationis; ergo in illo nō datur intellectus agēs per ordinem ad illuſtranda phantaſmata à rebus accepta. Ant. probabitur *in ſeq. §.*

13 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Ex Phil. vbi ſ. ſicut ſe habet lux ad colores; ita intellectus agens ad phantaſmata*; ſed Angelus non intelligit per phantaſmata; ergo in ipſo non eſt intellectus agens. 2. In Angelo non eſt intellectus poſſibilis; nam intellectus poſſibilis eſt intellectus ſine omni ſpecie, & in pura potentia paſſiua: intellectus autem Angeli fuit à Deo creatus plenus ſpeciebus ad differentiam intellectus humani, qui naſcitur tanquam tabula raſa; ideò ſine omni ſpecie, ac propterea dicitur poſſibilis; ſed intellectus agens dicitur per comparationem ad intellectū poſſibilem; ergo in Angelo non eſt intellectus agens.

Reſp; quòd ſicut lux corporea nedum habet illuminare colores, ſed etiam potentiam viſiuam; ita intellectus agens nedum habet illuſtrare phantaſmata, ſed etiam potentiam intellectiuam; vnde licèt in Angelo non detur intellectus agens ad illuſtranda phantaſmata; datur tamen ad illuminandam potentiam intellectiuā; & ideo poteſt retorqueri arg; cum maiori enim poteſt cōiungi hæc minor; ſed lux nedum datur ad illuſtrandos colores, vt videantur ab oculo, ſed etiā ad illuminandam potentiam viſiuam; ergo intellectus agens datur nedum ad illuſtranda phantaſmata, ſed etiam ad illuminandam potentiam intellectiuam; atqui in Angelo datur potentia intellectiua; ergo in illo datur intellectus agens. Ad 2. diſt. ma. In Angelo non datur intellectus poſſibilis, ſeu paſſibilis ſeiunctus à forma intelligibili, vt eſt noſter intellectus, conc; coniunctus cum forma intelligibili, ſeu ſpecie, neg. Vel dicitur, quòd intellectus poteſt dici poſſibilis dupliciter. 1. per ordinem ad ſpeciem. 2. per ordinem ad actum intelligendi; quanuis autem intellectus Angeli non ſit poſſibilis primo modo, eſt tamen poſſibilis ſecundo modo; vnde ad mi. dicitur intellectum agentem comparari ad intellectum poſſibilem ſecundo modo, qui paſſiuè ſe habet reſpectu illuminationis, & reſpectu actualis intellectionis. Igitur ſi nomine intellectus poſſibilis intelligatur potentia purè paſſiua excludens quancunque formam intelligibilem, non datur in Angelis; quia ſemper eſt coniunctus cum ſua eſſentia, quæ eſt forma intelligibilis; vt *ſup.* dictū eſt. Si autem intelligatur potentia potens recipere intellectionem actualem, & potens illuminari, vt actu intelligat, eſt in Angelis. Tandem ſi intellectus Angeli accipiatur ſecūdùm ſe, prout diſtinguitur à ſpeciebus, dicitur poſſibilis, ſicut materia Cœli, quæ eſt coniuncta formæ Cœli inſeparabiliter, ſi accipiatur ſecūdùm ſe præſcindendo à forma, dicitur potentia paſſiua; & ideo etiam primo modo acceptus intellectus poſſibilis eſt in Angelis, ſi ſumatur præciſiuè realiter; non enim eſt idem cum ſpeciebus, ſed diſtinguitur ab illis realiter.

14 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. Potentia actiua dicens perfectionem in natura inferiori reperitur etiam in natura ſuperiori; quia *quæ ſunt diſperſa in inferioribus, reperiuntur in ſuperioribus*; ſed intellectus agens eſt perfectio, qua natura humana, quæ eſt inferior Angelo, poteſt acquirere ſpecies à rebus; ergo eſt in Angelo, qui habet naturam ſuperiorem.

Reſp. *Fund. Doct. de Cog. Ang. q. 7. ad* 2. diſt. ma. Reperitur etiam in natura ſuperiori ſecundùm perfectionem, quam dicit ſimpliciter, & per ſe, conc; ſic intellectus agens, quia ſimpliciter, & per ſe dicit illuminare potentiam intellectiuam; ideo ſecundùm hoc munus reperitur in Angelo; ſecundùm perfectionem, quam dicit per accidēs, & ratione ſubiecti, in quo eſt, neg; ſic ſcientia, quia per accidens, & quatenus eſt in homine, dicit diſcurſum, difficultatem acquiſitionis, deperditionem ſpecierum; ideo ſecundùm has imperfectiones non reperitur in Angelo; ita à pari quia intellectus agens ſolùm per accidens, & prout eſt in homine, dicit acceptionem phantaſmatum à ſenſibilibus; nam homo pro hoc ſtatu in intelligendo dependet à corpore; ideo intellectus agens non eſt in Angelo cum hac dependentia à corpore; ſic enim non eſſet in Angelo perfectio, ſed imperfectio, cū qua intellectus agens reperitur in natura inferiori; quod repugnat; natura enim ſuperior, vtpotè perfectior, nō debet continere imperfectiones naturæ inferioris, ſed tātùm perfectiones; hinc ad mi. neg. ſupp; quòd ſcilicet acquirere ſpecies à rebus ſit perfectio ſimpliciter; nam illas habere apud ſe eſt maior perfectio; & ideo quia Angelus eſt perfectior homine, debet habere lumen intellectuale perfectiori modo ſine eo, quod reſpiciat phantaſmata materialia; loco enim illorum illuminat ſpecies immateriales, quæ ſunt perfectiores ſpeciebus materialibus.

Inſt. *Baſſol. & Rada apud Maſtr. n.* 120. Illa perfectio ſiue ſimpliciter, ſiue ſecūdùm quid, cuius carentia redderet naturam ſuperiorem imperfectiorem natura inferiori, neceſſariò ponēda eſt in natura ſuperiori; ſed intellectus agēs quoad munus irradiandi phantaſmata eſt huiuſmodi; nam ſi ponamus Angelum abſque ſpeciebus, & abſque intellectu agente, tunc eſſet im-

perfectior homine habente intellectum agentē; quia homo per intellectum agentem poſſet acquirere ſpecies,& actu cognoſcere; quod eſt perfectio naturæ intellectiuæ; Angelus autem nec poſſet acquirere ſpecies, nec poſſet actu cognoſcere;& ideo eſſet imperfectior homine; quia nō poſſet acquirere perfectionem actualis cognitionis; ergo intellectus agens etiam quoad munus irradiandi phantaſmata eſt in Angelo.

Reſp. hanc inſtantiam, quam tanti facit *Maſtr*; vndequaque claudicare;ad hoc enim, vt paritas currat; debet fieri ſuppoſitio, quòd homo ſit ſolùm cum intellectu agēte potente irradiare phantaſmata;ipſa tamen phantaſmata non ſint in ſenſibus hominis eo, quia organa ſenſuū ſint læſa;ſicut enim præſcinditur ab Angelo modus proprius,quo ſpecies ſunt in illo;qui modus eſt eſſe per concreationē;ita debet prēſcindi modus,quo ſpecies acquiruntur ab homine, qui eſt per ſenſus.Si ergo ponatur Angelus ſine intellectu agēte irradiante phantaſmata; & homo cum intellectu illa irradiante præciſis vtrinque ſpeciebus,homo nō acquiret perfectionem ſpeciei, nec cognitionis;& ideo non eſſet perfectior Angelo;neg.igitur mi.Præterea in tali caſu natura Angeli eſſet actu intelligibilis, & de facto Angelus eſſet actu cognoſcens ſuam ſubſtantiam; homo autem eſſet intelligibilis, & intelligens in potentia; ergo Angelus eſſet ſimpliciter perfectior homine, & eius natura eſſet ſimpliciter ſuperior;quia eſſe actu intelligibile, & eſſe actu intelligens ſe ipſum eſt ſuperius ad eſſe intelligibile in potentia; licèt per accidens actu non intelligeret alia à ſe; quia deficeret ei ſpecies exigita. Tandem Angelus ex ſua natura exigit ſpecies ſibi coæuas; vt *inf*, ſed talis natura eſt perfectior, quàm natura illas accipiens à rebus; ergo natura Angeli eſſet perfectior natura hominis.

15 Repl. *Rada apud Maſtr*. cont. vlt. reſp. Species Angelorum ſunt à Deo infuſæ;ergo Angelus ex ſua natura illas non exigit; quia quod exigitur ex ſua natura, emanat ab intrinſeco illius naturæ, non ab extrinſeco; ſpecies autem producuntur ab extrinſeco. 2. Proprietates naturales ſunt determinatæ à natura, nec poſſunt ad libitum variari; ſed ſpecies Angelorum ad libitum poſſunt variari; nam Angelus haberet alias ſpecies,ſi aliæ res productæ fuiſſent; ergo non ſunt proprietates pullulantes à natura ipſius Angeli. 3. Illud eſt concreatum à Deo in Angelo, quod tota natura creata nō poteſt cauſare; Deus enim, vtpotè totius adminiſtrator naturæ,finit res creatas habere proprias cauſalitates; ſed res creatæ poſſunt cauſare ſpecies in Angelo, quia poſſunt cauſare cognitionem; *ex obiecto* enim,*& intellectu paritur cognitio*; ergo non ſunt à Deo cauſatæ.4.Si ſpecies rerum non poſſent à rebus cauſari in intellectu Angeli, ſequeretur Angelum in pura natura eſſe inferioris conditionis,quàm homo;quod eſt falſum, vt dictum eſt. 5. Natura Angeli non exigit ſpecies poſſibilium,aut nō exiſtentium;quæ tamen erūt; ergo neque exigit ſpecies rerum exiſtentium; vel ſaltem reſpectu rerum futurarum, quarum ſpecies non habet,& tamen cognoſcet, quando actu erunt,habet intellectum agentem, vt poſſit earum ſpecies recipere. Tandem ſi Angelus indigeret recipere ſpecies à Deo, eſſet deterioris conditionis, quàm homo, qui virtute propria poteſt illas acquirere.

Reſp. ad 1. neg. conſ; non enim implicat, quòd id,quod emanat ab intrinſeco, producatur ab extrinſeco; niſi emanare accipiatur ſecundùm *Vulgus*,non ſecundùm *Philoſophos*;prout eſt idem, ac exire ſecundùm entitatem ab aliquo; vt aqua emanat à fonte;aqua enim,quæ ſecundū entitatem latebat in viſceribus terræ, exiens à fonte emanare dicitur.*Philoſophi* autem alio modo accipiunt emanare,ſeu pullulare; pro eo ſcilicet, quod ex ſua natura ita coniungitur cum alio;vt ſi illud producatur, naturali ſequela producatur & iſtud; vnde intellectus dicitur emanare ab anima, non quòd ſecundùm ſuam entitatē exeat ab illa,ſicut aqua à fonte; ſed quia ex ſua natura ita coniungitur cum anima, vt ad productionem animæ producatur à Deo; vnde licèt producatur ab extrinſeco, quia verè producitur à Deo,qui eſt agens in genere cauſæ efficientis, quæ eſt extrinſeca,cū omne id, quod eſt in creatura,ſit à Deo immediatè creatum; attamen non tollitur, quin ſit paſſio emanans ab anima; ita à pari.Ad 2.diſt.ma.Proprietates ſunt determinatæ à natura iuxta placitum *Auctoris* naturæ,cōc; ſecus,neg.Vel proprietates, quæ competunt naturæ ſecundùm ſpeciem infimam, tranſeat; quæ competunt ſecundùm genus, neg; nam color eſt proprietas competens rei ſenſibili;res enim ſenſibilis exigit poſſe percipi ſeu ſu, & ideo poſſe percipi ab oculo; nequit autem ab oculo percipi,niſi habēs in ſe colorē;& tamen poterat Deus dare aliam ſpeciem coloris,quam de facto non dedit tali rei ſenſibili;imò in eadem re ſenſibili, vt in pariete, poterat multiplicare magis colores.Item proprium eſt naturę ſenſibilis,vt videat per duos oculos;& tamen poterat Deus facere, vt videret per plures, vel per vnum tantū;vt aliquando contingit in monſtris. Igitur cùm intelligere per ſpecies inditas ſit aliquod genericè cōpetens naturæ Angelicæ, quanuis poſſit Deus facere,quòd intelligat per plures,non tamen ſequitur, quòd illud non exigat natura Angeli; exigentia enim naturæ eſt à Deo illius Auctore; vnde ſi Deus plura produxiſſet, natura Angeli habuiſſet naturalem exigentiam à Deo ad illa per plures ſpecies cognoſcenda.Ad 3.neg.mi;ex obiecto enim, & potentia vnitis paritur notitia; res autem nequeunt vniri per ſe ipſas cum intellectu Angeli;vt diximus *in ſup.art*. Ad 4.neg. ſeq;vt *ſup*. dictum eſt;imò ſequeretur oppoſitū; nam

nam ſi res poſſent agere in Angelum, Angelus eſſet inferioris conditionis,quàm res;quia omne agens in eo,quòd agens, eſt præſtantius patiente;ergo ex nobilitate Angeli arguitur, quòd res non poſſint cauſare ſpecies in illo. Ad 4.neg.cōſ; nam cognitio Angeli eſt quiditatiua adæquata, & ideo naturaliter exigit tendere ſolùm in ea entia,quæ habent exiſtētiam, per quam res adæquatur,& completur;& ideo quia poſſibilia, & futura non habent exiſtenriam, Angelus naturaliter non exigit ſpecies illorum; quanuis pertineant ad obiectum extēſiuum naturale illorum; futura autem, quando tranſeunt ad actualem exiſtentiam, videntur ab Angelo,non per nouam ſpeciem infuſam, ſed per antiquam repræſentātem ſpeciem illorum futurorum; vt per ſpeciem repræſentantem totam naturam humanam videtur homo naſcens; & per ſpeciem repræſentantē naturam *Gabrielis* v. g. videtur noua cognitio illius. Ad 5. dicitur, quòd eſt melior conditio creaturam indigere ſolo Deo, quàm indigere alijs creaturis; homo autem indiget rebus,vt ab illis ſpecies accipiat per intellectum agentem, & vltra creaturas indiget Deo,& Angelus indiget ſolo Deo; ergo minor eſt indigentia Angeli, quàm hominis; & ideo Angelus eſt melioris cōditionis, quàm homo; quia minùs indigere eſt melior conditio,quàm magis indigere.

16 Inſt.*Maſtr.*Melioris conditionis eſt,qui ſuæ neceſſitati poteſt ſuccurrere ex proprijs,quā qui ex alienis; ſed homo per intellectum agentē poteſt ſuccurrere neceſſitati ſpecierum ex proprijs;ergo melioris eſſet conditionis.

Reſp;quòd licèt homo non indigeat virtute acquiſitiua ſpecierum, indiget tamen rebus immittentibus phantaſmata, & Deo ſimul concurrente;at verò Angeli non indigent tali virtute, quia non eſt neceſſaria infuſioni ſpecierū;nec rebus;quia non accipiūt ſpecies ab illis;ſolo autē Deo infundente indigent;ergo minùs indigent.

17 Obijc.3.Quanuis Deus infuderit ſpecies in animam Chriſti Domini; attamen ei non abſtulit intellectum agentem;ergo quanuis infuderit ſpecies in Angelos;attamen eis non eſt negādus intellectus agens. Tum quia ſi Deus produceret ignem cum actuali calefactione, nō tamen tolleret potentiam calefactiuam ab igne; ergo à pari.

Reſp.ad 1. neg.conſ; quia Chriſtus Dominus habet ſēſus ſibi naturaliter vnitos, per quos intellectus agēs poteſt ſuſcipere ſpecies; & ideo nō eſt paritas de Angelis,qui vtpotè incorporei, ſenſus non habent,& ſic nec intellectum agentē per ſēſus.Ad 2.dicitur eodem modo,quòd ignis habet adiunctum calorem, quo poteſt calefacere;Angelus verò non habet ſenſus,quibus poſſit ſuſcipere ſpecies.

18 Obijc. 4. In anima ſeparata remanet intellectus agens,quo recipit ſpecies à rebus;quia intellectus agens eſt naturalis proprietas ab anima inſeparabilis; ergo licèt Angelus ſit ſubſtantia ſeparata; attamen habet intellectum agentē, quo poteſt accipere ſpecies à rebus; eſt enim eadem ratio.

Reſp. diſt. ant. Remanet intellectus agens quoad munus illuſtrandi intellectum poſſibilem, & ſpecies in eo exiſtentes, conc; quoad munus irradiandi phantaſmata, & illa introducendi in intellectum ipſius Angeli,neg;hoc enim non fit, niſi in organo phantaſiæ;quo caret Angelus; vt dictum eſt.

19 Aliæ obiectiones ſoluētur *in ſeq.*§.quia, ſicut aliquæ allatæ, probant Angelum accipere ſpeciebus à rebus.

§. 2.

Reſoluitur difficultas principalis.

20 PRima ſententia vult Angelos poſſe intelligere per ſpecies acceptas à rebus ſiue ſpiritualibus,ſiue materialibus;de facto autem ſpecies naturarum vniuerſalium, & rerū ſpiritualium, ac incorruptibilium fuiſſe à Deo infuſas intellectibus Angelorum; imò & eorum indiuiduorum, quæ fuerunt ſimul cum Angelis creata; non tamen ſpecies omnium indiuiduorū corruptibilium, quæ ſucceſſiuè producuntur in tempore;quæ propterea ab Angelis cognoſcuntur per ſpecies ab illis acceptas. *Ita Scot. in 2. diſt.3.q.11,omnes Scotiſtæ, & nouiter Maſtr. hic diſp.2.q.6.art.1;2 & 3.*Concordant in aliquibus *noſter Greg.Ricard,& alij.*

21 Secunda ſententia vult, quòd Angelus nequit intelligere res materiales per ſpecies ab illis acceptas;bene tamen res immateriales.*Ita Alen.2.p.q.24. memb.2; & 3*; quam ſententiam putant probabilem *Mol;& Auerſa.*

22 Tertia ſententia docet Angelum nihil intelligere per ſpecies acceptas à rebus;ſed omnia cognoſcere per ſpecies à Deo infuſas. Sed hæc ſententia diuiſa eſt; *aliqui* enim putant ab initio creationis non fuiſſe inditas omnes ſpecies eorum indiuiduorum,quæ erant futura,aliter ipſa præuidiſſent;ſed infundi ſucceſſu temporis.*Ita Auerſa,& Arriaga. Alij* verò omnes fuiſſe infuſas in inſtanti creationis. *Ita Fund.Doct. de Cog. Ang.q.6;& in 2.diſt.3.p.2.q.2.art.2.dub.2;Argēt. ibid.art.4; Gibb. hic diſput. 21. dub.2.* Conſentit *D.Tho.hic,& q.8 .de Verit. art.7; Omnes Thomiſtæ communiter; Salm.tract.7. diſp.5. dub.2;& 3; Sua.lib.2.de Angelis c.7;Val,& alij.*

23 Not;quòd ex quinque differentijs, quas aſſignat *Fund.Doct.* inter intellectum Angeli, & hominis, præcipua eſt; quòd intellectus Angeli, quia cognoſcit quiditatiuè,adæquatè,& perfectè rem, ideo eius obiectum naturale eſt eſſentia, & exiſtentia ipſius rei;& ideo eſt res ſecūdùm prædicata vniuerſalia,& particularia;exiſtentia enim ingreditur rationes particulares; intellectus autem hominis, quia cognoſcit abſtractiuè, inadæquatè,& imperfectè; ideo cognoſcit rem ſolùm ſecundùm eſſentiam, ſeu ſecundùm prædicata vni-

vniuerſalia,non ſecundùm exiſtentiam,ſeu ſecũdùm prædicata particularia; vnde quãdo cognoſcimus leonem v.g.abſentem,neſcimus,an ſit exiſtens,vel non,nec vllo modo poteſt noſter intellectus cognoſcere exiſtentiam rei, niſi quatenus ſe conuertit ad phantaſmata ſenſuum tendentiũ in rem præſentem, & exiſtentem,vt præſens, & exiſtẽs eſt. Tum quia noſter intellectus pro hoc ſtatu cognoſcit per ſpeciem abſtractam à ſingularibus, & denudatam à conditionibus materiæ, ideo per ipſam nequit cognoſcere niſi prædicata vniuerſalia; quia in ipſa non continentur gradus indiuiduales, à quibus eſt expoliata; ideo gradus indiuiduales nõ pertinent ad obiectũ primariũ intellectus noſtri;nec directè cognoſcũtur, ſed tantùm indirectè; pertinent autem ad obiectum primarium Angeli.

24 Igitur quia intellectus Angeli, vtpotè perfectior intellectu hominis, debet perfectè cognoſcere res ſecundùm totam quiditatem, prout componuntur ex eſſentia, & exiſtentia,ſeu ex gradibus vniuerſalibus,& particularibus; neceſſariò ſpecies, per quas cognoſcit, debent repræſentare res ſecundùm gradus vniuerſales, & particulares; ſpecies verò, quibus homo cognoſcit, non repræſentant, niſi gradus vniuerſales. *Hoc not.*

25 Vnica concl.Angelus nequit intelligere per ſpecies acceptas à rebus; ſed neceſſariò intelligit per ſpecies deriuatas ab Idæis Diuinis,& in primo inſtanti ſuæ creationis à Deo infuſas in intellectum illius.

Prob. 1. *ex Ezechiel.* 28; vbi Propheta loquens *de Cherub* lapſo per peccatum relegato *apud Tyrum* ait: *Tu ſignaculum ſimilitudinis,plenus ſapientia, & perfectus decore*; & paulò poſt *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ.*Ex quo ſic.Sapientia importat,vel ſupponit ſpecies rerũ cognoſcibilium exiſtentes in intellectu, videmus enim,quòd homo fit ſapiens per acquiſitionem ſpecierum rerum cognoſcibilium; ſed Angelus creatus fuit *plenus ſapientia*; ergo creatus fuit plenus ſpeciebus.

26 Præterea ita ſe habet decor,& pulcritudo rerum ad intellectum Angeli; ſicut decor, & pulcritudo corporum ad oculum corporeum; ait enim *idem Ezechiel ibid.Et nudabunt gladios ſuos ſuper pulcritudinem ſapientiæ tuæ*; imò etiam *poeta* gẽtilis: *Species pulcherrima veri*; verũ autẽ eſt obiectũ intellectus; & ideo pulcritudo intelligibilis eſt ſpecies obiecti intellectus;ſicut pulcritudo corporea eſt ſpecies coloris,qui eſt obiectum oculi;ſed oculus nõ dicitur decorus,& perfectus pulcritudine, niſi quia perficitur à ſpecie obiectorũ habentiũ pulcritudinẽ, & decoroſitatẽ; ergo neque intellectus dicitur *perfectus decore, & pulcritudine*, niſi quia perficitur per ſpecies,quæ ſunt pulcræ, & lucidiſſimæ imagines rerum cognoſcibilium; atqui Angelus fuit creatus *perfectus decore, & pulcritudine ſapientiæ in die conditionis ſuæ*; ergo fuit creatus plenus ſpeciebus; & ideo nullam ſpeciem ſucceſſu temporis poteſt acquirere; aliter non fuiſſet creatus plenus, & perfectè decorus; illud enim dicitur plenũ,quod non habet capacitatem ad recipiendum aliud; & illud dicitur perfectus decore;quod totum ſuum decorem,quem poteſt naturaliter habere, habet in ſe; & ideo ſi Angelus poſſet recipere ſpeciem, quam non habet, nec eſſet plenus, neque perfectus decore ſapientiæ.

27 Hanc veritatẽ non ſolùm tradũt *D.Dion. 7.de Cæl.Hier*;vbi ait:*Contemplatio,qua Diuinam ſpeciem non per traduces vllos,ſed primaria vi ſua intuentur.*Et paulò poſt. *Contemplatiuas item pari ratione ſentiendum eſt; non quaſi illa ſenſibilia, vel ſpiritalia cõtemplentur ſigna;neque vtq; tradita in Diuinis literis ſpeculationis ad Deum varietate ferantur,ſed vt totius ſpiritalis ſcientiæ celſiore luce repletas*;*Beatiſſ.P.inſ.cit*;*D.Anſ, & alij SS. PP*; ſed etiam *Philoſophi* gentiles antiqui relati *in ſup.art. n.*12; qui vocant Angelos *plenos formis*;quod rationabiliter nequit intelligi, niſi de ſpeciebus.

28 Prob.2.*ex Beatiſſ.P.lib.2. de Gen. ad lit. c.* 8. vbi docet: *Conditio verò Cæli priùs erat in Verbo Dei ſecundùm genitam ſapientiam;deinde facta eſt in creatura ſpiritali, hoc eſt in cognitione Angelorum,ſecundùm creatam in illis ſapientiam; deinde qua Cælum factum eſt;vt eſſet etiam ipſa Cæli creatura in genere proprio. Sic & diſcretio, vel ſpecies aquarum, atque terrarum; ſic natura lignorum,& herbarum, ſic luminaria Cæli; ſic animantia orta ex aquis, ac terra.* Et paulò poſt. *Quemadmodum ergo ratio,qua creatura conditur, prior eſt in Verbo Dei, quàm ipſa creatura, qua conditur,ſic & eiuſdem rationis cognitio priùs fit in creatura ſpiritali, quæ peccato tenebrata non eſt; ac deinde ipſa cognitio creaturæ poſtea in genere proprio. Neque enim,ſicut nos,ad percipiendam ſapientiam proficiebant Angeli,vt inuiſibilia Dei per ea,quæ facta ſunt, intellecta conſpicerent; qui, ex quo facti ſunt,ipſa Verbi æternitate ſancta,& pia contemplatione perficerentur,atque inde iſta deſpicientes,ſecundùm id, quod intus vident, vel rectè facta approbant,vel peccata improbant. Nec mirũ eſt;quòd Sanctis Angelis ſuis in prima lucis conditione formatis priùs Deus oſtendebat, quod erat deinceps creaturus.*Quo nil clariùs adduci poteſt; ſic autẽ arguit *Fund.Doct. in 2.vbiſ. in reſol.dub.* 2. §.*Ad id.* Sapientia, qua Deus cognoſcit creaturas, neceſſariò exigit in intellectu Dei idæas creaturarum repræſentatiuas illarum ſecundùm rationes vniuerſales,& particulares;ergo ſapientia, quæ à Deo creata eſt in Angelis, neceſſariò importat in intellectu eorum ſpecies creaturarũ repræſentatiuas illarum quoad eſſe vniuerſale,& particulare; nam res ſecundùm ſuas ſpecies ita ſunt factæ in mente Angelorum; ſicut ſunt in Diuinis idæis, & ſicuti poſtea factæ ſunt in ſe ipſis;ſed in idæis,& in ſe ipſis factæ ſunt ſecundũ

rationes vniuerſales,& particulares; ergo & in mente Angelorum.

29 Præterea Angeli non proficiunt ad percipiendam ſapientiam, ſicut proficimus nos; natura enim Angelica, vtpotè perfectior, debet perfectiori modo poſſidere ſuas perfectiones; ſed nos proficimus in perceptione ſapientiæ inuiſibilia Dei per ea,quæ facta ſunt, intellecta cōſpicientes; idèſt accipientes ſpecies ex rebus creatis; ergo Angeli non accipiunt ſpecies à rebus.

30 Tandem priùs Deus genuit ſpecies rerū in Verbo; deinde in mentibus Angelorum; denique in ſe ipſis; ergo ſpecies Angelorum ſunt acceptæ ab idæis Diuinis,non à rebus; quia res ſūt illis poſteriores.

31 Reſp. 1. *Greg. Beatiſſ. P.* loqui de viſione beata Angelorum, non autem de cognitione naturali.

Reſp. hoc falſum eſſe; loquitur enim de ea cognitione,quam habuerunt Angeli in ſui prima conditione; & quæ communis fuit Angelis bonis,& malis,antequam caderent; ſed hæc cognitio fuit naturalis; ergo loquitur de cognitione naturali. Quomodò autem cognitio, quam habuerunt per Verbum in prima conditione, fuerit naturalis,explicatum eſt *in Hexam*; dicitur enim fuiſſe naturalē, & in Verbo; quatenus per ſpecies deriuatas à Verbo omnia nouerunt, antequam illa noſcerent in ſe ipſis.

32 Inſt. 2. *Maſtr. n.* 14. *Beatiſſ. P.* docere Angelos habuiſſe cognitionem rerum omnium in Verbo,& in proprio genere,antequam conderētur; idèſt cognouiſſe naturas rerum in vniuerſali, & in genere; non in particulari; & ſic intelligendum eſſe *D. Dion.*

Sed contra; nam ly *in proprio genere* non ſumitur à *Beatiſſ. P.* logicè, vt falsò imaginatur *Maſtr.*; ſed phyſicè; vt idem eſt,ac in ſe ipſis extra Verbum,& extra mentem Angelorum; res enim materiales in ſe ipſis differunt genere ab Angelis. Præterea,vt dictum eſt, ſpecies Angelorum ſunt expreſſæ à Diuinis idæis; ſed ideæ repręſentant particularia; ergo & ſpecies. Tandē *D. Dion.* ait *Angelos totius ſcientiæ* ab initio fuiſſe repletos; ſi autem caperent à rebus cognitionem indiuiduorum, iam non recepiſſent à Deo totam ſcientiam; imò nec perfectam; quia recepiſſent ſolùm cognitionem confuſam,& generalem.

33 Prob. 3. *à Fund. Doct. vbiſ. §. Prima via* alia ratione,quæ ſic exponitur. In hoc diſtinguūtur accidentia ſpeciei ſequentia formam ab accidentibus indiuidui, quæ ſequuntur materiam; quòd illa omnia ſimul concreantur cum ipſa re in principio ſuæ conditionis, quia ſunt propria, & ideo ab ipſa ſunt inſeparabilia; iſta verò non oportet concreari cum ipſa re; verùm ſucceſſu temporis acquiruntur,variantur, & deperdūtur; ſed ſpecies in Angelis ſunt accidentia ſequentia formā; ergo ſimul cū ipſis omnes ſunt cōcreatæ; nec vllo modo poſſunt variari,acquiri,& deperdi. Prob. ma. In tantùm accidentia ſequentia indiuiduum non concreantur, ſed variantur; quia indiuiduum ſequitur modum materiæ, cùm importet conditiones *hic*, & *nunc*, quæ ſunt propriæ ipſius materiæ; materia autem, cùm ſit potētia ad formam, poteſt illam acquirere, & deperdere; & ideo variari. At verò forma,cùm ſit actus eſſentialis, & omne eſſentiale inuariabile ſit, nequit variari; & ideo accidentia ſequentia formā ſunt inuariabilia; ac per conſequens ſunt ab ipſa forma,quam conſequuntur,inſeparabilia; propter quod non poſſunt acquiri, & deperdi; ſed ſimul cum illa omnia producuntur, & deſtruuntur. Hoc patet de potentijs animæ rationalis, vt ſunt intellectus,voluntas &c; quæ cùm illa ſimul producuntur; & de calore,colore &c; quæ,cùm ſequantur materiam,acquiruntur, & deperduntur,& ideo variantur. Prob. mi. Species intellectuales in Angelis ſequuntur naturam intellectus Angelici; ſunt enim formæ ipſius illū actuantes,& determinantes; ſed intellectus Angeli habet rationem formæ,quia habet rationem actus; in hoc enim diſtinguitur intellectus Angeli ab intellectu noſtro; quòd ille, vtpotè perfectior, & ſuperior noſtro intellectu, eſt actu intelligens, & actu intelligibilis; noſter verò eſt veluti materia, & pura potentia in genere intelligibilium; ſicut nanque,vt ſuperiùs dictum eſt, quod eſt ſupra materiam phyſicam, eſt forma phyſica; ita quod eſt ſupra materiam, ſeu puram potentiam in genere intelligibilium, eſt forma intelligibilis; & ideo intellectus Angeli, vtpotè ſupra noſtrum intellectum, qui eſt pura potentia paſſiua, & veluti materia in genere intelligibilium, eſt forma intelligibilis; ergo ſpecies intellectuales in Angelis ſequuntur formam; & ideo cum illa ſimul concreantur,nec poſſunt acquiri,& deperdi; & ſicuti quælibet forma pro ducitur plena ſuis accidentibus ipſam ſequentibus; ita intellectus Angeli producitur plenus formis intelligibilibus,ſeu ſpeciebus; ex quo apparet, quomodò intelligenda ſit *Scriptura, SS. PP.* & *Philoſophi ſupra cit. n.* 26; & 27.

34 Dices. Species in nobis ſequuntur noſtrum intellectum, & tamen acquiruntur, & deperduntur; ſed noſter intellectus eſt forma accidentalis ſequens animam, quæ eſt forma ſubſtātialis; ergo falſum eſt, quòd accidentia ſequentia formam ſint inuariabilia, & ſimul acquirantur. 2. Ex hoc ſequeretur ſpecies eſſe proprietates dimanantes ab eſſentia,quod eſt falſum.

Reſp; quòd licèt noſter intellectus in eſſe entis ſit forma accidentalis afficiens animam; attamen in eſſe intelligibili eſt pura potentia paſſiua, & ſe habet veluti materia; ideo ſpecies, quæ ſequuntur intellectum in eſſe intelligibili (ſunt enim formæ intelligibiles illius) ſortiuntur variabilitatem,& ſucceſſionem; at verò intellectus Angeli in eſſe intelligibili eſt forma, quia eſt actus, vt dictum eſt; ideo ex oppoſito ſe habent.

Ad

Ad 2.dicitur non poſſe in ſententia *Fund. Doct*; vt patet ex doctrina tradita, ſuſtineri ſpecies Angelicas non eſſe proprietates intellectus Angelici;de quo *inf.*

35 Prob.4.*ex eod.de Cog.Ang.vbiſ.Tertia via.* Angeli cognoſcunt alia à ſe quiditatiuè; ergo nequeunt cognoſcere per ſpecies acceptas à rebus. Ant. patet *ex Not.* Prob. conſ; nam ſpecies abſtractæ à ſingularibus recipiũtur in intellectu, vt patet in nobis, ſine materia, & ſine conditionibus indiuiduantibus;ergo recipiuntur, vt vniuerſales;ſed per vniuerſale,vt vniuerſale eſt, nequit repræſentari particulare; ergo per ſpecies abſtractas à rebus nequit cognoſci res ſingularis, quia per illas nequit repræſentari, cùm abſtrahat à ſingularitate illius;non enim cognoſcitur,niſi eo modo,quo repræſentatur;ſed res,quę non cognoſcitur ſecundùm indiuidualitatem, nõ cognoſcitur quiditatiuè,quia cognitio quiditatiua eſt cognitio rei,vt eſt in ſe ipſa formaliter, & ideo vt eſt ſingularis; ergo Angeli ex eo, quòd cognoſcant alia à ſe quiditatiuè, nequeunt cognoſcere per ſpecies acceptas à rebus; ſic enim non cognoſcerent quiditatiuè.Quomodò autem per ſpecies deriuatas ab idæis Diuinis cognoſcant res ſingulares, patebit *inf.*

36 Prob. 5. *ex eod.* Si Angelus intelligeret per ſpecies acceptas à rebus,res poſſent agere in intellectum Angeli,ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Ma. patet; quia res poſſent producere ſpeciem,& illam immittere in intellectum Angeli; vt de facto contingit in noſtro intellectu. Prob. mi.Res non poſſunt contingere intellectum Angeli; nam vel res ſunt immateriales; & ſic non poſſunt tangere,ſecus illaberentur; vt dictum eſt *art.*2;vel ſunt materiales; & ita nec poſſunt tangere;nam contactus vel eſt per eſſentiam; & ſic eſt illapſus, qui repugnat creaturæ; vel eſt per quantitatem; & ſic Angeli tangi non poſſunt; quia carent quantitate; vel eſt per naturalem vnionem; quomodò potentiæ Angeli tangunt eſſentiam illius; & ſic res materiales non poſſunt tangere; quia naturaliter non vniuntur intellectui Angeli; ergo non poſſunt agere in Angelũ; *agens enim in tantùm agit;in quantùm tangit.*

37 Dices. Res materiales non tangunt noſtrum intellectum; neque cum illo naturaliter vniuntur; & tamen producunt in illo ſpeciem, & intellectionem;ergo à pari.

Reſp.*Fund.Doct.in 3.vbiſ.in fine corp.* neg. ant;nam res materiales producunt, & immittũt in phantaſiam,quæ eſt potẽtia ſenſibilis, & materialis, phantaſmata materialia; phantaſia autẽ habet naturalem vnionem ad animam noſtram; & ideo mediante phantaſia tangunt noſtrum intellectum,qui eſt in anima.At verò Angeli nõ habent naturaliter ſibi vnitam phantaſiam; & ideo nequeunt ſpecies materiales recipere.

38 Ex hoc conſ. concl. rationibus adductis *ſup.* §; nam ſi anima noſtra non haberet ſibi vnitos ſenſus, non poſſet accipere ſpecies à rebus;quia ſolùm mediantibus organis ſenſuum in troducitur ſpecies ad intellectum; ſed Angeli carent ſenſibus;ergo nequeunt accipere ſpecies à rebus.Tum quia res inferior nequit agere in ſuperiorem;quia agens eſt præſtantius patiente; hinc videmus,quòd Cœlum agit in hæc inferiora, hæc autem nequeunt agere in Cœlum; ſed res materiales ſunt inferiores Angelo; ergo nequeunt agere in ipſum; & ideo ipſe nequit accipere ſpecies ab illis.Tum quia Angeli deberent ſe mouere ad omnem locum,vt eſſent in proportionata diſtantia; in qua ſolùm res materiales poſſunt cauſare ſpeciem; quod eſt contra ſublimitatem naturæ Angelicæ.

Tandem res materiales non poſſunt producere niſi phantaſmata materialia;aliter ſi poſſent producere ſpecies immateriales, cauſa poſſet producere effectum excedentem virtutem ſui ipſius; ſed phantaſmata materialia ſunt obiectum ſpecificans phantaſiam; & in virtute luminis intellectualis producunt ſpeciem intelligibilem in intellectu;vt dictum eſt;ergo phantaſmata materialia neceſſariò exigunt recipi in phantaſia; aliter daretur ſpecificatiuum ſine ſpecificato,quod repugnat; Atqui Angeli carent phantaſia,ergo nequeunt recipere ſpecies à ſenſibus.

Alias rationes *vid. apud B. Doct. de Cog. Ang*;quæ tamen erui poſſunt ex dictis.

39 Obijc.1.*Beatiſſ. P.Aug. lib.2. de Gen. ad lit.c.*17. ait Dæmonẽ tripliciter cognoſcere res, ſcilicet *acumine ſenſus,experientia temporum, & reuelatione ſanctorum Spirituum*; quod repetit etiam *lib.de Diuinat. Dæmon. c.*3; ſed hic modus cognoſcendi eſt per ſpecies à rebus acceptas; ergo Angelus non habet omnes ſpecies cõcreatas.2.*Idẽ* 12.*de Trin. c.* 7.ait:*Deus nõ ad tempus videt,nec aliquid noui fit ex eius viſione, atque ſcientia,cùm aliquid temporaliter geritur;ſicut inde afficiuntur ſenſus, vel carnales animalium, & hominum,vel etiam Cæleſtes Angelorum*; ergo accipiunt ſpecies à rebus.

Reſp. ad 1. ſcientiam dupliciter variari. 1. Ex tẽporanea receptione ſpeciei.2. Ex receptione actualis intellectionis, qua priùs carebat; ait itaque *Beatiſſ.P*; quòd ſcientia Dei nullo modo variatur,cùm ſit ſimpliciter immutabilis; ſcientia verò hominis vtroque modo variatur, quia recipit in tempore ſpeciem,quam non habebat, & intellectionem,qua antecedenter carebat. At verò ſcientia Angeli, cùm ſit media inter ſcientiam Dei,& hominis,nec debet eſſe inuariabilis, vt eſt ſcientia Dei;nec variabilis, vt eſt ſcientia hominis; ergo debet eſſe variabilis ſolùm quoad actualem intellectionem, in quo conuenit cum ſcientia hominis;& inuariabilis quoad ſpecies,in quo conuenit cum ſcientia Dei; medium enim debet participare de extremis; aliter ſciẽtia Angeli non eſſet media, quia nõ differret à ſcientia hominis, niſi accidentaliter; & ſic ad 2; ex quo

ma-

magis roboratur noſtra ſententia.

40 Obijc.2.*Epheſ.3.* habetur: *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*;ſuper quem locus *D.Hier; & alij SS.PP.* aſſerunt,quòd Angeli ab Apoſtolis didicerunt aliqua myſteria gratiæ;ſed hoc nequit eſſe, niſi accipiendo ſpecies illorum myſteriorum;ergo ſaltem aliqua intelligunt per ſpeciē.

Reſp.neg.mi; poſita nanque ſola reuelatione externa ſpecies, quæ eſt in Angelo, repræſentat rem,quam priùs non repræſentabat, quia illa ſpecies non repræſentat niſi rem exiſtentem; vnde res reuelata fit præſens ſecundùm eſſe reuelatum,licèt non ſecundùm eſſe reale à parte rei; & ideo cognoſcitur ab Angelo. Ita dicendum de illuminatione, qua Angeli inferiores illuminantur à ſuperioribus;res enim reuelata per illuminationem fit præsēs in eſſe repræſentatiuo, & ſic cognoſcitur per ſpeciem exiſtentem in intellectu Angeli,quæ illam repræſentat; ſicut ſpeculum non repræſentat aliquod, niſi illud ponatur in eius proſpectu; vnde ſi ſpeculum contineret imagines omniū,ſicut cōtinet ſpecies,eodē prorſus modo ſe haberet,vt ſpecies.*Vid.q.6.a.2.n.*10.

41 Obijc.3.*Maſtr.* Subſtantia Angelica habet virtutem naturalem producendi ſpeciem ſui in intellectu Angelico; ergo Angelus poteſt intelligere per ſpecies acceptas à rebus.Prob.ant. In tātùm res materiales poſſunt producere ſpecies in ſenſibus, in quantùm ſunt actu ſenſibiles; ſed ſubſtantia Angelica eſt actu intelligibilis;ergo habet virtutem naturalem producendi ſpeciem ſui in intellectu alterius Angeli.Prob.conſ. Subſtantia Angelica nequit producere ſpeciem ſui in ſenſibus, neque in intellectu humano,quia potentia ſenſitiua nequit recipere ſpeciem ſpiritualem,& intellectus humanus recipit ſpeciem dependenter ſolùm à phantaſmatibus; ergo ſolùm illam poteſt producere in intellectu Angelico; aliter in nulla potentia cognoſcitiua poſſet illam producere; & ſic illa virtus naturalis eſſet otioſa,& fruſtra, & ita tolleretur actiuitas cauſarum ſecundarum; quam tamen debemus ſemper ſaluare.

Reſp.neg.ant. Ad prob.diſt.ma. Res materiales poſſunt producere ſpecies in ſenſibus,quia ſunt actu ſenſibiles; & poſſunt tangere ſenſus, conc;ad actionem enim requiritur contactus; & in hoc ſenſu neg.mi; nam licèt ſubſtantia Angeli ſit actu intelligibilis; attamen quia nequit tangere intellectum alterius Angeli, ideo nequit producere ſpeciem ſui in illo; abſque eo, quòd poſſint tangere,neg. Ad prob.conſ.dicitur,quòd licèt ſubſtantia Angeli non poſſit producere ſpeciem ſui in intellectu alterius Angeli; attamen non dicitur otioſa, nec caret virtute agente in intellectum;nam poteſt per ſe ipſam cauſare efficienter intellectionem in intellectu ſuo, cui naturaliter vnitur eo modo, quo ignis non dicitur otioſus; quia poteſt comburere illud combuſtibile,cui poteſt vniri; quamuis non poſſit comburere illud,cui nequit vniri. Vel dicitur,quòd res ſenſibiles poſſunt producere ſpecies in ſenſibus, & in intellectu; qui ſunt potentiæ paſſiuæ; non autem in intellectu Angeli,qui eſt actus in genere intelligibilium.

42 Obijc. 4. *idem.*Anima ſeparata intelligit per ſpecies acceptas à rebus, quamuis careat organis ſenſuum; ergo à fortiori hoc poteſt Angelus, qui eſt maioris virtutis intellectiuæ. Prob. ant. Intellectus ſeparatus à ſenſibus eſt liberior, & expeditior ad agendum, & ideo eſt maioris virtutis; ſed prout coniunctus cum ſenſibus poteſt abſtrahere ſpecies à ſenſibilibus; ergo à fortiori,prout ſeparatus. 2. Si intellectus ſeparatus non poſſet abſtrahere à ſenſibilibus ſpecies, maximè,quia phantaſmata, vtpotè materialia,nullā habent proportionem cum intellectu,qui eſt immaterialis; ſed intellectus, prout coniunctus, eſt immaterialis; & tamen phantaſmata materialia agunt in ipſum;ergo nulla eſt hæc ratio.

Reſp.ad 1.neg.ant.Ad prob.diſt.ma. Eſt liberior,& expeditior ad agendum, idèſt ad intelligendum,conc,idèſt ad abſtrahenda phantaſmata, neg; quia enim intellectus ſeparatus habet ſpecies ſibi coniunctas, quæ non obſcurantur à denſitate materiæ,nec aggrauantur ab illa,& per conſequens ſunt clariores,& vegetiores;ideo liberior eſt,& expeditior ad intelligendum.At verò quia non habet ſibi naturaliter vnitum organum phantaſiæ, quo poſſit tangere phantaſmata; ideo nequit illa abſtrahere; cū ad omnem actionem requiratur contactus; vt *ſup.* dictum eſt. Ad 2.*diſt.*ma. Quia nullam habent proportionem ſpecificam,neg; nam phantaſmata, licèt materialia,poſſunt tamen in vi luminis intellectus agentis eleuari ad agendum in intellectum poſſibilē; quia nullam habent proportionem contactus, conc;& ſic nulla poteſt eſſe actio.

43 Inſt.*Maſtr.*1. Quamuis phātaſma ſit materiale; attamen poteſt per modum cōcauſæ partialis concurrere ſimul cum intellectu agente ad producendam in intellectu Angeli ſpeciem intelligibilem;ſicut de facto concurrit ad illam producendam in intellectu hominis coniuncto eo prorſus modo, quo diximus *de Viſ. beata* intellectum creatum immediatè cōcurrere ad eliciendam viſionem partialiter. 2. Quamuis obiectum materiale nequeat vniri cū intellectu Angelico per vnionem inhæſiuam; attamen poteſt vniri per vnionem virtualem;quæ nihil aliud eſt, quàm debita approximatio, quæ eſt inter obiectum,& potentiam;vt inter coloratum,& oculū; ſic enim obiectum poteſt excitare potentiam ad agendum;ergo quamuis res materiales nequeant vniri inhæſiuè cum intellectu Angeli;attamen, quia poſſunt poni in tali diſtantia locali, vt poſſint ipſum excitare ad intelligendum, poterunt cauſare ſpecies in illo.

Reſp.ad 1.neg.aſſumptum; & diſparitas eſt

de

de noſtro intellectu, qui habet naturaliter vnitā phantaſiam,in quam poteſt agere res materialis; & ſic mediante illa in intellectum; ſic ignis poteſt generare ſubſtantiam, cui ſunt coniunctæ qualitates contrariæ; quia poteſt agere in qualitates contrarias;at verò ſubſtantiam ſpiritualem nequit generare; quia illi non ſunt annexæ qualitates contrariæ; quibus mediantibus ignis generat. Ad aliud *de Viſione beata* dicimus falſum eſſe; vt vidimus ſuo loco; ſed hoc admiſſo neg. paritas; quia intellectus poteſt tangi intrinſecè à Diuina eſſentia per illapſū; & ideo hæc poteſt in illū agere; at verò intellectus Angeli nequit tāgi à re materiali;& ſic nequit ſuſcipere actionem illius. Ad 2.dicitur aliud eſſe excitare potentiam ad agendum;& aliud producere ſpeciem in illa; poſtquam enim ſpecies eſt recepta in potentia, adhuc requiritur obiectum in debita diſtantia, vt videatur;ad hoc autem,vt producat ſpeciem in potentia,requiritur,quòd illam tangat; vnde cùm phantaſma tangat intellectum ſolùm mediante phantaſia,qua caret Angelus,ideo nequit agere in Angelum.

44 Replic.Poteſt Angelus tangere corpus; ſed ex eo,quòd corpus tāgitur, neceſſe eſt,quòd tangat id,à quo tangitur; ergo corpus poteſt tāgere ſpiritum.

Reſp. diſt.ma. Poteſt Angelus tangere corpus per operationem ſaltem virtualiter tranſeūtem,conc;per ſuam eſſentiam, neg; & ſic diſt.mi. Id, quod tangitur per operationem, neceſſe eſt, quòd tangat, neg; nam hæc inferiora tanguntur à Cœlo per operationem; non tamen tangunt Cœlum; id, quod tangitur per ſubſtantiam, vt corpus ab anima,conc;corpus autem non ſic tangitur ab Angelo.

45 Obijc.5.Angelus non cognoſcit per ſpecies infuſas indiuidua particularia;quia cùm hæc ſint infinita,haberet ſpecies cathegorematicè infinitas;tum quia particulare nullo modo cognoſcitur per vniuerſale,quia cognoſceretur per cōmunia,non per propria; ergo ſaltem indiuidua cognoſcit per ſpecies acceptas à rebus.

Reſp.1; quòd ex hoc ſequeretur Angelum nec per ſpecies infuſas, nec per acquiſitas cognoſcere indiuidua;in tantùm enim non cognoſceret per ſpecies infuſas; in quantùm ſunt vniuerſales, & per ſpecies vniuerſales non poſſunt cognoſci res particulares;ſed etiam ſpecies à rebus acceptæ ſunt vniuerſales;ſunt enim denudatæ à conditionibus indiuiduantibus,quibus ablatis res non remanent ampliùs indiuiduæ, & particulares, ſed fiunt vniuerſales; ſi nanque noſter intellectus eſt potentia animæ,quæ eſt forma intrinſecè afficiens materiam; & tamen nequit recipere ſpecies cum conditionibus indiuiduantibus,quæ ſunt conditiones materiæ;multò minùs poterit intellectus Angeli vtcunque ſeparatus à materia recipere ſpecies indutas conditionibus materiæ;& ideo illas reciperet vniuerſales; & ſic non poſſet per illas cognoſcere particularia.

46 Reſp.2.neg.ant. Ad 1. prob. infert. diſt. Particularia exiſtentia,quæ ſolùm cognoſcuntur ab Angelo,ſunt infinita,neg;poſſibilia,quæ non cognoſcuntur,conc.Ad 2.dicitur;quòd ſequeretur creaturas in Deo, qui eſt cauſa vniuerſalis, non cognoſci ſecundùm rationes particulares. Diſt.igitur. Particulare nequit cognoſci per vniuerſale illud perfectè continente ſecūdùm communes,& proprias rationes,neg;illud non continente ſecundùm rationes proprias, & particulares,conc,ſed non eſt ad rem; quia ſpecies Angeli, vtpotè deriuatæ ab idæis Diuinis, continent creaturas in eſſe intelligibili ſecundùm rationes vniuerſales,& particulares,vt *inf.*

47 Obijc.6.Angelus per ſpecies infuſas nequit cognoſcere complexa contingentia; vt v.g. *Petrum* ſedentem; ergo,vt illa cognoſcat,accipit ſpecies ab illis. Prob. ant. Ratio cognoſcendi illud complexum non cauſat ſufficientem notitiā illius,niſi extrema componentia illud complexū ſint apta nata cognoſci ex terminis;ſi enim complexum non ſit aptum natum cognoſci ex terminis, per ſolam terminorum notitiam cognoſci non poterit; quia aliunde dependet eius notitia; ſed complexum contingens nequit cognoſci ex terminis;quia propoſitio nota ex terminis eſt neceſſaria,immediata,& prima;& ideo non eſt contingens,ergo Angelus per ſpecies infuſas nequit cognoſcere complexa contingentia.

Reſp.neg.ant. Ad prob. dicitur *Maſtr.* nimis deijcere tam ſublimes intelligentias, dum eas deducit ad diſcendum ex terminis. Diſt. igitur ma. Reſpectu intellectus accipientis cognitionem à rebus,vt in nobis,conc;non accipientre, vt in Angelo,neg.Sic neg.mi;ad cuius prob.diſt. Propoſitio nota ex terminis eſt neceſſaria reſpectu intellectus abſtractiuè cognoſcentis ſolam eſſentiam,cuius termini ſunt neceſſarij,vt eſt noſter intellectus, non autem quiditatiuè eſſentiā, & exiſtentiam, conc; reſpectu intellectus quiditatiuè cognoſcentis eſſentiam, quæ neceſſariò conuenit rei; & exiſtentiam, quæ ei accidentaliter competit, vt eſt intellectus Angeli, neg. Igitur quòd ſeſſio *Petri*, & alia ei contingentia repræſententur à ſpecie *Petri*,arguitur ex eo,quòd *Rectum eſt index ſui, & obliqui*; ergo ſpecies, quæ repræſentat *Petrum*, qui eſt *rectum*, repræſentat etiam ſeſſionem, quæ eſt obliquitas ipſius *Petri*.

48 Obijc. 7. Si Angelus cognoſceret per ſpecies infuſas ab initio ſuæ productionis,ſequeretur, quòd cognoſceret futura contingentia, prout futura,& ſecreta cordium,prout ſecreta; nam ad cognitionem eorum requiritur ſolùm potentia cognoſcitiua, & ſpecies illorum repræſentatiua; ſed conſ.eſt falſum,vt *inf*, ergo aliqua cognoſcit per ſpeciem. 2.Si exiſtentia rei exigeretur, vt res cognoſcatur ab Angelo, maximè, quia pareret notitiam in intellectu illius; ſed nō po-

poteſt parere notitiam,niſi immittendo ſpeciem; ergo acciperet ſpeciem à rebus. 3. Præſentia rei nihil facit ad cognitionem; videmus enim in cognitione abſtractiua, quòd ſufficit potentia cognoſcitiua, & ſpecies intelligibilis; nec requiritur præſentia rei, vt intellectus intelligat; ergo Angelus poſſet cognoſcere futura, quanuis non exiſtant. 4. Vel ſpecies ex ſe eſſet determinata ad repræſentandum hoc futurum, & oppoſitum huius; vel determinaretur ſolùm à præſentia, & exiſtentia rei? Primum nequit dici; aliter ſpecies repræſentaret determinatè contradictoria, quod implicat; ſi ſecundum; ergo res immittit aliam ſpeciem particularem, per quam determinat ſpeciem vniuerſalem exiſtentem iu mente Angeli. 5. Ad notitiam intuitiuã debet concurrere obiectum ſecundùm ſe immediatè; in hoc enim diſtinguitur à notitia abſtractiua, quæ fit per ſpeciem, ſed Angelus intuitiuè cognoſcit res; ergo accipit cognitionem intuitiuam à rebus. 6. In Angelis eſt intellectus agens, cuius munus eſt accipere ſpecies à rebus, & illas imprimere in intellectum poſſibilem.

Reſp. ad 1. neg. ſeq. Ad prob. neg. aſſumpt; ad cognitionem enim requiritur potẽtia cognoſcens, ſpecies, & res cognita; quæ eſt terminus cognitionis; & ratio eſt. Ad hoc, vt intellectus ſit verus, debet dari conformitas rei ſecundùm eſſe obiectiuum, quod habet res in intellectu, cum ipſo intellectu; & conformitas rei ſecundùm illud eſſe, quod habet extra intellectum, cum eſſe, quod habet extra intellectum, cum eſſe obiectiuo, quod habet in intellectu; vt diximus *to. 1. de Verit. art. 3*; ergo neceſſariò requiritur res cognita ſecundùm illud eſſe, quod habet extra intellectum. Tum quia ſpecies impreſſa eſt principium cognitionis; ergo debet habere terminum, qui eſt res ad extra. Hæc autem eſt differentia inter cognitionem abſtractiuam inadæquatam, & quiditatiuam adæquatam; quòd illa terminatur ad aliquod prædicatum rei præſcindendo ab exiſtẽtia rei; iſta verò ad omne prędicatum competens rei, & ideo etiam ad exiſtentiam; ſed cognitio Angeli eſt quiditatiua adæquata, vt dictũ eſt; ergo neceſſariò exigit ad extra exiſtentiam rei. Igitur etiam conceſſo, quòd ſpecies exiſtens in mente Angeli præciſa exiſtentia rei repræſentet ipſam rem, adhuc non ſequitur cognitio ob defectum termini; & conformitatis ad extra. Vel dicitur communiter, quòd ſpecies non repræſentat, niſi vt ſimilis; vnum autem ſimile non repræſentat aliud ſimile, niſi illud aliud exiſtat; quia *relatiua ſunt ſimul natura*; & tamen vnum ſimile ex eo, quòd ponatur aliud ſimile, nihil penitus acquirit; ita ex eo, quòd ſpecies non repræſentet rem, cui eſt ſimilis, quia illa res non eſt actu; & licèt ex poſitione rei repræſentet, nihil tamen acquirit à re; & ideo exiſtentia rei extrinſeca nullo modo agit in intellectũ Angeli. Ad 2. neg. ma; licèt enim præſentia rei reſpectu intellectus potẽtialis exigatur, vt pariat notitiã ſui *quoad an eſt*, quam notitiam non parit, niſi immittendo phantaſmata; attamen reſpectu intellectus actualis habentis ſpeciem infuſam non exigitur præſentia rei extrinſeca, niſi in ratione puri termini. Et quanuis illa res ſpectet ad obiectum primarium ſpecificatiuum intellectus, cuius propriũ eſt excitare, & mouere intellectum ad actualem intellectionem; attamen quando res nequit per ſe ipſam vniri intellectui, ſed ſolùm per ſpeciem; tunc mouet, & excitat immittẽdo ſpeciem, per quam actuat, & mouet intellectum; quando verò ſpecies rei infunditur à Deo, non autem immittitur ab ipſa re; tunc res habet rationem puri termini adęquantis ſpeciem, & intellectionem. Ad 3. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur, quòd ſicut cognitio abſtractiua, quæ præſcindit ab exiſtentia, requirit, quòd res habeat eſſe eſſentię; quapropter res, quæ non habet eſſe eſſentiæ, aut exiſtentiæ, eſt incognoſcibilis, quia cognoſcibilitas eſt paſſio ipſius eſſe; ita cognitio quiditatiua adæquata, quę tendit in rem, vt exiſtentem, requirit, quòd res habeat eſſe exiſtentiæ. Ad 4. vel dicitur, quòd ſpecies ex ſe ipſa eſt determinata ad repræſentandas omnes modificationes contingentes rei, hoc tamen non ſufficit ad cognitionem quiditatiuam, quia requiritur exiſtentia rei, vt dictum eſt; neque implicat, quòd eadem res repræſentet plura diſparata, vel etiam oppoſita ſecundùm diuerſos reſpectus ad diuerſa tempora, vt patet de Idęis Diuinis. Vel dicitur, quòd terminatur ad rẽ merè extrinſecè; ſicut vna albedo determinatur ab alia albedine, vt ſit ſimilitudo illius; ſimilitudo autem nõ importat aliquod eſſe, ſed ſolùm reſpectum, qui reſultat in ipſa re ad poſitionem alterius termini; non autem producitur ab illo termino; ſic ſpecies Angeli determinatur à re per reſpectum, qui reſultat in ſpecie ad poſitionem rei, non autem producitur ab ipſa re. Ad 5. diſt. ma. Debet obiectum concurrere immediatè, vt *quod* terminans, conc; vt *quo*, neg; nam paries intuitiuè videtur ab oculo, quia immediatè concurrit terminando, vt *quod*, & tamen videtur per ſpeciem, vt *quo* exiſtentem in oculo; ſic dicendũ de rebus reſpectu intellectus Angelici. Vel neg. mi; res enim nequeunt vniri intellectui Angelico in ratione obiecti intelligibilis, vt *ſup.* dictum eſt; neque ex hoc ſequitur cognitionem Angeli eſſe imperfectiorem; quia res in ſpecie exiſtente in intellectu Angeli habet clarius, & immaterialius eſſe; & ideo perfectiùs videtur; ſicut perfectiùs videtur creatura in Deo, quàm in ſe ipſa, quia habet in Deo purius, & immaterialius eſſe.

49 Dices cont. 2. reſp. ad 3. Relatio cogniti eſt poſterior ipſa cognitione, ad quam ſequitur; ergo in ſpecie non præſupponitur ad cognitionẽ rei repræſentatæ per ſpeciem.

Reſp. *Fund. Doct.* in ſpecie eſſe duplicem relationem; aliam ſimilitudinis cum re repræſentata; & hanc dicimus præſupponi ad cognitionẽ;

aliam cogniti, & hæc conſequitur ad cognitionem,& de hac non loquimur.

50 Inſt.Si ſufficeret præſentia rei,vt cognoſcatur,ſequeretur nihil præſens poſſe celari Angelo;ſed hoc eſt falſum;ait enim *D.Chriſoſt.hom.4.c.2.in Matt.Beat.Virginem* fuiſſe deſpōſatam; *vt partus eius celaretur Diabolo*; ergo præſentia non ſufficit; ſed vlteriùs requiritur immiſſio ſpeciei.

Reſp.neg.ſeq;ad hoc enim, vt aliquid abſcondatur Angelo, ſufficit, quòd non vtatur tali ſpecie in ordine ad illam rem; hinc Diabolus videns Virginem deſponſatam non vſus eſt ſpecie Virginis ad cognoſcendum eius partum; ſed eum putauit, vt reliquos partus aliarum ſponſarum. De præſentia autem ſecretorum cordis eſt alia ratio;de qua *inf.*

§. 3.

An ſpecies ſint proprietates intellectus Angeli?

51 HAnc, & ſequentem difficultatem *ſub hoc art.* concludimus; quia non ſūt, niſi duæ obiectiones factæ contra præcedentem concl.

52 Prima ſententia vult ſpecies Angelorū non eſſe propriè, & in rigore proprietates ipſorum. *Ita Scot. apud Maſtr. hic diſp.2.q.6.art.3.n.149; Amic; Auerſa, Ariag;*quibus accedit maior pars *Thomiſtarum recentium*; vt *Ferrar. 2. cont. Gent c.98; Nauarret; Io. à S. Tho; Gonet; Salm; noſter Gibb.& alij.*

53 Secunda ſententia docet ſpecies eſſe proprietates rigoroſas ipſorum Angelorum. *Ita* expreſsè *Fund.Doct.in 2.cit.vbi ſup.n.33*;vbi ait: *Species ergo in mente Angeli comparantur ad Angelum ſicut accidentia ſpeciei comparantur ad rem quanlibet exiſtentem in ſpecie.* Et paulò ſuperiùs. *Sed accidentia ſpeciei, & ſequentia formam à primordio inſunt rei,nulla enim res eſt,quæ in ſui primordio non habeat omnia accidentia ſequentia ſpeciem,oportet enim talia conuenire omni,& ſemper.* Sed accidentia ſequentia formā,& conuenientia omni,& ſemper ſunt proprietates rigoroſæ;ergo ſi ſpecies in Angelis ſunt accidentia ſequentia formam, ſunt proprietates Angelorum in rigore. *Idem* habet *in eadem diſt.3.p.2.q.2.art.2. in reſol. dub. 3. ad 3*; vbi poſtquam dixit ſpecies Angelis eſſe connaturales, & ideo non aſſimilari ſpeciebus,& habitibus à nobis acquiſitis,qui nō ſunt nobis connaturales, ait aſſimilari potentijs, quæ ſunt in nobis; quæ procul dubio ſunt proprietates à noſtra fluentes eſſentia. Inquit autē: *Species ergo in mentibus Angelorum non aſſimilātur habitibus,& ſpeciebus noſtris; ſed vt ad propoſitum ſpectat,magis aſſimilantur potentijs, quæ ſūt nobis connaturales.* Pro hac ſententia referuntur *Capr, Caiet; Naz; Val, Granad; Ban, & alij.*

54 Not; quòd difficultas procedit de natura Angelica genericè ſumpta; & facit ſenſum; an ſpecies ſint veræ proprietates ſequentes naturam Angelicam, vt natura eſt; & illi naturaliter debitæ; certum enim eſt non eſſe ſpecies vnius naturæ Angelicæ in ſpeciali v.g.*Gabrielis*;cōueniunt enim alijs etiam Angelis. Itaque ſicut dicimus ſenſus eſſe proprietates animalis,vt animal eſt; quia reperiuntur in quolibet, & ſolo animali;ita à pari.

55 Vnica concl.Species ſunt veræ proprietates Angelorum.

Prob.1.*ex Beatiſſ. P. vbi ſ. n.28.* docente ſpecies rerum *priùs fuiſſe in Verbo Dei*, quod eſt *Sapientia genita*; *deinde factas fuiſſe in Sapientia creata*,quæ eſt Angelus, ex quo ſic. Illa, quæ accidentaliter actu conueniunt vni,ſoli,& ſemper, ſunt veræ proprietates in rigore; ſed ſpecies cōueniunt actu vni naturæ Angelicæ, ſoli, & ſemper; ergo ſunt veræ proprietates in rigore. Ma. patet; eſt enim definitio proprietatis communiter allata. Prob.mi.Vni, & ſoli naturæ Angelicæ conuenit habere ſpecies ſibi concreatas; nam in Deo ſunt increatæ; & in nobis à rebus acceptæ; & ſpecies in Angelis ſunt creatæ in ipſorum intellectibus,ſeu mentibus,quod autem eſt creatū in intellectu,tanquam in ſubiecto,accidentaliter ei conuenit; quia ſubſtantiæ repugnat eſſe in ſubiecto,tandem quod eſt concreatum in alio,non deſtruitur niſi ad deſtructionem illius, vt ſuperiùs diximus;& ideo quandiu illud eſt,ſemper ei conuenit; ergo ſpecies accidentaliter actu conueniunt vni naturæ Angelicæ,ſoli,& ſemper..

56 Conf.Accidens,quod ſequitur formam, eſt proprietas eſſentialis illius ei connaturaliter debita, & ab ea naturaliter exigita; vt diximus *n.28.* ſed ſpecies ſunt accidentia ſequentia naturam Angelicam,quæ eſt forma ipſius Angeli; nō enim ſequuntur indiuiduum Angeli tanquam operationes ipſius; quia non ſunt per actiones intellectus Angelici à rebus acceptæ;quòd ſi ſequerentur indiuiduum tanquam aliquod concreatum, eſſent pariter proprietates indiuiduales; quas pariter admittimus in nobis vſque ad numerum ſeptenarium; vt dicitur *in Logica*; nequeunt tamen eſſe proprietates indiuiduales; ſic enim non cōuenirent omnibus Angelis, ſed vni tantùm,& ideo ſequuntur formam, ſeu naturam Angeli;quia ſunt cum illa omnibus communes; patet autem in Angelis nihil aliud eſſe præter naturam,& indiuidualitatem,& per conſequens ſi ſpecies non ſequuntur indiuidualitatem, optimè infertur ſequi naturam;ergo ſpecies ſunt veræ proprietates in Angelis.

57 Prob.2.ex illo *Beatiſſ.P. Ex obiecto, & potentia paritur notitia*; ex quo ſic arguit *Fund. Doct.hic.* Angelus ex ſua natura exigit ſpecies, quæ ſunt illi debitæ eſſentialiter in ſecundo modo dicēdi per ſe;ergo ſpecies ſunt veræ proprietates Angelorum. Prob. ant. Illud, quod ex ſua natura eſt actu intelligibile, & actu intelligens, ex ſua natura exigit id, per quod conſtituitur formaliter actu intelligibile, & actu intelligens; quod ei eſſentialiter debetur in ſecundo modo di-

dicendi per ſe;ſicuti illud,quod ex ſua natura eſt actu calefaciens, ex ſua natura exigit calorem, per quod formaliter conſtituitur calefaciens in actu primo; ſed Angelus ex ſua natura eſt actu intelligibilis,& actu intelligens; ergo ex ſua natura exigit id, per quod conſtituitur formaliter intelligibile, & intelligens in actu primo; quod eſt ei eſſentialiter debitum in actu primo. Ma. patet.Prob. mi. Angelus eſt ſeparatus ab omni materia phyſica; ſed ſeparatio à materia phyſica eſt ratio intelligibilitatis, & intelligentiæ actualis;vt diximus ſuperiùs;& *to.1. q.2. de Subſt. Dei art.7.§.1*;ergo eſt actu intelligibilis,& intelligēs. Tum quia ſi eſſet intelligens,& intelligibilis in potentia,nō differret ſpecie ab homine;nec poſſet intelligere ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam; nec haberet ſpecies concreatas;quæ omnia falſa ſunt; ergo eſt actu intelligibilis, & intelligens; quod eſt intelligendum de actu primo, non de ſecundo.*Vid.art.1*.Tum quia eadem immaterialitas,quæ conſtituit intelligibilitatem paſſiuam in actu primo,per quam res per ſe ipſam,& non per aliud poteſt intelligi, conſtituit etiam intelligentiam in actu primo; nam *potētiæ paſſiuæ correſpondet ſua potentia actiua*; Angelus autem eſt per ſe intelligibilis in actu primo;ergo & intelligens actiuè in actu primo; ſed id, per quod conſtituitur actiuè intelligens alia à ſe, eſt ſpecies; quia debet eſſe forma,per quam conſtituatur in eadem ſpecie, in qua eſt obiectum, quod debet intelligi; *cùm agens debeat eſſe in actu ſecundum illam formam,in quam tendit*; vt diximus *vbiſ*; illud autem, quo intellectus conſtituitur in ſpecie obiecti,debet eſſe ſimile obiecto;& hoc dicimus ſpeciem;tandem illud, per quod Angelus conſtituitur actu intelligibilis paſſiuè per ordinem ad alia à ſe,debet eſſe id, quod coniungitur paſſiuè intellectui per modum *famellæ*,ex quo paritur intellectio *tanquam proles*; vt loquitur *Beatiſſ.P.*;hoc autem eſt ſpecies; tum quia ſicut Angelus eſt actu intelligibilis per ſuam ſubſtantiā, quæ tamen vnitur intellectui eiuſdem Angeli tanquam ſpecies actiuè influens in cognitionem ſui,& ideo ex eo, quòd Angelus ſit actu intelligens per ſpeciem, eſt etiam per ſpeciem intelligibilis; ergo Angelus ex ſua natura exigit ſpecies,quæ ſuot ei debitæ in ſecundo modo dicendo per ſe.

58 Conf.Ex eo,quòd intellectus Dei ſit purus actus in genere intelligibilium, eſſentialiter exigit ſpecies rerum ſibi identificatas per modū proprietatis aduenientis; & ex eo, quòd intellectus noſter ſit pura potentia in eodem genere, eſſentialiter exigit poſſe recipere ſpecies;potentia autem ad recipiendas ſpecies eſt proprietas illius; ſpecies verò, quia acquiruntur, & deperduntur, & ideo quia non inſunt ſemper noſtro intellectui,ſunt quidem proprietates illius; cùm illi ſolum conueniant;non tamen sūt proprietates quarto modo;quę sūt proprietates in rigore; ergo intellectus Angeli,quia eſt actu intelligēs, eſſentialiter exigit ſpecies; quæ, cùm ei conueniant ſemper, nihil deeſt, quin ſint proprietates illius in rigore.

59 Denique prob. euertendo rationes oppoſitas. 1. Gratis omnino aſſeritur ſpecies eſſe Angelis à Deo donatas ex ſua mera liberalitate; nam hoc idem dicere poſſemus de omnibus proprietatibus euiuſcunque eſſentiæ, quæ pariter habentur ex dono creationis; ergo ſicut non habemus aliud fundamentū aſſerendi aliquas eſſe proprietates; niſi quia videmus competere rebus ſemper;ita dicendum de ſpeciebus Angelorum;tum quia nulla alia ratione dicimus v.g. eſſentiam hominis naturaliter exigere riſibilitatem; niſi quia videmus illam in quolibet homine reperiri;ſed etiam in Angelis videmus reperiri ſpecies; ergo idem de ſpeciebus dicendum. 2.Dicere, quòd Deus poſſit producere genera rerum diuerſa à generibus, quæ de facto produxit,eſt merè diuinari oppoſitè ad rationem; nam ratio dictat decem prædicamenta eſſe decem genera adæquatè diuidentia ens; & ſic corpus, & ſpiritum adæquatè diuidere ſubſtantiam; & ſic animatum, & inanimatum diuidere corpus; & ſicuti Deus non poteſt facere aliquod corpus, quod non ſit animatum, vel inanimatum; aliter hæc duo non adæquarent corpus; ita dicendum eſt Deum non poſſe facere aliud genus Angelorum diuerſum ab eo,quod produxit;ſicut nequit facere genus corporis diuerſum ab illis,quę produxit; nam de inuiſibilibus nequimus philoſophari niſi ex viſibilibus; aliter eſt merè diuinari; ergo non probatur Deum poſſe infundere nouā ſpeciem in Angelum ex eo, quòd poſſit producere nouum genus Angelorum; quod magis patebit in ſolutione obiectionum, de quibus idem iudicium faciendum eſt.

60 Obijc. 1. *Gonet.* Quælibet natura eſt ab intrinſeco determinata ad habendas ſuas proprietates ita,vt nequeat eſſe ſine illis; quia ſemper ei inſunt; ſed natura Angelica poteſt eſſe ſine aliquibus ſpeciebus; certum enim eſt non habere ſpecies rerum poſſibilium; & ſi aliqua res poſſibilis fieret exiſtēs, Angelus acquireret ſpeciem illius; ergo ſpecies non ſunt proprietates naturæ Angelicæ. 2.Quanuis materia ſublunaris eo ipſo, quòd eſt creata, habeat determinationē ad aliquam formam; attamen forma non eſt paſſio illius;ergo quanuis natura Angelica eo,quòd eſt creata,habeat determinationē ad ſpecies rerum exiſtentium; attamen ſpecies non ſunt proprietates illius. 3.Sequeretur Deum non poſſe creare in alio Mundo Angelos,qui de facto sūt; quia ſpecies Angeli, qui de facto eſt, ita repræſentat naturas,quæ ſunt in hoc mundo, vt non repræſentet illas,quæ eſſent in alio Mundo; ſed conſequens eſt falſum; quia Angelus non pendet eſſentialiter ad hoc Mundo;ergo & ant.Imò ſequeretur, quòd ſi Deus nunc produceret aliū

Angelum;Angeli,qui de facto ſunt, illum non cognoſceret:vel ſi illum cognoſcerent,Deus infundendo ſpeciem repræſentatiuam illius, mutaret eſſentiam illorum; quia mutatis proprietatibus à poſteriori ſequitur mutatio eſſentiæ. 4. Sequeretur Angelum cognoſcere alia à ſe per ſuam eſſentiam; quia cognoſcens aliquam eſſentiam cognoſcit per illam omnes proprietates ab ea dimanantes; & ſic cognoſceret omnes ſpecies exiſtentes in ſe ipſo per ſuam eſſentiam; & per conſequens obiecta repræſentata per illas ſpecies;quod *ſup.* diximus falſum eſſe. 5. Si ſpecies eſſent proprietates, eſſent eductæ ab eſſentia,non infuſæ à Deo;ſed ſunt infuſæ; ergo non ſunt proprietates.

Reſp.ad 1. *cum Fund.Doct.in 3.diſt.3.p.2. q.1.art.2.in reſol.dub.*4. neg.mi. Ad prob.infert. diſt. Angeli non habent ſpecies rerum poſſibiliū in genere, neq; in ſpecie athoma, vel in indiuiduo,conc.Angeli ergo, quia cognoſcūt per ſpecies vniuerſales, vt *inf.*& quò perfectiores ſunt, eò per vniuerſaliores;vt fatetur etiā *Gonet*; ideo, cognoſcunt per ſpecies generum; & ad hoc, vt cognoſcant poſſibilia,ſufficit,quòd illa ponantur à parte rei;vt diximus *in ſup.*§; abſque eo,quòd aliquid addatur ſpeciei exiſtenti in Angelo cognoſcente:& in hoc ſenſu dicuntur non habere ſpecies poſſibilium. Ad 2. Dicitur formam ſublunarem non eſſe proprietatem materiæ, quia eſt ſubſtantialis; proprietas autem eſt accidentalis. Ad 3.neg.ſeq;vt dictum eſt ad 1;nam certum eſt res alterius Mundi poſſe differre à rebus huius Mundi ſecundùm ſpecies athomas,& indiuidua; non ſecundùm genera;patet enim, quòd illæ res eſſent ſubſtantiæ,& accidentia; corporeæ, vel incorporeæ;& ſic ſecundùm ſpecies, quas de facto habet, horum generum poſita ſola exiſtentia illarum rerum illas cognoſceret. Ad aliud reſp. *Fund.Doct.* illum Angelum nouiter productum ſpectare ad aliquod genus ex productis Angelorum; & ſic cognoſci per ſpeciem illius generis;quæ poſita illius noui Angeli exiſtētia ſtatim illum repræſentat. Vel licèt illum de facto repræſentet, de facto tamen non cognoſcitur defectu termini;vt diximus *n.*48. Ad 4.neg.ſeq; nam cognoſcens eſſentiam cognoſcit proprietates, non tamen terminos illarum proprietatum;vnde Angelus videndo ſuam eſſentiam videt vtique ſuas ſpecies eſſe repræſentatiuas Angelorum; non tamen videt Angelos repræſentatos,niſi quatenus comparat illas ſpecies ad Angelos,quorum ſunt ſpecies; ſed tunc illos videt per ſpecies, non per eſſentiam,vt patet. Ad 5. neg. 2. pars ma; nam proprietates non educuntur; quia eductio importat tranſmutationem ſubiecti; vt dictum eſt *q.2.de Creat. art.1. n.7*; dicuntur autem emanare;vt *ſup.*explicatum eſt.

61 Obijc.2.*Maſtr.n.*149. Si ſpecies emanarent ab intellectu,intellectus eas contineret virtualiter,& eminenter; quia effectus præcontinetur in cauſa, à qua dimanat; ſed conſequens eſt falſum; ſi enim intellectus cōtineret ſpecies virtualiter,& eminenter, illis non indigeret ad intelligendū;ergo & ant.2.Nulla eſt ratio, cur natura Angelica exigat potiùs ſpecies exiſtētium, quàm poſſibilium; ergo ſpecies non ſunt Angelis connaturales.

Reſp.ad 1.neg.ſeq.ma. Ad prob. diſt. Effectus præcontinetur à cauſa, *ad quam* ſequitur, neq; *à qua* effectiuè producitur,cōc; nullus enim diceret, quòd intellectus præcontineat voluntatem,quæ ad illum ſequitur; & tamen nullus poteſt negare,quòd intellectus nō ſit cauſa, *ad quā* ſequitur voluntas.Sic eſſentia eſt cauſa,*ad quam* ſequuntur paſſiones; cauſa autem *ad quam* eſt potiùs ratio,quàm cauſa; & ideo non debet continere effectum, quia per verum influxum non dat eſſe;ſed ſolùm eſt ratio,ad quam producitur à cauſa efficiente eſſe effectus. Ad 2. neg. ant;ratio enim petitur ex differentia,quæ reperitur inter intellectum Angeli quidditatiuè cognoſcenē, & ideo terminantem ad eſſentiam rei, vt ſtat ſub exiſtentia; & intellectum hominis præciſiuè inadæquatè cognoſcentem;& ideo terminantem ad ſolam quidditatem rei naturalis præciſa exiſtentia;vt diximus *n.*23.

62 Obijc.3.*Gibb.*Eſſentia Angeli nudè conſiderata vel exigeret ſpecies omnium poſſibiliū, vel aliquorum tantùm? Non primum; quia ſpecies omnium poſſibilium ſunt infinitæ; & infinitas repugnat creaturæ.Non ſecundum; quia intellectus Angeli de ſe eſt indifferens ad res exiſtentes,& poſſibiles;ergo nullo modo exigit naturaliter ſpecies.2.Angelus comprehendit ſuum intellectum;ergo ſi ſpecies exiſtentium repræſētarent etiam poſſibilia, cognoſceret omnia poſſibilia; quod eſt falſum. 3. Poteſt Deus creare nouum genus Angelorum; ergo vel tunc deberet infundi ſpecies repræſentatiua illius,vel non cognoſceretur; ergo non eſſet proprietas illius.

Reſp.ad 1.exigere ſpeciē omnium eorū,quæ ſpectant ad illud genus,ſiue illa ſint exiſtentia, ſiue poſſibilia; actu tamen non repræſentari niſi exiſtētia; vel ſaltē nō cognoſci niſi exiſtentia defectu terminorū;cū enim poſſibilia non ſint actu, ideo non poſſunt terminare cognitionem quidditatiuam; & ſic cognoſcuntur ſolùm abſtractiuè inadæquatè.Ad prob.dicitur ſpecies poſſibilium eſſe infinitas ſecundùm indiuidua,& ſecundùm naturas infinitas;non autem ſecundùm genera. Ad aliud dicitur, quòd ſicut intellectus de ſe eſt indifferens; & non cognoſcit determinatè niſi per ſpeciem determinatè repræſentantē hoc obiectum;quæ determinatio fit à voluntate Angeli; ita ſpecies de ſe eſt indifferens ad hoc, vel illud repræſentandum;nec determinatur, niſi quatenus à voluntate dirigitur ad hoc obiectum determinatè exiſtens. Ad 2.neg. ant; ſi enim comprehenderet ſuum intellectum, videret infinitos actus,quos poſſet elicere. Ad 3.reſp.*Fund.Doct.* vbi ſ.

vbiſ. diſt. ant. Poteſt Deus creare nouum genus Angelorum ſubalternatum,& inſufficiẽs ad multiplicandam ſpeciem,conc; ſicut enim multa ſũt genera animatorũ; vt herbarum, plantarum &c; quæ tamen non ſufficiunt ad multiplicãdas proprietates animæ vegetatiuæ; & ideo ſola genera ſuprema; vt eſſe ſenſitiuum, & intellectiuum, multiplicant proprietates animæ; ita non quodlibet genus Angelorum ſufficiens eſt ad multiplicandas ſpecies in Angelis. Sufficiens ad multiplicandas ſpecies, neg. Sicut autem dicimus in corporalibus;quod nullum aliud genus ſuperius ad genus intellectuale eſt creabile à Deo; ita dicendum eſt de genere ſupremo Angelorum; arguere enim debemus ex viſibilibus.

63 Obijc.4.Si ſpecies fluerent ab eſſentia, ſequeretur,quòd eſſentia eſſet ſimilitudo omniũ rerum,quas repræſentant ſpecies,& ſic per illam cognoſcerentur alia ab Angelo;nam ſpecies non poteſt fluere niſi à perfectè ſimili habente perfectam repræſentationem ipſius ſpeciei; quia ipſæ formaliter ſunt repræſentationes rerum;ſed cõſ. eſt falſum;ergo & ant.

Reſp.neg.ſeq. Ad prob. diſt. aſſumpt. Species non poteſt fluere niſi à perfectè ſimili in genere cauſæ exemplaris, cõc;in genere cauſæ formalis *ad quam*, vel efficiẽtis,neg;nam idæa, quã format Pictor v.g; in genere cauſæ efficientis eſt à Pictore,& tamen non eſt ei ſimilis;aliter Pictor non poſſet pingere niſi imaginem ſui; imago autem facta à Pictore fluit, vt ſimilis ideæ exiſtenti in mente Pictoris, quia illa eſt cauſa exemplaris illius. Vnde cùm eſſentia Angeli non ſit cauſa exemplaris ſpecierum;ſed merè formalis, ſeu efficiens *ad quam*; ideo non eſt ſimilitudo illarum.

64 Inſt. Species ideo fluunt ab obiecto; quia eſt repræſentatiuum magis, quàm ipſa ſpecies;ſed obiectum concurrit ad productionem illarum merè efficienter;ergo nulla reſponſio.

Reſp.etiam cauſam exemplarem reduci ad cauſam efficientem,ideo diſt.mi. Obiectum concurrit merè efficienter; ſi ly *merè* excludat cauſam exemplarem, neg; ſi illam includat, conc. Exemplum eſt de Pictore pingente ſe ipſum;tũc enim Pictor eſt cauſa efficiens, & exemplaris;cũ autem pingit alia à ſe; tunc pingit ſolùm efficienter,non exemplariter;quia ipſe non eſt exemplar aliorum à ſe. Sic eſſentia Angeli concurrit efficienter ad productionem ſpecierum tanquam cauſa *ad quam*; non tamen concurrit exemplariter;quia ipſa non eſt exemplar aliorum à ſe.

§. 4.

An Angelus per ſpeciem vniuerſalem cognoſcat particularia?

65 NOn procedit difficultas;an per eandem ſpeciem,per quam cognoſcitur aliquod ſingulare,cognoſcantur omnia prædicata vniuerſalia,quæ ſunt in illo ſingulari; v.g. per eandem ſpeciem, per quam cognoſcitur *Petrus*, ſeu *Petreitas*,cognoſcatur rationalitas, animalitas,vita, corporeitas,ſubſtantia,& entitas;in hoc enim ſenſu concedit *Scotus in 2. diſt.3. q.2. §.Quintò dico apud Maſtr.inf. n.166.* partem affirmatiuam;& ratio ipſius eſt;quia ſicut ſe habet ſingulare ad vniuerſale in eſſendo; ita ſe habet ſpecies repræſentatiua ſingularis ad rationes vniuerſales in repræſentando; ſed ſingulare cõtinet eſſentialiter rationes vniuerſales;ergo ſpecies repræſentatiua ſingularis repræſentat eſſentialiter rationes vniuerſales, quæ ſunt in illo ſingulari. Vnde *Scotus* vult per ſpeciem ſingularis cognoſci vniuerſalia, quæ ſunt in illo ſingulari; non tamen per ſpeciem vniuerſalis cognoſci omnia particularia, quæ ſunt coniuncta cum illa ratione vniuerſali; v.g. per ſpeciem animalis cognoſci omnes naturas ſenſitiuas, & omnia indiuidua illarum. Controuerſia igitur eſt; an per ſpeciem generis cognoſcantur differentiæ,& indiuidua, cum quibus eſt illa ratio generis coniuncta.

66 Prima ſententia vult Angelum per ſpeciem vniuerſalem non poſſe cognoſcere ſingularia tum numero,tum ſpecie,tum genere diſtincta.*Ita Aureol. in 2. diſt.11. q.3. art.2; Scot.in 2. diſt.3.q.10; Maior.diſt.3.q.6; Baſſol.q.3; Fab.diſp.26; Rada,Vulp; & alij Scotiſtæ;* vno excepto *Auctore Controu. inter Scotiſtas;* vt teſtatur *Maſtr. hic diſp.2.q.7.art.1. n.167; & 176.* Refertur pro hac ſententia etiam *Arrub. diſp.155.c.1.*

67 Secunda ſententia docet Angelum per ſpecies vniuerſales cognoſcere omnia particularia actu coniuncta cum generibus,quæ repræſentant illæ ſpecies. *Ita Fund.Doct. in 2. diſt.3.p.2. q.2.art.4; & de Cog.Ang.q.9; Gibb.diſp.21.dub.4; & omnes noſtri; D.Tho.cũ ſuis; Salm,Vaſq,Alarc, Lezana,Auerſ,Amic; & alij ferè omnes communiter;pro tutus deciſ.*

68 Supp.Angelum naturaliter cognoſcere ſingularia cuiuſcunque ſpeciei naturalis exiſtentia à parte rei. Deducitur *ex Sacra Scriptura* locis, in quibus dicitur Angelos habere curam, prouidentiam,cuſtodiam,& gubernationem particularium;vt *in pſ.90. Angelis ſuis mandauit de te,vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis;*& *Gen.21. Vocauitque Angelus Dei Agar de Cælo dicens*; & *Tob.5. Dixit ei Angelus &c.* Ex quibus ſic. Prolatio alicuius nominis ſupponit cognitionem rei ſignificatæ per illud nomen;vt diximus *to.2.de Ineffab. art.1*; ſed Angelus profert nomina rerũ particularium;vt docet Fides; ergo Angelus cognoſcit res particulares. Tum quia Angelus non poteſt homines cuſtodire, niſi dirigendo actiones proprias illorum; ergo niſi dirigendo actiones particulares eorum; ſed nequit dirigere niſi illas cognoſcat,quia directio Angelorum eſt per intellectum; ergo Angelus cognoſcit actiones particulares hominum; & ideo eadem ratione cognoſcit indiuidua particularia,à quibus proficiſcuntur illæ actiones. Tandem intellectus humanus per conuerſionem ad phantaſmata, quæ cxi-

exiſtunt in ſenſibus, cognoſcit particularia per ea repræſentata;ergo à fortiori ea cognoſcit Angelus,qui perfectiùs cognoſcit;cùm ſit perfectioris naturæ.

69 Dices.Ex eo,quòd anima ſenſitiua ſit perfectior vegetatiua, non ſequitur,quòd poſſit nutrire, generare &c;ergo ex eo, quòd intellectus Angelicus ſit perfectior humano, non ſequitur, quòd poſſit cognoſcere ſingularia. 2.Si Angelus cognoſceret ſingularia, eius ſcientia variaretur; ſed conſ.eſt falſum;ergo & ant.

Reſp. ad 1; quòd ſicut anima ſenſitiua eo, quòd eſt perfectior,nequit habere actus proprios formales animæ vegetatiuæ; ita intellectus Angelicus nequit diſcurrere,enunciare &c;quia iſti ſunt actus proprij intellectus humani; non tamen ſequitur,quòd non poſſit cognoſcere,quidquid cognoſcit intellectus humanus; quia cognoſcere eſt actus genericè conueniens omni ſubſtãtiæ intellectuali. Diſparitas igitur eſt;quòd nutribile,generabile &c.non continentur formaliter ſub obiecto animæ ſenſitiuæ; at verò omne cognoſcibile ab intellectu humano continetur ſub obiecto intellectus Angelici;& ideo ſingularia, cùm ſint cognoſcibilia, quia ſunt entia, cognoſcuntur ab Angelo eminentiori modo, quàm ab homine. Ad 2.diſt.ma. Scientia Angeli variaretur extrinſecè; idèſt variaretur eius obiectum,conc;intrinſecè, neg; non enim deperduntur ſpecies ad variationem obiectorum;cùm non ſint ab obiectis acceptæ. *Hoc ſupp.*

70 Vnica cõcl. Angelus per ſpecies vniuerſales cognoſcit ſingularia.

Prob.1 *ex D.Dion.7.de Cæl.Hier*;vbi de Angelis ait: *Eadem quoq;ratione Ieſu feliciſſima societate dignatas intelligendum;nõ quòd ex fictis imaginibus,ac formis ille Deificam ſimilitudinem nitatur exprimere; ſed quòd veraciter in prima participatione ſcientiæ Deificorum ipſius luminum illi propinquæ ſint; ac præterea quòd ipſis Diuina imitatio excellentiore modo donata ſit,communicatque (quantum par eſt) in prima conditionis ſuæ Deificis ipſius, benigniſſimiſque virtutibus*. Cui conſonat *Beatiſſ.P.vbiſ.n.28,& lib.4.de Gen.c.32.Mẽs verò Angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, poſteaquam illo ordine creata eſt, vt præcederet cetera,priùs ea vidit in Verbo Dei facienda,quàm facta ſunt;ac ſic priùs in eius fiebant cognitione, cùm Deus dicebat, vt fierent; quàm in ſua propria natura*.Ex his ſic arguit *Fund.Doct.* Ideæ Diuinę prædicatorum vniuerſalium ſunt rationes cognoſcendi ſingularia;ſed ſpecies Angelorum sũt exemplatæ ab Idæis Diuinis; ergo ſpecies vniuerſales Angelorum ſunt rationes cognoſcendi ſingularia.Ma.patet;quia Idæa animalis v. g. in Deo, cùm ſit perfectiſſima, perfectiſſimè repræſentat omnes ſpecies, & indiuidua animalis; aliter abſtractiuè,& ideo imperfectè repręſentaret. Prob. mi. Species Angelorum ſunt à Deo artificioſo modo expreſſæ tanquam ſimilitudines rerum faciendarum in propria natura extra ipſum Deum; ſed ſimilitudo ab Artifice expreſſa ad extra ad aliquid faciendum eſt exemplata ab idæa exiſtente in mente Artificis; aliter illa ſimilitudo inordinatè fieret,quia caſualiter eueniret;difformiter enim ad idęam, quæ eſt principium illius exiſtens in mente Artificis,formaretur;ergo ſpecies Angelorum ſunt exẽplatæ ab idæis Diuinis.

71 Reſp. *Maſtr. n.*205. idæas Diuinas eſſe plures,non vnam;& ideo per vnicam idæam vniuerſalem non cognoſci plura particularia.2.Species infuſæ Angelorum non differunt eſſentialiter ab acquiſitis; differunt enim ſolùm ex parte efficientis,ſicut calor productus ab igne, & à Sole;tum quia tam acquiſitæ, quàm infuſæ ſunt eſſentialiter ſemina rerum;tum quia ſpecies infuſæ ſunt inſtitutæ ad repræſentanda obiecta à parte rei; ſed nullum indiuiduum continet aliud; ergo nulla dabilis eſt ſpecies repræſentans vnum, & aliud indiuiduum. Demum quia hæc eſſet perfectio nimis excedens noſtrum captum; & ideo Angelis non eſt concedenda.

Reſp.ad 1. idæas Diuinas eſſe plures æquiualenter,non realiter;& ſic dicimus ſpeciem vniuerſalem in Angelis eſſe æquiualenter multiplicem,quatenus valet ad repræſentanda plura;non tamen eſſe realiter multiplicem. Ad 2. neg. ant; nam ſpecies Angelorum differunt eſſentialiter per modum includentis,& excluſi;differũt enim; quia ſpecies generis in Angelis includit differentias, quæ pertinent ad eſſentiam rei; ſpecies verò generis à nobis acquiſita præſcindit à differentijs, & ſic de ſpecie ſpeciei reſpectu indiuiduorum. Ad 1.prob. inſert.neg. paritas; calor enim productus eſt calor ſecundùm ſuam vltimã differentiam; & ſic non differt niſi ex parte producentis;at ſpecies infuſa eſt ſpecies actualis includens differẽtias vltimas; acquiſita autem pręſcindit;ideo differunt nedum ex parte modi producendi, ſed etiam ex parte rei productæ. Ad 2. dicitur ſpecies infuſas eſſe ſemina perfecta ſuis differentijs; acquiſitas verò eſſe imperfecta; quia præſcindunt à differentijs; dicuntur autem ſemina rerum ſolùm reſpectu intellectus Dei, à quo oriuntur res;non autem reſpectu intellectus Angelici,vel humani,à quibus res non oriuntur;ſed ſolùm in illis exprimuntur. Ad 3. dicitur, quòd licèt vnum indiuiduum non contineat aliud;omnia tamen indiuidua connectuntur cum ratione generica; & ideo ſpecies perfectiſſimè repræſentans illud genus, debet etiam repræſentare illa indiuidua; quæ ſunt actus, & perfectiones ipſius generis.Et quãuis illa ratio generica in rebus ſit diuiſa, & multiplex; attamen in ſpecie eſt vna realiter; vt patet in nobis, qui per vnicam ſpeciẽ hominis cognoſcimus naturam humanam,quæ à parte rei eſt diuiſa in pluribus. Ad vlt. dicitur, quòd potiùs conformiter *ad D.Dion*; qui docet, quòd Angelis *Diuina imitatio*,quæ fit per Idęas, *excellentiore modo donata eſt*; hæc perfectio eis

eſt

Digitized by Google

eſt concedenda; Angelorum enim celſitudini ea congruunt, quæ noſtram ſuperant humilitatem; quàm conformiter *ad Scotum*, qui Angelos ita deprimit, vt eos ad infimam noſtri modi intelligendi conditionem diruat, ſit eis neganda.

72 Prob.2.*ex Fund.Doct. de Cog.Ang.via ſecunda.* In hoc diſtinguitur natura humana à natura Angelica; quòd humana eſt pura potentia paſſiua in genere intelligibilium; Angelica verò eſt coniuncta actui, vt ſuperiùs dictum eſt; nam ſicuti materia, quæ eſt vltima, & prope nihil in genere phyſico, eſt pura potentia paſſiua; ita natura humana, quæ eſt vltima, & infima in genere intelligibili; & infra quam eſt nihil intelligibile; eſt pura potentia paſſiua in tali genere; & ſicut id, quod eſt ſupra materiam, eſt actus in genere phyſico, quia eſt forma; ita natura Angelica, quia eſt ſupra naturam humanam in genere intelligibili, eſt actus in tali genere; ſed ex eo, quòd natura humana ſit pura potentia in genere intelligibilium, exigit intellectum, qui eſt pura potentia paſſiua, & naſcitur *ſicut tabula raſa*, idèſt ſine ſpeciebus, quæ ſunt formæ intellectus; & per conſequens acquirit ſpecies vniuerſales potentiales, idèſt præciſas ab indiuidualitatibus; ergo ex eo, quòd natura Angelica ſit actus in genere intelligibili, exigit intellectum actuatum ſpeciebus; & per conſequens ſpecies vniuerſales coniunctas cum ſuis indiuidualitatibus; & ideo per illas poteſt Angelus cognoſcere etiam indiuidua; nam ſicuti cognoſcit prædicata vniuerſalia rerum; quia ſpecies continet rationes vniuerſales illarum; ita cognoſcit gradus indiuiduales, quia illos continet in ſe ipſa; natura enim, proprietates, & virtutes naturales illius debent ad inuicem proportionari; aliter non ſeruaretur ordo commenſurationis inter illa; quod eſt *contra Scripturam* docentem Deum omnia feciſſe *in numero, pondere, & menſura*.

73 Conf. 1. Si Angelus per ſpecies infuſas intelligeret ſolùm naturas in communi, & particularia per ſpecies à rebus acceptas; intellectus Angeli non differret eſſentialiter ab intellectu hominis; quia quòd ſpecies infundatur, vel producatur ab obiecto, non facit diuerſitatem eſſentialem; vt dictum eſt, poteſt enim Deus infundere ſpecies etiam in intellectũ humanũ; ergo nulla eſſet diuerſitas ex parte modi intelligendi inter hominem, & Angelum; & ideo Angelus non eſſet ſuperior homine in intelligendo, & ſic nec in eſſendo; quia *operari ſequitur ad eſſe*; ergo hæc ſententia nimis deprimit Angelos.

74 Conf.2. Si Angelus per ſpecies vniuerſales non cognoſceret ſingularia, nullo modo illa cognoſceret; & ſic eſſet deterioris cõditionis, ac homo; nam *iuxta Scotũ* per ſpecies infuſas cognoſcit ſolùm naturas in communi; & ideo ſolas rationes communes; non poteſt autem accipere à rebus ſpecies particulares, quia caret ſenſibus; vt ſupra probatum eſt; ergo nullo modo cognoſceret particularia.

75 Prob.3.*ex eod.vbiſ.* Species Angeli infuſa quiditatiuè repræſentat naturã, cuius eſt ſpecies; in hoc enim diſtinguitur à ſpecie ex rebus abſtracta à noſtro intellectu; quæ non repræſentat, niſi abſtractiuè imperfectè, & inadæquatè, ſed natura quiditatiuè adæquatè repræſentata eſt cũ omnibus ſuis indiuiduis, & ſuppoſitalitatibus, quæ ſunt actus terminantes naturam, & ideo ſpectantes ad quiditatem illius naturæ; ergo per ſpeciem, per quam Angelus cognoſcit aliquam naturam vniuerſalem, cognoſcit etiam indiuidua illius naturæ; nam in tantùm per illam cognoſcit naturam, in quantùm illa repræſentat naturam; ergo in tantùm per illam cognoſcit indiuidua illius naturæ; in quantùm per illam repræſentantur etiam indiuidua.

76 Conf. Cognitio eſſentiæ ſine exiſtentia eſt abſtractiua inadæquata; nam licèt exiſtentia non ſit de conceptu eſſentiali eſſentiæ creatæ, ſpectat tamen ad complementum eſſentiæ, tanquam actus, per quem eſſentia ponitur à parte rei in hoc eſſe determinato, & ſpeciali; ergo ſpecies, quæ requiritur ad cognitionem quiditatiuã perfectam eſſentiæ, debet etiam repræſẽtare exiſtentiam determinantem eſſentiam ad eſſe *hic*, & *nunc*: quæ ſunt conditiones indiuiduãtes; & ideo debet repræſentare indiuidua, & particularia illius naturæ; ſed Angelus quiditatiuè cognoſcit; ergo per ſpeciem vniuerſalem cognoſcit particularia.

77 Prob.4. Per vnam, & eandem ſpeciem ſenſibilem intuitiuè repræſentantem cognoſcitur totum ſenſibile, & partes illud integrantes; ergo per vnam, & eãdem ſpeciem intelligibilem quiditatiuè repræſentãtem cognoſcitur genus, quod eſt totum intelligibile; & differentiæ illud determinantes; ac indiuidua vltimò illud complentia. Ant. patet; quia quando videtur *Petrus* v.g; tunc non eſt in oculo, niſi vna ſpecies, ſicut vnum eſt obiectum, à quo deriuata eſt, & quod repræſentat; & quando aduertitur ſpecialiter ad manum *Petri*, & non ad alias partes ipſius; tunc per eandem ſpeciem videtur manus; nam ſicut pars non eſt alia à toto; ita ſpecies repræſentans partem non eſt alia à ſpecie repræſentante ipſum totum; aliter ſi pars immitteret ſpeciem partialem; illa ſpecies non repræſentaret illam manum *Petri*, ſed hominis, *vt ſic*; quia illa manus non eſt *Petri*, niſi quatenus coniũgitur cum toto, quod eſt *Petrus*; & ſic ſpecies repræſentans talem manum, non repræſentat eſſe manum *Petri*, niſi quatenus coniungitur cum ſpecie repræſẽtãte totum *Petrum*; & ideo manus *Petri* videtur per ſpeciem *Petri* inadæquatè reflexam ad ipſum *Petrum*. Conſ. patet; ſicut enim totum phyſicum coaleſcit ex partibus integrantibus, & in illas diuiditur; ſic totum logicum, quod eſt genus, coaleſcit ex differentijs ſpecificis, & indiuidualibus, & in illas diuiditur.

78 Tandem prob. ad hominem. In tantùm

iux-

iuxta doctrinam *Scoti*; vt dictum eſt *ſup.n.65*; Angelus per ſpeciem rei ſingularis cognoſcit rationes vniuerſales, quibus ſubordinatur illa ratio ſingularis; in quantùm rationes vniuerſales ſunt in illa ratione ſingulari, & ideo per illam repræſentantur; quia ſicut res ſe habet ad eſſe; ita ad repræſentare; ſed omnes rationes ſingulares ſunt in ratione vniuerſali; quia ratio vniuerſalis eſt potentialis; & ratio ſingularis eſt actualis; actus autem eſt in potentia, non potentia in actu; ergo ex hoc ſequitur oppoſitum illius, quod infertur *à Scoto*;

79 Conf. Vniuerſalitas ipſius ſpeciei Angelicæ non eſt vniuerſalitas Logica, ſicut eſt vniuerſalitas ſpeciei noſtri intellectus, quæ eſt per abſtractionem à ſingularibus; ſed eſt vniuerſalitas phyſica, ſeu in re, quæ eſt per coniunctionem illius rationis vniuerſalis cum rationibus ſingularibus, à quibus contrahitur; vt docet *Fūd.Doct. in 2.diſt.3.p.2.q.2.art.2. dub.3.ad 1*; nam ſpecies Angeli repræſentat res, vt ſunt in ſe ipſis; & ideo ait *Beatiſſ.P.* Angelos cognoſcere res in proprio genere, ſeu in propria natura; ſed vniuerſalitas phyſica eſt coniuncta cum ſuis differentijs, & rationibus ſingularibus, quas habet in ſe ipſa tanquam actus ſui ipſius determinatiuos, quemadmodum materia dicitur habere formam; ergo vniuerſalitas ſpeciei Angelicæ eſt ratio cognoſcendi ſingularia.

Hæc omnia magis patebunt ex ſolutione obiectionum; quæ nullius momenti ſunt.

80 Obijc. 1. Si ſpecies vniuerſalis poſſet eſſe ratio cognoſcendi particularia, ſequeretur, quòd vna ſpecies creata poſſet eſſe ratio cognoſcendi infinita ſingularia; ſiue non tot, quin plura; ſed conſ. repugnat; ergo & ant. Prob. ſeq. Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem; ibi pluralitas numeralis infinita requirit infinitā perfectionem, & virtutem; nam ſi poſſe portare ſimul plura pondera arguit maiorem virtutem, & perfectionem; poſſe ſimul portare pondera infinita, ſiue non tot, quin plura arguit infinitatem intenſiuam; ergo ſi ſpecies vniuerſalis poſſet repræſentare infinita indiuidua, ſiue non tot, quin plura, haberet infinitam virtutem repræſentatiuam. Prob. conſ; nam vna ſpecies repræſentans tantùm vnicum indiuiduum importat aliquam perfectionem, & ſic de alia ſpecie repræſentante aliud indiuiduum; ergo ſpecies vniuerſalis, quæ repræſentat indiuidua in infinitum, eſſet infinitæ perfectionis.

81 Conf. Si non eſſet infinita, maximè, quia non repræſentaret, actu infinita indiuidua, ſed tantùm in potentia; ſed hoc non obſtat; nam ſicut ex hoc, quòd omnipotentia Dei poſſit producere plura in infinitum, arguitur, quòd ſit infinita; ita à pari. Tum quia illa ſpecies eſſet cauſa proxima cognitionum infinitarum, quarum quælibet importaret determinatam perfectionem; tum quia contineret infinita obiecta in eſſe intentionali, & æquiualeret infinitis ſpeciebus infinitorū obiectorum; ergo eſſet infinita.

Reſp. ad hoc arg; quod adeo magnificat *Maſtr*; vt circa hoc inſtituat totum *art.2*; omiſſa reſp. *Amici* putantis ſpeciem non repræſentare infinita ſincategorematicè diſt. ma. Infinita ſingularia ſincategorematicè, ſeu in potentia, conc; categorematicè, ſiue in actu, neg. Ad prob. eodē modo diſt. ant. Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem; ibi pluralitas numeralis infinita ſincategorematicè requirit perfectionem infinitam ſincategorematicè, conc; infinitam categorematicè, neg.

Ad conf. neg. mi; & ad prob. infert. dicitur, quòd ex productione plurium, & plurium in infinitum nunquam directè argui poteſt infinitas categorematica, & actualis omnipotentię Dei, vt oſtendimus *to. 1. de Infinit. art. 1. §. 2. n. 23*. Ad aliud dicitur eodem modo; quòd illa ſpecies eſſet cauſa cognitionum infinitarum ſincategorematicè, ſeu potiùs finitarum in infinitum; & ſic ad vlt; quòd contineret infinita obiecta ſincategorematicè, & ita æquiualeret infinitis ſpeciebus, quod non arguit infinitatem actualem, ſeu categorematicam, vt patet de Sole, qui licèt poſſit producere plura, & plura viuentia in infinitū, quia eius virtus nunquam diminuitur, cùm non fiat per deciſionē ſubſtantiæ; attamen non arguitur, quòd ſit infinita. Ratio huius eſt; quia infinitas ſincategorematica eſt finitas actualis ſimpliciter; ſed finitas actualis nequit eſſe ratio infinitatis actualis, quia vnum oppoſitum nequit eſſe ratio alterius; ergo ex infinitate ſincategorematica nequit argui infinitas categorematica.

82 Obijc. 2. Illud, quod eſt ratio directè cognoſcendi plura; debet habere aliquod obiectum adæquatum, quod ſit vnum, in quo illa plura contineantur; ſed ſpecies Angeli non haberet pro obiecto aliquod vnum; illæ enim quiditates eſſent plures; ergo per ſpeciem vniuerſalem nequit Angelus intelligere particularia. Tum quia videtur imperceptibile, quòd albedo, & nigredo, quæ ſunt repræſentabiles per duas ſpecies, poſſint per vnicam tantùm repræſentari. Tum quia Diuina eſſentia ideo eſt ratio cognoſcendi omnes creaturas, quia eas continet in ſe ipſa.

Reſp. diſt. ma. Ratio cognoſcendi plura debet habere pro obiecto adæquato aliquod vnū vnitate conuenientiæ, conc; vnitate identitatis, neg; nam potentia viſiua habet pro obiecto omnem colorem, & tamen omnis color nō eſt vnus color vnitate identitatis, ſed ſolùm conuenientiæ, quia in ratione coloris omnia viſibilia conueniunt. Et ſi dicatur *iuxta Scotum* rationem genericam coloris eſſe vnam formaliter à parte rei, quia datur vniuerſale formale à parte rei; reſp; quòd obiectum adæquatum ſpeciei angelicæ eſt ratio generica, in qua conueniunt plures quiditates ſpecificæ, & indiuiduales; & in qua continentur, *vt ſup.* dictum eſt; & ideo negatur id,

id,quod aſſerit *Maſtr*; nempe quiditates illas nõ contineri in illa ratione generica; ac propterea ruit totus 4. *art*; quem inſtituit circa hanc rationem. Ad aliud dicitur nullam eſſe difficultatẽ in percipiendo, quod per aliquod continens albedinem,& nigredinem poſſit cognoſci albedo, & nigredo, ſicuti eadem imago *Aethiopis* repræſentat nigredinem corporis, & albedinem dentium. Ad aliud dicitur, quòd ſicut per diuinam eſſentiam repræſentantem creaturas, quas continet vnitiuè, & indiſtinctè in eſſe intelligibili, cognoſcuntur creaturæ ſecundũ illud eſſe, quod habent extra Deum; ita per ſpeciem exiſtentem in intellectu Angeli, & continentem plures quiditates vnitas in eſſe intelligibili cognoſcuntur plures quiditates diſtinctæ exiſtentes extra mentem Angeli.

83 Obijc. 3. Si Angelus haberet ſpeciem generis repræſentantem plures naturas, & plura indiuidua diſparata, vel eliceret actum adæquatum illi ſpeciei, quo cognoſceret omnia illa obiecta repræſentata per illam ſpeciem, vel eliceret plures actus inadęquatos? Non primum; quia ille actus haberet totam perfectionem omnium actuum, qui poſſunt eſſe circa talia obiecta, quod nequit eſſe, niſi illud obiectum ſit vnum; hoc autem implicat, vt ſupra dictum eſt; aliter illæ quiditates eſſent plures,& non eſſent plures. Non ſecundum; nam illæ quiditates ex æquo repræſentantur intellectui per ſpeciem,& hoc naturaliter; ergo non ſubeſt imperio voluntatis, vt has potiùs, quàm illas ſpecies repræſentet,& per cõſequens, vt intellectus has potiùs, quàm illas cognoſcat. Tum quia illa ſpecies vniuerſalis eſſet æquè applicata ad repræſentãda omnia obiecta; & intellectus, qui eſt potentia naturalis, vel omnia illa, vel nulla intelligeret.

Reſp. hoc petere modum cognitionis Angelicæ, quem tradit *Fund. Doct. de Cog. Ang, vbi ſup. in fine corporis* aſſerens Angelum primò ſe conuertere ſupra ſe ipſum;& ſic cognoſcit ſuam ſubſtantiam,& omnia accidentia, quæ ſunt in illa,& ideo omnes ſpecies, & omnia obiecta ſuarũ ſpecierum in quadam generalitate, & confuſione;& hæc cognitio eſt illi naturalis. 2. Conuertit ſe pro ſuo arbitrio ſupra ſpeciem alicuius generis; & ſic intelligit diſtinctè ſpecies diuiſiuas illius generis, non tamen diſtinctè cognoſcit indiuidua, quia indiuidua non ſpectant immediatè ad genus. 3. Pro ſuo arbitrio conuertit ſe ſuper aliquam ex illis ſpeciebus, & ſic cognoſcit indiuidua, quæ actu diuidunt talem ſpeciem; non tamen cognoſcit diſtinctè omnes circunſtantias, actiones,& accidentia, quæ competunt omnibus indiuiduis. Tandem conuertit ſe ſuper vnum indiuiduum, ſeu ſupra illam ſpeciem, prout eſt repræſentatiua vnius indiuidui; & ſic cognoſcit omnes circunſtantias illius. Dat exemplum de oculo, qui, cùm fertur ſuper totam vnam paginã, per ſpeciem repræſentantem totam illam paginam videt clarè non ſolùm illam paginam, ſed etiam omnes lineas deſcriptas in illa pagina; literas verò videt ſolùm in quadã generalitate,& confuſione. Præterea cùm oculus ex imperio voluntatis ſe conuertit ad vnam lineam illius paginæ, videt clarè nedum illam lineam, ſed etiam omnes literas illam componentes; non tamen videt clarè, quid ſignificent illæ literæ, niſi cùm ſpecialiter ſe conuertit ſuper verba, ſeu voces, quæ componuntur ex illis literis. Ita à pari. Ad arg. ergo dicitur, quòd quando Angelus ſe conuertit ſuper aliquam ſpeciem vniuerſalem, tunc per actum adæquatum videt omnes differentias diuiſiuas illius rationis genericæ vniuerſalis, & cõfusè videt indiuidua. Ad improb. dicitur, quòd licèt ſpecies naturaliter repræſentet; & intellectus ſit potentia naturalis; attamen, quia voluntas habet ſupremum dominium, poteſt imperare intellectui, vt ſe conuertat potiùs ſuper hæc indiuidua, quàm ſuper illa; quanuis enim literæ exiſtentes in aliqua pagina naturaliter æquè repræſententur omnes; & quanuis oculus ſit potentia naturalis; attamen ex imperio voluntatis poreſt oculus ſe conuertere, & videre potiùs has literas, quã illas. Ita à pari, per quod patet ad aliud.

84 Inſtat *Maſtr.* Quanuis in actibus ex deliberatione poſſit intellectus ſe conuertere ſuper hoc, vel illud; attamen in prima actione ſe conuertit ſuper omnia; ergo neceſſariò videbit omnia, & ſic habebit vnum actum adæquatum omnibus.

Reſp. diſt. conſ. Videbit omnia in quadam confuſione,& generalitate, conc; diſtinctè, neg.

85 Obijc. 4. Species vniuerſalis nequit eſſe ſimilitudo ſingularium; quia vniuerſale eſt indeterminatum, & ſingulare eſt determinatum; indeterminatum autem nequit eſſe ſimilitudo determinati; ergo per ſpeciem vniuerſalem nequeunt cognoſci ſingularia; cognitio enim fit per repræſentationem; & repræſentatio importat ſimilitudinem.

Reſp; quòd ſpecies Angelica vniuerſalis nõ ſolùm continet rationes vniuerſales obiectorũ, ſed etiam particulares, vtpotè ab Idæis Diuinis deriuata; ideo diſt. ant. Species vniuerſalis abſtracta à ſingularibus, vt eſt ſpecies noſtri intellectus, conc; ſpecies deriuata ab Idæis Diuinis, neg;& ad prob. inſert. diſt. eodem modo. Vniuerſale in re eſt indeterminatum, neg; eſt enim vniuerſale coniunctum cum rationibus particularibus; vniuerſale poſt rem, conc. Vnde licèt ſpecies Angeli ſecundùm rationes vniuerſales nequeat eſſe ſimilitudo ſingularium; attamen ſecundùm rationes particulares eſt ſimilitudo illorum.

86 Obijc. 5. Si ſpecies repræſentaret ſingulatia, repræſentaret contraria; quia ſingularia sũt contraria; vt eſſe frigidum,& calidum; album, & nigrum; ergo illa ſpecies eſſet repræſentatiua contrariorum; atqui hoc implicat; quia ſpecies repræſentat tanquam naturalis ſimilitudo rei re-

præſentatæ; eadem autem res nequit eſſe naturalis ſimilitudo contrariorum.

Reſp.diſt.ant.Repræſentaret contraria pro eodem tempore,neg;pto diuerſo tempore,conc; non implicat autem, quòd idem ſubiectum ſit pro diuerſo tempore ſub contrarijs; & ideo nec quòd eadem ſpecies repræſentet contraria pro diuerſis temporibus. Imò nō implicat, quòd eadem ſpecies *Aethiopis* repræſentet albedinem,& nigredinem;ita à pari.

87 Objc.6. Si per ſpeciem cognoſcerentur ſingularia, vel cognoſcerentur omnia ſingularia poſſibilia illius naturæ; & hoc non,quia hæc sūt infinita; & illa ſpecies deberet eſſe infinita. Vel ſolùm exiſtentia; & hoc quoque non; quia ſi requiritur exiſtentia ad hoc, vt illa ſpecies repræſentet, ſequitur, quòd Angelus ab exiſtentia rei recipiat aliam ſpeciem, per quam determinetur illa ſpecies vniuerſalis,immutetur,& perficiatur; ergo per ſpeciem vniuerſalem non cognoſcuntur ſingularia.

Reſp, quòd ſpecies Angeli, quia deſeruit cognitioni quiditatiuæ adæquatæ; ideo habet actu repræſentare rem exiſtentem, & præſentem in ſe ipſa à parte rei;ſicut ſpecies à rebus abſtracta,quæ deſeruit noſtro intellectui,quia deſeruit cognitioni abſtractiuæ inadæquatæ, habet ſolùm repræſentare eſſentiam rei præſcindendo ab exiſtentia.Ita Diuina eſſentia, quæ reſpectu intellectus Diuini habet eſſe veluti ſpecies inſeruiens cognitioni comprehenſiuæ, habet repræſentare omnia,ſiue ſint exiſtentia,ſiue poſſibilia. Ad arg. dicitur, quòd per ſpeciem vniuerſalem cognoſcuntur actu ſolùm exiſtentia; poſſibilia verò ſi enti non ſunt actu,ſed in potentia ſolùm;ita actu non cognoſcuntur, ſed ſolùm in potentia; idèſt poſſunt cognoſci, ſi ponantur actu; nec ex hoc arguitur infinitas categorematica,ſed ſincategorematica, quæ eſt finitas ſimpliciter. Sicut licèt paries albus poſſit eſſe ſimilis infinitis albis, ſi poſſent produci; ille paries albus non diceretur infinitus actu, ſed ſolùm in potentia; ita licèt illa ſpecies poſſet eſſe ſimilis infinitis ſingularibus, ſi poſſent produci; attamen non dicitur infinita actu,ſed tantùm in potentia; quod autem eſt infinitum in potētia,eſt ſimpliciter finitum in actu, vt patet; & ideo hæc infinitas nō repugnat creaturæ.Ad aliam partem dilemmatis neg.ſeq;ſicut enim ex eo, quòd vnus paries albus non poſſit eſſe ſimilis alteri parieti, niſi producatur alter paries, non ſequitur, quòd ille paries aliquam entitatem acquirat ab altero pariete; quia per ſolam albedinem;quam habet in ſe, ſtatim fit ſimilis producto altero pariete;Ita à pari.

88 Replic.1.Species producto aliquo indiuiduo acquirit aliquam perfectionem, quā priùs non habebat;quia acquirit repræſentationem in actu exercito, quam priùs non habebat; ergo nulla ſolutio.

Reſp. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd repræſentatio in actu exercito non dicit aliquam nouam perfectionem ſuperadditam perfectioni ſpeciei, ſed dicit ſolùm reſpectum; qui neceſſariò requiritur ad actualem ſimilitudinem; ſicut dictum eſt de pariete albo.*Vid.Fund.Doct. vbiſi & in Defenſ.D.Tho.art.*8. §. *Reſp.*

89 Replic. 2. Quod tranſit de potentia ad actum,realiter mutatur;ſed ſpecies Angeli tranſit de non repræſentando ad repræſentandum aliquod exiſtens, quod priùs non erat exiſtens; ergo realiter mutatur; atqui realis mutatio non fit niſi per receptionem nouæ entitatis, quam priùs non habebat; ergo ſpecies Angeli aliquid recipit ab exiſtentia rei.

Reſp.diſt. ma. Quod tranſit de potentia ad actum formalem,qui eſt aliqua entitas, & perfectio,conc;ad modum actus,ſeu ad actualitatem actus, neg. Species ergo Angeli non tranſit de potentia ad actum ita,quòd acquirat nouam entitatem actualem; ſed ſolùm ita tranſit, vt ille actus, quem habet in ſe,fiat actu, idèſt acquirat actu reſpectum; quod non eſt acquirere nouam entitatem; ſed ſolùm quòd illa entitas, quæ non erat actu repræſentans, fiat actu. Sicut paries albus, dum actu fit ſimilis ad poſitionem alterius parietis,non acquirit aliquam entitatem, ſed ſolùm illa entitas albedinis, quam antea habebat, & per quam erat in potentia ad eſſe ſimilem,poſito pariete fit actu ſimilis.

90 Replic.3.Eſſentia Diuina, quia repræſētat omnes creaturas,ideo repræſentat etiam poſſibilia; ergo à pari ſi ſpecies Angeli repræſentaret omnia ſingularia,repręsētaret etiā poſſibilia.

Reſp.hoc ſolutum fuiſſe; nam Diuina eſſētia eſt principium *quo* cognitionis comprehenſiuæ; & ideo debet repræſentare intellectui Diuino omnia exiſtentia,futura,& poſſibilia.At verò ſpecies Angeli,quia deſeruit ſolùm cognitioni quiditatiuæ; ideo debet repræſentare ſolùm exiſtentia.

91 Objc. 7. Quamuis paries albus nihil acquirat,cùm fit ſimilis,non tamen valet de ſpecie; quia ſimilitudo eſt relatio, quæ non ſuperaddit aliquod eſſe diſtinctum à fundamento; at verò ſpecies eſt aliquid abſolutum,ergo nulla doctrina ſuperiùs tradita.

Reſp.neg.ant. Ad prob.inſert.dicitur,quòd ſpecies eſt relatiua ſecundùm dici, licèt non ſit ſecundum eſſe; præterquanquod ſpecies non repræſentat, niſi vt ſimilis; ſimilitudo autem eſt relatio,quæ coexigit exiſtentiam ſui correlatiui; & ideo exemplum de pariete albo per ordinem ad ſimilitudinem eſt aptiſſimum.

Aliæ obiectiones ſolutæ ſunt ſuperiùs. *Vid.Fund. Doct.*

92 Objic.8. Si ſpecies Angeli repræſentarent ſingularia,maximè,quia deriuantur ab Idæis Diuinis, vt dictum eſt; ſed hoc non concludit; quia Ideæ Diuinæ repræſentant etiam futura; & tamen ſpecies Angeli futura non repræſentant;

ce-

ergo etianſi ſpecies Angeli deriuentur ab Idæis Diuinis,non tamen repręſentant ſingularia.

Reſp.diſt.ma.Quia deriuatur ab IdeisDiuinis, vt quid quiditatiuè adæquatè repræſentans,cōc; hæc enim eſt cognitio propria Angelorum, vt *ſup.*dictum eſt. Vt comprehenſiuè repræſentans, neg. Ad cognitionem autem quiditatiuā requiritur, quòd ſola exiſtentia, non futura, aut poſſibilia repræſententur.

93 Obijc. 8. Nequit voluntas per vnicum actum attingere honeſtum, vtile, & delectabile, quia iſta obiecta differunt ſpecie; & idem dicendum de intellectu; ergo neque per vnicam ſpeciem poteſt intellectus attingere res diuerſæ ſpeciei.

Reſp.ant.eſſe falſum;poteſt enim aliqua res eſſe honeſta,vtilis, & delectabilis, & ex hoc triplici motiuo illam poteſt voluntas attingere.Attamen omiſſo ant. neg. conſ; quia *non requiritur tanta diſtinctio in principijs, quanta in principiatis*;ſicut enim vnus,& idem intellectus omnia cognoſcibilia attingit;non tamen vnica intellectione;& idem dicendum de voluntate;ita licèt vno, & eodem actu nequeant attingi obiecta ſpecie diuerſa; attamen per eandem ſpeciem, quæ eſt principium illorum actuum,poſſunt attingi.

ART. V.

An Angeli ſuperiores intelligant per ſpecies vniuerſaliores?

1 SVpp. Angelos ſuperiores, & inferiores cognoſcere adæquatè omnem rem naturalem naturaliter exiſtentem; quærimus autē, an Angeli ſuperiores cognoſcāt per ſpecies vniuerſaliores; ex quo conſequitur,an cognoſcant per ſpecies pauciores; vt notat *Fund. Doct. de Cog. Ang. q.8*;ideo huic *art.§.annectemus*.

2 Angelus autem dupliciter poteſt eſſe ſuperior, ſcilicet ſpecie; & ſic difficultas poteſt procedere de quocunque Angelo, cùm enim quilibet Angelus differat ſpecie ab altero Angelo; ſi Angelus ſuperior, ſeu perfectior ſpecie intelligit per ſpecies vniuerſaliores; nulla daretur æqualitas in ſpeciebus Angelorum. Vel poteſt eſſe ſuperior genere, ſeu ordine,& hierarchia;diuiduntur enim Angeli in tres hierarchias, velut in tria genera ſuprema; & quælibet hierarchia in tres ordines,velut in tria genera ſubalterna; vt inferius dicemus; & ſic quæſtio procedit;an Angelus ſuperioris ordinis, aut hierarchiæ cognoſcat per ſpecies vniuerſaliores;Angelus autem eiuſdem Hierarchiæ, & ordinis cognoſcat per ſpecies æquè vniuerſales?

3 In hac re *aliqui Thomiſtæ* putant quamlibet ſuperioritatem etiam ſpecificam athomam ſecum ferre maiorem vniuerſalitatem in ſpeciebus.Refertur *Caiet; Io.à S.Tho; Zum;Val.Naz; Salm;& ex noſtris Gibb; apud quem Bernardin.*

4 *Fund.Doct.de Cog. Ang. vbiſ.* docet ſolam ſuperioritatem in ordine, aut hierarchia importate maiorem vniuerſalitatē in ſpeciebus; quod probat ſic. Ita philoſophandum eſt proportione ſeruata de genere vegetatiuo, & ſenſitiuo, ac de intellectiuo;ſed ſola ſuperioritas ad genus vegetatiuum, & ſenſitiuum importat variationem ſecundùm multitudinem, & paucitatem potentiarum; ergo ſola ſuperioritas generis intellectiui Angelici importat variationem ſecundùm ſpecies. Ma.patet;quia eadem proportio,quæ reperitur in genere inferiori reſpectu ſuarum ſpecierum, reperitur etiam in genere ſuperiori circa ſuas ſpecies.Prob.mi.Ex eo,quòd genus vegetatiuum diuidatur in plures ſpecies, quarum vna eſt perfectior altera,imò ex eo,quòd iſtæ ſpecies ſint genera ſubalterna v.g.planta,& flos; planta enim eſt diuiſibilis in plures plantas ſpecie diuerſas; & ſic flos in plures flores; non ſequitur, quòd ſpecies perfectiores habeant plures potentias proprias animæ vegetatiuæ;ex eo autē,quòd illud vegetatiuum ſit etiam in genere ſenſitiuo; vt canis, qui viuit, & ſentit; ſequitur, quòd habeat potentias conuenientes generi vegetatiuo, & ſenſitiuo; habet enim potentias ſenſitiuas; & ideo habet plures potentias, quàm illud, quod eſt ſolū in genere vegetatiuo; illud tamen,quod eſt perfectius in genere ſenſitiuo vniuerſaliſſimo, non habet plures potentias, quàm id, quod eſt imperfectius in eodem genere, vt leo non habet plures potentias ſenſitiuas, quàm auis,vel piſcis; quæ ſunt in diuerſo genere ſubalterno; quia ſunt in genere animalis volatilis, & aquatilis; & ſic homo, qui nedum eſt in genere vegetatiuo, & ſenſitiuo, ſed etiā intellectuali, habet plures potentias;quia vltra potentias ſenſitiuas habet etiā potentias intellectuales, quæ competunt generi intellectiuo, ſcilicet intellectum,memoriam, & voluntatem; ergo ſola ſuperioritas ad genus vegetatiuum,& ſenſitiuum importat variationem ſecundùm multitudinem, & paucitatem potentiarum.

5 Vnde cùm dicitur, quòd Angelus perfectior,& magis propinquus Deo, ac magis actualior habet ſpecies vniuerſaliores, & pauciores; intelligendum eſt de perfectiori, propinquiori Deo, & actualiori comparatiuè ad diuerſa genera vniuerſalia,quæ ſunt diuerſi ordines,qui diuiduntur in plura genera, vel ſpecies Angelorum; & ad plures hierarchias, quæ ſubdiuiduntur in plures ordines;non autē de perfectiori, propinquiori,& actualiori ſecundùm ſpeciem;ſicut non valet in genere vegetatiuo, & ſenſitiuo; vt dictum eſt.

6 Ex oppoſito tamen philoſophandum eſt de genere materiali vegetatiuo, & ſenſitiuo; ac de ſpirituali intellectiuo; nam vt diſcurrit *Fund. Doct. vbiſ;* in hoc diſtinguitur perfectum perfectione ſecundū quid à perfecto perfectione ſimpliciter;quòd illud,quantò magis eſt perfectum, tantò magis eſt compoſitius,& ideo tantò plures habet potentias; hinc quia ſenſitiuum eſt perfe-

ctius vegetatiuo; ideo ſenſitiuum vltra tres potentias animæ vegetatiuæ, habet etiam decem potentias ſenſitiuas; quinque externas, & quinque internas;& ſic de homine reſpectu bruti;habet enim vltra potentias ſenſitiuas, etiam rationales;nam homo cõſtituitur per rationalitatem, quæ eſt perfectio ſimplex; quia importat imperfectionem in ſuo conceptu formali; aliter Deus eſſet formaliter rationalis,ſicut eſt formaliter intelligens. Illud autem, quod eſt perfectius perfectione ſimpliciter, eſt magis ſimplex, & magis vnum; & ideo pauciores habet potentias; vnde Angelus, qui eſt perfectus in eſſe intellectiuo, quod eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, habet potentias ſpirituales; & caret potentijs ſenſitiuis. Et ratio huius eſſe poteſt;quia perfectio ſimplex importat in ſuo conceptu formali potentialitatẽ paſſiuam;& ideo materialitatem,materialitas autem eſt radix multiplicationis, quia eſt radix diſtinctionis, quæ facit imperfectionem; quia facit limitationem; at verò perfectio ſimpliciter ſimplex importat purum actum in ſuo cõceptu formali;quia nullam inuoluit imperfectionem;actus autem importat ſimplicitatem perfectiuam; & ideo Deus eſt ſummè ſimplex;quia eſt puriſſimus actus; vt diximus *to. 1. de Simplic. Dei.* Diximus *ſimplicitatem perfectiuam*;vt eam diſtinguamus à ſimplicitate puncti,vel materiæ;quæ eſt ſimplicitas defectiua;quia deficit ab actu;& quæ non cõuenit,ſed repugnat actui.

7 Ex hac doctrina è Schola *Philoſophorum* ſubtiliſſimè eruta deducitur; quòd ſuperioritas ſecundùm ordinem, vel Hierarchiam importat ſpecies vniuerſaliores in Angelis;& ideo pauciores; ſicut ab oppoſito ſuperioritas ſecundùm totum genus vegetatiuum, & ſenſitiuum importat plures potentias in entibus materialibus.

8 Dices.Si hæc doctrina valeret,ſequeretur, quòd,cùm in Angelis infimis ſit intellectus, memoria,& voluntas,in ſupremis non eſſent omnes iſtæ potentiæ.

Reſp. neg. ſeq; iſtæ enim potentiæ ſequuntur genus intellectiuum, *vt ſic*, vt eſt commune omnibus Hierarchijs, ordinibus, generibus, & ſpeciebus Angelorum, imò etiam hominibus; & ideo reperiuntur in quolibet;quia omne intellectiuum habet tendere in verum,& bonum,in quę nequit tendere niſi per intellectum, & voluntatem;vnde ſicut verum, & bonum conueniũt omni intellectiuo; ita dicendum de intellectu,& voluntate, quæ ſpecificantur, & adæquantur cum vero,& bono,*vt ſic*. At verò ſpecies, quia commenſurantur cum natura generica, cuius ſunt proprietates,vt dictum eſt; & cum lumine,quod diuerſificatur ratione ordinis, quia ordo ſuperior illuminat inferiorem, vt *inf*; aliter ſi Angeli diuerſi ordinis haberent idem lumen,inferior nõ indigeret illuminari à ſuperiori; ſpecies autem eò magis repræſentat, quò magis eſt illuſtrata; tum quia ſpecies non habet pro obiecto aliquod comm une toti intelligibilitati, ſed rationem genericam,vt contractam ad rationes particulares; & ideo non ſequitur eſſe intellectiuum,*vt ſic*,ſed tale genus intellectiui; ergo ex ſuperioritate ordinis, vel Hierarchiæ optimè infertur vniuerſaliores,& pauciores eſſe ſpecies in Angelis;non autem in eis non eſſe intellectum, & voluntatẽ.

9 Prima ſententia vult Angelos ſuperiores non intelligere per ſpecies vniuerſaliores. *Ita Scot;& omnes Scotiſtæ*,inter quos *Maſtr.hìc.diſp. 2.q.7.art.7;Mol;Vaſq;Arr;& alij.*

10 Secunda ſententia docet oppoſitum. *Ita Fund.Doct.in 2.diſt.3.p.2.q.2.art.2. dub.3.lat;& de cog.Ang.vbiſ, & tota noſtra Schola*; ſic *D.Tho; & omnes alij.*

11 Vnica concl. Angeli ſuperiores intelligunt per ſpecies vniuerſaliores.

Prob.1.*ex D.Dion. de Cæl.Hier. c.12. Sanctorum Cherubim ordo ſapientiæ celſiori, ſcientiaque communicat; qui verò ſub illis ſunt ſanctorum ſpirituum ordines,& ipſi ſapientiæ, ac ſcientiæ participes ſunt quidem, particularis tamen pro modo ſuo,atque inferioris*;ex quibus ſic arguitur.Sapiẽtia vniuerſalis ſpeciebus vniuerſalioribus vtitur; & particularis particularioribus;non enim poteſt dici vniuerſalior, quia plura obiecta cognoſcat; ſuppoſito,vt in caſu, quòd tam ſapientia vniuerſalis,quàm particularis eadẽ obiecta cognoſcat; ſed Cherubin habent ſapientiam vniuerſaliorẽ, quàm habeãt Angeli inferiores; ergo in illis sũt ſpecies vniuerſaliores,quàm in iſtis.

12 *Et c.15.Porro dentes* (ſupple Angelorũ) *diuiſionem ſibi indultæ proficientis alimoniæ, alentiſque perfectiones exprimere credimus; qualibet enim ſubſtantia ſpiritalis,quam ab auguſtiore perceperis,vnicam, & informem intelligentiam prouida virtute diuidit,atque multiplicat; dum inferiorem quoque pro captu ſuo promouet, atque ad altiora ſuſtollit.* Super quod *Fund.Doct.in 2.diſt.8. q.1.art.3.in reſol.dub.2. lat.* ait: *Dicuntur enim Angeli ſecundùm Dion.vlt.de Ang.Hier. habere dentes,quia diuidunt ſpecies. Imaginabimur quidem, quòd ſunt dentes in Angelis ſuperioribus reſpectu inferiorum; ſicut dentes in Nutricibus reſpectu puerorum.Sicut enim quia pueri non poſſunt groſſum bolum conterere,nutrices maſticant ipſum; vt ſic diuiſus bolus minutatim ſit proportionatus puero; ſic quia Angeli ſuperiores in vno conceptu intelligunt multa,quæ ſic vnitiuè non poſſunt intelligere inferiores;dicuntur Angeli habere dentes diuidendo conceptus illos,& proponendo ſub pluribus conceptibus Angelis inferioribus, quæ ipſi vno conceptu capiunt.* Ex quo ſic arguitur. Si Angeli ſuperiores non intelligerent per ſpecies vniuerſaliores,non imminuerent ſuos conceptus,vt illos poſſent capere Angeli inferiores;habentes enim æqualem ſpeciem poſſunt æqualem conceptum formare; ſed Angeli ſuperiores imminuunt ſuos conceptus; ergo intelligunt per vniuerſaliores ſpecies.

Prob.

13 Prob.2.*ex Beatiſſ.P. lib. 2. de Gen. ad lit. c.8.*docente: *Quapropter lucis conditio priùs eſt in Verbo Dei ſecundùm rationem,qua condita eſt;hoc eſt in coæterna Patris Sapientia,ac deinde in ipſa lucis conditione ſecundùm naturam, qua condita eſt;illic non facta,ſed genita;hic verò facta;quia ex informitate formata.* Ex quo ſic arguitur.Species Angelorum,quæ ſpecificat ſapientiam eorũ, conditæ ſunt à Deo iuxta exigentiam naturæ ipſorum; ſunt enim proprietates illius,vt ſupra dictum eſt;proprietates autem proportionantur cũ ſua eſſentia, à qua fluunt; ſed natura Angelorum ſuperiorũ diuerſi ordinis, & hierarchiæ eſt magis vniuerſalis phyſicè,quia plura cõtinet diuerſi ordinis,vel hierarchiæ; *quæ* enim *diſperguntur in inferioribus,continentur in ſuperioribus*; ergo ſpecies ei proportionatæ ſunt magis vniuerſales, quàm ſpecies naturæ Angeli inferioris.Traditur etiam hæc ſententia *propoſit. 10.de Cauſis*;vbi dicitur, quòd aliquæ Intelligentiæ habent formas magis vniuerſales,quàm aliæ.

14 Conf.1.*ex Fund.Doct. hic.* Ita ſe habent hierarchiæ,& ordines in Angelis;ſicut genus intellectiuum, ſenſitiuum, & vegetatiuum in animatis;ſicut enim hierarchiæ, & ordines in Angelis ſunt quidam gradus ſupremi, in quos diuiditur natura Angeli *vt ſic* conſiderata; ita genus intellectiuum, ſenſitiuum, & vegetatiuum ſunt quidam gradus ſupremi, in quos diuiditur animatum; & ſicut ſenſitiuum, & vegetatiuum diuiduntur in plura genera ſubalterna; ita ordines Angelorum diuiduntur in plura genera contenta ſub iiſdem ordinibus;ſed genus ſenſitiuum eo, quòd eſt ſuperius ad vegetatiuũ,habet potentias vniuerſaliores;nam ſenſus communis vniuerſaliter percipit obiecta omnium ſenſuum particularium;& intellectiuum habet intellectum, qui eſt potentia vniuerſalior ſenſu interno; ergo ordo ſuperior Angelorum habet potentias vniuerſaliores;atqui illæ nequeunt eſſe intellectus,& voluntas; ergo erunt ſpecies, quibus mediantibus intelligit.

15 Conf. 2. *ex eod. de Cog. Ang. tertia via.* Natura exiſtens in gradu ſuperiori continet plura virtualiter in ſe ipſa, quàm natura gradus inferioris; ergo proprietas naturæ ſuperioris gradus ad plura extenditur,quàm natura gradus inferioris; proprietas enim ſequitur ad eſſentiam, cum qua commenſuratur;vt effectus cum cauſa formali;ſed ſpecies ſunt proprietates naturę Angelicæ;ergo ſpecies naturæ Angelicæ gradus ſuperioris eſt vniuerſalior, quàm ſpecies Angeli gradus inferioris.

16 Prob.3.*à Fund.Doct.de Cog.Ang.prima via.* Materialitas eſt ratio recipiendi formas cõtractè, & particulariter; ergo immaterialitas eſt ratio recipiendi formas vniuerſaliter; & maior immaterialitas eſt ratio recipiendi formas magis vniuerſaliter; atqui Angelus ſupremus eſt magis immaterialis; ergo habet formas intelligibiles, ſeu ſpecies magis vniuerſales. Prob.ant.Materia phyſica, quia eſt ſumma potentialitas, ideo recipit formam indiuidualem; ſenſus, quia ſunt minùs materiales, ideo recipiunt ſpeciem ſine materia, at cum conditionibus materiæ; intellectus hominis, quia eſt immaterialis, recipit formas vniuerſales repræſentantes totam ſpeciem;intellectus Angeli infimi,quia magis elungatur à materia, recipit ſpecies magis vniuerſales repræſentantes totum genus; ergo gradus Angeli ſuperioris,quia magis elungatur à materia,& à potentialitate paſſiua, recipit ſpecies magis vniuerſales.Aduertendum tamen, quòd hæc elungatio à materia debet eſſe ſecundùm gradum, vt ſupra dictũ eſt; quia licèt natura vnius animalis magis elungetur à materia ſecundùm ſpeciem,attamen recipit ſpecies æquè,& eodem modo, ac natura alterius animalis ſpecie diuerſi.

17 Prob.4.*ab eodem ſecunda via.* Illud,quod eſt in gradu propinquiori Deo, eſt magis Deiforme, & magis participat modum perfectionis Dei;ſed Deus per vnicam idæam realiter eandẽ, & æquiualenter multiplicem cognoſcit creaturas; ergo Angelus, qui eſt in ſuperiori gradu eſſendi, per ſpecies vniuerſaliores cognoſcit creaturas.

18 Prob.5.*ab eodem quarta via.* Angeli ſuperioris ordinis comparantur ad Angelos inferiores, ſicut homines ſapientes ad homines rudes;ſed homines ſapientes vnico verbo externo plura intelligunt, quæ non intelliguntur ab hominibus rudibus, niſi pluribus verbis,& circunlocutionibus; ergo Angeli ſuperiores per vnicã ſpeciem intelligunt plura, quæ intelliguntur ab Angelis inferioribus per plures ſpecies.

19 Præterea *ab eod.in 2.vbi ſ.*ſic prob. Sicut Dux vnico conceptu generali conſiderat omnia ea,quæ ſpectant ad exercitum; & Præfectus alicuius aciei, vt Centurio, non conſiderat vnico conceptu omnia ea,quæ ſpectant ad totum exercitum;ſed ſolùm ea,quę ſpectant ad ſuam aciem; ea verò,quæ ſpectant ad alias acies,non conſiderat niſi diuerſis conceptibus; & tandem Decanus, qui eſt ſub Centurionibus, non conſiderat vnico conceptu totam aciem, ſed ſolos milites ſuæ curæ demandatos; ita Deus vnica idæa videt omnes creaturas,& Angeli ſuperiores per vnam ſpeciem vident ea, quæ ſpectant ad vnum genus continens ſub ſe plura genera; & tandem Angeli inferiores vident per ſpeciem vnius generis ſpecies ſub illo contentas; ſed Centurio conſiderat per conceptum vniuerſalius,quàm Decanus; ergo Angeli ſuperiores cognoſcunt per ſpecies vniuerſaliores,quàm Angeli inferiores,

20 Conf. Sicut ars bellica, quæ continet ſub ſe equeſtrem,frænifactiuam &c;habet conſiderationem vniuerſaliorem, quàm habeat ars equeſtris, frænifactiua &c.Et ſicut Metaphyſica, quæ eſt ſuperior ordine ad omnes alias ſcientias naturales, habet conſiderationem vniuerſaliorẽ,

quàm

Digitized by Google

quàm habeant aliæ ſcientiæ naturales;ita Angeli ſuperioris ordinis, aut hierarchiæ habent cognitiones vniuerſaliores, quàm Angeli ordinis inferioris;ſed cognitio vniuerſalior exigit ſpeciē vniuerſaliorem; intellectus enim tantummodò ea cognoſcit,quę ſibi repræſentantur per ſpeciē; ergo Angeli ſuperioris ordinis, aut hierarchiæ cognoſcunt per ſpecies vniuerſaliores.

21 Obijc.1.*Maſtr.ex Scot.* Ad ſaluandam ſuperioritatem,& maiorem perfectionem Angelorum, ſufficit, quòd clariùs, & intenſiùs videant res; ergo non requiritur maior extenſio ſpeciei ad plura obiecta; & ideo Angeli ſuperiores non intelligunt per ſpecies vniuerſaliores. Prob.ant. Si produceretur Angelus perfectior, & ſuperior omnibus Angelis de facto creatis,ille non intelligeret per ſpeciem vniuerſaliorem, ſed ſolùm clariùs intelligeret res; hoc enim ſufficit ad ſaluandam perfectionem maiorē ipſius intellectus.

Reſp.diſt. ant. Ad ſaluandam ſuperioritatē ordinis ſufficit,quòd clariùs videat, neg; ad ſaluandam ſuperioritatem intra eundem ordinem, conc. Ad prob.reſp.*Fund.Doct.*,quòd ſi produceretur Angelus perfectior,pertineret ad aliquam hierarchiam, & ordinem iam de facto productum;ſicut ſi Deus produceret viuens materiale, pertineret ad aliquod genus entis materialis, vel vegetatiuum,vel ſenſitiuum; & ideo ille Angelus intelligeret per eaſdē ſpecies,ſed clariùs; quia haberet maius lumen intenſiuè, non extenſiuè.

22 Inſt.1. Deus poteſt producere nedum Angelum ſuperiorem intra eundem ordinem, ſed etiam ordinis ſuperioris, quia poteſt producere nouum ordinem, & nouam hierarchiam; ergo ille intelligeret per ſpeciem vniuerſaliorē.

Reſp.neg.ant; ex eo enim, quòd Deus habeat potentiam ad producenda indiuidua, & ſpecies,& fortè genera ſubalterna in infinitum; quia eſt infinitæ potentiæ; non ſequitur, quòd poſſit producere genera ſuprema in infinitum diuidentia illud totum quoad ſtatus, & gradus; ſicut ex eo, quòd poſſit producere homines in infinitum,& ſpecies animalium, & genera ſubalterna;non ſequitur, quòd poſſit producere aliquod animal,quod non pertineat ad gradum ſēſitiui,aut intellectiui;nam licèt poſſit producere accidentia,& ſubſtantias in infinitum,non ſequitur,quòd poſſit producere aliquod,quod nec ſit ſubſtantia, nec accidens; & ratio allata eſt *to.* 1. *de Att.in com.q.*1.*art.*6.*n.*4; quia infinitas numerica non attenditur niſi ex parte extremi, quod opponitur vnitati; quod extremum ſunt indiuidua; *vid. ibid*; ergo licèt Deus poſſit producere infinitos Angelos ſecundùm ſpeciem intra ordines,quos creauit,non ſequitur, quòd poſſit producere nouos ordines.

23 Inſt.2.*Maſtr.* Ad hoc, vt aliquod perfectius dicatur Deo magis appropinquare,ſufficit, quòd ei appropinquet in illo prædicato, quod eſt magis perfectum;non enim neceſſe eſt,quòd appropinquet in omnibus; ſed claritas in ſpecie eſt prædicatum magis perfectum, quàm ſimplicitas; quia ſimplicitas conuenit materiæ, quæ eſt imperfectior compoſito, quod non eſt ſimplex; claritas autem non conuenit materiæ, ſed immaterialitati;ergo ex maiori propinquitate ad Deū non arguitur maior vniuerſalitas in ſpecie.

Reſp.omiſſa ma.neg.mi. Ad prob.inſert.dicitur, quòd ſimplicitas materiæ eſt ſimplicitas defectiua, quæ non importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, vt eſt ſimplicitas ipſius actus, quæ proinde ponitur in Deo formaliter; ſimplicitas autem materiæ nō dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſed potiùs dicit inanitatem complebilem per formam,quæ eſt perfectio materiæ;& ideo dicit imperfectionem; at verò ſimplicitas actus dicit excluſionem potentialitatis, cui non componitur;& ideo dicit perfectionem; ex eo autem, quòd dicat excluſionem potentialitatis materialis, dicit excluſionem denſitatis, quæ ſumitur à materia, & ideo dicit maiorem claritatem, quæ opponitur denſitati; vnde ſimplicitas actus vel dicit maiorem perfectionem, quàm claritas;quia eſt radix, & cauſa claritatis; cauſa autem in eo, quòd cauſa,eſt perfectior effectu;quia cauſa dat eſſe effectui;& effectus recipit eſſe à cauſa; *Beatius* autem *eſt dare,quàm accipere*; vel ſaltem non dicit minorem perfectionem,quàm claritas; quia implicat effectum eſſe nobiliorem ſua cauſa.

24 Obijc.2.*idem.* Si Angelus ſuperior intelligeret per ſpeciem vniuerſaliorem, ſequeretur, quòd poſſet deueniri ad Angelum omnia intelligentem per vnicam ſpeciem, imò per ſuam eſſentiam; quia ponamus Angelum ſupremum de facto creatum intelligere per decem ſpecies; ſi creentur de nouo nouem alij Angeli perfectiores, tunc ſupremus intelligeret per vnam ſpeciē; & ſi denuo crearetur alter Angelus, ille intelligeret omnia per ſuam eſſentiam; ſed hoc repugnat;ergo & id,ex quo ſequitur.

Reſp.1.*Fund.Doct.*neg.ſeq;ſicut enim licèt animatum ſuperius habeat plures potentias,quā inferius inferioritate gradus,quia ſenſitiuum habet plures potentias,quàm vegetatiuum;& licèt Deus poſſit facere animatum inferius in infinitū inferioritate tamen ſpeciei, non gradus, non tamen ſequeretur Deū poſſe facere animatū nullā habens potentiam;ita à pari. Tum quia ſicut ſi Deus produceret aliam ſpeciem vegetatiui, vel ſenſitiui, haberet eaſdem potentias, quas habet vegetatiuum;vel ſēſitiuum,quod de facto eſt;ita ſi faceret Angelum perfectiorem; quia ille pertineret ad aliquem ordinem,qui de facto eſt,haberet eaſdem ſpecies; & ſolummodò clariùs videret. Et hac facilitate ſoluitur hoc arg; quod *Maſtr.*vocat inſolubile.

25 Inſt.1. *Maſtr.* hanc reſponſionem eſſe diuinatoriam; non enim poteſt aſſignari, quibus

An-

Angelis conueniat vti ſpeciebus vniuerſalioribus;& quibus non conueniat. 2. Per hanc reſpõſionem euerti fundamentum ponendi ſpecies pauciores in Angelis ſuperioribus;vt ait etiam *Io.à S.Tho.3*;nã dicere,quòd ad ſaluandã maiorem perfectionem ſpecificam vnius Angeli ſufficit clariùs videre, eſt incidere in primam obiectionem.

Reſp. hanc doctrinam bene perceptam habere validum fundamentum in his inferioribus, vt dictum eſt; ex quibus ſolùm poſſumus aſcendere ad percipienda intelligibilia,vt ſunt Angeli;diuinatoriam autẽ eſſe illis tantummodò, qui has res inferiores callent incertè,imperfectè, & probabiliter,& abſque vlla firmitate,& certitudine;quemadmodum illi,qui ſcientiam futurorũ non poſſident, & tamen poſſidere ſe iactant. Ad 2.neg.aſſumpt;nam vt *ſup.*dictum eſt,fundamentum ponendi pauciores ſpecies eſt diuerſus gradus eſſendi, quem videmus in his inferioribus, non autem quæcũque diuerſitas ſpecifica. Ad 3. pariter neg; nam prima obiectio vult nedum ad diuerſitatem ſpecificam,ſed etiam ad diuerſitatẽ ordinis, & hierarchiæ ſufficere clariùs videre; quod nos negamus.

26 Reſp.2.*Fund.Doct.* ad princ. arg; dato, quòd poſſit Deus producere ſuperiorem ordinẽ Angelorum in infinitum; tunc Angeli ordinis ſupremi, qui de facto ſunt, non poſſent cognoſcere illum nouum ordinem per ſpecies, quas habẽt, quia iſtæ ſpecies ſunt determinatæ ad repræſentandum ſolùm ordines, & gradus rerum, quæ de facto ſunt;ſunt enim in prædicamento;& ideo ſuis clauduntur limitibus;hinc ſola eſſentia Diuina, quia non eſt in prædicamento, poteſt quæcunque repræſentare;ideo Deus deberet infundere Angelis de facto exiſtentibus ſpeciem repræſentantem nouum illum ordinem; & ſic gradatim de alijs; vnde nunquam deueniretur ad Angelum omnia cognoſcentem per vnam ſpeciem,nec per ſuam eſſentiam.

27 Inſt.*Maſtr.1.ex Rada.* Species animalis v.g;quæ de facto eſt in Angelis, poteſt repræſẽtare aliquam naturam animalis abſque eo, quòd ei aliquid ſuperaddatur; ergo ſpecies naturæ Angelicæ,quæ de facto eſt in Angelis,poteſt repræſentare quencunque Angelum à Deo creabilem abſque eo,quòd ei ſuperaddatur alia ſpecies. 2. Angelus per vnicam ſpeciem cognoſcit omnia materialia, & omnia ſpiritualia inferiora ſe ipſo,ſiue ſit inferior, ſiue ſuperior;ergo falſum eſt,quòd Angelus ſuperior cognoſcat per pauciores ſpecies,& ideo per vniuerſaliores.

Reſp.ad 1.neg.conſ; ſpecies enim animalis poteſt repræſentare omnem naturam contentam ſub animali; ſpecies autem repræſentatiua vnius ordinis Angelici nequit repræſentare ordinem ſuperiorem; ſicut ſpecies animalis nequit repræſentare omne viuens. Ad 2.neg.ant; nam Angelus inferioris ordinis cognoſcit res materiales per genus proximum; v. g. cognoſcit piſces per ſpeciem animalis aquatici; Angelus ordinis penultimi cognoſcit piſces per ſpeciem animalis, *vt ſic*,prout eſt communis aquaticis,volatilibus, & terreſtribus; & ſic alius per ſpeciem viuentis vſque ad nouem ordines Angelorum; ideo falsũ eſt, quòd quilibet Angelus per vnicam ſpeciem cognoſcat omnia inferiora ſe ipſo;& quòd ſuperior non cognoſcat per ſpecies vniuerſaliores. *Vid. Fund. Doct.*

28 Obijc.3.*idem*.Si Deus crearet Angelum inferiorem Angelo infimo, quem de facto creauit;tunc ille Angelus intelligeret materialia per ſpeciem æquè vniuerſalem, ac eſt illa ſpecies, qua de facto intelligit Angelus infimus; quia ſuppoſito, quòd Angelus infimus de facto intelligat per ſpeciem generis proximi; ille non poſſet intelligere per ſpeciem ſpeciei,quia ſic intelligit homo; ergo ex ſuperioritate Angelorum non deducitur maior vniuerſalitas ſpecierum.

Reſp. 1; quòd ille Angelus eſſet inferior Angelo infimo,qui eſt de facto,tantùm ſpecificè; & ſic intelligeret per ſpecies æquè vniuerſales. 2.Dato,quòd ille Angelus eſſet inferior ordine, tunc Angelus infimus,qui de facto eſt non intelligeret per ſpeciem generis vltimi, ſed ſubalterni,variato enim ordine naturarũ variaretur etiã ordo ſpecierum naturas repræſentantium.

29 Obijc.4.Species in Angelis ſuperioribus ſunt magis actuales,quàm in inferioribus; quia magis accedunt ad Deum; ergo ſunt minùs vniuerſales; quia magis vniuerſale habet magis de potentialitate,& minùs de actualitate.

Reſp.neg.conſ.Ad prob. inſert.diſt. Magis vniuerſale logicum,quod eſt per ſeparationem ab indiuiduis,habet magis de potentia,conc;magis vniuerſale phyſicum, quod eſt per coniunctionem ad indiuidua,& per ſeparationem à potentialitate,neg.

30 Obijc.5.Si Angeli ſuperiores cognoſcerent per ſpecies vniuerſaliores,ſequeretur,quòd illorum ſpecies continerẽt formaliter ſpecies inferiorum; in tantùm enim Angelus nequit cognoſcere alia à ſe per ſuam eſſentiam; in quantũ illa non continet in ſua eſſentia formaliter; ſed continere formaliter ſpecies aliorum competit ſoli Deo; ergo non intelligunt per ſpecies vniuerſaliores.

Reſp.hoc arg.probare, quòd Angelus non intelligat per ſpeciem vniuerſaliorem, quàm homo; & intellectum hominis non intelligere per ſpeciem vniuerſaliorem,quàm ſenſum,& ſẽſum communem non recipere ſpecies vniuerſaliores,quàm ſenſum particularem; quæ omnia falſa ſunt. Diſt. igitur mi. Continere formaliter eminenter demptis omnibus imperfectionibus limitationis, potentialitatis &c. conuenit ſoli Deo, conc; formaliter non eminenter, neg. Vel dicitur ad ma; quòd contineret in eſſe intelligibili,non in eſſe reali;Deus autem continet vtro-

que

que modo. Vel dicitur, quòd contineret virtualiter, nō formaliter. *Vid. to. 1. de Emin. Dei art. 1.*

31 Obijc. 6. Angelus infimus videt genus animalis, *vt ſic*, v. g; quod æqualiter videt Angelus ſuperior; ergo iſte nō videt per ſpeciem vniuerſaliorem. Prob. ant. Si Angelus ſuperior non videret genus animalis, *vt ſic*, prout eſt commune omnibus animalibus aquaticis, volatilibus, & terreſtribus, non videret omnia prædicata, in quibus conueniūt res materiales; & ſic illas non cognoſceret adæquatè. Prob. conſ. nam nulla poteſt afferri ratio, cur ratio generica animalis, *vt ſic*, repræſentet Angelo inferiori ſolùm hæc animalia, non omnia; & Angelo ſuperiori omnia repræſentet.

Reſp. diſt. ant. Angelus inferior videt rationem genericam animalis, *vt ſic*, prout diſtinctè repræſentantem omnes ſpecies, ſeu omnia genera animalium per eandem ſpeciem, neg; per diuerſas ſpecies, conc. Ad prob. diſt. aſſumpt. Non cognoſceret res materiales adæquatè per vnam ſpeciem, conc; per plures ſpecies, neg.

32 Obijc. 7. Vel iſtæ ſpecies ſunt Angelis communicatæ ex libera Dei voluntate; vel ſunt proprietates ipſorum Angelorum? Si primum; ergo de ipſis nihil certi poteſt nobis conſtare; quia voluntas Dei poteſt ſolùm nobis conſtare *ex Scripturis*; ex quibus tamen nihil habemus circa hoc. Si ſecundum; ergo non eſt neceſſe, quòd ſint vniuerſaliores, & pauciores; ſufficit enim, quòd ſint perfectiores.

Reſp. eſſe proprietates, *vt ſup.* dictum eſt. Ad improb. neg. conſ; quia natura vniuerſalior quod eſſe habet etiam modum vniuerſaliorem operandi; & propter alias rationes ſuperiùs allatas. Additur, quòd etianſi fuiſſent inditæ ex ſola voluntate Dei, & hæc expreſsè non habeatur *in Scripturis*, habetur tamen implicitè; quia ex excellentia Angelorum, quæ expreſsè commendatur *à Scriptura*, deducitur modus intelligendi perfectior quoad gradum in Angelis ſuperioribus, qui modus nequit eſſe niſi per ſpecies vniuerſaliores, & pauciores; vtpote propinquior modo intelligendi proprio ipſius Dei.

33 Obijc. 8. Lumen ſupernaturale ſcientiæ infuſæ Chriſti Domini eſt longè perfectius lumine naturali cuiuslibet Angeli; & multò plura poteſt intelligere vnico actu, quàm Angelus; ſed intellectus Chriſti Domini nequit intelligere per ſpecies vniuerſaliores, quàm intelligat Angelus; ergo à pari. Prob. mi. Natura humana Chriſti Domini eſt inferior natura Angeli; ergo nequit habere ſpecies vniuerſaliores.

Reſp. hoc videndum eſſe *in 3. Sent*; interim poteſt negari mi; & ad prob. dicitur, quòd natura humana ex vnione ad naturam Diuinam eleuatur ſupra omnem naturam Angelicam; & ideo poteſt habere ſpecies vniuerſaliores.

34 Obijc. 9. Falſum eſt, quòd Angelus ſpecificè perfectior intra eundem ordinem intelligat per ſpecies æquè vniuerſales; ergo doctrina allata quoad diuerſitatem graduum non tenet. Prob. mi. *ex noſtro Gibb.* 1. Infimus Angelus ex eo, quòd excedat hominem in perfectione eſſētiali, ideo intelligit per ſpeciem generis; homo verò per ſpeciem ſpeciei; ſed vnus Angelus magis excedit in perfectione alium Angelum eiuſdem ordinis, quàm infimus Angelus excedat hominem; ergo Angelus perfectior intra eundem ordinem intelligit per ſpecies vniuerſaliores, quàm intelligat Angelus inferior. 2. Quò perfectior eſt intellectus humanus, eò plures concluſiones intelligit per principia magis vniuerſalia, quàm intelligat intellectus rudis; & tamen vterque eſt eiuſdem ſpeciei; ergo multò magis intellectus Angeli ſpecificè diuerſus ab alio. 3. Ideo tribuuntur Angelis ſpecies vniuerſaliores, quia poſſunt plura vnico actu cognoſcere; ſed Angelus ſpecificè perfectior poteſt plura vnico actu cognoſcere; ergo intelligit per ſpecies vniuerſaliores.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. neg. mi. Angelus enim, & homo differunt ordine, qui eſt quidam gradus genericus ſupremus; vt eſt vegetatiuum, & ſenſitiuum in animatis; non enim homo eſt in eodem ordine, in quo eſt Angelus; vnus autem Angelus ſpecificè tantùm perfectior altero eſt in eodem ordine; ideo minùs diſtinguitur, quàm diſtinguatur Angelus infimus ab homine; ſicut magis diſtinguitur vegetatiuum à ſenſitiuo; quā duo vegetatiua. Ad 2. neg. conſ; quia homo, cùm accipiat ſpecies à rebus, ſtudendo accipit plures ſpecies, ex quibus format principia vniuerſalia; quæ non poſſunt formare rudes, qui carent talibus ſpeciebus; at verò Angeli non accipiunt ſpecies à rebus, ſed habent illas congenitas, vt proprietates naturæ; & cùm natura exigat diuerſitatem potentiarum ſolùm iuxta diuerſitatem graduum, vt dictum eſt; ideo Angeli eiuſdem ordinis habent ſpecies æquales. Ad 3. neg. mi. Angeli enim ſpecificè perfectiores intelligunt clariùs, vt dictum eſt; non plura per eundem actum, & per eandem ſpeciem.

Ceteræ obiectiones ſolutæ ſunt *in ſup. art.* §. 3; & 4; & *inf. in ſeq.* §.

§. 1.

An Angeli ſuperiores habeant pauciores ſpecies?

35 SAtis fuit diſcuſſa hæc difficultas; vt enim dicebamus *n.* 1; intelligens per ſpecies vniuerſaliores neceſſe eſt, quòd intelligat per pauciores; ideo breuiter eſt expedienda.

36 Vnica concl. Angelus ſuperior intelligit per pauciores ſpecies. Prob. 1. auctoritatibus allatis *n.* 11; 12; & 13.

37 Prob. 2. Angeli ſuperiores intelligunt per ſpecies vniuerſaliores; vt ſupra probatum eſt; ergo per ſpecies pauciores; ex eo enim, quòd Angelus ſuperior per ſpeciem animalis, *vt ſic*, intelligat omnia animalia volatilia, aquatilia, & terreſtria; ſuperflua eſt altera ſpecies diſtincta re-

præ-

præſentans tantùm animal volatile, non aquatile, aut terreſtre; Angelus autē inferior, quia non intelligit per ſpeciem animalis, *vt ſic*, ſed per ſpeciem animalis volatilis intelligit aues; & per ſpeciem aquatilis intelligit piſces; ideo plures ſpecies exigit ad intelligenda omnia animalia.

38 Prob. 3. *ex Fund. Doct.* Quantò aliquod eſt perfectius perfectione ſimpliciter ſimplici, tātò eſt ſimplicius; vt diximus *n. 6*; ſed ſimplicius habet minorem numerum accidentium; quod enim habet plura accidentia, eſt compoſitius cōpoſitione accidentali; & ideo minùs ſimplex; ergo quod eſt perfectius perfectione ſimpliciter ſimplici, habet minorem numerum accidentium; atqui Angelus ſuperior eſt perfectior Angelo inferiori perfectione ſimpliciter ſimplici; ergo minorem numerum habet accidentium; & ideo minorem numerum ſpecierum; quæ ſunt accidentia.

39 Prob. 4. Quantò aliquod eſt actualius, & immaterialius, tātò habet pauciora accidentia, ex quibus cōponitur; ſed Angeli ſuperiores ſunt actualiores, & immaterialiores, quia magis appropinquant Deo, qui eſt actus puriſſimus, & ſūmè immaterialis; ergo pauciora habent accidentia, & per conſequens pauciores ſpecies. Et ſic prob. omnibus alijs rationibus allatis *in ſup. art*; quæ tamen intelligendæ ſunt de ſuperioritate ſecundùm gradum, & ordinem, non ſecundùm ſpeciem; vt *ibid.* dictum eſt.

40 Inſt. *Maſtr.* cont. hanc vltimam rationē *n. 219*. Non ſatis conſtat, quid intelligatur nomine immaterialitatis; nam ſi intelligatur penetrabilitas, & carentia partium integralium; vt propriè ſumitur; falſum eſt Angelum ſuperiorem eſſe immaterialiorem Angelo inferiori; vterque enim caret materia. Si verò intelligatur perfectio in eſſentia ſpecifica; ſequeretur Angelos eiuſdem ordinis intelligere per ſpecies pauciores; ergo ruit hæc ratio.

Reſp. nimium eſſe hoc, quod petit edoceri, quid intelligatur nomine immaterialitatis. Immaterialitas ergo nedum ſumitur, prout opponitur potentiæ paſſiuæ phyſicæ, quæ eſt materia; ſed etiam prout opponitur potentialitati paſſiuæ metaphyſicæ receptiuæ alicuius eſſe, quo caret; & in hoc ſenſu docet *Beatiſſ. P.* Angelos habere ſuum *hyleachim*, idèſt ſuam potentialitatem paſſiuam; & ſolùm Deum eſſe ſummè immaterialem non ſolùm, quia excludit materiam phyſicam; hoc enim parum eſſet, & non eſſet proprium Dei, quia conuenit etiam ſpiritibus; ſed quia excludit potentialitatem paſſiuam receptiuam alicuius eſſe, & perfectionis, quam non habet. Dicitur ergo Angelus ſuperior immaterialior Angelo inferiori; quia magis excludit potentialitatē paſſiuam; & ideo minùs recipit; ſed quod minus recipit, habet pauciora accidentia; quia quod habet plura accidentia, magis recipit, & ideo maiorem habet potentialitatem paſſiuā; ergo Angelus immaterialior habet ſpecies pauciores; aliter ſi haberet eaſdem ſpecies, haberet eandem potentialitatem paſſiuam ad habendas ſuas perfectiones, ac habet inferior; vterq; enim recipit eſſe à Deo; vterque habet intellectum, & voluntatem, & alias proprietates; & ideo ſi haberet etiam æquales ſpecies, æqualiter eſſet in potentia ad ſuas perfectiones; & ſic Angelus ſuperior non eſſet immaterialior.

41 Obijc. 1. Angelus inferior quiditatiuè videt Angelum ſupremum per vnicam tantùm ſpeciem; ergo per vnicam ſpeciem videt omnes ſpecies, quæ ſunt in intellectu Angeli ſupremi; & omnia obiecta repræſentata per illas ſpecies; ſed obiecta repræſentata per illas ſpecies ſunt omnes res creatæ, quas de facto videt Angelus ſupremus; ergo Angelus inferior per vnicam tantùm ſpeciem videt omnes res creatas; & ideo ſpecies Angeli inferioris eſt vniuerſalior, quàm ſpecies Angeli ſuperioris; quia terminatur, & extenditur ad omnes ſpecies Angeli ſuperioris, ac ad illarum obiecta; ergo falſum eſt in Angelo inferiori eſſe plures ſpecies; cùm enim per vnicam cognoſcat Angelum ſuperiorem, in quo omnia alia cognoſcit, ſuperfluæ ſunt aliæ ſpecies, quibus cognoſcat alia ab Angelo ſuperiori.

Reſp. diſt. conſ. Per vnicam tantùm ſpeciem videt omnes ſpecies Angeli ſuperioris, vt ſunt proprietates Angeli ſuperioris terminatæ ad obiecta in vniuerſali, & confusè cognita, conc; vt terminatæ ad obiecta in particulari, & diſtinctè cognita, neg. Sicut dicimus, quòd Beatus videt quiditatiuè omnipotentiam Dei; & tamen non videt quiditatiuè creaturas poſſibiles, quæ ſunt obiectum omnipotentiæ, ſed tantùm in confuſo; ita Angelus inferior per vnicam ſpeciem videt quiditatiuè Angelum ſuperiorem, & ſpecies, quę ſunt in illo, vt terminatas v. g. ad corpus, non tamen cognoſcit omnia corpora diſtinctè, & determinatè; ſicut cognoſcit Angelus ſupremus per illam ſpeciem formaliter exiſtentem in ſe ipſo, & obiectiuè cognitam ab Angelo inferiori; qui propterea neceſſe habet alijs ſpeciebus, & pluribus ad cognoſcenda omnia corpora; & ideo plures habet ſpecies, quàm ſuperior.

42 Obijc. 2. Angelus ſuperior magis accedit ad Deum, quàm inferior; ergo habet plures ſpecies, quàm inferior; nam Deus habet idæas infinitas; & illi magis aſſimilatur, qui habet plures ſpecies, quàm qui habet pauciores; qui autē magis accedit ad Deum, ei magis aſſimilatur.

Reſp. *Fund. Doct.* neg. conſ. Ad prob. inſert. dicitur, quòd Deus habet vnicam tantùm idæā realiter, quæ eſt Diuina eſſentia; quæ æquiualenter, & ratione diuiditur in infinitas idæas; ergo Angelus ſuperior, quia magis accedit ad Deum, habet ſpecies magis vnitas realiter; & multiplices æquiualenter, & ratione; & ideo per ſpecies realiter pauciores intelligit; quòd ſolùm *hic* intenditur à nobis.

ART. VI.

An Angeli intelligant diſcurrendo?

1 Diſcurrere tripliciter ſumi poteſt. 1. Prout eſt idem, ac cognoſcere vnū per aliud ita, vt vnum ſit ratio influens, & cauſans cognitionem alterius; attamen vna, & eadem cognitione attingatur vtrunque; & iſta acceptio eſt omnino impropria; confundit enim diſcurſum cum ſcientia; & in hoc ſenſu nullum eſt dubium de Angelis, imò nec etiam de Deo, in quibus eſt verè, & propriè ſciētia; vt diximus *to.* 2; Deus enim omnia cognoſcit per ſuam eſſentiam tanquam per cauſam; & Angeli in cauſis creatis cognoſcunt effectus neceſſarios; vt inferiùs dicemus. 2. Sumitur diſcurſus, prout eſt tranſitus diſparatus de vna cognitione ad aliam ita, vt cognitio vnius non inducat in cognitionem alterius, ſed merè diſparatè ſe habeat; & ita quoque diſcurſus ſumitur impropriè; vt *inf.* patebit; vnde in hoc ſenſu Angelis non eſt denegandus; cùm tranſeant de cognitione vnius Angeli ad cognitionē animalis; non enim vnico intuitu omnia cognoſcunt; cùm hoc ſoli Deo competat; cognitio tamen alterius Angeli non inducit cognoſcentem in cognitionem animalis. 3. Sumitur propriè, & formaliter, prout eſt cognitio vnius noti inducēs in cognitionem alterius ignoti; vt cùm videmus fumum egredientem ex aliqua domo, arguimus ibi eſſe ignem; qui erat nobis ignotus; & in hoc ſenſu procedit difficultas.

2 Prima ſententia vult Angelis competere diſcurſum formalem propriè dictum; imò etiam enunciationem, ſiue compoſitionem, & diuiſionem; ſed diuiſa eſt; *alij* enim volunt competere tam circa obiecta naturalia, quàm ſupernaturalia. *Ita noſter Greg. in* 2. *diſt.* 7. *q.* 5. *art* 2; *Scot. ibid. q.* 1; *Gabr. diſt.* 4. *q.* 1. *art.* 3; *Mol; & Arrub.* inclinant. *Alij* volunt eis competere tantùm circa obiecta, quæ coniecturaliter ſolùm cognoſcunt; vt ſunt futura contingentia, ſecreta cordium; & myſteria ſupernaturalia. *Ita Sua; Gran; Vaſq; & alij*. Tandem *alij* Angelis concedunt enunciationē per accidēs, quatenus ex ſua libertate poſſunt diſcurrere, compouere, & diuidere. *Ita Mol; & Arrub.*

3 Secunda ſententia docet Angelis nec diſcurſum, nec enunciationem poſſe competere. *Ita Fund. Doct. Aegid. Quodl.* 4. *q.* 16; *& ſæpe alibi; noſter Gibb. hic. diſp.* 23. *dub.* 3; *&* 4; *D. Tho, Caiet; Ban; Zum; Rip; Capr; Naz; Val; Salm; Io. à S. Tho, Gonet; & omnes alij ferè communiter*.

4 Vnica concl. Angeli non intelligunt diſcurrendo, nec enunciando.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. lib.* 2. *de Gen. ad lit. c.* 8. docente: *Neque enim, ſicut nos, ad percipiendam ſapientiam proficiebant Angeli; & lib.* 4. *c.* 32. *Secūdùm potentiam ſpiritalem mentis Angelicæ cuncta, quæ voluerit, ſimul notitia facillima comprehendentem.* Et paulò poſt declarans modum cognoſcendi noſtri intellectus inquit. *Mens itaque humana priùs hæc, quæ facta ſunt, per ſenſus corporis experitur; eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit; & deinde quærit corū cauſas.* Hoc autē eſt propriè diſcurrere; ſed hoc negat Angelis, quia negat omnia ſimul cognoſcere, quę pro ſua libertate volūt contēplari; vt dictū eſt; & vt repetit in fine *eiuſdē c.* dicēs: *Sed ſi omnia mens ſimul Angelica poteſt, quæ ſingillatim per ordinem connexarum cauſarum ſermo diſtinguit*, patet autem, quòd diſcurſus importat vnam cognitionē poſt aliam; & non cognitionem plurium ſimul; ergo ex ſentētia *Beatiſſ. P.* Angeli nec diſcurrūt, nec enunciant.

5 Prob. 2. ratione 1. pars concl. Diſcurſus eſſentialiter definitur *cognitio vnius ignoti ex altero noto*; ſed Angelis repugnat cognitio ignoti ex altero noto; ergo Angelis repugnat diſcurſus. Prob. mi. Cognoſcere aliquod ignotum ex alio noto eſt habere ſpeciem illius, quod eſt notum; & non habere ſpeciem illius, quod eſt ignotum; eamque acquirere per diſcurſum; ſi enim quis videat ſimul ignem, & fumum, nō dicitur diſcurrere; at verò ſi quis videat fumum, non ignem; ex ſpecie, quam habet exiſtentiæ fumi in mente, diſcurrit, quòd ibidem ſit ignis; de cuius exiſtentia ſpeciem non habet, ſed Angeli habent ſpeciē omnium rerum; neque vllam acquirunt, vt *ſup.* dictum eſt; ergo non diſcurrunt.

6 Conf. Tunc aliquid dicitur ignotum alicui, quando non habet ſpeciem illius; perfectò enim Philoſopho non dicitur ignota aliqua concluſio philoſophica, quia habet ſpeciem illius; etianſi actualiter non cogitet de illa concluſione; ſed Angeli habent ſpecies omnium rerum exiſtentium; ergo nulla res dicitur propriè illis ignota; atqui diſcurſus eſſētialiter procedit ab ignoto; ergo diſcurſus Angelis repugnat.

7 Dices. Philoſophus propriè dicitur diſcurrere, etianſi habeat ſpecies earum rerum, de quibus diſcurrit; & illæ res ſint ei notæ; ergo ruit hæc ratio.

Reſp. quòd licèt Philoſophus habeat ſpecies earū rerū; attamen non habet ſpecies cōnexionis earum rerum, & illationis, quia ſpecies in noſtro intellectu labiles ſūt, nec ſūt ſtabiles, ſicut in Angelis; quapropter dicunt omnes (cùm arguitur ad diſcurſum non requiri, quòd concluſio ſit ignota) concluſionem etſi clarè cognitam eſſe tamen ignotam ex vi illationis; & ſic non notificari niſi per diſcurſum. Vnde iſta obiectio impugnat definitionem diſcurſus, quam *hic* ſupponimus, & hac ſuppoſita arguimus in Angelis non eſſe diſcurſum. Præterea ſi Philoſophus habeat ſpeciem etiam cōcluſionis, & illationis, dicimus, quòd ille diſcurſus eſt repetitio diſcurſus, quem ſemel habuit; & tunc non habebat ſpeciem concluſionis, quia illi erat ignota; & ideo non eſt nouus diſcurſus, ſed repetitio antiqui. Angeli autem nunquam fuerunt ſine ſpecie alicuius effectus

ctus connexi cum aliqua cauſa; ideo nunquam eis fuit ignotus; ergo nunquam habuerunt diſcurſum; & per conſequens nec repetitionem ipſius.

8 Prob. 2. In Angelis non eſt principium formale diſcurrendi; ergo Angelus non diſcurrit; implicat enim, quòd detur effectus formalis ſine cauſa formali; ſicut nanque valet, quòd planta non ſentiat, quia in ipſa non eſt formaliter principium ſentiendi; & quòd canis non intelligat; quia in ipſo non eſt formaliter principium intelligendi; ita à pari. Prob. ant. Rationalitas eſt principium formale diſcurrendi; ſic enim de finitur communiter; nam ſicut ratiocinari idem eſt formaliter, ac diſcurrere; ita rationalitas idem eſt formaliter, ac eſſe principium diſcurrendi; ſed in Angelis non eſt rationalitas; aliter rationalitas non eſſet differentia ſpecialis propria ipſius homini s; quia per illã homo nõ differret ab Angelo; & ideo eſſet quid commune Angelo, & homini; & ſic non eſſet bona definitio hominis, quę communiter circunfertur; quia non conſtaret ex differentia vltima, per quam differt ab alijs; ergo in Angelis non eſt formaliter principium diſcurrendi, nec diſcurſus.

9 Conf. *ex Fund. Doct. vbiſ.* Differentia diuidens aliquod genus, & conſtituens aliquam ſpeciem nequit alteri membro diuidenti competere; quia membra diuidentia debent eſſe inter ſe oppoſita; & oppoſita nequeunt eidem ſimul conuenire; ſed principium diſcurrendi eſt differentia diuidẽs genus intellectiuum; & cõſtituens naturã hominis; ergo nequit cõuenire naturæ intellectuali ipſius Angeli. Ma. patet. Prob. mi. In hoc diſtinguitur intellectualitas Dei ab intellectualitate Angelorum, & hominis, quòd illa vnico, & ſimpliciſſimo actu eſt comprehenſiua perfectiſſimo modo; intellectualitas autem Angeli eſt cognoſcitiua per ſimplicem intuitum, ſed per multiplicationem actuum apprehẽdentium modò iſtud, modò illud obiectum; intellectualitas autem hominis eſt cognoſcitiua per diſcurſum, vt diximus *to. 1. de Subſt. Dei q. 2. art. 7. §. 2. n. 22*; ergo principium diſcurrendi eſt differentia diuidens genus intellectiuum, & conſtituens naturam hominis.

10 Prob. 3. *ex Fund. Doct.* Ratio, quare noſter intellectus nõ videat ſimul effectum, & cauſam, ſed ex cognitione effectus diſcurrat ad cognitionem cauſæ, non ſolùm eſt defectu ſpeciei, ſed etiam defectu luminis; atqui in Angelis eſt lumen maius, & efficacius, quàm in nobis, potẽs ſimul manifeſtare effectum, & cauſam; ergo intellectus Angeli vtrunque ſimul cognoſcit; & ideo non diſcurrit ab effectu ad cauſam, vel è contra. Prob. ma. Quotieſcunque aliquod lumen aliqua duo ſimul manifeſtat; & ſpecies recepta in potentia illa ſimul repræſentat; tunc illa potẽtia poteſt illa duo ſimul apprehendere; nec indiget illa cognoſcere ſucceſſiuè diſcurrẽdo ab vno ad aliud; vt patet de oculo; qui ſi præſentia ſint duo obiecta, & lux externa illa ſimul repræſentet, illa ſimul apprehendit; & ideo à fortiori dicendum eſt de intellectu; qui potentior eſt, vtpotè ſpiritualis, quàm oculus; ergo ratio, quare noſter intellectus non videat ſimul effectum, & cauſam, eſt non ſolùm defectu ſpeciei, ſed etiam defectu luminis. Prob. mi. Natura Angelica eſt ſuperior, & perfectior natura humana; ergo habet perfectiorem intellectum; qui, vtpotè proprietas, debet commenſurari cum ſua eſſentia; ſed perfectior intellectus habet efficacius, & maius lumen; nam lumen eſt forma intellectus, & perfectio ſumitur à forma; cuius eſt perficere ſubiectum; & ideo maior perfectio potentiæ ſumitur à perfectiori forma, ergo in Angelis eſt efficacius, & maius lumen.

11 Prob. 4. Euertendo fundamentum *Aduerſariorum*. In tantùm Angelus poteſt diſcurrere; in quantùm non cognoſcit omnia ſimul, ſed ab vno ad aliud poteſt trãſire; ſed hæc ratio nulla eſt; quia diſcurſus propriè dictus non eſt quicunque tranſitus de vna ad aliam cognitionem; cùm enim noſter intellectus tranſit de vna ſimplici apprehenſione ad aliam ſimplicem apprehenſionem diſparatam nullam habentem connexionem cum priori apprehenſione; vt cum cognoſcit Solem; & poſtea multo interiecto tempore cognoſcit leonem, non diſcurrit; quia diſcurſus eſt illatio vnius ex alio, cum quo connectitur ita, vt cognitio vnius cauſetur à cognitione alterius; ſed eſt propriè aggregatio plurium operationum ſimplicium; ergo Angelus non diſcurrit.

12 Prob. 2. pars concl. In tantùm noſter intellectus componit, & diuidit; in quantùm cognoſcit abſtractiuè prædicatum ſeparatim à ſubiecto; ſi enim non cognoſceret, vt diſtincta, non componeret; nam *compoſitio eſt vnio diſtinctorũ*; ſed intellectus Angeli non cognoſcit prædicata abſtractiuè; cognoſcit enim quiditatiuè ſimplici intuitu ſubiectum, & prædicatũ; ergo intellectus Angeli non cognoſcit cõponendo, & diuidẽdo.

13 Conf. *ex Fund. Doct.* Eadem ſpecies Angeli repræſentat ſubiectum, & prædicatum; & idem lumen manifeſtat vtrunque; quia ſpecies, & lumen Angeli inſeruiunt cognitioni quiditatiuæ; quæ terminatur ad omnia illa, quæ ſunt formaliter in re; ergo eadem cognitione cognoſcitur vtrunque; cognitio enim commenſuratur cum ſpecie, & lumine; & ideo Angelus non cognoſcit enunciando; nam intellectus noſter in tantùm enunciat; in quantùm cognito ſubiecto ob debilitatem luminis non cognoſcit ſtatim prædicata, quæ inſunt tali ſubiecto; & ſpecies, cũ ſit abſtractiua, illa non repræſentat; ſed lumen Angelicum manifeſtat ſimul ſubiectum, & prædicata, quæ ſunt in tali ſubiecto; & ſpecies ſimul illa repræſentat; ergo Angelus non cognoſcit componendo, & ſic prob. omnibus alijs rationibus,

bus, quibus probata eſt prima pars.

14 Obijc.1.*ex Greg.*Si Angelus non diſcurreret,ſequeretur, quòd Diabolus haberet ſimul actu infinitas cognitiones ſpecificè diuerſas; vel vnam cognitionem æquiualentem infinitis cognitionibus;ſed cõſ.eſt falſum;ergo & ant. Prob. ſeq.Figuræ angulares ſunt multiplicabiles in infinitum; quia figura triangularis poteſt fieri quadrangularis &c.Præterea ſuppoſito,quòd motus Solis ſit æternus, eſſent futuræ infinitæ eclipſes; ergo Diabolus haberet ſimul actu infinitas cognitiones ſpecificè diſtinctas; vel vnam æquiualentem infinitis cognitionibus.

Conf. Quotieſcunque Diabolus cognoſcit aliquam propoſitionē immediatam; vel cognoſcit omnes propoſitiones mediatas,quæ ab illa poſſunt deduci,vel non?Si primum;ergo cognoſcit infinitas veritates, quæ ab illa poſſunt deduci;vt dictum eſt de eclipſibus,& figuris. Si ſecundum; ergo per illam propoſitionem immediatam poteſt cognoſcere aliquas mediatas,quæ ei erant ignotæ;ſed hoc eſt diſcurrere; ergo Angelus poteſt diſcurrere.

Reſp.neg.ſeq. Ad prob. dicitur; quòd illas figuras; & eclipſes cognoſceret ſucceſſiuè,quando exiſterent,non ſimul, quando non exiſtunt; quia cognitio Angeli,cùm ſit quiditatiua,terminatur ad exiſtentiam rei. Cùm ergo nunquam detur actu à parte rei infinitum;ideo non cognoſcit infinita; nec habet infinitas cognitiones; aut vnam cognitionem æquiualentem infinitis.

Ad conf. dicitur, quòd actu non cognoſcit omnes veritates mediatas, quæ poſſunt deduci ab aliqua immediata; non enim ſemper cognoſcit actu omnia,quæ poteſt cognoſcere, & quorum habet ſpecies;ſed modò iſta,modò illa,prout refluit ſuper ſpeciem iſtorum,aut illorū. Nec per hoc ſequitur,quòd illa de quibus actu non cogitat,ſint illi ignota; quia habet ſpeciem illorum; vt *ſup.* dictum eſt. Ad improb. diſt. 1. pars conſ. Per illam propoſitionem immediatam poteſt illas cognoſcere ſimplici apprehenſione per reflexionem ad ſpeciem illarum,quam apud ſe, conc;& in hoc ſenſu neg.mi. ſubſumpt;hoc enim non eſt diſcurrere, vt dictum eſt;per acquiſitionem ſpeciei repræſentatiuæ illarum veritatum mediatarum productæ in intellectu à cognitione veritatis immediatæ, neg; hoc autem eſt propriè diſcurrere.

15 Obijc.2.*Mol.* Quanuis Angelus non cognoſcat neceſſariò per diſcurſum; attamen pro ſuo arbitrio poteſt diſcurrere cognoſcendo vno actu principia;& altero actu concluſionem;ſicuti licèt ſcientia Chriſti Domini infuſa non ſit ex ſua natura diſcurſiua; attamen anima Chriſti Domini poteſt vti hac ſcientia ad diſcurrendum;ergo Angelus poteſt diſcurrere.

Reſp.neg. ant; licèt enim Angelus ſit liber ad cognoſcenda obiecta,quæ vult; attamen non eſt liber ad non habendum modum naturalem cognoſcendi,qui conſequitur eius naturam; illæ autem cognitiones,quibus cognoſcit principia, & concluſiones, ſunt ſimplices apprehenſiones diſparatæ; & ideo non componunt diſcurſum. Ad prop.inſert. Vel dicitur, quòd Chriſtus Dominus diſcurrit ſolùm per ſcientiam acquiſitam, non per infuſam; vel admiſſo hoc, neg. paritas; quia illa ſcientia eſt in anima Chriſti Domini, quæ eſſentialiter eſt rationalis, & ideo diſcurſiua;ſcientia verò Angeli eſt in natura Angelica, cui repugnat rationalitas. Sed quid dicendum ſit de hoc,remittitur ad ſuam ſedem.

16 Inſt.Angelus nedum cognoſcit illas veritates,vt diſparatas, ſed etiam vt connexas; & prout vna infertur ex alia; ergo nedum cognoſcit illas per ſimplicem apprehenſionem, ſed etiā per diſcurſum.

Reſp.diſt.2. part.ant. Cognoſcit illas veritates,vt connexas, & vt illatas obiectiuè, conc; formaliter inferendo vnam ex alia, neg. Sicut enim dicimus, quòd Fides, quæ non eſt formaliter diſcurſiua, poteſt habere pro obiecto diſcurſum; multi enim diſcurſus poſſunt eſſe ex integro reuelati;vt diximus *to.* 1. *in Proem*; & tamen per hoc non ſequitur Fidem eſſe diſcurſiuam formaliter; & ſicuti dicitur *in Summulis*, quòd per ſimplicem apprehenſionem poſſunt apprehendi etiam compoſita; quia poteſt proponi alicui integra enunciatio, aut ſyllogiſmus; non tamen ille dicitur feciſſe talem enunciationem, aut ſyllogiſmum;ita à pari.

17 Obijc.3. Angelus ex cognitione intuitiua ſui procedit ad cognitionem abſtractiuā Dei; ergo diſcurrit;nō enim poteſt dici, quòd ſit vna ſimplex cognitio, qua intuitiuè cognoſcit ſe ipſum, & abſtractiuè Deum; quia implicat, quòd eadem cognitio ſit ſimul abſtractiua,& intuitiua.

Reſp.diſt.ant.Ita,vt ſit vna tantùm ſimplex cognitio relata ad diuerſum obiectum, conc;ita, vt ſit duplex,neg;eadem enim cognitione, qua cognoſcit effectum, cognoſcit cauſam. Ad improb.neg; quòd implicet eandem cognitionem eſſe ſimul abſtractiuam,& intuitiuam; viſio enim beata eſt directè intuitiua reſpectu eſſentiæ, & indirectè abſtractiua reſpectu poſſibilium; ſic cognitio Angeli reſpectu indiuiduorum exiſtentiū eſt quiditatiua; reſpectu verò indiuiduorū poſſibilium eſt abſtractiua; non minùs autem videtur repugnare eandem cognitionem eſſe ſimul quiditatiuam,& abſtractiuam; quàm eſſe intuitiuam,& abſtractiuam..

18 Obijc.4.In Angelis vna volitio cauſatur ex alia; vt electio mediorum cauſatur ex intentione finis;ergo idē dicendum eſt de cognitione.

Reſp.neg.conſ.& diſparitas eſt;quia voluntas ſequitur naturam rerum, cùm *trahatur à rebus*; vnde ſicuti bonitas medij cauſatur à bonitate finis;ita electio,quæ eſt circa media, cauſatur ab intentione, quæ eſt circa finem. At verò in cognoſcendo res ſequuntur naturam intellectus;

ideo

ideo ſicuti intellectus Angeli eſt ſimplex; ita res ſimplici intellectione cognoſcuntur.

19 Obijc.5.Poteſt Angelus ex motu corporis euidenter noto inferre probabiliter cogitationem cordis,quæ eſt cauſa illius motus;ſed implicat, quòd ſit eadem cognitio,qua cognoſcitur motus corporis; & qua cognoſcitur cogitatio cordis; quia implicat, quòd eadem cognitio ſit certa, & incerta; euidens, & ineuidens; vera, & falſa; ergo.per vnam cognitionem procedentem ex altera,& ſic per diſcurſum.

Conf. Angelus ex connexione cauſarum creatarũ arguit futura; ergo ex cognitione vnius diſcurrit ad cognitionem alterius.

Reſp.eodem modo diſt.ant. Per ſimplicem cognitionem,conc; per plures cognitiones,quarum vna generet in intellectu ſpeciem alterius, neg.Et ſic neg.mi. Ad prob. inſert. diſt. Eadem cognitio reſpectu plurium obiectorum, quorum vnum ſit certum,euidens, & verum; alterum incertum,ineuidens,& falſum,neg;reſpectu eiuſdẽ obiecti,conc; non enim minùs opponuntur præſens, & non præſens; exiſtens, & non exiſtens; penes quæ deſumitur cognitio quiditatiua, & abſtractiua; & tamen eadem cognitio reſpectu plurium obiectorum poteſt eſſe directè quiditatiua,& indirectè abſtractiua;clara, & obſcura; & ideo etiam euidens, & ineuidens &c.

Ad conf.pariter dicitur,quòd coniectantur futura per eundem actũ,quo videntur præſentia, eo modo,quo *inf.art.*8.

20 Obijc.6.Si Angeli formaliter nõ diſcurrerent, non eſſet in eis formaliter ſcientia propriè ſumpta; ſcientia enim eſt cognitio effectus per cauſam; & ideo requirit diſcurſum formaliter;ſed conſ.eſt falſum;ergo,& ant.

Reſp. neg. ſeq; nam ſcientia eſt formaliter in Deo; in quo tamen nõ eſt diſcurſus etiam virtualiter.Ad prob.inſert.dicitur,quòd ſcientia eſt cognitio effectus per cauſam, vel ſimplex; & ſic non eſt diſcurſus,ſed intuitus; vel compoſita; & ſic eſt diſcurſus, vt in homine; vnde diſcurſus ad ſcientiam ſe habet omnino per accidens.

21 Obijc.7.cont. 2.part. concl. Angelus diuerſis ſpeciebus cognoſcit hominem,& leonem; ergo & diuerſis cognitionibus; & ideo non vna cognitione negat hominem eſſe leonem; & per conſequens verè diuidit.

Reſp. *Gibb;& alij ex noſtris cum Thomiſtis* conc.ant.Sed hoc eſt cont.*Fund.Doct.*docentem infimum Angelum cognoſcere res per ſpeciem generis infimi,vt *ſup.*dictum eſt. Neg.igitur ant. Verùm,quia poteſt argui Angelum cognoſcere diuerſis ſpeciebus cognoſcere hominem,& lapidem,& ſic diuidere;neg.tunc.conſ;quamuis enim ſint diuerſæ ſpecies;attamen concurrunt per modum vnius;& ideo vna tantùm eſt cognitio.

22 Obijc.8.In intellectu Angeli eſt veritas, & falſitas; quapropter Diabolus dicitur *Pater mendacij*; ſed veritas, & falſitas propriè non reperitur niſi in compoſitione, & diuiſione; ergo Angeli componunt,& diuidunt.Præterea Angeli cognoſcunt dona ſupernaturalia ineſſe *Petro* v.g;ſed hoc nequit eſſe eadem cognitione;aliter idem actus eſſet naturalis,& ſupernaturalis;ergo componunt per diuerſos actus.

Reſp.diſt.mi. Veritas,& falſitas proprlè nõ eſt niſi in compoſitione, & diuiſione facta comparatione inter operationes noſtri intellectus, conc;abſolutè,neg. *Vid.to.1. de Verit. Dei art.*4. Ad aliud dicitur, quòd homo per vnionem ad gratiam eleuatur ad ordinem ſupernaturalem; ideo ille actus, quo cognoſcit hominẽ Deo gratum,eſt ſupernaturalis.

ART. VII.

An Angelus plura ſimul cognoſcat?

1 COgnoſcere plura tripliciter poteſt intelligi. 1. Ita, vt reduplicatio cadat ſolùm ſupra pluralitatem obiectorum non conuenientium in aliqua ratione communi, per quã cognoſcantur; tunc enim non cognoſcerentur per modum pluriũ,ſed per modũ vnius. 2. Ita,vt illa reduplicatio cadat nõ ſolùm ſupra pluralitatem obiectorum, ſed etiam ſupra pluralitatem cognitionum; & tunc ſenſus eſt; an intellectus Angeli poſſit ſimul informari duplici actu cognitionis, quibus cognoſcat duplex obiectum per duplicem rationem formalem obiectiuam.3.Ita, vt cadat nedum ſupra pluralitatem obiectorum, & cognitionum, ſed etiam ſupra pluralitatem ſpecierum,ſeu principij *quo* cognoſcendi; & ſenſus ſit; an Angelus per duplicem ſpeciem,prout diuerſam, non prout compoſitam per modum vnius, poſſit intelligere plura obiecta primò diuerſa.

2 Eodem modo poteſt intelligi intellectio plurium per modum vnius; tunc enim ex parte obiecti intelliguntur plura per modum vnius, quando illa plura cognoſcuntur per aliquam rationem communem, cum qua illa plura conuectuntur;vt v.g;cùm Angelus per ſpeciem animalis, quæ eſt communis omnibus indiuiduis ſenſitiuis, cognoſcit indiuidua, quæ ſunt plura inter ſe. Et tunc ſic cognoſcuntur plura per modum vnius ex parte cognitionis, & ex parte ſpeciei; quando vna, & eadem cognitio terminatur ad plura, & eadem ſpecies repræſentat plura, licèt non eodem modo,quia terminatur, & repræſentat vnum principaliter, & directè; aliud minùs principaliter, & indirectè,ſeu ex conſequenti,vt cognitio,& ſpecies repræſentans primò, & principaliter naturam humanam (ſi ſit cognitio, & ſpecies quiditatiua,vt in Angelo) terminatur,& repræſentat ex conſequenti, & indirectè etiam indiuidua naturæ humanæ,quæ ſunt realiter formaliter in natura humana.

3 Tandem intelligere plura per modum plurium adhuc dupliciter accipi poteſt. 1.Eodem modo ita,vt intelligantur plura naturaliter, vel

per

per ſe ipſa immediatè, vel per ſpecies illorum, æquè principaliter, & directè, & perfectè. 2. Diuerſo modo ita, vt intelligatur vnum ſupernaturaliter, & per gratiam; aliud naturaliter, & per naturam; vel vnum per ſe ipſum; vt Angelus intelligit ſuam ſubſtantiam per ſe ipſam; & aliud per ſpeciem; vt intelligit alia à ſe; vel vnum principaliter, & directè; & aliud ex conſequẽti, & indirectè; vt cùm intelligit effectum per cauſam; & proprietates per eſſentiam; ac prædicata per ſubiectum; tunc enim cauſam, eſſentiam, & ſubiectũ intelligit principaliter, & directè ratione ſui; effectus verò, proprietates, & prædicata intelligit ex conſequenti, & indirectè, quia intelligit ea ratione cauſæ, eſſentiæ, & ſubiecti; vel vnum perfectè; & aliud imperfectè; quia naturalis cognitio vnius retrahitur, & remittitur à cognitione alterius; dum enim Angelus cognoſcit ſolùm ſuam ſubſtantiam, magis perfectè illam cognoſcit, quã quãdo cognoſcit ſimul ſe ipſũ, & alia à ſe; nã *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*; vnde ſi Angelus cognoſcat plura æquè perfectè; hoc nõ erit naturaliter, ſed ſupernaturaliter, & per gratiam. Hos omnes ſenſus tradit *Fund. Doct. de Cog. Ang. q. 7. quoſupp.*

Prima ſententia vult Angelum poſſe intelligere plura, vt plura per modum plurium. *Ita Sua. lib. 2. de Ang. c. 37; Mol; Vaſq; & alij.*

Secunda ſententia docet Angelum non poſſe intelligere plura, vt plura, & eodem modo per modum vnius; ſed tantùm diuerſo modo. *Ita Fund. Doct. vbiſ; & in 2. ſent. diſt. 3. p. 2. q. 2. art. 3;* noſter *Gibb;* & tota *noſtra Schola. Ita etiã D. Tho. cum ſuis*, quibus adhærent *Salm; Philipp. à SS. Trin; & alij.*

4 Vnica concl. Poteſt Angelus per diuerſũ modum cognoſcere plura ſimul, vt plura, ſeu ad modum plurium; & poteſt plura ſimul intelligere per modum vnius, ſeu non, vt plura, diuerſo tamen modo; nequit tamen plura, vt plura, ſimul intelligere eodem modo. Hæc concl. habet tres partes.

5 Prob. 1. pars *ex Beatiſſ. P. lib. 4. de Gen. ad lit. c. 29*; vbi poſtquam enumerauit tres cognitiones, quas habẽt Angeli, ſcilicet diurnam, veſpertinam, & matutinam, ait: *Simul hoc totum poſſint, ſimul hoc totum faciant, poſſunt tamen, & faciunt. Simul ergo habent & diem, & veſperam, & mane.* Ex quo arguitur. Angeli ſancti ſimul habent cognitionem beatam, & cognitionem naturalem ſui, & aliorum à ſe; ergo per diuerſum modum cognoſcendi ſimul intelligunt plura, vt plura, ſeu ad modum plurium. Prob. ant. Si Angeli ſancti non haberent ſimul cognitionem beatam, & cognitionem ſui, ac aliorum à ſe, ſequeretur, quòd vel aliquando ceſſarent à cognitione beata, & ſic ceſſarent eſſe beati, quod nullus admittit, & tunc eſſet, quando cognoſcerent naturaliter ſe ipſos, aut alia à ſe; quia cum naturali cognitione ſui, aut aliorum à ſe non poſſet ſtare ſimul cognitio quiditatiua Dei, & ſic quando cognoſcerẽt alia à ſe, ceſſarẽt nedum à cognitione Dei, ſed etiam à cognitione ſui; quod pariter eſt falſum; quia cognitio ſui eſt naturalis, & neceſſaria in Angelis; cùm enim Angeli ſint naturaliter actu intelligẽtes; quia in hoc diſtinguuntur ab homine, qui eſt in potentia ſolũ intellectiuus; ideo debẽt eſſe ſemper in aliqua actuali cognitione obiecti à ſe ipſo nũquam ſeparabilis; quod obiectum nequit eſſe, niſi ſua eſſentia. Vel ſequeretur, quòd dum intelligũt Deum, nũquam poſsẽt naturaliter intelligere ſe ipſos, & alia à ſe; quod pariter eſt contra communem ſenſum Theologorum; ergo Angeli ſimul habent cognitionem beatam, cognitionem ſui, & aliorum à ſe. Prob. conſ. Angeli ſancti cognoſcunt Deum per eſſentiam Diuinã; ſe ipſos per eſſentiam ſuam; & alia à ſe per ſpecies; vt ſupra diximus; ſed iſti ſunt diuerſi modi cognoſcendi; quia important diuerſum medium cognoſcendi; ergo per diuerſum modum cognoſcendi ſimul intelligũt plura, vt plura, ſeu ad modum plurium; quia intelligere plura, vt plura, eſt intelligere plura per plures, & diuerſas rationes formales obiectiuas cognoſcendi.

6 Dices. Duo accidẽtia eiuſdem ſpeciei nequeunt eſſe in eodem ſubiecto; ſed duæ intellectiones ſunt duo accidẽtia eiuſdem ſpeciei, quia pertinent ad eandem potentiam intellectiuam; ergo nequeunt ſimul eſſe in eodem intellectu; & ideo Angelus nequit per plures intellectiones intelligere plura.

Reſp. *Fund. Doct. de Cog. Ang. vbiſ;* quòd quotieſcunque aliqua duo ita ſe habent, vt vnum ſit materiale, & imperfectum, aliud verò formale, & perfectum; tunc illa duo immediatè vniuntur inter ſe, tãquam perfectiuum, ſeu formale, & perfectibile, ſeu materiale; & fiunt vnum per compoſitionem, ſeu per diſtinctionem; & tunc illud vnum recipitur in eodem ſubiecto; vt v. g. quia qualitas comparatur ad quantitatem, tanquam perfectiua illius; & quantitas, vt perfectibilis per qualitatem; ideo qualitas recipitur in quantitate, & fit vnum per compoſitionem cum illa, & ſic illud recipitur in eodem ſubiecto. Quòd ſi dicatur exemplum non eſſe ad rem, quia quantitas, & qualitas ſunt diuerſæ ſpeciei; dicimus, quòd hoc exemplum allatum eſt à *Fund. Doct.* ſolùm ad declarandum, quomodò ex accidente perfectibili, & perfectiuo fiat vnum, quod recipitur in eodẽ ſubiecto; ceterùm dicere poſſumus, quòd ſicut intellectus, qui eſt potentia perfectibilis; & intellectio, quæ eſt actus perfectiuus, fiũt vnum per compoſitionem, quod recipitur in natura rationali; & tamen intellectus, & intellectio ſpectant ad eandem ſpeciem; ita duo accidentia, quorum vnum eſt perfectibile per alterum, fiunt vnum, quod recipitur in eodem ſubiecto. Igitur cùm dicitur duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſe recipi in eodem ſubiecto, intelligendum eſt de accidentibus, quorum vnum nõ perficitur

per

per alterum; vel intelligendum eſt de ſubiecto proximo,non remoto.Intellectiones autem Angeli ita ſe habent, vt vna ſit perfectio alterius; nam intellectio naturalis perficitur per intellectionem beatam,quæ eſt gratia, cùm gratia perficiat naturam; & intellectio ſui ipſius perficitur per intellectionem aliorum à ſe; tum quia ſpecies,per quam cognoſcuntur alia à ſe,eſt formalior eſſentia; per quam cognoſcit Angelus ſe ipſum; nam ſpecies eſt forma accidentalis perficiens eſſentiam Angeli, & eſſentia eſt potentia marerialis receptiua ipſius ſpeciei;ergo hæc cognitio aliorum à ſe eſt formalior cognitione ſui ipſius. Tum quia per cognirionem aliorum à ſe cognoſcitur negatiuè eſſentia ipſius Angeli,idèſt cognoſcitur id,quod non eſt,ſeu id,quod negat; & per cognitionem ſui cognoſcitur tantùm affirmatiuè id,quod eſt,ſed magis perfectè cognoſcitur res,quando cognoſcitur affirmatiuè,& negatiuè, quàm cùm cognoſcitur ſolùm affirmatiuè; ergo cognitio aliorum à ſe magis perficit cognitionem ſui ipſius. Et ex hoc patet non ſequi ex hac doctrina, quòd Angelus magis perfectè cognoſcat alia à ſe,quàm ſe ipſum;quia licèt accidens ſit perfectior ſubſtantia,non tamen ſequitur,qnòd ſubſtantia ſit minùs perfecta, quã accidens,ſed ſolùm,quòd ſubſtantia ſine accidẽti ſit imperfectior ſeipſa habente accidens. Sic intellectio ſui eſt perfectior intellectione aliorũ, quia eſt per ſubſtantiam; attamen eſt imperfectior, ſi ſumatur ſine cognitione aliorum, quàm ſi ſumatur cum cognitione aliorum.

7 In forma igitur diſt.ma. Duo accidentia quorum vnum non eſt perfectibile per alterum, cõc; quorum vnum eſt perfectibile per alrerum, neg.Vel diſt. eadem ma. Nequeunt eſſe in eodẽ ſubiecto proximo, & immediato, conc; remoto, & mediato, neg. Ad mi.dicitur;quòd ſicut actus intellectionis, & potentia intellectiua ſunt eiuſdem ſpeciei,& tamen quia potentia intellectiua eſt in anima,tanquam in ſubiecto proximo;& intellectio eſt in potentia intellectiua, tanquam in ſubiecto proximo, ideo poſſunt eſſe in eodem homine;ita intellectio ſui, quia eſt in intellectu Angeli, tanquam in ſubiecto proximo; & intellectio naturalis aliorum à ſe eſt in intellectione ſui,tanquam in ſubiecto proximo; & intellectio beata in intellectione aliorũ à ſe; ideo ſunt in diuerſo ſubiecto proximo, à quo recipiunt diuerſitatem numericam, & poſſunt eſſe in eodem Angelo.

8 Ex hoc magis roboratur eadem r. pars concl;nam in tantùm duæ intellectiones nequeunt eſſe ſimul, quibus cognoſcantur plura, vt plura,in quantùm plura accidentia eiuſdem ſpeciei nequeunt eſſe in eodem ſubiecto; ſed iſtæ tres cognitiones Angelicæ non ſunt in eodem ſubiecto proximo immediato; ergo poſſunt eſſe ſimul.

9 Præterea quotieſcũque vnum eſt perfectibile per alterũ,tunc poteſt eſſe ſimul cum illo,vt patet de ſubſtantia,& accidente;& vniuerſaliter de potentia, & actu;ſed iſtæ tres cognitiones ita ſe habent, vt vna ſint perfectibilis per alteram; ergo poſſunt eſſe ſimul.

10 Prob.2.pars concl; ſcilicet quòd Angelus poſſit cognoſcere plura,vt plura,per modum vnius diuerſo modo,*ex Beatiſſ. P. vbiſ. c.32*; vbi ait: *Sed ſecundùm potentiam ſpiritalem mẽtis Angelicæ cuncta,quæ voluerit,ſimul notitia facillima comprehendentem,nec ideo tamen ſine ordine, quo & apparet connexio præcedentium, conſequentiũque cauſarum*. Cognoſcere autem cum ordine eſt cognoſcere per modum vnius; quia ordo eſt ad vnum. Nec valet, quod dicit *Vaſq.Beatiſſ. P.* loqui de ordine cognitionum,nempe matutinæ, & veſpertinę.Non valet inquam,ibi nanq; manifeſtiſſimè loquitur de ordine cognoſcendorum; ſubdit enim: *Neque enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant.*

Prob.ratione.Quæ cognoſcuntur per vnam rationem formalem obiectiuam pluribus communem,& per vnicam cognitionem, ac per vnicam ſpeciem, cognoſcuntur per modum vnius; ſed Angelus cognoſcit plura per vnicam rationem formalem obiectiuam pluribus communẽ; & per vnicam cognitionem,ac ſpeciem;ergo cognoſcit plura per modum vnius.Ma.patet ex dictis; tunc enim plura vniuntur in illa ratione cõmuni,per quam cognoſcuntur, ac ſi eſſent vnum inter ſe;& ideo dicuntur cognoſci per modum vnius; ſicuti enim vnum cognoſcibile non habet niſi vnicam rationem formalem obiectiuam;ita illa plura non habent niſi vnicam rationem formalem obiectiuam, per quam cognoſcuntur; & ſic in cognoſci dicuntur habere modum vnius. Prob. mi. Angelus per ſpeciem generis cognoſcit indiuidua, v.g. per ſpeciem animalis cognoſcit homines,& bruta;quia cognoſcit animalitatem quidiratiuè; & ideo cognoſcit omnes differentias,& indiuidua, quæ actu coniunguntur cũ animalitate;& per vnicam cognitionem;quia ratio formalis obiectiua, à qua ſpecificatur, & diſtinguitur ipſa cognitio, eſt vna;cùm ſit ipſa animalitas,quæ ſecundùm ſe eſt vna tantùm ratio; & ideo cognoſcit per vnicam rationem formalem obiectiuam,ergo Angelus cognoſcit plura per vnicam ſpeciem, cognitionem, & rationem formalem obiectiuam.

11 Conf.Angelus per eandem ſpeciem, & cognitionem, qua cognoſcit eſſentiam alicuius rei,cognoſcit omnes proprietates illius; & per eandem ſpeciem,& cognitionem,qua cognoſcit cauſam, cognoſcit omnes effectus determinatos illius; & ſic cognoſcendo naturã cognoſcit omnia indiuidua,quæ ſunt naturaliter in illa; nam tam ſpecies, quàm cognitio Angeli eſt quiditatiua; & ideo debet attingere omne illud, quod eſt realiter in obiecto cognito; vt diximus *art. 4*; ergo cognoſcit plura per modum vnius. *Vid.*

vbi-

*vbi ſup.art.*4. alias rationes allatas, quæ hoc pariter probant.

12 Quòd autem hæc cognoſcat diuerſo modo, prob; nam licèt quando Angelus cognoſcēdo naturā cognoſcit indiuidua, ſi indiuidua cōparētur inter ſe, cognoſcantur eodē modo; quia cognoſcuntur per eandem rationem naturæ, quę æqualiter ſe habet ad omnia ſua indiuidua; attamen ſi comparetur natura cum indiuiduis, non cognoſcit naturam, & indiuidua eodem modo; nam cognoſcit naturā primariò, & directè; quia ipſa eſt ratio, per quam cognoſcitur ipſa, & alia, quæ coniunguntur cum ipſa; indiuidua verò cognoſcit ex conſequenti, & indirectè; quia cognoſcuntur non per ſeipſa, ſed quatenus coniunguntur cum ratione vniuerſali; & ſic dicendum de eſſentia, & proprietatibus; ac de cauſa, & effectibus, tum quia quando cognoſcit plura, non cognoſcit adeò perfectè, ac quando cognoſcit vnū tantùm; quia intellectus magis diſtrahitur iuxta illud: *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus*; vt patet de oculo, qui, cùm multitudinē hominum videt, non adeò diſtinctè percipit ſingulos, ſicuti cùm videt vnum tantùm in particulari; ergo Angelus cognoſcit plura per modum vnius diuerſo modo.

13 Inſt. *Superiùs* dictum eſt exiſtentiam, & indiuidua pertinere ad obiectum primarium intellectus Angelici; in hoc enim diſtinguitur ab intellectu humano; ergo Angelus nequit cognoſcere indiuidua ſecundariò, ex conſequenti, & indirectè.

Reſp. diſt. ant. Exiſtentia, & indiuidua ſpectant ad obiectum primarium adæquatum intellectus Angeli, conc; inadæquatum, & partiale, neg; ſicuti enim quanuis accidens ſpectet ad obiectum primarium metaphyſicæ; quia ratio entis formaliter reperitur in ſubſtantia, & accidente; & ideo tam ſubſtantia, quàm accidens habent in ſe ipſis rationem formalem primariam ſpecificatiuam metaphyſicæ, quæ eſt ratio entis; attamen ſi accidens conſideretur, vt obiectum partiale, & vt comparatur ad ſubſtantiam, tunc ſubſtantia dicitur obiectum primarium; & accidens ex conſequenti; quia ratio entis priùs conuenit ſubſtātiæ, & per ſubſtantiam accidenti; hoc tamen nō obſtante tam ſubſtantia, quàm accidens ſpectant ad obiectum primarium adæquatum, non ad ſecundarium; quia ſecundarium nullo modo includit in ſe ipſo formaliter rationem formalem ſpecificatiuam; vt patet de tenebris, quæ ſunt obiectum ſecundarium potentiæ viſiuæ, quia in ſe ipſis non habent lucem, vel colorem, qui eſt ratio ſpecificans potētiam viſiuam; nam ſi illā haberēt, ſpectarēt ad obiectum primariū, ad quod ſpectat omne lucidum, & coloratum. Neque implicat, quòd idem ſecundùm diuerſam rationem habeat eſſe primarium, & ſecundarium; nam ſi homo genitus conſideretur, vt genitus, dicitur ſecundus poſt generantem; ſi autem conſideretur, vt rationalis, dicitur primariò talis, quia rationalitas eſt ratio eſſentialis, quæ non niſi primariò conuenit rei. Ita à pari. *Vid. to. 1. de Viſ.*

14 Prob. 3. pars concl. *ex eodem Fund. Doct.* Si Angelus poſſet plura, vt plura, & eodem modo intelligere, ac intelligit vnum, vt vnum; vel eſſet per diuerſas cognitiones, vel per eandem? Si primum; ergo non eſſet eodem modo; quia non eſſet per eandem intenſionem cognitionis; nam ſecundùm curſum naturalem, quem videmus, vna cognitio diminuit, & diſtrahit aliam cognitionem; nedum quia *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſēſus*; ſed etiā quia *virtus vnita fortior*; & ſic vnum intelligeret perfectè, & principaliter, & aliud imperfectè, ac minùs principaliter. Quòd ſi hoc fiat diuinitus, iam non erit eodem modo, quia vna erit per gratiam, alia per naturam. Tum quia duplex cognitio ſecundùm eundem modum eſſet eiuſdem ſpeciei, & ſic non poſſet eſſe in eodem ſubiecto, vt *ſup.* dictum eſt; quia vna non eſſet formalitas, & perfectio alterius; & ideo ex illis non poſſet fieri vnū, & recipi in vna, & eadem potentia. Tum quia vna non eſſet alteri ſubordinata; aliter ſe haberent per modum vnius, & reſpicerent idem obiectum; vt patet de actione Dei, & creaturæ; ergo Angelus nequit per plures cognitiones ſimul cognoſcere plura, & plura eodem modo.

Si ſecundum; ergo illa plura eſſent tantùm plura materialiter, non formaliter; quia formaliter conuenirent in vna ratione communi ſpecificatiua illius cognitionis; implicat enim, quòd plura ſpecificatiua non ſubordinata formaliter diuerſa, prout diuerſa, ſpecificent eandem actionem, vel effectum; in tantùm nanque animalitas, & rationalitas poſſunt ſpecificare eundem hominem; in quantùm rationalitas ſubordinatur animalitati, tanquam differentia illius contractiua; at verò rationalitas, & latrabilitas, quia non ſubordinantur, ſed ſunt omnino diſparata, & diuerſa inter ſe, nequeunt idem ſubiectū ſpecificare; ergo vna, & eadem cognitio nequit formaliter attingere plura, vt plura; quia illa plura non eſſent ſubordinata. Quòd ſi eis concedatur ſubordinatio; iam non erunt plura per modum plurium, ſed per modum vnius; quia ſi eſſent ſubordinata, vnum eſſet ſuperius, & ideo communius; & aliud inferius, & ideo ſpecialius; & ideo per ſuperius, & communius cognoſceretur inferius, & ſic per eandem rationem; ſicut diximus, quòd per ſpeciem animalis cognoſcuntur omnia indiuidua ſenſitiua; & per ſpeciem coloris, *vt ſic*, videntur omnes colores particulares.

15 Tum quia illa cognitio extenderetur ad plura; ſed extenſio eſt cauſa diminutionis, & remiſſionis naturaliter loquendo; ergo non eſſet eodem modo.

16 Tum quia licèt per eundem motum poſſimus tendere ad attingendas duas lineas, prout vnitas in puncto trianguli; attamen non

poſ-

poſſumus tendere ad attingendam vtranque; prout ſeparatam; ſed cognitio eſt tendentia ad obiectum; ergo licèt per eandem cognitionem poſſimus tendere ad attingenda plura obiecta, prout vnita in aliqua ratione communi, velut in puncto plura connectente; attamen non poſſumus tendere ad attingenda plura obiecta, prout diuiſa; & ideo poſſunt ſimul cognoſci per modū vnius, non per modum plurium.

17 *Noſter Gibb; Gonet; & alij Recentes* probant Angelum non poſſe ſimul plura cognoſcere per plurea cognitiones; quia quælibet cognitio eſt adæquata intellectui, & eſt vltima actualitas illius, & ideo intellectus nequit ſimul recipere plures cognitiones, quia nequit habere plures adæquationes, ſecus per vnam illarum non eſſet adæquatus; & ſic non eſſet vltimò actuatus per vnam, quia adhuc eſſet actuabilis per alteram.

18 Sed hæc ratio non videtur probare; falſum enim eſt, quòd quælibet intellectio ſit adæquata intellectui, aliter intellectus nō poſſet habere, niſi illam intellectionem, cùm nulla potentia poſſit elicere aliquid aliud vltra ſuū actū adæquatū. Tū quia virtus intellectus extenditur ad omne cognoſcibile; ergo ſola omnis Intellectio, qua cognoſcitur omne cognoſcibile, poteſt adæquare virtutē intellectus; & ideo intellectio alicuius obiecti particularis nō eſt adęquata intellectui, qui eſt potētia vniuerſalis; patet enim, quòd particulare non adæquatur vniuerſali. Aliud verò probat Angelum non poſſe ſimul cognoſcere ſe, & alia à ſe. Præterea falſum eſt eandem rem non poſſe habere plures terminationes, ſeu extrema ſecundùm diuerſas rationes; vt patet de linea, quæ vltimò terminatur verſus orientem, & verſus occidentem. Igitur hæc ratio dimittenda eſt.

19 Obijc. 1. *Vaſq.* Oculus de facto videt plures homines, vt diſtinctos inter ſe, & vt plures; & ſic auris audit plures ſonos, vt non ordinatos inter ſe; demum tactus percipit plures qualitates, vt diuerſas, v.g. frigus, duritiem, & mollitiem; ergo à fortiori intellectus Angelicus, qui eſt potētia nobilior, poteſt plura, vt plura, cognoſcere.

Reſp. neg. ant; oculus enim videt plures homines diſtinctos inter ſe, quatenus vniuntur in ratione communi colorati, ſeu lucidi; ſic auris percipit diſtinctos ſonos, quatenus conueniunt in ratione ſpecifica ſonori; & tactus percipit illas qualitates, quatenus conueniunt in ratione ſolidi tangibilis; ſic Angelus cognoſcit plura indiuidua diſtincta, quatenus conueniunt in ratione communi ipſius naturæ; & ideo quatenus habent ordinem ad vnam rationem cognoſcendi.

20 Obijc. 2. Angelus ſimul intelligit ſe ipſū, & alia à ſe; vt Deum, & alias creaturas; ergo ſimul intelligit plura, vt plura. Præterea intelligit hominem non eſſe leonem; ſed hominem intelligit per ſpeciem hominis; & leonem per ſpeciem leonis; ergo ſimul habet duas cognitiones ſecundū eundem modum intelligendi, ſcilicet per ſpeciē.

Reſp. diſt. ant. Per eandem rationem intelligendi, neg; per diuerſam, conc. Ad 2. dicitur per vnam ſpeciem animalis cognoſcere ſimul hominem, & leonem; & ideo cognoſcere per modum vnius. Et ſi inſtetur, quòd per vnam ſpeciem v.g. animalis cognoſcit animal non eſſe plantam; planta autem non cognoſcitur per ſpeciem animalis; & ideo planta, & animal non cognoſcuntur per modum vnius. Cōtra eſt; nam ad cognoſcendum animal non eſſe plantam negatiuè ſufficit, quòd cognoſcatur in confuſo ſecundùm rationem genericam; per illam enim animal diſtinguitur à plāta; cognitio autem confuſa omnium, quæ repræſentantur per ſpecies exiſtentes in Angelis, habetur per cognitionem eſſentię ipſius Angeli; Angelus enim quiditatiuè cognoſcens ſuam eſſentiam videt omnes ſpecies exiſtentes in illa; & per illas videt in confuſo, idēſt ſecundùm rationem genericam, omnia, quæ repræſentantur in illis; vt *ſup.* dictum eſt. Vel *cum Fund. Doct.* diſt. ma. Intelligit hominem, & leonem per modum vnius, conc; illos enim intelligit, prout vniuntur in propoſitione, & ideo per modum vnius; quia Angelus intelligendo ſubiectum alicuius propoſitionis intelligit etiam prædicatum. Ad mi. dicitur, quòd illæ duæ ſpecies vniuntur, & repræſentant propoſitionē per modum vnius.

21 Obijc. 3. Angelus eſt medius inter Deū, & hominem; ſed Deus intelligit omnia ſimul per modum vnius; & homo intelligit vnum tantùm; ergo Angelus intelligit plura per modum plurium. 2. Ita ſe habet vnum intelligens ad plura intelligibilia; ſicut vnum intelligibile ad plura intelligentia; ſed vnum intelligibile intelligi poteſt à pluribus intelligentibus, vt plura intelligentia ſunt; ergo vnum intelligens poteſt intelligere plura, vt plura. 3. In tantùm noſter intellectus non intelligit ſimul, & ſemper omnia, quæ poteſt intelligere: in quantùm non eſt ſemper coniunctus cum omni phantaſmate repræſentante obiecta; ſed Angelus eſt ſemper coniunctus cum ſuis ideis repræſentantibus omnia intelligibilia; ergo illa ſemper, & ſimul intelligit.

Reſp. ad 1. *ex Fund. Doct. de Cog. Ang. ad 6.* neg. 2. partem mi; homo enim poteſt intelligere plura per modum vnius; differentia autem inter intellectum Angelicum, & humanum eſt, quia ille cognoſcit quiditatiuè perfectè, iſte verò abſtractiuè præciſiuè imperfectè. Ad 2. neg. ma; nam vnum intelligibile poteſt intelligi à pluribus intellectibus, quia cū intelligitur, non acquirit aliquid intrinſecè incompoſſibile; acquirit enim ſolam denominationem extrinſecam; at verò intellectus intelligendo plura, vt plura, reciperet intrinſecè allata inconuenientia. Ad 3. dicitur ad ma; quòd etianſi noſter intellectus eſſet actu coniunctus cum omni phantaſmate; attamen nō intelligeret plura, vt plura, propter rationes allatas, & ſic de intellectu Angeli. Vel dicitur ad mi.

mi. *cum Fund.Doct. ad 9*; quòd licèt ſpecies ſint ſemper in mente Angeli; attamen non coniunguntur cum intellectu ad cauſandum actum intellectionis; niſi ex libera intentione Angeli ſe conuertentis ſuper talem ſpeciem; vt *ſuperiùs* dictum eſt.

22 Obije. 4. Poteſt Angelus operari in pluribus locis, vt plura ſunt; v.g. circa hominem, & lapidem, quorum non eſt vna ſpecies; ſed non operatur niſi per intellectum; ergo poteſt plura, vt plura, ſimul intelligere. 2. Poreſt corpus per quantitatem dimenſiuam tangere plura, vt plura; ergo multò magis Angelus per quantitatem virtutis intelligere plura, vt plura.

Reſp. *Fund. Doct. ad* 10. neg. ma; nam illa loca ita debent ſe habere, vt dicant ordinem ad vnum locum; & ideo illa non reſpicit, vt plura; hinc nequit operari in pluribus locis diſcontinuis, quia vnitatem non habent. Ita dicitur de intellectione. Et ſic ad 2; nam quantitas molis attingit plura, quatenus ſunt vnus locus adæquatus corporis. Vel dicitur ad vtrunq; ſimul, quòd Angelus poteſt operari circa plura loca, & corpus tangere plures quantitates ſub vna ratione formali ſpecificatiua operationis, & contactus; & ſic conceditur de intellectione.

23 Obijc. 5. Angelus de facto habet plures ſpecies repræſentantes plura obiecta, vt plura; ergo non repugnat ipſum habere plures intellectiones actuales, quibus intelligat plura, vt plura; nam tam ſpecies, quàm intellectiones ſunt accidentia informantia ipſum intellectum.

Reſp. diſt. ant. Habet plures ſpecies actu cauſantes plures actus intellectionis, neg; non cauſantes, conc. Species igitur poteſt dupliciter cõſiderari. 2; ſcilicet in eſſe phyſico, prout eſt accidens reale inhærens intellectui; & in eſſe intelligibili; prout eſt forma actuans intellectum; ſi conſideretur primo modo, differt ſpecificè à quacunque alia ſpecie repræſentãte aliam naturam; & ideo poteſt duplex ſpecies in eſſe phyſico ſimul inhærere intellectui, quia duplex accidens ſpecie diſtinctum poteſt eſſe in eodem ſubiecto. At verò ſi conſideretur ſecundo modo, quatenus eſt eiuſdẽ rationis cum alia ſpecie, importat enim eundem modum intelligendi, vt ſupra dictum eſt, ideo in eſſe intelligibili non differt ſpecificè ab alia ſpecie, & per conſequens nequit ſimul cũ alia ſpecie actuare intellectum, & cauſare intellectionem, quia duo eiuſdem rationis nequeunt ſimul eſſe in eodẽ ſubiecto. Neq; implicat, quòd aliqua differant in eſſe phyſico, non autẽ in eſſe intelligibili; nã eſſe intelligibile cũ ſit trãſcẽdẽs, & ſequẽs ad ens, *vt ſic*; eſſe autẽ phyſicũ ſit inferius, poſſũt duo in eſſe phyſico differre ſpecie, nõ autem in eſſe intelligibili; ſicut; quia rationalitas, & latrabilitas ſunt differentiæ inferiores ſpecificè conuenientes in ratione animalis, quæ eſt ſuperior; ideo homo, & canis poſſunt differre ſpecificè per rationem rationalitatis, & latrabilitatis, non autem per rationem animalitatis. Ita à pari. Sic ſoluitur hæc difficultas ommiſſa reſponſione *Gonet, & Gibb*; quæ nihil concludit, vt dictum eſt *ſup*.

24 Obijc. 6. Maior eſt conuenientia inter vnam creaturam & aliam creaturam, quàm inter Deum, & creaturam; ſed Angelus poteſt ſimul intelligere Deum, & creaturam, vt plura; ergo poterit etiã ſimul cognoſcere plures creaturas, vt plures.

Reſp. diſt. ma. Maior eſt conuenientia in ratione perfectibilis, & perfectiui, neg; in ratione ordinis, conc. Conuenientia autem plurium in vnum debet eſſe conuenientia in ratione perfectibilis, & perfectiui, vt *ſup.* dictum eſt.

ART. VIII.

An Angelus cognoſcat futura?

1 Diximus *in 1. Sent.* futurum aliud eſſe neceſſarium; aliud contingens. Item futurum contingens aliud eſſe contingẽs ab extrinſeco; cuius cauſa, licèt ſit neceſſaria ab alia tamen poteſt impediri; & aliud contingens ab intrinſeco, quod eſt idem, ac futurum liberum. Vt igitur certa ab incertis ſeparemus.

2 Certum eſt. 1. Angelum non cognoſcere certò futura neceſſaria abſolutè, & ſimpliciter; ſed tantùm ex ſuppoſitione, quòd voluntas Dei ſecundùm curſum rerum, quem videmus, ad illa concurrat. Ratio primi eſt; quia motus Solis eſt neceſſarius; & tãmen Sol tempore *Ioſue* ſtetit; quam ſtationem non potuit Angelus naturaliter cognoſcere, quia fuit ſupra ordinem naturæ. Ita motus Solis neceſſariò eſt ab oriente ad occaſum; & tamen tẽpore *Ezechiæ* retrogradus fuit; & eclipſis Solis fit ſolùm ex coniunctione cum Luna; & tamen tempore paſſionis Chriſti Domini fuit ſine tali cõiũctione; vt teſtatus eſt *D. Dion. Ep. ad Policarpum*. Ex quibus ſic arguitur. Si Angelus cognoſceret certò, & infallibiliter abſolutè, & ſimpliciter euentus futuros neceſſarios, ita eos cognoſceret, vt aliter euenire non poſſent; & ideo naturaliter cognoſceret omnes cauſas, quæ illos poſſent impedire; & quòd nulla cauſa illos eſſet impeditura; hæc enim omnia requirũtur ad certam, & infallibilem futurorum cognitionem; ſed futura nequeunt hoc modo naturaliter cognoſci; nam Angelus nequit naturaliter penetrare omnia decreta volũtatis Diuinæ agẽtis ſupra ordinem naturę, quia naturaliter nequit cognoſcere niſi ea, quæ eueniunt iuxta ordinem naturæ; ergo Angelus nequit naturaliter cognoſcere certò, & infallibiliter futura neceſſaria abſolutè, & ſimpliciter. Ratio ſecundi eſt; nam futura neceſſaria habent eſſe determinatum in ſua cauſa, quæ à nulla alia cauſa ſecunda eſt impedibilis; vt ortus Solis, eclipſis &c; ergo ſuppoſito concurſu cauſæ primæ certò, & infallibiliter cognoſcuntur ab Angelo.

3 Certum eſt 2. Angelum ex reuelatione

Di-

Diuina poſſe futura contingentia prænoſcere; quia ſi hoc potuerunt homines dono Prophetię inſigniti; multò magis hoc poſſet Angelus, qui eſt multò maioris virtutis cognoſcitiuæ, quàm homo. Hinc natrat *Beatiſſ. P. lib. de Diuinat. Dæmon. c. 1.* quendam Dœmonem prædixiſſe euerſionem templi *Serapis Alexandriæ*; quam euerſionem potuit ille Dœmon colligere, vel *ex Diuinis Scripturis*, vel ex aliqua reuelatione ſpeciali. Dubium ergo eſt de cognitione naturali.

4 Certum eſt 3. Angelum poſſe naturaliter coniectari ex ſignis, vel ex effectibus, quos ipſe decreuit efficere, aliqua futura, ſed merè probabiliter, & coniecturaliter; nam, vt docet *Beatiſſ. P. vbiſ. c. 3*; Angelus ſuperat hominem intellectus acumine, ac celeritate, quia ſenſuum tarditate, ac corporis grauitate non præpeditur; habet lõgè maiores, ac plures experientias; cognoſcit complexiones, affectiones, & inclinationes animorum; & ideo ex iſtis poteſt probabiliter diuinari futura contingentia libera. Sermo igitur eſt de cognitione naturali, certa, & infallibili.

5 Prima ſententia vult Angelum naturaliter cognoſcere infallibiliter futura abſoluta, ſeu neceſſaria, quæ nõ ſunt impedibilia à cauſis creatis. *Ita Mol. 1. p. q. 57. ar. 3. q. 1; Val. to. 1. q. 8. pũct. 3; Cum; Albertin; & alij.* Sed de hac ſententia dictum eſt, quomodò veritatem poteſt habere?

6 Secunda ſententia vult Angelum cognoſcere futura contingentia procedentia ex cauſis naturalibus omnino tamen independentia à libero arbitrio. *Ita Sua. lib. 2. de Ang. c. 9; Vaſq; 1. p. diſp. 207. c. 2; & alij.*

7 Tertia ſententia docet, quòd ſolùm ex ſuppoſitione, quòd voluntas Diuina concurrat ad productionem futuri abſoluti neceſſarij procedentis à cauſa inimpedibili à creata, Angelus poteſt certò illud cognoſcere; non tamen abſolutè; nec poteſt cognoſcere futura contingentia ab extrinſeco, & multò minus futura libera. *Ita Fund. Doct. de Cog. Ang. q. 10; & Quodl. 1. q. 10; & in 2. diſt. 7. q. 2. art. 1; Argent. ibid. q. 1. art. 3; & Gibb. hic diſp. 22. dub. 5.* Addũtur ferè *omnes Thomiſtæ*; inter quos *Gonet de Ang. diſp. 7. art. 4.*

8 Vnica concl. Angelus abſolutè, & ſimpliciter loquendo nullum poteſt naturaliter certò, & infallibiliter cognoſcere futurum neceſſariũ, ſeu contingens extrinſecè, vel intrinſecè; ſuppoſito tamen concurſu Dei ordinario poteſt cognoſcere futura neceſſaria; non autem contingẽtia ſiue ab extrinſeco omnino independentia à cauſa libera; ſiue ab intrinſeco, ſeu libera.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. Aug. vbiſ. c. 5*; vbi ait: *Aliquando & hominum diſpoſitiones non ſolùm voce prolatas, verumettam cogitatione conceptas, cùm ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt; atque hinc etiam multa futura prænunciant.* Et paulò poſt. *Hæc, atque huiuſmodi facultate multa futura prænunciãt; cùm tamen ab eis longè ſit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per ſanctos Angelos ſuos, & Prophetas operatur; nam ſi quid de illa Dei diſpoſitione prænunciant, audiunt, vt prænuncient, & cùm ea prædicunt, quæ inde audiunt, non fallunt, neque falluntur; veraciſſima enim ſunt Angelica, atque prophetica oracula.* Ex quo ſic arguitur. Futura ſeu neceſſaria, ſeu contingentia non habent infallibilitatem, & certitudinem ſimpliciter, ſecundùm quam nequeant aliter eſſe per quancunque potentiam, niſi à voluntate Diuina, quæ ſola eſt immutabilis, & inimpedibilis ſimpliciter, ſed Angelus nequit naturaliter cognoſcere certò, & infallibiliter decreta voluntatis Diuinæ in ipſa voluntate Diuina; quia hæc cognoſcuntur ſolùm per viſionem beatam; vt diximus *to. 1. de Inuiſib. q. 4. art. 3*; ergo Angelus abſolutè, & ſimpliciter nullum poteſt cognoſcere certò, & infallibiliter futurum, ſeu neceſſarium, ſeu contingens. Prob. ma. Quælibet creatura ſecundùm ſe eſſentialiter eſt mutabilis, & ideo eſt obiectum fallibile; neque vnquam induit infallibilitatem, & immutabilitatem, niſi quatenus coniungitur cum voluntate Diuina, quæ eſt eſſentialiter infallibilis, & immutabilis; ergo futura non habent infallibilitatem à cauſa creata, ſed à ſola voluntate Diuina. Tum quia quælibet cauſa creata, licèt ſit neceſſaria reſpectu ſui effectus; attamen reſpectu Dei eſt contingens quoad exiſtentiam; quia ita eſt, vt potuerit non eſſe; aliter ſi non poſſet non eſſe, non poſſet annihilari, & ideo nec creari; quia annihilatio reſpondet creationi; & potentia, quæ nequit annihilare, nequit creare; ſed cauſa, quæ contingenter exiſtit, nequit eſſe medium cognoſcendi immutabiliter effectum eſſe futurum; nam exiſtentia cauſæ eſt conditio *ſine qua non* neceſſariò exigita ad cognoſcendam futuritionem effectus pro illa differentia temporis, pro qua effectus debet eſſe; ſi enim hæc cauſa non exiſtat, tunc effectus nequit eſſe; cùm effectus nonniſi à cauſa exiſtente poſſit produci; & ideo pro illa differentia temporis non eſt futurus; ergo futurum nequit cognoſci ab Angelo infallibiliter ſimpliciter in cauſa creata etiam neceſſaria; & ideo ſolùm in voluntate Diuina. Mi. patet ex dictis; quamuis enim decreta voluntatis Diuinæ poſſint colligi ex creaturis, poſtquam ſunt productæ; ex eo nanque, quòd videamus Mundum eſſe à Deo productum, arguimus à poſteriori, quòd voluntas Diuina decreuerit illum creare; quia nihil eſt actu, niſi quod voluntas Dei decreuit exiſtere; & ideo effectus Dei ad extra dicitur voluntas ſigni, quia eſt ſignum voluntatis Dei; cùm ſit effectus illius, & effectus ducat in cognitionem ſuæ cauſæ; attamen antequam creatura producatur à Deo, non poſſumus naturaliter cognoſcere, an ſit producenda, niſi in ipſa voluntate Diuina cognoſcendo actum, quo decreuit illum producere; qui actus nequit cognoſci niſi per viſionem beatam, vel reuelationem, vt patet.

9 Prob.2.*ex eod.ibid.c.6.Falluntur quidem, quia cùm ſuas diſpoſitiones prænunciant,ex improuiſo deſuper aliquid iubetur, quod eorum conſilia cuncta perturbat.*Et paulò poſt.*Falluntur etiam, cùm cauſis naturalibus aliqua, ſicut medici, aut nautæ,aut agricolæ, ſed longè acutiùs,longèque præſtantiùs prænoſcunt &c.*Ex quibus ſic. Angelus videns morbum Regis *Ezechiæ*,& cauſas naturales illius cognouit ſecundùm cauſas naturales eũ eſſe moriturum; & videns ventum validũ *Matt.* 8; & cauſas illius cognouit illum eſſe duraturum;& cognoſcens terram *Aegypti* adeo fœcundam nouit illam quotannis fructum daturã; ſed nec mors *Ezechiæ* ſecuta eſt;nec ventus ille durauit; quia ſtatim ad imperium Chriſti Domini facta eſt tranquillitas magna; nec fructum *Aegyptus* dedit ſeptẽnio temporibus *Ioſeph*;ergo ſimpliciter, & abſolutè Angelus non cognoſcit infallibiliter futura neceſſaria, & multò magis contingentia.

10 Tandem ſi Angelus certò, & infallibiliter cognoſceret futura neceſſaria,aut contingẽtia, vel cognoſceret in ſe ipſis, vel in ſuis cauſis naturalibus; vel in voluntate Diuina? Non primum; quia in ſe ipſis extra ſuas cauſas non exiſtunt;& ideo nequit eorum exiſtentia cognoſci. Non ſecundùm;quia cauſæ proximæ ſunt impedibiles à Deo per non concurſum; liberè enim concurrit cum illis. Neque tertium; vt ſupra dictum eſt. Sed hæc ratio inferiùs magis expendetur.

11 Quòd autem ſuppoſito Dei concurſu ordinario poſſit cognoſcere futura neceſſaria in cauſa non impedibili ab alia cauſa creata, vt ortum,& occaſum Solis, eclipſes &c; quæ nequeũt impediri nec etiam ab Angelo, qui non poteſt inuertere curſum, & ordinem Vniuerſi præſtitũ à Deo, iam diximus *n.* 2. Præterea hæc cognoſcuntur à nobis; ergo multò magis ab Angelo.

12 Prob.modò altera pars concl; quòd nẽpe non cognoſcat futura contingentia ab intrinſeco,ſeu libera; & ab extrinſeco independentia à cauſa libera, impedibilia tamen ab alijs cauſis neceſſarijs ſimul concurrentibus; hoc modo autem contingẽtia ſunt duplicis generis;alia enim ſunt contingentia,*vt in pluribus,ſeu ſæpe*,quæ,vt plurimùm, ſuccedunt; & dicuntur magis ad vnã partem,quàm ad aliam;alia verò ſunt contingẽtia *raro*, quæ,vt plurimùm, non ſuccedunt. De his omnibus procedit hæc pars.

13 Igitur prob.1.*ex Scripturis*;nã *Iſaiæ* 41. habetur: *Annunciate, quæ ventura ſunt; & dicemus,quia Dij eſtis;& c.46.Ego ſum Deus, & non eſt vltra, nec eſt ſimilis mei annuncians ab exordio nouiſſima,& ab initio,quæ nondum facta sũt*. Nec poteſt dici, quòd *ibid.* loquatur *Scriptura* de futuris liberis contingentibus ab intrinſeco; non autem de futuris determinatis ſecundùm ſe contingentibus ſolùm ab extrinſeco. Hoc dici nequit;quia *textus* generaliter loquitur de omni futuro,quod eſt verè futurum contingens;ſed tam futurum contingens ab intrinſeco,quàm ab extrinſeco eſt verè futurum contingens;ergo de omni generaliter eſt accipiendum. Hinc *Beatiſſ. P.* 4. *de Trin. c.* 17. ait Deum reuelare Angelis ſanctis futura, & præterita, quæ ſtant ſemper in Dei ſapientia his verbis: *Angelis Sanctis, quibus Deus per Verbum, Sapientiamque ſuam indicat;vbi & futura,& præterita ſtant*.

14 Ex hoc ſic arguit *Fund. Doct. de Cog. Ang. vbiſ.* §. *Secunda via ſic patet*. In hoc differunt intellectus Diuinus, Humanus, & Angelicus;quòd Diuinus eſt actus puriſſimus excludẽs omnem potentialitatem paſſiuam; Humanus eſt purè potẽtialis, & Angelicus eſt actualis admixtus potentialitati paſſiuæ; & ideo eſt medius inter intellectum Diuinum, & Humanum; ſed intellectus Diuinus eò, quia eſt actus puriſſimus excludens omnem potentialitatem paſſiuam,intelligit omnia poſſibilis, & futura pro ea differentia tẽporis,in qua erunt;quia hoc modo continentur in Diuina eſſentia perfectiſſimo modo; aliter ſi ea non intelligeret actu, eſſet in potentia ad illa intelligenda; ideo dicitur *Rom.* 4. *Vocat ea,quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*; & intellectus humanus eò,quia eſt potentialis,intelligit in potentia nedum ea, quæ non ſunt, ſed etiam ea,quæ actu ſunt;non enim poteſt per ſe ipſum cognoſcere particularia; ergo intellectus Angeli eò, quia eſt actus admixtus potentialitati, intelligit actu ſolùm illa, quæ habent actualem exiſtentiam;ea verò, quæ actu non ſunt, intelligit tantùm in potentia, quatenus ſcilicet poſſunt habere eſſe.

15 Conf.*ex eod. ibid. Via prima*. In tantùm intellectus Diuinus intelligit actu ea, quæ non ſunt actu; in quantùm non ſpecificatur ab illis, obiectum enim ſpecificatiuum Diuini intellectus eſt eſſentia Diuina; & ea, quæ non ſunt actu, non videntur in ſe ipſis per ſe ipſa,ſed in eſſentia Diuina, & per eſſentiam Diuinam; ſed intellectus Angeli ſpecificatur à rebus,quas cognoſcit,quia Angelus non cognoſcit futura per ſuam eſſentiam; nam videt alia à ſe per ſpecies, vt ſupra dictum eſt; ergo intellectus Angeli non cognoſcit actu futura;ſpecificatiuum enim,& ſpecificatũ debent eſſe eiuſdẽ rationis,& ad inuicem commenſurari; vnde quia futura non habent actu eſſe, ideo non poſſunt cognoſci, vt exiſtentia pro illa differentia temporis,in qua erunt; & ſic nequeunt cognoſci infallibiliter quoad eorum exiſtentiam; quia exiſtentiam non habent. Ex hoc magis roboratur ſpecies Angelicas debere determinari per exiſtentiam particularium; vt diximus *ſuperiùs*.

16 Vlteriùs *ex eod. ibid.Tertia via.*Cognitio Angelica non eſt ita perfecta, vt non poſſit vlteriùs perfici; cùm enim non ſit ſimpliciſſima, ideo non eſt ſimul tota ſua perfectio ſimpliciter; ſed cognitio,qua cognoſcuntur futura, antequã ſint,

ſint, eſt cognitio ſimpliciſſima habens totam ſimul ſuam perfectionem;ex hoc enim,quòd Deus non expectet res ad illas cognoſcendas, donec progrediatur in eſſe,ſed illas cognoſcat,antequā ſint,ideo ſimpliciſſima, & omnino immutabilis eſt eius cognitio;vt probat *Beatiſſ.P.15.de Trin. c.* 13; ergo cognitio, qua cognoſcuntur futura, nequit naturaliter competere Angelo.

17 Præterea *ibid.Quarta via*.In tātùm Deus cognoſcit futura; in quantùm eius cognitio mēſuratur æternitate,quæ eſt tota ſimul,& continet omnia tempora;in quibus erunt futura, quæ cognoſcit;ſed cognitio Angeli nō mēſuratur æternitate; quia non eſt tota ſimul,nec ſemper ſtat; voluitur enim intellectus Angeli de vna in aliā cognitionem naturalem; ergo Angelus nequit naturaliter cognoſcere futura contingentia.

18 Prob.inſuper *ex eod.ibid.*Si Angelus cognoſceret futura contingentia, vel illa cognoſceret in ſe ipſis;vel in ſuis cauſis proximis?Non primum; quia in ſe ipſis non ſunt, & quod non eſt,nequit cognoſci, vt exiſtens; quia cognitio exiſtentiæ ſequitur ad ipſam exiſtentiam. Neque ſecundum; nam iſtæ cauſæ ſunt indifferentes; quia ſunt liberæ ad vtrunque; & ſic in ipſis nequit potiùs cognoſci actus futurus, quàm negatio illius;cùm voluntas libera æqualiter ſe habeat ad vtrunque;vel licèt ſint neceſſariæ,& determinatæ ad vnum; attamen poſſunt impediri ab alijs cauſis ſimul concurrentibus;quas nequit naturaliter cognoſcere Angelus;quia illæ cauſæ ſunt indifferentes per ordinem ad impediēdum, vel non impediendum illum effectum; nam fulgur ſecundùm ſe ipſum eſt indifferens ad impediendum, quòd planta producat fructus; & tamen poteſt cadere fulgur, & reducendo plātam in cineres impedire, ne fructus pariat; hoc autē merè per accidens contingit plantæ; quod non eſſet,ſi fulgur ſecundùm ſe eſſet determinatum ad comburendam plantam. Vel iſtæ cauſæ ſunt adminiculantes productionem ipſius futuri; & iſtæ pariter ſunt indifferentes; quia ſunt communes; omne autem commune pluribus eſt indifferens ad quodlibet particulare, cui eſt commune,vt patet de genere reſpectu cuiuslibet ſuę differentiæ; & ideo influxus cœleſtis; quia eſt cauſa adminiculans productionem rei ſublunaris,eſt indifferens; quia eſt communis pluribus, cùm ſit actio cauſæ vniuerſalis commenſurata cum illa;& ideo aſſerūt *Naturales*,quòd ſi gutta roris cadat in conchā maris,producit vnionem; ſi verò cadat ſuper truncum marcidum generat fungos;ſic etiam calor, qui generat, deſtruit; & aqua, quæ pariter concurrit ad generationem, habet putrefacere, & generationem impedire tollendo diſpoſitionem debitam; ergo in cauſis concurrentibus ad productionem futuri nequit determinatè cognoſci ipſum futurum. Hanc rationem deſumpſit *Fund. Doct.ex Beatiſſ.P. lib.6. de Gen.ad lit.c.*17;vbi ait:*Hoc autem ita erit,ſicut ſe habent aliæ cauſæ,ſiue in mundo contexta, ſiue in Dei præſcientia reſeruatæ*.

19 Conſ. Futurum contingens, vt contingens,nequit eſſe,niſi à cauſa contingente,à qua denominatur contingens, ſiue ſit contingens ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco; ſed in cauſa contingēte, vt contingens eſt,nequit cognoſci effectus determinatè;implicat enim, quòd cauſa cōtingens, vt contingens reduplicatiuè, ſit determinata, quia contingens eſt ad vtrunque; determinatum autem eſt ad vnum tantùm, & ideo hæc duo ſunt oppoſita;ergo Angelus nequit cognoſcere futurum contingens in ſuis cauſis proximis,ſiue ſit contingens ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco. Ant.prob.*à Fūd.Doct.Quodl.vbiſup.* In hoc differunt ſpecies Angelorum ab idæis Diuinis, quòd illæ debent determinari per eſſe actuale illius rei, quam repræſentant;iſtæ autem non debent determinari; ſed futura non habent eſſe actuale à parte rei;ergo nequeunt repræſentari per ſpecies Angelorum; atque adeo Angelus nequit illa cognoſcere. Prob.ma. Proprietates,ſeu accidentia ſequentia aliquam naturam commenſurantur cum illa,& habent modum eſſendi illius; *quia quidquid recipitur,ad modum recipientis recipitur*;ſed natura Angelica indiget determinari per eſſe actuale; quia, cùm non ſit ſuum eſſe,non eſt neceſſariò exiſtens; natura verò Diuina,cùm ſit ſuum eſſe,quia eſt actus puriſſimus,eſt neceſſariò exiſtens;& ideo non indiget determinari per eſſe; ergo ſpecies Angelorum, quæ ſequuntur ad naturam determinabilem per eſſe, indigent determinari per eſſe actuale rei, quam repræſentant; ideæ verò, quia ſequuntur ad naturam, quæ non indiget determinari per eſſe, non egent determinari per eſſe actuale rerum,quas repræſentant.

20 Obijc.1.*Beatiſſ.P.*13.*de Gen.ad lit.c.*13. ait *animam humanam habere vim quandam diuinationis in ſe ipſa*; & plures *SS. PP.* concedunt Dœmones *in Vatibus Gentilibus, ac Sybillis* multa futura prædixiſſe; ergo à fortiori id dicēdum de Angelis bonis,qui præſtantiores ſunt anima humana.

Reſp.*Beatiſſ.Patrem ibid.* referre *aliquorum* ſententiam;ait enim: *Nōnulli quidem dicunt animam humanam &c.* Concludit autem in eodem libro, quòd multi homines ex reuelatione Angelorum bonorum,quæ reuelatio non potuit eſſe niſi à Deo reuelante, multa futura prædixerunt; quas reuelationes non habuerunt ampliùs homines ruentes in peccata,& innocentiā amittentes. Ad aliud reſpondet *Beatiſſ. P. Vates, & Sybillas* multa ſupernaturalia prædixiſſe,quas Dœmones cognouerunt ex libris *Diuinarum Scripturarum*;& multa contingentia naturalia, quæ erant ipſi facturi,vel curaturi, vt fierent ab hominibus;ſcientes enim complexiones, & inclinationes hominum;& experti,quòd tales homines tentati ad aliquid agendum, facillimè cō-

ſen-

ſentiunt tali tentationi; ideo illa prædixerunt, quæ debebant promouere tentando.

21 Obijc.2. Angeli cognoſcunt totam ſeriẽ cauſarum naturalium, quæ ſunt determinatæ ad ſuos effectus;ergo ſuppoſito ordinario Dei concurſu cognoſcunt infallibiliter futura contingẽtia independentia à cauſa libera; ſciunt enim, an illæ cauſæ concurrentes ad effectum ſint impeditura,vel non? Prob.ant. Tota ſeries cauſarum naturalium eſt ordinis naturalis; ergo cognoſcitur naturaliter ab Angelis.

Conf.Cauſæ ſublunares reducuntur in motum Cœli tanquam in cauſam vniuerſalem; ſed Angeli penetrant omnes motus Orbium cœleſtium, aſpectus aſtrorum, virtutes &c; ergo cognoſcunt infallibiliter effectus.Tum quia omnes cauſæ naturales ſunt ad vnum determinatæ; ergo in illis poteſt cognoſci effectus infallibiliter.

Reſp. ad arg. neg. 2. partem ant; ſcilicet quòd tota ſeries cauſarum naturalium ſit ad vnũ determinata;vt diximus de influxu cęleſti,& alijs cauſis materialibus.Præterea inter cauſas materiales connumeratur materia, quæ eſt indifferẽs ad omnes formas; & ideo indeterminata. Ad prob.dicitur, quòd licèt ſeries cauſarum naturalium ſit ordinis naturalis; attamen in ipſa non cognoſcitur omnis effectus; quia cauſa impedibilis eſt contingens, & ideo indeterminata ſaltem extrinſecè.

Ad conf. diſt.ant. Reducuntur tanquam in cauſam communem, & ideo indeterminatam, conc;tanquam in cauſam propriam, & determinatam, neg. Ad aliud patet ex dictis. Additur, quòd licèt cauſæ naturales ſint determinatæ ad vnum per ordinem ad proprium effectum, vt v.g.ignis per ordinem ad comburendum; non tamen ſunt determinatæ per ordinem ad impediendum, vel non impediendum effectum alterius cauſæ, ad quem concurrunt;hoc enim merè per accidẽs eis conuenit; & ideo indeterminatè. Vel dicitur eſſe determinatas ad vnũ vagè; ignis enim eſt determinatus ad comburendum; non tamen ad comburendum hoc lignum in particulari, non illud; & ſic nequit eſſe medium cognoſcendi futura in particulari, & determinatè; ſed tantùm indeterminatè,confuſè, & ideo coniecturaliter.

22 Obijc.3.Ideo Deus cognoſcit omnia futura cõtingẽtia, quia ſunt ei præſentia in æternitate,quæ includit omne tẽpus; ſed Angeli cognoſcunt in æuo, quod eſt menſura ipſorum continens pariter omne tempus indiuiſibiliter; *quæ enim diſperguntur in inferioribus, vniuntur in ſuperioribus*; æuum autem eſt ſuperius ad tempus; & ideo continet indiuiſibiliter omnia tempora,in quibus etiam erũt actu futura; ergo Angeli cognoſcunt futura. Tum quia Angeli parificantur æternitati, in qua nihil eſt præteritum, & futurum; ergo vident omnia præſentia. Tandem quia *in æternis idem eſt eſſe,& poſſe*;ſed Angeli poſſunt cognoſcere futura,cùm ſiunt exiſtẽtia;ergo & antequam fiant.

Reſp.neg.mi; quamuis enim ſubſtantia Angelorum,quæ eſt tota ſimul indiuiſibilis, menſuretur æuo, quod eſt menſura tota ſimul, & indiuiſibilis; attamen operationes Angelorum, quia ſucceſſionem important,menſurantur tẽpore intellectuali;vt diximus ſuperiùs; & *inf.* magis declarabitur.Præterea addi poſſet, quòd licèt æuũ contineat tempus ſecundùm rationem vniuerſalem,& imperfectè; non tamen continet illud ſecundùm rationes, ſeu differentias indiuiduales ipſius temporis; & ideo nequit repræſentare illam differentiam indiuidualem temporis,in quo erit determinatè tale futurum;ſed ſolùm confuſè, & generaliter poteſt illud repræſentare. Aeternitas autem continet diſtinctè, & perfectè omnes differentias indiuiduales tẽporis; & ideo poteſt repræſentare perfectè, quæ ſiunt in illis; & hæc eſt differentia inter continentiam rerum in cauſis creatis; & in cauſa prima; videmus enim, quòd iſti effectus ſublunares continentur in Sole ſecundùm rationes genericas,non ſpecificas,& indiuiduales;at verò in Deo continentur perfectiſſimè ſecundùm rationes vniuerſales, & indiuiduales; ita à pari. Ad 2. dicitur *ex Fund. Doct.* Angelos parificari æternitati quoad eſſe ſubſtantiale; quatenus eorum eſſe duraturum eſt per totam æternitatem, quod etiam intelligendum eſt ſecundùm quid,idèſt à parte poſt; non ſimpliciter, idèſt etiam à parte ante. Non parificari autem æternitati quoad operationes naturales;quæ deſinunt eſſe:non enim ſemper manẽt in eadem intellectione,volitione, locatione &c. Ad aliud reſp. *Fund. Doct.* illud axioma intelligendum eſſe; quòd cùm res æternæ potuerunt eſſe,ſtatim fuerunt;& nunquam fuerũt in potentia paſſiua materiæ ad eſſe; ſicut eſt in potentia omne generabile. Vel dicitur intelligendum eſſe de æternis æternitate imparticipata; vt eſt ſolus Deus; in quo nihil eſt poſſibile, & potentiale, ſed totum eſt actu; quia eſt actus puriſſimus.

23 Obijc.4.Si Angeli non cognoſcerent futura,vel hoc eſſet ex parte ipſorum futurorum; vel ex parte ipſorum Angelorum cognoſcentiũ? Non primum; aliter futura non cognoſcerentur à Deo;ſi enim futura in ſe ipſis non ſunt cognoſcibilia, à nullo poſſunt cognoſci; & ſi ſunt cognoſcibilia, poſſunt cognoſci etiam ab Angelis. Non ſecundum; quia in Angelis ſunt ſpecies exemplatæ à Diuinis idæis; ſed Deus per Diuinas idæas cognoſcit futura;ergo & Angeli.

Conf. Quamuis futura non ſint determinata in ſe ipſis,vel in ſuis cauſis; attamen ſunt determinata in eorum veritate obiectiua,quæ conſiſtit in vi duarum contradictoriarum, quarum vna neceſſariò eſt vera, altera falſa; vnde ex his duabus proportionibus. *Antichriſtus erit;vel nõ erit*;vna eſt determinatè vera, altera falſa; ergo Angelus poteſt determinatè cognoſcere futura.

Reſp.

Reſp. Angelum non cognoſcere futura; quia futura non ſunt cognoſcibilia in ſe ipſis, & quia ſpecies Angelorum non repræſentant futura, vt ſupra dictum eſt. Ad 1. improb. dicitur, quòd Deus non cognoſcit futura in ſe ipſis, ſed in ſua Diuina eſſentia, in qua habent eſſe actu, & determinatè; Angelus autem non poteſt illa cognoſcere in ſua eſſentia, in qua non habent eſſe actu, & determinatè, nec in ſe ipſis; quia actu nõ ſunt, vt dictum eſt. Ad 2. improb. dicitur ſpecies Angelicas eſſe exemplatas à Diuinis idæis imperfectò modo; & ideo multùm ab illis deficere; aliter Angelus æquè perfectè cognoſceret, ac Deus, quod eſt abſurdum.

Ad conf. neg. ant; propoſitiones enim contradictoriæ important ſolùm, quòd vna ſit vera, altera falſa indeterminatè; non verò, quòd hæc ſit determinatè vera, altera determinatè falſa.

24 Obijc. 5. Ex aſpectibus ſyderum influentium in natiuitatem alicuius hominis multa futura prædicunt *Aſtrologi*; ſed Angeli multò clàriùs cognoſcunt influentias Cœlorum; ergo infallibiliter cognoſcunt futura.

Reſp. Ex influentijs Cœlorum ſolùm poſſe colligi coniecturaliter, non infallibiliter inclinationes corporum; & propenſiones; quapropter *Hierem.* 10. dicitur: *A ſignis Cæli nolite metuere*; & ideo ars iudiciaria, quæ contendit infallibiliter prædicere, iure Diuino prohibetur *Deut.* 18; *Iſaiæ* 47, *& in Conc. Bracar. I. c. 9; &* 10; *In Toletan. I. in aſſert. Fidei; à Martino I; à Xiſto V; ab Alex. III*; nec non *Iure Pontific; & Iure Ciuili Cod. de Maleficis, & Mathematicis*.

25 Obijc. 6. Chriſtus per ſpecies infuſas cognoſcit futura contingentia; ergo, & Angelus; nam ſpecies Angelorum ſunt perfectiores, quã ſpecies infuſæ animæ Chriſti.

Reſp. omiſſo ant; de quo ſuo loco, neg. conſ. Ad prob. inſert. vel dicitur ſpecies Angelorum dici quodammodò perfectiores quãtùm ad vniuerſalitatem, quia plura repræſentant; non autẽ quantùm ad actualitatem, quia ſpecies animæ Chriſti plura actu repræſentant, quæ pertinent ad redemptionem, quæ non repræſentantur à ſpeciebus Angelorum; neq; implicat, quòd Deus infundat ſpecies repræſentantes futura; ſicuti nõ implicat, quòd Deus futura reuelauerit *Prophetis*; & ideo conueniens fuit, quòd illa reuelauerit Chriſto Domino, qui eſt caput *Prophetarum*; vel dicitur Chriſtum Dominum cognouiſſe futura per ſpecies ſupernaturales, non per ſpecies naturales, de quibus *hic* loquimur.

26 Obijc. 7. Non videtur credibile Deum reuelare futura Dœmonibus, qui tamen multa futura prædixerunt; reuelatio enim fit amicis, non inimicis; ergo Angeli naturaliter cognoſcunt futura.

Reſp. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur, quòd reuelatio fit amicis ad gaudium, & inimicis ad pœnam; vnde multa Deus reuelauit Dœmonibus pertinentia ad gloriam Chriſti Domini; & ad ſalutem hominum, vt ex illis Dœmones triſtarentur, & electi gauderent.

27 Obijc. 8. Futura contingentia libera pertinent ad obiectum naturale intellectus Angelici; ſunt enim entia naturalia; ergo poſſunt naturaliter ſciri ab Angelo; cùm Angelus poſſit attingere naturaliter totam latitudinem entis naturalis, quod eſt obiectum adæquatum intellectus ipſius.

Reſp. ommiſſis *aliorum* ſolutionibus diſt. ant. Pertinent ad obiectum naturale intenſiuum, ad quod per vires naturales poteſt tendere, neg; ad obiectum extenſiuum, ad quod per vires naturales nequit tendere, conc. Si enim omnes res naturales pertineret ad obiectum intẽſiuum intellectus Angelici, ſequeretur, quòd Angelus naturaliter poſſet cognoſcere nedum omnia futura, ſed etiam omnia poſſibilia; nam etiam poſſibilia ſunt entia naturalia ſecundùm ſubſtantiã, & tamen certum eſt ab Angelo non videri clarè, & diſtinctè. Obiectum ergo naturale intenſiuum, quod poteſt attingi ab intellectu Angelico naturaliter, eſt ſola quiditas naturalis actu exiſtens; *vt ſup. dictum eſt*. Cetera verò entia naturalia ſpectant ſolùm ad obiectum extenſiuum naturale, quod Angelus non poteſt attingere, niſi per vires ſupernaturales, ſcilicet per reuelationẽ Diuinam. Inſtantia eſt de Sole, qui licèt ſit obiectum naturale ſecũdùm entitatem; attamen nequit attingi ab oculo noctuę per vires naturales.

28 Quæres; an Angeli poſſint naturaliter cognoſcere præterita contingentia?

Reſp. *Fund. Doct. de Cog. Ang. q. 10. ad* 3; *& q. 9. ad* 10. Angelum cognoſcere ea præterita, quorum cognitionem habuit, quando actu fuerunt præſentia; non autem ea, quorum cognitionem non habuit; & ratio eſt. 1. Quia *Scripturæ* loquuntur eodem modo de futuris, ac præteritis; nam *Iſaiæ* 41. dicitur: *Annunciate nobis, quæcunque ventura ſunt, aut priora, quæ erãt; & dicemus, quia Dij eſtis vos*. 2. Præterita habent eſſe determinatum in aliqua differentia temporis; ergo referendo ſpeciẽm ad illam differentiam temporis, in qua fuerunt, poſſunt actu cognoſci.

29 Dices. Præterita non habent eſſe in ſe ipſis, neque in ſuis cauſis, ſicut dicimus de futuris; ergo nequeunt cognoſci ab Angelo. 2. Licèt propoſitio de futuro ſit determinatè vera; quia res aliquando erit; attamen non cognoſcitur ab Angelo; ergo propoſitio de præterito, licèt ſit determinatè vera, quia res aliquando fuit, attamen non cognoſcitur.

Reſp. ommiſſis ſolutionibus *Ban. Cum. Sua; Auerſa, & aliorum cum Fund. Doct*; quòd licèt præterita non habeant eſſe actuale pro hac differentia temporis præſentis; attamen illud habent, ſi referantur ad illam differentiam temporis, in qua fuerunt præſentia; & ideo ſpecies Angeli relata ad illam differentiam temporis poteſt

teſt illa repræſentare. Diſt.igitur ant. Præterita non habent eſſe in ſe ipſis pro hac differentia temporis præſentis,conc; pro illa differentia tẽporis,in qua fuerunt, neg; & hoc ſufficit,vt ſpecies poſſit illa repræſentare; ſatis enim eſt ad determinandam ſpeciem repręſentatiuam illorum, vt aliquando habuerint eſſe actuale in ſe ipſis; quod non verificatur de futuris, quæ licèt illam ſint habitura,nunquam tamen illam habuerunt; & ideo nunquam determinarunt ſpeciem ad illa repræſentanda;& per hoc patet ad 2.Hoc poſſumus arguere ex nobis; experientia enim conſtat nos clarè cognoſcere præterita, non verò futura;non ob aliud,niſi ob rationem aſſignatam.

30 Collig. 1. ex dictis Angelos multò minùs cognoſcere poſſibilia diſtinctè, & determinatè,quia poſſibilia magis ſunt remota ab actuali exiſtentia;illa tamen cognoſcere ſolùm in vniuerſali,& confuſè,quatenus cognoſcunt infinitã Dei potentiam non eſſe euacuatam per productionem creaturarum actualiter exiſtentium; & ideo Deum poſſe alias, & alias creaturas in infinitum producere.

31 Collig.2; quàm prudenter *Cõcilia,Summi Pontifices,& SS.PP.* prohibuerint artem iudiciariam contendentem infallibiliter poſſe prędici futura;ſi enim Angelis,qui perfectiori pollent lumine intellectus, id denegatur, quomodò homines, qui ſunt veluti noctuæ in tenebris ignorantiæ volitantes,ea poſſunt cognoſcere?

A R T. IX.

An Angeli noſcant ſecreta cordium?

1 Difficultas hæc quoque procedit ſecundùm ordinem naturalem; certũ enim eſt,quòd Deus,cui patet omne cor,& nihil eſt abſconditum eius cognitioni,poteſt reuelare omne ſecretum Angelo ſiue bono, ſiue malo. Quæritur ergo; an Angelus ſiue bonus,ſiue malus per virtutem naturalem cognoſcitiuam poſſit cognoſcere ſecretum cordis ſiue hominis,ſiue alterius Angeli?

2 Dupliciter autem, vt notat *Fund.Doct.de Cog.Ang.inf*;hoc poteſt intelligi. 1.Indirectè ita, vt per quædam ſigna, aut indicia exteriùs apparentia cognoſcat huiuſmodi ſecreta; v. g. videns Angelus hominem cogitantem de inimico,quatenus cernit ſpeciem inimici vnitam cum eius intellectu,neſcit,an cogitet fugere, vel aggredi inimicum;& hæc cogitatio fugæ,vel aggreſſionis inimici dicitur ſecretum cordis ipſius hominis. Verùm ſi Angelus videat corpus hominis cogitantis de inimico infrigidari,cognoſcit, quòd timet; & ex hoc colligit ipſum cogitare de fuga. Si verò videat corpus calefieri, ſtatim cognoſcit ipſum cogitare de aggreſſione;quia audacia,quę calefacit cor,& per conſequens corpus,ſuggerit aggreſſionẽ.Ideo *Beatiſſ.P.12.de Gen.ad lit.c.17.* ait: *Certiſſimis tamen indicijs apud nos conſtitit enunciatas à Dæmonibus cogitationes hominum. Et inf.c.22.* ſubdit; quòd ſicut nos poſſumus occultare corporalibus modis noſtras cogitationes;& illas reuelare quibuſdam ſignis;ſic etiam Angeli poſſunt occultare ſpiritalibus modis ſua ſecreta; & illas ſpiritalibus ſignis aperire; ait enim: *Si eas* (ſupple *cogitationes*) *vt opinor, habẽt in poteſtate occultare ſpiritalibus modis; quemadmodum nos quibuſdam interiectis obſtaculis noſtra corpora,ne aliorum oculis videantur, abſcondimus.* In hoc igitur ſenſu non procedit difficultas.2.Directè ita,vt Angeli videant ſecreta cordis in ſe ipſis infallibiliter;& de hoc quærimus.

3 Prima ſententia vult Angelum naturaliter cognoſcere ſecreta cordium quãdo actu exiſtunt;non autem antequam exiſtant. Tribuitur *Dur.in 2.diſt.8.q.5;& Heruæo ibid.q.3.*

4 Secunda ſententia vult Angelum poſſe naturaliter cognoſcere ſecreta cordium,de facto tamen non cognoſcere, quia impeditur à Deo negante ei debitum concurſum ad illa cognoſcenda.Tribuitur *Scot.in 2.diſt.9.q.1; & 2; & in 4.diſt.10.q.8.ad 3.*Quãuis *Maſtr.in 2.diſp.2.q.8.* aſſerat *Scoti* ſententiam eſſe, quòd Angeli boni cognoſcant ſecreta cordium; Angeli verò mali nequaquam;quia impediuntur à Deo,*Scripturas* autem interpetratur,vt *inf.* Addit *Maſtr.* non eſſe dogma Fidei Angelum non cognoſcere ſecreta cordium. Contra *Maſtriũ* eſt *Rada p.2. contr.8.art.3;& multi alij Scotiſtæ*,qui propterea diuiſi ſunt inter ſe.

5 Noſter *Gibb.hic diſp.22. dub.vlt.n.4.* aſſignat quandam aliam ſententiam aſſerentium ſecreta cordium quoad entitatem actus cognoſci ab Angelis;non tamen quoad determinationem, ſeu ordinem.Quam ſententiã tribuit *Fund.Doct. Her;& Henr.* Hæc tamen ſententia,vt *inf.* patebit, abſolutè negat, quia vult ſecretum conſiſtere in illa ordinatione,ſeu relatione, vel terminatione ad obiectum; non autem in ipſa entitate ſubſtrata tali ordinationi, relationi, & terminationi; quæ entitas de ſe eſt manifeſta. Igitur iſti *Auctores* non diſcrepant à ſententia *Thomiſtarũ*, ſed ſolùm in modo illam explicãdi, de quo inferiùs.Quamobrem.

6 Vltima ſententia docet nullum Angelum poſſe naturaliter cognoſcere ſecreta alieni cordis,& hoc eſſe dogma Fidei. Ita *Fund.Doct. de Cog.Ang.q.11;& in 2.diſt.7. p. 2. art. 2; Argent; Gibb;omnes Thomiſtæ, Sua.lib.2.de Ang.c.22.n.2;* qui tamen nihil omnino ſententiæ *noſtri Fund. Doct.* percepit; *Vaſq.hic diſp.209;* qui cenſet hoc ſolùm poſſe probari *ex Scripturis*, non autem ratione.Magna autem lis eſt in aſſignanda ratione; vnde multùm laborant *Cumel; & Alber.to.1.* in examinandis, & confutandis rationibus *aliorum.* Nos, vt breuiùs agamus,explicabimus ſolùm ſẽtentiam noſtri *Fund.Doct*;eiuſq;rationes.Igitur.

7 *Aliqui*,vt notat *Fund.Doct*;vt probẽt Angelum non cognoſcere ſecreta cordis, aſſerunt Angelum non cognoſcere vſum ſpecierum, quæ

ſunt

ſunt in intellectu alterius; licèt cognoſcat ipſas ſpecies; quia quiditatiuè eſſentias rerum intuetur;& ideo non cognoſcit,quid cogitet alter Angelus;cùm non poſſit ſcire,qua ſpecie vtatur.

8 Hæc ratio cõfutatur *à Fund.Doct*; ſpecies enim, quæ ſunt in intellectu creato, non ſemper ſunt præſentes intellectui exercitè in eſſe obiectiuo: aliter Angelus non poſſet deſiſtere à cognitione rei repræſentatæ per ſpecies; ſicut dicitur de ſubſtantia ipſius Angeli; quæ quia eſt præſens intellectui ſemper exercitè in eſſe obiectiuo, ideo Angelus ſemper cognoſcit ſeipſum, & nequit deſiſtere à cognitione ſui.Species ergo ſunt in intellectu veluti habitualiter;quia poſsũt fieri actualiter præſentes in eſſe obiectiuo; vnde dicuntur eſſe in intellectu *in actu ſemipleno*;fiunt autem *in actu pleno*; cùm fiunt actualiter præſentes;& tunc datur vſus talis ſpeciei; ſed Angelus videns intellectum alterius videt illam ſpeciem, quæ eſt intellectui actualiter præſens in eſſe obiectiuo;& videt alias ſpecies, quæ ſunt in memoria,non eſſe ei præſentes;ſicut videns ſpecies, quæ ſunt præſentes ſenſibus, videt alias,quæ ſũt in memoria ſenſitiua, & non ſunt præſentes ſenſibus;ergo Angelus videt vſum ſpecierum.Tum quia,vt docet *Beatiſſ.P. 11. de Trin. c.9*; ex illa ſpecie, quæ eſt in memoria, generatur ſpecies in intelligentia ſimillima ſpeciei exiſtenti in memoria;ſed Angelus nequit non videre illam ſpeciem genitam;ergo nequit non videre illam ſpeciem, qua vſus eſt in productione ſpeciei genitæ in intelligentia;& ideo falſum eſt, quòd Angelus ignoret vſum ſpecierum.

9 *Alij* volunt Angelum poſſe quidem imprimere aliquid in intellectũ alterius Angeli, nõ tamen in voluntatẽ; quia voluntas, cùm ſit libera, eſt domina ſui; & ideo nequit ſubdi poteſtati alterius; & per hoc volunt Angelum poſſe cognoſcere cogitationes intellectus, non autem affectiones voluntatis.

10 Sed hoc quoque,inquit *Fund. Doct*; falſum eſt;nam Angelus nequit imprimere aliquod in altero Angelo ſimpliciter, & abſolutè; aliter poſſet ipſum mouere motu alterationis; quia poſset inducere in illum qualitates, ſeu accidentia;quæ priùs non habebat;quod tamen falſum eſt; quia in Angelo non eſt potentia niſi ad vbi, ſeu ad locum; quatenus poteſt mouere ab vno loco ad alium;ergo nequit imprimere aliquid in intellectũ alterius. Tum quia licèt noſtra voluntas ſit domina ſui;attamen non ſequitur,quin ab obiectis generetur in illa pondus, per quod trahitur, & allicitur; ergo licèt voluntas ſit domina ſui, non repugnat,quòd in ipſam poſſit imprimi aliquid ab aliquo. Tum quia affectiones voluntatis non ſunt ſecretæ,vt infra dicemus; ergo ratio non concludit.

11 *Alij* tandem volunt non cognoſci ipſam entitatem actus ſecreti, & ideo non cognoſci ipſum ſecretum.*Ita plures Recentiores*.

12 Sed hic modus dicendi pariter falſus eſt; nam Angelus quiditatiuè cognoſcit intellectum alterius Angeli: ergo videt omnem entitatem, ſiue quiditatem exiſtentem in illo,& ei inhærentem;& per conſequens videt entitatem actus ſecreti,quæ eſt verum accidens exiſtens in intellectu Angeli.Idem dicitur de voluntate. 2. Si Angelus non videret entitatem actus intellectus,vel voluntatis,eadem ratione non videret ſpecies,& habitus,imò neque ipſas potentias; nulla enim alia ratione probatur magis rationabiliter,quòd Angelus videat ſpecies,habitus, & potentias alterius Angeli, niſi quia,cùm videat eſſentiam alterius Angeli quiditatiuè, conſequenter videt omnem quiditatem,& entitatem exiſtentem realiter in illa; & ideo videt potentias exiſtentes in natura;& habitus,ac ſpecies exiſtentes in potentijs rationalibus; ſed entitas cognitionis intellectus, & affectionis voluntatis ſunt realiter in voluntate, & intellectu; ergo vtraque cognoſcitur ab Angelo quoad entitatem. 3. Potentia naturalis intellectiua Angeli poteſt naturaliter attingere omne id,quod continetur ſub ſuo obiecto naturali ſpecificatiuo adæquato intẽſiuo; ſed obiectum ſpecificatiuum naturale ſpecificatiuũ adæquatum intenſiuum potentiæ intellectiuæ Angeli eſt entitas naturalis,prout exiſtens; ergo potentia intellectiua Angeli poteſt naturaliter attingere omnem entitatem naturalem exiſtẽtem; & ideo poteſt attingere entitatem naturalem actus liberi exercitè exiſtentis.4.Si Angelus non cognoſceret illam entitatem naturalem, maximè,quia cognoſceret ſecreta cordis,quæ naturaliter ſunt illi abſcondita; ſed conſequens eſt falſum;ergo & ant. Ma.eſt fundamentum *Aduerſariorum*,vt videre eſt *apud Sua*. Prob.mi.Non poteſt Angelus cognoſcere ſecreta cordis, niſi cognoſcendo determinationem liberam voluntatis ad vnam partem contradictionis; ſecretum enim cordis importat decretum liberum voluntatis omnibus abſconditum; ſed cognoſcendo illam entitatem non cognoſcit liberam determinationem voluntatis ad vnam partem;illa enim entitas de ſe eſt indifferens ad vtranque determinationem;quia per eundem actum, quo volũtas tendit in inimicum v.g; poteſt tendere determinando aggreſſionem, vel fugam illius; vnde Angelus videns aliquem vti ſpecie inimici, cognoſcit vtique illum cogitare de inimico; non tamen cognoſcit,an determinauerit illum aggredi,vel fugere; & ideo illa entitas cognitionis eſt indifferens ſecundùm ſe ad determinationem ad hanc,vel illam partem,ergo Angelus cognoſcẽdo illam entitatem naturalem non cognoſcit ſecreta cordis. Conſ. patet; nam omnis entitas naturalis actualis præter ſecreta cordis eſt naturaliter cognoſcibilis ab Angelo;vt fatentur *Aduerſarij*. Idem dicitur de affectione voluntatis.

13 Igitur ſententia *noſtri Fund.Doct*.docet Angelum poſſe naturaliter cognoſcere omnes ſpe-

ſpecies exiſtentes in quocunque intellectu; & vſum cuiuſcunque ſpeciei; & omnem entitatem ſubſtratam determinationi volũtatis. Modò videndum ſupereſt, quomodò nequeat cognoſcere ſecreta cordis?

14 Vnica concl. Etianſi non ſit determinatũ *à Concilijs*, vel *ab Eccleſia*, attamen explicitè, & determinatè habetur *in Sacris Scripturis* nullum Angelum poſſe naturaliter cognoſcere ſecreta alieni cordis. *Ita Fund. Doct. de Cog. Ang. vbiſ.* dicens: *Reſpondeo dicendum, quòd veritas huius quæſtionis ſatis determinata eſt per Sacram Scripturam; nam ex pluribus locis Scripturæ Sacræ haberi poteſt, quòd nullus alius ab homine poteſt ſcire cogitationes hominis, niſi ſolus Deus &c;* Et paulò poſt. *Certum eſt ergo, ex quo ſic ſcriptum eſt in Sacro Canone, quòd cogitationes noſtræ latent Angelos, & Dæmones.*

15 Prob. 1. *ex Apoſt. 1. Cor. 2.* docente: *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.* Ex quo ſic. Ita ſunt abſcondita ſecreta Dei, ſicut ſecreta hominis; ſicut enim ſecreta Dei non ſciuntur niſi à Spiritu Dei; ita ſecreta hominis non ſciuntur niſi à ſpiritu, qui eſt homine; ſed Angelus nequit naturaliter cognoſcere ſecreta Dei, ergo nequit cognoſcere naturaliter ſecreta hominis. *Et c. 4. Quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Arguitur autem ſic. Si cogitationes cordis eſſent notæ Angelis bonis, Dominus non deberet illas manifeſtare vniuerſaliter omnibus; neque illuminare abſcõdita; ſed conſequens eſt contra *Scripturam*; ergo & ant. *Et 2. Paralip. 6. Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum. Et Hierem. 17. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor. Et 1. Reg. 16. Homo videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor.* Ex his, & alijs ſimilibus concluditur ſic. Cognitio cordis *in Scriptura* ſoli Deo explicitè tribuitur; ergo *in Scriptura* explicitè, & determinatè habetur nullum Angelum naturaliter poſſe cognoſcere ſecreta cordium.

16 Reſp. *Maſtr. vbiſ. art. 1. ex Scot.* dupliciter. 1. *hos textus* intelligendos eſſe vniuerſaliter de omni ſecreto præterito, præſenti, & futuro; horum enim cognitio eſt propria Dei; non autẽ de ſecretis tantùm præſentibus. 2. Intelligi de ſcientia iudiciaria; poteſtas enim iudicandi ſoli Deo cõuenit; ac propterea *Scripturam* ferè ſemper addere iudicium; vt *pſ. 7*; poſtquam dixit: *Dominus iudicat populos*; ſubdit: *Scrutans corda, ac renes Deus.*

17 Sed contra primum eſt. *Scriptura* debet intelligi, vt verba ſonant, dummodò nullum ſequatur inconueniens; vt docent communiter *SS. PP; & Expoſitores*; aliter ferè nihil certi haberemus, quia vnuſquiſque poſſet excogitare conſimiles expoſitiones; ſed allati *textus*, prout verba ſonant, ſignificant nullum omnino cordis ſecretum poſſe innoteſcere, niſi ſoli Deo; & nullum ſequitur inconueniens *in Scriptura*; nam ſi eſſet aliquod inconueniens, maximè illud, quod affert *Maſtr.* pro fundamento *ibid. n. 233*; ſcilicet quòd Angeli cuſtodes agnoſcunt orationes noſtras, & bona deſideria; hoc autem non eſt inconueniens; quia noſtræ orationes, & bona deſideria, quę noſcuntur ab Angelis, non ſunt ſecreta cordis; manifeſta enim fiunt vel locutione, vel ardore cordis, vel pluribus alijs ſignis; vt *inferiùs* dicemus; ergo nec cognitio ſecretorum præſentium naturaliter Angelis poteſt competere.

18 Secundò *Scriptura* docet ſecreta noſtri cordis eſſe abſcondita; ſicut ſunt abſcondita ſecreta Dei; vt *ſup.* diximus; ſed nullum omnino ſecretum Dei poteſt videri ab Angelo naturaliter; ergo nullum omnino ſecretum hominis.

19 Tertiò ſi prædicta expoſitio valeret, ſequeretur, quòd Angeli eodem modo cognoſcerent ſecreta cordis, ac alias entitates naturales non ſecretas; Angeli enim non cognoſcur futura, nec præterita, quorum cognitionem non habuerunt, quando erant præſentia; vt diximus *in ſup. art*; ſed *Scriptura* ſpecialiter aſſerit de ſecretis cordium nõ cognoſci, niſi à Deo; & licèt entia naturalia futura non cognoſcantur ab Angelo; non tamen aſſerit entitates naturales nõ cognoſci, niſi à Deo; ergo prædicta expoſitio non congruit *Scripturæ*.

20 Tandem *Scriptura* loquitur ſimpliciter, & abſolutè ſine vlla prorſus reſtrictione; & ſic loquuntur *SS. PP*; vt mox videbimus; iuxta quorum expoſitiones debemus intelligere *Scripturam*; vt præcipiunt *Concilia*; ergo reſtrictio ad ſola ſecreta futura eſt omnino arbitraria, & *Concilijs* diſſona.

21 Contra ſecundum eſt. 1. Primus *textus*, & vltimus nullo modo ſignificant ſcientiam iudiciariam; non enim agitur de iudicio hominis; vt poteſt videri *locis cit*; ergo ſecunda expoſitio non eſt ad rem. 2. *SS. PP.* illos *textus* intelligunt de omni cognitione; vnum referam pro omnibus *Beatiſſ. P*; qui *in pſ. 41.* ſuper illa verba: *Abyſſus abyſſum inuocat*; poſtquam dixit abyſſum ſignificare quandam *profunditatem impenetrabilem, & incomprehenſibilem*, ſubdit: *Quæ ergo abyſſus, quæ inuocat abyſſum? Si profunditas eſt abyſſus, putamus, quòd cor hominis abyſſus eſt. Quid enim eſt profundius hac abyſſo? Loqui homines poſſunt, videri poſſunt per operationem membrorum, audiri in ſermone; ſed cuius cogitatio penetratur; cuius cor inſpicitur? Quid intus gerat, quid intus poſſit, quid intus agat, quid intus diſponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendet?* Patet autem, quòd *hic* commemoratur ſola ſcientia Dei, non autem poteſtas iudicandi. *Et in pſ. 55. In hac peregrinatione carnalis vitæ quiſque cor ſuum portat; & omne cor omni cordi clauſum eſt.* Hoc ſi legiſ-

giſſet *Maſtr*; nõ ſcripſiſſet *Beatiſſ.P.* docere ſolis Dæmonibus ſecreta cordium eſſe abſcondita; ſi enim omne cor omni cordi clauſum eſt, ideo nulli creaturæ poteſt patere. 3. Si allati *textus* intelligerẽtur de ſciẽtia iudiciaria, nihil aliud ſignificarent, quàm quòd poteſtas iudicandi eſt Deo propria; ceterùm ſcientia ſecretorum cordis abſque poteſtate iudicandi non eſt Deo propria; quia conuenit etiam creaturæ; ſed hæc ſignificatio eſt omnino diſparata; quia indicatur poteſtas iudiciaria per ſcientiam ſecretorum cordis, quæ poſſet eſſe ſine tali poteſtate; ſic enim eſſet in Angelis; ergo omnino diſparata eſt hæc interpretatio. 4. Hæc expoſitio interimit ſe ipſam; nam ſcientia iudiciaria eſt, qua cognoſcuntur etiam ſecreta cordis; ſed Angelus nequit naturaliter habere ſcientiam iudiciariam; ergo neque ſcientiam, qua cognoſcuntur cordis ſecreta. Prob.ma. Scientia iudiciaria eſt, qua cognoſcuntur adæquatè merita glorificanda, & demerita punienda; ſed ſola ſcientia, qua cognoſcuntur etiam ſecreta cordis, eſt huiuſmodi; nam ſecreta cordis ſunt bona, vel mala; & ſic meritoria, vel demeritoria; & ideo cognitio, qua non cognoſcuntur ſecreta cordis, non eſt iudiciaria; quia per illam non cognoſcuntur adæquatè omnia merita, vel demerita; ex quo ſequitur ſcientiam iudiciariam eſſe cognitionem, qua cognoſcuntur etiam ſecreta cordis; quod apertè docet *Scriptura vbiſ. 1. Cor. 4. Nolite iudicare, quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordium*; ergo ſcientia iudiciaria eſt, qua cognoſcuntur etiã ſecreta cordis. Mi. conc. *ab Aduerſarijs*; volunt enim, quòd quando *Scriptura* docet cognitionẽ ſecretorum cordis eſſe propriam Dei; & nulli conuenire creaturæ, intelligenda ſit de cognitione iudiciaria; ex quo ſequitur ſcientiam iudiciariam eſſe propriam Dei. Tandem *D.Hier.* ſuper *Hierem. c. 17.* ex illis verbis *Matt. 9. Cùm videret Ieſus cogitationes eorum*; arguit diuinitatẽ Chriſti Domini; ſed nulla *ibid.* fit mentio iudicij; ergo & ſimplex cognitio ſecretorum cordis eſt propria Dei.

22 Inſt. *Maſtr.* cont. hoc vltimũ. *D.Chriſoſt. hom. 23. in Matt. & D.Cirill. lib. 2. in Io. c. 19.* aſſerunt Chriſtum ſolitum fuiſſe corda *Iudæorum* aſpicere, & cogitationes examinare; ergo interpretantur locum *Hier.* de ſcientia iudiciaria.

Reſp; quòd ſcientia exãminatiua præcedit vtique iudicium; non tamen eſt formaliter iudicatiua; quia poteſt quis examinare abſque eo, quòd ferat iudicium; vt faciunt *Delegati* à Iudice ad capiendam informationem; ergo licèt locus *Hier.* exponatur de ſcientia examinatiua, non tamen ſequitur, quòd exponatur de ſcientia iudiciaria. 2. Tam ſcientia ſimplex ſecretorum cordis, quàm poteſtas iudicandi eſt propria Deo; vt dictum eſt; ergo licèt aliquando concludatur Chriſti Diuinitas ex poteſtate iudicandi; non tamen ſequitur; quòd non concludatur etiam ex ſimplici cognitione cordis.

23 Dices. *Beatiſſ.P. 12. ſup. Gen. ad lit.* docet, quòd Dæmones etiam nobis inuitis poſſunt cognoſcere noſtras cogitationes; ergo earum cognitio non eſt propria Deo.

Reſp. *Beatiſſ.P. ibid.* docere, quòd Dæmones ſolùm poſſunt ex indicijs externis cognoſcere cogitationes cordium; etiamſi nos nõ velimus; nõ tamen poſsũt cognoſcere cogitationes merè internas; aliter videntes nos reſtituros eorum tentationibus nos non tentarent; ne eos puderet à nobis ſuperari; hoc enim repugnat eorum ſuperbiæ; & exemplum affert *de Iob*; ait enim *ibid. c. 17. Certiſſimis tamen indicijs apud nos conſtitit enunciatas à Dæmonibus cogitationes hominum; qui tamen, ſi virtutum internam ſpeciem poſſent in hominibus cernere, non tentarent. Sicut illam in Iob nobilem, ac mirabilem patientiam procul dubio ſi poſſet Diabolus cernere, nollet à tentato vtique ſuperari.*

24 Prob. 2. ratione *Fund. Doct.* Si Angelus cognoſceret ſecreta cordis, maximè, quia quidditatiuè cognoſcit intellectum alterius; & ideo ſpeciem, & vſum ſpeciei, & entitatem cognitionis, & affectionis voluntatis, ac obiectum talis ſpeciei, cognitionis, & volitionis; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. ma. Si aliquid aliud eſſet aſſignabile, maximè determinatio voluntatis, qua refert illam entitatem volitionis in obiectũ per modum proſecutionis, vel per modum fugæ; aut qua refert entitatem cognitionis præcipiendo intellectui, vt cogitet de fuga, vel de proſecutione; ſic enim cogitationes intellectus habent eſſe ſecreta cordis imperatiuè, non elicitiuè; quia ſecreta cordis elicitiuè ſunt actus eliciti ab ipſa voluntate; nam cor *hic* accipitur pro voluntate, quæ ſedem habet in corde, tanquam in organo, in quo exercet ſuas operationes; ſicut intellectus in cerebro; ſed determinatio voluntatis nequit videri ab Angelo; quia determinatio non eſt aliqua entitas, quæ faciat mutationem in ipſo obiecto, ſed eſt quædã ordinatio, relatio, ſeu directio eiuſdem entitatis facta à voluntate, cuius imperio ſubeſt illa entitas; de ratione autem talis ordinationis eſt, quòd nullam faciat mutationem in entitate; ex eo enim, quòd Dominus ordinet ſeruum, vel ad aggrediendum inimicum, vel ad fugiendum; & nulla prorſus det indicia huius ordinationis, tunc videns talem ſeruum non videret talem ordinationem; quia nullam in illo videret mutationem; & ſic videret illum, ſicut antea videbat; & ſicut antea non videbat talem ordinationem; quia talis ordinatio non erat; ita poſtquam eſt ordinatus, talem ordinationem non videret; quia talis ordinatio in nullo ſigno exteriori apparet; non enim mutat ſubiectum ordinatum; quia nullum nouum eſſe ei tribuit; & ideo nulla in ipſo poteſt conſurgere noua cognoſcibilitas, quæ ſequitur ſolùm ad nouum eſ-

ſe;ergo nihil aliud poteſt adduci, qno videantur ab Angelo ſecreta cordis. Prob.mi. 1. Potentiæ rationales; vt habet *Phil.9.Met*; in hoc differunt à potentijs materialibus; quòd *illæ ſunt ad oppoſita, iſtæ autem ſunt determinatè ad vnum*;ergo & ſpecies, quæ debent conformari intellectui, qui eſt potẽtia rationalis;& entitas cognitionis, quæ debet conformari ſpeciei, debent eſſe ad oppoſita; & ſic dicendum de entitate volitionis, ſeu affectionis voluntatis; ſed illud, quod eſt ad oppoſita, nequit cognoſci, vt determinatum ad vnum;hæc enim pugnant inter ſe; ergo cognitio quiditatiua intellectus, ſpeciei cognitionis, & volitionis nequit eſſe medium cognoſcendi ſecreta cordis. 2. *Ex eod. Phil.lib.1.de An.3.c.85. Rectum eſt index ſui, & obliqui*;ergo intellectus, ſpecies, & cognitio non sũt determiuata ad repræſentãdum ſuum rectum,quod eſt affirmatio, magis,quàm ſuum obliquum,quod eſt negatio; & ſic affectio non eſt magis determinata ad repræſentandum ſuum rectum, quod eſt proſecutio obiecti,quàm obliquum,quod eſt fuga;aliter non eſſet index vtriuſque, ſed eſſet determinatè index vnius. Atqui quod non eſt determinatum ad vnum repræſentandum, nequit eſſe medinm cognoſcendi illud determinatè; ergo cognitio quiditatiua intellectus,ſpecici,vſus cognitionis, & affectionis voluntatis nequit eſſe medium cognoſcendi ſecreta cordis. 3. Sicut idem homo eadem via, & eodem equo, vel ijſdem pedibus poteſt accedere, vel recedere ab eodem termino,ita idem intellectus eadem ſpecie,quæ eſt id, quo tendit ad obiectum; & eadem entitate cognitiouis,quæ eſt tendentia ad obiectum, poteſt affirmatiuè accedere ad illud, & negatiuè recedere ab illo;& ſic dicendum de voluntate,& volitione; ſed videns aliquem hominem in medio viæ,videns equum, & viam nequit determinatè cognoſcere, an velit accedere, vel recedere ab aliquo termino determinato, v. g. ab Vrbe *Romæ*;dummodò non appareant ſigna, & indicia determinantia acceſſum,vel receſſum; ergo Angelus videns intellectum alterius, ſpeciem, & cognitionem nequit videre determinationem illius;& ideo nec ſecretum, quod conſiſtit in tali determinatione. 4. Intellectus, & ſpecies illius ſunt vniuerſales,& ideo indifferentes ad hoc,vel illud determinatè;& cognitio, quæ,cum illis debet commenſurari,eſt pariter indifferens ad hoc, vel illud repræſentatum per talem ſpeciem; imò cognitio vnius in particulari eſt indifferens ad affirmationem,vel negationem illius; ergo Angelus ſuperior videns intellectum Angeli inferioris vtentem ſpecie v. g. animalis volatilis videt vtique animal aquaticum, non tamen videt, an determinatè cogitet de Aquila, vel de vulture;& videns intellectum vtentem ſpecie Aquilæ non videt,an cogitet de hac,vel de illa; & vidẽs cogitantem de hac in particulari non videt; an cogitet affirmatiuè, vel negatiuè, quia indifferẽs nequit eſſe ratio determinata;hæc enim duo pugnant inter ſe.

25 Dices. 1. *Beatiſſ.P.12.ſup.Gen.ad lit.c.22.* ait,quòd ſicut nos poſſumus occultare noſtra corpora,ne videantur; ſic Angeli poſſunt abſcõdere ſuas cogitationes, ne videantur; ergo falsũ eſt,quòd entitas alienæ cognitionis videatur ab Angelo; & ideo hæc ratio non bene procedit. 2. Illa entitas cognitionis eſt determinata ad hoc obiectum in particulari,imò ad affirmationẽ v.g;ergo non eſt indifferens. 3. Species v. g. hominis eſt determinata ad repræſentandum hominem,non equum;ergo non eſt indeterminata. 4. Sequeretur nec ipſum Deum poſſe ſecreta cordis cognoſcere ob eandem rationem.

Reſp.ad 1. *Beatiſſ.Patrem* loqui de cogitatione formaliter ſumpta,quæ importat determinationem ad hoc obiectum in particulari; non autem de entitate materiali,quæ nequit abſcondi Angelis, vt *ſup.* dictum eſt; corpus enim ideo poteſt abſcondi ab alio corpore,quia oculus non penetrat corporalia;ſicut Angelus penetrat omnes entitates naturales. Ad 2. diſt.ant. Illa entitas eſt determinata à voluntate ordinante, conc; ab aliena voluntate non ordinante, neg; & ſic cognoſcitur ſolùm à propria voluntate ordinata, non ab aliena,quæ non ordinat;quia determinatio vnius voluntatis, licèt appareat voluntati ordinanti,quia ordinat ſciens,& volens; *nihil enim volitum, quin præcognitum*; attamen non apparet voluntati alienæ;quæ non ordinat,& ideo illam neſcit. Ad 3. diſt.ant. Species hominis eſt determinata reſpectu generis, quod determinat, conc;reſpectu indiuiduorum,quibus eſt communis,neg;nullum enim commune eſt determinatũ ad aliquod particulare;ſecus non eſſet commune;ſecreta autem cordis important determinationem in particulari; ideo nequeunt cognoſci per ſpeciem vniuerſalem. Ad 4. neg. ſeq; Deus enim eſt primum determinans; ſicut eſt primum cauſans; ſicut ergo volũtas creata cognoſcit ſua ſecreta; quia cognoſcit ſuas determinationes,& illas cauſat; ita Deus cognoſcit ſecreta voluntatis creatæ,quia determinat,& cauſat illius actiones elicitas,& imperatas.

26 Inſt. Quanuis paries albus ſit indifferens ad referri ad alium parietem album in particulari,vel alterum; attamen poſito alio pariete albo in proſpectu alicuius cognoſcentis, ſtatim cognoſcitur relatio ſimilitudinis ad illum parietẽ in particulari; ergo quanuis entitas cogitationis ſit indifferens ad ordinationem ad hoc indiuiduum in particulari; attamen poſito tali indiuiduo cognoſcitur illa ordinatio.

Reſp. neg. conſ; in tantùm enim cognoſcitur relatio ſimilitudinis parietis albi;in quantùm albedo parietis poſito alio albo eſt determinata ad illam relationem; at verò entitas cogitationis etiam poſito obiecto eſt indifferens; quia poteſt in illud referri affirmatiuè,vel negatiuè, per mo-

dum acceſſus, & receſſus; & ideo nequit determinatè cognoſci. Et ex hoc magis conf. ratio allata; nam ſi albedo parietis *A* eſſet indifferens ad tendendum affirmatiuè, vel negatiuè in parietem album *B*, tunc videns parietem *A* cognoſceret vtique referri ad parietem *B* neſciens tamen, an referretur affirmatiuè, vel negatiuè. Sic contingit in entitate cogitationis arcanæ; cuius ſecretum cōſiſtit in affirmatione, vel negatione; vt dictum eſt. Propterea ait *Fund. Doct.* hoc eſſe diſcrimen inter potentias rationales, quæ ſunt ad oppoſita; & materiales, quæ ſunt determinatè ad vnum tantùm.

27 Replic. Poſita cogitatione alicuius obiecti ſtatim cognoſcitur obiectum cogitatum ab illa cogitatione; quia obiectum, cùm ſit menſura cognitionis, eſt optimum medium ad illam cognoſcendam; ergo cognoſcitur cogitatio cordis.

Reſp. diſt. ant. Cognoſcitur obiectum quoad affirmationem, vel negationem determinatè ita, vt cognoſcatur, an per illam cogitationem attingatur affirmatiuè, vel negatiuè, neg; indeterminatè reſpectu affirmationis, & negationis, cōc. Sicut ergo cognoſcitur relatio ad obiectum indifferenter, vnde ſolet dici, quòd cognoſcitur *cogitatum*, idèſt res cogitata; non tamen cognoſcitur cogitatio; quia non cognoſcitur, an cogitetur affirmatiuè, vel negatiuè.

28 Prob. 3. alia ratione *eiuſd. Fund. Doct. vbiſ.* In tantùm Deus, & voluntas creata cognoſcunt proprias cogitationes voluntatis creatæ; in quantùm Deus eſt primum determinans, & primum mouens voluntatis creatæ; & ipſa voluntas creata eſt cauſa ſecundariò mouens eliciens illam cogitationem, & tam Deus, quàm voluntas creata agunt ſciendo; ſed Angelus non agit in voluntatem alienam; ergo nequit cognoſcere cogitationes alienas.

29 Conf. *ex eod. ibid.* In tantùm Deus cognoſcit arcana cordis creati; in quantùm ei illabitur; illapſus enim importat conſeruationem rei, cui illabitur; & cauſa conſeruans per intellectum cognoſcit id, quod conſeruat; ſed nullus Angelus poteſt illabi voluntati alterius, quia nequit illam, nec eius actus conſeruare, ſicut nequit cauſare; quia einſdem eſt cōſeruare, & cauſare; cùm conſeruatio ſit continuata cauſatio; ergo nullus Angelus poteſt cognoſcere aliena ſecreta.

30 Inſt. *Maſtr. art. 3. n. 251.* Quanuis vnus Angelus nō illabatur eſſentiæ, intellectui, & alijs potentijs, ac habitibus alterius Angeli; attamen cognoſcit hæc omnia; ergo non eſt neceſſarius illapſus ad cognitionem ſecretorum cordis, quæ ſunt magis externa ipſi Angelo, quàm eſſentia, potentiæ, & habitus alterius Angeli.

Reſp; quòd non bene percepit *Maſtr.* hanc rationem; arguitur enim ſic. Illud, quod determinatè cognoſcitur ab aliquo, vel eſt determinatū in ſe, & extrinſecè apparet, vt determinatum; vel intrinſecè determinatur à cognoſcente; ſed ſecreta cordis non ſunt extrinſecè determinata; vt eſſentia, potentiæ, & habitus alterius Angeli; nec intrinſecè determinantur ab altero Angelo; quia ſic deberet illabi, vt Deus; ergo non cognoſcuntur ab altero Angelo. Neg. igitur conſ, arguitur enim ab inſufficienti; nam non dicimus, quòd ad cognoſcendum quodlibet obiectum debeat fieri illapſus; ſed ſolùm, quòd ſecreta alieni cordis non poſſunt alio modo cognoſci; quàm vel cauſando illa, vel conſeruando; quod nequit fieri niſi per illapſum; qui, cùm ſoli Deo conueniat, arguit ſoli Deo ſecreta cordium eſſe nota.

31 Prob. 4. *ex eod.* Si Angelus poſſet cognoſcere ſecreta alieni cordis, poſſet comprehendere alienam voluntatem, quia comprehenſio eſt cognitio rei, & omnium modorū ipſius; ſed conſ. eſt falſum; vt diximus *to. 1. de Inuilib. q. 5. art. 1*; & colligitur *ex Beatiſſ. P. ſup. pſ. 41. vbiſ*; vbi ait, quòd *abyſſus*, idèſt voluntas creata, *abyſſum inuocat*; idèſt mētem Dei, à qua ſolùm valet comprehendi; ergo falſum eſt ant.

32 Ratio autem *Gonet, & aliorum Recentiū*; qua probant ſecreta cordis non cognoſci, quia Angelus non cognoſcit, niſi ea, quæ pertinent ad ordinem Vniuerſi; ſecreta autem cordis non ſunt huiuſmodi; quia ordo Vniuerſi coſiſtit in hoc, quòd cauſæ particulares moueātur per cauſas vniuerſales naturales ad ſuas actiones; volūtas autem, quæ eſt cauſa particularis, non mouetur à cauſis cœleſtibns, quæ ſunt cauſæ vniuerſales; & ideo actiones voluntatis non pertinent ad ordinem Vniuerſi. Hæc ratio, inquam, ommittitur; ſi enim ſecreta cordis non pertinerent ad ordinem Vniuerſi, eſſent inordinata; non enim datur niſi vnus ordo naturæ; ſicut datur vnus Auctor; tum quia verum eſt, quòd ordo Vniuerſi exigit cauſas particulares inferiores moueri à cauſis vniuerſalibus, voluntas autem non eſt inferior Cęlo, quia *Sapiens dominabitur aſtris*: tum quia voluntas non eſt cauſa particularis, cùm eius obiectum ſit vniuerſaliſſimum, cùm ſit bonum, quod conuertitur cum ente; tum quia non pertinent ad ordinem ſupernaturalem; ergo ſi non pertinerent ad ordinem naturalem, ad nullum ordinem pertinerent; vel dandus eſſet ordo tertius, quod nullus dixit. Tum quia nec voluntas, neque anima rationalis pertinerent ad ordinem Vniuerſi, quod nullus aſſereret.

33 Alia quoque ratio, qua vtitur *cum prædictis* etiam *noſt. Gibb.* n. 12; ſcilicet, quòd ſecreta cordium non eſſent ſub perfecto dominio voluntatis elicientis, ſi ab Angelo cognoſcerentur, quia poſſet voluntas cogi ad illa non elicienda; nam Angelus cognoſcens v. g. volitionem furandi poſſet metu mortis illam impedire; metus autem cauſat inuoluntariū; & ideo minuit dominium liberum volūtatis: Hæc inquam, ratio quoque dimittenda eſt, nam ex eo, quòd Deus cognoſcat ſecreta cordium, & poſſit incutere metum

tum magis,quàm creatura, nõ ſequitur,quòd ille actus non ſit ſub perfecto dominio voluntatis creatæ. Tum quia creatura non poteſt incutere metum, niſi circa actus externos, quia actus interni non ſubduntur legi humanæ, vnde nullus timet propter cogitationẽ furti,ſed ſolùm propter executionem externam, ob quam ſolùm incurritur ſupplicium per legem humanam ſtatutum. Tandem ſi valeret Angelum nõ cognoſcere ſecreta cordium,vt arguit *Gonet*, quia ſecreta cordium ſunt ſub perfecto dominio propriæ libertatis,valeret etiam eos non cognoſcere actus liberos manifeſtos, neque vſum ſpecierum, hæc enim ſunt quoq;ſub perfecto dominio volũtatis.

34 Obijc.1.*Maſtr*.Secreta alieni cordis sũt obiecta proportionata intellectui Angelico, quia ſunt ordinis naturalis,& pertinent ad ordinem Vniuerſi, ſicut alia entia naturalia; aliter Angelus non poſſet naturaliter cognoſcere propria ſecreta; quia ens ſupernaturale nequit naturaliter cognoſci; ergo poſſunt ab Angelo naturaliter cognoſci,qui naturaliter poteſt cognoſcere omnes entitates naturales,ad quas conſequitur intelligibilitas naturalis.

Conf.1.Secreta cordis cognoſcuntur ab Angelo illa eliciẽte; ergo & ab alio Angelo,quia quilibet Angelus poteſt intelligere omne illud, quod eſt intra ſphæram intelligibilitatis naturalis alterius Angeli; ſicut quod naturaliter videtur ab vno oculo,poteſt naturaliter videri à quolibet oculo.

Conf.2.Angelus naturaliter cognoſcit ſubſtantiam, & intellectum alterius Angeli; ergo & ſecreta illius; cognoſcens enim principium quiditatiuè poteſt etiam cognoſcere omnes effectus contentos in illo.

Tandem ſecreta alieni cordis non ſunt ordinis ſupernaturalis,& Diuini, neque requiritur lumen ſupernaturale,ſed ſufficit naturale; ergo poſſunt naturaliter cognoſci.

Reſp. diſt. ant. Sunt obiecta proportionata intellectui Angelico,& apparent illi,vt determinata,neg;& apparent illi,vt indeterminata,conc; ſicut actus liber futurus eſt obiectum proportionatum intellectui Angelico,qui eſt ordinis naturalis; & tamen non cognoſcitur ab Angelo, quia non apparet illi,vt determinatus;ſicut cognoſcitur à Deo,quia illi apparet,vt determinatus in voluntate Diuina;& eodem modo diſt.conſ;Angelus enim naturaliter ſolùm poteſt cognoſcere infallibiliter illud,quod eſt naturale,& determinatum; illud autem, quod eſt indeterminatum, non poteſt, niſi coniecturaliter ſpeculari. Et ſic ad omnes conf.

Ad 1.igitur neg.conſ; & ab prob. inſert.dicitur, quòd illud, quod cognoſcitur ab vno Angelo,cognoſcitur à quolibet Angelo,ſi appareat determinatũ cuilibet,ſicut apparet vni Angelo.

Ad 2.neg.conſ;& ad prob.diſt.Cognoſcuntur effectus quoad entitatem determinatam,cõc; quoad determinationem liberam, neg; aliter ſequeretur, quòd Angelus cognoſcens voluntatẽ creatam, cognoſceret omnes actus liberos futuros,qui continentur in ipſa.Ad illud,quod additur de oculo,dicitur diſparitatem eſſe, quia oculus eſt potentia materialis,& ideo eſt ad vnũ determinatus;at verò voluntas eſt ad oppoſita,cùm ſit potentia rationalis; & ideo entitas actionis voluntatis eſt indifferens,vt *ſup*.dictum eſt.

Ad 3.neg.conſ;non enim omne illud,quod eſt ordinis naturalis ſecundùm entitatem,cognoſcitur naturaliter ab Angelo infallibiliter; nam creaturæ poſſibiles,& futuræ ſunt naturales ſecũdùm entitatem,& tamen non cognoſcũtur; illud ergo ſolùm cognoſcitur,quod eſt determinatum in ordine naturæ;& ideo cognoſcitur ſubſtantia, & potentiæ Angeli, non autem illorum ſecreta.

35 Obijc.2. Vel illa determinatio importat actum diſtinctum ab ipſa entitate; vel modum actus? Si primum; ergo nequit eſſe Angelo occulta; quia nulla entitas actus eſt occulta: Si ſecundũ;ergo pariter nequit eſſe occulta; eſt enim eadem ratio de modo,& de entitate;quia vtrunque eſt cognoſcibile naturaliter; cùm vtrunque ſit ens naturale.

Reſp. importare formalitatem actus ſecreti,quæ conſtituitur per talem relationem.Ad improb. dicitur modum non eſſe cognoſcibilem; quia non demonſtratur per illam entitatem,quæ eſt indifferens ad talem modum, & oppoſitum illius.

36 Obijc.3.Angelus naturaliter cognoſcit, quidquid eſt determinatum à parte rei; ſed ſecreta cordis,quando actu ſunt, determinata ſunt à parte rei;ergo illa cognoſcit. Ma.patet;in tantùm enim non cognoſcit futura; quia actu non ſunt determinata à parte rei.

Reſp.diſt.ma. Quidquid eſt determinatum à parte rei,& apparet, vt determinatum,conc;& in hoc ſenſu neg.mi;nam licèt ſecreta cordis ſint à parte rei determinata; attamen non apparent, vt talia;quia non poſſunt apparere,niſi prout repræſentantur ab entitate actus, qua tenditur ad aliquod obiectum; & quæ ſubſternitur determinationi ad affirmationem, vel negationẽ, ex qua conſurgit ſecretum;illa enim entitas,prout relata ad obiectum, eſt rectum; & determinatio ad tẽdendum affirmatiuè,vel negatiuè eſt obliquũ; cùm ſit modus entitatis tendentis;*rectum* autem *eſt index ſui,& obliqui*; & ideo obliquum, ſicuti non cognoſcitur niſi per rectum;ita per illud ſolùm repræſentatur. Cùm igitur illa entitas tendentiæ de ſe ſit indifferens ad talem determinationem affirmatiuam, & oppoſitam; ideo nequit illam determinatè repræſentare. Sicuti ſi corpus, prout ſtat ſub ſeſſione,eſſet indifferens ad repræſentandam ſeſſionem affirmatiuè, & negatiuè, neutram determinatè repræſentaret. Quidquid eſt determinatum,& non apparet, nec repræſentatur, vt tale, neg; & in hoc ſenſu conc. mi; & neg.conſ.

Inſt.

37 Inſt.Iſta affirmatio, & negatio vel fit per actus diſtinctos,& expreſſos;vel per relationem, & ordinem ipſius actus ad obiectum? Si primū; ergo affirmatio,& negatio poteſt ab Angelo cognoſci, à quo poteſt cognoſci omnis entitas actualis.Si ſecundum;ergo idem ſequitur; quia cognito fundamento relationis, quod eſt entitas actus,cognoſcitur relatio,& ordo ipſius;ſicut cognita actione generatiua actuali cognoſcitur paternitas.

Conf. Relatio actus volūtatis ad obiectum conſurgit ex aliquo motu ipſius voluntatis;ſicut paternitas conſurgit ex motu generationis; ſed Angelus cognoſcit motum voluntatis; ergo cognoſcit relationem ad tale obiectum;& per conſequens determinationem. Tum quia voluntas tendens affirmatiuè in aliquod obiectum,ſi tranſeat ad tendendum negatiuè,phyſicè immutatur; ſed Angelus cognoſcit omnes mutationes,& diuerſitates factas in obiectis;vt docet *Fund.Doct*; ratio nanque ipſius, quare Angelus non cognoſcat ſecreta,eſt; quia nulla apparet diuerſitas in obiecto; vt *ſup.*dictum eſt; ergo Angelus cognoſcit determinationem voluntatis.

Reſp.affirmationem,& negationem neque fieri per actus diſtinctos;neque per relationem ad obiectum; ſed per determinationem ipſius actus relati ad affirmationem, vel negationem; Angelus enim videns v.g. hominem cogitantem de inimico videt vtique entitatem illius cognitionis,& videt illam cognitionem referri ad inimicum;non tamen videt, an illa cognitio referatur affirmatiuè ſcilicet intendendo proſecutionē illius,vel negatiuè intendendo fugam.Per determinationem autem voluntatis illa cognitio fit affirmatio,vel negatio;quæ determinatio eſt Angelo occulta; quia non apparet in ipſa cognitione relata ad inimicum;cùm talis cognitio etiam, vt relata, ſit indifferens ad talem determinationem;& ideo nequit illam determinatè repræſentare. Diſparitas autem de relatione paternitatis iam aſſignata eſt;actio enim generatiua eſt determinata ad paternitatem, & paternitas eſt de ſe determinata ad affirmationem filiationis; & ideo cognita actinne generatiua cognoſcitur paternitas,& filiatio. At verò licèt cognitio talis obiecti ſit determinata ad tale obiectum; adhuc tamen eſt indifferens ad affirmationem,vel negationem illius; neque implicat idem ſecundùm diuerſas rationes eſſe determinatum,& indifferens; ſicut animal per rationalitatem eſt determinatum ad naturam humanam;eſt tamen indifferens ad hoc, vel illud indiniduum.

Ad conf. diſt. ma. Relatio actus ad obiectū conſurgit ex aliquo motu præſcindendo ab affirmatione,vel negatione,conc;& in hoc ſenſu cōc. mi;Angelus enim cognoſcit omnem entitatem actus, & ideo cognoſcit omnem motum; quia actus,cùm ſit tendentia,eſt motus. Conſurgit ex aliquo motu, qui eſt de ſe determinatus ad affirmationem,vel negationem,neg; nam poſtquam voluntas determinauit intellectum ad cogitandū de inimico, adhuc ille actus cogitationis eſt indifferens adhoc,vt referatur affirmatiuè, vel negatiuè.Ad aliud diſt.ma. Volūtas realiter immutatur modaliter,cōc;& in hoc ſenſu neg.mi; Angelus enim non cognoſcit omnes modos cuiuſcunque rei exiſtentis;aliter omnem rem exiſtentem comprehenderet; quia comprehenſio eſt *cognitio rei omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt*. Voluntas realiter immutatur entitatiuè per acquiſitionem nouæ entitatis, quam priùs non habebat,neg;& in hoc ſenſu conc.mi;ſed neg.conſ; quia ex eo, quòd cogitatio exiſtens in intellectu determinetur ad affirmationem,vel negationem, non acquirit intellectus aliquam nouam entitatem, ſed ſolùm modum latentem, qui non demonſtratur ab ipſa entitate cogitationis; vt *ſup.* dictum eſt.

38 Obijc.4.Angeli dati ſunt ad noſtram cuſtodiam; ergo debent cognoſcere cogitationes cordis;nam cuſtodia Angelorum conſiſtit in promouere bona,& illa Deo prĉſentare;& cauere, ac remouere mala; Angeli enim bonum promouendo, & malum remouendo cuſtodiunt; vt *inf*; ſed non poſſent promouere bonas cogitationes, illas fouere,& remonere malas,quæ ſunt initium omnium operum malorum; ergo vident cogitationes cordis.

Reſp.neg.cōſ.Ad prob.inſert.dicitur Angelos cuſtodes promouere bona,& remouere mala,ſēper bonū inſpirando vel generaliter,vel etiā ſpecialiter; & ſemper malum dehortando; non eſt tamen neceſſe, quòd cogitationes ſecretas cognoſcant,quæ ſoli Deo innoteſcūt; ſufficit enim, quòd cognoſcant opera bona patentia,quæ prĉſentant Deo;& mala externa remoueant, in quæ Diabolus inclinat;dicuntur enim cuſtodes;quia ab inſidijs Diaboli nos ſeruant, ab eius inſidijs liberant;& ad bonum conſulunt.

39 Obijc. 5. In tantùm Deus cognoſcit ſecreta cordium; in quantùm mouet noſtram voluntatem, vt dictum eſt; ſed Angeli mouent voluntatem humanam, quia mouent animam; dicitur enim de anima *Lazari*; quòd portaretur ab Angelis in ſinum *Abrahæ*; ergo cognoſcunt ſecreta cordis.

Conf.Ex eo,quòd ſolus Deus moueat omnes creaturas,non ſequitur,quòd ſolus Deus cognoſcat creaturas; ſicut ex eo, quòd Angeli moueant Cœlos, non ſequitur ſolos Angelos cognoſcere Cœlos;ergo hæc ratio non probat.

Reſp.diſt.ma.In quantùm mouet noſtram voluntatem intrinſecè determinando, & cauſando, & conſeruando, conc; ſed in hoc ſenſu neg. mi;Angeli enim non mouent niſi localiter; vt de anima *Lazari*;vel merè extrinſecè alliciendo,inclinando &c.In quantùm mouet extrinſecè,neg; & in hoc ſenſu conc.mi;& neg.conſ.

Ad conf.neg.conſ; Cœli enim, & omnia,

quæ

quæ ſunt determinata à parte rei, cognoſcuntur determinatè ab omnibus;at verò ea,quæ ſunt indeterminata à parte rei, & eorum determinatio non apparet, non cognoſcuntur niſi à determinante; & ideo ſecreta cordis cognoſcuntur ſolũ à Deo,qui eſt primum determinans; & à propria voluntate,quæ eſt ſecundarium determinans.

40 Obijc. 6. Angelus habet infuſas ſpecies repræſentatiuas ſecretorum cordis; non enim ſunt acquiſitæ;ergo illa cognoſcunt. 2. Angeli ſuperiores illuminant inferiores; ergo intrinſecè agunt in intellectum,& voluntatem alienam.

Reſp.diſt.ant.Habent ſpecies repræſentatiuas remotè,& in actu primo,conc; illæ enim ſpecies actu non repręſentant,niſi proponatur obiectum determinatum,& apparens;proximè,& in actu ſecundo,neg. Ad 2.dicitur Angelos illuminare mouendo ſpecies,vel proponendo obiecta; non autem intrinſecè cauſando, & determinando. *Sed de hoc inf.*

ART. X.

An Angelus naturaliter cognoſcat myſteria gratiæ?

1 HAec difficultas ſatis agitata eſt *to.1. de Inuiſib.Dei q.1.art.2;& to.2.de Trin. q.1. art.1*; vbi oſtendimus nullam rem ſupernaturalem poſſe naturaliter cognoſci ob improportionem,quam habet cum intellectu.Et in eod.*to.1.ibid.art.4.*§.1; vbi oſtendimus;quòd ſupernaturalitas non dicitur ſolùm per ordinem ad agens extrinſecum,quod agit ſupra omne debitum virtutis creatæ;vel ſupra eius exigentiam, vel contra ordinem naturæ,vt contendit *Maſtr. ex Scot*; nam ſi Deus produceret alium Mũdum; ille Mundus eſſet ſupra omne debitum virtutis creatæ; quia nulli virtuti creatæ debetur productio alterius Mundi; nec de facto datur exigentia productionis alterius Mundi; aliter hic Mundus eſſet imperfectus;deficeret enim ei aliquid naturaliter exigitum.Nec per hoc,quòd ille Mundus exigeret produci à ſolo Deo,diceretur naturalis; nam etiam gratia ſanctificans, & cetera dona ſupernaturalia exigunt à ſolo Deo produci; & tamen à nullo dicuntur naturalia.Falſum ergo eſt; quòd res creata dicatur tantùm ſupernaturalis extrinſecè; & quòd ſit naturalis ſecundùm entitatem intrinſecam;& ideo quòd illa entitas poſſit naturaliter videri.Quanuis autem hoc ſufficeret ad expediendam hanc difficultatem,attamen quia *Maſtr. hìc* plura congetit; ideo ſunt diſcutienda.

2 Prima ſententia vult myſteria gratiæ poſſe ab Angelo naturaliter cognoſci. *Ita Scot.in 4. diſt.10.q.8; & Quodl.* 14. GG; quem ſequuntur *Vulp.diſp.11.art.vlt;Rad.2.p.controu.8;Aretin.in 4.diſt.10.q.8;Angles diſp.3.q.4.diff.2;Fab;Maſtr. hic diſp.2.q.10;& alij Scotiſtæ*; inter quos tamen eſt lis circa mentem *Scoti*.

3 Secunda ſententia docet Angelum naturaliter non poſſe myſteria gratiæ cognoſcere.*Ita Fund.Doct.de Sacram.Altar.prop.19*; & ſæpe *alibi*.Idem fatetur *tota noſtra Schola; omnes Thomiſtæ,& Neoterici communiter*.

4 Not;quòd diuiſio entis ſupernaturalis aliter explicatur à nobis,& aliter à Scotiſtis.

5 *Maſtrius*,vt *ſup*.dictum eſt,vult illud dici ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam,cuius entitas à ſolo Deo petit produci ſupra omne debitũ, & exigentiam naturæ;illud autem ſupernaturale ſecundùm modum, cuius entitas poteſt quidem produci ab agente creato; modus tamen illam producendi nequit ei conuenire;vt viſionis entitas poteſt quidem produci ab agente creato;poſt priuationem tamen nequit produci niſi à Deo; ideo viſio poſt cæcitatem eſt ſupernaturalis modaliter.Vnde concludit *ibid.n.314*;quòd naturale, & ſupernaturale non diuidunt aliquam naturam in ſe;ſed tantùm relationem ad agens.

6 Sed hæc explicatio inconueniens eſt; vt *ſup*.dictum eſt.2.Per gratiam,quæ eſt ſupernaturalis ſecundùm entitatem, *efficimur conſortes Diuinæ naturæ*, vt habetur 2. *Pet. c.* 1; ſed conſortium Diuinæ naturæ nequit haberi ex eo, quòd res à ſolo Deo petat creari; quia natura Diuina à Deo non creatur;& aliunde ſi gratia ſecundùm entitatem eſſet ordinis naturalis, iam per gratiã non efficeremur conſortes Diuinæ naturæ; ſed maneremus cõſortes naturæ creatæ; ergo ſupernaturalitas ſecundùm ſubſtantiam importat entitatem ordinis Diuini. 3. Viſio beata eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtãtiam;vt fatetur *Maſtr*; & tamen non producitur à ſolo Deo;producitur enim etiam à nobis,cùm ſit actus vitalis;& ſic dicendum de actu charitatis,ſpei,& Fidei;ergo falſum eſt; quòd illud ſit ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam,quod producitur à ſolo Deo. 4.Supernaturalitas ſecundùm ſubſtantiam, vt verba ſonant,importat entitatem *ſuper naturam*;ex eo autem, quòd res petat produci à ſolo Deo, illa entitas non eſt ſupra ordinem naturæ, ſed ſolùm eius productio eſt ſupra ordinem naturæ; ergo ſupernaturalitas ſecundùm ſubſtantiam nequit explicari niſi diſſonanter per ordinem ad agens extrinſecum. 5. Supernaturalitas ſecundùm ſubſtantiam vel dicit ordinem ad Deum agentem intra ordinem naturæ, quanuis non ſecundùm debitum,& exigentiam ipſius naturę;vel ad Deũ agentem ſupra ordinem naturæ (nam id, quod fit contra ordinem naturæ,dicitur violentum; & & quod fit præter ordinem, dicitur caſuale, & fortuitum;non autem ſupernaturale) Si primũ; ergo illa entitas producta eſt naturalis, non ſupernaturalis;nomine enim rei naturalis ſignificatur entitas producta intra ordinem naturæ; ſicut nomine rei intellectualis ſignificatur entitas producta intra ordinem intellectualẽ; quanuis enim produceretur à Deo ſubſtantia intra ordinem intellectualem omnino independens, & inexigita à tali ordine;attamen ex eo,quòd produceretur intra talem ordinem, eſſet intellectualis; non

ſu-

ſuperintellectualis;ita à pari. Si ſecundum; ergo illa entitas non eſt intra ordinem naturæ; & ſic non eſt intrinſecè naturalis. 6. Supernaturalitas ſecundùm ordinem ad agens extrinſecum eſt ſupernaturalitas ſecundùm modum; ordo enim eſt modus rei; ergo ſupernaturalitas ſecundùm ſubſtantiam non eſt ſecundùm ordinem ad agens extrinſecum, ſed ſecundùm entitatem, quæ ſubſternitur tali ordini. 7.Si illa entitas eſſet intrinſecè naturalis, exigeretur, & eſſet debita ordini naturali;eſſet enim perfectio accidentalis debita rei naturali; quia omnis perfectio intrinſecè naturalis debetur ſuo perfectibili, quod eſt ens naturale; ſicut omnis perfectio intrinſecè ſupernaturalis debetur enti ſupernaturali, qui eſt Deus; nec ex eo, quòd talis perfectio nõ poſſet produci niſi à Deo,ſequeretur, quòd non eſſet naturaliter debita; vt patet de anima rationali; & ita ſi lumen gloriæ v. g. eſſet entitas intrinſecè naturalis, quamuis à Deo ſolo petat produci;attamen eſſet naturaliter debitũ intellectui creato; quia eſſet perfectio naturalis entitatiuè intrinſecè; ſicut anima rationalis naturaliter debetur homini;quia eſt perfectio naturalis ſubſtãtialis ipſius; quamuis à ſolo Deo producatur; ergo propter hoc non eſſet ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam. 8.Materia à ſolo Deo petit produci; & tamen non eſt ſupernaturalis;quia debetur rei naturali tanquam perfectibile intrinſecè ſpectans ſecundùm entitatem ad ordinem naturę;ideoque non eſt ſupernaturalis, ſed infimum, & imperfectius in ordine naturæ; ergo illa perfectio accidentalis eſſet naturaliter debita, quamuis à ſolo Deo peteret produci;eſſet enim perfectio entitatiuè intrinſecè naturalis. Tandẽ ſi lumen gloriæ eſſet entitas intrinſecè naturalis, quamuis indebita creaturæ,& improducibilis ab ipſa, valeret, quòd creatura per virtutem intrinſecè naturalẽ, licèt illi indebitam,& improducibilem ab ipſa, poſſet videre Deum;ſed hoc non congruit Fidei; ergo lumen gloriæ non eſt entitas intrinſecè naturalis, & ſic de alijs. Igitur dimiſſa hac explicatione.

7 Congruentiùs dicimus cum maiori parte *Theologorum*, quòd ſupernaturale ſecũdùm ſubſtantiam eſt illud, quod importat aliquam entitatem altioris ordinis,quàm ſit ordo naturæ; *hic* enim ſumitur *ſubſtantia*, prout idem eſt, ac quiditas,ſeu entitas;ſicut ens intellectuale importat entitatem altioris ordinis,quàm ſit ordo rerum corporalium. Et hoc diuiditur in ſupernaturale increatum, ſeu per eſſentiam; vt myſterium Trinitatis;& omnia alia, quæ ſunt in Deo; & in ſupernaturale creatum,ſeu per participationem; & ſic importat entitatem accidentalem creatam eleuantem creaturam intellectualem ad ordinẽ Dei;conſtituit enim ipſam filiam, amicam &c; filius autem,amicus &c.ſunt eiuſdem ordinis cum Patre,amico &c. Supernaturale ſecundùm modũ eſt illud,quod ſecundùm entitatem eſt naturale; modus autem, quo fit, excedit vires agentis naturalis;vt viſio reſtituta cæco,reſurrectio mortui; exiſtentia corporis Chriſti in hoſtia. *Vid. to.1.q.3.Proem.art.9.n.5.His not.*

8 Vnica cõcl. Angelus nequit naturaliter cognoſcere myſteria gratiæ ſupernaturalia quoad ſubſtantiam; & in ſupernaturalibus verò quoad modum poteſt cognoſcere entitatem naturalem, non verò modum ſupernaturalem.

Prob. 1. auctoritatibus allatis *locis ſup. cit;* ex quibus ſic arguitur. Nulla creatura poteſt naturaliter Deum videre,vt docent *Fides, Conc; & SS.PP,*ergo nulla creatura,& ideo nullus Angelus poteſt cognoſcere myſteria ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, vel modum ſupernaturalem; in tantùm enim Deus nequit naturaliter videri à creatura; in quantùm eſt ſupra omnem virtutẽ naturalem creaturæ,hoc nanque ſignificat *ſupernaturalitas;* aliter ſi eſſet intra ſphæram naturalẽ obiecti virtutis creatæ, nulla eſſet ratio, cur non poſſet videri; ſed myſteria gratiæ ſunt ſupra omnem virtutem naturalem creaturæ;aliter non eſſent ſupernaturalia; ſi enim eſſent ſolùm ſupra virtutem productiuam propriam creaturæ, quatenus ab ipſa nequeunt produci, non autem ſupra virtutem naturalem cognoſcitiuam; iam non eſſent ſupernaturalia ſimpliciter; ſicut diximus de materia; quæ, quia eſt ſupra virtutem productiuam creaturæ;propterea non dicitur ſupernaturalis;& de Angelo, qui licèt ſit ſupra virtutem productiuam creaturę;& ſupra cognitionem ſenſitiuam, cùm à nullo ſenſu valeat cognoſci; attamen quia non eſt ſupra omnem virtutem naturalem creaturæ; non enim eſt ſupra virtutem intellectualem cognoſcitiuam; ideo non eſt ſupernaturalis; ergo myſteria gratiæ nequeunt naturaliter cognoſci ab Angelo.

9 Conf. In tantùm poteſt Angelus naturaliter cognoſcere aliquod myſterium gratiæ; in quantùm entitas illius myſterij eſt intrinſecè naturalis;ſed conſequens eſt falſum,vt *ſup.* demonſtratum eſt,ergo & ant.

10 Prob.2.Si Angelus poſſet naturaliter cognoſcere myſteria gratiæ, poſſet illa naturaliter appetere,deſiderare,petere,& quærere, ſed hoc eſt falſum; ergo & id, vnde ſequitur. Prob. ma. Non minoris virtutis, & efficaciæ eſt voluntas circa bonum cognitum, ac ſibi præſentatum ab intellectu; quàm ſit intellectus circa bonum ſibi præſens in eſſe intelligibili,ſunt nanque duæ potentiæ æquè latè patentes, æquè ſpirituales &c; ſed intellectus Angeli poſſet naturaliter cognoſcere myſteria gratiæ;ergo voluntas ipſius poſſet illa naturaliter appetere, deſiderare, petere, & quærere.Prob.mi. *In Conc.II. Araux.* damnatus eſt *Semipelagianiſmus* aſſerens, quòd licèt gratia ſit ex Deo;attamen poſſumus naturaliter illam petere,quærere,deſiderare,velle &c;ſi enim poſſemus naturaliter appetere, & quærere myſteria Fidei, initium noſtræ iuſtificationis eſſet in nobis,

bis, & ſic non eſſet opus gratiæ, & miſericordiæ Dei; ergo falſum eſt nos poſſe naturaliter appetere myſteria gratiæ.

11 Conf. 1. *ex Apoſt. ad Coloſſ. 4. Orationi inſtate, & vigilantes in illa in gratiarum actione, orantes ſimul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium verbi ſui.* Quibus verbis ait *Beatiſſ. P. de Præd. SS. c. 20.* docemur orationem eſſe donum Dei ſupernaturale; quia de ipſa gratias Deo debemus reddere; & gratiatū actio eſt de beneficio à Deo accepto; quod beneficium innititur *ab Apoſt.*; ſcilicet quòd aperuerit nobis *oſtium verbi ſui*; nempe quòd aperuerit mentem ad cognoſcenda myſteria Fidei, cognitio enim myſteriorū Fidei eſt initium ad credendum; cùm *nil volitū, quin præcognitum*; ergo cognitio myſteriorum gratię nequit eſſe naturalis, cùm & ipſa pertineat ad gratiam.

12 Conf. 2. Si poſſemus naturaliter cognoſcere myſteria gratiæ, poſſemus naturaliter illa cogitare; cogitatio enim nihil aliud dicit ſupra cognitionem, quàm permanentiam in illa; ſed hoc eſt *contra Apoſt. 2. Cor. 3.* docentem: *Nō quia idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; ſuper quod *Beatiſſ. P. vbi ſ. c. 2.* ait: *Quocirca ſicut nemo ſibi ſufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcunq; opus bonum*, patet autem, quòd cognitio myſteriorum gratiæ eſt opus bonum, & eſt initium Fidei, quia credere ſupponit cognoſcere; ergo Angelus nequit naturaliter cognoſcere myſteria Fidei. *Vid. idem Sanctiſſ. P. de Præd. SS. & de Dono Perſeu*; iſti enim libri contra *Semipelagianos* editi ſunt; qui ſubſtinebant naturaliter poſſe cognoſci, peti, & quæri à Deo Fidem; quod improbat *Beatiſſ. P.*

13 Conf. 3. Si creatura poſſet naturaliter cognoſcere myſteria gratiæ, daretur in creatura appetitus naturalis nedum innatus, ſed etiam elicitus ad viſionem beatam; appetitus enim elicitus eſt ille, qui ſupponit cognitionem naturalem rei volitæ; ſed hoc ſecundum non admittitur; vt diximus *to. 1. de Inuiſib. Dei q. 1. art. 5*; ergo nulla creatura poteſt naturaliter cognoſcere myſteria gratiæ.

14 Prob. 3. *ad hominem. Obiectum naturaliter attingibile*; vt docet *Maſtr. vbi ſ. n. 316. §. Non ergo ex Scot. Quodl. 14. GG; intellectus Angelici, vel humani eſt ens limitatum ad ſe, vel ad alterum limitatum; ens verò, quod eſt ad alterum illimitatum, non eſt naturaliter intelligibile*; ſed viſio beata eſt ad Deum, qui eſt eſſentialiter illimitatus; ergo viſio beata non eſt naturaliter attingibilis ab intellectu Angelico, vel humano.

15 Dices viſionem beatam terminari ad Deum modo limitato attingibilem; & ideo poſſe naturaliter cognoſci.

Sed contra eſt; nam etiam humanitas Chriſti terminatur à Verbo modo limitato; & prædeſtinatio paſſiua creaturæ terminatur ad Deum, vt prædeſtinantem modo limitato; & tamen neutra poteſt naturaliter cognoſci; ergo à pari.

16 Prob. 4. Inter potentiam, & obiectum debet dari proportio; & ſi poteſt eſſe aliqua improportio, hæc debet eſſe cum exceſſu potentię, & cum defectu obiecti; quia potentia ſe habet, vt cauſa agens circa obiectum; cauſa autem, vel debet proportionari cum effectu; vt patet de cauſa vniuoca; vel debet excedere effectum; vt cauſa æquiuoca; nulla tamen cauſa principalis poteſt eſſe ignobilior ſuo effectu; ſed intellectus naturalis Angeli nō proportionatur cum obiecto ſupernaturali; quia proportio eſt rerum eiuſdem ordinis; ſecus etiam Deus poſſet videri; ergo intellectus Angeli nequit naturaliter cognoſcere obiecta ſupernaturalia; quamuis aliquis intellectus altior, nempe Dei poſſit cognoſcere res naturales; ſicut quamuis intellectus, qui eſt nobilior ſenſu, poſſit cognoſcere corporalia; attamen ſenſus, qui eſt inferior, nequit cognoſcere naturaliter ſpiritualia; per quod euertitur reſponſio *Scoti apud Maſtr. n. 328.* dicentis; quòd ſicut non valet: *Hoc eſt ens naturale; ergo nequit cognoſci niſi naturaliter*; nam ens naturale cognoſcitur ab intellectu Dei, qui eſt ſupernaturalis; ita non valet: *Hoc eſt ens ſupernaturale; ergo nequit cognoſci niſi ſupernaturaliter.* Ratio autem, quare à potentia ſuperiori poſſit attingi obiectum inferius improportionatum, eſt; quia proportio non debet dari niſi inter obiectum primarium, non autem inter obiectum ſecundarium; quia obiectum primariū ſpecificat potentiam; non autem ſecundarium, & ideo primarium debet eſſe eiuſdem ſpeciei, ac per conſequēs proportionatum; proportio enim, vt diximus *to. 2. De Ineffab. Dei art. 4. n. 7*; eſt inter ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Quod nequit verificari de obiecto ſecundario; quod quia non ſpecificat potētiam, ideo nequit eſſe eiuſdem ſpeciei, nec proportionatum cum illa. Obiectum autem ſupernaturale nequit eſſe ſecundarium, quia eſt principalius, quàm naturale; & ideo naturaliter nequit attingi.

17 Inſt. *Maſtr.* Myſteria gratiæ eſſe ſupernaturalia tātùm extrinſecè per ordinem ad obiectum ſupernaturale; intrinſecè tamen eſſe naturalia; & ideo entitates illorum poſſe naturaliter cognoſci.

18 Sed contra eſt. 1; quia falſum eſt, vt *ſup.* diximus, non eſſe intrinſecè ſupernaturalia. 2. Vel Angelus cognoſcit ordinem ad obiectum ſupernaturale; vel illam ſolam entitatem ſine ordine? Non primum; quia ille ordo eſt ſupernaturalis; & ideo improportionatus potentiæ naturali; quę propterea nequit illum agnoſcere. Si ſecundum; ergo non cognoſcit formaliter myſterium gratiæ; quod formaliter conſtituitur per illum ordinem, à quo ſolùm habetur ſupernaturalitas, per quam conſtituitur myſterium; id enim, quod eſt naturale, myſterium gratiæ nō eſt, & per conſequens cognoſcit ſolam entitatem, quæ poteſt

eſſe fundamentum myſterij, abſque tamen ordine, quo formaliter conſtituitur; & ſic euaditur quæſtio. *Vid.* alias rationes allatas *vbiſ.*

19 Obijc. 1. *Maſtr.* Angelus habens actum ſupernaturalem experitur naturaliter ſe habere illum actum; quia & nos ipſi naturaliter experimur nos habere actus Fidei, Spei, & Charitatis; ergo naturaliter cognoſcit actus ſupernaturales. 2. Si idem corpus poneretur in duobus locis circunſcriptiuè, talis ſimultas naturaliter cognoſceretur ab Angelo; imo & à nobis; cognoſceremus enim *Petrum* eſſe *hic*, & *illic*; ſed talis ſimultas eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam; ergo naturaliter poteſt cognoſci entitas ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. 3. Anima Chriſti Domini naturaliter cognoſcit ſe eſſe in hoſtia, & modũ, quo in illa exiſtit, quia modus eſſendi in Eucharistia intentionaliter includitur in cognitione, qua cognoſcit ſe eſſe in hoſtia; & per conſeques cognoſcit, quòd totum ſuum corpus eſt totum in qualibet parte hoſtiæ; ergo naturaliter poteſt cognoſci aliquod ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam; nam modus exiſtendi animæ Chriſti in hoſtia eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam.

Reſp. ad 1. neg. ant; nos enim non cognoſcimus naturaliter actus ſupernaturales exiſtentes in nobis, ſed ſolùm per lumen Fidei, quod eſt ſupernaturale, Neque eſt nouum, quòd aliquid ſit in nobis, & nõ cognoſcatur à nobis; gratia enim, quæ erat in *SS. PP.* non cognoſcebatur ab illis, nec etiam per lumen Fidei; & ideo repetebant cum *Beatiſſ. P. Neſcio, an amore, vel odio dignus ſim.* Ad 2. neg. mi; ſimultas enim importat duplicem exiſtentiam in loco, quæ fieret per duplicẽ quantitatem, vel per vnam repetitam à Deo, per quam idem corpus exiſteret in duplici loco; modus autem, quo idem corpus reciperet duplicẽ quantitatem, eſſet ſupernaturalis, & ignotus Angelo, & nobis; vnde illa ſimultas non eſſet ſupernaturalis ſecundùm entitatem quantitatis, quia entitas quantitatis molis eſt ordinis naturæ, vt patet. Præterea hoc fundatur in impoſſibili apud nos, & ideo nullam vim habet. Ad 3. dicitur, quòd anima Chriſti Domini cognoſcit ſe eſſe totam in toto corpore, & in qualibet parte corporis; pariter cognoſcit ſuum corpus eſſe totum in tota hoſtia, & in qualibet parte hoſtiæ; modũ autem, quo eſt in hoſtia, non cognoſcit per lumen naturale, ſed per ſupernaturale; vnde diſtinguenda eſt exiſtentia in loco, quæ eſt naturalis, à modo ipſius exiſtentiæ, qui eſt ſupernaturalis, vt *ſup.* dictum eſt de duplici exiſtentia.

20 Obijc. 2. Angelus videt modum, quo quantitas in Sacramento Altaris exiſtit ſine ſubiecto; ergo naturaliter videt ens ſupernaturale. Prob. ant. Vel ille modus importat ſolam priuationem inhærentiæ in ſubiecto, & ſic cognoſcitur ab Angelo, qui poteſt cognoſcere formam, & priuationem illi oppoſitam. Vel vltra priuationem dicit modum exiſtendi in ſe, & per ſe ſine ſubiecto, & hoc pariter cognoſcitur; videt enim ibi non eſſe ſubſtantiam panis.

Reſp. eodem modo; omnia enim hæc argumenta æquiuocant de exiſtentia ipſius modi, & de conuenientia modi rei modificatæ. Dicitur ergo, quòd modus, quem habet quantitas in Sacramẽto Altaris, eſt modus eſſendi in ſe, & per ſe, qui eſt naturalis ſubſtantiæ, & ideo naturaliter videtur; quomodò autem conueniat accidenti, cui naturaliter competit eſſe in alio, eſt ſupernaturale, quia eſt ſupra naturam accidentis, & hoc non videtur ab Angelo.

21 Obijc. 3. *idem.* Viſio beata eſt accidens de prædicamento qualitatis, quod præſcindendo à reſpectu, quem dicit ad obiectum beatificũ, non magis excedit intellectum Angeli, quàm ipſum excedat eſſentia Angeli, vel anima; ſed Angelus naturaliter cognoſcit eſſentiam alterius, & animam hominis; ergo & viſionem beatificam.

Reſp. hoc ſatis ſuperiùs fuiſſe ſolutum; poteſt enim retorqueri dicendo viſionem beatificã dicere ordinem ad obiectum illimitatum, & ideo non poſſe naturaliter videri; præciſo autem tali ordine non eſſe ampliùs viſionem beatificam, ſed cadauer ipſius. Præterea neg. ma; nam licèt viſio beatifica ſit de prædicamẽto qualitatis; attamen eſt entitas ſupernaturalis, quæ ratione ſuperioritatis ordinis excedit intellectum; qui exceſſus non datur in anima, vel eſſentia alterius Angeli, cùm ſit eiuſdem ordinis naturalis cũ intellectu.

22 Inſt. Subſtantia eſt perfectior quolibet accidente; ſed Angelus naturaliter cognoſcit ſubſtantiam; ergo & quolibet accidens etiam ſupernaturale.

Reſp. diſt. ma. Subſtantia eſt perfectior quolibet accidente eiuſdem ordinis, conc; ſuperioris ordinis, ſubdiſt. Eſt perfectior in ratione entis materialiter, tranſeat; formaliter in ratione talis entis, neg; cùm autem ratio entis, quæ eſt in accidente ſupernaturali, prout ad illud contracta, ſit in eodem ordine cum illo, & identificata; ideo nequit cognoſci contractè nec etiam ratio materialis accidentis, licèt ſi conſideretur à nobis ratio entis, vt præſcindens, & vt communis alijs accidentibus, ſit imperfectior ſubſtantia.

23 Obijc. 4. Obiectum intellectus Angelici eſt omne ens intelligibile; ſed myſteria gratiæ ſunt entia intelligibilia; ergo ſunt obiectum intellectus Angelici; & ideo ab illo poſſunt naturaliter cognoſci.

Reſp. diſt. ma. Obiectum naturale intenſiuũ eſt omne ens, *vt ſic*, neg; eſt enim ens naturale exiſtens; obiectum extenſiuum, ad quod per vires ſupernaturales poteſt extendi, conc.

24 Obijc. 5. Angelus cognoſcit creationem, ſed creatio eſt ſupernaturalis quoad modum; ergo cognoſcit aliquod ſupernaturale. 2. Inter alias rationes, quas habuit coniugium *B. Virginis*, ait *S. Ignatius Martyr*, fuit, vt partus celare-

tur diabolo; ergo ſi nõ fuiſſet impeditus, cognouiſſet Incarnationem Chriſti Domini. 3. Angelus videt humanitatem ſubſiſtere ſine propria ſubſiſtẽtia; ergo naturaliter cognoſcit Incarnationem.

Reſp.diſt.ma.Cognoſcit creationem quantùm ad rem productam ex nihilo,conc;quantùm ad modum producendi,neg. Ad 2.diſt.conſ. Cognouiſſet Incarnationem Chriſti Domini naturaliter,neg;*ex Scripturis Diuinis*, conc. Vel cognouiſſet coniecturaliter arguitiuè videndo integritatem *Matris*,conc; infallibiliter in ſe ipſa, neg; potiùs enim ſuſpicatus fuiſſet poſſe merè extrinſecè manuteneri à Deo humanitatem;modũ autem, quo manuteneretur, penitus ignoraſſet. Et ſic ad 3; quanuis enim videat humanitatẽ ſubſiſtere ſine propria ſubſiſtentia,non tamen videt,quomodò hoc poſſit eſſe.

25 Obijc.6.*Fund.Doct.in 2.diſt.4.q.1,art.4.* docet Angelos non fuiſſe creatos in gratia; quia cognouiſſent ſe eſſe pulcros per naturam;& pulcriores per gratiam;& ideo non peccaſſent; quia cognouiſſent ſe poſſe aſſequi per gratiam, quod appetendo eſſe per naturam peccauerunt; ergo docet Angelos naturaliter cognoſcere gratiam exiſtentem in ſe ipſis.

Reſp.neg.conſ; cùm enim gratia ſpectet ad voluntatem, & ad intellectum; & quatenus ſpectat ad voluntatem,dicatur motio cordis; quatenus verò ſpectat ad intellectum, dicatur illuſtratio, ſeu illuminatio mentis; ideo ſi creati fuiſſent in gratia,creati fuiſſent cum illuſtratione mentis, quæ eſt gratia;& per quam cognouiſſent ſe eſſe creatos in gratia; & ſic per gratiam, & non per naturam cognouiſſent gratiam exiſtentẽ in ipſis; de qua autem gratia *ibid.* ſermo ſit,*inf.*dicemus.

QVÆSTIO V.

De Locutione Angelorum.

LOcutionem Angelicam pertinere ad intellectũ ipſius Angeli; quia locutio exprimit conceptus formatos in mente,vel quia exprimitur intellectualibus ſignis,compertum eſt.Itaq;poſtquam egimus de cognitione,de locutione ſequitur inueſtigandum. Paucis tamen expediemus quæſtionẽ; quoniam pauca diſputanda ſe offerunt. Agimus autem priùs de locutione,quàm de illuminatione; quia locutio in plus ſe habet, quàm illuminatio; nam Angeli inferiores loquuntur ſuperioribus; non tamen illos illuminant; & ideo ab vniuerſalioribus ad ſpecialiora procedimus; vt petit ordo doctrinæ.

ART. I.

An, & quomodò Angeli loquantur?

1 DOcet *Scriptura* Angelos loqui quadrupliciter; ſcilicet Deo; ſibimetipſis; alijs Angelis; & hominibus. Primum habetur *Zachar.1.Reſpondit Angelus Domini,& dixit: Domine Deus exercituum, vſquequò tu non miſereberis Ieruſalem?* Secundũ traditur *Apoc.4;* vbi inducitur Angelus dicens: *Quis eſt dignus aperire librum,& ſoluere ſignacula eius?* Iſte nanque Angelus, vt apparet *ex textu*, cum nullo loquebatur,ſed ſecum.Tertium legitur *Iſaiæ 6.Seraphim clamabant alter ad alterum;*& *Apoc.7. Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis &c.* Quartum habetur paſſim ferè *in omni libro;*vt *Gen.16. Dixitque ei Angelus Domini,*& 21.*Vocauit Angelus Dei Agar;*& *Num.22. Ait Angelus,vnde &c;* & *Iudic.2.Cùmque loqueretur Angelus;* & *Zach.2. Et ecce Angelus,qui loquebatur mecum &c.* Agimus *hic* ſolùm de locutione, qua vnus Angelus loquitur alteri Angelo;acturi de alijs *in ſeq.art;* quanuis enim Angelus poſſit loqui alteri eo modo,quo loquitur homini; quia efformando voces corporeas, vel literas poteſt per illas intelligi nedum ab homine, ſed etiam ab alio Angelo; attamen quia hic modus loquendi alteri Angelo competit ei per accidens;ſi nanque nullum eſſet corpus,quo vox poſſet formari;adhuc poſſet loqui alteri Angelo; ideo ſolùm de locutione ſpirituali ſpiritibus propria perquirimus.

2 Locutionem igitur hoc modo ſumptam dari in Angelis patet *ex Scripturis*;vt dictum eſt. Ratio etiã id ſuadet; nam vt diſcurrit *Fũd.Doct. Quodl.1. q. 16;* locutio ad ciuilitatem pertinet; quia ciuilitas eſt ordo, ſeu regulatio Ciuium à Legiſlatore ſecundùm certas leges; talis autem regulatio, & ordinatio non fit, niſi ex eo, quòd tales leges proponantur, & promulgẽtur minoribus, & inferioribus à maioribus, & ſuperioribus; ad quos immediatè ſpectat recipere iuſſa ipſius Legiſlatoris;ſed Angeli ſancti conſtituunt vnam ſanctam Ciuitatem, quæ dicitur *Cæleſtis Ieruſalẽ Hebr.*11;ergo inter ipſos debet dari talis ordinatio, vt ab Angelis ſuperioribus iuſſa Dei communicentur inferioribus; & hæc eſt propriè locutio. Tum quia de ratione naturæ intellectualis eſt ſociabilitas;quapropter *Beatiſſ.P. 11. de Ciu.c.33.* ait *Angelos bonos,& malos diuiſos eſſe in duas ſocietates*; ſed de ratione ſociabilitatis eſt communicatio affectuum, & conceptuum; ergo de ratione naturæ intellectualis eſt communicatio affectuum,& conceptuum; atqui Angelus eſt naturæ intellectualis;ergo de ratione naturę Angelicæ eſt communicatio affectuum, & conceptuum, quæ non fit niſi per locutionem; locutio enim inſtituta eſt ad communicandos proprios conceptus.

3 Ratio autem, qua probant *aliqui* locutionem dari in Angelis ob manifeſtationem ſecreto-

to-

torum, abſolutè non probat; quia datur locutio ad Deum; dicitur enim *Gen.* 18. *Loquar ad Deum meum; cùm ſim cinis, & puluis*; Deo autem nihil poteſt eſſe ſecretum. Suppoſita tamen ſecretorũ neſcientia neceſſaria eſt locutio ad illorum manifeſtationem; vnde cùm Angeli, vt *ſup.* dictum eſt, ignorent ſecreta alieni cordis; ex huius ſuppoſitione bene probatur locutio; vt conſeruetur ciuilitas, & affectuoſa ſociabilitas; quæ ex communicatione ſecretorum maximè alitur. Vnde non bene arguit *Maſtr.* ex eo, quòd poſſit dari locutio ſine manifeſtatione ſecretorum, non eſſe neceſſariam locutionem ad manifeſtanda ſecreta; locutio enim in plus ſe habet, quàm manifeſtatio ſecretorum; & manifeſtatio ſecretorum in minùs ſe habet; & licèt ab vniuerſali ad ſpeciale non valeat; valet tamen à ſpeciali ad vniuerſale; & ideo valet à manifeſtatione ſecretorũ ad locutionem. *Itaque*.

4 Prima ſententia vult Angelos loqui mediantibus quibuſdam ſignis ſenſibilibus. Et diuiſa eſt; *aliqui* enim volunt hæc ſigna eſſe quaſdã figuras ad modum caracterum in Cœlo exaratas; vt *aliqui apud Dur*; quos etiam ſuppreſſo nomine refert *Fund. Doct. Alij* verò eſſe ſonos ſenſibiles in aere ab ipſis formatos ad inſtar vocum. *Ita Dur.* Pro hac ſententia refertur etiam *ab aliquibus Fund. Doct. de Cog. Ang. inf*; ſed falsò; quãuis enim *ibid.* aſſerat poſſe Angelos ſic loqui; cũ Angelus ſit in loco per applicationem virtutis omnino liberam; ideo poteſt occupare locũ per modum *A*, & poſtea ſucceſſiuè per modum *B*; & ſic deinceps formando verbum externum, quod poteſt legere alter Angelus; & ſic cùm poſſit formare corpus ex aere, & ex illo emittere voces; vt conſtat *in Scripturis* ſæpiſſimè locutũ fuiſſe hominibus; quas voces potuit capere alter Angelus; ſicut noſtras percipit, quæ ſunt æquè ſenſibiles; attamen docet hunc modum loquendi non eſſe proprium Angelis; quia etiam ſine corporibus loqui poſſunt. Vnde huius ſententiæ debent eſſe *omnes Auctores*; cùm à nullo negari poſſit Angelos ſic poſſe loqui; habetur enim *in Scripturis* quoad voces formatas in corporibus; & quoad literas nulla ratio conuincit oppoſitum. Loquẽdo ergo de modo Angelis proprio loquendi ad inuicem non eſt per ſigna ſenſibilia; & ideo reprobat eam ſententiam, quæ hoc intendit.

5 Secunda ſententia vult Angelum loqui alteri Angelo imprimẽdo in intellectũ illius ſpeciem impreſſam obiecti, de quo loquitur; vel imprimendo actum ipſum intellectionis rei, quam manifeſtat; vel vtrunque ſimul ita, vt impoſſibilis ſit locutio, quin producatur ab Angelo loquente in intellectu audientis aliqua res, à qua moueatur, & excitetur intellectus audientis ad percipiendam locutionem. *Ita Scot. apud Maſtr. hic diſp. 2. q. 9. art. 3. n. 279*; vbi refert *Maior; Baſſol. Lichet; Fabr; Vulp; Brancas; Sua; Becc; Auerſ; Zum; Peſant; D. Bon*; quibus addi poſſunt *omnes alij* puſtãtes Angelos aliqua intelligere per ſpecies acceptas à rebus.

6 Tertia ſententia vult Angelum loqui liberè ordinando ſuum conceptum directum ad alterum Angelum; idèſt volendo, quòd alter Angelus ſuam cogitationẽ intelligat; per hanc enim ordinationem fit manifeſtum, quod erat occultũ. *Ita D. Tho. hic q. 107. art. 1; & de Verit. q. 9. art. 4. apud Gonet hic diſp. 13. art. 3; Io. à S. Tho; & ferè omnes Thomiſtæ; & eorum aſſeclæ*; quibus adhærent *ex Scotiſtis Ponc; & ex PP. Soc. Arriaga; ex noſtris Gibb. hic diſp. 28. dub. vlt. §. 2.*

7 Noſtra tandem ſententia docet Angelos loqui formando intra ſe ipſos verba mentalia ſpecialia, quæ ſunt ſigna ſpiritualia exprimentia alteri Angelo proprios conceptus, & cogitationes. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 10. q. 3. art. 1; & de Cog. Ang. q. 12; & tota noſtra Schola*. Adhærent *Vaſq; Albertin; & Cum. q. 57. art. 4; & alij*. Igitur

8 Not; quòd, vt diximus *in ſup. q. a. 4. §. 4. n. 83*; Angelus per ſpeciẽ generis primò cognoſcit quaſi in confuſo omnes naturas illius generis; & poſtea tranſit ad cognoſcendam aliquam differentiam ſpecificam illius generis; & in hac cognitione cognoſcit omnia indiuidua illius naturæ in confuſo; & tandem tranſit ad cognoſcendum aliquod indiuiduũ in particulari, & determinatè.

9 In hac *Fund. Doct.* doctrina duo conſideranda ſunt. Primum eſt; quòd Angelus per ſpeciem impreſſam à Deo repræſentatiuam generis cognoſcendo generaliter omnes differẽtias exiſtentes contractiuas illius generis format verbũ, ſeu ſpeciem expreſſam repræſentantem generaliter omnes differentias illius generis. Deinde per eandem ſpeciem impreſſam generis cognoſcendo aliquam differentiam in ſpeciali format verbum, ſeu ſpeciem expreſſam determinatè repræſentatiuam illius naturæ ſpecificæ; & tandem per eandem ſpeciem impreſſam cognoſcẽdo aliquod indiuiduum in ſingulari format verbum, ſeu ſpeciem expreſſam repræſentantem determinatè illud indiuiduum. Quòd per ſpeciẽ impreſſam generetur verbum, ſeu ſpecies expreſſa, docet *Beatiſſ. P. 11. de Trin. c. 9.* aſſerens ex ſpecie, quæ eſt in memoria, gigni ſpeciem, quæ eſt in intelligentia; quæ eſt veluti proles illius. Quòd per eandem ſpeciem impreſſam gignatur verbum modò genericum, modò ſpecificum, & modo indiuiduale; patet ex dictis *in ſup. q. art. 7*; nam ſpecies impreſſæ Angelorum, vtpotè deriuatæ à Diuinis Idæis, continent eſſe vniuerſale, & particulare ipſarum rerum in ordine intellectiuo; vnde per illas poteſt produci verbum ſpecificum, & indiuiduale abſque eo, quòd ponatur noua ſpecies impreſſa. Quòd gignatur verbum modò ſpecificum, modò indiuiduale, prouenit; quia Angelus modo reſtringit ſuam intellectionem pro ſuo libito ad conſiderandam ſolam vnam naturam ſpecificam, modò vnum tantùm indiuiduum; & quia verbum producitur per intellectionem; &

om-

omnis effectus productus nequit excedere actionem productiuam ſui; quia cum illa commenſuratur, hinc fit, quòd ſicut intellectio eſt determinatè reſtricta ad conſiderandam ſolùm vnam differentiam ſpecificam, vel vnum tantùm indiuiduum; quanuis ſpecies impreſſa, ex qua gignitur, ſit vniuerſalis ad totum genus; ita verbum productum per talem intellectionem eſt determinatè reſtrictum ad repræſentandam ſolùm vnã differentiam ſpecificam, vel vnum indiuiduum; quanuis ſpecies impreſſa ſit vniuerſalis ad omnes differentias, & ad omnia indiuidua.

10 Secundum eſt; quod ſæpe repetit *Fund. Doct.* quòd Angelus cognoſcendo totum genus, ſicut format verbum generis, quod eſt indifferens, & indeterminatum ad repræſentandam aliquam differentiam in ſpeciali; ita intellectio, qua cognoſcit genus, eſt indifferens, & indeterminata ad conſiderandam aliquam differentiam in ſpeciali. Sic cognoſcendo aliquam differentiam in ſpeciali elicit cognitionem, & format verbum indifferens, & indeterminatum ad hoc indiuiduũ in ſingulari; & tandem cognoſcendo indiuiduum in ſingulari format verbum indifferens ad repræſentandum, an voluntas Angeli feratur in tale indiuiduum per cognitionem affirmatiuè, ſeu per modum proſecutionis; vel negatiuè, ſeu per modum fugæ. Vnde alter Angelus, qui cognoſceret cognitionem vniuerſalem generis, & verbum formatum per talem cognitionem, non cognoſceret, an cogitare vellet de aliqua ſpecie in ſpeciali; niſi Angelus ſe determinaret per cognitionem ſpecificam producendo verbum repræſentatiuum determinatè illius ſpeciei; indifferens enim nequit eſſe medium determinatè cognoſcendi. Et ſic dicendum de cognitione ſpeciei reſpectu indiuiduorum; & conſequenter de cognitione indiuidui reſpectu affirmationis, & negationis.

11 Cùm igitur Angeli inferiores non poſſint intelligere per ſpecies æquè vniuerſales, ac intelligunt ſuperiores; vt probatum eſt *in ſup. q.* ideo neceſſe eſt, quòd per illas ſpecies forment plura verba; ſolus enim Deus vno Verbo loquitur omnia; & ſic diuidant, ac partiantur verbum, quod formant intelligendo ſpeciem vniuerſalẽ, quam habent, & illa verba ſic diuiſa ſunt proportionata intellectui Angeli inferioris; qui propterea intelligit per plures ſpecies; ideo *D. Dion. vlt. de Cœl. Hier.* ait Angelos ſuperiores *habere dentes*; ſicut enim (inquit *Fund. Doct.*) Nutrix dentibus ſcindit cibum in plures partes; vt illud capiat os pueri, quod nequit integrũ recipere; ſic Angelus ſuperior videns, quòd inferior habet intellectum paruum, qui nequit capere conceptum, & verbum adæquatum ſpeciei vniuerſali, quam habet Angelus ſuperior, illud ſcindit in plura verba partialia proportionata captui Angeli inferioris. Aliud exẽplum affert *Fund. Doct.* de homine ſapiente, qui vno conceptu capit aliquod arcanũ naturæ, vel gratiæ; attamen adhoc, vt illud explicet alicui rudi, debet formare plura verba proportionata capacitati illius. Ita à pari. Formare autem verba, vt capiantur ab alio, eſſe loqui alteri nullus poteſt negare attendens ad noſtram locutionem. Quotieſcunque ergo Angelus ſuperior format verba proportionata captui Angeli inferioris, in quo propriè conſiſtit illuminatio; vt *inf. videb;* dicitur ei loqui.

12 Quanuis autem per hoc explicetur modus loquendi Angeli ſuperioris cum inferiori; qui eſt veluti modus loquendi Magiſtri cum Diſcipulo; attamen non explicatur è contra modus loquendi Angeli inferioris habentis ſpecies reſtrictiores cum ſuperiori; vel Angeli cum Angelo eiuſdem ordinis; qui habet æquales ſpecies, & captum. Ideo dicimus, quòd Angelus inferior loquendo ſuperiori patefacit ei aliquod ſecretum cordis; & tũc format verbum determinatum determinatè repræſentans conceptum indifferentem, quem habet in mente; ſicut enim nos poſſumus per eundem conceptum inimici cogitare de fuga, & aggreſſione; attamen quando loquimur de inimico, prout eſt in mente ex ordinatione determinata voluntatis, proferimus verba determinatè repræſentantia fugam, vel aggreſſionem; ita à pari licèt Angelus per eundem conceptum tendat in inimicum fugiendum, vel aggrediendum; attamen cùm vult loqui alteri Angelo, format verbum determinatè repræſentans fugam, vel aggreſſionem. Quando autem non loquitur aliquod ſecretum (non enim eſt neceſſarium hoc ſimpliciter ad locutionem; aliter nulla creatura poſſet loqui cum Deo, vt *ſup.* dictũ eſt) tunc format verba, vel repetit ea, quæ antea noſcebantur ab alio Angelo; ſicut cùm nos loquimur aliquod repetendo, vt contingit in Diſcipulo loquente cum Magiſtro. *His not.*

13 Vnica concl. Angeli loquuntur ad inuicem formando verba ſpiritualia, quibus tãquam ſignis ſpiritalibus exprimunt ſuos conceptus, ſiue occultos, ſiue ſecretos conſimili modo, quo nos loquimur formando verba corporalia, quæ ſunt ſigna noſtrorum conceptuum mentalium.

14 Prob. 1. *ex Gloſ. ſup. illud Apoſt. Si linguis hominum loquar, & Angelorum;* aſſerente Angelos *quibuſdam ſignis, vel nutibus loqui;* & *ex Beatiſſ. P. lib. 12. de Gen. ad lit. c. 22;* vbi docet: *Vt ſic hominibus Angeli oſtendant cogitationes ſuas, & corporalium rerum ſimilitudines, quas in ſuo ſpiritu futurorum cognitione præformant; quemadmodum & ipſi noſtras cogitationes non vtique oculis, quia non corpore, ſed ſpiritu vident.* Et paulò poſt. *Quia ſi eas, vt opinor, habent in poteſtate occultare ſpiritalibus modis, quemadmodum nos quibuſdam interiectis obſtaculis noſtra corpora, ne aliorum oculis videantur, abſcondimus; & quid fiat in ſpiritu noſtro, vt aliquando cernantur, tantummodò ſignificantes imagines.* Ac deinde. *Vt exeri poſſint, præueniuntur ſimilitudinibus ſuis.* Tandem *c. 24.* com-

comparat viſionem corporalem cum ſpirituali, & intellectuali; nec aliud diſcrimen inter has viſiones ponit, niſi quòd ſpiritalis (ſcilicet humana, quæ fit dependenter à corpore) ſit præſtantior corporali; & intellectualis, ſcilicet Angelica, perfectior ſpiritali: *Præſtantior eſt enim viſio ſpiritalis, quàm corporalis; & rurſus præſtantior intellectualis, quàm ſpiritalis*. Ex quibus ſic. Ita debemus loqui ſeruatis ſeruandis de locutione Angelica merè intellectuali, ſicut loquimur de locutione merè corporali; vtraque enim formaliter conuenit in ratione locutionis; ſicut nanque, quia viſio corporalis, & intellectualis conueniunt formaliter in ratione viſionis; quia vtraque eſt rei præſentis immediatè in ſe ipſa; ideo eodem modo de ipſa diſcurrimus: ita quia locutio intellectualis, & corporalis conueniunt formaliter in ratione locutionis; vtraque enim eſt expreſſio, ſeu communicatio conceptus interni facta alteri; ideo eodē modo loqui debemus de vtraque; ſed locutio corporalis fit per formationem verborū corporalium, vt eſt de ſe manifeſtum; ergo & locutio Angelica, quæ eſt merè intellectualis, fit per expreſſionē verborum intellectualium; verba autē intellectualia ſunt ſimilitudines, & imagines conceptuum; vt loquitur *Beatiſſ. P.*; & ideo habent illos manifeſtare, & exprimere.

15 Conf. Locutio ſeu corporalis, ſeu intellectualis formaliter importat formationem verborum vel corporalium, vel intellectualiū; ſed verba ſunt ſigna eorum, quæ ſignificāt; quia ſunt expreſſiones, ſeu ſimilitudines illorum; ergo locutio ſeu corporalis, ſeu intellectualis, vt eſt locutio Angelica, importat formaliter formationem verborum vel corporalium, vel intellectualium, quibus tanquam ſignis exprimatur conceptus loquentis. Ma. quoad locutionem corporalem manifeſta eſt. Prob. 2. pars. Deus Pater ab æterno locutus eſt intellectualiter; ſed locutus eſt proferendo Verbum Diuinum; habetur enim *Iſaiæ* 40. de Verbo æterno: *Quod os Patris locutum eſt*; ergo locutio ſeu corporalis, ſeu intellectualis formaliter importat prolationem verborum; ſed Angeli ſunt ſubſtātiæ merè intellectuales; ergo eorum locutio formaliter fit per prolationem verborum intellectualium, quibus tanquam ſignis exprimunt ad inuicem ſuos conceptus internos; qui ſi ſint ſecreti, exprimuntur per verba ſpecialia, & ad vnum determinata, vt dictū eſt; ſi verò ſint manifeſti, & ad vnum determinati, exprimuntur per repetitionem eorum.

16 Prob. 2. reijciendo ſimul ſecundam, & tertiam ſententiam. Si locutio Angelica fieret per impreſſionem ſpeciei, aut actus intellectionis; vel per ordinationem, aut directionem actus volūtatis ad alterum Angelum, ſequeretur, quòd per locutionem vnus Angelus non poſſet communicare ſuum ſecretum alteri; ſed conſequens eſt falſum, nec admittitur ab ipſis; ergo & ant. Prob. ſeq. Species, & actus cogitationis ſecreti eſt indifferens ad manifeſtandum, an voluntas Angeli tendat affirmatiuè, vel negatiuè in tale obiectum; quia *rectum eſt index ſui, & obliqui*; vt ſuperiùs habitum eſt; ergo ex eo, quòd vnus Angelus imprimat in intellectum alterius Angeli ſpeciem ſui ſecreti, vel ipſam cogitationem ſecretam; vel dirigat proprium actum ad alterum Angelum, nequit ille alter Angelus cognoſcere determinatè tale ſecretum; indifferens enim nequit eſſe medium cognoſcēdi determinatè; quia repræſentat indeterminatè.

17 Tum quia vel illa ſpecies, aut actus impreſſus, ſeu directus repræſentaret ipſum ſecretū determinatè, vt eſt in ſe ipſo, alteri Angelo; vel non? Si primum; ergo multò magis ipſum ſecretum poſſet videri in ſe ipſo; quia obiectum, quod videtur per ſpeciem illi adæquatam, & determinatam, poteſt videri in ſe ipſo, ſi ſit determinatū; quoties fiat præſens potentiæ intellectiuæ; vt Pontifex, qui videtur in imagine, poteſt videri in ſe ipſo, ſi ponatur eius præſentia; quia tam imago, quàm Pontifex ſunt determinata ad vnum tantùm repræſentandum; & ſic ſuperflua eſſet talis impreſſio, vel directio. Si ſecundum; ergo non ſufficit impreſſio, vel directio ad manifeſtandum ipſum ſecretum; & ideo nihil concluditur.

18 Prob. 3. cōt. 2. ſent. Nullus Angelus poteſt imprimere aliquid in intellectum alterius; cùm Angelus non habeat potentiam motiuam niſi *ad vbi*; quia ſolùm localiter poteſt mouere alia à ſe; ergo nequit imprimere aliquid in intellectum alterius; aliter haberet potentiam ad formam generandam. Tum quia intellectus Angeli non indiget, quaſi dormiens, excitari ad hoc, vt intelligat; licèt enim nō ſemper aduertat ad omnes res in particulari; attamen ſemper aduertit ad omnes ſpecies, quas habet in ſe ipſo; quia, vt diximus *in ſup. q.*; neceſſariò, & ſemper cognoſcit ſe ipſum intuitiuè, cùm ſit ſemper, & neceſſariò ſibi præſens in eſſe intelligibili; & ideo neceſſariò cognoſcit ſemper omnes ſpecies exiſtentes in ſuo intellectu; & per ipſas ſemper neceſſariò cognoſcit obiecta repræſētata per illas ſpecies cognitione quadam generali, licèt non cognoſcat ſingula in ſpeciali; ergo ſemper eſt attentus cuilibet mutationi factæ in illis ſpeciebus; & dat exemplum *Fund. Doct.*; ſicut enim videns integrā paginā alicuius libri non videt omnes caracteres diſtinctè; attamen ſi fiat aliqua mutatio in illa pagina, ſufficit attentio, quam habet videns, ad totā paginam, vt videat illam mutationem factam in illa pagina; ita à pari licèt vnus Angelus videat in ſe ipſo alium Angelum viſione quadam generali; attamen ſi fiat aliqua mutatio in alio Angelo; ſufficit illa attentio generalis, quam habet ad alium Angelum, vt videat mutationem factam in illo per productionem noui verbi, quo illi loqui intendit; ergo fruſtranea eſt productio ſpeciei, vel actus intellectionis in intellectu audientis ad hoc, vt ad attentionem excitetur. Tum quia nul-

nullus Angelus poteſt accipere ſpecies à rebus, vt ſuperiùs probatum eſt; & actus intellectionis productus ab aliquo intellectu eſt actus immanens, & ideo nequit tranſire de vno ad alium intellectum; quamuis enim intellectio, vt qualitas eſt, producatur efficienter ab obiecto; attamen, vt intellectio formalis, nequit produci ab extrinſeco; ergo locutio non fit per impreſſionem ſpeciei, aut actus intellectionis.

19 Prob. 4. cont. 3. ſent. Illa ordinatio non poteſt cognoſci ab illo Angelo, ad quem fit; quia ordinatio eſt relatio; & de ratione relationis eſt non apparere; cùm nullam mutationem faciat in ſubiecto; aliter non eſſet ratio, cur non poſſet Angelus cognoſcere ſecretum cordis; cùm, vt oſtenſum eſt, in tantùm ſit incognoſcibile; in quantùm entitas illius actus eſt indifferens ad relationẽ tã affirmatiuam, quã negatiuam; & illa relatio determinatè non apparet; quia nullam mutationem facit in entitate ordinata; mutatio enim fit ſolùm per aduentum nouæ entitatis; relatio autem non eſt noua entitas; vt *alibi* probatum eſt. Tum quia hæc ordinatio vel eſt ſolũ neceſſaria propter aduertentiam; & hoc non; vt dictum eſt *ſup.* vel vt ſubijciat illud ſecretum voluntati alterius Angeli, & ſic illud faciat cognoſcibile; & hoc pariter eſt falſum; aliter ſecretum non eſſet ex ſua natura incognoſcibile; ſed ſolũ quatenus tegitur à ſua voluntate illud non ordinante; patet autem, quòd actus liber manifeſtus ipſius voluntatis, vt eſt volitio alicuius obiecti in generali, eſt cognoſcibilis ab altero Angelo; etſi ad illum non ſit ordinata.

20 Obiſc. 1. communiter *Aduerſarij*, quos vid. *apud Gonet*, & *Maſtr. vbiſ. art. 1. n. 264.* Poteſt ſaluari locutio Angelica per ipſos actus vitales, & ſpecies eorum repræſentatiuas; ergo sũt ſuperflua ſigna ſpiritalia, quæ neque ſunt actus vitales, nec ſpecies eorum; vt dicunt Auctores talia ſigna admittentes.

21 2. Vel illa ſigna eſſent naturalia, vel ad placitum? Non primum; quia vnus Angelus non poſſet alteri loqui alijs non audientibus; quod maximè derogat perfectioni Reipublicæ Angelicæ; violaretur enim ius ſecreti. Neque ſecundũ; quia fuiſſet neceſſarium, vt priùs Angeli conuenniſſent circa inſtitutionem, & ſignificationem talium ſignorum; & ideo daretur locutio inter ipſos, priuſquam darentur illa ſigna; tum quia illa ſigna eſſent nota omnibus, & ſic locutio non poſſet eſſe ſecreta; quod maximam inueheret imperfectionem in Angelos; nam homo haberet perfectiorem modum loquẽdi; poteſt enim vnus homo loqui alteri in aure alijs præſentibus non audientibus.

22 3. Vel hæc ſigna producerentur ab Angelo loquente in ſe ipſo, vel in audiente? Non primum; quia non excitaretur audiens ad percipiendam locutionem; ſicut enim nos non poſſemus excitari à loquente ad audiendum, niſi reciperemus ſonum verborum in auribus; ita à pari. Si ſecundum; ergo idem eſt dicere, ac Angelos loqui per aliquod productum, & impreſſum in Angelo audiente.

23 4. Suppoſito, quòd aliquis Angelus ſit diſtractus, ſi non reciperet aliquid in ſe ipſo, non attenderet ad locutionem; quia non poſſet tranſire de contradictorio in contradictorium abſq; aliquo de nouo in ſe recepto; & ideo nequit trãſire de non audiente ad eſſe audientem niſi per aliquod phyſicè in ſe receptum; non enim ſit audiens per ſolam denominationem extrinſecam, ſicut paries fit cognitus; ſed fit audiens per actũ vitalem (auditio enim eſt actus vitalis) quem priùs non habebat; ſicut enim ſe habet locutio interior, ita & locutio exterior; intellectus autẽ loquens ſibi non fit audiẽs niſi per ſpeciem cauſatam ab ipſo in ſe ipſo; ergo Angelus externè audiens non fit audiens niſi per ſpeciem productam à loquente in audiente; & ideo ſuperflua ſunt illa ſigna.

24 5. Non poteſt Deus nos excitare ad operandum ſupernaturaliter, niſi aliquid producat in nobis; ergo nequit Angelus excitare aliũ Angelum ad audiendum, niſi in illo aliquid producat.

25 6. Sequeretur non poſſe vnum Angelũ alterum decipere; quia Angelus non poteſt decipere ſe ipſum; ſi autem produceret aliquid in ſe ipſo, quo vellet decipere alium Angelum, iam deciperet priùs ſe ipſum. Tum quia ſi poſſet formare in ſe ipſo mendacium, poſſet formare actũ oppoſitum actui vero, quem habet de omnibus rebus; & ſic darentur in eodem intellectu duo actus oppoſiti ſimul, quod implicat.

26 Reſp. ad 1. diſt. ant. Poteſt ſaluari locutio per actus vitales, & ſpecies eorum repræſentatiuas productas à loquente in ſe ipſo, conc. à loquente in audiẽte, neg. ant. & conſ. ſpecies enim expreſsæ ſunt verba, & verba ſunt ſigna; vt docet *Fund. Doct.* quidquid dicant *alij*.

27 Ad 2. dicitur illa ſigna eſſe naturalia. Ad improb. diſt. *cum Fund. Doct.* Non poſſet vnus Angelus ſuperior loqui Angelo medio non audientibus Angelis infimis, neg; verbum enim, quod produceret in ſe ipſo Angelus ſuperior, eſſet proportionatum intellectui Angeli medij, non infimi; & ideo perciperetur à med io, non ab infimo. Non poſſet Angelus inferior loqui ſuperiori non audientibus Angelis ſuperioribus, conc. Neque hoc derogat perfectioni Reipublicæ Angelicæ, cui potiùs oppoſitum huius derogaret; homo enim poteſt loqui vni alijs non audientibus (ait *Fund. Doct.*) propter triplex impedimentum; ſcilicet propter obſtaculum carnis; propter diſtantiam non audientium, & propter diſtractionem; hæc autẽ tria dicere imperfectionem quis negaret? Ideo cùm hæc triplex imperfectio repugnet Reipublicæ Angelorum, quæ, vtpotè ſpiritalis, carne non obcæcatur; propter efficacitatem

ficaciam luminis intellectualis, & præſentiam ſpeciei longinquã æquè, ac præſentia eadem facilitate diſcernit; & propter generalem attentionem, vt *ſup.* dictum eſt, nunquam diſtrahitur totaliter à genere, vel ſpecie, etianſi aliquando deſinat actu reflectere ſuper ſpecies,& indiuidua. Sicut enim inter homines, quòd vnus ſciat alijs non ſcientibus, non arguit perfectionem, ſed imperfectionem naturæ; ita quòd vnus audiat aliquem loquentem alijs non audientibus, non arguit perfectionem, ſed imperfectionem naturæ humanæ; adeoque argumentum procedit ex falſa imaginatione tribuente eandem imperfectionem, quæ competit naturæ humanæ, naturæ Angelicæ, quæ tamen longè perfectior eſt. Ad id, quod ſubditur, dicitur; quòd ius, ſeu lex de ſeruando ſecreto eſt tantùm inter homines, quia ſolùm inter homines reperitur communicatio ſecreta; in tãtùm enim datur lex inter homines ſeruandi ſecretum; in quantùm ex reuelatione ſecreti poſſunt multa ex liuore, inuidia, æmulatione,& malignitate præſtari, quæ poſſent impedire conſecutionem finis, & ſic fruſtrari ipſum ſecretum; at verò inter Angelos non eſt liuor, aut aliqua ex his paſſionibus; ſed ſi ſint beati, perfectiſſimus amor inter ipſos eſt; ſi autem ſint mali, impediuntur à Deo, ne noceant; ideo inter illos nequit eſſe ius ſeruandi ſecretum. Itaque vel locutio vnius ad alterum eſt ad bonum illius; & ſic debet eſſe omnibus manifeſta, vt eorum gaudiũ naturale ſit plenum. Vel eſt ad pœnam malorum; & ſic omnibus debet conſtare, vt omnes mali triſtentur;& boni ſolatium recipiant. Hinc *Tob. 12. Raphael ait: Secretum Regis abſcondere bonum eſt; opera autem Dei reuelare honorificum eſt*. Igitur. 1. Secreta hominum opera pro hoc ſtatu ſeruanda ſunt; quia poſſunt aliena malitia fruſtrari; at verò locutiones Angelorum, qui ſunt Dei miniſtri, honorificum eſt manifeſtari, quia à nullo poſſunt caſsari. 2. Secreta hominum debent ſeruari; quia aliquando ſunt turpia, & ideo indigna, vt ſciantur, ne pariant ſcandalum, odium, contumeliam, & prauum exemplum; at verò locutiones Angelorum bonorum, quia perfectæ ſunt, dignæ ſcitu ab omnibus ſunt; vt omnium pariãt amorẽ, gaudium, ſolatium,& bonum exemplum; atque ex his omnibus omnes in Dei laudem aſſurgant. Locutiones verò malorum, licèt malæ; attamen debent eſſe manifeſtæ ad omnium confuſionem, triſtitiam,& pœnam. 3. Secreta hominum debẽt abſcondi pro hoc ſtatu; quia mali homines admixti ſunt cum bonis; at verò Angelorum locutiones debent eſſe omnibus manifeſtæ; quia ſunt in termino; in quo nullum verbum determinatum debet eſſe occultum. Ergo quanuis vita politica huius ſtatus exigat ius ſeruandi ſecreta; non tamen exigit vita politica Angelorum. Præterea dicitur, quòd ſi ad perfectionem ſtatus naturalis Angelorum ſpectaret poſſe loqui ſecretè; hoc etiam à fortiori conueniret ſtatui ſupernaturali; quod eſt falſum; quia, cùm Verbum, quo loquuntur Beati, ſit Verbum Diuinum, quod eſt omnibus manifeſtum; ideo beati nequeunt loqui ſecretè. Tandem dicitur, quòd ſi in Angelis eſt ius ſeruandi ſecretum, hoc erit ſolùm reſpectu Angelorum ſuperiorum, qui reuelant ſecreta Dei Angelis medijs, quæ nequeunt percipere Angeli inferiores; vt dictum eſt. Vel erit de ſecretis, quæ reuelantur à Deo per lumen ſpeciale, quod non infunditur niſi Angelo, cui ſit reuelatio. Et ſic ad aliud dicitur, quòd modus loquendi hominis ſecretè non eſt perfectior modo loquendi Angelorum manifeſtè; quia homines loqui ſecretè prouenit ex imperfectione naturæ. Vel dicitur, quòd Angelus ſuperior loquitur medijs Angelis non audientibus infimis. Vel quòd Angelus loquens loquitur per ſpecialem reuelationem, quod lumen Deus non infundit alijs Angelis.

28 Ad 3. patet ex dictis hæc ſigna, quæ ſunt verba, produci à loquente in ſe ipſo,& nihilominus excitari alium Angelum ad audiendũ propter generalem attentionem, quam habet ad ſpeciem repræſentantem Angelum loquentem. Paritas autem non currit; quia nos non habemus ſpeciem adæquatè repræſentatiuam loquentis nobiſcum; & ideo debet imprimi in noſtris auribus à loquẽte; hoc autem importat imperfectionem in nobis, quia dicit defectum, ſeu carentiam ſpeciei; quæ imperfectio nequit eſſe in Angelo.

29 Ad 4. dicitur vel ſupponi Angelum diſtractum ab attentione ſpeciali,& generali ſimul; & tunc ſuppoſitio eſt impoſſibilis; quia attentio generalis naturaliter,& neceſſariò conuenit Angelo; aliter ſcientia ei conueniret merè per accidens; quia cognoſceret res merè caſualiter, & fortuitò; vt docet *Fund. Doct.*; & ſic ſcientia Angeli non differret à ſcientia noſtra; quia illi conueniret, ſicut cõuenit nobis. Vel ſupponitur Angelus diſtractus ab attentione ſpeciali, non generali;& tunc dicitur tranſire de contradictorio in cõtradictorium per claram cognitionem productam, non quidem ab Angelo loquente, ſed ab ipſo audiẽte; qui eo ipſo, quòd videat nouum verbum ſpeciale formatum à loquente in ſemetipſo, ſtatim illud cognoſcit;& ideo format cognitionem in ſe ipſo, per quam dicitur audire; quam tamen cognitionẽ nequit Angelus audiens formare in ſe ipſo, niſi Angelus loquens formet pariter in ſe ipſo verbum, quo loquitur; nam vt docet *Beatiſſ. P. 4. de Gen. ad lit. c. 32*; *Neque enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant*; & ideo illa ſigna non ſunt ſuperflua.

30 Ad 5. neg. conſ. in tantùm enim Deus nequit nos excitare ad operandum, vel loqui nobiſcum, niſi producat operationem, vel locutionem in nobis; in quantùm eſt cauſa vniuerſaliſſima omnium rerum, & ideo etiam noſtræ operationis, vel locutionis. At verò ſicut nos poſſumus loqui cum Deo abſque eo, quòd producamus auditionem in illo eo, quia in Deo eſt om-

nis actus improductus, & ideo in illo eſt etiam actus auditionis, quo audit nos loquentes; ita à pari vnus Angelus poteſt excitare alium Angelũ ad audiendum abſque eo, quòd producat in illo actum auditionis, qui, cùm ſit actus vitalis, debet produci ab ipſo audiente, non à loquente, quia ab illo non dependet eſſentialiter tanquã à cauſa prima; ſicut operatio, vel locutio noſtra eſſentialiter dependet à Deo.

31 Ad 6. neg. ſeq. Ad prob. infert. diſt. aſsũp. *cum Fund. Doct. de Cog. Ang. q. 13. in fine corp.* Angelus nequit decipere ſeipſum, ſi conſideretur in ſtatu naturali præcisè, neg; Angelus enim non eſt veritas per naturam, ſicut eſt Deus, ſed eſſentialiter eſt ex nihilo, & ideo in nihil poteſt rendere nedum per voluntatem appetendo malum, ſed etiam per intellectum cognoſcendo falſum. Si conſideretur in ſtatu gratiæ confirmantis, cõc; nam ſicut in tali ſtatu nequit per voluntatem peccare, ita nequit per intellectum errare. Ad aliud dicunt *Becc; & Arriag;* quem modũ dicendi approbat *Maſtr. hic n. 302.* Angelum non poſſe mentiri in ſe ipſo, & per ſe ob allatam rationem; ſed ſolùm per accidens aſſumendo corpus, & in eo formando voces ſignificantes contrariũ illius, quod habet in mente, præſertim ad decipiendos homines; & in hoc ſenſu *Scripturam* appellare Dæmonem *patrem mendacij*.

32 Sed aliter dicendum *cum Fund. Doct. vbi;* quia Angelus nõ eſt veritas per eſſentiam, nec eſt actus puriſſimus, ſed eius natura haber admixtam potẽtialitatem paſſiuam; *error autem, & malitia contingunt in rebus propter potentialitatem paſſiuam*, vt docet *Phil. t. 2. Met;* & deducitur *ex Scriptura;* nam *Io. 8.* habetur: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius.* Igitur ſi Diabolus ab initio non ſtetit in veritate, quando lapſus eſt in peccatum; tunc in errorem neceſſe eſt eum incidiſſe; idem enim eſt non ſtare in veritate, ac incidere in errorem; ſed cùm cecidit in peccatum, nõ habebat corpus aſſumptum; ergo errauit per ſe. Præterea ſi cùm loquitur mendacium, loquitur ex proprijs, iam non loquitur ex corpore, quod proprium diaboli non eſt. Hinc *Beatiſſ. P. ſup. Io. 8. tract. 42.* explicans, quomodò diabolus dicatur pater mẽdacij, ait, quòd diabolus à nullo accepit mendacium, ſed ſeipſo illud genuit; homo autem accepit mẽdacium à diabolo, ideo homo non eſt pater mẽdacij, ſed tantùm diabolus. Non ſtetit autem in veritare, quia peccando receſſit à Deo, qui veritas eſt. Verba eius ſunt hæc: *Verum eſt, quia recedendo à veritate, non habet veritatem. Cùm loquitur mendacium, de proprijs loquitur; non aliunde accepit, vnde loquitur;* ergo ſi mendacium non accepit aliunde, quia fuit ex proprijs, iam non accepit à corpore, quod nõ eſt proprium. Ad rationem allatam reſp. *Fund. Doct;* quòd etiam nos, cùm mentimur voce corporali, debemus priùs formare in mente conceptum oppoſitum veritati, quem poſtea voce proferimus; nunquam enim poſſumus mentiri, quin talia proferamus, qualia imaginamur. Nec requiritur, quòd ille cõceptus falſus formatus in mente ſit contra conceptum verum actu exiſtentem in mente ad hoc, vt ſit mendacium; ſed ſufficit, quòd non ſit conſonans, & conformis rebus conceptis. Sic Angelus ad hoc, vt mentiatur per ſeipſum in ſeipſo, ſufficit, quòd formet in ſe ipſo aliquem conceptum diſſonantem, ac difformem rebus cõceptis. Hęc doctrina traditur *à Beatiſſ. P. in pſ. 9 t. vbi ſup. idem Io. Omne peccatum mendacium eſt;* ait: *Contra legẽ enim, & contra veritatem quidquid eſt, mendaciũ eſt;* ergo adhoc, vt diabolus ſit mendax in ſe ipſo, non requiritur, quòd dentur in eius intellectu duo actus oppoſiti ſimul; ſed ſufficit, quòd detur vnus actus difformis rei conceptę; vel actui vero, quem antecedẽter habuerat Dœmon de re concepta, qui actus non eſt neceſſe, vt actu exiſtat in intellectu; non enim Angelus ſemper manet in eodem actu cognitionis; aliter nec in nobis poſſet vnquam dari mendacium, vt dictum eſt.

33 Obijc. 2. Si Angelus ſuperior non poſſet loqui inferiori, quin perciperetur ab alijs, ſequeretur, quòd Dœmon ordinis ſuperioris perciperet illam locutionem; ſed hoc non eſt dicẽdum, quia eſſet maximè pernicioſũ noſtræ ſaluti; poſſet enim impedire effectũ locutionis; ergo vnus Angelus poteſt loqui alteri alijs non audiẽtibus.

Reſp. diſt. ſeq. Poſſet percipere ex vi naturæ, conc; abſolutè, neg; quia impeditur à Deo, ſicut impeditus fuit Diabolus, ne agnoſceret integritatem Mariæ; *vt partus eius celaretur Diabolo*, teſte *D. Ignat. Mart. apud D. Hier. in Matt. c. 1.* Additur, quòd locutiones Angelorum pertinentes ad noſtram ſalutem ſunt ſupernaturales, & reuelantur à Deo tanquam ab Auctore ſupernaturali dirigente nos in finem ſupernaturalem; & ideo nequeunt percipi à Diabolo etiam ſuperioris ordinis, qui eſt conſtitutus in puris naturalibus.

34 Obijc. 3. Si Angeli loquerẽtur per ſigna ſpiritualia, ſequeretur, quòd poſſent cognoſcere cogitationes cordium; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. ſeq. Cogitationes cordiũ nihil aliud ſunt, quàm huiuſmodi ſigna; ſicut verba vocalia nihil aliud ſunt, quàm conceptus mentis exteriùs expreſſi; ergo ſi Angeli poſſent cognoſcere huiuſmodi ſigna, poſſent etiam cognoſcere cogitationes cordium.

Reſp. neg. ſeq. Ad prob. diſt. ma. Cogitationes cordium nihil aliud ſunt, quàm huiuſmodi ſigna determinata ad affirmationem, vel negationem, & determinatè repræſentantia, conc. Indeterminata, & indeterminatè repræſentantia, ſicut ſunt ipſæ cogitationes, neg. Sicut ergo cùm nos patefacimus aliquod ſecretum per verba vocalia,

lia, licèt illud ſecretum in mente ſit indifferens ad repræſentandam affirmationem, vel negationem; attamen prout voce profertur, non eſt indifferens, ſed determinatum; quia vox eſt determinata ad ſignificandum: vt cùm dico: *Amo*; ſignificat affirmationem amoris; ita à pari cùm Angelus format verbum determinatè repræſentans ſecretum cordis; tunc exprimit determinatè affirmationem, vel negationem, quam non exprimebat ſecretum cordis; ideo illud, non iſtud, cognoſcitur ab Angelo.

35 Obijc. 4. *Gonet.* Loqui eſt manifeſtare ſuū conceptum alteri; ſed ex eo, quòd vnus Angelus dirigat, & ordinet ſuum conceptum ad alterum, ei manifeſtat ſuum cōceptum; ergo per hoc præcisè Angelus loquitur. Prob. mi. Ad hoc, vt Angelus manifeſtet ſuum conceptum alteri, ſufficit, quòd illum reddat de pertinentibus ad ipſum; quia Angelus natus eſt per ſpecies, quas habet, naturaliter cognoſcere omnia ad ſe ipſum pertinentia; ſed eo ipſo, quòd dirigat ſuum conceptū ad alterum, vult ſuum conceptum pertinere ad illum; ergo per hoc, quòd dirigat, & ordinet ſuū conceptum ad alterum, ei illum manifeſtat.

36 Conf. 1. Ideo actus liber vnius Angeli ex natura ſua eſt occultus alteri Angelo, quia habet dominium liberum in illum actum, & ius ſibi connaturale reſeruandi ſibi notitiam illius, quandiu voluerit; ſed ex eo, quòd liberè illum dirigat ad alterū Angelum, cedit iuri, & dominio, quod habet illum occultandi; ergo incipit alteri Angelo manifeſtari. 2. Hæc eſt differentia inter locutionem Angeli, & hominis; homo enim nō loquitur ex eo præcisè, quòd dirigat ſuum conceptum ad alterum hominem; quia licèt ille conceptus occultetur ratione dominij; attamen occultatur etiam denſitate carnis illum velantis; actus liber verò Angeli velatur ſolùm ratione dominij; ergo licèt homo non poſſit loqui alteri homini dirigendo ſuum actum liberum; quia adhuc obſtat denſitas carnis, ne manifeſtetur; attamen Angelus præcisè dirigendo poteſt loqui alteri Angelo, quia nullum habet obſtaculum carnis.

37 Reſp. ad arg. neg. mi. Ad prob. diſt. ma. Sufficit, quòd reddatur de pertinentibus ad ipſum, & fiat determinatus ad repræſentandam affirmationem, vel negationem, conc; ſed in hoc ſenſu neg. mi; & maneat indifferēs, neg; & in hoc ſenſu conc. mi.

38 Ad 1. conf. neg. ma; ratio nanque dominij non ſufficit ad occultandum actum, vt dictum eſt *in ſup. q. art. 9.* Ad 2. dicitur, quòd differentia inter locutionem hominis, & Angeli eſt, quòd locutio hominis eſt corporalis; locutio verò Angeli mentalis, quæ differentia colligitur *ex Beatiſſ. P. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 2.* vbi quærēs, an quādo dixit Deus: *Fiat lux*; diſtinguit dicere in corporale, & mentale. Sicut ergo dicere corporale eſt prolatio verbi corporalis; ita dicere mentale eſt prolatio verbi ſpiritalis. Igitur quemadmodum Deus Pater, quia eſt naturæ ſpiritualis, loquitur producendo Verbum mentale; ita dicendum eſt de Angelis, qui pariter ſunt naturæ ſpirituales. Vnde ſi locutio Angelorum poſſet ſaluari per ſolam directionem cognitionis, poſſent *Hæretici, & Iudæi* hoc dicere de locutione Patris, & ſic tollere generationem Verbi, quæ nequit explicati per ſolam directionē cognitionis paternæ.

39 Quæres, an Angeli loqui valeant in quacunque diſtantia?

Reſp. affirmatiuè, in tantùm enim homines nequeunt loqui, & audiri in quacunque diſtantia, in quātùm ſonus vocis nequit deferri ad aures audientis, niſi in tanta diſtantia; & ideo videmus, quòd qui habet maiorem vocem, & arteriā magis ſonoram, loquitur in maiori diſtantia, quā qui habet debiliorem vocem, & arteriam minùs ſonoram, vnde artificio cuiuſdam campanæ factū eſt, vt deferatur ſonus vocis ad maiorem diſtantiam, & ſic fiat locutio in maiori diſtantia; cùm enim homo non audiat, niſi per receptionem ſpecierum ipſius vocis; ideo ſi ſpecies non deferatur ad aliquam diſtantiam, nequit fieri auditio, & per conſequens locutio, quæ importat auditionem. At verò Angelus, cùm loquatur intellectualiter formando verba in ſe ipſo abſque eo, quòd illa imprimat in intellectū Angeli audientis; cunque intellectio poſſit fieri in quacunque diſtantia rei intellectæ, vt patet; ideo Angelus poteſt loqui in quacunque diſtantia.

ART. II.

Quot modis loquantur Angeli?

1 Diximus *in ſup. art.* Angelum loqui Deo, ſibimetipſi, alteri Angelo, & nobis. Quærimus in præſenti; an eodem modo loquatur his omnibus; an verò diuerſis modis; veluti diuerſis idiomatibus intellectualibus loquatur, ſicut nos diuerſis idiomatum vocibus diuerſis gentibus loquimur.

2 Vnica concl. Angeli loqui poſſunt Deo ſex modis; ſibimetipſis quinque modis; alijs Angelis duobus modis; nobis autem vno tantùm modo. *Ita Fund. Doct. in 2. vbi ſ.*

Prob. 1. pars concl. Angeli loquuntur Deo. 1. patefaciendo ſuas affectiones, & ſua deſideria; nam eo ipſo, quòd aliquis manifeſtat ſuum deſiderium alicui, dicitur ei loqui; cùm locutio ſit manifeſtatio alicuius exiſtentis in corde; hinc dicitur *pſ. 9. Deſiderium cordis exaudiuit auris tua*; exaudire autem ſupponit locutionem; & ideo manifeſtatio deſiderij eſt locutio. 2. Loquuntur Deo admirando, & venerando illius maieſtatem; nam admirari, & venerari maieſtatem Dei eſt quadam voce intellectuali in eius laudem prorumpere; & in hoc ſenſu *Seraphim* clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius*, idèſt vt exponit *Fund. Doct: Plena eſt vniuerſa creatura eius maieſtate.* 3. Loquuntur Deo per patefactionem ſui

ſui cordis, & ſuæ mentis ſine formatione verborum; quatenus nedum manifeſtant ſuas actiones iam formatas;ſed etiam formandas;Deus enim nedum intuetur actus voluntatis, & intellectus præſentes, ſed etiam futuros. 4. Loquuntur formando verbum intellectuale; ex eo enim, quòd conuertant ſe ſuper ſpecies, quas habent in memoria, formant verbum,ſeu ſpeciem expreſſam, quam Deo manifeſtant. 5. Loquuntur Deo formando verba ſpecialia, quæ ſunt ſigna alterius verbi determinatè repræſentatiua illius eo modo, quo vnus Angelus loquitur alteri Angelo manifeſtando ſua ſecreta, vt diximus in *ſup. art.* 6.Loquuntur Deo per applicationem ſuæ virtutis ad hæc corporalia, quod tripliciter fit, ſcilicet formando ſonos in aere;reducendo humores in phantaſiam,vel mouendo corpus abſque alia transmutatione; his enim omnibus modis manifeſtat ſuos conceptos intellectuales; ergo Angeli loquuntur Deo ſex modis.

3 Prob.2.pars concl. Angeli.1. manifeſtant ſibi ſuas affectiones,& ſua deſideria,quæ actu eliciunt;cognoſcuntur enim ab ipſis Angelis.2.Manifeſtant ſibi admirationem Diuinæ Maieſtatis; cognoſcunt enim ſe admirari Dei Maieſtatem.3. Cognoſcũt verba à ſe ipſis formata.4.Cognoſcũt verba ſpecialia, quibus exprimunt ſua ſecreta.5. Cognoſcunt ſuam applicationem ad hæc corporalia,quæ omnia illis ſunt nota,& manifeſta mox, vt efficiuntur ab Angelis;non tamen cognoſcunt verba,& affectiones formandas,quia non cognoſcunt futura libera contingentia, vt diximus *in ſup. q. art.* 8; *hinc D. Dion. 7. de Cæl. Hier* ait, quòd *Angeli ignorant virtutes proprias*, quia naturaliter loquendo non cognoſcunt omnia, quæ facturi ſunt; & ideo ignorant cor ſuum; & hoc modo non loquuntur ſibi;ſicut loquuntur Deo, cui omne cor patet; ergo Angeli loquuntur ſibi ſolùm quinque modis.

4 Prob.3. pars concl. Vnus Angelus loquitur alteri formando verba ſpecialia, & applicando ſuam virtutem ad hæc corporalia,vt dictum eſt *in ſup. art*; non loquitur autem manifeſtando ſuas affectiones ſecretas abſque formatione verborum ſpecialium determinatè illas repræſentãtiũ: quia affectiones hoc modo conſideratæ ſunt ignotæ alteri Angelo; vt *ſup.* dictũ eſt; neque loquitur per cordis patefactionem ſine formatione verborum, quia hoc modo nec loquitur ſibi; nec per admirationem Diuinæ Maieſtatis; quia Angelus non loquitur admirando Diuinam Maieſtatem niſi cogitando eandem Maieſtatẽ; talis autem cogitatio nequit eſſe nota alteri Angelo; quia ſecundùm ſe eſt indifferens ad affirmationem, vel negationem; ergo non loquitur alteri Angelo niſi duobus modis.

5 Prob.4.pars concl.Angelus nequit loqui homini niſi per ſigna corporalia;quia verba, quę format Angelus in mente, ſicut & ipſa mens, aut cor Angeli nequit immediatè cognoſci ab homine; ergo Angelus non loquitur homini niſi vno modo. Hic autem modus ſubdiuiditur in triplicem; vt dictum eſt; nam vel loquuntur homini formando verba in aere; vel mouendo, & reducendo ſpecies ad phantaſiam; vel ſe applicando alicui corpori abſque aliqua transmutatione ipſius corporis; hæc enim tria poſſunt cognoſci ab homine. *Vid.D.Greg.lib.2.Mor*; quem refert.*Fund.Doct*,vbi diffusè agit de hac re.

6 Obijc.1.cont.1.part.Loqui eſt aliquid occultum alteri manifeſtare; ſed nihil Deo eſt occultum; ergo Angelus non loquitur Deo.

Reſp. neg.ma. vniuerſaliter,nam loquimur nedum ea, quæ ſunt occulta, ſed etiam ea, quæ ſunt manifeſta.

7 Obijc.2.cont.2. part. Locutio eſt ad alterum,quia locutio eſt propter ſociabilitatem vitæ;ſocius autem eſt alter à ſe; ergo Angelus non loquitur ſibi.

Reſp. diſt. ant. Locutio eſt ad alterum tantùm, neg; etiam, conc. Locutio ergo eſt manifeſtatio,quæ,cùm poſſit fieri & alteri, & ſibi; ideo locutio nedum eſt ad alterum, ſed etiam ad ſe.

Obiectiones cont.3.partem iam ſolutæ ſunt *in ſup. art.*

8 Obijc.3.cont.4. part. Eadem eſt ratio de loquente, & locutione; ſed Angelus eſt nobis ignotus; ergo & eius locutio; & ideo nequit loqui nobis.

Reſp.neg.ma;exiſtens enim in tenebris poteſt clarè percipere locutionem abſque eo,quòd clarè cognoſcat,quis loquatur;ita à pari.

9 Quæres, an Deus loquatur; & quomodò eius locutio diſtinguatur à locutione Angelorum,& noſtra?

Reſp.Deum loqui eſſe dogma Fidei; quæ docet Deum Patrem producere Verbum Diuinum,productio autem Verbi eſt locutio. Loquitur autem Deus ſibi producendo Verbum,quod eſt expreſſiuum, & manifeſtatiuum ſui. Loquitur Angelis, & nobis per illud idem Verbum aliquid efficiendo in Angelis, & nobis. Primum legitur *Iſaiæ* 4, vbi de Verbo Diuino dicitur: *Quod os tantùm Patris locutum eſt*. Secundum habetur *Hebr.1.Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*. Loquitur autem nobis per internas,& externas vocationes,& inſpirationes. Diſcrimen verò inter locutionem Dei, & creaturæ eſt, quòd illa fit ſine mutatione Dei per ſolam mutationem factam in creatura loquente; iſta verò fit per mutationem nedum creaturæ audientis, ſed etiam loquentis; præterea locutio, qua Deus loquitur creaturæ, eſt idem,ac illuminatio; locutio autem, qua creatura loquitur ad Deum;& qua vna creatura inferior loquitur cũ ſuperiori, non eſt illuminatio;vt *ſup.* dictum eſt.

QVAE-

QVÆSTIO VI.
De Actibus Hierarchicis,
SEV
De Purgatione, Illuminatione, & Perfectione Angelorum.

ACtus Hierarchicos, ſeu purgationem, illuminationem, & perfectionem Angelorum inferiorum fieri per actus intellectus docet *D.Dion.de Cal.Hier. c.7; & 8;* Angeli enim ſuperiores purgant, illuminant, & perficiunt inferiores docendo eos Diuinam ſcientiam, ſeu cognitionem myſteriorum Dei, quæ ſecundùm ſeipſos ignorant. Etenim cùm ſint aliqua futura pertinentia ad ſtatum gratiæ, & gloriæ Electorum, quæ non vident in Diuina Eſſentia, niſi Angeli ſuperiores, vtpotè maiori lumine Gloriæ præditi; cùmque horum futurorum executio per Angelos inferiores impleri debeat, quibus impoſitum eſt à Deo miniſterium creaturarum rationalium; ideo eos docent futura pertinentia ad gratiam, & gloriam eis illa oſtendendo in Diuina Eſſentia, & ſic illos purgant, illuminant, & perficiunt; & vt ait *idem D. Dion;* Deus per Angelos ſuperiores reducit inferiores in Diuinam ſcientiam; idèſt facit, vt per Angelos ſuperiores videant in Diuina Eſſentia ea futura, quæ non videbant; ea etenim, quæ ſunt præſentia, clarè vident omnes Beati per lumen, quod habet, abſque eo, quòd illuminentur ab alijs. Igitur hanc quæſtionem hìc ſubnectimus, vt exacta cognitionis Angelorum notitia habeatur. Cùmque purgatio, illuminatio, & perfectio fiant per locutionem, & ſe habeât ad illam, tãquam ſpeciale ad commune, vt dictum eſt in *ſup.q;* poſtquam de illa diſcurrimus, recto ordine ad agendum de iſtis procedimus.

ART. I.

An, & quomodò Angelus ſuperior purget, illuminet, & perficiat inferiorem?

1 D*Iu.Dion.vbiſ.* aſſerit Angelos primæ hierarchiæ eſſe purgantes, illuminantes, & perficientes Angelos ſecundæ hierarchiæ; Angelos verò ſecundæ hierarchiæ eſſe purgatos, illuminatos, perfectos, & ſimul purgantes, illuminantes, & perficientes Angelos tertiæ hierarchiæ; Angelos autem tertiæ hierarchiæ eſſe purgatos, illuminatos, & perfectos; non autem purgantes, illuminantes, & perficiẽtes. Quod intelligendum eſt comparatiuè tantùm ad ipſos Angelos; nam cõparatiuè ad Deum, certum eſt, (ait idem *D.Dion. ibid: Prima igitur cæleſtium ſpirituum ſacratiſſima functio à Deo, vt diximus, erudiri*) etiam Angelos primæ hierarchiæ à Deo purgari, illuminari, & perfici, quatenus Deus illis determinatè oſtendit plura futura, quæ Angeli ſuperiores reuelant Angelis medijs, & Angeli medij Angelis infimis, qui pariter comparatiuè ad homines, quibus poſſunt illa reuelare ex imperio Dei, poſſunt dici purgantes, illuminantes, & perficientes ipſos homines, vt docet *D.Dion.c.8.ſeq.*

2 Quoniam tamen purgatio, illuminatio, & perfectio Angelorum ſunt idem actus, vt patebit, ideo de his ſimul agimus, claritatis tamen gratia diſtinctis §. diſcurremus.

§. 1.

An Angelus ſuperior purget inferiorem?

3 NOtat *Fund.Doct.in hac diſt.9. q.1.in reſol. art.4. ex D. Dion. de Eccl. Hier.c.7.* quatuor eſſe purgationũ genera. Primũ genus eſt à maculis immundis, & à corruptione, quæ poteſt rei competere per naturam. Secundũ à maculis, quæ poſſunt rei competere per culpã. Tertium à materialibus phantaſmatibus, quæ competunt homini ratione modi imperfectè cognoſcendi. Quartum ab imperfectione, ſeu à neſcientia, vel diminutione luminis, non quidem priuatiua, quaſi priuati ſint lumine ſibi debito, ſed quaſi negatiua eò, quia non habeant tantùm luminis, quantum ſufficit ad ea myſteria, quæ reuelantur per ſeipſos, inquirenda. *Hoc not.*

4 Vnica concl. Angeli ſuperiores purgant inferiores ſolùm quarto modo. Habetur *ex D.Dion, & Fund.Doct.vbiſ.*

Prob. ratione. Purgatio Angelorum inferiorum fit ſolùm per ordinem ad diſcenda Diuina myſteria, quæ per ſeipſos ignorant, ſed Angeli inferiores non ignorant Diuina myſteria eò, quia ſint corruptibiles naturaliter; nã ſolũ corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt docet. *Apoſt;* ne feratur in ſublimes ſpeculationes; eſt enim corpus ob ſuam denſitatem materialem impedimentum ad cognoſcendum; neque ignorant propter maculam peccati, quæ excæcat intelligentiam; neque propter phantaſmata materialia, quæ res ſummè ſpirituales nequeunt repræſentare; Angeli enim ſancti (de quibus loquimur) neque habent corpus corruptibile, neque peccata, neque intelligunt dependenter à phantaſmatibus; ergo Angeli inferiores purgantur ſolùm ab imperfectione, ſeu defectu, quaſi negatiuo, quem habent propter luminis gloriæ debilitatem.

5 Conf. *ex Fund.Doct. vbiſup.in reſol.art.5.* Purgatio Angelorum inferiorum ſe habet, ſicut purgatio intellectus diſcipuli facta à magiſtro docente illum aliquam ſcientiam; ſed diſcipulus non purgatur à corruptibilitate corporis, neque à culpis animæ, neque à phantaſmatibus materialibus, ſed ſolùm à neſcientia, ſiue ab imperfectione, vel diminutione intellectus, quam patitur eò, quia per ſeipſum nequit inueſtigare talem

ſcien-

ſcientiam; ergo Angelus inferior non purgatur primis tribus modis,ſed ſolùm quarto modo.

6 Dices 1. Purgare eſt mundare ab immunditia;ſed in Angelis inferioribus non eſt aliqua immunditia;ergo non purgantur. 2.Si Angeli indigerent purgatione,maximè fieret per gratiam; ſed gratia infunditur à ſolo Deo; ergo non purgantur ab alijs Angelis. 3. Angelus eſt imago Diuinæ ſpecioſitatis *ex D.Dion. de Cœl.Hier*; ergo non indigent purgari.

Reſp.ad 1. diſt. ma. Purgare poſitiuè,conc; quaſi negatiuè, neg.ma.abſolutè, vt dictum eſt. Ad 2.diſt.ma.Purgare à culpa eſt per gratiam, conc;à neſcientia,neg;eſt enim per doctrinā. Ad 3.diſt. ant. Eſt imago Diuinæ ſpecioſitatis diminuta,& imperfecta,quæ poteſt purgari,& perfici ab Angelo ſuperiori per doctrinam, conc;perfecta,& adæquata,neg.

7 Quomodò autem fiat iſta purgatio,explicabitur *in ſeq.*§;vbi trademus modum,quo fit illuminatio;cū enim purgatio,illuminatio, & perfectio ſint idem,vt *ſup.* dictum eſt; ideo eodem modo de his tribus loquendum eſt.

§. 2.

An,& quomodò Angeli ſuperiores illuminent inferiores?

8 G*Onet hic diſp.13. art. 1. in fine, §. Ad complementum;& plures alij Recentiores* aſſerunt illuminationem eſſe manifeſtationem alicuius veritatis occultæ; & eſſe ſolùm de rebus extra Verbum,non in Verbo per viſionem beatam; quia viſio beata non poteſt creſcere; & ideo nequit aliquid de nouo per ipſam cognoſci; tum quia quantùm ad viſionem beatam omnes immediatè illuminantur à Deo;& affert *textum D.Tho.hic art.1*;qui tamen *textus* eſt manifeſtè cōtra *ipſum Gonet*;aſſerit enim *S.Doct.*,quòd omnes immediatè vident eſſentiam Dei, *ſed rationes Diuinorum operum, quæ in Deo cognoſcuntur, ſicut in cauſa, omnes quidem Deus in ſe ipſo cognoſcit,quia ſe ipſum comprehendit. Aliorum verò videntium Deum tantò vnuſquiſque plures rationes cognoſcit,quantò eum perfectiùs videt.Vnde Angelus ſuperior plura in Deo de rationibus Diuinorum operum cognoſcit, quàm inferior; & de his eum illuminat*. Si ergo Angelus ſuperior illuminat inferiorem de his, quæ videt in Deo, iam illuminat de rebus cognitis in Verbo, non extra Verbum.

9 Igitur hæc explicatio illuminationis deficit in tribus. 1.Quia non omnis manifeſtatio veritatis occultæ eſt illuminatio; nam manifeſtatio veritatis naturalis non eſt illuminatio; quia illuminatio eſt manifeſtatio myſteriorum Dei; vt videbimus *ex D. Dion*; aliter Angelus inferior manifeſtans Angelo ſuperiori ſuum ſecretum naturale illū illuminaret; quod eſt falſum; ſicut enim diſcipulus manifeſtans magiſtro ſuam cogitationem non illuminat magiſtrum; ita à pari. Illuminatio ergo fit ſolùm per ſuperiorem, non per inferiorem. 2. Quia,vt dictum eſt,& mox probabitur,illuminatio fit ſolùm ſecundùm ea, quæ videntur ab Angelo ſuperiori in Diuina Eſſentia, in qua oſtendit Angelo inferiori ea,quæ non videbat. 3.Quia ratio aſſumpta non probat; quanuis enim viſio beata non poſſit creſcere intenſiuè,& ſpecificatiuè quantùm ad obiectum primarium; poteſt tamen creſcere extenſiuè quantùm ad obiectum ſecundarium;patet enim,quòd Angeli de facto nō videbunt determinatè diē Iudicij;quem tamen videbūt per viſionē beatā; & ſic non vident quoſdam electos futuros, qui non pertinent ad eorum ſtatum; quos tamen poſtea videbunt; non enim vident omnes actus liberos; vt diximus *to.1. de Inuiſib.Dei q.4.art.3*; nec vident omnia futura;vt *ibid.q.5.art.2*; videre enim omnia decreta libera,& omnes creaturas futuras eſt prærogatiua ſolius Chriſti Domini;vt fatetur etiam *ipſe Gonet.to.de Viſ.*

10 Dicendum igitur *cum Fūd.Doct. de Cog. Ang.q.14.*non longè à fine;*& in 2.diſt.9.q.1.in reſol.dub.2.§.Poteſt autem;& art.5. in reſol. dub. 4.§.Secundò hoc idem.* Dicendum, inquam, quòd illuminatio eſt propoſitio myſterij ſupernaturalis cogniti ab Angelo ſuperiori per viſionē beatam facta Angelo inferiori per verbum naturale, & per lumen naturale adhoc, vt illud cognoſcat per viſionē beatam in eſſentia Diuina; nam *de Cog.Ang.vbiſ.* poſtquam recitauit opinionem *aliquorum* ſentientium Angelos ſuperiores cognoſcere in Deo tanquam in cauſa;Angelos autem inferiores cognoſcere extra Deum, ait: *Sed hoc ſtare non poteſt; nam oportet, quòd & ipſi inferiores, cùm illuminantur à ſuperioribus, videāt in ipſo Deo illa eadem,quæ vident ſuperiores*. Quod habet etiam expreſsè *in 2.in reſol.art.5. ad 5. in fine* dicens: *Sic ſufficit,quòd Angelus ſuperior de veritate, quam vult oſtendere inferiori,formet in ſe ipſo particulares conceptus proportionatos ſpeciebus Angeli inferioris adhoc,quòd poſſit Angelus apprehendere veritatem illam, & ſecundùm illum ferri in Deum, & in Deo tanquam in cauſa, excitatus, & confortatus à ſuperiori modo, quo diximus, poſſit videre veritatem illam*. Ratio primi eſt;quia illuminatio eſt per ordinem ad aliquod myſterium altius, & ſublimius intellectu Angeli inferioris; ergo eſt ſolùm per ordinem ad manifeſtandum aliquod myſterium Dei; nam ea, quæ ſunt ordinis naturæ,ſi ponantur actu à parte rei,&ſint determinata in ſe ipſis,ſtatim cognoſcūtur à quolibet Angelo; futura autem, cùm ſint determinata ſolùm in voluntate Diuina, ideo in illa ſolùm poſſunt determinatè videri; & ſic euaditur, quòd manifeſtatio ſecretorum cordis ſit illuminatio; quia ſecretum cordis Angelici nō eſt myſterium Dei. Ratio ſecundi eſt;quia vt docet *D.Dion.de Cœl.Hier.c.7*; *illuminatio eſt Diuinæ ſcientiæ aſſumptio*; ſiue *participatio Diuinæ ſciētiæ*;ait enim: *Illud quoque paucis non inconuenienter addiderim,quòd participatio ipſa Diuinæ ſcientiæ,*

Digitized by Google

tia, & purgatio, & illuminatio ſit, atque perfectio; dum præindultam ſibi ordinatiſſimè perfectionem myſteriorum notionem velut ab ignorantia purgat. Ipſaque Diuina ſcientia illuminat, per quam etiam purgat; dum quæ antea non videbantur, ſublimioris nunc intelligentiæ luce panduntur; perficit itidẽ hoc lumine, dum altiſſimorum ſenſuum firmam, perſeuerantemque ſcientiam tradit. Ex quo ſic arguit *Fund. Doct.* Scientia myſteriorum futurorũ nequit haberi niſi per claram viſionem Dei; quia futura non habent eſſe determinatum niſi in eſſentia Diuina determinata per voluntatem Dei; & ideo nequeunt certò videri, & clarè niſi in eſſentia Diuina, tanquam in cauſa eorum infallibili; ſed illuminatio eſt participatio ſcientiæ Dei; vt ait *D. Dion*; ergo illuminatio nequit haberi niſi per viſionem beatam myſteriorum, ſeu Sacramẽtorum Dei in Diuina eſſentia, tanquam in cauſa. Pręterea hoc eſt diſcrimen inter illuminationem viæ, de qua ſæpe *apud Apoſt*; & illuminationem Patriæ, de qua loquimur; quòd illuminatio, quæ habetur *hic* in via, eſt per Fidem, de cuius ratione eſt obſcuritas; illuminatio verò, quæ habetur in Patria, importat claritatem, quæ eſt de ratione Patriæ, in qua nulla eſt obſcuritas; ſed illuminatio clara habetur tantùm per viſionem beatam, per quam ſolùm videntur clarè myſteria ſupernaturalia; ergo illuminatio Angelorum habetur ſolùm per ordinem ad myſteria cognoſcenda clarè in Diuina eſſentia per viſionem beatam ab Angelo inferiori.

11 Conſ. *ex Fund. Doct.* Si magiſter reuelet diſcipulo aliquam concluſionem in ſe ipſa; illam autem non reuelet in ſua cauſa; tunc generat in diſcipulo fidem, & credulitatem; nõ autem ſciẽtiam, quæ eſſentialiter eſt cognitio rei per cauſam; ergo ſi Angelus reuelaret alteri Angelo aliquod myſterium, ſeu Sacramentum Dei in ſe ipſo, & non in Diuina eſſentia, iam generaretur in Angelo inferiori fides, aut credulitas, non autem clara, & lucida ſcientia, quæ eſt cognitio effectuũ per ſuam cauſam; atqui illuminatio eſt participatio ſcientiæ, quam habent Angeli ſuperiores in Deo; ergo non eſt reuelatio alicuius veritatis extra Deum, ſed in Deo. Præterea Fides eſt obſcura; eſt enim de non viſis; ergo ſi Angeli ſuperiores proponerent myſteria ſimpliciter credenda, & non ſcienda in ſua cauſa, potiùs illos obſcurarent, quàm illuminarẽt; ergo illuminatio eſt manifeſtatio myſteriorum Dei in Diuina eſſentia, tanquam in cauſa; quæ manifeſtatio cùm non fiat niſi per viſionem beatam, quia per ſolam viſionem beatam videtur clarè Diuina eſſentia; ideo illuminatio fit ſolùm per viſionem beatam.

12 Prætcrea illuminatio, vt communiter loquuntur *Antiqui, eſt reductio in Deum*; & colligitur *ex D. Dion. de Cæl. Hier. c.* 4; ubi ait: *Vt id ſanctiſſima, ac Diuinæ Legis inſtitutione caueretur, priora ſequentibus iter ad Deum ſternere; nõ enim ſolùm in ſuperioribus, inferioribuſq; ſpiritibus lex iſta conſtituta eſt; verùm in æqualibus quoque, & qui eiuſdem ordinis ſunt. Quippe ſtatuit Summus ille, ac ſuperſubſtantialis omnium ordo per ſingulas diſtinctiones primos, & medios, extremoſq; eſſe ordines, atque virtutes; vt ſcilicet inferiorum ſpirituum excellentiores quoque Præceptores, ac Duces ſint, per quos illi acceſſum habeant ad Deum, & ad lucem illam ſecretiſſimam Dei, ſocietatemq; perueniant.* Ex quo ſic. Si illuminatio eſſet manifeſtatio alicuius veritatis cognoſcendæ extra Deum, non eſſet reductio in Deum; quia Angelus illuminans cognoſceret vtique per viſionem beatã; ad illam tamen non reduceret Angelum illuminatum faciendo, vt per illam cognoſceret myſterium reuelatum; ſed hoc eſt contra communem definitionem illuminationis *ab antiquis* traditã, & contra *D. Dion*; ergo & id, vnde ſequitur. Inſuper Angeli illuminantes ſunt duces, & præceptores Angelorum illuminatorum, nedum docentes eos myſteria Dei, ſed etiam ducentes eos ad ea clarè in Deo videnda; ſed ſi Angeli illuminati non viderent ea myſteria in Deo, non ducerentur ad Deum; & ſi non viderent eos effectus in ſua cauſa determinata, non edocerentur ſcientiã Diuinam, ſicut diſcipulus edocetur à magiſtro; diſcipulus enim acquirit ſciẽtiam, quatenus Magiſter manifeſtat ei effectus in ſua cauſa, vt *ſup.* dictum eſt; ergo Angeli inferiores illuminantur videndo per viſionem beatam myſteria ſibi manifeſtata.

13 Remanet igitur, quòd illuminatio eſt manifeſtatio myſteriorum Dei facta à Deo in eſſentia Diuina, in qua Angelus ſuperior percipit eadem myſteria; & ea reuelat Angelis inferioribus percipientibus eadem myſteria in eſſentia Diuina; cùm enim Angeli inferiores non habeãt tantùm luminis gloriæ, quantùm habent ſuperiores; ideo nequeunt percipere manifeſtationẽ factam à Deo immediatè; ſed debent inſtrui ab Angelis ſuperioribus, qui illam percipiunt. Sicut Magiſter proferens vnum verbum ſubtile percipitur à diſcipulis ab ipſo benè illuminatis, non tamen à rudibus; & ideo oportet rudes ab illuminatis erudiri.

14 Solus *Dur. in 2. diſt. 11. q. 3.* vult Angelos ſuperiores non illuminare inferiores ordine cauſalitatis, ſed ſolùm ordine dignitatis; quatenus Deus priùs illuminat Angelos ſuperiores, & deinde inferiores.

15 Ceterùm hæc ſententia communiter exploditur; & primò communiter *ex D. Dion. de Cæl. Hier. c.* 7; vbi ſecundũ verſionẽ, quę apud nos eſt (quanuis ſecũdùm enim aliam aliter legatur, idem tamen ſignificatur) ſic habetur: *Iſtud nempe Theologi apertiùs indicant; inferiores ſcilicet Cæleſtium ſpirituum ordines à Superioribus Diuinorum operum ſcientiam honeſtiſſimè diſcere; qui verò celeriores omnibus ſunt, à deitate ipſa (vt fas eſt) ſeorſum ſacratiùs erudiri; quoſdam enim ex ipſis inducunt à prioribus Sacramenta perdiſcere,*

Do-

Dominumque Cæleſtium virtutum eſſe, ac Regem Gloriæ, qui humana forma aſſumptus eſſet in Cælum alijs ducẽtibus noſſe. Et clariùs *c.* 8. id probat *ex Zach.* 2; vbi vnus Angelus inferior cucurrit in occurſum Angeli ſuperioris, vt edoceretur myſterium Dei; ait autem: *Cernit nempe Zacharias vnus ex Theologis vnum ex primis, vt arbitror. Angelis, qui oculis Diuinæ Maieſtatis ſemper aſſiſtunt &c. Alium verò ex inferioribus Angelis in occurſum primi proceſſiſſe, vt Diuinæ per illum intelligentiæ capax, & particeps fieret; deinde cùm ab eo veluti antiſtite Diuinum conſilium didiciſſet; vt prophetam quoque doceret fuiſſe permiſſum; quòd vbertim habitabitur Ieruſalem à multitudine hominum.* Et confirmari poteſt ex auctoritate allata ſuperiùs *ex c.* 4; vbi Angeli ſuperiores vocantur *præceptores* Angelorum inferiorum. Ex quibus ſic. Ex eo, quòd vnus priùs alio doceatur, & illuminetur, nõ dicitur edoceri per illum; nec ille prior dicitur magiſter, & præceptor poſterioris; nec diſcere, & percipere ſcientiam ab illo; ſed Angeli inferiores docentur per ſuperiores, qui dicuntur magiſtri, & præceptores Angelorum inferiorũ, à quibus percipiunt, & diſcunt ſcientiam myſteriorum Dei; vt patet *ex Scripturis*, nam *pſ.* 23. clamabant Angeli ſuperiores ad Principatus, qui ſunt hierarchiæ inferioris, vt aperirẽt portas Regi Gloriæ aſcendenti ad Cœlos; à quibus Angeli inferiores petebãt: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quibus reſponderũt *eſſe Dominũ virtutum*; & *Zach. vbiſ.* Angelus inferior petijt edoceri ab Angelo ſuperiori myſterium, quod veniebat implere; ergo Angeli inferiores edocẽtur, & illuminantur à ſuperioribus ordine cauſalitatis, non autem ordine ſolius dignitatis.

16 Prob. autem *à Fund. Doct. hìc art.* 4. *in reſol. dub.* 1. triplici ratione. Prima eſt. Angeli inferiores non habent tantùm luminis, vt poſſint percipere illuminationes factas à Deo Angelis ſuperioribus; cùm enim Deus reuelet Angelis ſuperioribus veritates proportionatas eorum captui, quia agit conformiter ad naturam, & gratiam, quam habent; aliter fruſtra dediſſet eis dona naturalia, & ſupernaturalia, niſi eis deberent vti per ordinem ad actiones illis proportionatas; ideo Angeli inferiores (qui minorem habent capacitatem; cùm magis habeant de potentialitate paſſiua, & minùs de actualitate, quia magis diſtant ab eo, qui eſt actus purus) nequeunt percipere illuminationes immediatè factas à Deo in Angelis ſuperioribus, vtpotè inferioribus improportionatas; ergo ad hoc, vt illas percipiant, debent illuminari, & edoceri à ſuperioribus proponentibus illis veritates modo perceptibili ab inferioribus, atque illis proportionato. Secunda eſt. Angeli inferiores minùs habent de lumine, quàm habeant ſuperiores, & ideo habent priuationem exceſſus luminis, qui eſt in ſuperioribus, & qui requiritur ad percipiendas veritates proportionatas intellectui Angelorũ ſuperiorũ; ſed priuatio luminis non tollitur, niſi per illuminationem, quæ eſt forma oppoſita, vt patet in agẽtibus naturalibus, quæ non tollunt priuationem ab aliquo ſubiecto, niſi inducendo formam oppoſitam illi priuationi; ergo Angeli inferiores nequeunt percipere veritates reuelatas Angelis ſuperioribus, niſi ab ipſis illuminentur. Tertia eſt. Lex Diuinitatis in ordine ſupernaturali ſe habet, ſicut ordo naturæ in ordine naturali *ex D. Dion. vbiſup*; ſed in ordine naturæ videmus Solem, qui eſt ipſa lux corporalis, illuminare aſtra, aerem, & mediantibus illis hæc inferiora; ergo Deus, qui eſt ipſa lux ſupernaturalis, immediatè illuminat Angelos ſuperiores ſibi proximos, & mediantibus illis inferiores.

17 Dices *Apoc.* 21. habetur, quòd *Ciuitas Ieruſalem non eget Sole, & Luna; quia charitas Dei illuminauit eam*; ergo omnes beati immediatè illuminantur à Deo. 2. Illuminare eſt beatificare ſaltem accidentaliter; ſed ſolus Deus poteſt beatificare; ergo ſolus Deus poteſt illuminare. 3. Angelus ſuperior nequit infundere lumen in inferiorem, ergo nequit eum illuminare. Prob. ant. Hoc lumen vel eſſet naturale, vel ſupernaturale; non primum; quia lumen naturale eſt in omnibus Angelis inditum à natura; neque ſecundum; quia lumen ſupernaturale producitur à ſolo Deo, cuius ſolùm eſt agere ſupra naturã. 4. Perfectior eſt intellectus Angeli inferioris, quàm intellectus agens hominis; ſed intellectus agẽs eo, quia eſt perfectus, nequit illuminari; ergo multò minùs intellectus Angeli inferioris.

Reſp. ad 1; quòd claritas Dei illuminat *Ciuitatem Ieruſalem* immediatè eſſentialiter; mediatè verò accidentaliter; vnde quantùm ad obiectum primarium omnes beati immediatè illuminantur à Deo; quia nihil poteſt beare eſſentialiter, niſi Deus; quantùm verò ad obiectum ſecundarium, quod importat myſteria pertinentia ad creaturas, illuminantur quodam ordine cauſalitatis; & ideo aliqui illuminantur immediatè; alij verò mediatè, vt ſic infimi reducantur ad Deum per media; omnes tamen illuminantur à Deo, quia illuminatio, quæ eſt ab Angelis, eſt à Deo; & ideo ſolus Deus illuminat principaliter; ſicut ſolus Deus producit totum ordinem naturæ, licèt aliquas creaturas etiam mediãtibus alijs creaturis producat; ita quanuis Deus immediatè, & principaliter illuminet omnes beatos, attamen conſtituit, vt mediante ſua illuminatione etiam Angeli ſupremi illuminent infimos; & ſic ad 2; nam ſolus Deus beatificat principaliter eſſentialiter, quanuis beati ſuperiores beatificent accidentaliter, & miniſterialiter; ſicut quanuis ſolus Deus ſanctificet principaliter; attamen etiã creatura poteſt ſanctificare ſe ipſam, & aliam creaturam accidentaliter, & miniſterialiter, vt patet ex illo 1. *Io.* 3. *Omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe.* Ad 3. dicitur illuminationem non fieri per infuſionem luminis, ſed per propoſitio-

ſitionem miniſteriorum Dei, vt mox dicemus. Ad 4. vel dicitur intellectum agentem non eſſe cognoſcitiuum,& ideo non eſſe capacem illuminationis, de qua *hic* loquimur, quæ eſt tantùm per ordinem ad cognoſcendum aliquod obiectũ. Vel dicitur intellectum agentem poſſe ab alio lumine confortari, & ſic illuminari. Dimiſſa igitur hac opinione *Dur.*

18 Remanet inquirendum, quomodò fiat illuminatio in Angelis; circa quod eſt controuerſia inter *Theologos*.

19 Prima ſententia vult Angelum illuminare imprimendo aliquam qualitatem phyſicam, & realem in intellectum Angeli illuminati. Sed diuiſa eſt; *aliqui* enim volunt infundere aliquod lumen, quomodò Sol illuminat corpora; *vt Henric.Quodl.5.q.15.art.7*; *alij* intenderr lumen intellectuale Angeli inferioris; *vt Heruaus in 2.diſt.9.q.1.art.2*; *alij* producere qualitatem intẽtionalem ad modum virtutis inſtrumentalis; *vt Capr.diſt.11.q.2*; *alij* producere aliquam diſpoſitionem, qua mediante recipiunt Angeli inferiores lumen à Deo ad cognoſcenda obiecta reuelata; *vt Marſ,& Erric*; *alij* imprimere ſpeciẽ cognitionis obiecti manifeſtati; *vt Sua.lib.6.de Ang.c.13.n.24*; *alij* producere conceptum formalẽ, quo Angelus inferior cognoſcit rem manifeſtatam; *vt Scot. in 2.diſt.9.q.2*; *Baſſol*; *Oeb*; *& Gabriel.*

20 Secunda ſententia vult Angelum illuminare inferiorem vniendo ſuum lumen intellectuale, quo confortat lumen Angeli inferioris eo modo, quo vnus carbo ignitus poſitus iuxta alium carbonem ignitum ipſum magis confortat. Ita *Zum*; *& Ban*, qui volunt hanc eſſe ſentẽtiam *D.Tho*; cuius eſt exemplum *carbonis igniti*. Hanc ſententiam refert,& reijcit *Fund.Doct.* dicens, quòd lumen Angeli ſuperioris, vt vult hæc ſententia, poteſt circunfundi circa lumen Angeli inferioris abſq; eo, quòd ibi ſit ſubſtantia Angeli ſuperioris, propter quod euitatur illapſus.

21 Sententia tamen *D. Tho*; vt explicant *Fund.Doct*;*& Argent*, conſiſtit in duobus; cùm enim ad intelligendum duo concurrant, ſcilicet potentia intellectiua,& ſimilitudo rei intellectæ; ideo dicit *D.Tho.* illuminationẽ cõſiſtere in duobus; idèſt in cõfortatione potẽtię, quę cõfortatur, ſicut carbo minùs ignitus cõfortatur per carbonẽ magis ignitum;& in propoſitione obiecti eo modo, quo poteſt capere inferior. Quanuis *Thomiſtæ recentes* primam partem relinquant; oſtendit tamen *Fund.Doct*; quomodò poſſit veritatem habere. Igitur.

22 Noſtra tandem ſententia docet illuminationem fieri per propoſitionẽ myſterij à Deo reuelati illud proportionando capacitati Angeli inferioris per modum cuiuſdam (vt aiunt) magiſterij artificioſi; & confortando lumen ipſius, non quidem per impreſſionem alicuius qualitatis, vel intenſionem ipſius luminis, ſed per vnitionem, collectionem,& determinationem ipſius luminis ad repræſentandum determinatè illud myſterium. Ita *Fund.Doct. in 2. diſt.9. q.1. in reſol.art.5*; *& ſeq. pluries*; *& de Cog. Ang. q.14*; *& Quodl.6.q.16*; *Argent.in 2.diſt.9.q.1.art.3*; *Gibb. vbiſup.dub.2*; *& omnes Thomiſtæ recentes communiter*; *inter quos Io.à S.Tho*, *Gonet.diſp.13.art.2*; *Salm.* Item *D.Bon. in 2.diſt.10. art.2. q.1*, *Mol*; *Arrub*; *& alij* hanc ſententiam tradunt quoad 1. partem.

23 Vnica concl. Angelus ſuperior illuminat inferiorem ſolùm manifeſtando ei aliquod myſterium, ſeu Sacramentum Dei in eſſentia Diuina per viſionẽ beatam manifeſtatum à Deo Angelo ſuperiori in tempore; & hæc illuminatio formaliter conſiſtit in propoſitione ipſius myſterij modo proportionato captui Angeli inferioris eo modo, quo magiſter manifeſtat diſcipulo ſciẽtiam humanam ſine tamen impreſſione ſpeciei, aut cuiuſcunque alterius qualitatis,& in confortatione luminis Angeli inferioris per modum vnitionis,& determinationis ad hoc cognoſcibile in particulari; non verò per modum infuſionis, aut intenſionis luminis.

24 Prima pars concl; quæ aſſerit Angelum ſuperiorem illuminare inferiorem, ſatis probata eſt *contra Dur*; & altera pars aſſerens illuminationem eſſe manifeſtationem alicuius myſterij in eſſentia Diuina per viſionem beatam probata eſt *contra aliquos Recentes*. Duo ergo ſuperſunt oſtendenda; primum, quòd illuminatio non conſiſtit in impreſſione alicuius qualitatis facta in intellectu Angeli inferioris. Secundum; quòd conſiſtat in propoſitione alicuius myſterij modo proportionato capacitati Angeli inferioris,& in cõfortatione luminis ſupernaturalis ipſius vniẽdo, & determinando ipſum lumen ad vnum tantùm cognoſcibile.

25 Prob. primum. 1. Nullus Angelus poteſt agere in alium Angelum; ergo non illuminat aliũ Angelum per impreſſionem alicuius qualitatis in illo; illa enim qualitas eſſer producta ab Angelo illuminãte in Angelo illuminato. Ant. probatũ eſt *q.4.art.2.n.16*;*& art.4.§.2.n.35*;*& q.5.ar.1.n.18*, nã vr arguit *Fund.Doct.hic art.5.vbiſ*; illud, quod produceret Angelus illuminans in illuminato, vel eſſet ſubſtãtia, vel accidens? Si primum; ergo ſubſtantia ſpiritualis contingeret aliã ſubſtantiam,& ſic daretur illapſus. Si ſecundum; vel illud accidens trãſiret ab Angelo illuminante ad illuminatum; & ſic daretur migratio accidentis de ſubiecto in ſubiectum, quæ naturaliter repugnat. Vel educeretur de potentia paſſiua Angeli illuminati per actionem Angeli illuminantis; & ſic vnus Angelus eſſet tranſmutabilis ab alio ſecundùm accidentia, quod eſt inconueniẽs; tum quia cùm Angelus conſtituatur in loco per ſuam operationem; ſi eius operatio educeret de potentia paſſiua eſſentiæ alterius Angeli aliquam qualitatem, iam eſſet in eſſentia alte-

rius Angeli; & ſic daretur illapſus.

26 Dices. Sol illuminat aerem per emiſſionem ſuorum radiorum,qui ſunt in aere, vbi non eſt ſubſtantia Solis;ergo vnus Angelus poteſt illuminare alterum per emiſſionem ſuæ lucis,quæ ſit,vbi non eſt ſubſtantia Angeli illuminantis.

Reſp.*Fund.Doct.*neg.conſ; nam lumen Solis non eſt in Sole tãquam in ſubiecto, ſed in aere,vel in alio corpore illuminato; at verò lumen Angeli ſuperioris nequit eſſe, niſi in ipſo Angelo ſuperiori tanquam in ſubiecto, quia non poteſt eſſe in Angelo illuminato,aliter migraret de ſubiecto in ſubiectum; neque poteſt eſſe in aliquo corpore; quia lumen Angeli neque eſt corpus,neque virtus corporis.Prætetea Sol non cõſtituitur in loco per lucem, neque per operarionem,ſed per quantitatem; ideo lux Solis,& operatio poteſt eſſe, vbi non eſt ſubſtantia Solis; at verò Angelus cõſtituitur in loco per ſuam operationem,vt ſupponimus ex dictis;ideo oportet, quòd localiter eius ſubſtãtia ſit,vbi eſt eius operatio.

27 Conf.Si Angelus illuminans produceret aliquid in illuminato, vel immediatè illum contingeret,vel daretur aliquod medium corporale inter illuminantem, & illuminatum? Si primum; ergo daretur illapſus. Si ſecũdum;ergo illa qualitas producta pro eo tunc, quòd tranſiret de illuminãte ad illuminatũ, eſſet ſine ſubiecto,quod naturaliter repugnat;non enim eſſet in corpore medio,quia non eſt accidens corporis;neque eſſet in altero ex illis Angelis,vt patet;neque dici poteſt, quòd tranſirer de vno ad aliud ſine medio,quia eſt impoſſibile,vt *ſup.*oſtendimus.

28 Prob.2.Illud,quod produceretur in Angelo, vel eſſet ſpecies, vel actus intellectionis, qui dicitur conceptus formalis, vel nouum lumen, vel diſpoſitio ad lumen; vel intenſio luminis; ſed nullum ex his dici poteſt; ergo neque primum.Prob mi. Non ſpecies,quia Angelus nõ ſumit ſpecies à rebus, vt *ſup.* habitum eſt.Non actus cognitionis,quia actus cognitionis,vt qualitas eſt, licèt producatur ab obiecto *in noſtra Schola*, attamen nequit produci ab obiecto, niſi pront vnito cum intellectu,cuius eſt actus;quia *ex obiecto, & potentia paritur notitia*, tanquam proles ex parentibus,vt docet *Beatiſſ.P*; ex quorum coniunctione ſolùm gignitur proles; coniũctio autem duorum Angelorum dari nequit ſine illapſu.Neque lumen ſupernaturale,quod ſolùm inſeruit illuminationi, cùm fiat in Diuina eſſentia,vt dictum eſt;quia lumen ſupernaturale, cùm ſit potentia ſupernaturalis, à nulla creatura eſt producibilis;aliter etiam gratia poſſet produci. Neque diſpoſitio ad lumen, quia vltima diſpoſitio eſt in eodem ordine cum forma, ad quam diſponit;ideo ſicut non poteſt produci lumen,multò minùs poteſt produci diſpoſitio ad illud; licèt enim è contra poſſit produci forma,non tamen diſpoſitio ad formam; quia poteſt produci viſio beata, ad quam diſponit lumen gloriæ, non tamen poteſt produci lumen, quod eſt diſpoſitio ad illam. Neque tandem intenſio luminis, quæ fieret per iuxtapoſitionem luminis Angeli ſuperioris; ſicuti per iuxtapoſitionẽ carbonis magis igniti ad carbonem minùs ignitũ; nam in tãtùm vnus carbo confortat alterum, in quantùm inflammat aerem ambientem alterum, à quo extingueretur;vel ſaltem debilitatur;vel in quantũ carbo magis ignitus agit in minùs ignitum magis illum ignefaciendo; ſed nullo ex his modis poteſt intendi, & augeri lumen Angeli inferioris; quia nec poteſt extingui,aut debilitari à corpore circumiacente, neque in illud poteſt agere Angelus ſuperior; ergo nullo ex his modis fit illuminatio.

29 Prob.2.pars concl.Illuminatio Angelorum fit per modum doctrinæ; ſæpiſſimè nanque ait *D.Dion.* Angelos ſuperiores illuminare inferiores *docendo illos, erudiendo, & inſtruendo Diuinam ſcientiam*; ſed doctrina fit per ſolam propoſitionem rerum,quæ manifeſtantur, & per cõfortationem luminis illud determinãdo,& vniẽdo per ordinem ad aliquod obiectum particulare cognoſcendum; ergo illuminatio fit per propoſitionem myſteriorum Dei, & per confortationem luminis per modum determinationis, & vnionis ad vnum cognoſcibile.Prob.mi.Docere aliquem actum ſcientificum eſt facere, quòd diſcipulus percipiar illum effectum in ſua cauſa, ſicuti enim addiſcere actum ſcientificum nihil aliud eſt, quàm percipere ab alio cognitionem effectus in ſua cauſa;ita docere, quod eſt correlatiuum actiuum correſpondens verbo *addiſcere*,nihil aliud eſt, quàm agere, ſeu facere, quòd diſcipulus percipiat effectum in ſua cauſa;ſed ad facere, vt diſcipulus percipiat aliquem effectum in ſua cauſa,ſufficit illi oſtendere,& proponere effectum in cauſa verbis proportionatis,& accõmodatis illius capacitati;ſicut enim ad faciendũ, quòd oculus percipiat aliquod obiectum, quod priùs non videbat, ſatis eſt proponere, & oſtendere oculo illud obiectum in debita diſtantia, & medio illi proportionato;ita à pari dicendum de intellectu,qui eſt oculus animæ; & ex hoc, quòd magiſter docens proponat,& oſtendat diſcipulo aliquem effectum determinatum in ſua cauſa, determinat intellectum illius ad illud obiectum cognoſcendum in ſpeciali; hæc enim eſt differẽtia inter addiſcentem à magiſtro, & inquirẽtem per ſe ipſum ſcientiam; quòd intellectus addiſcentis à magiſtro determinatur ad cognoſcendum illum effectum, qui ei determinatè proponitur,& oſtenditur; inquirens autem per ſe ipſũ habet intellectum diſperſum ad plures effectus, & ad plures cauſas;cogitat enim nunc hoc,nunc illud; & ſic lumen diſperſum ad plura eſt magis debile;quia *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*; lumen verò determinatum ad vnum eſt magis forte, & validum; quia *virtus vnita fortior*;

tior; & ſic lumen addiſcentis à magiſtro dicitur confortari per determinationem ad vnum cognoſcibile, quod ei determinatè proponitur à magiſtro; ergo doctrina fit per ſolam propoſitionem, & oſtenſionem rerum, & per confortationẽ luminis illud determinando, & vniendo per ordinem ad aliquod obiectum determinatè cognoſcibile.

30 Dices. Ex eo, quòd magiſter loquatur diſcipulo, generat in eius auribus ſpeciem, quæ poſtea tranſmittitur ad phantaſiam; ergo ex eo, quòd Angelus ſuperior loquatur inferiori proponendo illi aliquod myſterium Dei, generat in illius intellectu ſpeciem repræſentatiuam illius.

Reſp. neg. conſ. paritas enim non debet currere in omnibus; ſed in hoc ſolùm conſiſtit, quòd ſicut magiſter docet diſcipulum ſcientiam per ſimplicem propoſitionem, & oſtenſionem effectus in ſua cauſa, & per confortationem luminis determinando illud ad vnum tantùm cognoſcibile; ita Angelus ſuperior docet, & illuminat Angelum inferiorem. In tantùm autem magiſter imprimit ſpeciem materialem in aures diſcipuli; in quantùm diſcipulus nõ habet in ſeipſo ſpeciem illius rei, de qua loquitur magiſter; quòd ſi illam haberet, non imprimeretur. At verò Angelus inferior habet in ſeipſo Diuinam eſſentiam, quæ ſecundùm ſe eſt repræſentatiua myſteriorũ Dei; illa tamen determinatè non cognoſcit, quia lumen ſupernaturale eſt nimis diſperſum; & per conſequens etiam intellectus cognoſcens ductu luminis eſt indeterminatus ad illa cognoſcenda in ſpeciali; & ideo niſi determinetur per propoſitionem, & oſtenſionem in particulari, nequit illud cognoſcere. Lumen autem Angeli ſuperioris, quod eſt maius, determinatur à Deo determinatè illud myſterium repræſentante in ſua Diuina eſſentia; quia tamen illa determinatio non eſt proportionata niſi capacitati Angeli ſuperioris; ideo non percipitur niſi ab Angelo ſuperiori, qui propterea dicitur à Deo illuminari; ad hoc autem, vt Angelus inferior illud percipiat, debet ſibi ab Angelo ſuperiori proponi, & oſtendi modo determinato, & ſpecialiori proportionato eius minori capacitati. Sicut enim magiſter habens diſcipulum ſubtilis ingenij, & alterum minoris capacitatis ad hoc, vt doceat primum, ſufficit, quòd ei proponat aliquod paucis, & ſublimibus verbis; quod tamen non percipietur à ſecundo, niſi ei idem proponat clarioribus, & diſtinctioribus verbis proportionatis minori lumini, & capacitati ipſius; ita à pari.

31 Conf. ex *D. Dion. de Cæl. Hier. c.* 15. dicente de Angelis ſuperioribus, quòd habent dentes, quibus partiuntur, diuidunt, & multiplicant vnicam intelligentiam, quam habent, vt poſſit accomodari captui Angelorum inferiorũ, & ſic percipi ab illis; ait autem: *Porro dentes diuiſionem indultæ ſibi perficientis alimoniæ, alentiſque perfectiones exprimere credimus; quælibet enim ſubſtãtia ſpiritalis, quam ab auguſtiore perceperit vnicam, & vniformem intelligẽtiam, prouida virtute diuidit, atq; multiplicat, dum inferiorem quoque pro captu ſuo promouet, atque ad altiora ſuſtollit.* Ex quo ſic. Ad hoc, vt Angelus ſuperior illuminet, & edoceat inferiorem, eumque ſuſtollat ad intelligenda myſteria, quæ ſunt altiora eius intellectu, ſufficit, quòd diuidat ſuam intelligentiam in plures intelligentias ſpecificas proportionatas captui Angeli inferioris; tunc enim Angelus inferior per ſe ipſum abſque eo, quòd eius intellectus aliquid de nouo recipiat, poteſt illa intelligere; ſatis nãque eſt, quòd obiectũ fiat proportionatum lumini ipſius, & ſpeciei, quam habet de tali obiecto; ſicut v.g. ſi aliquis homo haberet ſpeciem animalis terreſtris perfectè illud repræſentantem, & vellet docere alterum hominem habentem ſpeciem v. g. repræſentantem ſolum canem de aliquo euentu circa canem non repræſentato per ſpeciem canis, ſufficeret, quòd diuideret illam ſpeciem animalis terreſtris, & in illa repræſentaret ſolum canem oſtendendo ei determinatè illum euentum repræſentatum per ſpeciem animalis, prout continet ſpeciem canis; tunc enim illa ſpecies animalis ſic diuiſa fieret proportionata intellectui hominis habentis ſpeciem canis; qui propterea abſque nouo lumine, aut ſpecie poſſet illum euentum percipere; ergo illuminatio fit per ſolam oſtenſionem myſteriorum Dei modo proportionato capacitati Angelorum inferiorum abſq; infuſione nouæ ſpeciei, luminis, aut alterius qualitatis; illa enim myſteria repræſentantur in Diuina eſſentia, quam habent vnitam intellectui; nec percipiuntur eo modo, quo percipiuntur ab Angelo ſuperiori; qui vtpotè perfectior, ſub ratione magis vniuerſali illa cognoſcit; ſub qua ratione non poteſt percipere inferior, quia illa ratio, vtpotè improportionata ob excedentem vniuerſalitatem, excedit eorum intelligentiam; diuiſa tamen, & contracta ad rationem proportionatam captui Angeli inferioris ſtatim percipitur.

32 Dices. Angelus ſuperior illuminat inferiorem per viſionem beatam, vt dictum eſt; ſed nequit diuidere viſionem beatam, quæ eſt indiuiſibilis; ergo ruit allata ratio. Tum quia ſi Angelus ſic diuideret rationem vniuerſalem, hoc faceret formando verba ſpecialia accommodata captui Angeli inferioris; vt docet *Fund. Doct. hic in fine corp*; ſed per viſionem beatam nequit formare verbum; vt diximus *to. 1. de Inuiſib. Dei q. 3. art. 4*; ergo *hic* contradicitur.

Reſp; quòd licèt Angelus nequeat diuidere viſionem beatam, nec per illam formare verbum; poteſt tamen per locutionem naturalem proponere aliquod myſterium ſupernaturale cognitum per viſionem beatam, & formare verbũ naturale illud proponẽs Angelo inferiori. Sicut Prophetę licèt per cognitionẽ ſupernaturalẽ ex reuelatione Diuina cognouerint aliquod my-

ſterium per Fidem; attamen per locutionem naturalem formando verba naturalia illud proponebant populis;& ſic eos illuminabant,quatenus per illa verba Prophetæ loquentis ſe mouebant per Fidem ad credẽdum talibus myſterijs; nam vt ait *Fund.Doct.hic ad 3*;quanuis lumen, & locutio naturalis nequeat eſſe cauſa formalis cognitionis ſupernaturalis,poteſt tamen eleuari, vt inſtrumentum,ad illam eliciendam per lumen ſupernaturale; & ideo diximus *n.* 10; quòd illuminatio eſt propoſitio myſterij ſupernaturalis facta per locutionem,& per verba naturalia. In forma igitur ad 1.diſt.ma.Angelus ſuperior illuminat per viſionem beatam formando circa myſteria per illam cognita locutionẽ, & verba naturalia proportionata captui inferioris,conc.aliter,neg.Ad mi.dicitur, quòd licèt nequeat diuidere viſionem beatam, poteſt tamen diuidere myſteria cognita per viſionẽ, non quidẽ formãdo diuerſas viſiones beatas,veluti inadæquatas, ſed formando diuerſa verba naturalia inadæquata.Ad 2.diſt.ma.Faceret formando verba ſpecialia beata,neg;naturalia,&c.Ad mi.dicitur, quòd non format verba ſpecialia per viſionem beatam,ſed per cognitionem naturalem.

33 Inſt. Nequit beatus formare verbum naturale repræſentans ipſam Diuinam eſſentiam; ergo nec verbum naturale repræſentans aliquod myſterium cognitum in Diuina eſſentia.

Reſp.neg.ant;licèt enim per viſionem beatã nequeat formare verbum, poteſt tamen per locutionem naturalem;cùm enim Angeli clamant: *Sanctus, Sanctus,Sanctus*, tunc formant verbum naturale inſtrumentaliter ſignificans Deum. Vel dato antecedente diſparitas eſt; quia eſſentia eſt infinita, ideo nequit exprimi adæquatè verbo finito;myſterium autem inuoluit creaturam, quæ eſt finita, ideo poteſt exprimi adæquatè verbo finito.

34 Obijc.1.*Sua*.Non poteſt fieri noua veritatis propoſitio abſque noua actione;ſed Angelus ſuperior nequit agere in inferiorem,quin illabatur;ergo nequit aliquid illi proponere ſine illapſu,& ideo etiam in ſententia noſtra ſequitur illapſus.Ma.patet;nam noua propoſitio eſt noua actio intellectus; tum quia non poteſt Angelus ſuperior agere in Angelum inferiorem,quin illa actio capiatur ab Angelo inferiori,quia Angelus inferior eſt terminus talis actionis, & recipit in ſe ipſo talem actionem; tum quia Angelus ſuperior communicat inferiori illuminationem, quã recipit Angelus inferior.

Reſp.diſt. ma. Sine noua actione tranſeunte,neg;immanẽte,tranſeat. Vel dicitur,quòd nequit fieri noua propoſitio ſine noua actione virtualiter diſtincta; illa enim viſio beata, qua cognoſcebatur ab Angelo ſuperiori aliquod myſterium ſub aliqua ratione vniuerſali, reſtringitur, & determinatur ad illud cognoſcendum ſub ratione magis ſpeciali,& determinata; nam ſicut viſio beata poteſt ampliari ad cognoſcendum aliquod, quod per illam priùs non cognoſcebatur,ita poteſt reſtringi ad exprimendum aliquod in ſpeciali,quod per illam priùs non exprimebatur,niſi in generali.Ad 1.prob.dicitur; quòd noua propoſitio eſt noua actio intellectus immanens.Ad 2.dicitur,quòd Angelus ſuperior non agit in inferiorem tranſeunter,ſed immanẽter,& ideo illa actio recipitur in ſuperiori, non in inferiori. Ad 3.dicitur,quòd Angelus ſuperior non cõmunicat illuminationẽ inferiori per influxum tranſeuntẽ, ſed ſolùm per actionẽ immanentem, & ideo Angelus inferior ſe habet velut paries cognitus, qui terminat cognitionem merè extrinſecè illam non recipiendo.

35 Inſt. Non eſt minoris virtutis lumen ſpirituale,quàm corporale;ſed lumen corporale illuminat corpus per actionem tranſeuntem; ergo & ſpirituale.

Reſp. diſt. mi. Lumen corporale illuminat corpus per actionem tranſeuntem eductiuam lucis de potentia paſſiua corporis, & hoc arguit perfectionem luminis,neg; & hoc arguit imperfectionem, quæ nequit competere agenti ſpirituali ob ſuam perfectionem, conc. Hæc ergo eſt differentia inter agens ſpirituale,& corporale, quòd illud, vtpotè imperfectum,agit dependenter à tranſmutatione materiæ,ſeu ſubiecti; quod nequit competere agenti ſpirituali,quod nequit dependere in agendo à materia. Quomodò autem educatur lux,quæ eſt qualitas intentionalis, vid. *Fund.Doct.Quodl.5.q.20;& 21.*

36 Obijc.2. Non poteſt fieri illuminatio ſine excitatione Angeli illuminati; ſed excitatio recipitur in Angelo excitato; ergo nequit fieri illuminatio ſine aliqua actione intrinſecè recepta in Angelo illuminato.Prob.ma.*In Sac.Scriptura* habetur vnum Angelum clamare ad alterum,& ei imperare; vt *Iſaia 6,Dan.8; & Apoc.5;* ſed clamare,& imperare importat excitationem ad audiendum;ergo nequit fieri illumininatio ſine excitatione.Prob.mi.Angelus nequit alium excitare,niſi immittẽdo in intellectum illius ſpeciem,per quam excitetur; ergo excitatio recipitur in Angelo excitato.

Reſp.neg.mi.Ad prob.neg.ant;ex eo enim, quòd aliquod determinatè oſtendatur in Diuina eſſentia, ſufficienter excitatur Angelus ad illud determinatè cognoſcendum.*Vid.in ſup.q. art.1. n.* 18; *&* 29.

37 Obijc.3.Ex infuſione ſpeciei non ſequitur illapſus, quia ad illapſum non ſufficit quæcunque præſentia, ſed neceſſarius eſt influxus ſubſtantialis; vel ſi ſit accidentalis requiritur, quòd ſit cum plena poteſtate, & dominio conſeruando rem in eſſe; ex eo autem, quòd vnus Angelus produceret ſpeciẽ in alio, illa ſpecies reciperetur quidem in intellectu Angeli, non autem eſſentia Angeli in eſſentia alterius; vnde Angelus illuminatus moueretur ſolùm motione

acci-

accidentali,non ſubſtantiali, & ideo non daretur illapſus; ergo allata ratio non probat.

Reſp.neg.ant.Ad prob.inſert.dicitur,quòd cùm illa ſpecies non poſſit tranſire de ſubſtantia Angeli illuminantis ad ſubſtantiam Angeli illuminati; quia accidēs nequit migrare de ſubiecto in ſubiectum; & cùm nequeat exiſtere ſine ſubiecto; tandem cùm Angelus ſit ſecundùm ſubſtantiam,vbi operatur,quia eſt in rebus per operationem;ideo optimè ſequitur, quòd ſubſtantia Angeli illuminantis illaberetur in ſubſtantiam Angeli illuminati; ex quo poſtea ſequerentur omnia,quæ affert *Sua*; ſcilicet quòd eſſet cōſeruando,& cum pleno dominio;hæc enim ſunt de ratione illapſus.

38 Obijc.4.Illuminatio eſt manifeſtatio myſteriorum Dei in Verbo; ſed Angeli inferiores non poſſunt videre in Verbo ea, de quibus illuminantur;ergo neque de illis poſſunt illuminari. Prob. mi. Non eſt efficacior illuminatio Angelica, quàm viſio beata; ſed per viſionem beatam nequeunt illa videre; ergo neque per illuminationem. Tum quia ſi Angelus inferior non reciperet ſpeciem,vel lumen, nō plus videret, quàm videbat ante illuminationem. Tum quia ſi illuminaretur per propoſitionem alicuius myſterij, & per determinationem luminis ad aliquod ſpeciale cognoſcibile, ſequeretur Angelum eſſe diſtractum,& diſperſum,& ideo neque attentè,neque vnitè videre omnia in Deo; imò ſequeretur videre aliqua ſucceſſiuè; ſed hæc ſunt falſa,quia diſtractio dicit imperfectionem, & ſucceſſio repugnat viſioni beatæ, quæ menſuratur æuiternitate,& ideo eſt tota ſimul, ac per ipſam omnia ſimul videntur; ergo Angeli nequeunt ſic illuminari.

Reſp.neg.mi.Ad prob.diſt.mi.Per viſionem beatam nequeunt illa videre,ſi determinatè proponantur, & confortetur lumen per determinationem ad vnum, neg; ſecus,conc. Ad 2.neg. aſſumptum; nam quia per illuminationem proponitur ei obiectum, vt proportionatum ſuæ capacitati,& vnitur lumen,ideo poteſt illud videre, quod antea non videbat, quia erat improportionatum,& lumen erat diſperſum. Ad 3. dicitur, quòd Angelus eſt diſtractus quoad ea, quæ non videt,quia non eſt applicatus ad cognoſcendum determinatè aliquod illorum; non autem quoad ea,quæ videt;& ſic videt ſimul ea, quæ pertinent ad obiectum primarium;non autem ea, quæ pertinent ad obiectum ſecundarium, in ordine ad quod viſio poteſt admittere ſucceſſionem ſine vlla imperfectione poſitiua, quáuis non ſine imperfectione priuatiua,vel negatiua, ſine qua eſſentialiter nequit eſſe viſio beata, cùm per illam non videātur omnia, quæ ſunt in Deo eminēter, quia Deum non comprehendit, & ideo eſſentialiter dicit defectum cognitionis aliquorum, qui nedum ipſi non repugnat, ſed eſſentialiter conuenit.

39 Obijc. 5. Vel Deus illuminat Angelos ſuperiores,vt ſpeculum voluntariū,vel vt ſpeculum neceſſarium ?Si primum; ergo non eſt neceſſaria propoſitio myſterij, & vnitio luminis; quia Deus ita poteſt manifeſtare illud Angelis inferioribus, ſicut ſuperioribus. Si ſecundum,ergo licèt non detur talis propoſitio,aut vnitio luminis, adhuc neceſſariò videbitur.

Reſp;quòd licèt Deus poſſit omnes per ſe ipſum illuminare; attamen conſtituit hunc ordinem,vt patet *ex D.Dion*;vt per primos illuminet medios, & per medios infimos. Dicitur ergo, quòd illuminat,vt ſpeculum voluntarium; quia tamen talis illuminatio eſt altior captu Angelorum inferiorum;ideo nequit ab ipſis percipi, niſi proportionetur modo,quod dictum eſt.

40 Obijc. 6. Sicut ſe habet ſitus in corporibus;ita ſe habet ordo in ſpiritibus:ſed vnum corpus lucidum ſituatum iuxta aliud habet illud cōfortare, vt patet de duobus carbonibus ignitis; ergo lumen Angeli inferioris cōfortatur per ordinem ad lumen Angeli ſuperioris. Præterea illuminare eſt agere; ſed quod non tangit,nō agit; ergo ſi Angelus ſuperior non tangit inferiorem aliquod producendo in illo,illum non illuminat.

Reſp.*Fund.Doct.hic ad* 2.illud axioma non valere quantùm ad actionem,& paſſionem;nam corpus exigit recipere actionem alterius corporis ad hoc,vt educatur forma de potentia paſſiua illius,cùm ſit tranſmutabile ab alio corpore; hoc autem repugnat ſpiritui, qui non eſt tranſmutabilis ab alio ſpiritu,vt dictum eſt.Poteſt ergo valere quantùm ad præſtantiam, vt ſicut corpus, quod habet ſitum ſuperiorem, eſt præſtátius alio ſituato in loco inferiori;ita Angelus, quia eſt in ſuperiori ordine, eſt præſtantior Angelo ordinis inferioris.Igitur diſt.mi. Quantùm ad actionem, & paſſionem, neg; quátùm ad ſuperioritatem, & inferioritatem,conc.Ad 2.diſt.ma.Illuminare eſt agere immanenter,conc;tranſeunter,neg.

41 Obijc. 7. Angelus ſuperior illuminat inferiorem eo modo, quo illuminatur à Deo, ſed Deus illuminat Angelum ſuperiorem per productionem noui luminis;& actus cognitionis;ergo eodem modo Angelus inferior illuminatur à ſuperiori.

Reſp.neg. ma; Deus enim illuminat per illapſum; vnde nedum oſtendit ei in Diuina eſſentia myſterium, quod reuelat; ſed etiam producit in Angelo intenſionem, aut extenſionem viſionis, per quam viſio extenditur ad illud cognoſcendum;non tamen producit nouum lumen. At verò Angelus illuminat ſolùm oſtendendo myſterium,vt dictum eſt.

§. 3.

An Angelus ſuperior perficiat inferiorem?

42 Diximus *ſuperiùs*, quòd licèt Angelus ſuperior non poſſit illuminare inferiorem quoad viſionem eſſentiæ Diuinæ, attributorum Diuinatum perſonarum,& eorum, quæ

quæ ſpectant ad obiectum primarium viſionis beatæ, ſine quibus nequit eſſe formaliter beatitudo ſupernaturalis; vt ſuo loco videbimus; non enim Angelus illuminat alium, niſi per ordinem ad ea, quæ Angelus illuminatus priùs nō videbat;vnde ſicuti quilibet Angelus beatus non poteſt non videre ea,quæ ſunt formaliter; quia ſine viſione illorum non eſſet beatus;ita circa illa nequit ab alio illuminari: attamen quia Angelus inferior non videt omnia myſteria gratiæ, quæ videt ſuperior,& myſteria gratiæ non pertinent ad obiectum primarium, ſed ad ſecundariū beatitudinis; & ideo abſque viſione illorum Angelus poteſt eſſe formaliter beatus; ideo circa iſta poteſt illuminari,vt illa videat. Ita dicendum de perfectione (inquit *Fűd.Doct. hic*) etenim cùm viſio ſit perfectio intellectus Angelici, cùm ſit actus illius,& actus ſit,qui perficit; vnde dicitur,quòd *perfectio ſumitur ab actu*; ſicut imperfectio à poteutialitate paſſiua excludēte actum; ideo ſit, vt, ſi Angelus nequit ab alio Angelo illuminari quoad viſionem eorum,quæ ſunt formaliter in Deo, nequeat pariter perfici per ordinē ad illa. Et ſicuti illuminatur ſolū circa ea,quę ſpectant ad obiectum ſecundarium,& accidentale beatitudinis; ita quæritur, an circa illa perfici poſſit?

43 Not.autem, quòd dupliciter perfici poteſt potentia intellectiua. 1. ſimpliciter acquirēdo entitatem actus, quam priùs non habebat; vt cùm quis de non habente aliquem actum ſcientificum fit habens; & in hoc ſenſu Angelus inferior nequit perfici à ſuperiori; quia Angelus inferior iam ſupponitur habens entitatem viſionis beatæ;nec acquirit nouam entitatem viſionis beatæ ex eo,quòd illuminetur à ſuperiori. 2.extenſiuè ſolùm,& ſecundùm quid, ac accidentaliter; vt cùm cognitio, quam habet aliquis de aliqua re,extenditur ad cognoſcendum aliquod in illa re;quod priùs non cognoſcebat.In hoc ſenſu procedit titulus. Igitur.

44 Vnica concl. Angelus ſuperior extenſiuè perficit illuminando inferiorem. *Ita Fund. Doct.hic art.5.in reſol.dub.2.*

Prob.1. *ex D.Dion.* aſſerente Angelos primæ hierarchiæ eſſe purgantes, illuminantes, & perficientes; Angelos verò ſecundæ hierarchiæ eſſe purgatos,illuminatos,& perfectos ab Angelis primæ hierarchiæ; & eſſe ſimul purgantes, illuminantes, & perficientes Angelos tertiæ hierarchiæ; qui tantùm ſunt purgati, illuminati, & perfecti; cùm non poſſint habere has actiones in Angelos ſuperiores; ſed tantùm in homines, vt *ſup.* diximus *ex eod. D. Dion*; quod etiam tradit *Fund.Doct.hic in fine corp.*Præterea D.Dion.7.*de Diuin. Nomin*; ait, *quòd perfectio Angelorum eſt aſſumptio Diuinæ ſcientiæ*; ſed Angelorum illuminatio eſt aſſumptio ad Diuinam ſcientiam, vt diximus *in ſup.* §; ergo illuminatio eſt perfectio Angelorum inferiorum;& ideo ſicuti Angeli ſuperiores illuminant;ita perficiunt inferiores.

45 Prob.ratione. Illud agens,quod facit,vt cognitio alicuius intellectus extendatur ad plura obiecta, quæ priùs non cognoſcebantur, dicitur extēſiuè perficere illum intellectum; ſed Angeli illuminantes faciunt, vt viſio beata Angelorum inferiorum extendatur ad aliqua myſteria Dei, quæ priùs per illam non cognoſcebantur; ergo perficiunt intellectum Angelorum inferiorum extenſiuè.Ma.patet; nam ſicuti agēs imprimens in aliquem intellectum actum cognitionis, quem priùs non habebat,illum perficit ſimpliciter, quia communicat illi ſuam perfectionem, quæ eſt ſuus actus;ita agens extendens cognitionem alicuius intellectus ad aliqua obiecta, quæ per illam priùs non cognoſcebantur, dicitur extenſiuè illum perficere; extenſiuè enim perficere eſt extendere perfectionem, ſeu actionem illius. Mi.etiam conſtat ex dictis, nam Angeli ſuperiores proponendo aliquod myſterium ſibi à Deo reuelatum Angelis inferioribus efficiunt, vt inferiores per viſionem beatam tendant in Deum determinatè inſpiciendo illud myſterium, quod priùs non videbant; ergo faciunt, vt illorum viſio extendatur ad aliqua myſteria, quæ priùs nō cognoſcebant.

46 Conf. Quò magis tollitur neſcientia ab aliquo intellectu; eò magis perficitur; neſcientia enim eſt imperfectio intellectus,quæ non tollitur niſi per perfectionem oppoſitam,quæ eſt ſcietia; ſed Angeli illuminantes magis tollunt neſcientiam ab intellectu inferiorum; ergo illos magis perficiunt. Ma.patet;quia imperfectio non tollitur niſi per formam oppoſitam,quę eſt perfectio; vt *ſup.* dictum eſt. Prob. mi. Angeli illuminantes faciunt Angelos inferiores ſcire myſteria, quæ priùs neſciebāt; ſed hoc eſt magis tollere eorum neſcientiam; quæ eò magis tollitur, quò magis ponitur ſcientia; & magis ponitur ſcientia, quo plura ſciuntur obiecta; ergo Angeli illuminando magis tollunt neſcientiam ab intellectu inferiorum. Tum quia ſicut magiſter dicitur perficere diſcipulum illuminando ipſum, & extendendo illius cognitionem ad plures veritates ſcientificas;ita à pari de Angelis. Tum quia Angelus ſuperior dicitur magis perfectus in ordine cognoſcibilium; quia eius cognitio extenditur ad cognoſcenda plura myſteria,quæ omnia nō cognoſcit Angelus inferior; ſed Angelus ſuperior illuminando inferiorem efficit, vt eius cognitio extendatur ad plura myſteria, quæ priùs non cognoſcebat; ergo perficit Angelum inferiorem. Tum quia Angelus ſuperior illuminando facit, vt inferior magis aſſimiletur Deo,quàm aſſimilabatur, prout non illuminatus; quò enim aliquis plura cognoſcit,magis aſſimilatur Deo, qui omnia perfectiſſimè noſcit; quàm ille,qui pauciora cognoſcit; ſed magis aſſimilare Deo eſt magis perficere; quia Deus eſt ipſa perfectio, & omnis perfectio;ergo Angelus inferior illuminādo perficit inferiorem. Obijc.

47 Obijc. Angelus nequit perficere naturã corporalem, quæ eſt ei magis ſubiecta, & inferior; ergo multò minùs naturam ſpiritualem alterius Angeli. Ant.patet ex dictis;quia Angelus nequit mouere niſi *ad vbi*; in ordine ad quod nō ſumitur perfectio;quæ ſumitur ſolùm per ordinē ad formam.2.Quod eſt plenum formis,eſt plenū perfectione; & quod eſt plenum perfectione,nequit ampliùs perfici; quia quod eſt plenum perfectione, haber omnes perfectiones, & ideo nequit ampliùs perfici; quia perfici eſt acquirere perfectionem,quam non habebat; ſed Angelus eſt plenus formis; vt dictum eſt *q.4.art.3*; ergo nequit ampliùs perfici.

Reſp.*Fund.Doct.*;quòd Angelus nequit perficere naturam corporalem, quia nequit ei imprimere aliquam qualitatem, per quam ſolùm perficitur natura corporalis;& hoc modo nequit pariter perficere naturam ſpiritualem, quam tamen poteſt perficere nihil imprimendo, ſed efficiendo, vt illa perfectiorem actionē eliciat. Diſt. igitur conſ. Nequit perficere naturam ſpiritualē inferiorem aliquid imprimendo, conc;proponēdo, vt inde illa perfectiorem actionem eliciat, neg.Ad 2.diſt.ma. Quod eſt plenum formis,idēſt ſpeciebus, eſt plenum perfectione formali, quæ deſumitur à ſpeciebus,conc; & ideo nequit recipere alias ſpecies.Eſt plenum perfectione actuali,quæ deſumitur ab actione elicita per ſpecies, neg.Ad mi.dicitur,quòd licèt Angelus ſit plenus ſpeciebus, non tamen eſt plenus omni actione, quæ poteſt elici per ſpecies;quia nō eſt in actuali exercitio omnium cognitionum, cùm non cognoſcat omnia cognoſcibilia actu; & ideo licèt non poſſit perfici per receptionem nouæ ſpeciei; poteſt tamen perfici per receptionem nouæ cognitionis;& à fortiori per augmentum eiuſdem cognitionis,vt in caſu.

Aliæ obiectiones ſolutæ ſunt in *ſup.§.*

48 Quæres, quomodò perficiatur Angelus inferior?

Reſp.eodem prorſus modo perfici, quo illuminatur,& purgatur; quia purgatio, illuminatio,& perfectio idem ſunt omnino,*vt videb.in ſeq.art.*

ART. II.

Soluuntur aliquot quæſita.

1 Quæres 1; an purgatio, illuminatio, & perfectio Angelorum ſint idem?

Reſp.*ex Fund.Doct.hic art.5.dub.2*;quòd ſi purgatio, illuminatio, & perfectio ſumantur ex parte Angeli illuminantis ſunt idem;quia vnica actione fiunt;ex eo enim,quòd Angelus ſuperior proponit inferiori aliquod myſterium cognoſcendum,ipſum purgat à neſcientia, illuminat,& perficit.Si autem ſumantur ex parte Angeli illuminati,differunt inter ſe;quia purgatio dicit priuationem,quam tollit;illuminatio dicit propoſitionem rei manifeſtatæ;& perfectio dicit viſionē rei in Diuina eſſentia.

2 Quæres 2; quem ordinem priorltatis, & poſterioritatis ſeruent iſta tria inter ſe?

Reſp.*Fund.Doct.ibid.dub.3*;quòd purgatio per comparationem ad Angelum illuminatum eſt prior origine illuminatione, & perfectione. Ratio eſt;videmus enim in naturalibus,quòd expoliatio ab oppoſito eſt prior eo, per quod forma introducitur; & id, per quod forma introducitur,eſt prius forma introducta; niſi enim materia expoliaretur oppoſito, nunquam introduceretur forma;quæ pariter non introduceretur,niſi præcederet id,per quod introducitur,ſed neſciētia eſt oppoſitum, à quo purgatur Angelns illuminatus;& illuminatio eſt id, per quod introducitur perfectio viſionis; ipſa autem viſio myſterij in Deo eſt perfectio introducta; ergo ex parte Angeli illuminati purgatio eſt prior origine illuminatione,& illuminatio perfectione.

3 Ex parte autem agentis illuminatio eſt prior origine purgatione, & perfectione; intentione, & electione perfectio eſt prior alijs duabus.Neque implicat,quòd vnum ſit prius,& poſterius alio ſecundùm diuerſas rationes in diuerſo genere cauſæ;nam vt ait *Fund.Doct.ibid.*potio eſt cauſa ſanitatis in genere cauſæ efficientis; & ideo eſt prior illa in illo genere; at verò in genere cauſæ finalis ſanitas eſt cauſa potionis, & eſt prior illa.Ratio primi eſt; quia agens non expoliat ſubiectum aliqua priuatione, niſi inducendo formam oppoſitam,vt volens remouere aliquem clauum infixum in aliquo foramine, prius infigit alium clauum, quàm remoueat infixum; ergo ex parte agentis illuminatio eſt prior origine purgatione;cùm illuminatio ſe habeat, vt forma expellens neſcientiam,à qua purgatur Angelus inferior.Ratio ſecundi eſt;quia Angelus illuminās intendit perfectionem Angeli illuminati; ergo perfectio eſt prior prioritate intentionis purgatione,& illuminatione.

4 Quantùm autem ad prioritatem temporis nullus horum actuum hierarchicorū eſt prior alio;nam in eodem inſtanti, in quo Angelus inferior purgatur à neſcientia,ſimul illuminatur,& perficitur.

5 Quæres 3; an dentur illuminationes primæ,mediæ,& infimæ?

Reſp. *Fund.Doct. hic art.5.in reſol. dub.4.* affirmatiuè;quod intelligendum eſt tam reſpectu eiuſdem Angeli,quàm reſpectu Angelorum primæ, ſecundæ, & tertiæ hierarchiæ. Ratio primi eſt.Illuminatio eſt de myſterijs ſalutis hominum; ſed hæc myſteria alia ſunt maxima, alia media,& alia infima; ergo & illuminationes aliæ ſunt primæ,aliæ mediæ,& aliæ infimæ.Ratio ſecundi eſt. Deus volens illuminare Angelos de myſterijs gratiæ, quibus decreuit ſaluare electos,facit impetum in omnes Angelos;ſed ex iſto impetu ſoli Angeli ſuperiores illuminātur; quia illuminatio eſt

eſt adeo alta,& ſublimis, vt non ſit accõmodata, niſi captui Angelorum ſuperiorum; qui poſtea formant verba proportionata capacitati Angelorum mediorum, non infimorum, & ſic percipiuntur ſolùm ab Angelis medijs; qui tandem formant verba proportionata intellectui Angelorum infimorum,quibus infimi illuminantur;ergo reſpectu Angelorum primæ,ſecundæ, & tertiæ hierarchiæ dantur illuminationes primæ,quę ſunt magis vniuerſales, quia proponuntur ſub aliqua ratione magis vniuerſali; & illuminationes mediæ, quæ ſunt minùs vniuerſales; & illuminationes infimæ,quæ ſunt ſpecialiores. Exemplum poteſt eſſe de magiſtro docente tres diſcipulos,quorum vnus ſit ingenij ſublimiſſimi,alter mediocris capacitatis, & tertius inferioris indolis.

6 Dices.Si in eodem Angelo darentur illuminationes primæ,mediæ,& infimæ,Angelus intelligeret cum diſcurſu, quia intelligeret vnum poſt aliud;ſed conſ.eſt falſum;ergo & ant.2.Angeli ſunt deiformes; ſed in Deo non dantur cognitiones primæ,mediæ,& infimæ; ergo neque in Angelis.

Reſp.*Fund.Doct.hic* ad 1.neg.ma. Ad prob. dicitur, quòd intelligere vnum poſt aliud illatiuè deducendo vnum ex alio eſt diſcurrere; non tamen intelligere vnum poſt aliud ſine illatione; nam oculus videt vnum poſt aliud,& tamen non diſcurrit; & ſi intelligere vnum poſt aliud eſſet diſcurrere,non poſſet negari Angelis diſcurſus, qui non omnia ſimul intelligunt. Ad 2. dicitur, quòd Angelus per illuminationem fit deiformis, non ad æqualitatẽ cum Deo;quia æqualitas Dei nulli creaturæ poteſt competere;ſed ad inęqualitatem; & ideo in Angelis, & non in Deo, poteſt dari prima,media,& infima cognitio.

7 Quæres 4; cur iſti actus vocentur *Hierarchici*, cùm poſſint dari etiam intra ordines eiuſdem hierarchiæ; Seraphim enim illuminant Cherubim,& Cherubim Thronos, vt colligitur *ex D.Dion.*?

Reſp. vocari hierarchicos, quia magis principaliter conueniunt hierarchijs, quàm ordinibus.Ratio eſt;nam illis conuenit magis principaliter purgare,illuminare,& perficere,quibus magis principaliter conuenit ſuperioritas;nam purgare,illuminare, & perficere conuenit tantùm Angelo ſuperiori,quatenus ſuperior eſt; ſed ſuperioritas magis principaliter conuenit hierarchijs, quàm ordinibus;Angelus enim vnius hierarchiæ eſt ſuperior ad Angelum alterius hierarchiæ, quàm ad Angelum alterius ordinis eiuſdem hierarchiæ; nam Angelus vnius hierarchiæ eſt ſuperior Angelo alterius hierarchiæ ſuperioritate hierarchiæ,& ordinis;Angelus verò eiuſdem hierarchiæ eſt ſuperior altero Angelo diuerſi ordinis tantùm ſuperioritate ordinis, nõ hierarchiæ; tum quia ſuperioritas hierarchiæ eſt ſuperioritas ſtatus, quæ eſt maior ſuperioritate ordinis,quæ eſt ſuperioritas generis; ergo Angelis diuerſæ hierarchiæ magis principaliter conuenit purgare,illuminare,& perficere; atqui denominatio ſumitur à principaliori; ergo iſti actus magis propriè vocantur hierarchici, quàm ordinales.

8 Quæres 5; an Angelus purget, illuminet, & perficiat alterum Angelum eiuſdem ordinis?

Reſp; quòd Angelus non purgat, illuminat, aut perficit alium eiuſdẽ ordinis quoad aliquas res, quas Deus reuelat toti ordini, & ad quas capiendas totus ordo habet capacitatem; purgat tamen, illuminat, & perficit quoad aliqua,quæ non reuelat toti ordini; & ad quæ percipienda omnes illius ordinis non habent capacitatem;vnus enim eſt alio perfectior; quapropter *Iſaiæ 6.* dicitur de Seraphim: *Clamabant alter ad alterum*;vt edocerentur ea,quæ non videbãt;ſentiebãt enim impetum factum in omnes à Deo,& non percipiebãt,quid per illũ reuelaret. *Ita D.Dion.de Cæl.Hier.c.4;& 10.* Dat exemplũ *Fund.Doct.in 2.diſt.9. q.2. art.1. in reſol. dub.2. lat. §.Hæc autẽ* de Rege, qui aliqua reuelat omnibus ſuis familiaribus; aliqua verò ſolis magis infimis,non omnibus.Ita pari.

9 Quæres 6. An Angelus inferior poſſit illuminare ſuperiorem?

Reſp.negatiuè;nam de ratione illuminantis eſt habere intellectum cognoſcentem aliquod nõ cognitũ ab illo, qui illuminatur;ſed Angelus inferior non cognoſcit magis,quàm ſuperior; ergo nequit illum illuminare; tum quia Angeli illuminãres ſũt duces,& præceptores *ex D. Dion*; Angelus autẽ inferior nequit eſſe dux Angelorũ ſuperiorum,aliter peruerteretur ordo inter Angelos; & ſic inferior eſſet ſuperior, & ſuperior inferior,quia ſuperior ſubijceretur inferiori,tanquam duci,& magiſtro.

10 Dices.*Epheſ.3.* habetur Principatus, & poteſtates multa didiciſſe per Eccleſiam; ſed Apoſtoli ſunt inferiores; ergo ab ipſis Angeli ſuperiores potuerunt illuminari.

Reſp. Angelos illuminatos fuiſſe per illuminationes factas à Deo immediatè in ipſis Apoſtolis; Apoſtoli enim vocati ſunt *Theodidacti*,idẽſt à Deo immediatè edocti; non autem fuerunt ab Apoſtolis illuminati, quia non indiguerunt,vt Apoſtoli proferrent verba ad hoc, vt caperẽt illas illuminationes; ſed ſtatim,ac à Deo factæ,& poſitæ ſunt in actu illæ illuminationes in Apoſtolis,ab Angelis perceptę ſunt;quia vt percipiantur,ſufficit produci in eſſe actuali; vt v. g. ſi Deus illuminaret immediatè vnum Angelum inferiorem, Angelus ſuperior ſtatim perciperet illam illuminationem, nec tamen diceretur illuminari ab Angelo inferiori; ſicut ſi aliquis magiſter doceret aliquem diſcipulum rudem præſente alio diſcipulo magis ingenioſo; tunc magis ingenioſus perciperet illam doctrinam cõmunicatam à magiſtro diſcipulo rudi; nec tamen

di-

diſcipulus magis ingenioſus diceretur edoceri à diſcipulo rudi;ita à pari, Vel dicitur ly *per Eccleſiam* intelligi Eccleſiam Cœleſtem quoad primos ordines,qui illuminant principatus, & poteſtates. *Ita Fund.Doct.diſt.* 11.*q.*2.*art.*3;vbi aliã etiam affert expoſitionem. Quid autem innotuerit Angelis per Eccleſiam, ait innotuiſſe circunſtantias myſteriorum Dei, vt conuerſionem aliquorum hominum;non autem ſubſtantiam,ſcilicet myſterium Redemptionis; vt docet *Beatiſſ. P.ſup.Epheſ.*3.

11 Quæres 7; an Dœmon ſuperior illuminet inferiorem?

Reſp. negatiuè; illuminatio enim eſt de myſterijs gratiæ,quæ videntur in Deo per viſionem beatam; vt *ſup.* dictum eſt; ſed Dœmones ſunt priuati viſione beata; ergo eis non cõpetit illuminatio; tum quia illuminatio purgat, & perficit in ordine ſupernaturali; ſed hæc Dæmonibus cõpetere nequeũt; ergo neq; illuminatio.

12 Quæres 8; an animæ Beatorum aliquando mittantur ad illuminandos homines viatores?

Reſp. in *Eccleſiaſticis hiſtorijs* legi multos Sanctos illuminaſſe multos viatores;vt *Beatiſſ.P.* docuiſſe *D.Thereſiam, D. Magdalenam de Pazzis, noſtram B.Veronicam, B. Catharinam Bononienſem,B.Annam à S.Bartholomæo, & alias plures*, quod intelligi poteſt, vel immediatè ex ſpeciali gratia Dei,vel mediãtibus Angelis infimis; ſi enim, vt probabiliſſimum eſt, *Beatiſſ. P. Aug.* propter eius eximiam,excellentiſſimamque charitatem, ac feruentiſſimum in Deum amorem, nec non ob ſummum ſapientię exceſſum ad ordinem Seraphim eleuatus fuit ſuper omnes Cherubim,potuit illuminare Angelos infimos,vt docerent viatores deuotos *eiuſdem Beatiſſ.P.* aliqua myſteria, vel circunſtantias myſteriorum, quas illi ignorabant; & ideo dicitur per ſe ipſum præſtaſſe, quod per alios effecit.

QVÆSTIO VII.

De Amore naturali Angelorum.

EXaminatis ijs, quæ ſpectant ad intellectum Angelorum, procedimus ad declaranda ea, quæ pertinent ad voluntatem, quæ eſt potentia immediatè intellectui coniuncta; quapropter plurima vniformiter ſunt decidenda.

ART. I.

An Angelus naturaliter amet ſeipſum?

1 INquirimus in præſenti, an Angelus ſicut naturaliter cognoſcit ſe ipſum,ita & naturaliter amet? Illud autem aduerbium *naturaliter* poteſt duplici accipi. 1. Prout contradiſtinguitur *à ſupernaturaliter*;& ſenſus eſt;an Angelus per vires naturales amet ſe ipſum; & de hoc nulla eſt difficultas;Angelus enim eſt entitas naturalis; & ideo ſicuti eſt cognoſcibilis per vires naturales à ſe ipſo; ita eſt amabilis. 2. Prout contradiſtinguitur *à libero*; & ſenſus eſt; an Angelus neceſſariò amet ſeipſum; an verò liberè, per electionem liberam? In hoc ſenſu loquimur. Duplex autem eſt neceſſitas, vt diximus *to.* 2. *de Vol.Dei q.*3. *art.*2. *n.*2; alia ſcilicet ſpecificationis,per quam licèt volũtas poſſit ceſſare ab actu, non tamen poteſt tẽdere in oppoſitum ſuo obiecto ſpecificatiuo; vt licèt noſtra voluntas poſſit actu non amare bonum; attamen nequit amare malum,vt malum;quod opponitur bono. Altera eſt neceſſitas exercitij;qua premitur potentia ad ſemper perſeuerandum in actu;vt beati premuntur ad perſeuerandum in actuali viſione ipſius Dei. *Hoc ſupp.*

2 Vnica concl. Angelus neceſſariò amat ſe ipſum neceſſitate ſpecificationis,& exercitij. *Ita Fund.Doct. in* 2.*diſt.*3.*p.*2. *q.*3. *art.*1; *& communiter omnes alij.*

Prob. 1. *à Fund.Doct. ex D. Dion.* 4. *de Diuin.Nomin.*docente *ex Hierotheo*, quòd *amor eſt virtus vnitiua*;ex quo ſic. Amor eſt vnio amantis cum re amata;ſed vnio Angeli cum ſe ipſo eſt neceſſaria neceſſitate ſpecificationis, & exercitij; nunquam enim poteſt Angelus ceſſare ab eſſe vnum cum ſe ipſo;ergo amor Angeli reſpectu ſui ipſius eſt neceſſarius neceſſitate ſpecificationis, & exercitij.

3 Dices. Homo eſt ſemper vnus cum ſe ipſo exercitè, & tamen non ſemper exercitè amat ſe ipſum;ergo à pari.

Reſp.diſt.ant. Homo eſt ſemper vnus cum ſe ipſo in eſſe reali,& entitatiuo,conc;in eſſe intellectiuo, neg; nam homo cognoſcit ſe per ſpeciem,quæ eſt accidens realiter diſtinctum à ſua ſubſtantia;quæ ſpecies exiſtens in memoria cùm nõ vniatur intellectui, niſi ex imperio libero volũtatis;ideo homo nec ſẽper,nec neceſſariò amat ſe ipſum exercitè. At verò Angelus cùm cognoſcat ſe per ſuam ſubſtantiam ſemper præſentem intellectui ipſius in ratione cognoſcibilis;& cùm amet ſuam ſubſtantiam immediatè repræſentatã ab intellectu per ſe ipſam,non per ſpeciem; ideo Angelus eſt vnus cum ſe ipſo etiam in eſſe obiectiuo;& ideo neceſſariò exercitè amat ſe ipſum.

4 Prob. 2. *ab eod.ex Beatiſſ.P. Aug.* 10. *de Trin.c.*3;vbi docet: *Firmiſſimè nouimus, quòd nõ eſt amor eius rei,quam neſcis,ſed eius,quam ſcis.* Ex quo ſic. Qualis eſt cognitio,talis eſt amor,qui eſt inclinatio ſequẽs formã,ſeu obiectũ cognitũ; ſed Angelus congnoſcit ſe ipsũ neceſſariò neceſſitate ſpecificationis, & exercitij; ex eo enim, quòd aliquod obiectum ſit ſemper præſens in eſſe obiectiuo potẽtię intellectiuę,cauſat in illa ſẽper actum cognitionis;à quo nunquam poteſt ſe ſepa-

ſeparare; quia nequit ſeparare ſe à præſentia obiecti; & ideo quia eſſentia Angeli eſt ſemper præſens in eſſe intelligibili intellectui Angeli; ideo ſemper cauſat in illo actum cognitionis; à quo nunquam poteſt ceſſare;ergo Angelus amat ſe ipſum neceſſariò neceſſitate ſpecificatinnis, & exercitij,nam vt docet *Beatiſſ.P. 14.de Trin.c.6. & 7.Quod ſemper ſe intelligit,ſemper ſe diligit.*

5 Prob.3. *ab eod.ex eod. Beatiſſ. P. Aug.13. Confeſſ.c.9*; vbi docet: *Corpus pondere ſuo nititur ad locum ſuum*,& paulò poſt. *Pondus meum amor meus,eò feror,quocunque feror. Et 11. de Ciu.Dei c.28.Amores ſunt, velut momenta ponderum corporum.* Ex quibus ſic. Sicut ſe habet pondus in corporibus; ita ſe habet amor in ſpiritibus; ſed res grauis per proprium pondus tendit neceſſariò in proprium locum naturaliter ſibi debitum; ergo ſpiritus per proprium amorem tendit neceſſariò in proprium bonum naturaliter ſibi debitum;atqui ſubſtantia Angeli eſt naturaliter, & neceſſariò debita ipſi Angelo;nam licèt reſpectu Dei,qui poterat eam non creare, non conueniat neceſſariò ipſi Angelo; attamen reſpectu ipſius Angeli neceſſariò ei conuenit;quia Angelus nequit pro ſua libertate eſſe, & non eſſe; ergo Angelus neceſſariò tendit per amorem in ſuam ſubſtantiam;& ideo neceſſariò amat ſe ipſum, quia tendere per amorem, & amare idem eſt.

6 Cõf.1.In illud liberè libertate exercitij tẽdit voluntas, quod poteſt ex ſua libertate ei liberè cõuenire;& in illud tẽdit neceſſariò, quod ei neceſſariò cõuenit;actus enim ſpecificatur ab obiecto;& ideo ſicuti reſpectu obiecti liberi datur actus liber;ita reſpectu obiecti neceſſarij datur actus neceſſarius; ſed ſubſtantia Angeli nequit conuenire ipſi Angelo liberè ita, vt ſit in libertate Angeli eſſe,& non eſſe,ergo voluntas Angeli nõ tẽdit liberè in ſuam ſubſtantiam, ſed neceſſariò.

7 Cõf.2.Ideo graue neceſſariò tendit deorſum per grauitatem; quia naturaliter eſt determinatum ad talem tendentiam; ſed Angelus eſt naturaliter determinatus ad amorem ſui; nam ſicut graue ideo eſt determinatum naturaliter ad tendendum deorſum; quia habet ſemper coniũctam grauitatem,quæ eſt ratio tendendi deorſũ; ita Angelus eſt determinatus ad tendendum naturaliter in ſe ipſum per amorem,quia ſua bonitas eſt ſibi ſemper coniuncta,à qua ſemper generatur pondus in voluntate ad tendendum in ipsã per amorem,ergo Angelus neceſſariò tendit in ſe ipſum per amorem.

8 Obijc.1.Amor *ex Beatiſſ.P.* eſt,ſicut pondus in corporibus;ſed pondus eſt ratio tendendi in locum diſtinctum à re tendente, non in ipſam rem; ergo amor eſt ratio tendendi in bonum diſtinctum,non in ſe ipſum.2.*Ex 3. Eth.c.5.* ſolùm in finem tendimus neceſſariò; ſicut liberè tendimus in ea,quę ſunt ad finem;ſed Angelus nequit amare ſe tãquã finẽ;aliter frueretur ſe ipſo; & ſic peccaret; ergo nequit amare ſe ipsũ neceſsariò. 3.Amor eſt virtus vnitiua;ſed vnio eſt diuerſorũ; ergo amor nequit eſſe erga ſe ipſum.

Reſp.ad 1; quòd paritas non currit in omnibus; aliter nõ eſſet ſimilitudo,ſed identitas.Eſt ergo paritas; quòd ſicuti res grauis per pondus ſuum ſibi ſemper inhærens naturaliter tendit in locum proprium;ita ſpiritus per amorẽ ſibi ſemper inhærentem naturaliter tendit in ſuum bonum. Diſparitas autem eſt; quòd res grauis nequit eſſe centrum ſui naturale; at verò ſpiritus eſt obiectum naturale ſemper præſens ſuæ volũtati; quia eſt bonum ſibi naturaliter conueniens. Diſt. ergo ma. Quantùm ad modum tendendi, conc;quantùm ad obiectum,in quod tendit,neg. Ad 2.diſt.ma.Solùm in finem vltimum tendimus neceſſariò,neg;in finem vltimum,& intermediũ, conc.Angelus autem amat ſe tanquam finem intermedium,reſpectu cuius nõ eſt fruitio, & ideo nec peccatũ.Ad 3.diſt. ma. Amor eſt virtus vnitiua reſpectu eorum, quæ non ſunt vnita, conc; reſpectu eorum,quæ ſunt vnita, neg. Amor ergo habet hoc, quòd vniat amantem cum re amata, dummodò non ſint vnum; ſi tamen ſint vnum,nõ vnit.Vel dicitur virtus vnitiua eo,quia tendit ad vnum;quia amans amando aliquod bonum, amat tanquam bonum ſuum,& ideo redit ad ſe ipſum, qui bonus eſt.*Ita Fund.Doct.hic ad 3.*

9 Obijc.1. Potentia,quæ eſt ſemper in actu ſecundo,eſt infinita; ſed Angelus amans neceſſariò ſe ipſum haberet voluntatem in actu ſecundo;ergo haberet voluntatem infinitam. 2.Volũtas non neceſſitatur exercitè,niſi ab obiecto nullam habente rationem mali; ſed ſubſtantia Angeli non eſt huiuſmodi; quia obiectum nullam habens rationem mali eſt res carens omni potẽtialitate paſsiua; & ideo actus purus; nam *ex Phil. Error,& malitia contingunt in rebus propter potentialitatem*; ſubſtantia autem Angeli non eſt actus purus; ergo nequit neceſſitare voluntatem Angeli.3.Amor ſui continuus impediret,ne toto conatu ferretur in Deum; quia *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*; ergo Angelus non amat neceſſariò ſe ipſum. 4.Per talem actum neceſſarium impediretur libertas, ne poſſet illum ſuſpendere; ergo derogat perfectioni Angelicæ. 5.In tantùm Deus clarè viſus neceſſitat voluntatem creatam; in quantùm eſt omne bonum; ſed ſubſtantia Angeli non eſt omne bonum; ergo nõ neceſſitat eius voluntatem.

Reſp.ad 1.diſt.ant.Potentia,quæ eſt in actu per identitatem cum illo,& cum omni actu, cõc; ſed in hoc ſenſu neg.mi.,per diſtinctionem, & nõ cum omni actu,neg;eſſentia enim creaturæ, cùm eſt à parte rei,eſt ſemper cum actu exiſtentiæ, & tamen non eſt infinita, & in hoc ſenſu neg.mi. Ad 2.diſt.ma. Voluntas non neceſſitatur exercitè niſi ab obiecto nullam habente rationem mali;ſi ſermo ſit de obiecto diſtincto,conc; identificato,& vnito ſemper in ratione boni,neg; quia enim obiectum diſtinctum, & ſeparatum habens ra-

rationem boni, & mali poteſt vniri aliquando in ratione boni,aliquando in ratione mali; ideo nõ neceſſitat voluntatem; at verò obiectum ſemper coniunctum in ratione boni licèt habeat admixtam rationem mali; attamen quia ſecũdùm illam nunquam naturaliter vnitur; eſt enim ſemper vnitũ in ratione boni; ideo neceſſitat. Ad 3.neg. ant;illud autem axioma verificatur ſolùm de cognitione obiectorum in eodem ordine liberè cognoſcibilium.Ad 4.neg.ſupp; nam libertas non verſatur circa naturaliter,& neceſſariò connexa. Ad 5.dicitur ad ma;quòd illa eſt ratio inadæquata,& ſpecialis; non verò adæquata, & vniuerſalis;valet enim,quòd omne bonum neceſſitet;non tamen è contra;quòd omne neceſſitans ſit omne bonum.

10 Quæres; quo amore Angelus amet ſe ipſum?

Reſp. amare ſe ipſum amore ſimplicis beneuolentiæ; nam vt diximus *to. 2. de Amore Dei art. 1. n. 3*; amor beneuolentiæ eſt, quo amatur res in ſe ipſa,quia bona eſt; ſed Angelus amat ſe ipſum,quia bonus eſt; ergo amat ſe ipſum amore ſimplicis beneuolentiæ. Præterea amat ſe ipſum amore concupiſcentiæ, quatenus ſibimetipſi cõcupiſcit bonum,quod amat. Non tamen amat ſe ipſum amore amicitiæ ſtrictè ſumpto; quia amor amicitiæ eſſentialiter eſt ad alterum, vt diximus *vbi ſup. n. 14*; ſed tantùm amore amicitiæ impropriè dicto,quatenus ſcilicet terminatur ad perſonam; ſed in hoc ſenſu impropriè dicitur amor amicitiæ,quia conuenit cum amore ſimplicis beneuolentiæ, qui etiam eſt ad perſonam; non tamen concupiſcendo ei bonum, ſicut facit amor amicitiæ, ſed amando illam in ſe ipſa propter bonitatem ſuam,quia nempe bona eſt.

ART. II.

An Angelus neceſſariò amet alia à ſe?

1 Dupliciter poſſunt amari alia à ſe. I. In communi ſecundùm rationes vniuerſales, in quibus conueniunt res amatæ; vt cũ quis generaliter amat aliquam nationem non deſcendendo ad aliquam perſonam particularẽ. 2. In particulari ſecundùm rationes differẽtiales perſonales, in quibus differunt deſcendendo ad perſonas particulares. *Hoc ſupp.*

2 Vnica cõcl. Angelus neceſſariò amat alios Angelos in communi ſecũdùm rationes vniuerſales,in quibus conueniunt; non tamen in particulari ſecundùm rationes differentiales, in quibus differunt. *Ita Fund. Doct. in hac diſt. 3. p. 2. q. 3. in reſol. dub. 1.*

Prob. 1. Amor naſcitur ex vnione amantis cum re amata;vt diximus *in ſup. art*;ſi enim obiectum amabile cognitum per intellectum non vniatur cum voluntate,non gignitur amor;ſicuti ſi obiectum cognoſcibile,vel ſpecies non vniatur cum intellectu, non paritur cognitio; ſed vnus Angelus habet alios Angelos vnitos neceſſariò ſolùm ſecundùm rationes vniuerſales;quia ſecũdùm rationes vniuerſales, quæ ſunt in Angelo, ſunt vnum; non autem ſecundùm rationes particulares proprias cuilibet Angelo; quia ſecundũ tales rationes differunt inter ſe; ergo Angelus amat neceſſariò alios Angelos ſolùm in communi ſecundùm rationes vniuerſales,non ſecundùm rationes particulares.

3 Conf. In tantùm Angelus neceſſariò amat ſe ipſum; in quantùm neceſſariò eſt ſibi vnitus in ratione obiecti amabilis;vt diximus *vbi ſ.*;ſed etiã alij Angeli ſunt ei vniti ſecundùm rationes vniuerſales in ratione obiecti amabilis;quia illæ rationes vniuerſales vniuntur in ratione obiecti cognoſcibilis,cùm cognoſcantur adæquatè ſecũdùm totam latitudinem; & ideo eodem modo amantur; ergo Angelus neceſſariò amat alios Angelos ſecundùm rationes vniuerſales, & in communi;non autem ſecundùm rationes differẽtiales,& in particulari;quia ſecundùm iſtas non coniunguntur intellectui, & ideo non proponũtur voluntati, niſi ex libera electione voluntatis imperantis intellectui aduertentiam modò ſuper iſtum Angelum in particulari, modò ſuper alium.

4 Prob. 2. Amor ſequitur cognitionem;quia eſt inclinatio ſequens formam apprehenſam; ſed Angelus cognoſcit neceſſariò nedum ſe ipſum, ſed etiam alios Angelos in communi,non autem in particulari;vt diximus *q. 4. ar. 4 §. 4. n. 83*;ergo amat neceſſariò alios Angelos in communi, non in particulari. *Vid. alias rationes in ſup. art.*

5 Obijc. Angelus, vel amat illam rationem vniuerſalem, prout exiſtentem in ſe; vel prout exiſtentem etiam in alio?Si primum; ergo non amat alios Angelos generaliter; quia illa ratio, prout exiſtit in ſe,non exiſtit in alijs;& ideo non eſt alijs communis. Si ſecundum; ergo illa ratio non amatur neceſſariò;quia prout exiſtit in alio, non eſt coniuncta cum ipſo.

Reſp. Angelum amare illam rationem vniuerſalem, prout cognitam ab intellectu ipſius Angeli;intellectus autem illam cognoſcit,vt in ea conueniunt omnes Angeli; & ideo illam, vt communem. Ad id,quod ſubditur, quòd nempe illa ratio,prout exiſtit in vno Angelo,non exiſtit in alijs, diſt; ſecundùm conuenientiam, neg; ſecundùm identitatem numericam,conc.

6. Quæres; an vnus Angelus amet alium, ſicut ſe ipſum?

Reſp. *cum Fund. Doct*; quòd ſi loquamur de amore aliorum Angelorum in communi, amat, ſicut ſe ipſum; quia alij Angeli vniuntur cum ipſo ſecundùm rationem genericam. Si autem ſermo ſit de amore in ſpeciali; adhuc diſtinguẽdum eſt;nam vel ly *ſicut* dicit æqualitatem amoris; & ſic non amat, ſicut ſe ipſum; quia non eſt vnum cum alijs, ſicut eſt vnum cum ſe ipſo. Vel dicit ſimilitudinem amoris; & ſic amat, ſicut ſe ipſum; quatenus alij Angeli amantur, prout in

in eſſe obiectiuo ſunt vnum cum ipſo.

7 Dices 1. Amor ordinatus incipit à ſe ipſo, & eſt cauſa amoris alterius; ergo amor, quo vnus Angelus diligit ſe, eſt maior amore, quo diligit alios; quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. 2. Intellectus Angeli non cognoſcit ſe, ſicut alia à ſe; quia ſe ipſum cognoſcit per ſuã ſubſtantiam; & alia à ſe per ſpecies; ergo voluntas Angeli non amat ſe, ſicut alia à ſe.

Reſp. ad 1. diſt. conſ. Si *ly maior* dicat inæqualitatem, conc. Si ſimilitudinem, neg. Ad 2. dicitur ſimilitudinem conſiſtere in hoc; quòd ſicut intellectus cognoſcit ſe, quia eſt vnum cum ſe ipſo; ita cognoſcit alia à ſe, quia eſt vnum cũ illis; & ſic de amore; omnis autẽ ſimilitudo habet annexas diſſimilitudines; aliter eſſet identitas, non ſimilitudo.

8 Quæres 2; an Angelus inferior magis diligat Angelum ſuperiorem, vt potè magis bonũ, quàm ſe ipſum?

Reſp. negatiuè; quanuis enim Angelus ſuperior ſit magis bonus; attamen quia non eſt magis vnum; ideo non amat magis; amor enim ex vnione naſcitur; & cum illa commenſuratur.

9 Colligitur ex dictis Angelum amare alios Angelos in communi neceſſariò neceſſitate ſpecificationis, & exercitij; quia non poteſt illos nõ amare; ſicut nequit nõ amare ſe ipſum; tum quia ſicut neceſſariò cognoſcit alios Angelos in cõmuni neceſſitate ſpecificationis, & exercitij; ita dicendum de amore. Alios tamen Angelos in particulari amat tantùm neceſſariò neceſſitate ſpecificationis, quia illos nequit odiſſe; non autẽ neceſſitate exercitij, quia non ſemper ſunt illi vniti in ratione obiecti amabilis, ideo non ſemper eſt coniunctus cum actuali amore illorum.

10 Ex dictis collig. etiã Angelum amare neceſſariò hominem, & ceteras ſubſtantias corporeas creatas in generali ratione ſubſtantiæ; ſecundùm rationes verò particulares amare ex libera electione propter rationes aſſignatas.

ART. III.

An Angelus naturaliter amet Deum, pluſquam ſe?

1 DOcet *Fund. Doct. in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2; & dub. lat. ſeq*; quòd amor triplex eſt; ſcilicet naturalis, electiuus, & gratuitus. Amor naturalis nihil aliud importat niſi aptitudinem, capacitatem, aut inclinationem naturalem, ſeu inſitam ab Auctore naturæ, per quam creatura intellectualis inclinatur in amorem Dei ſuper omnia; quæ tamen aptitudo, ſeu inclinatio naturalis nequit reduci in actualem amorem per proprias vires, ſed ſolùm per gratiam Dei, vt *inſ.* videbimus; vnde amor naturalis ſecundùm ſe præciſè acceptus eſt ſine actu; non enim dicit niſi potentiam obedientialem ad recipiendam gratiam, & charitatem; per quam ſolùm poteſt actu amare Deum ſuper omnia; amor autem electiuus, & gratuitus ſunt ipſi actus voluntatis; ille quidem viribus naturæ elicitus; iſte autem ſupernaturaliter infuſus à Deo. Quærimus in præſenti, an, & quo amore Angelus amet Deum, pluſquam ſe ipſum?

2 Prima ſententia vult Angelum amore electiuo naturaliter amare Deum, pluſquam ſe ipſum. Cenſetur eſſe *D. Tho. 2. p. q. 60. art. 5; Caiet. ibid; Gonet hic diſp. 9. art. 1. in fine*. Tribuitur etiã *Fund. Doct. Aegid*; ſed falsò, vt mox patebit.

3 Noſtra ſententia docet Angelum habere ſolam aptitudinem naturalem, ſeu inclinationem inſitam ab Auctore naturæ ad amandum Deum ſupra ſe ipſum, & ſuper omnia; hanc autem aptitudinem non poſſe prorumpere in actum viribus naturæ, ſed gratiæ. Quòd Angelus amet Deum amore naturali, pluſquam ſe ipſum, docet *Fund. Doct. in 2. diſt. 3. p. 2. q. 3. dub. 2. Lat; & Quodl. 4. q. 14*. Quòd autem iſte amor non dicat, niſi quandam aptitudinem naturalem, ſeu inclinationem inſitam ab Auctore naturæ; quæ inclinatio nequit in actum irrumpere, niſi viribus gratiæ, docet *in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2*; vbi §. *Diſtinguemus* verſus finem loquens de amore naturali, & gratuito ait: *Vterque enim eſt in Deum, qui & naturam, & gratiam dedit; ſed ſicut gratia eſt perfectio naturæ, ita motus gratuitus eſt perfectio motus naturalis; ex natura enim habemus quendam impetũ, vt feramur in Deum propter ſe, & ſuper omnia; ſed ex gratia impetus iſte perficitur, vt actuali cogitatione, non ſolùm habituali inclinatione feramur hoc modo in Deum. Sic ergo loquendum eſt de motu naturali, & gratuito, vbi creatura ſpiritualis non mouet ſe ipſam, quod de motu naturali non habet dubium; nec etiam habet dubium de gratuito; quia hoc planè dicit Apoſt. ad Rom. 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei; ſed in motu electiuo denudato à gratia creatura ſpiritualis mouet ſe ipſam*. Igitur ſi amor naturalis dicit ſolùm quandam inclinationem, ſeu impetum inſitum creaturæ ſpiritali ab Auctore naturæ, qui nequit in actum prodire, niſi per gratiam Dei perficiatur; & quo nequit creatura ſe mouere ad actũ amoris Dei per proprias vires; clarè ſequitur creaturam per actum naturalem non poſſe prorumpere in actum, niſi viribus gratiæ. *Et §. ſeq. Motus ergo naturalis* circa medium ait: *De hoc ergo motu veritatem habet, quòd natura ſemper eſt curua; impetus enim naturalis, vel inclinatio habitualis ſecundùm naturam poteſt eſſe, & eſt in aliquid ſupra ſe ſe ipſam; ſed ſi natura ſit nuda, nõ perfecta per gratiam; & velit ſe mouere ad aliquid eligendum, omnia eliget propter ſe ipſam; nunquam enim erit huiuſmodi motus ſupra ſe ipſam, quia tunc eſſet vltra ſpeciem, & ſupra cauſam ſuam. Natura ergo ſemper eſt curua in ſuis ſubſtantijs ſpiritualibus, non prout mouentur à Deo, ſed prout mouentur à ſe ipſis ſine gratia*. Et deinde §. *Eſt tamen* verſus finẽ. *Dici debet, quòd creatura ſpiritualis, vel homo, vel Angelus, denudata gratia, quandocunque mouet ſe, non poteſt hoc facere ſupra ſe, ſed in omnibus huiuſ-*

iuſmodi ſuis motibus quærit ſe; & ſi hoc modo quærit Deum, hoc eſt ſolùm propter ſe ipſam, non propter Deum. Deinde §. *Sed quando.* *Sicut ergo natura; niſi impulſa eſſet à Deo in his, quæ ſunt naturæ, non poſſet in aliquam operationem naturalem; ſic creatura rationalis, niſi impulſa eſſet à Deo in his, quæ ſunt gratiæ, non poſſet gratiam adipiſci.* Præterea clariùs explicat §. *Tertia via* docens: *Iſte autem motus naturalis non eſt, niſi quædam inclinatio naturalis, & quædam aptitudo naturæ, vt tendat in Deum, & diligat ipſum ſuper omnia. Cùm ergo hæc aptitudo ſit ad aliquid ſupra ſe ipſum, nũquam aliquid poterit hoc modo moueri per ſe ipſũ. Oportet ergo, quòd à Deo impellamur ſecundùm actum, ad hoc, quòd illa aptitudo reducatur in actum.* Idem docet *in ſeq. duob. lat.* per tota. Et in hoc ſenſu locutus eſt *diſt. 3; & Quodl. 4. vbiſ;* ita enim *hic* ſe explicat amorem naturalem Dei ſupernaturalem accipere.

4 Hæc referre voluimus, vt *Aduerſarij* diligentiùs legãt; nõ enim magnæ ſpeculationis, aut multæ interpretationis labor eſt ſubeundus in indagando, quid circa hoc ſenſerit *Fund. Doct.*; etenim ſi hæc legiſſent, mirum eſſet, an vellent, aut poſſent abſque eo, quòd *à Sapientibus* grauiter animaduerterentur, vel leuiter dubitare.

5 Hanc putamus etiam fuiſſe mentẽ *D. Tho*; nam eius rationes procedunt ſolùm de inclinatione naturali; vt legenti poteſt patere; & hoc conformiter ad eius doctrinam, quæ continuò habet obiectum non poſſe potentiam excedere; quidquid dicant *aliqui illius interpretes*.

6 Not. igitur *ex Fund. Doct. diſt. 7. cit*; quòd ſicut ſe habet pondus in corporibus, ita amor in ſpiritibus iuxta illud *Beatiſſ. P. Amor meus pondus meum.* Sicut ergo pondus in corporibus eſt inclinatio naturalis ad tendendum in locum ſuum; ita amor vocatur illa naturalis inclinatio, quam habent ſpiritus, ad tendendum in id, quod appetunt. Pondus autem in corporibus, vel eſt inclinatio ad aliquod ſibi naturale aſſequendum per proprias vires naturales iuxta curſum vſitatum naturæ; vt quòd graue tendat deorſum; vel eſt inclinatio ad aliquod ſupra vires naturæ; vt quòd graue tendat ſurſum ad implendum vacuum, ne Vniuerſi diſſoluatur compago. Ita amor in ſpiritibus vel eſt inclinatio ad aliquod obiectum naturale, in quod per vires naturales poteſt actualiter tendere; vel eſt inclinatio naturalis ad aliquod ſupernaturale, ad quod nequit niſi gratiæ viribus eleuari. Vterque tamen iſte amor eſt entitatiuè naturalis, quia inditus eſt cuilibet rei ab Auctore naturæ; in hoc autem differunt, quòd ille eſt etiam terminatiuè naturalis; iſte autem terminatiuè eſt ſupernaturalis, quia ad obiectum ſupernaturale ſuſtollitur; & idem eſt, ac potentia obedientialis, quam diximus *de Creat. ar. 4. n. 24.* inſitam eſſe rebus à Deo in prima rerum origine; in qua eſt *gratia, per quam ſalui fiunt peccatores*; aſſerit *Beatiſſ. P. ibid. laudat*; ſeu ratio ſeminalis obedientialis, de qua *in Hexam. art. 11. n. 12*; & ideo ſicut potẽtia, ſeu ratio ſeminalis obediẽtialis nequit in actum erumpere, niſi per gratiam Dei actuetur; eſt enim ſecundùm ſe merè paſſiua, vt *ibid.* habitum eſt; & paſſiuum, vt paſſiuum nullam poteſt elicere actionem; ita amor naturalis, quo creatura ſpiritalis inclinat ad amãdum Deũ ſupra ſe, & ſuper omnia, nequit in actum prodire, niſi per virtutem actiuam, quæ eſt gratia Dei, à Deo receptam. *Hoc not.*

7 Vnica concl. Angelus naturaliter inclinatur ad magis amandum Deum, quàm ſe ipſum; non tamen actu elicito magis amat Deum, quàm ſe.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſſ. P. vbiſ. 9. de Gen. ad lit. c. 17; & 18*; vbi poſtquam dixit Deum inſeruiſſe rebus potentiam obedientialem, ſeu aptitudinem ad agendum ſupra curſum naturæ, ait: *Neque enim ex eis, vel ille faceret, quod ex eis fieri non poſſe ipſe præfigeret, quoniam ſe ipſo non eſt, nec ipſe potentior.* Ex quo ſic. Angeli de facto amore beatifico magis amant Deum, quàm ſe ipſos per amorem naturalem; ergo in eis eſt inclinatio, ſeu aptitudo naturalis ad magis amandum Deum, quàm ſe ipſos, indita à Deo in eorũ conditione. Ant. patet; quia Deum ſummè amãt, cùm ſit ſummum bonum; ſe ipſos autem non ſummè amant, cũ nõ ſint ſummè boni; menſura enim amoris ſumitur à bonitate rei amatæ. Cõſ. quoque liquet; nam ſi in eis non eſſet aptitudo naturalis ad amandum magis Deum, quàm ſe ipſos, nec etiam ſupernaturaliter poſſent Deum magis amare, quàm ſe ipſos; ideo enim lapis nequit amare, quia in ipſo non eſt aptitudo naturalis ad amandum, ſed ineptitudo; ergo à pari.

8 Prob. 2. *à Fund. Doct. ex Beatiſſ. P. lib. 3. de Gen. ad lit. c. 24.* prope finem, vbi ſup. illud *Gen. 1: Vidit omnia, quæ fecerat, & erant valde bona*, ait: *Singula bona ſunt, & in Vniuerſo bona valde; non enim fruſtra additum eſt valde; nam & corporis membra, etianſi ſingula pulcra ſunt; multò ſunt tamen in vniuerſi corporis compage omnia pulcriora. Quia oculum v.g. placitum, atq; laudatum, tamen ſi ſeparatum à corpore videremus, non diceremus tam pulcrum, quàm in illa connexione membrorũ, cùm loco ſuo poſitus in vniuerſo corpore cerneretur.* Ex quo ſic. Angelus magis inclinat ad amandum ſe ipſum, vt eſt pars ordinata in Vniuerſo, quàm præſcindendo ab ordine Vniuerſi; ſed bonitas ordinis Vniuerſi eſt bonitas Dei conſeruantis, & ordinantis totum Vniuerſum; ergo magis inclinat ad amandum Deum, quatenus Deus eſt maius bonum in Vniuerſo, quàm ſe ipſum. Prob. ma. Angelus naturaliter inclinat ad amandum magis illud, quod eſt magis amabile, magis bonum, & magis perfectum; amor enim commenſuratur cum bonitate obiecti, à qua ſpecificatur; ſed Angelus eſt magis amabilis, magis bonus, & perfectior, quatenus eſt pars ordinata in Vniuer-

ſo; vt patet de oculo, qui eſt magis pulcrior, vt eſt ordinatus cū ceteris partibus corporis, quàm ſi ſit ſeparatus à corpore; & ratio eſt; quia pars in toto participat perfectionem totius, quam non participat ſeparata à toto; & ideo eſt perfectior in toto, quàm extra totum; ergo Angelus plus inclinat ad amandum ſe ipſum, vt eſt pars ordinata in Vniuerſo, quàm præſcindendo à tali ordine. Prob. mi. Bonum ordinis Vniuerſi eſt bonū illius, à quo fit talis ordo; ſicut bonum ordinis in exercitu eſt bonum Ducis; vnde qui amaret bonum ordinis alicuius exercitus, non poteſt nō amare bonitatem ipſius Ducis; ordo enim eſt in Duce, & à Duce; ſed bonitas ordinis Vniuerſi fit à Deo, qui ſolus cōſeruat, & dat ordinem rebus; ergo bonitas ordinis Vniuerſi eſt bonitas Dei conſeruantis, & ordinantis Vniuerſum.

9 Conf. Bonitas Dei, prout in Vniuerſo, eſt maior bonitate omnium creaturarum Vniuerſi; quia bonitas Dei eſt bonitas totius, bonitas autem creaturarum eſt bonitas partium; nam Deus eſt in Vniuerſo, vt totum; creaturæ autem, vt partes; tum quia creaturæ non ſunt bonæ niſi per bonitatem Dei; *propter quod* autem *vnunquodque tale, & illud magis*; ſed Angelus magis inclinat ad amandam bonitatem Vniuerſi, quia magis amat bonitatem maiorem; ergo magis inclinat ad amandum Deū, quàm ſe ipſum, & ideo in illo datur naturalis inclinatio ad amandum Deum magis, quàm ſe ipſum.

10 Dices. Angelus ſuperior eſt magis bonus, quàm Angelus inferior; & tamen inferior non inclinat ad amandum magis ſuperiorem, quàm ſe ipſum; ergo hæc ratio non concludit.

Reſp. neg. conſ. nam bonitas vnius partis, vt pars eſt, non eſt bonitas alterius partis; quia vna pars non habet bonitatem alterius partis, niſi ratione totius, in quo vniuntur; & ſic Angelus inferior non amat naturaliter magis ſuperiorem, quàm ſe ipſum; cùm bonitas Angeli ſuperioris ſit bonitas partis, quæ, vt talis, non eſt bonitas alterius partis. At verò bonitas Dei eſt bonitas totius; quia Deus eſt in Vniuerſo, vt totum, cùm ei repugnet habere rationem partis; tum quia per ipſum omnes partes ſunt bonæ; tum quia eſt primum, à quo eſt ordo totius; ideo Angelus naturaliter inclinat ad amandum Deum magis, quàm ſe ipſum.

11 Prob. 3. *ab eod. dub. 1. ex Beatiſſ. P. lib. 3. Conf. c. 6*; vbi ait: *Tu eras intimior intimo meo, & ſuperior ſummo meo.* Ex quo ſic. Res naturaliter inclinat ad amandum magis illud, quod eſt magis vnitum; quia ſicut vnio eſt cauſa amoris, ita maior vnio maioris amoris; ſed Deus eſt magis vnitus Angelo, quàm Angelus ſibimetipſi; quia eſt magis intimus, & magis intimum eſt magis vnitum; ergo Angelus naturaliter inclinat ad amandum Deum magis, quàm ſe ipſum.

12 Prob. 4. Quælibet pars magis inclinat in conſeruationem totius, quàm in cōſeruationem propriam; videmus enim, quòd manus exponit ſe periculo perdendi ſe ipſam, vt ſaluet totum; & in actionibus electiuis debemus potiùs exponere vitā, quā agere aliquid diſcordans à Deo, & à recta ratione, à quibus rectè ordinamur in toto Vniuerſo; ſed Angelus eſt pars Vniuerſi; ergo magis incliuat in conſeruationem totius, quàm in propriam; ſed conſeruatio totius Vniuerſi habetur ab eſſe Dei, quod omnia ſubſtentat in eſſe; ergo magis inclinat ad amandum Deum, quàm ſe ipſum.

13 Præterea *ex eod.* Quælibet res magis inclinatur ad conſeruationem ſui in eſſe, quàm ad eſſe tantùm; quia conſeruari in eſſe dicit maiorē perfectionem, quàm eſſe tantùm; nam creaturæ immortales ſunt perfectiores corruptibilibus; vnde vnuſquiſque vult potiùs conſeruari in eſſe, quàm eſſe; quia conſeruatio importat ſupra eſſe extenſionem, & indefectibilitatem ipſius eſſe; & ideo eſt maior bonitas ſaltem extenſiuè; ſed eſſe Angeli magis conſeruatur in Deo, quàm in ſe ipſo; quia magis conſeruatur in illo, qui, ſi deſtruatur, poteſt illud reficere; vt eſt Deus; quàm in illo, qui, ſi deſtruatur, nequit illud reproducere; vt eſt ipſe Angelus, qui nequit reproducere ſuum eſſe, ſi deſtrueretur à Deo; ergo Angelus magis inclinat ad amandum Deum, quàm ſe ipſum. Tum quia res naturaliter magis inclinat in ſuum centrum, in quo conſeruatur ſuum eſſe, quàm in ſe ipſam; ergo Angelus magis inclinat ad Deum, qui eſt conſeruatiuus eſſe Angeli, quā ad ſuum eſſe.

14 Prob. 5. *ex eod. in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2.* Quælibet res naturalis habet naturalem inclinationē ad tendendum vſque ad ſuum centrum; vt lapis ad centrum deorſum, & ignis ſurſum; ſed centrū creaturę rationalis eſt Deus iuxta illud *Beatiſſ. P. Inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*; ergo habet naturalem inclinationem, ſeu aptitudinem ad tendendum in Deum, vt ſuum principium.

15 Tandem ſi Angelus magis inclinaret ad amandum ſe ipſum, quàm Deum, eius inclinatio naturalis eſſet mala, & peruerſa; quia præponeret bonitatem creatam bonitati increatæ; ſed conſ. eſt abſurdum; quia cùm omnis inclinatio naturalis ſit à Deo, qui dedit ſua pondera rebus; creauit enim omnia *in numero, pondere, & menſura*; ſequeretur Deum eſſe Auctorem mali; vt blaſphæmabant *Manichæi*; ergo Angelus magis inclinat ad amādum Deum, quàm ſe ipſum. Tum quia ſi Angelus naturaliter inclinaret magis ad amandum ſe ipſum, quàm Deum; gratia, & gloria peruerterent naturam; quia gratia, & gloria faciunt, vt creatura magis diligat Deum, quàm ſe ipſam; ſed gratia, & gloria non peruertunt, ſed eleuant naturam, quia illam perficiunt; ergo Angelus naturaliter magis inclinat ad amorem Dei, quàm ſui ipſius.

16 Prob. 2. pars concl. *ex Luc. 10*; vbi *Legiſ-*

peri-

peritus ait: *Magiſter, quid faciendo vitam æternã poſſidebo? At ille dixit ad eum. In Lege quid ſcriptum eſt? Quomodò legis? Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua; & proximum tuum, ſicut teipſum. Dixitque illi. Rectè iudicaſti; fac hoc, & viues.* Ex quo ſic. Vita æterna acquiritur per dilectionem Dei ſuper omnia; ſed nulla creatura poteſt amore naturali elicito acquirere vitam æternam; ergo nulla creatura poteſt amore naturali elicito diligere Deum ſuper omnia. Ma. patet; nam dilectio Dei ſuper omnia eſt primũ, & maximum mandatum in lege; & qui poteſt illud viribus naturæ implere, poteſt & aliud minus, quod eſt diligere proximum, ſicut ſe ipſum, ſeruare; atqui ſeruando hæc duo pręcepta acquiritur vita æterna; vt patet *ex textu*; ergo vita æterna acquiritur per dilectionẽ Dei ſuper omnia. Mi. etiam habetur expreſsè *in Scripturis*; nam *Rom.11.* dicitur: *Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt*; vnde ſi vita, ſeu ſalus æterna habetur per electionem gratiæ, iam non eſt ex viribus naturæ; & hoc definitum eſt in omnibus *Cõc.* coactis *cont. Pelagium, & eius ſectatores*.

17 Dices vitam æternam acquiri per dilectionem Dei, vt Auctoris gratiæ, non vt Auctoris naturæ; & in hoc ſenſu intelligenda eſt *Scriptura*.

Sed contra; nam præcepta Legis naturæ, quæ habentur *Deut.6*; erant per ordinẽ ad bona tẽporalia, quæ Deus promittebat populo *Iſrael* in terra promiſſionis; puta *domos plenas cunctarũ opum, ciſternas, vineas, olìueta, & vt bene ſit ei cũctis diebus*; obſeruantibus tamen ea promiſit Deus ſuam miſericordiam, idèſt ſuam gratiam, qua acquirerent vitam æternam; vt habetur *ibid. in fine c*; dicitur nanque: *Eritque noſtri miſericors, ſi cuſtodierimus, & fecerimus omnia præcepta corã Domino Deo noſtro, ſicut mãdauit nobis*, ſed Deus, vt Auctor bonorum tẽporalium, eſt Auctor naturæ. ergo mandatum dilectionis Dei ſuper omnia eſt mandatum dilectionis Dei, vt eſt Auctor naturæ, quæ tamen nequit haberi niſi per miſericordiam, & gratiam Dei. Hæc doctrina traditur *à Beatiſſ. P. 10. Conf. c. 6*; vbi docet: *Cælũ, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem; nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles. Altiùs autem tu miſereberis, cui miſertus eris; et miſericordiam præſtabis, cui miſertus fueris; alioquin Cælum, & terra ſurdis canunt laudes tuas*. Ex quo ſic. Cognitio, & amor Dei, qui habetur ex creaturis, procul dubio eſt cognitio, & amor Dei, vt eſt Auctor naturæ; non enim ex creaturis poſſumus Deum cognoſcere, & amare, vt eſt Auctor gratiæ; ſecus ſicuti viribus naturę poſſemus cognoſcere, & amare Deum, vt eſt Auctor naturæ; ita viribus naturę poſſemus eum diligere, vt eſt Auctor gratiæ; ſed ſine miſericordia, & gratia Dei non poſſumus amare Deum, vt eſt Auctor naturæ; ſurdi enim ſine ipſa ſumus; & ideo clamorem naturæ audire non poſſumus, atque adeo nec illum intelligere, aut amare; ergo ſine miſericordia, & gratia Dei non poſſumus amare ſuper omnia Deum, vt eſt Auctor naturæ.

18 Tum quia odium Dei, vt eſt Auctor naturæ, eſt demeritorius vitæ æternæ; ergo amor Dei, vt eſt Auctor naturæ, eſt meritorius vitæ æternæ; *oppoſitorum* enim *ſunt oppoſitæ rationes*, quibus opponuntur.

19 Tum quia operatio ſupra naturam nequit competere ipſi naturæ; nihil enim notius habet *Philoſophia*, quàm quòd effectus nequit excedere, & eſſe præſtantior ſua cauſa; aliter cauſa ageret ſupra id, quod poteſt; & ideo ſecundùm id, quod non poteſt; ſed amor Dei ſuper omnia eſt operatio ſupra naturam creaturæ, quia eſt ſupra ſe ipſam, & ſuper omnem aliam naturam creatam, aliter nõ eſſet ſuper omnia; ergo nequit haberi naturaliter ab ipſa creatura.

20 Tum quia in tantùm homo poteſt naturaliter cognoſcere, & amare Angelum, qui eſt ſuperior ſe ipſo; in quantùm Angelus eſt intra ordinem naturæ creatæ; ſed Deus, vt Auctor naturæ, non eſt intra ordinem naturæ creatæ, aliter eſſet creatura; ergo Deus, vt Auctor naturæ, nequit actu electiuo naturali ab Angelo amari ſuper omnem naturam creatam.

21 Prob.2. *ex Fund. Doct. diſt.7. cit.* Omnis natura creata ſuis viribus nequit tendere, niſi in ſe ipſam, & in alia à ſe propter ſe ipſam; quia *ex Phil.2. Poſt. c.2. Natura ſemper eſt curua*; & ideo tendit in alia à ſe reuertendo ad ſe ipſam, atque adeo propter ſe; tum quia naturaliter nequit tẽdere, niſi in bonum ſibi conueniens; ſola autem bonitas ſua eſt ſibi conueniẽs; nam bonitas aliorum conuenit alijs, non autem ſibi, niſi quatenus aliquo modo ordinatur ad bonitatem ſuam; tum quia *agere ſequitur ad eſſe*; & ideo ſicut nequit naturaliter habere eſſe ſupra ſuum eſſe; ita nequit agere ſupra ſuum eſſe; atque adeo nequit amare Deum ſupra ſe ipſam; ſic enim haberet actionem ſupra actionem, per quam tẽderet in ſe ipſam; ergo nequit amare ſuis viribus Deum ſupra ſe ipſam. Hac ratione probat *Fund. Doct.* Dœmones non poſſe recedere ab actu ſuperbiæ, vt videbimus *inf. q.5. art. 6.* Ex quo ſic magis vrgetur. Si Angelus poſſet viribus naturæ amare Deum ſupra ſe ipſum, poſſent Dœmones, in quibus naturalia remanſerunt integra, recedere ab actu ſuperbiæ; quia amare Deum ſupra ſe ipſum eſt deſpicere amorem proprium, eumque ſubmittere amori Dei; ſubmiſſio autem eſt actus humilitatis, vt patet, per quam receditur à ſuperbia, cui opponitur; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. *Vid. inf. loc. cit.*

22 Tum quia eleuatio ſupernaturalis conſiſtit nedum in ordine ad habitum ſuperiorem ad vires naturales, ſed etiam in ordine ad actionem, & obiectum; hæc enim tria adæquantur inter ſe;

imò

imò habitus ſupernaturalis eſt neceſſarius propter actionem excedentem actionem proportionatam ſuæ naturæ;& actio excedens ſuam naturā eſt neceſſaria propter obiectum, quod, quando excedit naturam creaturæ, nequit attingi per actionem, & per vires proprias illius naturæ;ſed Deus,vt eſt ſupra naturam creaturæ, excedit naturam,vires,& actionem illius;ergo in ordine ad Deum, vt eſt ſupra ipſam creaturam, neceſſariò creatura eleuatur;ſed creaturam,vt eleuatam,tēdere in Deū eſt tendere per vires ſupernaturales,non per naturales;ergo creatura, atque adeo Angelus nequit ſuis viribus amando tendere in Deum ſupra ſe ipſum.

23 Tum quia Deus nequit cognoſci,niſi cognitione orta ex creaturis,vt docet *Beatiſſ.P.lib. 4.de Gen.ad lit.c.* 34; ergo neq; amari,niſi amore orto ex amore creaturarum, & ideo amore deſcendente ex amore proprio,qui nequit eſſe maior,quàm amor proprius; aliter effectus excederet ſuum principium. Sicut autem quia cognoſcitur ex creaturis,nequit magis cognoſci,quàm creatura;aliter cauſa cognoſcendi minùs cognoſceretur,quàm res cognita per cauſam;& ſic non eſſet cauſa illius cognitionis;ita quia amatur per amorem creaturarum,nequit magis amari,quàm amentur creaturæ; & ratio eſt; nam *propter quod vnunquodque tale, & illud magis*; vnde ſi propter creaturas amatur Deus, vt Auctor illarum,magis amantur creaturæ,quàm Deus.

24 Obijc.1.*Scot.in 3.diſt.27.q.2.*cōt.1.part. concl.Falſum eſt partem magis diligere totum, quàm ſe ipſam eo,quia ſe exponit pro conſeruatione totius; ergo hæc ratio non probat. Prob. ant.In tantùm pars exponitur pro toto; in quantùm ipſum totum illam exponit pro conſeruatione ſui ipſius;non verò quòd pars exponat ſe ipſam; ergo ex hoc ſequitur ſolùm totum magis diligere ſe ipſum, quàm partes. 2. Quanuis pars exponeret ſe ipſam pro toto; non tamen ſequeretur magis diligere totum, quàm ſe ipſam; in tantùm enim exponeret ſe pro toto; in quantùm in toto ſolùm conſeruatur ſuum eſſe; non verò, vt conſeruetur eſſe totius; ergo motiuum ſe exponendi pro toto eſt proprium eſſe, non autem eſſe totius;& ideo magis diligit ſe ipſam, quàm totum.

Reſp.ad 1.diſt. ant. Magis diligere totum, quàm ſe ipſam actualiter, tranſeat; aptitudinaliter,neg.Ad prob.dicitur, quòd licèt pars actiuè exponatur à toto; attamen quia nullam habet naturalem reſiſtentiam,vt exponatur;ideo naturalem habet inclinationem in eſſe totius magis, quàm in eſſe proprium.Ad 2.neg.ant. Ad prob. inſert.neg.aſſumpt; aliquando enim pars ſe exponit cū periculo perdendi ſuū eſſe;& ideo non ſe exponit,vt cōſeruet ſuum eſſe, ſed eſſe totius.

25 Obijc.2.Amare Deum ſupra ſe ipſum eſt actus charitatis; ſed Angelus nequit naturaliter habere actum charitatis; ergo nequit naturaliter amare Deum ſupra ſe ipſum. 2. Amare Deum ſupra ſe eſt eleuari ſupra ſuam naturam; ſed Angelus agens,vt eleuatus ſupra ſuam naturam,agit ſupernaturaliter;quia agere naturaliter eſt agere iuxta,non ſupra naturam; ergo Angelus non amat naturaliter magis Deum, quàm ſe ipſum.

Reſp.ad 1.diſt. ma. Amare Deum, vt Auctorem ſupernaturalem, actu electiuo eſt actus charitatis, conc; Amare Deum per modum ſimplicis inclinationis habitualis,neg. Ad 2.cōc. totum de amore actuali electiuo; neg.tamen de aptitudine ad illum amorem,quæ inſita eſt naturaliter creaturæ; imò ex eo, quòd actualiter eleuatur ſupra ſuam naturam,arguitur,quòd habeat aptitudinem ad illam, aliter non poſſet eleuari, vt dictum eſt.

26 Obijc.3.*Natura ex 2.Poſt.c.2. Sēper eſt curua*; quia reflectit, & refert cetera ad ſe; ergo & amor naturalis Angeli; ſed *propter quod vnūquodque tale,& illud magis*; ergo ſi Angelus naturaliter amat alia à ſe propter ſuam naturam, multò magis amat ſuam naturam.

Reſp.*Fund.Doct.ad* 2; quòd natura dicitur recurua,quia omnia refert in bonum ſuum nedū ſingulare,ſed etiam commune; vt patet etiam in rebus inanimatis; nam ignis nedum habet naturale conuertere lignum in ſe ipſum ob conſeruationem ſui,quod eſt bonum proprium, & particulare; ſed etiam generare alium ignem ad cōſeruationem ſpeciei,quod eſt bonum commune. Ad conſeruandum ergo bonum cōmune habet aptitudinem, vt tendat etiam in aliquod ſupra ſe, quod tamen nequit fieri per proprias vires ordinarias.

27 Obijc.4.Quod cōuenit naturaliter alicui, ei conuenit ſemper;quia conuenit neceſſariò;ſed Angelo non conuenit ſemper amare Deum ſupra ſe ipſum; nam peccando poſtpoſuit Deum ſibi ipſi;ergo Angelus non amat naturaliter magis Deum, quàm ſe ipſum.2. Angelus malus ſēper odit Deum; ſed odium, & amor nequeunt ſtare ſimul;quia ſunt oppoſita; ergo non ſemper amat Deum.

Reſp.diſt.mi. Non conuenit ſemper amare Deum amore electiuo, conc; non conuenit aptitudo ad amandum Deū,neg.Quanuis ergo Dæmones peccando poſtpoſuerint Deum electiuè; attamen habēt aptitudinem ad ipſum præponēdum, vt fecerunt Angeli Sancti. Ad 2.diſt. mi. Odium actuale,& amor actualis nequeunt ſtare ſimul,conc;odium actuale,& aptitudo ad amorē, neg.Sicut conuerſio,& auerſio reſpectu eiuſdem termini nequeunt ſtare ſimul; conuerſio tamen cum aptitudine ad ſe auertendum ſtant ſimul.

28 Obijc.5. Falſum eſt, quòd Deus ſit intimior nobis,quàm nos ipſi;nulla enim res poteſt dici intima ſibi, quia illud propriè dicitur intimum, quod eſt diſtinctum ab eo,cui eſt intimū; quare repugnat in terminis dicere Deum eſſe no-

nobis intimiorẽ,quàm nos ipſos;quare *Beatiſſ.P.* intelligendus eſt;quòd Deus eſt intimior nobis, quàm alia,quæ ſunt in nobis;non autem,quàm nos ipſi,quia nos nõ diſtinguimur à nobis, Deus autem diſtinguitur; ergo ſi ex maiori vnione arguitur maior amor, cùm indiſtinctio ſibi maior vnio,quàm ſit diſtinctio,ex hoc ſequitur creaturam magis amare ſe ipſam, quàm Deum, & ideo ratio allata potiùs concludit oppoſitum.

Reſp.1.neg.ant:nam eſſe intimum dicit eſſe *intra aliquod*,ſeu *in aliquo*,poteſt autem aliquod eſſe intra aliud per indiſtinctionem, ſic enim cõmuniter dicitur creaturas *eſſe in Deo*, in quo tamen non ſunt per diſtinctionem, ſed per identitatem. 2. Dicitur, quòd licèt res ſimpliciſſima nequeat eſſe intima ſibi; attamen res compoſita ex duabus partibus realiter diſtinctis (vt creatura,quæ componitur ex eſſentia,& exiſtentia)poteſt ſecundùm vnam partem eſſe intima alteri,& ſic poteſt ſecundùm vnam partem dici intima ſibi conſideratæ ſecundùm aliam partem.

29 Obijc.6.cont. 5. rationem 1. Ex illa ratione non probatur, niſi quòd creatura amet Deum, de quo nulla eſt quæſtio; ex hoc enim, quòd amet Deum, ſequitur, quòd perueniat vſque ad ſuum principium;ergo nihil concluditur. 2.Ille motus tantùm refunditur in principium naturæ,qui neceſſariò naturam conſequitur; ſed amor Dei ſuper omnia non conſequitur neceſſariò naturam intellectualem;quia ad illam ſequitur tantùm actualiter amor ſui, & amor beatitudinis in communi, qui ex amore ſui deſcendit; & actus indeliberati; ergo illa ratio non probat. 3. Etiam natura creata eſt principium illius motus naturalis in Deum; ſed nullus motus tranſcendit ſuum principium; ergo ille motus non tranſcendit naturam creatam, & ideo non tendit in Deum ſuper ipſam naturam creatam.4.Motus electiuus non diſcernitur à naturali,niſi quia ille eſt liber,iſte neceſſarius; ergo ſi amor naturalis poteſt peruenire ad Deum ſuper omnia, poterit etiam amor electiuus;ſed hoc negatur de electiuo;ergo etiam de naturali. 5. Quantitas motus naturalis menſuranda eſt ex viribus naturæ, à qua procedit, non verò ex viribus generantis naturam;vt patet de motu deorſum, qui menſuratur ex grauitate lapidis,non autem ex grauitate generantis lapidem; ergo perperam probatur creaturam poſſe tendere in Deum ſuper omnia ex eo,quòd ille motus refundatur in Deum, vt Auctorem naturæ. 6.Locus,in quem naturaliter fertur creatura,non eſt Deus, ſed natura creaturæ;ergo gratis, & falsò dicitur, quòd ſit Deus. Tãdem. Si creatura ex vi ſuæ naturæ magis amaret Deum, quàm ſe ipſum, non poſſet ſic non amare;in tantùm enim poſſet ceſſare ab amore ſui;in quantùm ad illum naturaliter inclinatur; & ideo ſi magis inclinaretur naturaliter in amorem Dei; multò minùs poſſet ab illo deſiſtere; vtinam autem ſic eſſet; quia nunquam peccaremus;ex quibus remanet non tantùm ſolutum,ſed & redargutum hoc arg; oſtenſumque, quòd in multis peccat,& potiùs concludit oppoſitum.

Reſp.hæc omnia procedere ex falſa imaginatione, & ex non perceptione rationis *Fund. Doct*;quæ probat tantùm de aptitudine, non de actuali tendentia.Ad 1.neg.ant;nam ex eo,quòd creatura intellectualis habeat aptitudinem ad aſcendendum ad ſuum principium, optimè probatur habere aptitudinem ad amandum Deum ſupra ſe ipſam; quia principium creaturæ eſt ſuper omnem creaturam, vt patet. Ad 2. neg. mi; negari enim non poteſt aptitudinem ad tendendum in Deum eſſe à Deo,qui eſt naturę creator; vnde licèt admittatur ſolos actus recenſitos eſſe neceſſarios, adhuc non probatur aptitudinem ad tendendum in Deum non competere neceſſariò creaturæ; ſic enim probaretur potentiam obedientialẽ nõ cõpetere neceſſariò creaturæ; & ideo nedum impugnaretur *Fund. Doct;ſed etiam Beatiſſ.P.vbiſ*;aut probaretur Deum nõ eſſe Auctorem creaturæ;vt infert *Fund.Doct.*Ad 3.neg. ma;nam illa aptitudo eſt à ſolo Deo inſita creaturæ in ipſa illius conditione,vt docet *Beatiſſ. P.* Ad 4.neg.ant;nam motus naturalis, vt *hìc* ſumitur *à Fund.Doct*,dicit ſolam inclinationem, ſeu aptitudinem ad tendendum; motus autem electiuus dicit actualem tendentiam, vt explicat *dub.lat.ſeq.vbiſ*; quod videndum erat *ab Aduerſarÿs*; in hoc enim diſtinguit hos duos motus *Fund. Doct*; & ideo non diſtinguuntur tantùm eo, quòd vnus ſit neceſſarius, alter liber. Ad 5. neg.ſupp;ſupponitur enim motum naturalem eſſe actum, ſeu tendentiam actualem, quæ menſuratur cum forma, ſeu principio talis tendentiæ; quod tamen falſum eſt; vnde ratio *Fund. Doct.* perperam intelligitur,non autem perperam probat;nam potentia obedientialis, ſeu aptitudo ad aliquod ſupra vires naturales non menſuratur ex viribus naturæ,ſed ex potentia,& voluntate Conditoris,quæ talem dedit aptitudinem rebus, *vt ex ipſis fieret, quod ipſe voluerit*; vt loquitur *Beatiſſ.P.vbiſ.* Ad 6.diſt.ma. Locus,in quem fertur naturaliter aptitudinaliter, neg; naturaliter actualiter,conc;nulla autem eſt falſitas apparentior, quàm negare talem aptitudinem, & ideo fundatiſſimè,& veriſſimè dicitur;& gratis, ac falſiſſimè impugnatur. Ad 7. dicitur procedere de amore actuali neceſſario,ſicut dicimus de amore actuali neceſſario ſupernaturali,à quo beati non poſſunt ceſſare; nõ autem de aptitudine ad amorem, quam aptitudinem non ſoluit, nec redarguit arg;ſed ſolùm ſoluit,& redarguit amorem actualem confictum,& ſomniatum ab ipſo, ideoque ſoluit ſuum figmentum, ſuumque redarguit ſomnium;quod quia in multis peccat,& concludit oppoſitum, ſcilicet non poſſe actu elicito amari naturaliter Deũ ſuper omnia,ideo abſoluit ſua peccata, illationeſque ex illis deriuatas oppoſitas ſuis figmentis; nec tamen inno-

centis rationis puritatem deprauat.

30 Dices. Aſſerere, quòd in creatura ſit potentia obedientialis ad amandum Deum ſuper omnia, non eſt ad rem propoſitam; ergo *Fund. Doct.* non reſpondet quæſtioni.

Reſp. diſt. ant. Non eſt ad rem propoſitam ab ipſo, neg; propoſitam ab alijs, tranſeat. Præterea cùm proponitur, an creatura poſſit naturaliter amare Deum ſuper omnia; reſpondendo cum diſtinctione, ſcilicet ſi *ly* poſſe naturaliter dicat aptitudinem, & potentiam obedientialem, conc; ſi dicat actum naturalem elicitum, neg; quis non videat ſolui, & determinari quæſtionem? Secus nulla difficultas bicipitis ſenſus ſolueretur ſic diſtinguendo, quod falſum eſt manifeſtè. *Sed de his in tract. de Grat.*

31 Eadem arg. fieri poſſunt cont. 2. part. concl; quæ tamen eodem modo ſoluuntur; conceduntur enim de aptitudine ad amorem, quæ inſita eſt naturis rerum in earum conditione; & negantur de actuali amore ſuper omnia, quia hic ſuperat vires naturæ; & ideo per gratiam ſolùm habetur.

32 Sed inſt. Poteſt Deus naturaliter cognoſci, vt Auctor naturæ; ergo & amari; eodem enim modo ſe habet amor, & cognitio.

33 Reſp. *aliqui*, quòd Deus cognitus ab intellectu per reuelationem ſupernaturalẽ poteſt à voluntate amari viribus naturæ, quia non requiritur ex parte voluntatis aliquid, ſicut requiritur ex parte intellectus. Sed hoc falſum eſt; nam ſicut actus intellectus ſupernaturalis inſpiratur à Deo; ita actus amoris ſupernaturalis infunditur à Deo per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris; aliter ſequeretur, quòd Deus viſus à Deo per lumen gloriæ poſſet naturaliter amari à voluntate, quod eſt falſum. Omiſſa ergo hac reſp.

34 Reſp. diſt. ant. Poteſt Deus naturaliter cognoſci, vt Auctor naturæ, cognitione orta ex creaturis, conc; cognitione ſuperiore ad cognitionem, qua cognoſcuntur creaturæ, neg. Sic autem poteſt amari amore orto ex creaturis, quod eſt amare propter creaturas; nam eſt amare, quia producit, & conſeruat creaturas; & ſicut quanuis cognoſcatur, vt Auctor creaturæ, & vt ſupra creaturam, non tamen magis cognoſcitur, quàm creatura; ita quanuis ametur, vt Auctor naturæ, & vt ſupra creaturam, non tamen magis amatur, quàm creatura; vt diximus *n.* 23; nam primo modo *ly ſuper* cadit ſupra obiectum; ſecundo modo cadit ſupra actum; quod tantùm valet, quando obiectum amatur per ſe ipſum; tunc enim ſpecificat amorẽ; nõ per aliquod inferius nõ ſpecificãs actum amoris; tunc enim non ſpecificat, quia non eſt primò, & per ſe amatum, ſed per aliud; nam ſpecificatiuum ſe habet primariò, & per ſe.

QVÆSTIO VIII.

De gratia, & gloria Angelorum.

De potentijs, & actibus naturalibus intellectualibus Angelorum hucuſque diſcuttimus; modò ad agendum de habitibus, & actibus ſupernaturalibus procedimus; cùm enim ſupernaturalia fundentur in natura; ideo prius agendum erat de naturalibus, & deinde de ſupernaturalibus.

ART. I.

An Angeli creati fuerint beati?

1 Beatitudo communiter diuiditur in naturalem, & ſupernaturalem. Naturalis eſt vltima perfectio, ad quam natura per proprias vires poteſt peruenire. Et eſt perfectior operatio, quæ poteſt elici viribus naturæ; vel vt eam definit *Fund. Doct. hic: Beatitudo eſt operatio animæ ſecundùm virtutem perfectam.* Quod autẽ beatitudo conſiſtat in operatione, non in potentia operatiua, probat ſic *Fund. Doct. ibid. Beatitudo naturalis eſt maximum bonum, quod poteſt habere natura;* ſed potentia habet minùs de bonitate, quàm operatio, quia habet minùs de actualitate, à qua ſumitur bonitas formalis; *vt alibi* dictum eſt; ergo beatitudo non conſiſtit in potẽtia, ſed in operatione potentiæ. Dicitur autẽ *operatio animæ*, nõ corporis, quia in operatione corporis cõmunicamus cũ brutis, quibus nõ cõuenit beatitudo. Dicitur tãdẽ *virtutis perfectæ*, quę duplex eſt, ſcilicet prudẽtia in moralibus, & Metaphyſica in ſpeculatiuis. Scire ergo ſe regere, & alios dirigere per prudẽtiã eſt quædã beatitudo naturalis vitæ actiuæ. Speculari autem ſecũdum Metaphyſicam ipſum Deum, vt Auctorem naturæ, ipſumque diligere, & alia à Deo eſt beatitudo naturalis vitæ contemplatiuæ. Beatitudo ſupernaturalis eſt, qua eleuamur ad cognoſcendum, & amandũ Deum, vt Auctorem ſupernaturalem. *Hoc ſupp.*

2 Prima ſententia vult Angelos fuiſſe creatos beatos beatitudine ſupernaturali, quæ conſiſtit in viſione beata. *Cit. Ludouic. Viues apud Beatiſſ. P. in Com. lib. 11. c. 9. de Ciu. Dei.* Ceterùm *hic* ſolùm aſſerit Angelum bonum ſemper in Patria fuiſſe ſuper illud *Beatiſſ. P. Nunquam peregrinata fuit*, quod nihil aliud ſignificat, quàm Angelos bonos creatos fuiſſe in Empyreo, quod eſt patria beatorum, à qua nunquam ceciderunt per peccatum. Hinc *inf. ſup. c. 12.* ait: *Angelos quodammodò fuiſſe beatos*; ſicut *Adam ante peccatum*; ex quo nequit deduci ipſum fuiſſe huius ſententiæ.

3 Secunda ſententia vult Angelos non fuiſſe creatos beatos beatitudine ſupernaturali, nec naturali. *Ita Vaſq. 1. p. diſp. 226. c. 2.*

4 Tertia ſententia cenſet Angelos fuiſſe creatos beatos beatitudine naturali, non ſupernaturali. *Ita omnes Thomiſtæ, & Scotiſtæ*; & ferè *omnes alij*, qui cenſent hanc eſſe mentem *S. P.*

Au-

Auguſtini. Quibus accedit *ex noſtris Gibb. hic diſp.25.dub.1,& alij*.

5 Noſtra tandem ſententia docet Angelos, & Adam creatos fuiſſe beatos beatitudine ſupernaturali non quidem perfecta, & conſummata, qua nō poſſent peccare,& ruere in miſeriam, qualis eſt beatitudo Sanctorum in Patria intuitiuè vidētium Deum, eique incommutabiliter adhærentium per viſionem,& amorem beatificum; ſed beatitudine inchoata,& imperfecta, qua poterant non peccare,non mori,& non ruere in miſeriam ſequentem ad peccatum, *Ita expreſſè Beatiſſ.P.Aug.locis inf.afferendis;& ex illo Fund. Doct.in 2.diſt.4.q.1.art.1*; vbi aſſignans ſeptem gradus felicitatis;duos quidem beatitudinis naturalis ſcilicet prudentiæ in vita actiua; & Metaphyſicæ in vita contemplatiua, aſſerit has duas beatitudines non eſſe verè, & propriè beatitudines ſine gratia; atque adeo *modica reputationis debent eſſe ſine gratia;nam & ipſa prudentia non meretur propriè dici virtus ſine gratia;nec etiam propriè meretur dici prudentia,niſi loquamur de prudentia largè,ſecundùm quod Filij huius ſaculi dicuntur eſſe prudentiores in generatione ſua, quã Filij lucis*; cùm enim charitas Dei ſit forma omnium virtutum; ideo ſine illa virtus non eſt formaliter talis,ſed cadauer virtutis;cùmque beatitudo conſiſtat in operatione perfectæ virtutis,& virtus non ſit perfecta niſi per ſuam formã; ideo operatio prudentiæ ſine gratia nequit eſſe beatitudo.Et hoc cōformiter ad doctrinam *Beatiſſ.P. lib.de Cor; & Grat.c.11*; vbi docet, quòd natura creata non eſt talis conditionis,vt ſine adiutorio Diuinæ gratiæ poſſet manere in bono, ſi vellet; his verbis: *Quoniam non talis natura facta erat, vt ſine Diuino adiutorio poſſet manere, ſi vellet,nō vtique ſua culpa cecidiſſet; adiutorium quippe defuiſset,ſine quo manere non poſſet.*Idē habet *lib.de vera Innoc. apud Fund.Doct.hic.* Ideo ſi natura creata ſine gratia nequit manere in bono,ſed cōtinuò ruit in peccatum, conſequenter ruit in miſerias,quæ ad peccatum ſequuntur; tum quia ipſum peccatum maxima miſeria eſt;ergo ſine gratia practicè loquendo nequit dari vita beta.

6 Aſſignans ergo *Fund.Doct.*tertiū gradum beatitudinis ait cum *Beatiſſ.P. lib.11. de Ciu.Dei c.12. Beatos eſſe iuſtos per gratiam*; vt habetur *Matth.5*.ait nanque *Beatiſſ.P. Cùm hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus iuſtè, & piè cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere ſine crimine vaſtante conſcientiam facilè impetrantes peccatis huius infirmitatis Diuinam miſericordiam.* Quam beatitudinem quomodò poſſimus habere inter miſerias huius vitæ, quæ pugnare vidētur cum ipſa,explicat *D.Chriſoſt.orat. de S.Philogonio* dicens:*Si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput; vitamque ſuam rectè compoſuerit*;abſtrahitur enim mens ab his miſerijs,& ad bona cœleſtia rapitur,illiſque firmiter adhæret; in qua adhæſione conſiſtit iuſtorum beatitudo. Hoc autem fieri per gratiam manifeſtum eſt; & ideo hanc eſſe beatitudinem ſupernaturalem.

7 Quartus gradus beatitudinis eſt ille, quē habuit *Adam* in paradiſo ante peccatum;de quo *Beatiſſ.P.vbiſ.Quis enim primos illos homines in paradiſo negare audeat beatos fuiſſe ante peccatū?* Hanc beatitudinem fusè deſcribit *lib.14. de Ciu. c.26.*Et hanc beatitudinem quantùm ad delectationem præſentis boni eſſe maiorem beatitudine cuiuslibet iuſti in natura lapſa, quãuis quantùm ad ſpem futuri boni hæc ſit maior illa, docet *lib. 11. c. 12.*

8 Quintus gradus eſt ille, in quo conſtituti ſunt Angeli ante peccatum malorum, & ante confirmationem bonorum;de quo *Beatiſſ.P.vbiſ. c.12;& 13.*

9 Sextus eſt ille, quem habuerunt Angeli poſt confirmationem, & homines iuſti aſſumpti poſt hanc vitam mortalem ad ſocietatem Angelorum,de quo *ibid.*

10 Septimus tandem eſt ille, quo fruitur Deus ſe ipſo,& in ſe ipſo;de quo *ibid. c.11.*

11 Docet ergo *Fūd.Doct.* Angelos creatos fuiſſe beatos beatitudine ſupernaturali viæ,non Patriæ.Ipſum ſequitur *Argent. in 2.diſt.4;& 5. q.1.art.1;Greg.ibid.diſt.3,4,& 5.art.3; & omnes noſtri.*

12 Igitur cùm diuiditur beatitudo in naturalem,& ſupernaturalem;ſupernaturalis ſubdiuidi debet in ſupernaturalem perfectam,& conſūmatam,quæ conuenit tantùm Patriæ;à qua beati nequeunt excidere, quia incommutabili bono incommutabiliter adhærent; & in ſupernaturalē imperfectam, & inchoatam, quæ conuenit creaturis in via, à qua poſſunt non cadere bene viuendo; quia bono incommutabili mobiliter adhærent per Fidem,& charitatem imperfectam. *Quo ſup.*

13 Vnica concl. Angeli fuerunt creati in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis imperfectæ, & inchoatæ,qua poterant non peccare, & non ruere in miſeriam, ſi voluiſſent permanere in ea bonitate, & rectitudine, in qua conditi erant; quæ beatitudo erat propria ſtatus Innocentiæ in Via; non autem in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis perfectæ; & conſummatæ, qua non poſſent peccare,& ruere in miſeriam,quę beatitudo eſt propria ſtatus Patriæ, ac propterea beatitudo Angelorum in via fuit quædam anticipata participatio imperfecta, ſeu imperfecta inchoatio beatitudinis Patriæ.

14 Prob.1.pars concl. *ex Beatiſs.P. lib.de Cor;& Grat.c.10*;vbi ait:*Diabolus verò,& Angeli eius,etſi beati erant,antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſse neſciebãt, erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini,ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent; donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent, idèſt vt magna per*

Spiritum S.data abundantia charitatis Dei cadere vlteriùs omnino non poſſent; & hoc de ſe certiſſimè noſſent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam; minore quidem, ſed tamen beatitudine ſine vllo vitio fruebantur. Nam ſi ſuum caſum futurum noſſet, æternumque ſupplicium, beati vtique eſſe non poſſent, quos huius tanti mali metus iam tunc miſeros eſse compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio; & quanuis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſse ſentiebat. In quo ſtatu recto, ac ſine vitio ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſset, profectò ſine vllo mortis, & infelicitatis experimento acciperet illam merito huius permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua & ſancti Angeli ſunt beati; idèſt vt cadere nõ poſset vlteriùs, & hoc certiſſimè ſciret. Ex quo ſic arguitur. Beatitudo Angelorum, & Adæ ante peccatum conſiſtebat in rectitudine ſine vllo vitio cum potentia ad permanendum in ea bonitate, in qua conditi erant, & non cadendi in miſeriam, & tribulationes ſequentes ad peccatum; ſed talis rectitudo, & potentia permanendi in bono; & non cadendi in miſeriam erat gratia Dei adiuuans eorum liberum arbitrium; docet enim *cap.11.ſeq*; vbi loquens de gratia primitus data ait: *Nec illa quidem parua erat, qua demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrij; quoniam ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret.* Et paulò poſt: *Tunc dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adiutorium, ſine quo in ea non poſset permanere, ſi vellet.* Et mox: *Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt; cuius meritum fuiſset, ſi permanere voluiſset; ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt; tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit ſemper in illa eſse manſuros*; ergo beatitudo Angelorum, & Adæ ante peccatum fuit ſupernaturalis, non naturalis.

15 Conf.1.Beatitudo, quam habuerũt Angeli ſancti in via, meruit beatitudinem patriæ, quia permanendo in ea bonitate, qua beati erãt, receperunt plenitudinem illius beatitudinis, ſcilicet gloriam; ſed nullum naturale poteſt mereri gloriam; ergo illa beatitudo non fuit naturalis, ſed ſupernaturalis.

16 Conf.2.Beatitudo Angelorum erat, qua fruebantur bono ſine vllo vitio; ſed id, quo natura creata fruitur bono ſine vllo vitio, eſt gratia Dei; quia natura creata, vt docet *ibid.c.11. Ad bonum nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono*; nam cùm natura creata *ex nihilo ſit*; ſecundùm ſe *in nihilum tendit*; ergo beatitudo Angelorum eſt ſupernaturalis, & gratuita, non verò naturalis.

17 Prob.2.*ex eod.lib.11.de Gen.ad lit.c.18.* vbi exprofeſsò pertractat hanc quæſtionem concludens his verbis: *Non abſurdè tamen, nec improbè dicimus beatos iam fuiſſe hoc ipſo, quòd ſpiritales eſſent, non corpore, ſed iuſtitia Fidei, ſpe gaudentes, in tribulatione gaudentes. Quantò magis ergo, & ampliori modo beatus erat homo in Paradiſo ante peccatum, quanuis incertus futuri ſui caſus; qui ſpe ita gaudebat propter præmium futuræ commutationis, vt nulla eſſet tribulatio, cui tolerandæ patientia militaret.* Quod habet etiam *de Ciuit.Dei vbiſ.* Ex quo ſic. Beatitudo ſtatus innocentis conſiſtebat in iuſtitia Fidei, in gaudio ſpei, & dilectione Dei, à quo expectabatur premium commutationis illius ſtatus; ſed Fides, ſpes, & dilectio Dei, vt diſtribuentis præmium Fidei, & ſpei ſunt actus ſupernaturales; ergo talis beatitudo erat ſupernaturalis, non naturalis.

18 Collig.ex hac auctoritate *Beatiſſ.Patrem* docere Angelos, & *Adam* in ſtatu innocentiæ elicuiſſe actus Fidei, Spei, & Charitatis.

19 Conf. Beatitudo, qua fruuntur iuſti in natura lapſa, eſt per gratiam, non verò naturalis; ſed beatitudo ſtatus innocentis erat amplior, & maior iſta ſtatus corrupti; ergo etiam illa erat per gratiam, non verò naturalis; aliter fuiſſet minor. Prob.ma. Beatitudo, qua fruuntur iuſti in natura lapſa, eſt ipſa gloria per fidem, & charitatem habita in ſpe; quatenus enim eleuantur per Fidem, & charitatem in Deum, dicuntur Deo frui; ſed gloria in ſpe eſt ſupernaturalis; ergo & beatitudo iuſtorum. Prob.mi; nam beatitudo ſtatus innocẽtis erat quoque in ſpe futuræ tranſlationis ad gloriam; & aliunde nulla erat tribulatio toleranda; ergo erat maior beatitudine iuſtorum huius vitæ.

20 Prob.3.Beatitudo ſtatus innocentis conſiſtebat in actibus intellectus, & volũtatis perfectiſſimis; eſt enim operatio perfectiſſima potentiæ intellectualis, vt *ſup.* dictum eſt; ſed actus perfectiſſimi intellectus, & voluntatis Angelicæ eſt gratia, qua fuit illuminatus intellectus per Fidem, & mota voluntas per charitatem in Deum; quia Angeli fuerunt creati cum pia cognitione & ſancto amorè Dei; nam fuerunt creati recti; rectitudo autem conſiſtit in tendentia in Deum, tanquam in vltimum Finem ſummè bonum, quæ tendentia nequit eſſe naturalis, cùm ſit ex dono Dei; ergo talis beatitudo non erat naturalis, ſed ſupernaturalis.

21 Conf. Beatitudo Angelorum conſiſtebat in adhæſione ſummo bono incommutabili mobiliter tamen; vt docet *Beatiſſ.P.lib.12.Cõfeſſ. c.2*; ſed adhæſio ſummo bono eſt ſupernaturalis, & per gratiam; quia ſummum bonum, vt ſummum bonum, eſt ſuper omne bonum ordinis naturalis; & ideo tendentia in illud eſt ſuper vires naturæ; ergo beatitudo Angelorum ante peccatum erat ſupernaturalis.

22 Prob. 4. Ita ſe habet gratia conſummata

ad iuſtos beatos in patria; ſicut gratia inchoata, & imperfecta ad iuſtos beatos in via;gratia enim eſt ſemen gloriæ; & ſicut ſemen perficitur in plantam, quam inchoat;ita gratia viæ perficitur in patria, cuins beatitudinem inchoat; ſed ſola gratia conſummata reddit iuſtos formaliter beatos in patria; ergo ſola gratia inchoata reddit iuſtos beatos in via;& per conſequens beatitudo viæ eſt quædam inchoatio, ſeu participatio imperfecta beatitudinis patriæ; ſicut gratia viæ eſt quædam inchoatio, & participatio imperfecta gratiæ conſũmatæ ipſius patriæ iuxta illud *Apoſt. 1.Cor.13.Cùm venerit, quod perfectũ eſt,evacuabitur,quod ex parte eſt.*Tum quia beatitudo Angelorum ante peccatum erat ipſa gloria futura in ſpe habita per Fidem, & per amorem Dei sũmi boni,quo illi adhærebant;ſed gloria in ſpe eſt inchoatio imperfecta gloriæ in re; ſpes enim inchoat poſſeſſionem rei; ergo beatitudo Angelorum erat participatio beatitudinis Patriæ inchoata,& imperfecta.

23 Tandem ſi beatitudo Angelorum ante peccatum fuiſſet naturalis,ſequeretur, quòd etiã poſt peccatum remanſiſſent beati; nam poſt peccatum remanſit cognitio Dei, vt Auctoris naturæ;& dilectio naturalis, vt dictum eſt *in ſup. q. art.3*; & remanſit cognitio naturalis omniũ aliarũ rerum;quia naturalia remanſerunt integra in Dæmonibns,vt docet *D.Dion*; ergo eorum beatitudo non fuit naturalis,ſed ſupernaturalis.

24 Dices non remanſiſſe beatos, quia non ſeruauerunt rectitudinem.Sed contra.Illa rectitudo erat ſupernaturalis, vt dictum eſt; ergo & eorum beatitudo.

25 Prob.2.pars concl.Si Angeli creati fuiſſent beati beatitudine conſummata, quæ conſiſtit in clara viſione Dei,& perfecto ipſius amore, nullus fuiſſet damnatus; quia de ratione illius perfectæ beatitudinis eſt perpetuitas, & inamiſſibilitas; cùm enim beatus clarè videns Deum tendat in obiectum ſummè bonum nullam habens rationem malitiæ,nequit ab illo auerti; nã in tantùm voluntas auertitur ab aliquo obiecto; in quantùm in illo eſt aliqua ratio mali; quia ſicut ratio boni eſt ratio tendendi; ita ratio mali eſt ratio recedendi;ſed aliqui Angeli fuerunt dãnati; ergo non habuerunt ab initio beatitudinem conſummatam.

26 Obijc.1.*Gonet*. Beatitudo, quam habuerunt Angeli à principio ſuæ creationis, conſiſtebat in cognitione,& dilectione Dei, vt Auctoris naturæ; quia conſiſtebat in vltima perfectione, ad quam natura per proprias vires poterat peruenire;ſed cognitio, & dilectio Dei, vt Auctoris naturæ, eſt naturalis; ergo beatitudo Angelorũ erat naturalis. 2. Beatitudo ſupernaturalis non eſt aliquid naturæ,ſed finis naturæ; ergo non debuit Angelis communicari per creationem; qua ſola natura producta eſt.

Reſp.neg.ma.Ad prob.inſert. neg.aſſumpt; nam beatitudo Angelorum conſiſtebat in operatione perfectiſſima, quam habuit Angelus à principio ſuæ creationis; operatio autem perfectiſſima communicata Angelo in ſui conditione eſt operatio per gratiam, cum qua conditus eſt; vt fatentur etiam *Thomiſtæ* iuxta illud *Beatiſſ.P. Erat ſimul condens naturam,& largiens gratiam*; & ideo operatio perfectior, quam habuerunt Angeli ab initio,fuit cognitio Dei per Fidem, & & adhæſio per charitatem inchoatam, quæ eſt propria viæ. Tum quia ſicut beatitudo patriæ conſiſtit in adhæſione ſummi boni per charitatẽ conſummatam; ita beatitudo viæ conſiſtit in adhæſione ſummi boni per amorem, & cognitionẽ imperfectam;cognitio autem,& amor ſummi boni eſt ſupernaturalis;quãuis cognitio, & dilectio Dei,vt eſt Auctor naturæ,ſit naturalis. Ad 2.neg. conſ; probat enim gratiam, quæ non eſt aliquid naturæ, non debuiſſe communicari Angelis ab initio,quod tamen aſſerunt Thomiſtæ; ergo improbat,quod dicunt.

27 Obijc.2.*noſter Gibb*. Beatitudo naturalis eſt ſtatus omnium bonorum naturalium aggregatione perfectus;ſicut beatitudo ſupernaturalis omnium bonorum ſupernaturalium aggregatione perficitur;ſed Angeli in ſui primordio habuerunt ſtatum perfectum aggregatione omnium bonorum naturalium;quia habuerunt perfectam cognitionem Dei,vt Auctoris naturæ; & omniũ ſubſtantiarum, atque entium naturalium; ergo habuerunt beatitudinem naturalem.

Reſp.*ex Fund.Doct.vbi ſ*; quòd cùm beatitudo ſit operatio virtutis perfectæ;& cùm virtus perficiatur per charitatem,quæ eſt forma omniũ virtutum, & eſt ſupernaturalis; ideo non datur vera beatitudo naturalis. Diſt. igitur mi.Angeli habuerunt ſtatum perfectum omnium bonorum naturalium ſine gratia,& charitate,neg;per gratiam,& charitatem, conc, & neg. conſ; nam ſtatus omnium bonorum naturalium perfectus per gratiam non eſt naturalis,ſed ſupernaturalis.

28 Obijc.3.Fuit ſpeciale priuilegium Chriſti Domini habere beatitudinem ſupernaturalẽ; quia ratione vnionis hypoſtaticæ debetur ei gratia habitualis, ad quam conſequitur beatitudo ſupernaturalis; ergo non eſt conceſſa Angelis. 2. Si creati fuiſſent cum beatitudine ſupernaturali,ipſam ſeruaſſent; quia de ratione beatitudinis eſt inamiſſibilitas.

Reſp.diſt.ant. Habere beatitudinem ſupernaturalem perfectam, & conſummatam, conc. ant;& conſ,imperfectam,& inchoatam, neg.ant; & conſ.Ad 2.neg.aſſumpt. Ad prob. diſt. De ratione beatitudinis in re eſt inamiſſibilitas, conc; in ſpe, neg.

29 Obijc.1.cont.2.part.concl.*Angeli*,vt habetur *lib.de Fid.ad Petr;æternitatis, ac beatitudinis donũ in ipſa naturæ ſpiritualis creatione diuinitus acceperũt,& 4.ſup.Gen.ad lit.*habetur;quòd *ſpiritualis ſubſtantia creaturam faciẽdam in verbo*

bo

bo cognouerit à principio; cognitio autem in Verbo eſt viſio beata. *Et lib. 11. de Ciu. Dei c. 9.* ait, quòd *Ciuitas Angelorum eò beatior, quò nũquam peregrinata*; & *ibid. c. 22. Angeli à principio fuerũt participes lucis, & claritatis æternæ*; ſed nunquã fuiſſe peregrinatum eſt ſemper fuiſſe in Patria, nunquam in via; & claritas æterna eſt viſio beata; ergo Angeli à principio fuerunt creati in beatitudine conſummata.

Reſp. *Fund. Doct.* ad 1. ſermonem eſſe de beatitudine in ſpe, à qua Angelus poterat cadere, quia plures ceciderunt. Ad 2. ait Angelum cognouiſſe in Verbo, tanquam in principio, per quod facta ſunt omnia, non tanquam in obiecto clarè viſo; nam vt diximus *q. 1. in Hexam. art. 10. n. 33. & 34*; cognitio matutina, qua cognouit res in verbo, eſt naturalis; vt explicat *idẽ Sanctiſſ. P. ibid.* Ad 3. dicitur Angelum nunquam peregrinaſſe, quia nunquam auertit ſe à Deo, quãuis in principio tenderet in Deum per Fidem, & poſt confirmationem in gratia tenderet per viſionem claram; peregrinauit ergo, quatenus fuit in via; non peregrinauit, quatenus ſe nunquam auertit à Deo; quamuis diuerſo modo tẽderet in Deum. Ad 4. dicitur Angelum fuiſſe participem lucis æternæ imperfecto modo per Fidem, non perfecto modo per viſionem beatam. Et ſic ſoluuntur aliæ auctoritates; in quibus docet Angelos ſtatim, ac facti ſunt, adhæſiſſe Deo per amorem; & alia huiuſmodi; intelliguntur enim de adhæſione per Fidem; ad quam ſequitur amor viæ, qui eſt imperfectus; non per claram Dei viſionem, ad quam ſequitur amor patriæ, qui eſt perfectus, & conſummatus.

30 Obijc. 2. Si Angeli non fuiſſent creati videntes clarè Deum, cognouiſſent ipſum tantùm ænigmaticè; ſed hoc eſt falſum; quia cognitio ænigmatica ortum habet à phantaſmatibus; à quibus Angeli nequeunt dependere; ergo creati fuerunt videntes Deum clarè.

Reſp. neg. mi; ideo enim cognitio ænigmatica in nobis ortum habet à phantaſmatibus, à quibus dependet; quia nos intelligimus dependenter à corpore; at verò in Angelis non dependet à phantaſmatibus, ſed à ſpeciebus tantùm infuſis à Deo in intellectum ipſorum.

31 Obijc. 3. *Ezech. 28.* habetur *de Lucifero*: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs Paradiſi Dei fuiſti*; ſed deliciæ Paradiſi eſt viſio beata; ergo habuit viſionem beatam. *Et in Epiſt. Iudæ* dicitur: *Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, & iudicium magni Dei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*; ſuper quod *Gloſ. Interlin.* ait *per ſuum principatum* intelligi ſpiritualem Dei viſionem; ergo fuerunt creati cum viſione beata.

Reſp. ad 1. neg. mi; nam nomine *deliciarum Paradiſi* rectè intelligi poteſt beatitudo imperfecta, qua fruebatur ſine vlla moleſtia. Ad 2. dicitur nomine ſpiritualis Dei viſionis intelligi viſionem ænigmaticam per Fidem; ſicut ſæpe dicitur *in Scripturis SS. PP.* Deum vidiſſe, quod nequit intelligi de viſione beata. Vel dici poteſt, quòd non ſeruauerunt viſionem Dei habitam in ſpe, non in re; & ſic ſoluuntur alia.

32 Quæres; quonam in loco Angeli creati fuerint?

Reſp. *Beatiſſ. Patrẽ*, vt videre potuimus, nihil determinaſſe de hac re; nam *lib. 3. de Gen. ad lit. c. 19.* loquens de ſuprema parte aeris, quæ propter puram tranquillitatem eſt contermina Cœlo, & nomine Cœli vocatur; ait: *In qua fortaſſis parte ſi fuerunt ante tranſgreſſionem ſuam tranſgreſſores Angeli cum Principe ſuo nunc Diabolo, tunc Archangelo*; vbi loquitur potiùs ſupponendo, quàm determinãdo: Ita loquitur *Fund. Doct. in Hexam. p. 1. c. 10*; vbi aſſerens nomine *Cœli* intelligi creaturam ſpiritualem; *quia in Cœlo, & potiſſimè in Empyreo condita eſt*, ſtatim ſubdit: *Ideo prætermiſſo hoc modo &c*; vtpotè inconueniente doctrinæ *Beatiſſ. P*; vnde patet nihil circa hoc determinaſſe. Dicere nãque creatos eſſe in Empyreo, quia creatura perfectiſſima creari debebat in loco perfectiſſimo; vt aſſerit *noſter Gibb. cum Thomiſtis*; non concludit; quia ſufficit creatos eſſe in loco perfectiſſimo congruente Viatori; quomodò non eſt Empyreũ, quod eſt locus Patriæ, non viæ. Et dicere creatos non eſſe in Empyreo; quia non potuiſſet dicere: *In Cœlum conſcendam*; tum quia certum eſt de Angelis mouentibus Cœlos; patet enim hos eſſe extra Empyreum; nec pariter concludit; quia intelligi poteſt de aſcenſione in Cœlũ SS. Trinitatis; cuius maieſtatẽm appetẽdo appetebat, & locum. Ad aliud dicitur non conſtare, an Angeli ſtatim, ac conditi ſunt, mouiſſe Cœlos; ſufficit enim, quòd in tempore ſubſequenti ad inſtans creationis Angelorum applicati fuerint ad mouendos Cœlos. Ideo nihil certi habemus circa hoc; & ideo vtrunque aſſerere arbitrarium eſt.

33 Nec valet dicere creatos fuiſſe in Empyreo; quia *ad Coloſ. 1.* habetur: *In quo condita ſunt vniuerſa in Cœlis &c*; tum quia Angeli mali peccauerunt in Empyreo, ex quo deiecti ſunt. Ad 1. enim dicitur nomen *Cœli* eſſe genericum, & non ſignificare ſolùm Empyreum, ſed etiam alios Cœlos, imò etiam aerem; vt cùm dicitur *aues Cœli*. Ad 2. dicitur non concludi; non enim conſtat deiectos fuiſſe de Empyreo, an de alio Cœlo; tum quia ſi de Cœlo Empyreo; dici poteſt deiectos eſſe de Empyreo; idèſt amiſiſſe, non quòd in illo fuerint; ſed quia ad illud deſtinati erant; quod tamen peccando amiſerunt.

Dices. *In Hexam. art. 9. n. 14.* diximus cognitionem matutinam, cum qua creati ſunt, eſſe cognitionem claram, & lucidam; cognitio autem clara eſt viſio beata. Item viſionem beatam eſſe priorem cognitionem, quam habuerunt Angeli.

Reſp. hæc fuiſſe ſoluta, & explicata *ibid. art. 10. n. 33.*

ART. II.

An Angeli fuerint creati in gratia?

1 Difficultas æquè procedit de Angelis,& *de Adamo*;vtrique enim creati ſunt innocentes in ſtatu originalis iuſtitiæ.

2 Prima ſententia vult Angelos, & *Adam* fuiſſe creatos in gratia ſanctificante importante cohabitationem Spiritus ſancti. *Ita plures Thomiſtæ recentes*; vt videre eſt *apud Gonet hic diſp.* 10.*art.*2; qui contendunt hanc eſſe opinionem *D.Tho*;& referunt *Dur;Cap;Sot;Vegham;& alios*; quibus ſubſcribit *Maſtr.diſp.*3.*n.*1.

3 Secunda ſententia vult Angelos non fuiſſe creatos in gratia ſanctificante,illam tamen recepiſſe ante lapſum. *Cit. Mag; D. Bon; Scot; Ric; Gabr;& noſter Argent.in* 2.*diſt.*29.

4 Tertia ſententia vult Angelos, & *Adam* creatos fuiſſe in iuſtitia originali, non tamen in gratia ſanctificante, nec illam habuiſſe ante lapſum.*Ita Marſ.in* 2.*q.*16. *art.*6; *Palud. in* 4. *diſt.* 27.*q.*4. *art.*4. Tribuitur etiam *Fund. Doct. in* 2; *& loc.inf.alleg*; & ideo in hanc ſententiam ierūt plures *ex noſtris in M.S.*

5 Noſtra tandem ſententia docet Angelos, & *Adam* creatos fuiſſe in gratia actuali,quæ non fert ſecum cohabitationem Spiritus ſancti; non tamen in gratia habituali ſanctificante,& gratum faciente ferente ſecum ſpecialem habitationem, & aſſiſtentiam Spiritus ſancti.Hanc putamus eſſe ſententiam *Fund.Doct*; qui *in* 2.*diſt.*29. *q.*1. *art.* 2.*dub.*6.*lat.in fine* quærens, an iuxta ſententiam *Beatiſſ.P. Adam* fuerit creatus in gratia gratum faciente ait, quòd non habuit iſtam gratiā, quia non habuit inhabitantem Spiritum ſanctum, qui ſemper datur cum gratia ſanctificante, ſeu gratū faciente, his verbis: *Ex quibus manifeſtè colligitur,quòd primus homo ante peccatum,& in ſui primordio ſecundùm intentionem Auguſtini non habuit gratiam gratum facientem, nec accepit Spiritum S;vt accipiunt Fideles,cum quo ſemper datur gratia gratum faciens;& diſt.*26.*q.*2.*art.*3.§.*Tertio modo* ait,quòd per gratiam gratum facientem *ſumus Deo digni, & ſumus digni bono increato, & vita aterna,qua eſt ipſe Deus;Et ibid.q.*1.*art.*2.§. *Tertia via* ait,quòd *gratia gratum faciens ſemper dicitur dari creaturæ rationali cum Spiritu ſācto*. Illa autem gratia, quæ datur cum Spiritu ſancto, eſt gratia habitualis; quoniam gratia habitualis eſt illa,quæ facilitat potentiam ad operandum, ipſamque roborat,& fortificat ad ſuperandas tētationes, & difficultates ipſorum operum bonorum;gratia autem, quæ ſecum fert inhabitantem Spiritum ſanctum, eſt huiuſmodi; & ideo negat ſolam gratiam habitualem.Non tamen abſoluiè negat omnem gratiam;nam *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 2. *dub.*7.*lat.* aſſerit iuſtitiam originalem, eum qua creati fuerunt *Adam*,& Angeli, eſſe non ſolùm propriè,ſed etiam magis propriè gratiam. Et *ad* 2.*art.*2.docet *Adam* habuiſſe gratiam,per quam poterat ſtare,ſed nō qua poterat proficere; idēſt non qua actu ſtaret;& actu ſtando proficeret in merito;vt *inf.*videbimus *ex Beatiſſ.P*;quod etiam oſtēdit *ibid.dub.*2.*lat.*Et *dub.*5.*lat.*aſſerit *D.Thomam* ſententiam ſuam, quam tradiderat *in* 2.*Sēt*; moderaſſe *in Summa* dicendo *Adam* fuiſſe creatum in gratia, quia fuit creatus cum rectitudine originalis Iuſtitiæ, quæ habebat ſubijcere mentē Deo,ſenſus menti,& corpus animæ,quæ tres rectitudines ſunt gratuitæ,non naturales;& in hoc ſenſu concedit *Adam* eſſe creatum in gratia.Hāc autem eſſe gratiam actualem mox oſtendetur.Et *diſt.*4. *art.*4. *ad* 2. concedit *Angelos ſemper fuiſſe adhærentes Deo per amorem; idēſt à principio ſuæ creationis habuerunt quandam ſanctitatem, idēſt quandam puritatem, & innocentiam, per quam adhærebant Deo per amorem*; vt *inf.* patebit *ex Beatiſſ.P. Ang*; amor autem Dei eſt gratia actualis. Et quanuis *hic ad* 1. aſſerere videatur illum amorem eſſe naturalem; non tamen hic ſumit *naturale*, prout idem eſt,ac ordinis naturæ; ſed prout naturaliter conſequitur ad puritatem, & innocentiam originalem; poſtquam enim dixit: *Ille autem amor caſtus erat amor naturalis*;ſtatim ſubdit:*Sequens illum ſtatum puritatis,& innocentiæ*; vnde ille amor erat naturalis illi feliciſſimo ſtatui; ſicut ſtatui beatorum naturalis eſt amor Dei;vnde ſicut iſte non ceſſat eſſe amor ſupernaturalis;ita & ille. Nam ſi, vt ſuperiùs viſum eſt, docet iuſtitiam originalem eſſe non ſolùm propriè,ſed etiam magis propriè gratiam,conſequēter amor,qui ad illam naturaliter [c]quitur,eſt nō ſolùm propriè,ſed etiam magis propriè gratia. Tum quia ſi ille amor fuit *quædam ſāctitas*;profectò non fuit naturalis, idēſt intra ordinem naturæ,ſed ſupernaturalis; quia ſanctitas ad ordinē ſupernaturalem ſolummodò ſpectat. *Et in ead. diſt.*29.*q.*1.*art.*2.*dub.*3. *lat.* §.*Rurſus* aſſerit *eum Beatiſſ.P. Adam ergo non fuit cōditus in puris naturalibus; quia tunc non potuiſſet omnia peccata vitare; quod ponere de aliqua natura à Deo condita ſecundùm Aug.Retract. eſſet concedere Deum creatorem omnium naturarum culpandum eſſe. Ne ergo ſecundùm dictum Ang.Deum culpandum eſſe dicamus, oportet nos ponere hominem ſic eſſe conditum,quòd poſſet omnia piacula vitare. Non ergo homo fuit conditus in puris naturalibus. Habuit ergo aliquod donum gratuitum ſuperadditum naturæ;et quia omne tale donum gratia dici poteſt; originalis iuſtitia, in qua eſt conditus primus homo,gratia dici debebat.*

6 Sententia ergo *Fund.Doct.* eſt, quòd Angeli,& *Adam* non fuerunt creati in gratia ſanctificante,ſeu gratum faciente habituali,quæ ſecum defert inhabitationem Spiritus S;quā propriiſſimè vocat gratiam; ad quē ſenſum aſſerit *D.Tho. in Summa* reduxiſſe ſuam ſententiam; quæ gratia habitualis,cùm potiſſima ſit, principaliter, & abſolutè gratia dici debet; fuiſſe tamen creatos cum gratia actuali, idēſt cum amore caſto ipſius Dei,

Dei, & cognitione pia per Fidem; vt diximus *in ſup. art*; talis autem cognitio eſt illuſtratio ſupernaturalis; & talis amor eſt motio; & ideo vtraque eſt gratia actualis; quæ ſentētia eſt *Beatiſſ. P*; vt patebit; vnde deducitur *Fund. Doct.* in hoc nō diſcrepare *à Sanctiſs. P*; quidquid aſſerant, qui inconſideratè vtrunque legerunt. Idem docet *noſter Argent. in 2. diſt. 4. art. 2; & omnes illi cit. pro 3. ſent; ac plures alij*, qui non explicant, in quanā gratia Angeli conditi ſint; *pro cuius deciſ.*

7 Not; quòd hæc difficultas facillimè reſolui poteſt ex dictis *to. 2. de Scient. q. 4.* §. 2. per totum, & præcipuè *n. 13; 14; & 46; & de Vol. q. 5. art. 3*; vbi apertè declaratur, quam gratiam habuerint Angeli, & *Adam* in ſtatu innocentiæ; & quam habeāt iuſti in hac vita mortali per Chriſtum; *quibus ſupp.*

8 Vnica concl. Angeli fuerunt creati cum gratia actuali, idèſt cum ſancto amore ordinato in Deum per ſpem; & cum pia cogitatione ordinata per Fidem ſubijciente illos Deo tanquam bono incommutabili, per cuius adhæſionem ſolùm poterant beatè, & ſapienter viuere; & cum adiutorio, *ſine quo non* poterant ſtare in illa bonitate, in qua conditi erant; non autem cum gratia habituali ſanctificante, ſeu gratum faciente, quæ importat cohabitationem Spiritus ſancti.

9 Prob. 1. *à Fund. Doct. ex Beatiſs. P. 11. de Ciu. c. 12*; vbi ait; quòd *Adam* in ſtatu innocentiæ erat beatior iuſto quantùm ad delectationem præſentis boni, non quantùm ad ſpem futuri boni, ex quo ſic arguit *Fund. Doct; & cum illo Argent. Adam* non fuit creatus in gratia ſanctificante; ergo neque Angeli. Prob. ant. Si *Adam* fuiſset creatus in gratia habituali ſanctificante, fuiſset beatior iuſto exiſtente in ſtatu naturæ lapſæ quātùm ad ſpem futuri boni; nam habuiſset gratiam ſanctificantem, qua poterat æquè ſperare, ac iuſtus; nec habuiſset tātam difficultatem non peccandi, quantam habet iuſtus inter tentationes huius vitæ, quæ tunc non erant; quia non erat rebellio ſenſuum, & concupiſcentia carnis; ergo non fuit creatus in gratia ſanctificante. Prob. cōſ. Conditor ordinatè agens debet non minùs fulcire partem faciliter ruinoſam, quàm partē fortiorem; ſed homo eſt magis ruinoſus, quàm Angelus; quia habet appetitum ſenſitiuum, quo caret Angelus; & tamen non fuit creatus cum gratia habituali ſanctificante; ergo nec Angelus à fortiori.

10 Prob. 2. *ex Beatiſſ. P. lib. de Cor; & Grat. c. 10*; vbi docet: *Diabolus verò, & Angeli eius, etſi beati erant, antequam caderent; & ſe in miſeriam eſſe caſuros neſciebant; erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitriū in veritate ſtetiſſent; donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent; idèſt, vt magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei cadere vlteriùs omnino non poſſent.* Ex quo ſic. Beatitudini, ſeu ſtatui originariæ iuſtitiæ, in quo conditi erant Angeli, addenda erat abundantia charitatis Dei diffuſæ per Spiritum Sanctum inhabitantem, qua peruenirent ad plenitudinem beatitudinis, quæ eſt beatitudo Beatorum in Patria; ſicut per illam peruenerunt Angeli sāçti; ſed abūdantia charitatis Dei diffuſæ per Spiritum Sanctum inhabitantem eſt gratia habitualis ſanctificans, ſeu gratum faciens importans inhabitationem Spiritus Sancti; ergo Angeli ab initio creati ſunt cum gratia actuali, ſine qua non potuiſsēt eſſe beati in via, vt dictum eſt *in ſup. art*; & cum adiutorio *ſine quo non*; ſine quo non fuiſſent beati in via; magna enim miſeria fuiſſet non poſſe permanere in illa bonitate, in qua conditi erant; & ideo ad rationem illius beatitudinis neceſſarium erat adiutorium, *ſine quo non* poterant permanere; non tamen cum gratia habituali ſanctificante, ſeu gratum faciente importante inhabitationem Spiritus Sancti; aliter hæc non fuiſſet addenda eorum ſtatui, vt ad beatitudinem Patriæ peruenirent; tunc enim additur aliqua qualitas alicui ſubiecto; quando illud ſubiectum caret ea qualitate; vt de ſe notum eſt.

11 *Et ibid. c. 11.* aſſignans differentias inter gratiam ſtatus innocentiæ, quæ fuit communis Angelis, & *Adæ*; & ſtatus culpæ, ait: *Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam, ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam; prima eſt enim, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam, ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt; qua etiam fit, vt velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem cōtraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.* Ex quo ſic. In hoc diſtinguitur gratia, quam habuerunt Angeli, & *Adam* in inſtanti ſuæ creationis, à gratia, quam habemus per Chriſtum Dominum; quòd illa dabat ſolùm poſſe perſeuerare in ea bonitate, in qua conditi erant; non tamen dabat actu velle perſeuerare; nam ſi illa gratia non dediſſet poſſe perſeuerare, *ſine ſua culpa cecidiſſent*; vt ſubdit *inferiùs*; Impotentia enim ſimpliciter excuſat à peccato; & ſi dediſſet actu velle perſeuerare, actu perſeueraſſent; vt *in fine c.* concludit dicens; *Acceperat poſſe, ſi vellet; ſed non habuit velle, quod poſſet; nam ſi habuiſſet, perſeueraſſet*, gratia autem, quam habemus per Chriſtū Dominum, non ſolùm dat poſſe, ſi volumus, ſed etiam dat ipſum actu velle, & tanto ardore velle, vt vincantur omnes tentationes, & concupiſcentiæ in contrarium nitentes; ſed gratia habitualis ſanctificans importans inhabitationem Spiritus Sancti non ſolùm dat poſſe, ſed etiam dat actu velle, & actu vincere tentationes; ergo Angeli non fuerunt creati cum gratia habituali ſanctificante importante inhabitationem Spiritus Sancti. Prob. ampliùs ma. *ab eod. c. 12.* In ſtatu Innocentiæ non erant tot, & tantæ tentationes, terrores, perſecutiones, & terrores, contra quos deberent pugnare; ſicut ſunt in ſtatu culpæ; in quo ſancti Martyres debuerunt vincere Mundū

cum

cum ſuis amoribus, terroribus, & erroribus; ergo pro illo ſtatu fuit ſufficiens gratia dans poſſe velle,& non actu velle; in iſto autem ſtatu requiritur gratia dans poſſe,& actu velle;quia vt docet *c.11*;quo plures,& fortiores ſunt hoſtes, & maiora pericula cadendi; eò maior, & fortior virtus pugnandi, & vincendi exigitur; quapropter Sancti in hoc ſtatu *in tali certamine laborantes,ac periclitantes dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcūt*. Prob.mi.*ab eod. c. 12. Tantùm quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum; vt ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint;quia Deus operatur, vt velint*. Ex quo arguitur. Gratia habitualis ſanctificās adeo accendit voluntatem per Spiritum Sanctum inhabitantem, vt vincantur omnes tentationes quantuncunque violentæ; ſed ardor,quo accenditur voluntas, eſt amor Dei, qui eſt ipſum velle;ergo gratia habitualis ſanctificans non ſolùm dat poſſe,ſed etiam velle.Prob.conſ.*ab eod.ibid. c. 12. Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt Diuina gratia indeclinabiliter ageretur.& ideo quanuis infirma,non deficeret; neque aduerſitate aliqua vinceretur*. Ex quo ſic. Si Angeli fuiſſent creati cum gratia ſanctificante importante inhabitationem Spiritus Sancti, viciſſent tentationem, & ideo non peccaſſent; nam ſi Sancti in hoc ſtatu culpæ per gratiam habitualem ſanctificantem vincunt tentationes, & abſtinent à peccato,quanuis eorum voluntas ſit infirma,quia eſt vulnerata per peccatum originale;& quanuis tētationes huius vitæ ſint adeo graues, & horribiles; vt docent Sanctorum Martyria; multò magis Angeli, & *Adam* in illo feliciſſimo ſtatu Innocentiæ,in quo voluntas erat ſana, fortis,& robuſta;in quo tentatio erat adeo leuis; & in quo erat tanta facilitas non peccandi,viciſsēt tentationem,& ſic non peccaſſent; cuius oppoſitum docet Fides de Angelis malis, & *Adā*, ergo Angeli non fuerunt creati cum gratia habituali importante inhabitationem Spiritus Sancti.Hæc ratio poteſt roborari *ex lib. de Grat; & lib. art. c. 17*;vbi ait: *Scimus,quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur ad bonum.Quid eſt omnia,niſi, & ipſas terribiles, ſæuaſque paſſiones? Sarcina quippe illa,quæ infirmitati grauis eſt,leuis efficitur charitati*.Et paulò poſt: *Iſtam charitatem, idèſt Diuino amore ardentiſſimam charitatem commendans Apoſtolus dicit:Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti;tribulatio,an anguſtia,an perſecutio* &c. In ſtatu igitur infirmitatis naturæ charitas diffuſa per Spiritum Sanctum inhabitantem reddit naturam inſuperabilem à ſæuiſſimis tentationibus & inſeparabilem à Deo;ergo multò magis in ſtatu naturæ ſanæ.

12 Conſ. Gratia, in qua fuerunt creati Angeli,& *Adam*,eſt adiutorium *ſine quo non*; vt expreſsè docet *Beatiſſ.P.vbi ſ*;ſed adiutorium *ſine quo non* eſt gratia ſufficiens, vt explicant *Thomiſtæ*;ſicuti adiutorium *quo* eſt gratia efficax; ergo Angeli fuerunt creati in gratia ſufficiēti; ſed gratia ſufficiens non eſt gratia ſanctificans importans habitationem Spiritus Sancti; aliter ſequeretur, quòd omnes habentes gratiam ſufficientem haberent gratiam ſanctificantem, quod nullus dixit,nec diceret; ergo non fuerunt creati in gratia ſanctificante.

13 Prob.3. *ex eod. Beatiſſ.P. lib.12. de Ciu. Dei c.9*; vbi loquens de bona voluntate Angelorum ait:*Et iſtam quis fecerat,niſi ille, qui eos cum bona voluntate,idèſt cum amore caſto, quo illi adhærent,creauit,ſimul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam? Vnde ſine bona voluntate, hoc eſt Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt*; ex quo patet prima pars concl. Et poſtquam dixit, quòd Angeli mali facti ſunt deficientes à bono propria voluntate; & boni ampliùs adiuti ſteterunt in ea bonitate, in qua creati ſunt,ſubdit:*Confitendum eſt igitur cum debita laude Creatoris non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verumetiam de ſanctis Angelis poſſe dici;quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum,qui datus eſt eis; nec tantùm hominum, ſed primitus,præcipuèque Angelorum bonum eſſe, quod ſcriptum eſt: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt:Hoc bonum, quod commune eſt,habent & cum illo, cui adhærent, & inter ſe ſocietatem ſanctam,& ſunt vna Ciuitas Dei, eademque vnum ſacrificium eius,viuumque templum eius*. Ex quo arguitur. Per gratiam ſanctificantem importantem inhabitationem Spiritus Sancti Angeli ſancti fuerunt confirmati in gratia; ſed non fuerunt creati confirmati in gratia;ergo non fuerūt creati in gratia ſanctificante. Mi. patet; aliter nullus ex eis cecidiſſet; quia confirmatus nequit peccare.Prob.ma.Per charitatem Dei, quæ diffuſa eſt per Spiritum Sanctum habitantem in Angelis, facta eſt *vna Ciuitas Dei, ſancta ſocietas, viuum ſacrificium, & templum eiuſdem Spiritus Sancti*; iſti enim ſunt effectus inhabitationis Spiritus Sācti; cui Ciuitati,& Societati coniungendi ſunt homines iuſti,qui peregrinantur in terra, vt ſubiungit *ibid*; ſed Ciuitas Dei, Sancta ſocietas &c; cui coniungēda eſt pars hominum iuſtorum peregrinantium in hac vita mortali,facta eſt per ſegregationem Angelorum malorum à bonis; homines enim iuſti coniungendi ſunt Angelis bonis tantummodò,nō verò permixtim, & confusè bonis,& malis;per ſegregationem autē bonorū à malis boni confirmati ſunt in gratia; & mali in pœna;vt *inf.* patebit;ergo per gratiam ſanctificātem importantem inhabitationem Spiritus Sancti Angeli ſancti fuerunt confirmati in gratia.

14 Prob.4.*ex Fund. Doct.§.Secunda via*. Si Angelus fuiſſet creatus in gratia ſanctificante, cognouiſſet ſe poſſe participare Diuinam naturam per gratiam;quia gratia ſanctificans eſt participatio Diuinæ naturæ; vt habetur 2.*Pet.* 1; vbi definitur,qua *conſortes ſimus Diuinæ naturæ*; ergo non potuiſſet appetere eſſe Deum per na-

turam;ſed per gratiam ; & ſic non peccaſſet , ſed meruiſſet. Prob. ant. Angelus in primo inſtanti cognouit omnia , quæ ſunt in ſe ipſo;naturalia quidem per lumen naturale , & ſupernaturalia per illuſtrationem ſupernaturalem ; ergo ſi fuiſſet creatus cum gratia ſanctificante , illam in ſe ipſo cognouiſſet;& cùm ipſa ſit participatio gratuita Diuinæ naturæ , cognouiſſet ſe poſſe Diuinam naturam participare per gratiam. Conſ.patet ; nam appetitus ſequitur cognitionem ; nec poteſt in aliquid tendere,niſi fuerit cognitum,& eo modo, quo eſt cognitum ab intellectu; quia ipſe eſt potentia cæca ; ergo ſi cognouiſſet ſe poſſe Diuinam naturam participare per gratiam;ita illam appetiuiſſet; & ſic non peccaſſet , ſed meruiſſet .

15 Conſ.*ex eod.Via tertia* §.*Sed ſi quis*.Gratia ſanctificans importans habitationem Spiritus Sancti eſt tantæ pulcritudinis , & ſuauitatis , vt qui eam cognoſceret,& guſtaret,nunquam poſſet eam amittere;nam in tantùm voluntas poteſt ſe retrahere ab aliquo bono cognito,& guſtato , in quantùm poteſt trahi ab alio bono meliori ; nullum autem eſt bonum melius gratia ſanctificante importante inhabitationem Spiritus Sancti;ideo qui eam cognoſcit,& guſtat , nequit ab illa ſe auertere ; & licèt homo poſſit aliquando ſe retrahere; hoc eſt, quia illam non cognoſcit , aut guſtat perfectè ; quod non eſſet in Angelis , in quibus eſt purior cognitio,& amor; quia ſunt purè ſpirituales abſtracti à ſenſibus corporis , quod *aggrauat animã ex Apoſt*;& per cõſequens aggrauat intellectum,& voluntaté,quæ ſunt paſſiones animæ ; ergo ſi Angeli fuiſſent creati in gratia ſanctificante, nunquam potuiſſent ab illa ſe auertere;& ideo nunquam peccare.

16 Obijc.1.*Ezech*.28.de Lucifero habetur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia , & perfectus decore in delicijs paradiſi Dei fuiſti;omnis lapis pretioſus operimentum tuum &c. Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ , donec inuẽta eſt iniquitas in te*. Ex quo ſic . Decor creaturæ rationalis eſt gratia ſanctificans , ſicut perfectio viæ eſt vltima diſpoſitio ad finem ſupernaturalem, quæ diſpoſitio nihil aliud eſt,niſi ipſa gratia ſanctificans; ſed Lucifer in inſtanti ſuæ conditionis fuit perfectus decore , & perfectus in vijs ſuis; ergo in inſtanti ſuæ conditionis fuit creatus cum gratia ſanctificante.2.*Iſai*.14.habetur: *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer,qui manè oriebaris*? Ex quo ſic. Lucifer peccãdo amiſit ſplendorem , cum quo fuit creatus ; ſed non amiſit ſplendorẽ naturæ , quia naturalia in illo remanſerunt integra,nec ſplendorem gloriæ,quia illam nunquam habuit;ergo amiſit ſplendorem gratiæ, cum qua fuit creatus.

Reſp. *illum textum* intelligi de beatitudine,& perfectione propria ſtatus innocentis , cui propria ſolùm erit gratia actualis,& adiutorium, *ſine quo non*,vt ſupra dictum eſt. Ad arg.negatur 1. pars ma; decor enim illius ſtatus erat amor caſtus , vt docet *Beatiſſ.P*; qui eſt gratia actualis, non ſanctificans. Perfectio autem viæ poteſt cõſiderari vel in ordine ad ſtatum viæ , & ſic non eſt gratia ſanctificans, ſed gratia ponens ipſum Angelum in tranquilla poſſeſſione boni præſentis,quæ poſſeſſio eſt perfecta beatitudo viæ in ſtatu innocentiæ ; vel poteſt conſiderari in ordine ad actualem conſecutionem gloriæ , & tunc eſt gratia ſanctificans,quam non habuit Lucifer, quia gloriam non eſt aſſequutus . Ad 2. dicitur , quòd Lucifer amiſit ſplendorem gratiæ actualis, & adiutorij *ſine quo non* , quo poterat acquirere ſplendorem gloriæ ſtando in veritate .

17 Obijc.2.*Beatiſſ.P.l.12.de Ciu.c.9*.ait: *Sine bona voluntate, hoc eſt Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt*.Et ſuperiùs. *Bonam voluntatem quis fecit in Angelis,niſi ille,qui eos cum bona voluntate,idèſt cum amore caſto,quo illi adhærent,creauit ſimul in eis cõdens naturam , & largiens gratiam*.Sed amor caſtus non eſt,niſi per gratiam ſanctificantem, quia eſt per charitatem diffuſam per Spiritum Sanctum ; ergo Angeli creati ſunt in gratia ſanctificante . Præterea *D.Baſil.in pſ.32*. ait: *Verbum omnium opifex Angelos condidit,ſanctificationem verò impendit ipſis Spiritus Sanctus ; non enim in infantili ætate ſunt creati,deinde paulatim excitati, atque perfecti* ; & *D.Dam. l.2.de Fide c. 3. Per Verbum Angeli omnes creati ſunt , ac per Spiritus Sancti ſanctificationem perfecti*.

Reſp.*Beatiſſ.P*.illis verbis nec leuiter indicare, quod intendunt *Aduerſarij* ; magna enim differentia eſt inter actum amoris caſti, & gratiã ſanctificantem , quia amor caſtus poteſt eſſe ab aliquo auxilio actuali,quod non ſit gratia ſanctificãs, vt ſupra dictum eſt. *Ad D.Baſil;& D.Dam*. dicitur, quòd ſicut gratia diuiditur in actualem , & habitualem;ita ſanctificatio,ſeu ſanctitas, quæ vel eſt idem cum gratia , vel eſt effectus gratiæ , diuiditur in ſanctificationem , ſeu ſanctitatem actualem,& habitualem; ideo *allati textus* intelliguntur de ſanctitate actuali, quæ non importat ſecum inhabitationem Spiritus Sancti ; non autem de ſanctitate habituali .

18 Obijc.3.Certum eſt *Adamum* fuiſſe creatum in gratia ſanctificante ; ergo & Angelos ; quia Angeli, vtpotè perfectiores homine , non debebant creari in minori perfectione ſupernaturali.Prob.ant.1. *Eccl*.7. dicitur: *Deus fecit hominem rectum*, ſed rectitudo *in Scripturis* idem eſt,ac ſanctitas,ſeu gratia ; ergo *Adam* fuit creatus in gratia ſanctificante. 2. *Trid.ſeſſ.5. de pec. orig*.ſtatuit *Adam per peccatum iuſtitiam, & ſanctitatem perdidiſſe , in qua fuerat conſtitutus* ; & *S. Anaclet. epiſt*. 1. ait *hominem ideo dici conditum ad imaginem Dei , quia in ſui creatione gratiam,& ceteras habuit virtutes*.3.Si *Adam* ſtetiſſet,eius filij habuiſſent congenitam gratiam; er- & ipſe *Adam*,qui eſt caput,& exempla aliorum.

Reſp.

Reſp.neg.ant.Ad 1.prob.dicitur, quòd rectitudo apud Deum dicitur eodem modo, quo ſanctitas,& ſicut ſanctitas alia eſt habitualis,alia actualis;ita rectitudo; vnde Deus fecit hominem rectum rectitudine actuali, quia fecit illum ordinatum ad ſui amorem,non tamen fecit illum rectum rectitudine habituali,quia vt habet *idem Eccl.c.15. Reliquit illũ in manu cõſilij ſui*;& ideo dedit illi talem gratiam,qua poſſet ſtare, & poſſet vincere tentationem; non autem,qua actu illam vinceret ; & ſic illa gratia non fuit habitualis,quia fuit gratia ſufficiens ad ſtandum; gratia autem ſufficiens non eſt gratia habitualis importans inhabitationem Spiritus Sancti, vt dictum eſt.Sic intendit *Trid*; quòd nomine iuſtitiæ,& ſanctitatis intelligit iuſtitiam originalem , quæ non eſt gratia habitualis ſanctificãs importans præſentiam ſpecialem Spiritus Sancti, ſed gratia actualis, & ſufficiens illi ſtatui, ſine adiutorium *ſine quo non*. Idem dicitur *ad textum D. Anacl.* Ad 3. diſt. ant. Habuiſſent gratiam ſanctificantem ingenitam, neg; gratiam originalem,ſicut habuit *Adam*,conc.

19 Inſt.*Beatiſſ.P.l.1.de Gen.ad lit.c.*5. ſuper illud : *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; ait, quòd Spiritus Dei ferebatur ſuper voluntatem fluitantem inter bonum,& malum; ergo natura ſpiritualis creata eſt cum gratia inferente inhabitationem perſonalem Spiritus S. Et *D.Hier.ſup.* illud *Oſeæ : Diligunt vinacia vuarum* ; ait, quòd *vinacia* ſignificant Dœmones, qui creati ſunt *in magna pinguedine Spiritus ſancti*.

Reſp. *Beatiſſ.P. ibid.* docere Spiritum Dei *ſuperferri*;quia voluntas creata ſubiacebat volũtati Creatoris *tanquam formanda,& perficienda*, ſeu complenda in illa perfectione , in qua fuerat inchoata, & ideo ex hoc infertur naturam ſpiritalem non habuiſſe ab initio Spiritum S. inhabitantem,quia illum non habuit intra ſe, ſed ſupra ſe;nec fuit ab initio perfecta per gratiam, ſed tãtùm fuit inchoata cũ perfectione gratiæ; & ideo non fuit cum gratia ſanctificante,quæ eſt vltima perfectio naturæ.Ad *D.Hier.* dicitur gratiam, & amorem actualẽ eſſe magna dona Spiritus S. impinguantia naturam ſpiritualem ; quapropter *Beatiſſ.P.vbiſ.*ait,quòd *Adam* habuit *gratiam,& magnam*;quanuis gratia ſanctificans , quæ habetur per Chriſtum, ſit *maior*, & *potentior*.

20 Obijc.4. In prima Mũdi creatione Deus fecit omnia ſimul,vel in ſe ipſis,vel in ſuis rationibus ſeminalibus; vt docet *Beatiſſ.P. 8.ſup.Gen. ad lit.c.*3;ſed gratia ſanctificans eſt ſemen gloriæ, quapropter 1.*Io.*3. *Semen Dei* appellatur ; ergo fecit Angelos in gratia ſanctificante.

Reſp. Deum feciſſe omnia ſimul, vel in ſe ipſis,vel in ſuis rationibus ſeminalibus proximis, aut remotis;patet enim,quòd, vt docet *idẽ Beatiſſ.P;& ex illo Fund.Doct*; fecit *Adam* ex terra, & *Euam* ex coſta; terra autem, & coſta non ſunt ſemen proximũ productionis hominis ; vt patet; ſed in illa fuiſſe rationem ſeminalem ſolùm remotã;vt diximus *q.1.In Hexam.art.*11.Ad alias auctoritates, quæ afferuntur ex *SS. PP*; *& Conc. Araux.II.can.*19;& *Conc.Bracar.I*; in quo damnantur afferentes Angelos non fuiſſe factos bonos,antequã caderent;dicitur in illis haberi ſimpliciter *Adam*,& Angelos factos fuiſſe in gratia; quod concedimus abſolutè; negamus tamen de gratia habituali ſanctificante importante habitationem Spiritus ſancti ; pro qua *nullus textus ab Aduerſarijs* explicitè,& diſtinctè concludens poteſt afferri.

21 Obijc.5.Deus eſt magis pronus ad miſerendum,quàm ad puniendum;ergo debuit creare Angelos in gratia ſanctificante , in qua poterant faciliùs cõſequi beatitudinem,quæ eſt opus Diuinæ miſericordiæ ; non autem ſine illa; quia ſic poterant cadere,& ideo puniri.2.Angeli mali dicũtur amiſiſſe gratiam;ſed nullus dicitur amittere id,quod nunquam habuit;ergo Angeli mali habuerunt gratiam ſanctificantem .

Reſp.ad 1.diſt.ant.Ita,vt oſtendat ſimul iuſtitiam,& miſericordiam,conc;ſed neg.mi;nam ſi eos creaſſet cum gratia ſanctificante , non cecidiſſent, & ſic non oſtendiſſet ſuam iuſtitiam. Ita; vt oſtẽdat ſolam miſericordiam, neg; *Deus enim iuſtus,& miſericors eſt*; vnde ſicuti oſtendit ſuam miſericordiam in Angelis , qui in veritate ſteterunt,dando eis maiorem gratiam,qua tentationẽ vincerent,& conuerterentur in Deum;ita debuit oſtendere ſuam iuſtitiam in Angelis, qui in veritate non ſteterunt; quod factum nõ fuiſset,ſi omnibus in inſtanti creationis gratiam habitualem ſanctificantem tribuiſſet. Ad 2. dicitur amiſiſſe gratiam ſufficientem, & actualem, non gratiam habitualem ſanctificantem. Vel diſt. mi. Nullus dicitur amittere aliquod, quod non habet in re, vel in ſpe, conc; tantùm in re , neg. Angeli mali ergo amiſerunt gratiam ſanctificantem , quam habebant in ſpe,non in re .

22 Obijc. 6. Deus corpora cœleſtia creauit ſimul cum ſuis luminibus, quæ ſunt ornamenta ipſorum;ergo naturam ſpiritualem creauit ſimul cum gratia ſanctificante,quæ eſt ornamentum illius; nõ enim minùs debuit ornare naturam ſpiritualem,quàm corporalem .

Reſp. omiſſa ma; quæ iuxta textum *Sacræ Scripturæ* poſset negari;nam luminaria produxit quarta die;Cœlos autem prima die; neg.conſ;nã lumina Cœlorum ſunt proprietates naturales , quæ ſunt naturaliter debitæ corporibus Cœleſtibus , & ideo non potuerunt non creari cum illis ; at verò gratia ſanctificans eſt naturaliter indebita; ideo fuit conueniens non creari ſimul cũ natura,ne naturaliter debita naturæ videretur .

23 Obijc. 7. Si Angelus habuiſſet gratiam ſanctificantem, potuiſset cognoſcere ipſam eſse ſibi naturaliter debitam;ergo potuiſset peccare. 2. Deus ab initio condidit Angelos ordinatos ad finem ſupernaturalem; ergo debuit illis ſimul da-

date gratiam ſanctificantem,quæ eſt medium ad illud conſequendum.3.Homo exiſtens in gratia ſanctificante poteſt ab illa ſe auertere peccando; ergo & Angelus.4.Peccatum Angeli fuit contra præceptum ſupernaturale, & per talem peccatū demeruit præmium ſupernaturale; ergo debuit creari in gratia ſanctificante, quæ eſt medium ad implenda præcepta ſupernaturalia, & ad merendam beatitudinem ſupernaturalem.

Reſp.ad 1.neg. ant; cognouiſset enim gratiam ſanctificantem eſse ſupra propriam naturā, & ſupra ſuas perfectiones naturales. Ad 2.diſt. ant.Ordinatos ad finem ſupernaturalem efficaciter,neg;inefficaciter,conc; & ideo debuit tribuere ſolam gratiam inefficacem,nō autem gratiam ſanctificantem,quæ eſt efficax. Ad 3.neg.cōſ.homo enim ideo poteſt peccare,quia cognoſcit ſe non eſse in gratia, cùm non videat omnia, quæ ſunt in ſe ipſo, vt vidit Angelus ab initio ſuæ conditionis.Ad 4.neg.conſ; ſatis enim fuit concedere ipſis iuſtitiam originalem, in qua permanendo poterat implere præceptum, & conſequi beatitudinem ſupernaturalem, vt fecerunt Angeli ſancti.

24 Obijc.8.Chriſtus recuperauit nobis gratiam per peccatum amiſsam; ſed gratia, quam habemus per Chriſtum, eſt gratia ſanctificans; ergo gratia per peccatum amiſsa eſt gratia ſanctificans;atqui gratia per peccatum amiſsa eſt illa,in qua creatus fuit *Adam*; ergo *Adam* creatus eſt in gratia ſanctificante; atque idem dicendum de Angelis.

Reſp. diſt. ma. Recuperauit nobis gratiam cum ſuperabundantia, conc; habet enim *Apoſt. Rom.5.Vbi autem abundauit delictum,ſuperabundauit,& gratia;& Beatiſſ P. lib.de Corr; & Grat. c.11.* loquens de gratia data *Adæ* innocenti ait: *Nec illa quidem parua erat; qua demonſtrata eſt potentia liberi arbitrij; quoniam ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret, ſed hoc adiutorium,ſi vellet, deſereret. Hæc autem tantò maior eſt, vt parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem,parum ſit denique non poſse ſine illa,vel apprehendere bonum,vel permanere in bono,ſi velit;niſi etiam efficiatur,vt velit.* Et ſuperiùs. *Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam;ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam*. Recuperauit nobis gratiam ad æqualitatem,neg.

25 Quæres; an Angeli ad ſe conuertendum in Deum vrgente tentatione eguerint gratia ſanctificante?

Reſp.affirmatiuè; vt probatum eſt *to.2.de Vol. Dei q.5. art.3*; vbi fusè pertractata fuit hæc difficultas.

ART. III.

An Angeli ſe diſpoſuerint ad gratiam?

1 INtelligi poteſt hæc dubitatio vel per ordinem ad primam gratiam, quam habuerunt Angeli;ſiue illa ſit gratia ſanctificans; ſiue non; vel per ordinem ad ſecundam gratiam. In vtroque ſenſu eſt diſcutienda.

2 Prima ſententia vult Angelos ſe diſpoſuiſse ad primam gratiam. *Ita Aliqui* ſuppreſſo nomine citati *à Fund.Doct.hic*;& in hanc videntur inclinare *Thomiſtæ recentes*, quibus additur *noſter Gibb*; qui refert etiam *noſtrum Bernardin. hic diſp.25.dub.5*; aſserentes enim Angelos fuiſſe creatos in gratia ſanctificante videntur docere gratiam ſanctificantem eſse primam gratiam, quam habuerunt Angeli;ad quam poſtea volunt ſe diſpoſuiſse.

3 Secunda ſententia docet Angelos ſe diſpoſuiſse ad ſecundam gratiam,quam receperūt vrgente tempore tentationis ad illam vincendā; non tamen ad primam gratiam, quam receperūt in inſtanti ſuæ creationis. *Ita Fūd.Doct.in 2.diſt. 5. q.2. art. 1.* Adhærent *Capr; Sot; & omnes alij*, quos retulimus *in ſup.art,& to.2.de Vol.Dei q.5. art.3;pro cuius deciſ.*

4 Vnica concl. Angeli non ſe diſpoſuerunt ad primam gratiam,ſed tantùm ad ſecundam.

Prob.1.pars concl. *ex Beatiſs.P. 12.de Ciu. Dei c.9.* docente: *Et iſtam quis fecerat niſi ille, qui eos cum bona voluntate,id eſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creauit ſimul in eis condens naturam,& largiens gratiam.* Ex quo ſic arguitur: Diſpoſitio debet præcedere formam, ad quam diſponit ſaltem prioritate originis; ſed in Angelis nihil fuit præcedens prioritate originis diſponens ad primam gratiam, quæ creata fuit ſimul cum eorum natura; ergo in Angelis non fuit diſpoſitio ad primam gratiam. Ma. patet;quia diſpoſitio præparat ſubiectum ad formam;vt calor ad formam ignis; præparatio autem importat præcedentiam, quæ ſaltem naturæ, ſeu originis eſse debet.Prob.mi.*à Fund.Doct.hic, §.Sed tunc.* Vel illud, quod origine præceſſit primam gratiā in Angelis,fuit naturale,vel ſupernaturale?Non primum; quia naturale non ſufficit ad aliquod ſupernaturale; vt docet *Apoſt. 2. Cor.3.* docens: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis; quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: quod autem dicitur de cogitatione naturali, valet etiam de quacunque alia operatione naturali;illud enim, quod poteſt diſponere ad gratiam in natura ſpiritali, debet eſse operatio eiuſdem naturæ ſpiritalis, vt in nobis contritio diſponit ad gratiam iuſtificantem; prima autem operatio naturæ ſpiritalis eſt cogitatio;vnde ſi non poſſumus naturaliter elicere cogitationem, quæ requiritur ad conuerſionem in Deum; multò minùs poſſumus elicere naturaliter actum contritionis. Tum quia diſpoſitio ad gratiam eſt initium noſtræ bonitatis, quæ ſumitur à gratia; ſed initium bonitatis,quæ ſumitur à gratia,eſt ex Deo iuxta illud *Apoſt.Phil.1.Qui incepit in nobis bonum,ipſe perficiet*; ergo diſpoſitio ad gratiam nequit eſſe ex nobis; & ideo nequit eſse quid naturale, quia eſset ex nobis; eſset enim ex viribus

bus naturæ. Tum quia diſpoſitio debet eſse in eodem ordine, in quo eſt forma,ad quam diſponit; hinc lumen gloriæ diſponens ad viſionem beatam eſt ſupernaturale,ſicut viſio beata; & lumen naturale nequit ad illam vllo modo diſponere, ſed naturale non eſt in eodem ordine, in quo eſt gratia, aliter gratia eſset naturalis; ergo nullum naturale potuit eſſe in Angelis diſpoſitio ad primam gratiam.Tum quia ad diſpoſitionẽ naturaliter ſequitur forma; vt patet de calore reſpectu formæ ignis; ſed ad nullum naturale ſequitur naturaliter gratia;aliter gratia eſſet naturalis;illud enim, quod naturaliter ſequitur ad aliquod naturale,eſt naturale; ergo nullum naturale diſponere poteſt ad gratiam.

5 *Si* ſecundum;ergo illa diſpoſitio eſſet gratia;quia omne ſupernaturale eſt gratia, cùm ſit naturæ indebitum,& ſupra vires naturæ; & ideo gratioſè collatum; & ſic non diſponeret ad primam gratiam;ſed ad ſecundam;illa enim gratia, ad quam diſponeret,oon eſſet prima; quia illam præcederet ſaltem origine illa diſpoſitio, quæ eſſet alia gratia prior; non enim poteſt eſſe eadẽ gratia;quæ habeat ſimul rationem formæ, & diſpoſitionis;quia idem nequit diſponere ad ſe ipſum; vt patet in omnibus diſpoſitionibus naturalibus per ordinem ad formam naturalem;ſicut namque ſe habet diſpoſitio naturalis ad formã naturalem; ita diſpoſitio ſupernaturalis ad formam ſupernaturalem. Tũ quia diſpoſitio ſupernaturalis in nobis eſt cognitio, vel amor Dei ſupernaturalis;vt *ſuo loco* patebit,ſed ante primam gratiam nequit haberi actus ſupernaturalis;quia gratia eſt vita ſupernaturalis,quæ eſt principium omnis actus vitalis ſupernaturalis; ergo in Angelis oequit eſſe diſpoſitio ſupernaturalis ad primam gratiam.

6 Dices. Illud,quod eſt prius in vno ordine,poteſt eſſe poſterius in alio; vt forma,quæ eſt prior diſpoſitione ordine intentionis, eſt poſterior ordine executionis;& illud, quod eſt poſterius in genere cauſæ formalis diſpoſitiuæ,poteſt eſſe poſterius in genere cauſæ materialis receptiuæ;vt forma ignis, quæ eſt poſterior calore in genere cauſæ formalis diſpoſitiuæ, eſt prior in genere cauſæ receptiuæ;quia illum recipit; ergo eodem modo poterit dari diſpoſitio ad primam gratiam in Angelis.

Sed contra eſt; nam diſpoſitio ordine executionis eſt ſemper prior forma,ad quam diſponit;ſed nihil ordine executionis poteſt in Angelis eſſe prius prima gratia, cum qua creati ſunt; vt probatum eſt;ergo in ipſis nequit dari diſpoſitio ad primam gratiam. Præterea falſum eſt; quòd diſpoſitio recipiatur in forma, ad quam diſponit; recipitur enim in ſubiecto, quod per ipſam diſponitur; vnde calor diſponens lignum ad formam ignis recipitur in materia ligni,quæ per illum diſponitur; & oon eſt idem numero calor,qui recipitur in forma ignis,cùm ſit diuerſum ſubiectũ,vt patet;& ideo eſt diuerſus calor.

7 Prob.2.Diſpoſitio non darur ad inchoationem alicuius rei;cùm enim ipſa inchoatio ſit diſpoſitio; diſponit enim ad perfectionem ipſius rei,ſeu ad formam perfectam; daretur diſpoſitio ad diſpoſitionem, & ſic in infinitũ; hinc dicimus diſpoſitionem dari ſolummodò ad formam perfectam,& principalem; ſed gratia primitus data Angelis fuit inchoatio conuerſionis ipſorum in Deum,quæ erat perficienda per vlteriorem gratiam,vt docet *Beatiſſ.P. lib.* 1. *de Gen. ad lit. c.5.* dicens:*Quidquid illud erat, quod formandum, perficiendumque incboauerat. Et c. 4. Vt per id, quod principium eſt, inſinuet exordium creaturæ exiſtentis ab illo adhuc imperfectæ; per id autem, quod verbum eſt;inſinuet perfectionem creaturæ reuocatæ ad eum, vt formaretur inhærendo Creatori.Et in eod.c.5. Superferebatur vtique Spiritus Dei; quia ſubiacebat ſcilicet bonæ voluntati Creatoris,quidquid erat, quod formandum, perficiendumque incboauerat;* & pluribus alijs in locis allatis *to.2.de Vol.Dei q.5.art.3;*ergo ad gratiam primitus datam Angelis non fuit diſpoſitio.

8 Prob.2.pars concl.*ex Beatiſſ.P. de Cor; & Grat.c.*10.docente de ſtatu innocentiæ: *In quo ſtatu recto,ac ſine vitio,ſi per ipſum liberum arbitrium maneret voluiſſet,perfectò ſine vllo mortis, & infelicitatis experimento acciperet illam merito huiuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinẽ, qua & ſãcti Angeli ſunt beati.* Ex quo ſic. Diſpoſitio ad gratiam eſt illa, merito cuius inducitur gratia, quæ eſt forma perfectior;ſed merito primæ gratiæ bene vſę ab Angelis ſãctis inducta eſt gratia maior; ergo ad ſecundam gratiam in Angelis fuit diſpoſitio. Ma.patet;nam actus contritionis ideo eſt diſpoſitio ad gratiam, quia merito illius inducitur in Sacramento gratia iuſtificans; vt docet *Trid.ſeſſ.6.c.3;&* 8. Mi.expreſsè traditur *à Beatiſſ.P.*

9 Conf.Prima gratia eſt diſpoſitio ad ſecũdam gratiam;quia imperfectum diſponit ad perfectum; vr primus gradus caloris ad ſecundum; ſed in Angelis ante ſecundam gratiam fuit prima gratia; vt diximus *in ſup.art*; ergo in Angelis fuit diſpoſitio ad ſecundam gratiam.

10 Dices. Si prima gratia fuiſſet diſpoſitio ad ſecundam gratiam,etiam Angeli mali habuiſſent ſecundam gratiam; quia habuerunt primam gratiam, quæ eſt diſpoſitio ad illam; ſed hoc eſt falſum;ergo & illud.

Reſp.neg.ſeq; nam prima gratia bene vſa eſt diſpoſitio ad ſecundam gratiam; ſic autem illam non habuerunt Angeli mali; quomodò autẽ illa bene vſi non ſint, vid.*to.2. de Vol. q.5. art.3. u.30.in fine.*

11 Prob.2. ijſdem rationibus, quibus probant *Recentiores* ſuam ſententiam, licèt inſufficienter,vt videbimus. Igitur *Trid.ſeſ.6.de Iuſtific.c.7.* ait: *Iuſtificationem eſſe interioris hominis renouationem per voluntariam ſuſceptionem gra-*

tiæ,

tiæ,& donorum;ex quo ſic. Ad recipiendam gratiam iuſtificantem requiritur in homine adulto voluntaria ſuſceptio ipſius gratiæ;ergo & in Angelis; nam ideo homines adulti recipiunt gratiã ſanctificantem per propriam diſpoſitionem,quia habent vſum libertatis,per quam poſſunt ſe præparare ad illam recipiendam, quem vſum non habent paruuli,& ideo nequeunt ſe diſponere; ſed Angeli habent vſum libertatis; ergo debuerunt ſe diſponere ad ſecundam gratiam. Hæc autem ratio non probat de prima gratia,quia ante illam nequit dari alia gratia præcedens;tum quia illa non eſt gratia ſanctificans,& perfecta, vt *ſup.* dictum eſt.

12 Præterea per gratiam ſanctificantem cõtrahitur amicitia,& fit quoddam matrimonium ſpirituale inter Deum,& creaturam;ſed amicitia requirit conſenſum amantium, & matrimonium vtriuſque partis contrahentis; ergo Angeli debuerunt ſe diſponere ad ſecundam gratiam. Hęc quoque ratio non probat de prima gratia, quæ, cùm non fuerit ſanctificans, vt dictum eſt in *ſup. art*;ideo non contrahit amicitiam cum Deo;tum quia ſicut in homine auxilia efficacia,quæ præcedunt contritionem, non exigunt aliquam diſpoſitionem præuiam, aliter iretur in infinitum; ita prima gratia in Angelis non exigit diſpoſitionẽ præuiam, quam tamen exigit gratia iuſtificans, per quam conuerſi ſunt in Deum vrgente tentatione.

13 Tandem ſi Angeli non debuiſſent ſe diſponere ad ſecundam gratiam,ſequeretur, quòd nec etiam homines adulti deberent ſe diſponere;ſed conſ.eſt falſum;ergo & ant.Prob.ſeq. Homines adulti in ſtatu culpæ habent gratiam ex meritis Chriſti; ſed merita Chriſti ſunt infinita; ergo illam meruerunt omni perfectiori modo poſſibili,& ideo ſine diſpoſitione;nam modus habendi gratiam proprius Angelis eſt modus perfectior eam habendi; cùm ſint creaturæ perfectiores. Hæc pariter ratio non valet de prima gratia;ſicut non valet de primo auxilio,quod cõfertur homini adulto,vt *ſup.*dictum eſt.

14 Obijc. 1. Perfectius eſt ſanctificari ſine propria diſpoſitione,quã cũ illa;nam humanitas Chriſti ſanctificata eſt ſine propria diſpoſitione tam ſubſtantialiter, quã accidentaliter, vt docet *Beatiſſ.P.de Prædeſt.Sanct. c.15*; ſed Angelis cõpetit perfectior ſanctificatio; ergo ſine vlla diſpoſitione.

Reſp.*noſter Gibb.*neg.mi; ideo enim natura humana Chriſti Domini habuit gratiam ſanctificantem ſubſtantialiter, & accidentaliter ſine propria diſpoſitione;quia diſpoſitio ad gratiam, cùm ſit operatio,ſupponit naturam iam ſuppoſitam; *actiones* enim *ſunt ſuppoſitorum*; humanitas autem ante vnionem hypoſtaticam non erat ſuppoſitata; & ideo nullam actionem poterat habere; & per conſequens nullam diſpoſitionem ad ſanctitatem ſubſtantialem. Sanctitas autem accidentalis eſt proprietas vnionis hypoſtaticæ; nulla autem res diſponitur ad ſuam proprietatem. Sed faciliùs ſoluitur dicendo; quòd ſanctitas Chriſti fuit ei collata in primo inſtanti vnionis hypoſtaticæ; ideo ad illã non potuit dari diſpoſitio præcedens; vt dictum eſt de prima gratia.

15 Obijc. 2. Si Angeli non ſe diſpoſuiſſent ad primam gratiam, maximè,quia diſpoſitio fuiſſet ſimul in eodem inſtanti cum ipſa gratia, quæ eſt forma, ad quam diſponit; vel quia in primo inſtanti non potuerunt habere dilectionem ſupernaturalem Dei, vt Auctoris gratiæ; ſed hæc ſunt falſa; quia ſufficit,quòd diſpoſitio præcedat ſolùm prioritate naturæ ipſam formam; vt fatetur etiam *Fund.Doct*; præcedentia autem naturæ poteſt ſtare cum ſimultate durationis; vt conſtat de Sole,& illuminatione;& ſicuti in primo inſtãti habuerunt cognitionem ſupernaturalem Dei, vt eſt Auctor gratiæ; ita potuerunt habere dilectionem eodem modo; ergo Angeli ſe diſpoſuerunt ad primam gratiam.

Reſp.neg.ma;quamuis enim diſpoſitio poſſit eſſe ſimul cum forma, ad quam diſponit; & quamuis Angeli habuerint in primo inſtãti creationis cognitionẽ, & dilectionem ſupernaturalẽ; attamen quia nullũ ſupernaturale poteſt præcedere,nec etiam præcedentia naturæ, ſeu originis primam gratiam; vt *ſup.*dictũ eſt; ideo Angeli nõ potuerunt ſe diſponere ad primam gratiam.

16 Obijc.3.*Gonet.*Conſenſus ad gratiam eſt diſpoſitio ad gratiam; ſed Angeli in primo inſtãti conſenſerunt gratiæ; non enim illam in primo inſtanti reiecerunt;*& qui tacet,conſentit*;ergo ſe diſpoſuerunt ad gratiam.

Reſp.diſt.ma. Conſenſus antecedẽs,& præuius,conc;ſubſequens, & poſterior,neg. Angeli autem conſenſerunt primæ gratiæ ſubſequenter ad infuſionem illius, non autem antecedenter; quia ſi antecedenter; iam ille conſenſus fuiſſet gratia,quia fuiſſet à Deo illis infuſus; & ſic gratia,cui conſenſiſſent,non fuiſſet prima, ſed ſecũda gratia.

17 Obijc.4. Angeli priùs amauerũt Deum, vt Auctorem naturæ, quàm vt Auctorem gratiæ; ergo ille amor naturalis potuit eſſe diſpoſitio ad amorem ſupernaturalem; quia *facienti,quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*:

Reſp.neg.ant; nam Deus fecit Angelos rectos; & ideo creauit eos cum amore ſupernaturali ipſius Dei,vt Auctoris gratiæ;rectitudo enim conſiſtit in hoc amore. Quomodò autem intelligendum ſit illud axioma, *vid. to.2. de Præd.q.3. art.1.n.36.*

ART. IV.

An,& quando Angeli meruerint beatitudinem?

1 NOn loquimur de Beatitudine,quam Angeli habuerunt in via; conſtat enim ex dictis *art.1.*cum illa fuiſſe creatos; ideo fuit purum donum illis ſine vllo merito in inſtã-

ti

Digitized by Google

ti ſuæ conditionis illis collatum. Inquirimus ergo de beatitudine, quam permanendo in ea bonitate,in qua conditi fuerant, & vincendo tentationem receperunt in Patria;quæ beatitudo habetur ſolùm per viſionem Dei clarã,& per amorem Dei clarè viſi.

Duo autem proponuntur; primum; an meruerint ſuam beatitudinem;ſecundum;in quo inſtanti illam receperint?

2 Quoad 1.nulla eſt controuerſia *inter DD*; omnes enim concedunt Angelos ſibi gloriam meruiſſe; eamque recepiſſe tanquam mercedem, quæ non confertur,niſi meritis. Diſſenſio igitur eſt quoad 2.tantummodò. Quapropter.

3 Prima ſententia vult Angelos non meruiſſe ſuam beatitudinẽ;ſed ſicuti gratia illis fuit collata nullis præcedẽtibus meritis;ita & gloria. Addit hæc ſententia, quòd gratia, quæ fuit Angelis collata,fuit gratia conſummata;gratia autẽ conſummata eſt idem,ac gloria;& ideo ſicut gratiam non meruerunt; ita nec gloriam. *Ita altqui* ſuppreſſo nomine relati *à Fund.Doct.hic*.

4 Secunda ſententia vult Angelos non meruiſſe ſuam beatitudinem per merita præcedentia,ſed per ſubſequentia;ſcilicet per miniſteria, quæ modò exercent;vt ſi Rex donaret gratis alicui aliquam Ciuitatem, poſſet illam deinde mereri bellando in obſequium Regis, & ſubigendo plures Ciuitates Regię ditioni. *Ita Mag*,& *Præpoſitinus, ac alij*, quos pariter ſine nomine refert *Fund.Doct*.

5 Tertia ſententia vult meritum in Angelis non præceſſiſſe tempore,ſed natura;quia in eodẽ inſtanti meruerunt, & obtinuerũt beatitudinem; ſicut Angeli mali in eodem inſtanti demeruerũt, & fuerunt pœnis addicti;quemadmodum enim diſpoſitio ad gratiam, & collatio gratiæ fuit in eodem inſtanti temporis; vt aſſerunt *Thomiſtæ*; ita dicunt de merito, & præmio; ac propterea aiunt idem fuiſſe in Angelis meritum,& præmiũ. Refertur *D.Bon.in 2.diſt.5.q.2*; *Caiet*; *Naz*; *Ferrar.3.cont.Gent.c.110*;*& alij*.His additur *à noſtro Gibb.Fund.Doct*;ſed falsò;poſtquam enim retulit hanc ſententiam;ſtatim ſubdit:*Sed omnes hi modi improbantur*. Deinde: *Tertia etiam poſitio improbatur,quia nullus meretur,quod iam habet; cùm meritum habeat rationem viæ;& præmium babeat rationem termini;& non ſimul ſit aliquis in termino,& in via;imò quia oportet dicere,quòd vnus,& idem ſit actus,qui eſt meritum, & præmium; oportet dicere,quomodò aliter,& aliter ſit meritum,& præmium*.Et quanuis inferiùs,§.*His itaque prælibatis* aſſerat:*Dicamus nos tenere cum tertia opinione*; attamen reijcit modos explicandi *aliorum*, ac diuerſo modo illam explicat. Igitur

6 Quarta ſententia vult meritum Angelorũ non fuiſſe in eodem inſtanti cum eorum beatitudine. *Ita Scot*; *Vaſq*; *Zum*; *Mal*; *Salm*; *noſter Gibb*;*& alij recentes*.

7 Noſtra ſententia docet Angelos in eodẽ inſtãti Angelico meruiſſe, & adeptos fuiſſe beatitudinem;non quòd meritum,& præmium idem ſit; nec quia habuerint in eodem inſtãti gratiam imperfectam, quæ fuerit principium meriti; & poſtea gratiam perfectam,quæ fuit principium beatitudinis; ſed quia in eodem inſtanti habuerunt gratiam, per quam conuerſi ſunt immobiliter in Deum; & per eandem gratiam habuerũt motum liberi arbitrij; & tandem per eundem motum liberi arbitrij adepti ſunt Deum, qui eſt eorum beatitudo.*Ita Fund.Doct. in 2.diſt.5.q.2.art.2*; vbi ait: *Non enim dicemus, quòd actus, vt procedens à libero arbitrio, habeat rationem meriti* (nam vt ſupra dixerat; arbitrium ſecundùm ſe non poteſt in meritum; quia gratia eſt principiũ meriti) *& vt formatus gratia, pramij; nec dicemus, quòd priùs habuerint gratiam imperfectam, quæ erat principium merendi;& poſtea perfectam, quæ eſt principium fruendi;ſed dicemus,quòd priùs adepti ſunt gratiam; & poſtea per gratiam habuerunt motum liberi arbitrij gratia informatum; & poſtea per huiuſmodi motum fuerunt in quadam poſſeſſione Dei; & adepti ſunt huiuſmodi hæreditatem excellentem,ſcilicet Deum ipſum. Motus ergo liberi arbitrij informati gratia, vt inchoabatur à gratia, erat meritorius; vt autem per huiuſmodi motum à gratia incboatum Angeli adipiſcebantur ſummum bonum, ſic erat ibi præmium. Noſter* autem *Argent.ibid.diſt.5.art.4*; quanuis aſſerat hoc eſſe vnum ex ſecretis Dei,& non poſſe certò ſciri, niſi per Diuinam reuelationem, defendit tamen ſententiam,& rationes *Fund.Doct*,oſtendẽs *Aduerſariorum* obiectiones nihil prorſus concludere. Vt igitur probabilitas huius ſententiæ ex principijs communibus appareat; in cuius ſenſu *plures Auctores 3.ſent*.intelligendi ſunt.

8 Not.inſtans Angelicum non eſſe inſtans temporis noſtri,ſed poſſe plures,& pluribus durationibus temporis noſtri æquiualere, & æquè ac illas durare;cùm enim inſtans Angelicum importet vnam, & eandem operationẽ Angeli omnino indiuiſibilem (ſicut enim inſtans temporis noſtri importat vnum punctum temporis indiuiſibilẽ; & tempus importat durationem diuiſibilẽ in plures partes per plura inſtantia; ita inſtans Angelicum importat vnam operationem Angeli indiuiſibilem, quia eſt tota ſimul; & tempus Angelicum importat plures operationes eiuſdẽ Angeli diuiſibiles per plura inſtantia;vt *inf*.dicemus) Cùm, inquam, vnum inſtans Angelicum importet vnam,& eandem operationem Angeli; ſi Angelus perſeueret in eadẽ operatione æquiualenter ad horam temporis noſtri, vel diutiùs; tunc vnum inſtans dicitur æquiualere, ſeu æquè durare, ac duratio diuiſibilis temporis noſtri; ac etiam vt plures durationes,ſi diutiùs duret. Hoc non negant *Aduerſarij*.Igitur ſi Angeli per vnã, & eandem operationem meruerunt,& adepti ſũt gloriam,verum erit,quòd in eodem inſtanti Angelico meruerint, & adepti ſint ſuã beatitudinẽ.

Ci-

9 Citra dubium eſt, quòd actus, quo Angeli meruerunt gloriã, fuit actus charitatis, ſeu dilectionis Dei ſuper omnia ſpreto amore ſui, & aliarum creaturarum, quarum cognitionem habebant; actus namque nequit eſſe meritòrius, niſi formatus charitate Dei; ſed per actum amoris Dei adhæſerunt Deo, tanquam ſummo bono incommutabili; ſicut Angeli mali per actum amoris creaturarum adhæſerunt creaturis; ideo vna, & eadem fuit operatio, qua Angeli ſancti meruerunt, adhæſerunt Deo, & per talem adhæſionem gloriam conſecuti ſunt. Hoc validè probabitur in concl; ſufficit enim pro nũc explicatum eſſe; quomodò ſit accipienda noſtra ſententia. Quantùm autem ille actus amoris Dei durauerit per correſpondentiam ad tempus noſtrum ſub ratione meriti ante conſecutionem præmij; hoc eſt, quod *noſter Argent.* reputat inter Dei ſecreta, quæ per ſolam Dei reuelationem poſſumus dignoſcere. Itaque.

10 Vnica concl. Angeli ſancti meruerunt ſuam beatitudinem in eodem inſtanti Angelico, in quo illam conſecuti ſunt.

Prob. 1. pars, quæ communiter traditur *à SS.PP; & DD*; & præcipuè *à Beatiſſ.P.lib.de Cor; & Grat.c.*10. aſſerente: *Si per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent.* Et *inf.* loquens *de Adam. Acciperet illam merito huiuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua & ſancti Angeli ſunt beati.* Et *c.*11. *Sed quia permanere noluit, profectò eius culpa eſt; cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet ſicut fecerunt Angeli ſancti*; Et in fine c. *Quæ futura erat & homini; ſicut facta eſt Angelis ſanctis merces meriti.* Idem docet *de Ciu. Dei pluribus in locis.* Et habetur etiam *in Epiſt. decretali noſtri S.Gelaſij Papæ*; vbi dicitur: *Angelos, qui beati ſunt, meruiſſe ad eam felicitatem ſublimari.*

11 Et ratio eſt; quia homines reſiſtendo tentationibus, & perſeuerando in gratia in vltimo inſtanti viæ merentur beatitudinem; ergo & Angeli ſancti reſiſtendo tentationi gloriam meruerunt. Tum quia Angeli mali conſentiendo tentationi gloriam demeruerunt; ergo Angeli ſancti reſiſtendo illam meruerunt. Tum quia ad meritum requiritur gratia, tanquam principium; & libertas viæ, tanquam conditio; ſed Angeli ſancti habuerunt gratiam Dei, & fuerunt in via; ergo habuerunt meritum, quo ſuam beatitudinem meruerunt. Tum quia Angeli habuerunt gloriã per modum coronæ triumphantibus propoſitæ; quapropter Angelorum ſocietas militia appellatur; & per modum mercedis laborantibus datæ; ergo illam meruerunt.

12 Prob. 2. pars concl. 1. Illa ſunt in vno, & eodem inſtanti Angelico, quæ ſunt per vnam, & eandem operationẽ Angelicam; ſed meritum, & præmium Angelorum fuerunt per vnam, & eandem operationem Angelicam; ergo fuerunt in vno, & eodem inſtanti. Ma. patet; quia vna, & eadem operatio Angelica indiuiſibilis eſt; cùm ſit tota ſimul; & ideo conſtituit vnum, & idem inſtans Angelicum. Prob. mi. *ex Beatiſſ.P.de Cor. & Grat.c.*10. docente: *Erat tamen adhuc, quod eorũ adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent; donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent; idèſt vt magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei cadere vlteriùs omnino non poſſent. Et* 12. *de Ciu.c.*9. *Profectò, & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adiutorio Creatoris, habere non poſſent. Et cùm id egit eorum voluntas bona, vt non ad ſe ipſos, qui minùs erant; ſed ad illum, qui ſummè eſt, conuerterentur, eique adhærentes magis eſſent, eiuſque participatione ſapienter, beatèque viuerent.* Et paulò *inf. Charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis; nec tantũ hominum, ſed primitus, præcipuèque Angelorum bonum eſſe, quod ſcriptum eſt: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Hoc bonum, quibus commune eſt, habent, & cum illo, cui adhærent; & inter ſe ſocietatem ſanctam, & ſunt vna Ciuitas Dei, eademque viuum ſacrificium eius, viuumque templum eius.* Ex quibus ſic. Angeli ſancti meruerunt per charitatem Spiritus Sancti diffuſam in cordibus eorum, qua fuerunt ampliùs adiuti, roborati, & inflammati contra tentationem; charitas enim eſt principium omnium bonorũ; vt docet *Apoſt. 1. Cor.*12; *&* 13; *& ex illo Beatiſſ.P. de Spir; & lit.c.*14; *& de Grat.Chriſti c.*18; *&* 19; ſed per eãdem charitatem adhæſerunt Deo ſummo bono incommutabili; in qua adhæſione conſiſtit beatitudo; ergo meritum, & præmium Angelorum fuit per vnam, & eãdem operationem Angelicã.

13 *Et lib.*1. *de Gen.ad lit. c.*4; poſtquam docuit creaturam Angelicam factam fuiſſe informem, quia fluitabat inter bonum, & malum; & tenebræ erant ſuper ipſam, antequam conuerteretur in Deum; ait: *Formatur autem conuerſa ad incommutabile lumen Sapientiæ Verbum Dei; à quo enim exiſtit, vt ſit, vtque viuat; ad illum conuertitur, vt ſapienter, beatèque viuat.* Idem docet 13. *Confeſſ.c.*2; *&* 3. Ex quo ſic. Actus meritorius Angelorum fuit actus charitatis infuſæ, quo ſe conuerterunt in Deum in inſtanti tentationis; ſed actus, quo ſe conuerterunt in Deum in inſtanti tentationis, eſt, quo adepti ſunt vitam beatam; ergo per eundem actum Angeli meruerũt, & adepti ſunt beatitudinem.

14 Conf. 1. Ita loquendum eſt de merito Angelorum in via, & de conſecutione beatitudinis in patria; ſicut loquimur de merito hominum iuſtorum in via, ac de conſecutione beatitudinis in patria; nam tam homines, quàm Angeli ſunt creaturæ intellectuales ordinatæ per media ſupernaturalia ad finem ſupernaturalem; & ideo ſicut homo nequit per vires naturales

nie-

mereri,& aequirere ſuam beatitudinem; ita Angelus; meritum enim, & beatitudo eſt ſupra naturam vtriuſque naturæ Angelicæ, & humanæ; ſed homo iuſtus meretur per actum charitatis, & conſequitur Deum in ratione ſummi boni per eundem actum charitatis; ergo & Angelus. Ma. patet. Prob. mi. Actus charitatis Dei, quo meremur in via, non deſtruitur in patria; ſed per illum eundem adhæremus Deo, tanquam ſummo bono; in qua adhæſione conſiſtit formaliter noſtra beatitudo; vt ſuo loco dicemus; quòd autẽ iſte actus non deſtruatur, ſed maneat in patria, fatentur *Aduerſarÿ*; eſt enim documẽtum *Apoſt. Rom.* 8. aſſerentis: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames &c. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita &c; neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, qua eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Et* 1. *Cor.* 13. *Charitas nunquam excidit, ſiue prophetia euacuabuntur, ſiue lingua ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur*; & ratio etiam id ſuadet; quia actus charitatis non habet oppoſitionẽ eum ſtatu patriæ; ſicut actus Fidei, qui habet pro obiecto Deũ non viſum; & actus ſpei Deum non poſſeſſum; ſtatus autem patriæ importat Deum clarè viſum, & actu poſſeſſum; & ideo nequit cũ illo componi actus Fidei, & ſpei, at verò actus charitatis babet pro obiecto Deum, vt ſummum bonum; qui eſt etiam obiectum amoris patriæ; ergo homo iuſtus per eundem actum charitatis meretur in via, & conſequitur beatitudinem in patria. Atqui vna, & eadem operatio Angelorũ eſt vnicum, & idem inſtãs Angelicum; ergo Angeli in vno; & eodẽ inſtanti meruerunt, & adepti ſunt ſuam beatitudinem.

15 Conf. 2. Si Angeli non meruiſſent, & adepti fuiſſent ſuam beatitudinem in inſtanti temporis Angelici; vel dicendũ eſſet, quòd actus dilectionis Dei, quo meruerunt in via interruptus fuiſſe; vel quòd alio actu amoris dilexiſſent Deum in via, & alio in patria; ſed neutrum dici poteſt; ergo meruerunt, & adepti ſunt ſuam beatitudinem in inſtanti temporis Angelici. Ma. patet; nulla enim alia videtur via ad conſtituẽdum tempus Angelicum, quod eſſentialiter componitur ex pluribus operationibus Angeli diuiſis, & interruptis; vna enim operatio cõtinua ipſius Angeli, quantuncumque duret per ordinem ad tempus noſtrum, non conſtituit, niſi vnicum inſtans temporis Angelici; vt dictum eſt. Prob. 1. pars mi. Interruptio actus amoris Dei nequit eſſe niſi ex peccato, vel ex occaſiône ad peccandũ; Angeli enim mali, quia diſtraxerunt ſe ab amore Dei ad amandos ſe ipſos, poſuerunt ſe in occaſione peccati, & ideo peccauerunt; ſed Angeli ſancti nec habuerunt peccatum; neque ſe ipſos in occaſionem peccati iniecerunt; ſed ſicuti ſemper fixi manſerunt in contemplatione Dei; & in deſpectione ſui; & ideo in ſumma humilitate; ita & in êius amore; ergo actus dilectionis Dei, quo meruerunt in via, non fuit interruptus. Prob. 2. pars. Si alio actu amoris diligerent Deũ in patria, actus viæ non maneret; quia eſſet ocioſus; non enim eſſet in ſui exercitio; tñ quia ideo non eſſet, quia haberet incompoſſibilitatem cum ſtatu patriæ; vt habet actus Fidei, & ſpei; hoc autem eſt falſum, vt ſupra dictum eſt; ergo quoque falſum eſt Angelos alio actu amoris dilexiſſe Deum in via; & alio in patria. Quòd ſi eſt idem actus amoris; ergo vnicum inſtans eſt, in quo meruerunt, & adepti ſunt ſuam beatitudinem; loquendo tamen de inſtanti Angelico, vt *ſup.* dictum eſt; ad quod ſemper eſt aduertendum.

16 Prob. 2. *ex Fund. Doct.* euertendo fundamentum *Aduerſariorum*. Si Angeli in eodem inſtanti temporis Angelici non meruiſſent, & adepti fuiſſent beatitudinem, maximè, quia ſtatus viæ, in quo ſolùm eſt meritum, nequit ſimul eſſe eum termino, ſeu cum patria, in qua ſolùm eſt præmium; ſed hæc ratio non concludit; ergo nihil euincit. Ma. eſt ratio *Aduerſariorum*. Prob. mi. Quanuis via præcedat terminum prioritate naturæ; non tamen ſemper illum præcedit prioritate temporis; nam *generatio ex Phil.* 2. *Phyſ. t.* c. 14. eſt *via in naturam*; & ſic illuminatio eſt via in illuminatum eſſe; & tamen generatio nõ præcedit prioritate temporis generatum eſſe; nec illuminatio illuminatum eſſe; tunc igitur via præcedit terminum tempore, quando importat motum ſucceſſiuum; de cuius ratione eſt prioritas, & poſterioritas temporis; & ideo via importat prioritatem temporis ſolùm per accidens, ſcilicet ratione motus ſucceſſiui; at verò ſecundùm ſe importat ſolùm prioritatem naturæ; ergo meritum, quod eſſentialiter importat eſſe in via, eſſentialiter, & ſecundùm ſe non importat niſi prioritatem naturæ; ſed prius, & poſterius natura ſunt ſimul in eodem inſtanti durationis; vt patet de Sole, & illuminatione; prioritas enim naturæ importat ſolùm dependentiam in eſſe poſterioris à priori, quæ dependentia poteſt eſſe in eodem inſtanti temporis; ergo meritum, quod eſt in via, poteſt eſſe in eodem inſtãti temporis Angelici cum ipſo præmio, quod eſt in termino, ſeu in patria.

17 Conf. *ex eod.* Ita ſe habet meritum ad præmium; ſicut actio ad paſſionem; ſicut enim meritum eſt cauſa præmij, ita actio eſt cauſa paſſionis; quatenus effectus dicitur, qui ad aliud conſequitur, ſic enim paſſio eſt effectus actionis, quia ad illam conſequitur; ſed actio, & paſſio quanuis non ſint ſimul natura; attamen ſunt ſimul tempore; ergo à pari.

18 Vrgetur ampliùs. Ideo Angeli *per Aduerſarios* non potuerunt ſimul mereri, & conſequi ſuam beatitudinem in eodem inſtanti Angelico, quia meritum eſſentialiter debet antecedere præmium; ſed hæc antecedentia optimè ſaluatur per ſolam prioritatem naturæ abſque prioritate durationis; in tantùm enim meritum debet

antecedere præmium; in quantùm eſt cauſa illius; antecedentia autem cauſæ ad effectum ſalliatur per ſolam prioritatem naturæ; Sol enim eſt cauſa illuminationis; etiamſi Sol ſit prior illuminatione tantùm prioritate naturæ, non temporis; ergo hæc ratio nihil concludit.

19 Prob. 3. Quæ non ſunt ſimul in aliqua menſura inferiori diuiſibili in plures partes ſucceſſiuas, quarum vna eſt poſt aliam, poſſunt eſſe ſimul in menſura ſuperiori non habente partes ſucceſſiuas; vt patet de ijs, quæ ſunt ſucceſſiuè in tempore noſtro, & ſunt ſimul in æternitate; ſed meritum, & præmium, quæ menſurantur tempore noſtro, nō ſunt ſimul in tempore noſtro, quod eſt menſura inferior diuiſibilis in plures partes, & in plura inſtantia, in quorum vno eſt meritū, & in alio eſt præmium; ergo meritum, & præmiū Angelorum, quæ menſurantur inſtanti Angelico, quod eſt menſura ſuperior, poſſunt eſſe ſimul, quatenus menſurantur ab vna operatione Angelica, quæ eſt indiuiſibilis ſecundùm ſe; quia eſt tota ſimul.

20 Conf. *Quæ ſunt diſperſa in inferioribus; vniuntur in ſuperioribus*; quia vnum ſuperius poteſt præſtare ea omnia, quæ præſtant plura inferiora, cùm illis æquiualeat; ſed meritum, & præmium poſſunt eſſe in pluribus inſtantibus temporis noſtri, quod eſt menſura inferior; ergo poſſunt eſſe in eodem inſtanti temporis Angelici, quod eſt menſura ſuperior.

21 Explic. magis. Poteſt homo in hac vita mereri, & conſequi præmium v.g. dimidio vnius horæ; in hoc enim tempore totum fieri poteſt; vt patet; ergo à fortiori Angelus, qui eſt maioris efficacitatis; cùm ſit magis actualis, & ſpiritualis, poterit mereri, & conſequi præmium ſuo merito debitum in inſtanti Angelico, quod poteſt æquiualere nedum ad durationem ſemihoræ temporis noſtri; ſed etiam ad longiorem menſuram.

22 Tandem quia beatitudo fuit in via conceſſa Chriſto Domino, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, & alijs Sanctis; vt diximus *to. 1. de Inuiſib. Dei q. 4. art. 4*; ex quo conijcitur beatitudinem non pugnare ſimpliciter cum ſtatu viæ; & ex alia parte non colligitur *ex Scripturis* Deum ita decreuiſſe, vt Angeli ſancti non meruerint, & ſimul adepti ſint ſuam beatitudinem; cùm hoc potiùs colligatur de aliquibus ſanctis; ex quo poſſet à fortiori deduci conuenire Angelis propter perfectiorem ſtatum, in quo ſunt, quàm ſit ſtatus hominis; qui, vtpotè mortalis, & menſuratus à tempore, exigit ea, quæ homini conueniunt, fieri in diuerſis temporibus, vel inſtantibus; ſtatus verò Angelorum, vtpotè immortalis, & menſuratus ab æuo, & inſtantibus, exigit ea, quæ Angelis competunt menſurari æuo, vel inſtantibus.

23 Obijc. 1. *Dur.* Actus, qui includunt oppoſitum, nequeunt eſſe ſimul in eodem inſtanti; ſed meritum, & præmium includunt oppoſitum; quia meritum dicit viam, & tendentiam ad terminum; præmium verò dicit patriam, & terminum; ergo nequeunt eſſe ſimul in eodem inſtanti, & ideo Angeli ſancti non meruerunt, & acquiſierunt ſimul ſuam beatitudinem.

Reſp. *Fund. Doct.* 1. neg. ſupp. mi; ſupponit enim, quòd præmium noſtrum ſit ipſa viſio beata, aut amor beatificus; hoc autem falſum eſt; quia noſtrum præmium eſt ipſe Deus, vt ſummū bonū; quapropter *Gen. 15.* ait *Abrahæ: Ergo merces tua magna nimis.* 2. Diſt. mi. Meritum, & præmium includunt oppoſitum ſecundùm ſe, neg; per accidens; & ratione motus, conc. Via ergo, & terminus poſſunt eſſe ſimul in eodem inſtanti ſecundùm ſe; quamuis nequeant eſſe ſimul, cù m dicunt motum ſucceſſiuum. Vel neg. ma. actus enim oppoſiti nequeunt eſſe ſimul in eodem inſtanti, ſi ſint oppoſiti oppoſitione motus propriè dicti; ſi autem ſint oppoſiti ſolùm oppoſitione dependentiæ, poſſunt eſſe ſimul ſimultate durationis, non tamen ſimultate naturæ. Ita ſe habent meritum, & præmium. Vel diſt. ma. In eodem inſtanti temporis noſtri, quod non æquiualet pluribus, tranſeat; temporis Angelici, quod æquiualet pluribus inſtantibus, & durationibus temporis noſtri, neg.

24 Obijc. 2. *Aureol.* Impoſſibile eſt, quòd idē habeat rationē finis, & medij, quod eſt ad finem; ſed actus beatificus habet rationē finis; & actus meritorius eſt medium ad finem; ergo impoſſibile eſt, quòd idem actus ſit ſimul meritum, & præmium. 2. Implicat in eodem eſſe ſimul actum deſiderij, & actum vltimatæ complacentiæ circa idē obiectum; quia deſiderium eſt circa rem abſentem, & complacentia eſt circa rem præſentem; ſed actus meritorius eſt actus deſiderij; & actus beatificus eſt actus ſummæ complacentiæ; ergo Angeli non habuerunt ſimul meritū, & præmiū.

Reſp. ad 1. neg. 1. p. mi; finis enim eſt Deus, vnde actus beatificus dicitur ſolùm finis *quo*; idèſt id, quo vltimatè conſequimur Deum, qui eſt finis *qui*. Vel neg. ma. abſolutè; eadem enim res eſt actio, & paſſio; & tamen paſſio ſe habet, vt finis actionis, quia illam terminat; vnde ſecūdùm diuerſam rationem idem poteſt eſſe finis, & medium. Ad 2. diſt. ma. Implicat eſſe ſimul ſimultate naturæ, conc; ſimultate durationis, neg. Sicut enim via dicit diſtantiam à termino, & terminus dicit præſentiā; & tamen hæc duo poſſunt ſimul eſſe in eodē inſtāti durationis, nō tamen in eodē priori naturæ; ita licèt meritum dicat abſentiam, & præmium præſentiam obiecti; attamen poſſunt eſſe ſimul ſimultate durationis, non naturæ. Vel implicat eſſe ſimul in eodem inſtanti temporis noſtri, tranſeat; temporis Angelici, neg.

25 Obijc. 3. Amor beatificus eſt neceſſarius, & amor meritorius eſt liber; libertas enim eſt conditio ad meritum requiſita; ſed implicat eundem actum eſſe ſimul neceſſarium, & liberum; ergo implicat, quòd in Angelis fuerit ſimul in

co-

eodem inſtanti actus meritorius, & beatificus; & ideo ſimul meritum,& præmium.

Reſp.eodem modo diſt.mi. Implicat eundẽ actum eſſe ſimul ſimultate naturæ neceſſarium,& liberum,cõc;actus enim,quo Sol illuminat Mundum,prout eſt à Sole,eſt neceſſarius; & prout eſt à Deo,eſt liber;ſimultate durationis,neg;vel ſubdiſt.Simultate durationis æquiualentis ad plures durationes,vt eſt inſtans Angelicum, neg; non æquiualentis,vt eſt duratio temporis noſtri,cõc.

26 Obijc.4.Angeli in eodem inſtãti, in quo meruerunt beatitudinem,non habuerunt amorẽ beatificum; quia ad amorem beatificum præſupponitur viſio beatifica;& ad viſionem beatificam requiritur lumen gloriæ ; ad meritum autem requiritur lumen Fidei, quod nequit ſtare cum lumine gloriæ, quia obſcuritas illius pugnat cum claritate iſtius ; ergo non habuerunt in eodem inſtanti meritum,& præmium .

Reſp.neg.ant.Ad prob.inſert.dicitur, quòd pro eo poſteriori naturæ , quo habuerunt amorem beatificum , habuerunt etiam viſionem beatificam. Ad illud autem, quod ſubditur ; ſcilicet ad meritum requiri lumen Fidei,diſt. Requiritur lumen Fidei tanquam terminus , à quo receditur, conc;ſicut enim ad generationem requiritur priuatio,quæ etſi recedat ad ipſa generatione;attamen eſt initium ſufficiens ad illam principiandã ; ita lumen Fidei licèt recedat adueniente lumine gloriæ; attamen eſt ſufficiens ad initiandum meritum.Idem dicitur de Sole,qui pro priori naturæ ad illuminationem ſupponitur non illuminãs; & illa non illuminatio eſt ſufficiens ad initiandã illuminationẽ.Requiritur lumen Fidei,tanquam principium remanens intrinſecè in ipſo merito , neg; quanuis enim ſuccedat in nobis ; attamen hoc eſt per accidens;non per ſe; vt *ſup.* dictũ eſt.

27 Obijc.5.Quanuis creatura rationalis extra ſtatum viæ poſſit mereri aliquod præmium accidentale, v.g.gaudium, quod habent Angeli de pœnitentia illorum, qui per eorum officia ſaluantur,iuxta quod dicitur *Luc.15.Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*;vt fatetur *Fund.Doct. hic §.Secũda etiam*; ſicut animæ defunctorum in Purgatorio poſſunt mereri remiſſionem peccatorum venialium,attamen non poſſunt mereri præmium eſſentiale, quod eſt viſio Dei; ergo implicat, quòd in eodẽ inſtanti Angeli meruerint , & adepti ſint ſuam beatitudinem.

Reſp. neg. conſ; nam illud inſtans non fuit inſtans ſtatus termini ſimpliciter,ſed ſimul ſtatus viæ,& termini, vt *ſup.* dictum eſt; & ideo potuerunt mereri,& ſimul conſequi ſuam beatitudinẽ.

28 Obijc.6. Non implicat, quòd meritum ſit poſterius præmio ; poteſt enim Rex donare alicui aliquam Ciuitatem, quam ille poſtea poteſt mereri inſeruiendo ipſi Regi ; ergo Angeli potuerunt mereri ſuam beatitudinem gratis à Deo illis donatam exercendo miniſteria,quibus deſtinantur. 2. *SS. PP.* habuerunt gratiam , quæ fuit præmium meritorum Chriſti Domini; ergo meritum poteſt eſſe poſt præmium.

Reſp. *noſter Argent*; quòd vel Rex donauit Ciuitatem liberè abſque vlla conditione;& tunc ille,cui donata eſt, non poteſt illam mereri,quia per liberam donationem tranſijt ad eſſe ſuam, & nullus poteſt mereri id,quod ſuum eſt;vel illam donauit ſub conditione,vt ipſi inſeruiat; & tunc exemplum non eſt ad rem;quia Angeli ſancti sũt liberi poſſeſſores beatitudinis abſque vlla conditione aggrauante; iſta enim conditio tolleret, vel minueret eorum beatitudinem .

Reſp.2. *cum Fund.Doct.* neg. conſ; Angeli enim in patria non ſunt in ſtatu meriti ; in quo tamen eſt ille, cui Rex Ciuitatem donauit , ideo non eſt paritas. Ad 2.dicitur merita Chriſti Domini eſſe infiniti valoris; & ideo extendi ad omnia tempora .

29 Quæres 1; quid dicendum ſit de confirmatione Angelorum in gratia ?

Reſp;quòd confirmatio abſolutè loquendo poteſt eſſe in via per gratiam Spiritus S. ita firmantem voluntatem in bono,vt non poſſit illud deſerere; & ita confirmati ſunt Apoſtoli in die Pentecoſtes per Spiritum S.de Cœlo miſſum, & poteſt eſſe in patria, vbi beati ita firmantur in Deo,vt non valeant peccando ſe auertere.Vtroque modo dicendum eſt Angelos fuiſſe confirmatos in gratia in eodem inſtanti;nam pro priori naturæ receperunt gratiam, & charitatem diffuſam in eis per Spiritum S;qui datus eſt eis;quo vicerunt tentationem,& tunc erat gratia viæ; pro poſteriori autem naturæ receperunt beatitudinem,qua ampliùs cadere,& peccare non poſsũt, vt *ſup.* dictum eſt .

30 Quæres 2; an Angeli ſancti ſtatim poſt primum inſtans creationis adepti ſint gloriam , vel aliqua morula interceſſerit inter creationẽ, & beatificationem ?

Reſp. hoc eſſe reſoluendum *in ſeq. q.art.5*; vbi quæremus; an inter lapſum , & creationem Angelorum malorum interceſſerit aliqua morula; idem enim omnino iudicium ferendum eſt ; quia Angeli ſimul creati ſunt; & in eodem inſtãti, in quo mali peccauerunt , boni conuerſi ſunt in Deum reſiſtendo tentationi; per quam cõuerſionem beatitudinem adepti ſunt .

ART. V.

An Angeli perfectioris naturæ habuerint maiorem gratiam ?

1 DVplicem ſenſum poteſt habere præſens difficultas.Primus eſt,an ſecũdùm naturalem exigentiam perfectiori Angelo debita fuerit maior gratia ; & in hoc ſenſu non loquimur;conſtat enim,quòd gratia eſt ſupra naturam,& naturæ omnino indebita; ideo natura nequit illam naturaliter exigere; quod nanque naturaliter exigitur ab aliqua re,eſt illi naturale.

Secundus eſt;an ſecundùm ordinem prouidentię ſupernaturalis congruum, & decens fuerit Deũ perfectioribus Angelis tribuere maiorem gratiam:vt maiorem gloriam acquirerẽt? Et in hoc ſenſu loquimur.

2 Prærerea ſermo eſſe poteſt,vel de gratia, in qua fuerunt creati;& quam acceperunt in primò inſtanti ſuæ condirionis; vel de gratia,quam habuerunt in inſtanti rentationis ad reſiſtẽdum? In hoc vtroque ſenſu procedit dubium.

3 Prima ſententia vult abſolutè iuxta proportionem perfectionis naturæ fuiſſe perfectiorem gratiam Angelis collatam. *Ita communiter ferè omnes Theologi*, vt teſtatur *noſter Gibb. hic dub.vlt*;vbi referr *D.Tho; Caiet;Zum; Ban;Mol; Vaſq;Sua;Valent; noſtrum Bernardin*; quibus adduntur *plures alij ex noſtris in M.S.*

4 Noſtra tamen ſententia docet, quòd loquendo de prima gratia accepta in primo inſtãti ſuæ creationis probabilius eſt fuiſſe æqualem in omnibus;loquendo tamen de gratia iuſtificante,quam acceperunt vrgente tentatione, fuiſſe inæqualẽ ita, vt Angeli ſuperiores, & perfectiores maiorem gratiam acceperint.Hanc ſententiã ſic explicatam *apud nullum Auctorem* vidimus; poteſt tamen deduci, vt *infra* parebit, ex doctrina *Beatiſſ.P; & Fund.Doct*; quam rradidimus *to. 2.de Vol.Dei q.5. art.3. n.30; & alibi*; & ideo ad eorum mentem eſſe ſubſtinemus; *pro cuius decis.*

5 Not; quòd, vt diximus *to.2. vbiſ.ex Beatiſſ.P.lib.11.de Gen.ad lit.c.4*; ratio,cur Deus cõtulerit gratiam Angelis ſanctis ad reſiſtendum tentationi; eamque negauerit Angelis malis, & *Adæ*,eſt; quia cùm condidiſſet Angelos, & *Adã* cum plena cognitione Dei,& omnium creaturarum;& cum amore caſto,ac puro Dei, & creaturarum; loquendo tam de cognitione, & amore Dei habito per Fidem, quàm de cognitione, & amore naturali habito per vires naturæ;Angeli, qui permanſerunt,per illud inſtans, vel tempus, quo durauit ſtatus innocentiæ,ſteterunt ſemper in contemplatione Dei;& in deſpectu ſui,& aliarum creaturarum; deſpexerunt enim cognitionẽ ſui, & creaturarum præponendo, tanquam digniorem cognitionem, & amorem Dei; & cùm deſpectus ſui ſit magna humilitas;ideo ſteterunt ſemper in magna humilitate. Alij verò,qui ceciderunt,non ſteterunt ſemper in fixa contemplatione, & amore Dei, ſed diuerterunt ſe ad ſe ipſos,& quia quælibet diſtractio minuit antecedẽtem cognitionem,& amorem,ideo diminuerunt cognitionem,& amorem Dei. Præterea quia cognitio,& amor ſui eſt fomentum ſuperbiæ, ideo poſuerunt ſe in periculo ſuperbiendi;quoniam autem *Deus ſuperbis reſiſtit;humilibus autem dat gratiam*,ideo illis gratiam conceſſit,vt vincerent tentationem; iſtis autem negauit; ac propterea à tentatione victi ſunt.

6 Itaque cùm inter illos, qui ſteterunt, aliqui habuerint perfectiora naturalia; quia perfectioris erant naturæ; & ideo altioris ordinis,aut hierarchiæ;cùmque habens perfectiora naturalia habeat violentius, ac fortius diſtractiuum ad cõtemplandas res naturales, quia natura naturaliter fertur in id,quod eſt ſibi naturale;& quò fortior,ac perfectior eſt natura;eò fortiùs, & violẽtiùs fertur;ideo ex Angelis ſtantibus illi,qui fuerunt perfectiores, receperunt maiorem gratiam, quia fortiùs reſtiterunt diſtractioni,ne minuerẽt cognitionem,& amorem Dei;ſi enim non diſtractio ſimpliciter fuit occaſio gratiæ ſimpliciter; valet, quòd fortior reſiſtentia ad diſtractionem fuit occaſio maioris gratiæ; *ſicut enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita ſecundùm quid ad ſecundùm quid*. Et in hoc ſenſu dicimus Angelos perfectioris naturæ recepiſſe maiorem gratiam. *Hoc not.*

7 Vnica concl.Probabilius eſt Angelos in ſui condirione recepiſſe æqualem gratiam; in inſtanti tamen rentationis recepiſſe inæqualẽ gratiam iuxta maiorem, vel minorem perfectionem naturæ.

Prob. 1.pars concl.*ex Beatiſſ.P. de Corr; & Grat.c.10*,vbi ait *Deum ſic ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam,vt in ea priùs oſtenderet, quid poſſet liberum arbitriũ, deinde quid poſſet ſua gratiæ beneficium,iuſtitiæque iudicium.* Ex quo ſic.Si Deus inæqualem gratiam contuliſſet Angelis in inſtanti creationis, nõ oſtendiſſet, quid poſſet liberum arbitrium,ſed quid poſſet gratia; nam arbitrium fortiùs adiutum per gratiam oſtendiſſet ſe ſtare per maiores gratiæ vires ad ſtandum, & arbitrium debiliùs adiutum non ſtare, quia minores habuiſſet gratiæ vires; ergo in primo inſtanti creationis Deus æqualem gratiam contulit Angelis.

8 Præterea quamuis *lib.12. de Ciu.c.9.* hanc litem videatur dubiam relinquere dicẽs de Angelis malis: *Aut minorem acceperunt amoris Diuini gratiam, quàm illi, qui in eadem perſtiterunt, aut ſi vtrique boni æqualiter creati ſunt,iſtis mala volũtate cadẽtibus,illi ampliùs adiuti ad eã beatitudinis plenitudinẽ peruenerũt.* Attamen abſolutè non relinquit ſub dubio, quia ſuperiùs iam ſtatuerat Deum feciſſe meliorem voluntatem Angelorum bonorum ipſam implendo ſua gratia, cui poſtea,vt tribuat diſcretionem à malis,arguit illa disiunctiua; vt frequenter fieri ſolet, nec tamen per hoc dubium relinquitur. Præterea *lib. 1.de Gen.ad lit.c.3;& 4;& lib.13.Cõfeſſ.c.2;& 3.* manifeſtè docet conuerſionem Angelorum in Deum fuiſſe à Deo magis illuminante per ſuam gratiam; ergo inæqualitatem gratiæ admittit ſolùm vrgente tempore tentationis.

9 Dices.*De Ciu.vbiſ.*ait; quòd *Deus erat ſimul condens naturam, & largiens gratiam*; ergo gratiam largitus eſt iuxta perfectionem naturæ in ipſa condirione naturæ.

Reſp. illis verbis nihil aliud docere, quàm ſimul condidiſſe naturam,& gratiam; quia natura

ra ſine adiutorio ſufficienti non ſtetiſſet; non tamen quòd iuxta perfectiouem naturæ largitus ſit gratiam.

10 Prob.2. Si recepiſſent maiorem gratiam in prima conditione, ſequeretur, quòd Angeli perfectioris naturæ ſtetiſſent; & imperfectiores cecidiſſent; quia natura fortior cum maiori gratia ad reſiſtendum habet maiorem vim ad ſtandum, quàm natura debilior cum minori gratia; & quod habet maiorem vim ad ſtandum, difficiliùs cadit, quàm habens minorem vim;ſed conſ. eſt falſum; quia cecidit Lucifer, qui erat ſupremus;ergo & ant.

11 Cõſ.Ex duobus hominibus aliqua tentatione æquè percuſſis, quòd vnus reſiſtat,& alter cadat, nequit victoria attribui reſiſtẽtis arbitrio, ſed gratiæ, ergo ſi Angeli ſuperiores habuiſſent maiorem gratiam in inſtanti ſuæ conditionis, viciſſent tentationem; & Angeli inferiores cecidiſſent ob minorem gratiæ vim.

12 Prob. 3. Si fuiſſent creati inæquales in gratia, fuiſſent creati diſcreti; vnus enim diſcretus fuiſſet ab alio; quia ille habuiſſet maiorem gratiam;iſte minorem; ſed hoc eſt falſum; quia tunc ſolùm diſcreti ſunt, *quando Deus diuiſit lucem à tenebris*; vt docet *Beatiſſ. P. lib.11. de Ciu. Dei c.19;& 33*;& fatentur etiam *ipſi Aduerſarij*; ergo Deus creauit Angelos æquales in gratia.

13 Tandem.Gratia,quam habuerũt omnes Angeli in ſua conditione, fuit adiutorium *ſine quo non*, ſeu gratia, per quam poterant ſtare; vt docet *Beatiſſ.P.de Corr.& Grat.c.10; 11; & 12*; vel gratia ſufficiens, vt vocant *Recentiores*; quæ dat poſſe,non agere; ſed omnes poterant æqualiter ſtare; aliter ſi vnus potuiſſet minùs, quàm alter, ille minùs eſſet puniendus; ergo omnes creati ſunt æquales in gratia.

14 Tum quia Deus poſuit omnes Angelos æqualiter in plena poteſtate ad ſtandum, & ad peccandum;ergo omnes cum æquali gratia creauit; nam maior gratia relinquit minorem poteſtatem ad peccandum;ſicut gratiæ conſummatio in beatis omnem poteſtatem ad peccandum penitus aufert.

15 Tum quia in primo inſtanti creationis ordinauit Angelos ſolùm per voluntatem antecedentem tribuendo auxilia communia,& generalia; non verò efficaciter ſpecialiter per auxilia ſpecialia, vt fatentur etiam *Aduerſarij*;ſed auxilia communia, & generalia ſunt æqualia in omnibus;commune enim eſt illud, in quo plura cõueniunt;ſicut ſpeciale eſt, in quo differunt; ergo in primo inſtanti habuerunt æqualem gratiam.

16 Prob.2.pars concl. Angeli ſunt inæquales in gloria; ergo inæqualem gratiam habuerũt in via, ſed non in inſtanti creationis; ergo in inſtanti tentationis. Ant.patet; nam 2. *Cor.* 15. habetur:*Stella differt à ſtella in gloria*;nomine autẽ ſtellarum intelligunt plurimi *SS.PP.* ipſos Angelos iuxta illud *Apoc. Draco traxit tertiã partem ſtellarũ*;vbi aſſerunt nomine *Draconis* ſignificari Luciferum;& nomine *Stellarum* Angelos malos, qui de Cœlo ſimul cum Lucifero ceciderunt; & ideo nomine *ſtellarum* in gloria Angeli beati ſignificantur; & quamuis aliquando hoc nomen *ſtella* extendatur ad ſignificandos etiam homines beatos; attamen non ſequitur, quòd non ſignificet etiam Angelos, qui pariter ſunt beati; *ſtella* enim appropriatur homini, quatenus eſt beatus, & ideo generaliter ſignificat etiam Angelos,qui pariter ſunt beati. Tum quia Seraphim ſunt propinquiores Deo, & ideo magis illuminantur, & igne charitatis Dei magis inflammantur, & ſic dicendum de Cherubim, Thronis, & alijs per ordinem; ſed beatitudo conſiſtit in viſione, & amore Dei clarè viſi; ergo Seraphim,& ſic de alijs,maiorem habẽt beatitudinem,& ideo ſunt inæqualiter beati. Prob.conſ. Gloria correſpondet gratiæ,quæ habetur in via,ſicut præmiũ correſpondet merito,vt docet *Conc.Flor.& communiter SS.PP.ac DD*;ergo ex eo,quòd habeant inæqualem gloriam in patria, optimè deducitur habuiſse inæqualem gratiam in via.

17 Prob.2. Pulcritudo ordinis ex varietate conſurgit; ſed in gloria maximè reſplendet pulcritudo ordinis,ſicut in damnatione confuſio;ergo in gloria eſt maxima varietas; & ideo Angeli ſunt inæquales; atqui gloria correſpondet gratiæ;ergo Angeli fuerunt inæquales in gratia.

18 Prob.3.Suppoſito, quòd Deus decreuerit ſaluare aliquos Angelos, maximè decuit ordinem ſuę prouidẽtiæ ſupernaturalis ſeruare,& neceſse fuit ex parte Angelorũ illis tribui gratiã potentem illos ſaluare; ſed ex hoc ſequitur tribuiſse gratiam inæqualem iuxta inæqualitatem perfectionis naturalis eorum; ergo Angeli receperunt gratiam inæqualem.Ma.patet;quia ordinatio efficax ad finem non fit, niſi per media ad illum efficaciter conducẽtia; ergo ordinatiò Angelorũ ad gloriam non potuit fieri, niſi per gratiam efficacem, & potentem illos ſaluare. Prob. mi.Ad hoc,vt Angelus ſuperior,& perfectior in naturalibus ſaluetur, debuit Deus illi conferre gratiam potentem vincere illius arbitrium, ne diſtraheretur ab obiectis creatis, ſicut diſtracti ſunt Angeli mali; ſed ad vincendum arbitrium magis forte,& validum,ſicut eſt in Angelo ſuperiori,requiritur maior virtus, & ideo maior gratia, quæ eſt virtus victrix arbitrij, & ad vincendũ arbitrium minùs forte, & robuſtum requiritur minor virtus, ſeu gratia; ergo ex eo, quòd Deus condiderit Angelos inæquales in naturalibus, & ſuppoſito, quòd aliquos vellet ſaluare,debuit illis conferre inæqualem gratiam.

19 Obijc.1. cont.1.part. concl. *noſter Gibb; & alij in M.S. cum Recentioribus*. Angeli perfectiores amauerunt naturaliter Deum intenſiùs, quàm inferiores; ergo ſe diſpoluerũt perfectiùs ad maiorem gratiam.

Reſp.*Fund.Doct. hic diſt.5.q.2.art.1. §.Sed tunc*

tunc quæremus; neg. conſ; nã diſpoſitio debet eſse in codẽ ordine cũ forma, ad quã diſponit, vt diximus *ar.* 3. Tñ quia maior perfectio naturalis eſſet diſpoſitio ad gratiam, quod ſonat *Pelagianiſmũ*.

20 Reſp. *noſter Gibb.* dona naturalia non moucre ad collationẽ gratiæ, & gloriæ per modum meriti, aut diſpoſitionis proximæ, aut remotæ, neque ſe habere, vt rationem iure connaturali exigentem gratiam, & gloriam, ſed eſse ſolùm rationem congruentiæ, vt Deus liberaliùs ſe gerat erga perfectiores, quã erga minùs perfectos.

Sed contra; nam quomodò *n.* 8. ex eo, quòd Angeli perfectiores intenſiùs dilexerunt Deum in primo inſtanti, concludit: *Ergo eò perfectiùs ſe diſpoſuerunt ad maiorem gratiam*? Si amor intenſior nequit eſſe diſpoſitio proxima, nec remota; vt docet *n.* 14? Poteſtnę forſan diſponi abſque diſpoſitione? 2. Implicat, quòd dona naturalia ſint etiam ratio congruentiæ, cur Deus tribuat maiorem gratiam; ad illam enim omnino diſparatè ſe habent; aliter poſſent dicere *Pelagiani*, quòd per actus naturales poſſemus ſaltem de congruo mereri gratiam; quod non congruit nec doctrinæ Fidei *in Conc. II. Araux. cum Beatiſſ. P. Auguſt. in libris de Præd. SS, et de Dono Perſeu.* ſtatuentis omne initiũ noſtræ iuſtificationis eſse à Deo; nec congruit noſtris, & eorũ principijs in materia de gratia traditis *to.* 2, *& inf. tradendis*.

21 Obijc. 2. Deus condidit homines, & Angelos ad gloriam, ergo congruum erat, vt perfectiores naturas ad maiorem gratiam, & gloriam ordinaret; & ideo vt tribueret Angelis perfectioribus maiorem gratiam. Sicut enim Artifex pretioſiores lapides ad præſtantiorem ædificij partem ordinat; ita Deus in ædificatione *Ieruſalem* cęleſtis perfectiores Angelos in ſublimiori gradu gratiæ, & gloriæ debebat collocare.

Reſp. diſt. ant. Deus condidit homines, & Angelos efficaciter ordinãdo ad gratiam, & gloriam in primo inſtanti creationis, neg; pro inſtantibus ſequentibus, conc. Sicut ergo Deus in primo inſtanti ordinauit ad gloriã homines, & Angelos ſolùm generaliter per voluntatem antecedentem per media generalia, & communia; ita in illo inſtanti tribuit ſolùm auxilia æqualia, quibus generaliter ordinarentur. Sic Artifex cum primò diſponit facere domum, ordinat generaliter omnes lapides, & ideo æqualiter; ac deinde diſponit ſingulos in particulari.

22 Obijc. 3. Angeli perfectiores habebant intellectum, & voluntatem magis fortem, & robuſtam, vt dictum eſt; ergo debebant roborari maiori gratia, vt æqualiter poſſent ſtare, ſicut inferiores; & ideo inæqualem gratiã receperũt.

Reſp; quòd licèt Angeli perfectiores haberent potentias naturales magis robuſtas; attamen quia illæ non inclinabant naturaliter ad malum, ſed ad bonum; erant enim creatæ cum omnimoda ſubiectione ad Deum; ideo ſufficiebat gratia æqualis. Cùm igitur periculum cadendi fuerit ſolùm vrgente tempore tentationis; tunc enim maior gratia requirebatur ad vincendum arbitrium magis forte, ac flectendum in Deum; ideo fuit ſufficiẽs, quòd ſolùm pro eo tunc maior gratia conferretur. Diſt. ergo conſ. Debebant roborati vrgente periculo cadendi, conc; non vrgente periculo; vt in primo inſtanti tentationis, neg; nã tũc nõ erat neceſſitas; quia nullũ erat periculũ.

23 Inſt. Habens fortiores potentias poteſt magis inclinare in Deum; ergo minorem gratiã requirit, quàm habens potentias debiliores.

Reſp; quòd habens fortiores potentias poteſt magis inclinare in Deum; & æquè magis fortiter ſe auertere à Deo; & ideo licèt quatenus poteſt magis fortiter inclinare in Deum, non exigat maiorem gratiam; attamen illam exigit, quatenus magis fortiter poteſt ſe auertere à Deo. Præterea neg. ant; nam inclinatio in Deũ eſt à gratia, ideo maior inclinatio à maiori gratia; inclinatio autem in malum eſt à natura; ideo fortior inclinatio indiget fortiori gratia, ne cadat, propter quod ait *Beatiſſ P. de Corr; & Grat. c.* 11. *Ad malum ſibi ſufficit, ad bonum nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono*.

24 Obijc. 4. Hominibus habentibus minus ingenium, & minora dona naturalia Deus dat maiorem gratiam iuxta illud *Matt.* 11. *Abſcondiſti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*; ergo illa ratio non probat.

Reſp. neg. conſ; ideo enim hominibus habẽtibus imperfectiora naturalia Deus dat maiorem gratiam, quia maiorem habent humilitatem: *Humilibus* enim *Deus dat gratiam*. At verò ſupponitur Angelos fuiſſe in eodẽ gradu humilitatis.

25 Obijc. 5. cont. 2. p. concl. *Beatiſſ. Virgo* eſt inferioris generis, quàm quilibet Angelus; & tamen habuit gratiàm ſuper omnes Angelos; ergo Deus non dat gratiam iuxta perfectionẽ naturæ.

Reſp. *Beatiſſ. Virg.* ratione Maternitatis eleuatam fuiſſe ſuper omnes choros Angelorũ; ideo maiorem gratiam obtinuiſſe. Additur poſſe dari, quòd purus homo maiorem habeat gratiã, quàm aliquis Angelus; quia maiorem habet humilitudinem; fundamentum enim magnitudinis gratiæ eſt profunditas humilitatis. De facto ergo *S. Ioſeph, Apoſtoli, Beatiſſ. P. Aug. & alij Sancti* eximiores habent maiorem gratiã, quàm aliqui Angeli; replent enim Sedes Angelorum perfectiorum primæ hierarchiæ; & ideo gratiã, quàm habuiſſent illi Angeli ſupremi, receperunt, & per cõſequens maiorem gloriã habent, & gratiã habuerunt, quàm Angeli ſecundæ, & tertiæ hierarchię.

26 Obijc. 6. Naturalia impertinenter ſe habent ad gratiam; ergo Deus non contulit gratiã iuxta perfectionem naturalem.

Reſp. diſt. ant. Impertinenter motiuè, conc; occaſionaliter, neg; quamuis enim non mouerint Deum ad dandã gratiam; fuerunt tamen occaſio, cur Deus illã tribuerit. Sicut peccatum *Adæ* fuit occaſio, non motiuum Incarnationis.

QVAE-

QVÆSTIO IX.

De culpa, & pœna Angelorum?

DE conuerſione Angelorum bonorum in Deum per gratiam, eorumque glorificatione egimus *in ſup.q*; ſupereſt; vt agamus de auerſione Angelorũ malorũ à Deo per peccatum, ac de pœnis eorum peccatis à Deo iuſtiſſimè inflictis. Quemadmodum enim gloria reſpõdet gratiæ, tanquã menſuratum menſuræ; quia gloria, quæ eſt merces, menſuratur à gratia, quæ eſt radix meriti; ita poena reſpondet culpæ, tanquã mulcta demerito.

ART. I.

An Angelus potuerit peccare contra legem naturalem, & ſupernaturalem?

1 NOn eſt controuerſia *inter DD*; an potuerint Angeli peccare contra legem ſupernaturalem; de facto enim mali Angeli peccauerunt; & ideo potuerunt peccare; ab actu namque ad potentiam valet conſequentia. Neque *hic* quæritur; an Angeli beati poſſint peccare, & deſiſtere à viſione beata; de hoc enim agemus *in tract. de Beat.* Itaque totum diſſidium eſt; an Angeli, dum erant in *via*, potuerint peccare contra legem naturalem? Antequam tamen hoc reſoluatur, probanda eſt quædam doctrina, quam tradit *Fund. Doct.* ex qua pendet reſolutio *huius articuli.*

§. 1.

An malitia in voluntate ſupponat ignorantiam in intellectu?

2 PRima ſententia vult non eſſe neceſſariũ vllũ defectũ in intellectu ad hoc, vt voluntas deficiat; quanuis hoc, vt plurimùm cõtingat. Ita *Maſtr. hic diſp. 3. q. 2. ar. 2*; vbi refert *Scot.*

3 Secunda ſententia vult peccatum Angeli neceſſariò eſſe ex ignorantia exiſtente in intellectu. *Ita Peſant.* relatus *Naz. & Gonet in hac diſp. 11. art. 4.* Tribuitur etiam *Fund. Doct. in 2. diſt. 5. q. 1. art. 1*; ſed tamen falsò; nam *ibid. §. Via prima* ait: *Et peccauit neſciens, quia non conſiderauit omnia conſideranda. Et §. Nec peccauit,* ſubdit: *Et peccauit neſciens; quia cùm non haberet ſufficientem notitiam de ſupernaturalibus, debuit hoc cogitare, vt non de talibus hoc iudicium daret, quòd per naturalia aſſequeretur ea; ſed eo modo, quo Deus ordinaſſet.* Peccatum autem, quo quis peccat neſciens, vel ignorans, ſumit *Fund. Doct*; prout contradiſtinguitur à peccato ex ignorantia; vt *inf.* patebit.

4 Tertia ſententia docet peccatum neceſſariò ſupponere aliquem defectum in intellectu; qui defectus vel eſt priuatio ſcientiæ habitualis, vel actualis eorum, quæ quis tenetur ſcire; vel falſum iudicium; vel inconſideratio eorum, quæ tenetur conſiderare; & hic vltimus defectus fuit in intellectu Angeli ante peccatum. *Ita Fund. Doct. vbiſ. Argent; D. Tho; Gonet; & ferè omnes Theologi.* Verum tamen eſt; quòd ex hac ignorantia, poteſt oriri, quòd intellectus malè iudicet de obiecto; ex quo ſequatur dari errorem formaliter in intellectu; nam Angeli verè iudicarũt beatitudinem eſſe ſibi poſſibilem per naturam; aliter ipſam non appetijſſent; quia volitio præſupponit conſilium, & iudicium intellectus; *pro cuius deciſ.*

5 Not. *ex Fund. Doct. hic*; quòd peccare eſt deficere à regula bonitatis; vnde docet *Beatiſſ. P. lib. 12. de Ciu. c. 7*; quòd peccatum non habet cauſam efficientem, ſed deficientem. Regula autem bonitatis eſt intellectus, ſeu mens, & ratio, aut lumen rationis; quia regula bonitatis eſt id, quod dirigit ad bonum dirigere autem, ſeu regulare eſt proprium potentiæ videntis; ſic oculi ſagittantis dirigunt ſagittam in ſcopum; cùm ergo ex potentijs rationalibus voluntas indigeat dirigi, & manuduci in bonum; quia ſecundùm ſe eſt potẽtia cæca, de cuius ratione eſt dirigi, regulari, & manuduci; ideo remanet, quòd ſolus intellectus ſit regula bonitatis. Sicut autem duplex eſt intellectus; ſcilicet Diuinus, & creatus; ita communiter dicitur, quòd prima regula bonitatis eſt mens Diuina, ſecunda verò ratio hominis.

6 Ex hoc apparet, quomodò Deus ſit ſimpliciter indefectibilis ex eo, quòd ſit prima regula bonitatis; ex eo namque, quòd mens, ſeu intellectus Dei ſit ſummè ſciens expers omnis defectus ordinis intellectiui, qui defectus generaliter ſumptus eſt ignorantia, ſeu neſcientia; per ſummam enim ſciẽtiam excluditur omnis ignorantia, ſeu neſcientia; ſequitur, quòd eius voluntas, ſeu appetitus intellectualis, qui eſſentialiter ſequitur ad intellectum, & cum intellectu commenſuratur, ſit ſummè bonus, expers omnis defectus ordinis volitiui; qui defectus eſt malitia; quæ vniuerſaliter excluditur per ſummam bonitatem. *Hoc not.*

7 Vnica concl. Tota ratio, ob quam voluntas creaturæ poteſt deficere à bono, eſt, quia intellectus creatus poteſt deficere à vero; quod manifeſtè colligitur. 1. *ex Prou. 14*; vbi dicitur: *Errant, qui operantur malum*; & ex illo Chriſti Domini *Matt. 15. Cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt*; ergo in tantù n voluntas, quæ eſt potentia cæca, labitur in peccatum; in quantùm intellectus cæcus, idèſt deficiens à lumine ſcientiæ, & veritatis, eam ducit, & dirigit in peccatum; vnde nunquam ſola voluntas labitur in peccatũ; ſed etiam intellectus ducens voluntatem labitur in errorem, quia non vnum ſolùm illorum, *ſed ambo in foueam cadũt*. 2. *Beatiſſ. P. lib. 14. de Ciu. c. 3.* in fine loquens de Diabolo peccante ſuper illud *Io. 8. In veritate non ſtetit*, ait: *Vt non de Dei, ſed de ſuo mendacium loqueretur; qui non ſolùm mendax; verumetiam*

men-

mendacij Pater eſt. Primus eſt quippe mentitus, & à quo peccatum, ab illo cepit eſſe mẽdacium. Et c.4. loquens de homine ait: *Cùm verò viuit ſecundũ ſe ipſum, hoceſt ſecundùm hominem, non ſecundùm Deum, profectò ſecundùm mendacium viuit.* Et paulò poſt: *Vnde non fruſtra dici poteſt omne peccatum eſſe mendacium.* Ex quo ſic. Non ſtare in veritate, & mentiri eſt defectus intellectus; ſed qui peccat, non ſtat in veritate, ſed mentitur; ergo qui peccat, deficit in intellectu. *Et lib.11. de Gen. ad lit.c.23. Proinde nec ſui caſus præſcius eſſe potuit, qua ſapientia pietatis eſt fructus. Ille autẽ continuò impius, conſequenter, & mente cæcus, non ex eo, quod acceperat, cecidit &c.* Vbi expreſsè cæcitatem mentis admittit, quæ non potuit eſſe circa naturalia, ſed circa ſupernaturalia. 3. Id etiã experientia ſatis notum eſt; nam quòd pedes labantur in præceps, prouenit ex defectu oculorũ. qui non vident, vel non aduertant ad præcipitia; ergo quòd voluntas labatur in profundum peccati, prouenit ex defectu intellectus, qui non cognoſcit, vel non conſiderat peccati malitiam, & miſeriam. 4. Id etiam cognouit *Phil. 1. Eth. c. 1.* aſſerens; quòd quicunque peccat, vel peccat per ignorantiam; vel peccat ignorãs. 5. Ratio id etiã conuincit; nam quotieſcunque duæ potentiæ sũt ad inuicem ita eſſentialiter colligatæ, vt vna alteram ducat, tunc vna non poteſt ab alia ſe auertere, & aliò tendere; ſed intellectus, & voluntas ſunt huiuſmodi, vt patet; ergo nequit voluntas ſe auertere ab intellectu, & aliò tendere. Atqui ſi voluntas poſſet peccare exiſtente ſcientia boni in intellectu; poſſet ab illo ſe auertere, & aliò tendere; quia intellectus cognoſcens malum ab illo ſe auerteret, & cognoſcens bonum oppoſitum, in illud tenderet; & voluntas hoc non obſtante à bono ſe auerteret, & tenderet in malum; ergo voluntas nequit deficere non deficiente intellectu. Tum quia voluntas, vt communiter arguitur, nequit deficere, niſi tendendo in malum cognitum ſub aliqua ratione boni, quia *nemo aſpiciens ad malum operatur*; ideo namque docet *D Dion.3 de Diuin. Nomin*, quòd *malum eſt præter voluntatem, & præter intentionem*; quia malũ nequit eſſe volitum, aut intentum, ſed cognoſcere malum ſub aliqua ratione boni eſt defectus intellectus; ergo voluntas nequit deficere, niſi ſimul cum illa deficiente intellectu.

8 Defectus autem intellectus, vt ſuperiùs tactum eſt *ex Fund. Doct.*: vel poteſt eſſe *per ignorantiam*, aut *neſcientiam*, vt cùm intellectus nullo modo nec in vniuerſali, nec in particulari cognoſcit talem rem eſſe malam, ſed iudicat eſſe bonam, v.g. cùm iudicat fornicandum eſſe, quia putat fornicationem eſſe bonam, & nullam inuoluere malitiam. Vel poteſt eſſe, quia peccat *ignorans*, aut neſciens; nam licèt in vniuerſali cognoſcat fornicationem eſſe malam; attamen in particulari illam apprehendit, vt bonam, & actu non cogitat, nec conſiderat de malitia; voluntas enim ex eo, quòd alliciatur à re, quatenus eſt delectabilis, præcipit intellectui, vt cogitet ſolùm de delectabilitate, & nõ de malitia; & tũc voluntas adeo accenditur à delectabilitate ſibi propoſita ab intellectu, vt tendat in illam, v.g. quando intellectus cognoſcit fornicationem vniuerſaliter eſſe malam, & eſſe delectabilem maximè in tali ſubiecto, & malitiam, ac delectabilitatem illius repræſentat voluntati; tunc voluntas rapta à delectatione præcipit intellectui, vt ſolùm de illa cogitet, & ſic intellectus deſinens cogitare de malitia dicitur deficere *ignorans*, vel *neſciens*.

9 Contra hanc doctrinam obijcit *Maſtr.* aſſerens, quòd licèt regulariter, & vt plurimùm ad peccatum requiratur defectus in intellectu, id tamen non eſſe neceſſarium ſimpliciter, quia poteſt dari peccatum cum ſcientia pleniſſima in intellectu. 1. Datur peccatum nedum ex ignorantia, & inaduertentia, ſed etiam ex malitia; peccatum enim, vt videre eſt *apud Fund. Doct. in 2. diſt.43.q.2.art.1.§. Nam ſecundùm*, vel eſt ex infirmitate, ſeu ex paſſione, vt dicunt *Philoſophi*; quia paſſiones rebelles poſt peccatum originale infirmant voluntatem; vel ex ignorantia; vel ex certa malitia; ſed peccatum ex malitia eſt cũ plena ſcientia, & aduertentia omnium, quæ aduerti debent; quapropter dicitur *de induſtria, vt Iob. 34. Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo*; in hoc enim diſtinguitur à peccato ex ignorantia; ergo poteſt eſſe defectus in voluntate ſine defectu in intellectu. 2. Homo aliquando peccat cum remorſu conſcientiæ timens damnationem, aduertens pœnam æternam debitam eſſe illi peccato, vt patet de illo adoleſcente, qui flens diſceſſit à Chriſto, nec tamen voluit diuitias relinquere; ergo cum plena ſcientia in intellectu poteſt eſſe error in voluntate. 3. Non obſtante plena, & perfecta cognitione adhuc voluntas eſt libera ad committendum, vel omittendum peccatum, non enim cogitur ab illa cognitione; ergo adhuc ſine defectu in intellectu poteſt eſſe defectus in voluntate. 4. Adhoc, vt amor Dei liberè eliciatur à voluntate creata, nullus præcequiritur defectus in intellectu; aliter ad omnes actus perfectiſſimos voluntatis prærequireretur defectus in intellectu; ergo neque ad omiſſionẽ talis actus vrgente præcepto; quia eadem principia, quæ ſufficiunt ad hoc, vt amor Dei liberè eliciatur, ſufficiunt etiam, vt liberè omittatur; & ideo ſaltem ad omiſſionem peccaminoſam non prærequiritur defectus in intellectu. 5. Poteſt intellectus proponere voluntati adulterium, quatenus malum honeſtum, & quatenus bonum delectabile, tunc autem nullus eſt defectus in intellectu, quia adulterium verè eſt malum honeſtũ, & verè eſt bonum delectabile; ſed voluntas tunc poteſt eligere adulterium, quatenus bonum delectabile; ergo tunc eſt peccatum in voluntate ſine defectu in intellectu. 6. Ex duobus bonis æqualiter propoſitis voluntati poteſt voluntas

libe-

liberè conſentire vni, non alteri, vt docet *Beatiſſ.P. lib.* 12. *de Ciu. c.* 6. de duobus hominibus eodem modo affectis animo,& corpore eandem pulchritudinem intuentibus,quorum vnus conſentit,& alter non; imò poteſt voluntas conſentire minori bono minùs efficaciter propoſito ab intellectu relicto maiori bono ſimul magis efficaciter propoſito,aliter lęderetur libertas; ergo non requiritur defectus in intellectu. Tandem volũtas Dei poteſt eligere minus bonum relicto maiori; de facto enim non produxit creaturas perfectiores;ergo à pari.

10 Reſp.ad 1. *ex Fund. Doct. in* 2. *diſt.* 24. *q.*2.*art.*2.diſt.mi. Peccatum ex malitia eſt cum plena ſcientia,& aduertentia in vniuerſali,conc; in particulari, neg: peccans enim ſyllogizat in quatuor terminis ſic. *Inordinatum eſt fugiendum, & delectabile eſt proſequendum; ſed fornicatio eſt delectabilis:ergo eſt proſequenda*,tunc enim relinquit vnã partẽ minoris,qua dici debet: *Fornicatio eſt inordinata*, & aſſumit ſolũ delectabilitatẽ, vnde peccatum ex malitia diſtinguitur à peccato ex ignorantia; quòd peccatum ex ignorantia eſt cum neſcientia in vniuerſali,& in particulari; peccatum verò ex malitia eſt cum cognitione tantùm in vniuerſali,nõ in particulari; quia cùm peccat,aduertit ſolùm ad delectabilitatem, non ad malitiã;vnde peccans ex malitia dicitur ſciẽs, & ignorans; idèſt ſciens in vniuerſali, non cogitãs in particulari;quapropter dicitur 3. *Eth.c.* 1. *Omnis peccans ignorans;& D.Dion. Omne malum eſt præter voluntatem.* Ad 2. dicitur eodem modo,quòd remorſus conſcientiæ,timor damnationis, & iudicium de illo peccato non faciendo proueniunt ex cognitione, quam habet homo de peccato in vniuerſali; ceterũ circa illud peccatum particulare,cùm peccat, non cogitat,niſi delectabilitatem, propter quam iudicat illud eſſe faciendum;ſi enim hoc non iudicaret, non faceret. Ad 3.diſt.ant. Eſt libera ad omittendum abſq; aliqua cognitione omiſſionis præuia, neg. ſic enim voluntas tenderet in incognitum, quod implicat. Eſt libera ad omittendum, quia poteſt præcipere intellectui, vt cogitet de conuenientia,& bonitate omiſſionis,conc. Nec per hoc vlla eſt coactio,aliter nulla eſſet libertas in voluntate,quia neceſſariò ad omnem actionem voluntatis debet præſupponi cognitio. Ad 4.neg.conſ. Ad prob.inſert.diſt. Sufficiunt eadem principia ad eliciendum actum amoris Dei,ac ad omittendum eodem modo, neg; nam ad eliciendum requiritur principium efficiens; & ad omittendum principium deficiens,vt ſupra dictum eſt; vnde ſicuti ad eliciendum actum bonum requiruntur principia perfecta, quia actus bonus perfectus eſt;ita ad omittendum actum bonum requiruntur principia deficientia;& ideo ſicuti eſt malitia in voluntate,ita defectus in intellectu; iſtæ enim duæ potẽtiæ ſunt principia cõcurrentia ad actus intellectuales bonos,& malos. Ad 5.diſt.ma. Poteſt intellectus proponere voluntati adulteriũ, quatenus malum honeſtum inferens pœnam infinitam, & quatenus bonum habens delectabilitatem momentaneam,& tunc nullus eſt defectus in intellectu,conc; ſed in hoc ſenſu neg.mi; nam voluntas magis retrahitur à pena infinita, quàm attrahatur à delectabilitate momentanea;fortius enim obiectum fortiùs agit in potentiam; & potentia in id potiùs tẽdit. Poteſt proponere adulterium, quatenus malum præſcindens à pena infinita, & tunc nullus eſt defectus in intellectu, neg; nam intellectus deficit in repræſentando malitiam eo modo,quo debet repræſentari,& in hoc ſenſu omittitur mi; quæ in rigore falſa eſt, nec per hoc læditur libertas, vt mox dicemus. Ad 6.neg.ant. *Ad Beatiſſ.P.* dicitur, quòd quærẽs cauſam ſolam voluntatis malæ loquitur de vno, & eodem obiecto reſpectu duarum voluntatum; non autem de duobus bonis æqualibus,vel inæqualibus reſpectu vnius, & eiuſdem voluntatis, vt procedit obiectio. Idem ergo obiectũ poteſt appeti peccaminosè ab vna voluntate, quia voluntas,quæ ex nihilo eſt,poteſt deficere,vt docet *ibid*, & ab altera æquali quidem affectione naturali corporis,& animi prædita, ſed adiuta per gratiam,vt docet *ibid.c.*9. de Angelis bonis, qui producti fuerant cum æquali gratia,& æqualiter tentati ſteterunt, quia fuerunt ampliùs adiuti,in hoc autem nulla eſt repugnantia. At verò quòd eadem voluntas tẽdat in bonum æqualiter propoſitum,vel in minùs bonum, repugnat eius naturæ; quæ,cùm eſſentialiter ſit cæca, & habeat ſequi ductum intellectus, ideo non poteſt tendere,niſi in illud bonum,quod proponitur ſequendum ab intellectu; intellectus autem proponens duo bona æqualia neutrum ex illis determinatè cõſulit eſſe ſequendũ;& ideo volũtas nullum determinatè ſequeretur; bonum autem minus non proponitur, vt ſequendum præ maiori bono; quia prout minus,habet rationem defectus;deficit enim à maiori;& prout defectus, eſt malum; quod nequit ſequi voluntas. Nec per hoc læditur libertas,quia voluntas liberè poteſt precipere intellectui, vt ſibi proponat vnum tantùm; & hoc,non illud; & ſic in illud tendere. *Sed de hoc ſuo loco*; & per hoc patet ad vlt. Ad illud, quòd Deus non produxerit creaturas perfectiores, dicitur; quòd voluntas Dei non mouetur à bonitate creata,quæ eſt obiectum ſecundarium; ſed à bonitate Diuina;& ſicut voluntas Diuina nequit non tendere in bonitatem Diuinam,quia infinita bonitas eſt maior omni bonitate creata;ita voluntas creata nequit tendere in minùs bonum relicto maiori,quod intenſiùs illam ſpecificat,& allicit.

11 Obijc.2. *Gonet.* Angelus à principio ſuæ creationis habuit ſcientiam omnium rerum naturalium,& reuelationem, ac fidem omnium rerum ſupernaturalium; in hoc enim intellectus Angeli,qui eſt actu intellectualis,diſtinguitur ab in-

intellectu hominis,qui eſt potentialis ; ille enim exigit ſcientiam habitualem omnium rerum naturalium,& reuelationem omnium ſupernaturalium ſpectantium ad Fidem ; inrellectus autem hominis naſcitur,tanquam tabula raſa,& ideo vt mera potentia ; ergo non potuit ex ignorantia primùm peccare ; ignorantia enim non eſt compatibilis cum ſcientia , & Fide eiuſdem obiecti . 2. Falſa opinio , aut error eſt quædam operatio defectiua intellectus; ſicut partus mōſtruoſus eſt quædam operatio defectiua naturæ ; ſed operatio defectiua intellectus procedit ex defectu alicuius principij;ſicut partus monſtruoſus ex defectu ſeminis; ergo falſa opinio,aut error non potuit eſſe in intellectu Angeli,qui habuit perfectā ſcientiam circa principia. 3.Duobus tātùm modis poteſt intellectus Angeli errare , vel hæreticè iudicando falſa eſſe, quæ Deus reuelauit ; vel iudicando de illis aliquid , quod non reuelauit Deus, nec per euidentem conſequentiam deducitur ? Non primum ; quia ſicut actus credendi præſupponit piam affectionem voluntatis;ita error hæreticalis præſupponit malam voluntatē ; & ſic ante illud iudiciū hæreticale daretur peccatum in Angelo. Nec ſecundum ; quia daretur temeritas in voluntate applicante intellectum ad iudicandum aliquod de obiecto ſuperexcedente ſine ſufficienti fundamento ; ergo nullo modo poteſt præcedere error in inrellectu.4.Sēſus non decipitur per ſe erga proprium ſenſibile,ſed tantùm per accidens;ergo à pari de intellectu;qui non decipitur,niſi propter paſſionem , quæ illum obſcurat; ſed in Angelis nulla eſt paſſio;ergo nullus error.5.Error intellectus eſt malum pœnæ naturæ intellectualis;quapropter docet *Beatiſſ.P.lib.3.de lib.arb.c.24. Approbare vera pro falſis nō eſt natura inſtituti hominis,ſed pœna damnati* ; ergo in ſtatu innocentiæ nullus fuit error in intellectu Angeli.

Reſp.ad 1.diſt.2. part. ant. Habuit reuelationem,& Fidem omnium rerum ſupernaturaliū quoad rem;conc;quoad modum,neg;ſicque Angelus non peccauit appetendo res malas;beatitudo enim,quam appetijt, eſt bona;ſed peccauit tantùm quoad modum ; ſcilicet appetendo beatitudinem per naturam, non per gratiam . Ad 2. neg. mi; nam operatio defectiua intellectus poteſt eſſe nedum ex defectu alicuius principij,ſed etiam ex defectu modi inferēdi aliquid ex principio . Vel diſt. ma. Error ſpeculatiuus circa res ſpeculabiles, conc; error practicus circa modum conſequendi ipſas res,neg. Ad 3. dicitur ſecundum.Ad improb.reſp.temeritatem eſſe tantùm de eo,quod clarè ſcitur,non autem de eo, quod ignoratur.Ad 4.neg.conſ; ſenſibile enim eſt obiectum proportionatum ſenſui ; ſupernaturale autem eſt obiectum excedens naturam intellectus,qui propterea poteſt circa illud decipi . Ad 5. dicitur , quòd approbare vera naturalia pro falſis eſt malum pœnæ; non autem approbare vera ſupernaturalia.Vel ad hæc omnia dicitur *cum eodem Gonet ad* 1;quòd fuit error virtualis, non formalis;& ſic cum eius doctrina ſoluuntur eius fundamenta .

12 Obijc. 3. Inconſideratio eſt malum pœnæ; ergo in Angelis nō potuit præcedere primū peccatum; quia pœna nequit eſſe anre culpam ; & ideo primum peccatum fuit ſine inconſideratione in intellectu. 2. Peccatum Angelorum *iuxta SS.PP.* fuit ex malitia ; ac propterea non Angelus,ſed homo, qui peccauit ex infirmitate, ad pœnitentiam fuit ad miſſus ; ergo peccatum Angelorum non præſupponit ignorantiam;quia peccatum ex malitia eſt cum ſcientia . 3. Si primum peccatum Angelorum fuiſſet ex inconſideratione , aut iudicio inconſiderato, illa inconſideratio,ſeu iudicium inconſideratum fuiſſet malum ; ſed non fuiſſet malum per actum voluntatis ſubſequētē,quem regulauit ; quia ille eſt poſterior,& effectus ipſius inconſiderationis; ergo per actum voluntatis antecedentem ; qui propterea non habuiſſet errorem præcedentem in intellectu;aliter abitetur in infinitum .

Reſp. ad 1. neg. ant; cùm enim intellectus Angeli non ſit omnis actus , quia non eſt ſuus actus,ſicut eſt intellectus Dei;ideo non conſiderare actu aliquod obiectum eſt defectus naturæ , non malum pœnæ . Ad 2.iam dictum eſt ad 1. *Maſtr.* Ad 3.neg. ma; illa enim inconſideratio , prout præcisè ſpectat ad intellectum,eſt falſa, & erronea;non autem mala;quia malitia ſpectat ad voluntatem;ſicut falſitas,& error ad intellectum; non fuiſſet ergo mala , niſi per ſubſequentem actum fuiſſet volita à voluntate;poteſt enim voluntas velle ipſam cognitionem antecedentem , eamque amare ; ex quo redditur mala illa cognitio .

§. 2.

Reſoluitur Articulus.

13 LEx naturæ præcipit amorem Dei, tanquam Auctoris totius naturæ ; amorem ſui ipſius ; & aliorum à ſe ; vt enim diximus *q. 7*; Angeli naturaliter amant Deum ; ſe ipſos,& alios Angelos,ac alia ab ipſis;& colligitur *Matt.22*; vbi Legiſdoctori tētanti Chriſtū Dominum: *Magiſter,quod eſt mandatum magnū in lege?* Reſpondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& in tota anima tua,& in tota mente tua.Hoc eſt maximum, & primum mandatum.Secundum autem ſimile eſt huic : Diliges proximum tuum,ſicut te ipſum.In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet.* Lex autem ſupernaturalis prohibet odiſſe etiā inimicum, & cetera omnia,quæ habentur *Matt.5*; & alibi *In Euangelijs & in Lege ſcripta.* Quærere igitur;an Angeli poſſint peccare contra legem naturæ eſt quærere ; an potuerint non amare Deum, ſe ipſos,& alios Angelos,ac alia bona honeſta naturalia?

14 Prima ſententia vult Angelum potuiſſe peccare contra legem naturalem præcisè . *Ita*

Scot.

Scot.in 2.diſt.23;Sua.lib.3.de Angelis c.7;Ledeſm; Mol;Vaſq;Gran, Arrub; quibus ſubſcribunt noſtri Bernardin,& Gibb.hic diſp.26.dub.1.

15 Secunda ſententia docet Angelum non potuiſſe peccare contra legem naturæ. *Ita Fund. Doct.in 2.diſt.5.q.1.art.2. §. Sciendum ergo*; vbi ait: *Dicemus ergo, quòd Angelus contra naturalia, & ad cognoſcendas ſpecies, & naturas rerum non poterat deficere, habebat ſe enim ad cognitionem talium quaſi in actu; vt cùm conuerteret ſe ſuper ſpeciem aliquam, poſſet per illam ſpeciem cognoſcere, quacunque pertinent ad naturam illam; nec in talibus poterat Angelus deficere, quòd appetitum naturalem haberet inordinatum; quia appetitum naturalem ad ea, quæ naturalia ſunt, dum erat in ſtatu innocentiæ, ſic habebat ordinatum, vt in hoc non deficeret, tamen ad ea, quæ ſupernaturalia sũt, deficere poterat, & maximè cùm in eo eſſet aliquid, vnde poſſet habere ortum talis defectus.* Et paulò poſt explicãs, quid ſit hoc aliquid, ex quo poſſet oriri peccatum Angeli contra præcepta ſupernaturalia, ait: *Peccauit neſciens; quia non cõſiderauit omnia conſideranda.* Hanc ſententiam ſequitur *Capr.in 2. diſt.22. q.1. art.3; Ferrar.3. cont.Gent.c.109; Dur.in 2.diſt.5.q.1. n.16; Caiet; Ban, Zum; Naz; Salm.hic diſp.9.dub.2; & alij ferè communiter, pro cuius deciſ.*

16 Vnica concl. Angelus potuit peccare contra legem ſupernaturalem; non tamen contra legem naturæ.

Prima pars concl. patet; nàm Angelus de facto peccauit appetendo ſimilitudinem Altiſſimi iuxta illud *Iſaia 14. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero Altiſſimo*; ergo potuit peccare; ab actu enim ad potentiam valet conſequentia; nam ſi id, quod actu eſt, non potuiſſet eſſe, nunquam actu eſſet; quia actu eſſe eſt per potentiam ad eſſe. Tum quia intellectus Angeli potuit deficere circa res ſupernaturales; non enim fuit creatus clarè videns Deum; quia non fuit creatus beatus; vt dictum eſt *in ſup. q*; ergo & eius voluntas potuit deficere circa præcepta ſupernaturalia; nam defectum intellectus ſequitur defectus voluntatis. Tum quia ſi non potuiſſet peccare circa res ſupernaturales, multò minùs circa res naturales; ergo fuiſſet ſimpliciter impeccabilis; ſed implicat creaturã ſimpliciter impeccabilem peccare; ergo Angelus non peccaſſet; & ſic nullus Angelus cecidiſſet; nam caſus Angelorum eſt peccatum; nullum autem Angelum cecidiſſe eſt contra Fidem; habetur enim de Lucifero *Iſaia 14. Quomodò cecidiſti Lucifer*?

17 Aliam rationem afferunt *Recẽtiores*, quæ traditur etiam *à Fund.Doct.hic §. Viſo quomodò ſic.* In tantùm Deus non poteſt peccare, in quantùm eſt prima regula bonitatis; ſed Angelus non eſt prima regula bonitatis; ergo poteſt peccare. Sed hæc ratio, niſi meliùs explicetur, non probat; nam Beati non ſunt prima regula bonitatis, & tamen nequeunt peccare; formatur igitur ſic. In tantùm Deus nequit peccare; in quantùm eſt prima regula bonitatis; ex eo nanque, quòd ſit prima regula, ſequitur, quòd non poſſit auerti à bono; aliter auerteretur à ſe ipſo; ſed Angelus non eſt prima regula; & in ſtatu viæ tenebatur ſequi primam regulam; ad quam nõ erat incommutabiliter conuerſus, ergo Angelus in ſtatu viæ poterat peccare.

18 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ.P.lib.12.de Ciu.c.6; & 7.* Ratio, quare creatura ſit abſolutè peccabilis, eſt, quia facta eſt ex nihilo; & ideo naturaliter tẽdit in nihilũ; ex quo ſequitur, quòd ſit defectibilis; ſed Angelus eo ipſo, quòd eſt creatus, nequit naturaliter tẽdere in nihilũ, & deficere ab eſſe, quod accepit à Deo; quia per ſolã potentiam Dei abſolutam poteſt deſtrui; ergo nequit deficere ab ordine naturali; ſed per ordinẽ naturalem dirigitur in finem naturalem; ergo nequit deficere à fine naturali; & ideo nequit peccare contra legem naturæ, per quam ordinatur in finem naturalem.

19 Prob 2. *ex Fũd.Doct.* Non poterat in ſtatu viæ eſſe defectus in intellectu Angeli circa res naturales, quia habebat perfectam, & plenam ſcientiam omnium rerum naturalium; ergo neque in voluntate; ſed peccare contra legem naturalem eſt habere defectum in voluntate circa res naturales; ergo non poterat peccare contra legem naturalem. Hoc totum patet ex dictis.

20 Conf. 1. *ex Fund.Doct.* Quamuis voluntas in ſtatu peccati ſit rebellis rationi, quæ eſt ſua regula ſecundaria; Deus enim indidit naturæ intellectuali lumen rationis, quod eſt quædam regula actionum moralium; à qua regula rebellauit voluntas per peccatum originale, quo deordinatæ ſunt omnes potentię; attamen in ſtatu innocentiæ ita erat ſubordinata rationi, vt naturaliter ſequeretur dictamen illius; ergo non poterat peccare contra legem naturæ; hoc enim eſt facere contra dictamen naturale rationis.

21 Conf. 2. Ideo Deus eſt ſimpliciter impeccabilis, quia habet cognitionem perfectiſſimã omnium naturalium, & ſupernaturalium; & ideo Beati nequeunt peccare contra legem ſupernaturalem, quia per viſionem beatam perfectè, & clarè cognoſcunt omnia ſupernaturalia; ergo à pari Angeli non poterant peccare contra legem naturæ, quia habebant perfectam cognitionem omnium rerum naturalium.

22 Prob. 3. Illud poteſt peccare contra legẽ naturæ, quod poteſt deſiſtere ab amore Dei, ſui ipſius, & aliorum à ſe; & poteſt Deum odiſſe, ſe ipſum, & alia à ſe, amor enim, & odium eiuſdem rei ſunt incompoſſibilia; ſed Angelus in ſtatu innocentiæ non potuit deſiſtere ab amore Dei, ſui ipſius, & aliorum à ſe, ergo non potuit peccare contra legem naturæ. Ma. patet ex dictis *n.2.* Prob. mi. Angelus neceſſariò amat Deum, vt Auctorem naturæ, ſe ipſum, & alia à ſe in generali; vt diximus *q.5.art.1, 2; & 3*; ſed ab actibus ne-

ceſſarijs non poſſumus deſiſtere; quia actus neceſſarij non poſſunt non eſſe; deſiſtentia enim ab eſſe contingentiam importat; ergo Angelus in ſtatu innocentiæ non potuit deſiſtere ab amore Dei, ſui ipſius, & aliorum à ſe ſaltem in generali.

23 Conf. In naturalibus nequit eſſe peccatum, nec meritum; quia *in naturalibus neque meremur, neque demeremur*; ſed obſeruantia præceptorum naturæ naturalis eſt Angelo; quia ei naturalis eſt amor Dei, vt Auctoris naturæ, ſui ipſius, & aliorum à ſe; vt probatum eſt *loc.cit*; ergo in obſeruantia præceptorum naturæ nequit eſſe peccatum Angeli; & ideo nequit peccare contra legem naturæ.

24 Obijc. 1. *noſter Gibb. Beatiſſ.P. lib.3. cont. Maximin.c.12.* ait: *Solus Deus habet immortalitatem; qui non cuiuſquam gratia, ſed natura ſua nec potuit, nec poterit peccare aliqua mutatione*; ergo Angeli poſſunt peccare contra legem naturæ; aliter non ſolus Deus eſſet impeccabilis.

Reſp. retorq. arg; ſi enim Deus nequit peccare, quia ſimpliciter eſt immutabilis; ergo Angelus, qui in naturalibus eſt immutabilis, eſt impeccabilis contra legem naturæ. Dicitur ergo ſolus Deus ſimpliciter impeccabilis contra legē naturalem, & ſupernaturalem; quia eſt immutabilis ſimpliciter. At verò Angelus, quia eſt mutabilis, & vertibilis ſolùm in ſupernaturalibus; non verò in naturalibus; ideo ſolùm contra legē ſupernaturalem poteſt peccare, non contra naturalem.

25 Inſt. *Gibb.* Ex eo, quòd Angeli ſecundùm curſum naturæ non poſſint corrumpi, ſufficit, vt dicantur abſolutè incorruptibiles; ergo, vt abſolutè dicantur impeccabiles, ſufficit, quòd nō poſſint peccare ſecundùm curſum naturæ; ſed *à SS. PP.* non dicuntur impeccabiles; ergo poſſunt peccare contra legem naturæ.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt; quia aliud eſt eſſe contra legem ſupernaturalem; & aliud eſſe de potentia Dei abſoluta; nam peccatum eſt contra legem ſupernaturalem; & tamen non eſt de potentia Dei abſoluta; cùm potentia Dei non extendatur ad peccatum. Tum quia eſſe de potentia Dei abſoluta non eſt eſſe contra legem Dei naturalem, ſed ſolùm ſuper legem, & ordinem Vniuerſi; peccatum autem non eſt ſuper ordinem Vniuerſi, cùm etiam ipſum ſit ordinatum. Igitur cùm natura creata, prout in via, poſſit naturaliter deficere à regula bonitatis dirigente in finem ſupernaturalem per præcepta ſupernaturalia; nam ad deficiendum ſufficit ipſa natura creata; & de facto ſecundùm hunc ordinem, quo Deus conſtituit naturam intellectualem creatam *in manu conſilij ſui*, ſæpiſſimè deficiat; ideo natura intellectualis creata abſolutè eſt peccabilis, non impeccabilis. At verò natura Angelica, cùm ſecundùm ſe ipſam non habeat principia intrinſeca ſuę corruptionis naturalis; ideo vocatur abſolutè incorruptibilis; quanuis per potentiam Dei abſolutam poſſit annihilari. *Vid. q. 1. art. 4.*

26 Obijc. 2 *idem.* Natura Angelica non habet volūtatem indefectibilem circa finem naturalem; ergo poteſt peccare contra legem naturæ. Prob. ant. In tantùm Deus eſt ſimpliciter indefectibilis, in quantùm eſt ſimpliciter prima regula bonitatis; vt *ſup.* dictum eſt; ſed voluntas Angeli non eſt prima regula ſuarum operationum circa finem naturalem; ergo non eſt indefectibilis circa finem naturalem.

Reſp. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd prima regula ſimpliciter bonitatis eſt mens, ſeu intellectus Dei, cuius propriū eſt dirigere, & regulare, quod cōpetit ſolùm potentiæ videnti; non autē eſt voluntas Dei, cuius proprium eſt dirigi, & regulari ab intellectu. Sicut ergo intellectus Dei eſt prima regula ſimpliciter omnis bonitatis; ita intellectus creaturæ eſt prima regula in genere creato omnium operationum ipſius creaturæ; quia inter ea, quæ ſunt in creatura, eſt primum regulans, & dirigens actiones ipſius creaturæ; quanuis enim eſſe primum ſimpliciter in omni genere competat ſoli Deo, & repugnet creaturę; attamen eſſe primum in aliquo genere determinato non repugnat creaturæ; ſicut eſſe primum in genere calidorum competit igni; primum in genere lucidorum competit Soli &c; ergo ſicuti ex eo, quòd intellectus Dei ſit prima regula ſimpliciter omnis bonitatis, Deus eſt ſimpliciter impeccabilis; ita ex eo, quòd intellectus Angelicus ſit primus in genere creato naturæ intellectualis, ei competit eſſe primam regulam in genere naturæ intellectualis, & ideo naturaliter competit Angelo eſſe impeccabilem contra finem naturalem. Præterea ſicuti ex eo, quòd Deus ſit primum ens, menſura, & regula omnium entium, eſt ſimpliciter indefectibilis ſecundùm eſſe; non valet: Ergo Angelus, qui non eſt primum ens, menſura, & regula omnium entium naturalium, non eſt naturaliter indefectibilis; ita à pari. Præterea quanuis eſſe primam regulam ſimpliciter omnis bonitatis arguat impeccabilitatem ſimpliciter; attamen ad arguendam impeccabilitatem ſecundùm quid non requiritur eſſe primam regulam bonitatis ſimpliciter; nam beati ſunt impeccabiles ſecundùm quid, & tamen non ſunt prima regula bonitatis ſimpliciter; vt dictum eſt; & ſic ſoluitur hæc aperta æquiuocatio.

27 Inſt. Quotieſcunque aliqua operatio non eſt ſua regula, ſed regulatur ab aliqua regula ſuperiori; vel non eſt ab intrinſeco determinata ad ſe conformandū ſuæ regulæ, tūc poteſt eſſe difformis à ſua regula; ſed operatio Angeli circa bona honeſta naturalia non eſt ſua regula, neque eſt ab intrinſeco determinata ad conformandum ſe ſuæ regulæ; ergo poteſt eſſe illi difformis; & ideo peccaminoſa. Ma. patet; ideo enim operatio Dei eſt conformis ſuæ regulæ, quia eſt idem cū illa; & ideo operatio beatorum nequit eſſe difformis, quia eſt ab intrinſeco determinata per lu-

lumen glorię ad conformandum ſe Deo. Prob. 2. pars mi. Operatio Angeli circa bonum honeſtum naturale eſt libera, etiam quoad ſpecificationem; quia poteſt proponi Angelo aliquod bonum honeſtum etiam præceptum cum indifferentia; poteſt enim proponi, vt impeditiuum alicuius boni vtilis, aut delectabilis; ergo operatio Angeli non eſt ab intrinſeco determinata ad conformandum ſe ſuæ regulæ.

Reſp. neg. 2. partem mi. Ad prob. neg. ant; & ad id, quod additur, dicitur, quòd, cùm Angelus clariſſimè videat omnia bona honeſta naturalia, perfectè cognoſcit illud bonum vtile, aut delectabile non eſſe bonum reale, ſed apparens; & ideo determinatè fertur in bonum honeſtum. Præterea neg; quòd vnum bonum honeſtum cōtrarietur alteri bono; nam contrarium boni eſt malum; bonum autem cōuenit cum bono; & ideo ei non opponitur.

28 Repl. Quamuis Angelus non poſſit liberè deſiſtere à cognitione aliorum à ſe in generali, vt *ſup.* dictum eſt; attamen poteſt liberè deſiſtere à cognitione aliorum à ſe in particulari; nō enim ſemper actu cognoſcit omnia particularia; ergo ſaltem circa bona honeſta particularia poterit peccare, quia liberè circa illa ſe habet.

Reſp; quòd licèt voluntas Angeli ſit libera ad actu tendendum ad hoc, vel illud bonum honeſtum particulare libertate contrarietatis; non tamen eſt libera libertate ſpecificationis; quia, ſuppoſito, quòd velit tendere, non poteſt tendere in malum, ſed neceſſariò tendit in bonum honeſtum; tendere enim in malum honeſtum oppoſitum bono naturali honeſto, eſt defectus libertatis naturalis, qui repugnat perfectioni naturæ Angelicæ; vnde licèt voluntas Angeli poſſit liberè tendere in hoc, vel illud bonum particulare; non tamen poteſt tendere in malum; & ideo neceſſitate ſpecificationis neceſſitatur. Neg. igitur conſ; & ad prob. diſt. Liberè ſe habet libertate ſpecificationis, neg; libertate contrarietatis, & exercitij, conc.

29 Dices. Voluntas Angeli circa bona ſupernaturalia libera fuit libertate ſpecificationis; ergo & circa bona naturalia.

Reſp. neg. conſ. nam circa bona ſupernaturalia poterat eſſe defectus in intellectu; nō enim habebat intellectionem claram, & intuitiuam illorum, ſed obſcuram per Fidem; & ideo poterat ſubrepere dubium, & error in intellectu; at verò circa bona naturalia nullus defectus poteſt eſſe in intellectu Angeli; quia clarè, & intuitiuè illa cognoſcit. Sicuti beati non poſſunt peccare circa bona ſupernaturalia; quia clarè, & intuitiuè ea vident in Diuina eſſentia; viator autem, qui illa cognoſcit obſcurè per Fidē, poteſt peccare; ita à pari.

30 Obijc. 3. Dœmones de facto peccant cōtra præcepta naturalia odio habendo Deum, & homines, & Angelos beatos; ergo Angeli poſſūt peccare contra legem naturæ.

Reſp. 1. neg. conſ; voluntas enim in Dœmonibus propter peccatum rebellauit à ratione, quæ eſt regula bonitatis; & ideo poteſt contra illam operari; at verò in ſtatu innocentiæ voluntas ita erat ſubordinata rectæ rationi, vt illam naturaliter ſequeretur proſequendo bona naturalia clarè cognita; ſicut enim in *Adam* per peccatum sēſus rebellauerunt à voluntate, & voluntas à ratione; ita in Angelo, in quo non eſt ſenſus, voluntas rebellauit à ratione. 2. diſt. ant. Odio habēdo Deum, homines, & Angelos actu electiuo, quatenus priuantur bonis ſupernaturalibus, quibus potiuntur Angeli, & homines, conc; actu naturali, neg. Reſpondent *alij* peccaſſe indirectè contra legem naturæ, quatenus peccauerunt contra legem ſupernaturalem; cum qua eſt connexa lex naturæ; non aut directè, & immediatè.

31 Inſt. *Gibb.* Solùm ſummum bonum clarè viſum neceſſitat voluntatem quoad exercitium; ergo Angeli neceſſariò non amant bona naturalia. Tum quia ſi Angelus eſſet naturaliter determinatus ad amandum Deum, tanquam finem naturalem, ſequeretur, quòd etiam eleuatus ad finē ſupernaturalem maneret cum eadem determinatione; gratia enim perficit, non deſtruit naturam; ſicuti quia naturaliter intelligit res naturales ſine diſcurſu; ita ſupernaturaliter intelligit res ſupernaturales ſine diſcurſu; ergo nūquam potuiſſet peccare circa obiecta naturalia.

Reſp; quòd ſicuti ſummum bonum clarè viſum neceſſitat voluntatem quoad exercitium ad amandum obiectūm ſupernaturale; ita bonum honeſtum naturale clarè viſum neceſſitat voluntatem quoad exercitium ad illud amandum. Igitur neg. ant; Angelus enim neceſſariò amat ſe ipſum, & tamen ipſe non eſt ſummum bonum. Ad 2. diſt. ſeq. Maneret in eadem determinatione ad amandum bonum naturale, conc; ſupernaturale, neg. Vel dicitur, quòd licèt Angelus per gratiam non amiſerit determinationem naturalē ad bonum naturale; per peccatum tamen, per quod ſubuerſa eſt natura, & ſublata eſt recta ordinatio naturalis potentiarum, amiſit determinationem naturalem ad bonum naturale; illa enim ordinatio naturalis, qua voluntas ſubdebatur rectæ rationi, erat effectus iuſtitiæ originalis, qua amiſſa pariter ſublata eſt.

32 Dices. Naturalia in Dœmonibus remāſerunt integra; ergo illa ordinatio naturalis non eſt ſublata per peccatum.

Reſp. diſt. ant. Naturalia, quæ ſunt effectus creationis, vt v.g. intellectus, & voluntas, eorumque habitus infuſi, conc; quæ ſunt effectus iuſtitiæ originalis, vt ſubordinatio voluntatis ad intellectum erga bona naturalia, neg; nam ſublata cauſa auferitur effectus.

33 Obijc. 4. *idem.* Amor naturalis Dei eſt incompoſſibilis cum trāſgreſſione præcepti ſupernaturalis; quia includit propoſitum efficax adimplen-

plendi omnia præcepta, & euitandi quālibet offenſam Dei; ergo amor naturalis redderet Angelum impeccabilem, etiam contra legem ſupernaturalem. 2. Ideo Dœmones odio habent Deum, vt finem ſupernaturalem, quia poſſunt priuati donis ſupernaturalibus; ſed etiam poſſunt priuari donis naturalibus, & aliquo ſupplicio torqueri; ergo eadem ratione poſſunt naturaliter odiſſe Deum, vt finem naturalem. 2. Angeli peccauerũt non ſe ſubijciendo voluntati Dei; ſed non ſe ſubijcere voluntati Dei eſt contra legem naturæ; ergo peccauerunt contra legem naturæ.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad prob. inſert. diſt. Includit propoſitum efficax adimpleudi præcepta naturalia, & euitandi offcuſam factam contra Deum, vt Auctorem naturalem, tranſeat; amor enim naturalis, quia eſt neceſſarius, non eſt amor à propoſito, ſed à natura; & ideo poteſt negari ſuppoſitum. Adimplendi præcepta ſupernaturalia, & euitandi offenſam contra Deum, vt Auctorem ſupernaturalē, ſubdiſt. Ratione ſui, neg; nullus enim actus naturalis poteſt tendere in obiectum ſupernaturale; ratione gratiæ ipſum cōfortantis, conc. Ad 2. neg. mi; ſine culpa enim nequeunt puniri; quia pœna neceſſariò ſupponit culpam; & iniuſtus eſt Iudex, qui innoxios damnat ad ſupplicium; & ſecundùm ordinem naturæ nequeunt naturalibus priuari; & licèt ſecundùm alium ordinem poſſent, quia tamen alius ordo ſpectaret ad ordinem ſupernaturalem; ideo ad illum nequit pertingere odium naturale. Ad 2. diſt. ma. Non ſubijciendo ſe voluntati Dei, vt Auctoris gratiæ, conc, ſed in hoc ſenſu neg. mi; vt Auctoris naturæ, neg; & conc. mi.

34 Obijc. 5. *ex eod.* Quanuis error ſpeculatiuus, quo quis iudicat ieiunium v.g. nō eſſe honeſtum, & ignorantia ſpeculatiua, quæ dicit carētiam ſcientiæ actualis, & habitualis; non ſint cōpoſſibiles cum ſcientia naturali ipſius Angeli; quia error, & ignorātia ſpeculatiua proueniũt ex defectu principiorum cognoſcendi; Angeli autē cognouerunt per ſcientiam infuſam omnia principia; attamen iſti defectus non ſunt neceſſarij ad peccatum; quia poteſt quis peccare, etianſi cognoſcat illud eſſe peccatum; & etianſi non cognoſcat actualiter, vel habitualiter illud eſſe peccatum, cùm tamen poſſit illud cognoſcere; ergo quanuis nō ſit defectus in intellectu Angeli, poterit tamen eſſe in voluntate; nam ad hoc, vt ſit defectus in voluntate, ſufficit inconſideratio; idēſt omiſſio attentior, & plenior eorum, quæ poſſunt à peccato retrahere; & conſideratio attentior, & plenior eorum, quæ inducunt ad peccandum; hęc autem inconſideratio non pugnat cum ſcientia Angeli; quia de facto fuit in intellectu ipſius; nam attentiùs conſiderauit propriam excellentiam naturalem abſque eo, quòd illam referret ad regulam Diuinæ voluntatis; ergo circa bona naturalia potuit eſſe hæc inconſideratio; quia potuit pleniùs conſiderare aliqua bona magis delectabilia; quæ inducunt ad peccatum. 2. Potuit eſſe in eius intellectu defectus iudicij practici; quia potuit omittere iudicium prudens practicum requiſitum ad electionem alicuius boni honeſti in particulari, cùm hoc iudicium ſit liberum. 3. Potuit eſſe defectus iudicij practici per ordinem ad conſultationem, & electionem mediorum conducētium ad aliquod obiectum prohibitum; iſti enim omnes defectus ſunt compoſſibiles cum ſcientia ſpeculatiua omnium rerum; ergo potuit eſſe defectus naturalis in voluntate.

Reſp. neg. conſ. Ad prob. dicitur nullum ex illis defectibus potuiſſe eſſe cum ſcientia Angeli. Ad 1. diſt. ma. Inconſideratio fuit in intellectu Angeli circa obiecta ſupernaturalia, ſcilicet circa beatitudinem ſupernaturalem, quam appetiuit per naturam, conc; circa obiecta naturalia, neg. Quanuis enim attentiùs cōſiderauerit propriam excellentiam naturalem; quia tamen illam conſiderabat per ordinem ad beatitudinem ſupernaturalem; ideo illa cognitio non erat naturalis, ſed electiua. Ad aliud, quod ſubditur in cōſ; ſcilicet quòd poterat attentiùs conſiderare obiecta magis delectabilia, neg; delectabilia enim ſunt bona apparentia, non realia; vnde qui illa clarè, & euidenter cognoſcit, retrahitur à malitia reali illorum; & ideo nos allicimur, & apprehendimus, vt bona; quia illa euidenter, & clarè non penetramus. Ad 2. neg. aſſumpt; cùm enim clarè cognoſcat omne bonum naturale, nequit omittere iudicium prudens ſequens ad claram cognitionem; & licèt tale iudicium ſit liberum libertate contrarietatis, & exercitij; attamen non eſt liberum libertate ſpecificationis; vt poſſit omittere, quando talis omiſſio eſt mala ratione præcepti. Ad 3. neg. ant; cùm enim clarè cognoſcat omnia media naturalia, ideo eodem modo iudicat de illis.

35 Obijc. 6. Obiectum naturale voluntatis Angelicæ eſt bonum, *vt ſic*, quod comprehendit bonum honeſtum, vtile, & delectabile; ſed bonũ vtile, & delectabile poſſunt eſſe prohibita; ergo volũtas Angeli poteſt naturaliter tēdere in bonũ vtile, & delectabile prohibitum; & ſic peccare.

Reſp. diſt. ma. Bonũ vtile, & delectabile, quod eſt bonum reale, conc; quod eſt bonum apparēs, neg. Ad mi. dicitur bonum vtile, & delectabile prohibitum eſſe bonum tantùm apparenter, non realiter.

36 Inſt. Vel voluntas Angeli tenderet liberè in bonum naturale reale; vel neceſſariò? Si primum; ergo poſſet peccare; quia illud bonum poſſet eſſe præceptum à Deo; & voluntas illud non proſequendo peccaret. Si ſecundum; ergo illa creatura eſſet perfectiſſima; quia non poſſet tendere, niſi in bonũ reale; & ſimul imperfectiſſima; quia neceſſariò tendere in bonum creatum prouenit ex imperfecto modo cognoſcendi; vt patet in motibus primò primis; quorũ neceſſitas prouenit ex imperfecta cognitione obiecti.

Reſp.

Reſp.neceſſariò tendere in bonum naturale. Ad improb. diſt.1. pars. Eſſet perfectiſſima in ordine naturali,cõc;ſupernaturali,neg. Ad aliud neg;quòd eſſet imperfectiſſima; nam tendentia naturalis poteſt prouenire vel ex perfectiſſima cognitione,vt patet in Deo,& beatis; vel ex imperfecta cognitione ſine indifferentia iudicij, vt patet in motibus indeliberatis. In Angelis autem, quia ſunt perfectiſſimi intelligentes in ordine naturæ; prouenit ex eorum perfectiſſima cognitione.

37 Collig.dari de facto creaturam naturaliter impeccabilem circa legem naturæ; an verò ſit poſſibilis creatura naturaliter impeccabilis etiam contra legem ſupernaturalem, *videb. in ſeq.*§,ex quo magis patebunt ea, quæ diximus *in hoc* §.

§. 3.

An ſit poſſibilis creatura impeccabilis ſimpliciter?

38 Fieri poſſe creaturam ex dono gratiæ impeccabilem, nullum poteſt eſſe dubium *inter Catholicos*; certum enim eſt naturã humanam Chriſti Domini ratione vnionis hypoſtaticæ ſimpliciter impeccabilem factam fuiſſe. Inſuper *Beatiſſimam Virginem Mariam* nec venialiter, nec mortaliter peccare potuiſſe ex dono gratiæ maternitatis docet *Fund. Doct. inſ. cum Beatiſſ.P. Aug.lib.de nat,& grat.c.36.* Tandẽ *Ioannem Baptiſtam,Hieremiam,Apoſtolos,ac alios Sanctos* repletos Spiritu Sancto, vt de Apoſtolis *Act.11.Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*; potuiſſe tantùm venialiter, non mortaliter peccare; nam *Petrus*,qui dicebatur *Cephas*, reprehenſus fuit *à Paulo* in Concilio. Et quamuis *Euſeb. de Hiſt.Eccl.lib.1.c.13.* aſſerat *illum Cepham* non fuiſſe *Apoſtolum Petrum*,ſed vnum ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis; attamen *Beatiſſ. P. Aug. ſcribens ad D.Hier; & D. Hier. ad eundem* docent fuiſſe *eundem Petrum*; quod repetit *Beatiſſ.P.lib.de Mendac.c.5.* Igitur non quærimus de impeccabilitate ex dono gratiæ; ſed ex vi naturæ;an ſcilicet poſſit à Deo creari natura adeo in ſuis perfectionibus naturalibus perfecta; vt ratione ſuarum dotium naturalium peccare non poſſit nedum contra legem naturalem,ſed etiam contra legem ſupernaturalem. Nec difficultas eſt de quacunq;creatura;patet enim creaturã rationis expertẽ;vt sũt inanimata,plantæ,& bruta, non poſſe peccare, quia libertate non gaudent. Sẽſus ergo eſt de creatura ſpiritali intellectuali.

39 Prima ſententia vult poſſe à Deo condi creaturam impeccabilem ſimpliciter. *Ita Okam. in 1.diſt.44.§.Circa primum; Maior in 2.diſt.23. q.2.concl.2; Mol.1.p.q.12.art.5.diſp.2.cum alijs* aſſerentibus non implicare ſubſtantiam creatam ſupernaturalem;quos retulimus *to.1. de Inuiſib. Dei q.1.art.4.§.2.n.17.* Satis fauet *Val.1.p.diſp.2.q.14.punct.1.§.Ego;& Scot.in 2.diſt.23.q.1.§. Dico igitur* aſſerentes non propter rationem,ſed propter SS. PP. auctoritatem ab hac ſententia diſcedere, & oppoſitum docere.

40 Secunda ſententia docet eſſe impoſſibilem creaturam intellectualem naturaliter ab intrinſeco impeccabilem. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt.23. art.1; Argent. ibid. art.4; Gibb; & omnes alij ex noſtris.* Idem docet *D.Tho:q.63.art.1,Gonet hìc diſp.11.art.1.cũ omnibus Thomiſtis;Salm. diſp.9.dub.1; Sua. lib. 7. de Ang. c.3; & alij communiter.*

41 Vnica concl. Creatura naturaliter impeccabilis ſimpliciter omnino repugnat.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.12. de Ciu.Dei c.6*; vbi loquens de voluntate mala ait: *Quærat, cur eam fecerit; vtrum quia natura eſt; an quia ex nihilo facta eſt;& inueniet voluntatem malam non ex eo eſſe incipere,quia natura eſt,ſed ex eo, quòd de nihilo facta eſt. Nam ſi natura cauſa eſt voluntatis malæ, quid aliud cogitur dicere, niſi à bono fieri malum, & bonum eſſe cauſam mali? Et c. 7. Hoc ſcio naturam Dei nunquam,nuſquã,nulla ex parte poſſe deficere;& ea ſolùm poſſe deficere, quæ ex nihilo facta ſunt.* Ex quo ſic arguitur. Illud,quod eſſentialiter eſt ex nihilo, repugnat eſſe naturaliter impeccabile ſimpliciter;ſed quæuis creatura eſſentialiter eſt ex nihilo; ergo quãlibet creaturam repugnat eſſe naturaliter impeccabilem ſimpliciter. Prob.ma. Nihilum eſt radix, ſeu cauſa peccabilitatis;nam peccatum eſt nihil;quia eſt priuatio rectitudinis debitæ; quapropter dicitur *Io.1. Sine ipſo factum eſt nihil*; idẽſt peccatum; prout exponit *Beatiſſ.P. ibid*; nihilum autem petit eſſe ex nihilo;nã *ex nihilo nihil fit*,aliter ſi non eſſet ex nihilo, eſſet ex natura;natura autẽ bona eſt,& bonitas nequit eſſe cauſa formalis malitię; ſed repugnat aliquod habere radicem,& cauſam peccati, & eſſe naturaliter impeccabile ſimpliciter;nam illud eſt naturaliter impeccabile ſimpliciter; quod non habet ex ſua natura potentiam, quæ eſt radix ad peccandum;ergo illud quod eſſentialiter eſt ex nihilo, repugnat eſſe naturaliter impeccabile ſimpliciter. Mi.patet;quia quælibet creatura eſſentialiter eſt creata; ſed omne creatum eſt ex nihilo;nã creatio eſt *productio rei ex nihilo*;ergo quælibet creatura eſſentialiter eſt ex nihilo.

42 Conf.1.Implicat,quòd illud,quod eſſẽtialiter eſt ex nihilo, ex ſua natura non tendat in nihilum; nam ſi ex ſua natura natum eſt ex nihilo,ex ſua natura vergit in nihilum; principium enim, & terminus debent ſibi ad inuicem correſpondere;ſic quia corpus ſublunare natum eſt ex corruptione, ex ſua natura vergit in corruptionem;ſed quælibet creatura eſſentialiter eſt ex nihilo; aliter non eſſet creatura; ergo quælibet creatura naturaliter tendit in nihilum; ſed peccatum eſt nihil;quia dicit priuationem bonitatis, & ideo entitatis, *ens enim, & bonum conuertuntur*;ergo quælibet creatura naturaliter tendit in peccatum. Atqui repugnat tendere naturaliter in peccatũ, & ſimul eſſe impeccabile ſimpliciter; er-

ergo repugnat creaturam eſſe naturaliter impeccabilem.

43 Conf.2.Sola indefectibilitas ſimpliciter in eſſe eſt radix impeccabilitatis ſimpliciter; ſed repugnat creatura ſimpliciter indefectibilis in eſſe; ergo repugnat creatura ſimpliciter impeccabilis. Prob. ma. Defectibilitas in eſſe eſt radix peccabilitatis;quia eſt radix defectibilitatis operationis;nam *operari ſequitur ad eſſe*; & potentia operatiua fundatur in eſſe, & cum illo commenſuratur;defectibilitas autem operationis eſt peccabilitas,ex eo enim, quòd deficit recta operatio,quæ debet poni, eſt peccatum, quod eſt defectus rectæ operationis,ſeu rectitudinis debitæ, & ideo defectibilitas in eſſe eſt radix peccabilitatis;ergo ſola indeſectibilitas in eſſe ſimpliciter eſt radix impeccabilitatis ſimpliciter.

44 Explic.magis, & euertitur ſimul inſtantia.Defectibilitas operationis in eſſe phyſico habet ſimul coniunctam defectibilitatem in eſſe morali; ex eo enim, quòd quis omittat ponere ambulationem phyſicam ad Eccleſiam ad audiendam miſſam in die feſto; peccat mortaliter; & ideo tunc datur defectus nedum in eſſe phyſico,ſed etiam in eſſe morali;tum quia voluntas, quæ poteſt deficere non ponendo aliquam actionem phyſicam, poteſt etiam deficere non ordinando actiones ſuas in debitum finem; eiuſdem enim eſt ordinare,cuius eſt agere;non ordinare autem in debitum finem eſt deficere in eſſe morali,ſed quælibet creatura naturaliter eſt defectibilis in ſuis operationibus; quia eſt defectibilis in eſſe;cùm ſit deſtruibilis, ſicut eſt creabilis; deſtruibilitas enim dicitur ad conuertentiam cũ creabilitate; ſicut increabilitas cum indeſtruibilitate,ergo quælibet creatura eſt defectibilis in eſſe morali; & ideo peccabilis.

45 Dices.Creatura glorificata eſt impeccabilis,& tamen eſt ex nihilo; ergo hæc ratio non probat.

Reſp.diſt.ant.Eſt impeccabilis per gratiam, conc; per naturam, neg. Eſſe ergo ex nihilo facit eſſe peccabile per naturam; cum hoc tamen ſtat, quòd per gratiã eius peccabilitas poſſit impediri. Sicut quamuis noſtrum corpus ſit per naturam corruptibile; poteſt tamen per gratiæ dotes eleuari ad incorruptibilitatem; vt patet in corpore glorioſo.

46 Prob.2.*ex eod.ibid.c.*1;vbi ait:*Quod cùm ita ſit,huic naturæ,quæ in tanta excellentia creata eſt,vt licèt ipſa ſit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, idèſt ſummo Deo,beatitudinem conſequatur;nec expleat indigẽtiam ſuam,niſi vtique beata ſit,eique explẽdæ non ſufficiat,niſi Deus; profectò non illi adhærere vitium eſt*. Ex hoc ſic arguit *Fund.Doct.*Ita ſe habet peccatum in moralibus;ſicut ſe habet corruptio in materialibus; ſed nihil eſt incorruptibile in materialibus, niſi ſit perfectè ſatiatus eius appetitus naturalis; ergo nihil eſt impeccabile in moralibus, niſi ſit perfectè ſatiatus eius appetitus rationalis. Atqui appetitus rationalis creaturæ non ſatiatur perfectè, niſi per adeptionem Dei in ratione sũmi boni glorificantis iuxta illud *pſ.16. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*; quæ adeptio nequit eſſe naturalis creaturæ; ergo impeccabilitas nequit naturaliter competere creaturæ. Prob. ma; nam ſicut corruptio in materialibus eſt defectus in eſſe entis; ita peccatum eſt defectus in eſſe moris.Prob.mi.Ideo Cœlum eſt incorruptibile, quia illius materia eſt perfectè ſatiata per formã Cœleſtem non habentem contrarium; & ideo corpora ſublunaria ſunt corruptibilia, quia eorũ materia non eſt perfectè ſatiata; cõtinuò etenim appetit formam,quam non habet; vt dicitur *in Phyſ*; ergo nihil eſt incorruptibile in rebus materialibus, niſi appetitus materiæ ſit perfectè ſatiatus.Mi.ſubſumpt. patet; nam cùm obiectum adæquatum voluntatis ſit bonum, *vt ſic*, quod continet ſub ſe omne bonum; voluntas non poteſt perfectè repleri,& ſatiari,niſi ab omni bono, quod eſt Deus. Nequit autem naturaliter conſequi omne bonum;quia nequit naturaliter eſſe illi proportionata (nam non niſi in obiectum proportionatum poteſt tendere) aliter eſſet naturaliter eiuſdem perfectionis,& ſpeciei cum illo;quod repugnat.

47 Conf. *à Fund.Doct.* Nulla creatura poteſt eſſe impeccabilis,niſi per viſionem beatam; ſed viſio beata nequit eſſe connaturalis creaturę;ergo nulla creatura poteſt eſſe naturaliter impeccabilis.Ma. patet; nam creatura nequit eſſe impeccabilis,niſi tendendo per intellectum, & voluntatem in omne bonum nullam habens admixtam rationem mali;ex eo enim, quòd tendat in omne bonum nullam habens rationem mali, nequit ab illo ſe auertere; quia voluntas nequit ſe auertere ab aliquo obiecto, niſi in illo repræſentetur ei ab intellectu aliqua ratio mali, quæ eſt ratio auerſionis, ſicut bonum eſt ratio cõuerſionis; ſed ſolùm per viſionem beatam creatura tendit in omne bonum nullam habens rationem mali;nam creatura tendens per Fidem in Deum, in ipſo concipit rationem ardui, & difficilis; & ideo aliquam rationem mali ipſam retrahentis à Deo;arduitas enim ſemper retrahit ab obiecto; ergo nulla creatura poteſt eſſe impeccabilis, niſi per viſionem beatam.Prob.mi.*ex Apoſt*.docente *1.Tim.6:Deus habitat lucem inacceſſibilem*; ſed ſi poſſet naturaliter videri à creatura, eius lux non eſſet inacceſſibilis creaturæ;ergo viſio beata nequit naturaliter conuenire creaturæ. Hoc probatum fuit *to.1.de Inuiſib.Dei q.*1.*art.3,&* 4,vbi *vid.* alias rationes probantes hanc concl.

48 Vrgetur ampliùs *ab eod.* Implicat aliquod vertibile ſecundùm electionem eſſe naturaliter impeccabile ſimpliciter; ſed quælibet creatura ſpiritualis eſt naturaliter vertibilis ſecundùm electionẽ; ergo implicat creatura ſpiritualis naturaliter impeccabilis ſimpliciter.Prob.

ma.

ma.Illud eſt,quod eſt naturaliter vertibile ſecundùm electionẽ,poteſt mutari de actu electionis in actũ oppoſitũ, ſeu in omiſſionẽ actus;in hoc enim conſiſtit vertibilitas ſecundùm electionem; quòd ſcilicet poſſit mutari de vno actu electiuo ad aliũ actum electiuum;cum quo ſtat ſimul omiſſio primi actus electiui;quia duo actus electiui nequeũt ſimul eſſe;vel de vno actu mutari in omiſſionẽ talis actus; ſed talis actus poteſt eſſe præceptus, & omiſſio illius peccatum ; ergo implicat aliquod vertibile ſecundùm electionem eſſe naturaliter impeccabile ſimpliciter.Prob.mi.Quodlibet mediũ eligibile à creatura habet admixtam rationẽ boni,& mali; eſt enim creatũ ; ſolus enim Deus nequit habere rationem medij,cùm ſit finis ſimpliciter ; ſed illud, quod habet pro obiecto aliquod eligibile mixtum ex bonitate, & malitia, eſt vertibile ſecũdùm electionem; quia ſicut poteſt tendere in illud, quatenus habet rationem boni,cùm ratio boni ſit ratio proſecutionis; ita poteſt ab illo fugere,quia ratio mali eſt ratio fugæ; ergo illud, quod habet pro obiecto aliquod eligibile mixtum ex bonitate,& malitia, eſt vertibile ſecundùm electionem ; ſed quælibet creatura eſt huiuſmodi ; obiecta enim eligibilia à creatura ſunt creata ; ergo quælibet creatura eſt vertibilis ſecundùm electionem .

48 Prob.3. Actus purus creatus omnino repugnat;ſed creatura impeccabilis ſimpliciter eſſet actus purus ; ergo creatura impeccabilis ſimpliciter omnino repugnat. Ma. patet; quia actus purus excludit omnem potentialitatem paſſiuam ad eſſe, & non eſſe; creatura autem importat potentialitatem paſſiuam ad eſſe, & non eſſe.Prob.mi. *Malum,& error ex Phil.2.Met.in in proem;& lib 9.c.19.contingunt in rebus propter potentialitatem*;ergo ſi creatura eſſet impeccabilis,excluderet omnem potentialitatem paſſiuam; & ideo eſſet actus purus.Omnes iſtæ rationes in idem videntur incidere .

49 Tandem.Implicat,quòd creatura ſit prima regula ſimpliciter ſuæ bonitatis ; ergo implicat, quòd creatura ſit naturaliter impeccabilis ſimpliciter.Hæc ratio explicata fuit *in ſup.*§.

50 Obijc. 1. Poteſt à Deo fieri creatura naturaliter determinata ad bonum morale,*vt ſic*,& tamen indifferens ad diuerſa bona particularia , vt patet de Beatis ; ſed illa eſſet naturaliter impeccabilis ; ergo poteſt à Deo fieri creatura impeccabilis .

Conf. Virtutes morales ex ſua natura ſunt determinatæ ad bonum honeſtum ; ſed virtutes morales ſunt creatæ ; ergo poteſt à Deo fieri creatura naturaliter determinata ad bonum morale,*vt ſic*; & ideo impeccabilis .

Reſp. diſt. ma.Determinata ad bonum morale ordinis naturę,cum quo creatura poteſt habere naturalem proportionem,& vnionem, cõc; ordinis ſupernaturalis,cum quo creatura nequit habere naturalem proportionem, & vnionem , ſed ſolùm per gratiam,vt in Beatis,neg.

Ad conf. neg. conſ; nam habitus non ſunt indifferentes ad bonum, vel malum vſum , ſicut voluntas .

51 Obijc.2. Deus de facto condidit creaturam materialem indefectibilem in ſuis operationis,vt Cœlum , & Bruta ; ergo à fortiori poteſt condere creaturam ſpiritualem indefectibilem in ſuis operationibus ; nam indefectibilitas eſt ſumma perfectio,quę potiori iure debet competere creaturæ ſpirituali, quæ eſt perfectior creatura materiali .

Reſp.*ex Beatiſſ.P.lib.12. de Ciu.c.1.* docente : *Quanquam ergo ſumma non ſint , quibus eſt Deus maius bonum ; magna ſunt tamen ea mutabilia bona , quæ adhærere poſſunt , vt beata ſint,immutabili bono;quod vſque adeo bonum eſt eorum , vt ſine illo miſera eſſe neceſſe ſit. Nec ideo cetera in hac creatura vniuerſitate meliora ſunt;quia miſera eſſe non poſſunt, neque enim cetera membra corporis noſtri ideo dicendum eſt oculis eſſe meliora,quia cæca eſſe non poſſunt.Sicut autem melior eſt natura ſentiens,& cùm dolet;quàm lapis , qui dolere nullo modo poteſt ; ita rationalis natura præſtãtior eſt etiã miſera, quã illa,quæ rationis,vel ſenſus eſt expers, & ideo in eam non cadit miſeria.* Neg.ergo conſ; & ad prob.inſert.dicitur,quòd indefectibilitas rei materialis eſt perfectio ſimplex, quæ eſſet imperfectio in re ſpirituali,vt non poſſe dolere in lapide &c.

52 Obijc. 3. Angelus non poteſt peccare contra legem naturæ,vt dictum eſt;ſed Deus potuiſſet illũ condere in puris naturalibus abſq;eo, quòd illum ordinaret ad finem ſupernaturalem, & tũc fuiſſet impeccabilis ſimpliciter; ergo creatura ſimpliciter impeccabilis non repugnat .

Reſp. ad mi. ommiſſo, an Deus poſſit condere creaturam intellectualem non ordinatam ad finem ſupernaturalem , de quò *in tract. de Gratia*,neg; quòd eſſet impeccabilis contra legẽ ſupernaturalem ; poſſet enim multos actus peccaminoſos elicere contra ius Diuinum,vt colere plures Deos,ſicut fecerunt *Gentiles &c.*

53 Obijc. 4. Poteſt à Deo condi creatura impeccabilis per gratiam; ergo & per naturam . Ant.patet; nam poteſt cõdi à Deo creatura beata.Prob.conſ. Poteſt Deus facere, quòd gratia , quæ eſt accidens in vno ſubiecto , ſit natura in alio; nam in tantùm aliqua forma non competit naturaliter alicui ſubiecto; in quãtũ Deus voluit illã naturaliter ei nõ cõpetere; ſicuti enim Deus naturaliter tribuit fortitudinem leoni,poterat illam tribuere homini &c.*Vid.Fund. Doct.ad* 1.

Reſp.neg.conſ.Ad prob.neg.aſſumpt; nam quod eſt accidens in vno , nequit eſſe ſubſtantia in alio ; præterquam in Deo , in quo omnia ſunt ſubſtantia, vt docet *Beatiſſ.P. 5.de Trin.c.1.* Ad aliud dicitur , quòd fortitudo leonis eſt ordinis naturalis,& ideo illam conferendo homini feciſſet naturalem homini ; at verò gratia eſt ordinis

ſupernaturalis eſſentialiter;& ideo illam tribuēdo creaturæ nequit efficere illam ipſi connaturalem.

54 Inſt.Gratia eſt connaturalis Chriſto Domino, & tamen eſt ſupernaturalis alijs hominibus;ergo nulla reſponſio.

Reſp.diſt.ant. Eſt cōnaturalis ratione vnionis hypoſtaticæ, quæ ratione ſuppoſiti Diuini eſt ordinis ſupernaturalis, cui naturaliter debentur omnia dona ſupernaturalia,conc;ratione entitatis naturæ humanæ,neg.

55 Obijc.5. Licèt intellectus non ſit regula ſuæ veritatis; attamen nequit errare circa ſua principia; & ſic dicendum de intellectu Angelico, qui nequit errare circa verum ſpeculatiuum; ergo licèt voluntas creata non ſit prima regula ſuę bonitatis,adhuc tamen poteſt eſſe adeo perfecta,vt poſſit non peccare.

Reſp.neg.conſ; intellectus enim humanus circa principia,& Angelicns circa verum ſpeculatiuum ſunt ad vnum determinati; voluntas verò eſt indifferens,& ideo poteſt in vtranque partem declinare.

56 Obijc.6.Ad hoc,vt ſaluetur mutabilitas, & vertibilitas creaturæ,ſufficit poſſe variari quātùm ad eſſe; ergo nō ſequitur defectibilitas peccaminoſa.

Reſp.neg.ant;nam variabilitas quantùm ad eſſe eſt radix variabilitatis quantùm ad operationes,vt *ſup.*dictum eſt.

ART. II.

An Angelus potuerit peccare, vel mereri in primo inſtanti ſuæ conditionis?

1 ANgelos malos non fuiſſe à Deo cōditos malos docuit *Beatiſſ. P. Aug. cont. Manich*; quia Deus, cùm ſit ſummè bonus, nequit eſſe Auctor mali. Præterea non peccaſſe in primo inſtanti ſuæ conditionis, indubium eſt modò *inter Scholaſticos*; quanuis antiquitus aliqua fuerit diſſenſio. Et colligitur *ex Scripturis*; nam *Iſaiæ* 14.habetur:*Quomodò cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris &c*; & ideo priùs fuit in oriēte,antequam occideret in peccatum; aliter ſi in primo inſtanti cecidiſſet,in quolibet inſtanti fuiſſet in occaſu,& nunquam, ſeu pro nullo inſtanti in oriente; qui contradiſtinguitur ab occaſu,in quo eſt per peccatum; & ideo in oriente erat ſine peccato.Item *Ezechiel.*28.*In delicijs Paradiſi fuiſti omni lapide pretioſo ornatus*, illud autē verbum *fuiſti* deſignat tempus, vel ſaltem inſtans præteritum;in quo Lucifer fuit felix,felicitas autem eſt ſine peccato; quia peccatum eſt maxima miſeria,& per peccatum in omnem miſeriam corruit. Et expreſſiùs paulò poſt:*Ambulauit in diebus ſuis ſine vitio*,ſed *dies* deſignant aliquam durationem;ergo fuit aliqua duratio,in qua Angeli mali fuerunt ſine peccato; & ideo non peccauerunt in primo inſtanti ſuæ conditionis. Super hæc *Beatiſſ.P.Aug.lib.*11.*de Ciu.c.*15. afferēs etiam *textum Io.* 8. *In veritate non ſtetit*; de quo dixerat *c.*13. *Non attendant non dixiſſe Dominū: A veritate alienus fuit; ſed in veritate non ſtetit; vbi à veritate lapſum intelligi voluit*;tandem hic cōcludit: *Quomodò cecidit Lucifer,qui manè oriebatur:Siue quod Ezechiel:In delicijs Paradiſi Dei fuiſti omni lapide pretioſo ornatus?Vbi intelligitur aliquando fuiſſe ſine peccato. Nam expreſſiùs ei paulò poſt dicitur: Ambulaſti in diebus tuis ſine vitio.Quæ ſi aliter conuenientiùs intelligi nequeūt, oportet etiam illud, quòd dictum eſt: In veritate non ſtetit; ſic accipiamus, quod in veritate fuerit, ſed non permanſerit.Vid.lib.*11.*de Gen.ad lit.c.*23.

2 Dices.*Io.*8. habetur de Diabolo: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Et Io.*3.*Ab initio Diabolus peccat*;ergo ex hoc oppoſitum etiam deducitur.

Reſp.ad 1.*Beatiſs.P.c.*13.*vbiſ; & lib.*11.*de Gen.ad lit. c.*16; vbi ait: *Nec fruſtra putari poteſt ab initio temporis Diabolum ſuperbia cecidiſſe;nec fuiſſe vllum antea tempus,quo cum Angelis ſanctis pacatus vixerit,& beatus*;& paulò poſt:*Homicida quidem ab illo initio,ex quo homo potuit occidi; non autem potuit occidere, antequam eſſet, qui occideretur. Ab initio ergo Diabolus homicida, quia ipſe occidit hominem primum,ante quem nullus hominum fuit*. Nihil aliud ergo ſignificat *hic textus*, niſi quòd Diabolns fuit primus homicida; quia occidit primum hominem; non autem poteſt deduci, quòd peccauerit in primo inſtanti; quia antequam occideret primum hominem, vixerat per aliquam durationem; quod colligitur ex verbis ſequentibus: *In veritate non ſtetit*;nullus enim dicitur ſtare,vbi nūquam fuit. Ad aliud reſp.idem *Beatiſſ.P.lib.*11.*de Ciu.c.*15.his verbis: *Et illud, quòd ab initio Diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus eſt, peccare putandus eſt, ſed ab initio peccati,quòd ab ipſius ſuperbia ceperit eſſe peccatum.Vid.ibid.* expoſitionem *aliorum duorum textuum.Et lib.*11.*de Gen.ad lit.c.*21; *& ſeq.*

3 Igitur dubium nō eſt de facto, ſed de poſſibili; an ſcilicet potuerit Angelus in primo inſtanti peccare,vel mereri;& idem eſt, ac quærere,an prima operatio Angeli potuerit eſſe peccaminoſa,vel meritoria?

4 Prima ſententia vult potuiſſe Angelum peccare, & mereri in primo inſtanti ſuæ creationis etiam de potentia ordinaria. *Ita Scot; Mair; Baſſol,Rubion;Rad,Fab,Brancas;Ponc,Vulp;& ex noſtris Greg; & ex PP. Soc. Vaſq; Arriaga; Mol; Val; Becc; & alij apud Maſtr. hic diſput. 3. q. 1. art. 1. n. 2.*

5 Secunda ſententia vult ſecundùm alium ordinem potuiſſe peccare in primo inſtanti, non autem ſecundùm hunc ordinem;ſeu vt *alij* dicūt potuiſſe phyſicè,non moraliter. *Ita Sua;Malon; Amic;Lez.apud Maſtr.vbiſ.*

6 Tertia ſententia docet nec peccaſſe, nec peccare vllo modo potuiſſe; *Ita Fund.Doct.in* 2. *diſt.*3.*p.*1.*q.*1.*art.*2;*&* 3; *Argent.ibid.diſt.*6. *q.*1.

art.

*art.2;Gibb.hic diſp.26.dub.4.§.1;*vbi refert etiam *noſtrum Bernardin.in M.S;*& communiter *noſtra Schola.Ita etiam D.Tho; Capr; Ferr. 3.cont.Gent. c.109; Caiet; Ban; Zum; Naz; Ripa, Serra, Io.à S.Tho; Gonet;* quibus adduntur *Salm; Philipp. à SS.Trin;Gran,& Arrub,& alij* .

7 Vnica concl. Angelus in primò inſtanti non potuit peccare .

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.Aug. lib.12. de Ciu.c.9;* vbi poſtquam dixit Angelos fuiſſe à Deo creatos cum bona voluntare, idèſt cum actu bono amoris Dei illis verbis:*Simulque, vt facti ſunt,ei, à quo facti ſunt,amore, cum quo facti ſunt, adhæſerunt*. Deinde aſſerit;quòd ſi creati fuiſſent ſine actu bono, creati fuiſſent mali : *Quid enim erant ſine bona voluntate,niſi mali?* Quod eſt *contra illud Gen.1.Vidit cuncta,quæ fecerat,& erant valde bona.*Ac propterea ſubdit:*Aut ſi propterea non mali,quia nec mala voluntas eis inerat ; neque ab ea,quam nondum ceperant habere,defecerant; certè nondum tales, nondum tam boni, quàm eſſe cum voluntate bona ceperunt:*Tandem cõcludit: *Nam & hoc diſcutiendum eſt; ſi boni Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam; vtrum aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt? Si nulla; vtique non fecerunt. Si aliqua; vtrum mala, an bona? Si mala, quomodò eſſe potuit mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bona;iam ergo habebant . Et iſtam quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, idèſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creauit; ſimul in eis,& condens naturam, & largiens gratiam. Vnde ſine bona voluntate, hocèſt Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt.Iſti autem,qui cùm boni creati eſſent,tamen mali ſunt, mala propria voluntate, quam natura bona non fecit, niſi cùm à bono ſponte defecit , vt mali cauſa non ſit bonum,ſed defectus à bono.* Hanc ſubtiliſſimam , ac validiſſimam doctrinam proſecutus eſt *D. Anſ. lib. de caſu Diaboli c. 12;* quem referunt *Fund. Doct; & Argent.* aſſerentes Angelum non potuiſſe habere actum primum voluntatis à ſe , quia *qui ſe ipſum mouet ad volendum,priùs vult* : Arguitur autẽ ſic.SiAngelus potuiſſet peccare in primo inſtanti,vel eius voluntas in primo inſtanti eſſet creata à Deo ſimul cum amore caſto, & puro ipſius Dei,ſui ipſius, & aliorum à ſe;vel eſſet creata à Deo ſimul cum actu impuro, & peccaminoſo,per quem peccaret; vel eſſet creata ſine omni actu in pura potentia paſſiua? Si primũ; ergo non poſſet ſimul in eodem inſtanti peccare ; quia repugnat ſimul eſſe actum bonum , & actum malum ; voluntas enim habens in ſe ipſa actum bonum nequit peccare, niſi illum abijciẽdo ; & ideo ſucceſſiuè in diuerſibus inſtantibus , quia in diuerſis operationibus , quarum prima eſſet bona, ſecunda verò mala; & ideo non peccaret in primo inſtanti,quia eius prima operatio non eſſet mala,ſed bona,peccare autem in primo inſtanti eſt idem, ac primam operationem eſſe malam,vt concedit *Maſtr.vbiſ.* Si ſecundum;ergo Deus eſſet Auctor peccati ; ſicut enim ex eo, quòd Deus creauerit formam in materia,dicitur Auctor nedum materiæ , ſed etiam formæ , ita à pari. Tum quia ſi creatus fuiſſet cum actu malo , iam non cecidiſſet, vt enim arguit *Beatiſſ.P. lib. 11.de Gen.ad lit.c,23. Neque enim cecidit, ſi talis factus eſt.*Tum quia,vt aſſerit *ibid.c.21.in fine* . *Gen.1.*habetur:*Vidit cuncta,quæ fecerat,& erant valde bona*; ergo nullius rei malæ Deus eſt conditor . Si tertium ; ergo voluntas non poſſet ſe mouere ad actum,quia voluntas non eſſet actuata,*motus enim eſt actus entis in potentia* ; vnde implicat aliquod excludens omnem actum actu ſe mouere,quia prout ſe mouet, includit actum , cùm includat motum ; ergo voluntas ſic accepta non poſſet peccare . Tum quia voluntas non ſe mouet ad peccatum, niſi per actum volitionis;ſicut non mouet alias potentias, niſi actu volẽdo; ergo voluntas, vt excludens omnem actum , nequit ſe mouere ad peccandũ , & per conſequẽs, cùm ſe mouet,neceſſariò includit actum,qui antecedit ipſum peccatum; & ideo prima operatio voluntatis nequit eſse mala, & ſic nequit peccare in primo inſtanti ſuæ conditionis.Tum quia à principio paſſiuo, vt paſſiuum eſt,reduplicatiuè , implicat egredi actus , prout actus eſt, quia paſſiuum,vt paſſiuum reduplicatiuè , importat purè pati,& recipere;ſicut actiuum,vt actiuum,importat purum agere;hæc enim duo ad inuicem contradiſtinguuntur,& contrariè dicuntur; ergo voluntas, vt potentia purè paſſiua , nequit elicere actum peccati;& ideo neceſsariò debet includere antecedenter aliquem actum , quo ſe moueat intrinſecè ad actum peccaminoſum . De hoc autem actu quæritur,an ſit elicitus ab ipſa voluntate,vel à Deo comproductus cum ipſa? Si ab ipſa voluntate , vel à voluntate excludente omnem actum,& ſic ſequitur idem,vt *ſup*;vel à voluntate includente aliquem actum , & ſic de illo quæri poteſt in infinitum . Si à Deo; ergo nequit eſse malus , quia Deus non eſt Auctor mali ; & ideo Angelus nequit peccare in primo inſtanti , quia prima operatio Angeli nequit eſse mala .

8 Prob.2; ſeu magis explicatur . Prima cognitio,quam habuit intellectus Angeli in primo inſtanti,fuit producta à Deo in intellectu Angeli, & ideo non potuit imperari à voluntate ipſius Angeli,vt fatetur etiam *Scot. in 2. diſt. 42. apud Maſtr.hic n.16;* ergo prima cognitio fuit ſimpliciter neceſsaria reſpectu Angeli ; & ideo ad vnũ determinata ; quia illud eſt neceſſarium reſpectu alicuius,quod nõ cadit ſub libertate illius; quod autem non cadit ſub imperio voluntatis,non cadit ſub libertate illius ; ſed ad cognitionem neceſsariam ſimpliciter determinatã ad vnum ſequitur actus voluntatis omnino neceſſarius , & determinatus ad vnum; quia ad libertatem actus voluntatis indiſpenſabiliter prærequiritur iudicium indifferens rationis ; ſi nanque intellectus proponat voluntati aliquod obiectũ ſub præciſa

ratione boni;non autem ſub ratione boni,& mali; tunc voluntas neceſſariò,non liberè tendit in illud; quia ita tendit, vt non poſſit ſe auertere; nam in tantùm poſſet ſe auertere, in quantùm ei repræſentaretur ab intellectu aliqua ratio mali, quæ eſt obiectum auerſionis; ſi enim ratio mali ei non repræſentetur ab intellectu in ipſo obiecto; quamuis obiectum habeat etiam in ſe ipſo rationem mali;attamen voluntas non poteſt in illud tendere; quia cùm ſit cæca,nequit illud cognoſcere,& ſi nequit cognoſcere,nequit velle; *quia nil volitum, quin præcognitum*; ergo prima operatio Angeli non potuit eſſe peccaminoſa, vel meritoria; quia eſt ſimpliciter naturalis, & neceſſaria,vtpotè ad vnum determinata; *& in naturalibus neque meremur, neque demeremur*; & ideo Angelus non potuit peccare in primo inſtanti.

9 Inſt.*Maſtr.n.*16;quòd licèt prima cognitio Angeli non poſſit imperari à voluntate;attamen in poſteriori inſtanti naturæ poteſt imperare intellectui,vt cogitet de aliquo obiecto,à quo alliciatur ad peccandū, & ſic peccare; prioritas autem, & poſterioritas naturæ ſunt ſimul in codem inſtanti temporis.

Reſp; & magis prob. concl; nam ad iſtam primam cognitionem neceſſariam, & naturalem neceſſariò ſequitur amor naturalis, & neceſſarius ipſius voluntatis; intellectus enim Angeli proponens voluntati Deum ſub ratione ſummi boni communicantis illi eſſe,& omnia bona,quę habet, abſque vlla ratione mali, neceſſariò allicit,& trahit voluntatem ad amorem, vt *ſup.* dictum eſt;ergo cùm voluntas imperat intellectui, vt cogitet de obiecto peccaminoſo, tale imperium ſupponit in ipſa voluntate alium actum præuium; & ideo actus peccaminoſus nequit eſſe prima operatio voluntatis Angelicæ. Tum quia voluntas nequit imperare,vel applicare intellectum ad conſiderandum de alio obiecto,niſi per aliquem actū,quo velit ipsū intellectū cogitare de obiecto peccaminoſo, ad quam cogitationem poſtea ſequitur amor impurus, ſeu actio mala ipſius voluntatis; ergo prima operatio voluntatis Angelicæ nequit eſſe mala; quia ſupponit eſſentialiter actum imperij, ſeu volitionem applicatiuam ipſius intellectus ad cogitandum de obiecto peccaminoſo; ridiculum enim eſt dicere,quòd voluntas applicet,& imperet intellectui,vt cogitet de aliquo obiecto;& tamen non velit intellectum cogitare; ſicut ridiculum eſt, quòd intellectus repræſentet voluntati aliquod obiectum,& ipſe illud non cognoſcat;eadē enim ratio eſt de ambobus; & ideo nequit Angelus peccare in primo inſtanti. Tum quia ſicut prima cognitio eſt immiſſa à Deo in intellectū Angeli; & non eſt imperata à voluntate; ita prima volitio eſt immiſſa à Deo in volūtatē Angeli;& ideo nō eſt liberè elicita;eadem enim ratio, quæ probat primam cognitionem eſſe immiſſam à Deo, probat etiam de prima volitione; quia ſcilicet Deus fecit Angelum rectum; rectitudo autem conſiſtit in tendentia nedum intellectus,ſed etiā voluntatis in Deum;vt *inf.*dicemus. Tandem ſi voluntas applicaret intellectum ad cogitandum de alio obiecto;intellectus Angeli deberet tranſire de vna ad aliam cognitionem; & ſic ſecunda cognitio non eſſet in eodem inſtanti, in quo eſſet prima cognitio;plures enim cognitiones ſucceſſiuæ eiuſdem Angeli menſurantur pluribus inſtantibus;ſed volitio mala ipſius voluntatis eſſet ſaltem origine poſterior ſecunda cognitione ipſius Angeli,quia ſequeretur ad illam;ergo eſſet in eodem inſtanti, in quo eſſet ſecunda cognitio Angeli; & ſic non eſſet in primo inſtanti creationis Angeli; quia primum inſtans menſuraret primam cognitionem;& ſecundum inſtans menſuraret ſecundam; ergo illa volitio non eſſet in primo inſtanti creationis Angeli, ſed in ſecundo inſtanti; & in primo voluntas eſſet vacua ſine omni actu;nam voluntas eſt creata ſimul cum intellectu in eodem inſtanti;vnde ſi operatio voluntatis exiſtit ſolùm in ſecundo inſtanti,in quo exiſtit intellectus, apertè ſequitur, non exiſtere in primo inſtanti; aliter eſſet in inſtanti ante cognitionem,ad quam ſequitur;operatio enim voluntatis eſſet in primo inſtanti antecedente ſecundum inſtans, in quo eſſet ſecunda cognitio; quod manifeſtam inuoluit repugnantiam; eſſet enim antecedens, & conſequens; poſterior, & prior;effectus,& cauſa &c.

10 Prob.3.*ex eod.Beatiſſ.P.de Corr;& Grat. c.*11.docente: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem;in illa quippe eum fecerat,qui fecerat rectum.* Et paulò poſt. *Si autem hoc adiutorium vel Angelo,vel homini, cùm primùm facti ſunt,defuiſſet,quoniam nō talis natura facta erat, vt ſine Diuino adiutorio poſſet manere, ſi vellet, non vtique ſua culpa cecidiſſent; adiutorium quippe defuiſſet,ſine quo manere non poſſent.*Ex his duplex ſumitur ratio.

11 Prima eſt.Deus condidit in Angelo bonam voluntatem,qua illum fecit rectum; nomine autem voluntatis bonæ intelligit actum bonum,quia intelligit amorem caſtum, vt explicat *lib.*12.*de Ciu.c.*9.*vbi ſ.*& rectitudo Angeli conſiſtit in actuali tendentia intellectus ſub ratione veri,& voluntatis ſub ratione boni in Deum; tēdentia autem actualis eſt actus potentiæ tendentis;ſed cum actu bono nequit ſtare ſimul pro eodem inſtanti actus malus; aliter eſſent ſimul duo inſtantia; ergo ſaltem ſecundùm curſum ordinarium rerum Angelus non potuit in primo inſtāti peccare;quia non potuit componere eum actū bono, qui fuit in primo inſtanti,peccatum. Ma. patet; quia Deus creauit in *Adam* actum bonū, quo illum rectum fecit; ergo à fortiori idem dicendum eſt de Angelo, qui, vtpotè perfectior homine,minùs perfectus condi non poterat.

12 Secunda eſt. Si Deus creaſſet Angelum ſine

ſine actu bono, ſeu ſine gratia actuali, Angelus cecidiſſet ſine ſua culpa; quia Deus non dediſſet ei actum bonum,in quo poſſet ſtare; ſed tantùm ei dediſſet voluntatem, qua poſſet ſibi parare actum,in quo ſtaret; ſed caſus ſine culpa nõ eſt peccatum;quia peccatum eſſentialiter eſt culpa;ergo in eo caſu nõ peccaſſet; talis enim actio non eſſet peccatum formaliter,ſed tantùm materialiter. Ex quibus patet primam rationem concludere ſecundùm potentiam ordinariam; ſecũdam verò etiam ſecundùm alium ordinem.

13 Prob.4.In hoc diſtinguitur intellectus,& voluntas Angeli ab intellectu,& volũtate hominis,quòd illæ ſunt potẽtiæ actuales;iſtæ verò ſunt merè potẽtiales paſſiuæ;vt diximus *q.4.ar.1.* §.2. *& ar.4.§.2.n.33;& §.4.n.57;& §.4.n.72;& 73; n.* 14; ſed potẽtiæ eſſẽtialiter actuales nequeunt produci,niſi cũ aliquo actu;ſicut potentiæ eſſentialiter potentiales producuntur ſine omni actu; quapropter *noſter intellectus naſcitur,tanquam tabula raſa, in qua nihil depictum eſt*; vt ait *Phil*; ergo intellectus, & voluntas Angeli nequeunt à Deo produci,niſi cum aliquo actu,aliter non diſtinguerentur ab intellectu, & voluntate hominis. Atqui illi actus, cum quibus producuntur à Deo,ſunt primæ operationes,quæ nequeunt eſſe malæ;ſecus Deus eſſet Auctor mali; ergo prima operatio volũtatis Angelicæ nequit eſſe mala;& ideo Angelus nequit in primo inſtanti peccare.

14 Plures aliæ rationes *aliorum DD.* afferuntur,& reijciuntur *à Fund.Doct;& Argent;*tãquam inſufficiẽtes,quæ *apud* illos poſsũt videri.

15 Obijc. 1. *Scot; & ex illo Maſtr. hic n.* 3. *Beatiſſ.Patrem,qui lib.11.de Ciu.c.13.*docet non ſentire *cum Manichæis*, qui dicunt Angelos in primo inſtanti fuiſſe malos, dummodò aſſerant eſſe malos à ſe,& à prauo vſu ſuę libertatis ęquali ſuæ creationi quoad durationem;& non à Deo eſſe factos malos; ſed in hoc dicto ſupponit hoc eſſe poſſibile; ergo Angeli potuerunt peccare in primo inſtanti ſuæ creationis.Similiter in vtranque partem diſputat *ibid. c.9; & ſeq;* ſemperque ſupponit id eſſe poſſibile.

Reſp. mentem *Beatiſſ. P.* fuiſſe ſufficienter explicatam ſuperiùs.Neg.igitur mi;vel diſt.Supponit hoc eſſe poſſibile in eorum ſententia, qui dicunt Angelos in primo inſtanti peccaſſe,conc; in propria ſententia,quam explicat *c.9.vbi*;neg.

16 Obijc.2.*Idem.*Angelus in primo inſtanti habuit omnia requiſita ad peccandum; ergo potuit peccare. Prob.ant. Habuit intellectum, quo cognoſcebat bonum,& malum;perfectum vſum rationis,perfectam libertatem, concurſum Dei paratum;nec erat,à quo impediretur intrinſecè,vel extrinſecè; ergo habuit omnia requiſita ad peccandum. Tum quia his de cauſis peccauit in inſtanti,vel tempore ſubſequenti;ergo & in primo inſtanti.

Reſp. neg. ant. Ad prob. neg. ant;nam in primo inſtanti cognouit determinatè ſolum bonum,nẽpe Deum,ſe ipſum, & alia à ſe;& ex hac cognitione ſurrexit ad laudandum Deum, tanquã Auctorẽ huius bonitatis;vt docet *Beatiſſ.P.* 4.*ſup. Gen.ad lit. à c.*28; & habuit vſum rationis determinatum ad bonum;& habuit libertatem ad peccandum ſolùm pro ſequentibus inſtantibus,non tamen pro primo inſtanti,quia licèt haberet voluntatem, quæ erat potentia ad vtrunlibet; quia tamen fuit creata ſimul cum actu bono;qui erat impedimentum intrinſecum, ne pro eo tunc poneretur actus malus; cùm actus bonus,& malus nequeant eſſe ſimul pro eodem inſtanti; & quia eius intellectus erat determinatus ad bonum, vt *ſup.* dictum eſt, propter quod extrinſecè impediebatur voluntas, ne tenderet in malum; ideo habuit impedimentum intrinſecum,& extrinſecum, & per hoc patet ad aliud; nam pro alio inſtanti poterat voluntas imperare intellectui, vt cogitaret de obiecto modo inconueniente aſſequibili,& ſic abijcere actum bonum, cum quo creata fuit; & ideo eius intellectus *in veritate non ſtetit*, nec voluntas in ea bonitate,& rectitudine,in qua fuit creata. Determinatio ergo voluntatis in primo inſtanti prouenit ex determinatione cognitionis, & volitionis, qua Deus determinatè creauit Angelum in veritate,& in rectitudine, in qua poſtea per ſubſequens tempus non ſtetit;vt ait *Scriptura*.

17 Obijc.3. Potuit Angelus in primo inſtãti mereri,ergo & demereri; nam plus requiritur ad meritũ, quàm ad demeritum;quia vt ait *Beatiſſ.P.de Corr.& Grat.c.11.Ad malum ſibi ſufficit, ad bonum autem,niſi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Prob.ant. Angelus de facto in primo inſtanti meruit eliciendo actum charitatis,qui fuit meritorius vitæ æternæ.Nec valet inſtantia de Chriſto Domino, qui potuit mereri, non demereri; nam contra eſt, quia Chriſtus Dominus non potuit demereri ratione vnionis hypoſtaticæ,qua carebant Angeli.

Reſp.*aliqui ex noſtris* tenentes *Fund.Doct.* docere,quòd Angeli in primo inſtãti meruerint, neg.cõſ.Ad prob. dicũt, quòd ad demeritũ plus requiratur;nẽpe indifferẽtia cognitionis,& carẽtia actus boni in volũtate,quæ duo deficiebant.

18 Sed mens *Fund. Doct.* clarè patere poteſt ex dictis; ſi enim in primo inſtanti habuit actum cognitionis determinatum ad vnum, & actum volitionis naturalem omnino neceſſariũ, & *in naturalibus neque meremur, neque demeremur*; ideo Angelus non potuit in primo inſtanti peccare,nec mereri.Tum quia *diſt.5. q. 2. art.1.* docet Angelos per gratiam appoſitam meruiſſe gloriam; gratiam autem appoſitam non habuerunt in primo inſtanti, quia in illa non fuerunt creati, vt docet *diſt.4.q.1. art.4*; aliter non eſſet appoſita,appoſitum enim dicitur illud, quod ſequitur ad productionem rei, & eſt quaſi poſitum poſt illã. Præterea ſæpiſſimè docet *cũ Mag.*Angelum habuiſſe à Deo,per quod poterat ſtare,

non

non per quod poterat proficere ad meritum, vt *diſt.4.q.1.art.4.poſt arg. In contrarium §.Præterea* ait: *Tales erant Angeli, quòd poterant ſtare, ſed non poterant proficere ad meritum*.

19 Dices. *Fund. Doct. Quodl. 6. q.* 14. ait; quòd ſi voluntas non moueret ſe ipſam, adhuc poſſet mereri, & demereri; ergo quamuis aſſerat voluntatem Angeli non poſſe ſe mouere in primo inſtanti; adhuc non ſequitur ex eius ſententia, quòd non poſſit mereri.

Reſp: *Fund. Doct. ibid.* ſolùm concludere, quòd licèt voluntas moueatur à Deo, poteſt mereri, quia nedum mouetur, ſed etiam ſe mouet. Hoc autem negat de Angelo in primo inſtanti. Præterea ſi hoc concluderet de merito, concluderet etiam de demerito; quia *ibid.* loquitur non ſolùm de merito, ſed etiam de demerito; ſed de demerito hoc expreſsè negat Angelo in primo inſtanti; vt *ſup.* viſum eſt; ergo & de merito.

20 Ad arg. ergo neg. ant. Ad prob. neg. aſſumpt; nam per appoſitam gratiam meruerunt gloriam. Vel ſi meruerunt eliciendo actus Fidei, ſpei, & charitatis ante gratiam ſanctificantem, hoc non fuit in primo inſtanti; in quo actus non potuit eſſe liber &c. An autem requiratur ad meritum vitæ æternæ gratia ſanctificans *ſuo loco videbitur*, cui affirmatiuè reſpondet *noſter Argent. in 2.diſt.27.q.1.art.4.concl.2.*

21 Obijc. 4. *Idem*. Si Angelus non poſſet peccare in primo inſtanti, maximè, quia illud peccatum tribueretur Deo; ſed conſ. eſt falſum; aliter nec etiam poſſet mereri; quia nihil poteſt mereri per operationem non ſuam; ergo & ant. Tum quia prima operatio Angeli eſt vitalis, & libera; tum quia Deus ſinit cauſas ſecundas ſecundùm curſum ordinarium agere motus ſuos pro quocunque inſtanti ſui eſſe; ſed motus voluntatis Angelicæ eſt meritorius, vel demeritorius; ergo in primo inſtanti poterat mereri, & demereri.

Reſp; quòd poſſet neg. ma; nam ratio præcipua *noſtri Doct.* eſt, quia non poſſet ſe mouere ad primam operationem; attamen omiſſa ma. neg. mi. Ad prob. infert. conc; quòd non poſſet mereri pro primo inſtanti. Ad aliud neg. aſſumpt. Ad vlt. neg. ſupp. ma; ſi namque Angelus in primo inſtanti non potuit ſe mouere, quomodò Deus potuit ſinere Angelum agere motum ſuũ, cùm in illo inſtanti nullus ſit motus ipſi Angelo poſſibilis?

22 Obijc. 5. Ex eo, quòd Deus ſimul cum creatura producat entitatem peccati, peccatum non tribuitur Deo, ſed creaturæ; quia Deus producit illam entitatem ſolùm in genere phyſico; non autem defectuoſitatem in genere moris; ſicut producit creatura; ſed prima operatio Angeli eſſet à Deo tantùm in genere phyſico, non in genere moris; & ab Angelo in genere moris; ergo malitia refunderetur tantùm in Angelum, non in Deum.

Reſp. neg. mi; nam Deus fecit Angelum, ſicut hominem rectum; rectitudo autem conſiſtit in ordinatione ad bonum finem, à quo ſumitur bonitas moralis; & ideo produxit Deus primam operationem Angeli nedum in genere phyſico, ſed etiam in genere moris.

23 Obijc. 6. Homo in primo inſtanti vſus rationis poteſt peccare; ſed Angelus fuit creatus in primo inſtanti cum vſu rationis; ergo potuit peccare. 2. Homo in primo inſtanti ſuæ productionis contrahit peccatũ originale; ergo & Angelus in primo inſtanti luæ creationis potuit cõtrahere peccatum actuale. 3. Angelus in primo inſtanti non erat regula ſuarum operationum; ergo potuit peccare.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt; quia homo perueniens ad vſum rationis elicit à ſe ipſo primam operationem rationalem; non enim creatur à Deo in eius intellectu, & voluntate; ſicut concreatur in intellectu Angeli. Ad 2. neg. conſ. quia ad contrahendum peccatum originale non requiritur libertas, & indifferentia rationis; ſufficit enim ſola vnio animæ ad corpus; at verò ad contrahendum peccatum actuale requiritur in Angelo libertas, & indifferentia rationis, quæ cũ illi deſint, nõ poteſt peccare. Ad 3. dicitur, quòd licèt non ſit prima regula; attamen quia voluntas, & intellectus ipſius creantur à Deo ſimul cum actu bono, cum quo nequit ſtare peccatum; ideo nequit peccare; vnde impeccabilitas nedum prouenit à prima regula, ſed etiam à determinatione voluntatis.

24 Obijc. 7. Poterat Angelus in primo inſtanti ſuſpendere actum bonum à Deo præceptum; ergo poterat peccare. Prob. ant. Angelus fuit creatus à Deo nedum cum libertate contrarietatis, ſed etiam contradictionis, quæ verſatur circa actum, & ſuſpenſionem actus; ergo potuit ſuſpendere actum bonum. 2. Licèt Angelus non fuerit liber ad tẽdendum in obiectum malũ; erat tamen liber quoad modum tendendi; ergo poterat peccare in modo tendendi; ſicut peccauit appetendo beatitudinem, quæ eſt obiectum bonum, per naturam, qui eſt modus peruerſus. 3. Obiectum præſentatum ipſi Angeli in primo inſtanti non erat ſummum bonum clarè viſum; ergo circa illud poterat peccare.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Angelus fuit creatus in primo inſtanti cum libertate actuata ab actu bono, cum quo non poterat coniungere actum malum, conc; ſine actu bono, neg. Ad 2. neg. ant; vt *ſup.* dictum eſt. Ad 3. neg. conſ. nã non volũtas nequit peccare circa obiectum ſummè bonum clarè viſum, ſed etiam circa obiectum bonum repræſentatum cum ratione præciſa boni; & eò magis ſi ſit creata cum actu bono circa tale obiectum bonum nequit peccare pro eodem inſtanti propter oppoſitionem, quam dicit actus bonus ad actum malum.

25 Obijc. 8. Angelus in primo inſtanti nedũ co-

cognouit bonum honeſtum,ſed etiam mala prohibita;quia habuit ſimul ſpecies omnium rerum; ergo potuit peccare.

Reſp. 1.neg.ant;prima enim cognitio,quam habuit Angelus,fuit,qua cognouit Deũ, ſe ipſũ, & alia à ſe in generali, non in particulari, & diſtinctè. 2. Neg. conſ; quanuis enim cognouerit mala prohibita; attamen non potuit peccare in illo inſtanti; quia non potuit coniungere actum malum cum actu bono,cum quo fuit creatus.

A R T. III.

Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum?

1 CErtum eſt. 1. *apud omnes* Angelos malos peccaſſe peccato ſuperbiæ; manifeſtè enim *ex Scriptura* colligitur; vt *Iſaiæ* 13. de Lucifero dicitur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua.* Et paulò poſt. *Qui dicebas in corde tuo: In Cœlum conſceudam, ſuper aſtra Cœli exaltabo ſolium meum &c.* Vel vt legũt 70. *apud Beatiſs.P.* 11.*ſup.Gen.ad lit.c.*24. *Tu autem dixiſti in ſenſu tuo: In Cœlum aſcendam; ſuper ſydera Cæli ponam thronum meum; ſedebo in monte excelſo ſuper omnes montes,qui ſunt ad Aquilonem; aſcendã ſuper nubes, ſimilis ero Altiſſimo. Et Ezechiel.* 28. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo,perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo; in terram proieci te. Et Iob.* 41. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ; & Tob.*4. *Superbiam nũquam in tuo ſenſu,aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio; & 1. ad Tim.* 3. ait *Apoſt.Neophitum non eſse eligendum in Epiſcopũ; ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat Diaboli*: Hoc docent communiter *SS. PP*; inter quos *Beatiſs.P.lib.*11.*de Ciu.Dei c.*33. duas ſocietates Angelorũ elegãter deſcribẽs ait: *Nos tamen has duas Angelicas ſocietates,vnam fruentem Deo,alteram tumentem typho* (*Typhos Grecè* ſonat latinè grandem ſuperbiam) *vnam,cui dicitur: Adorate Deum omnes Angeli eius; aliam,cuius Princeps dicit: Hæc omnia tibi dabo,ſi proſtratus adoraueris me; vnam Dei ſancto amore flagrantem,alteram propriæ celſitudinis immundo amore fumantem; & quoniam ſicut ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit,humilibus autem dat gratiam; illam in Cœlis Cœlorum habitantem, iſtam inde deiectam in hoc infimo aereo Cœlo tumultuantem; illam luminoſa pietate tranquillam,iſtã tenebrioſis cupiditatibus turbulentam; illam Dei nutu elementer ſubuenientem, iuſtè vlciſcentem, iſtam ſuo faſtu dominandi, & uocendi libidine exæſtuantem &c; & ſerm.*53.*de verb.Domini. Solùm eum ſuperbia, & inuidia mittit in ignem æternum*; quod repetit *de Ciu.Dei lib.*14.*c.*3; *& in pſ.*18. de ſuperbia ait: *Hoc eſt delictum, quod deiecit Angelum; quod ex Angelo fecit Diabolum; eique in æternum intercluſit regnum Cœlorum; & alibi* frequentiſſimè *ſup. illud* 1.*Io.*3. *Ab initio Diabolus peccat*; ait: *Ab initio*; idèſt *à ſuperbia*, quæ *eſt initium omnis peccati*, iuxta *Eccl.*10; *vt* 11.*de Ciu.c.*13; *&* 15; *&* 11.*ſup. Gen.c.*16.

2 Certum eſt 2.ex ſeptem vitijs capitalibus, quæ ſunt radices,& origines aliorum, ſolùm ſuperbiam,& inuidiam per ſe competere Angelis. Diximus *per ſe*; quia Angeli mali per alium,nempe per hominem, poſſunt quolibet peccato peccare,& luere pœnam ei peccato debitam; quatenus poſsũt ſuadere homini fornicationes,adulteria, ebrietates, vindictas &c; per ſe autem non poſſunt Angeli hæc peccata committere; quia ſunt opera carnis, qua carent Dœmones; vt docet *Beatiſſ.P.de Ciu.Dei lib.*14.*c.*3; & ex illo *Fũd. Doct.inf*; nam auaritia ſtrictè, & propriè ſumpta eſt *appetitus pecuniæ,vel eorum,quæ pecunia comparari poſſunt ad ſufficientiam vitæ*; patet autem, quòd pecunia non eſt neceſſaria,niſi vitę carnali. Et quanuis auaritia 1. *ad Tim.* 6: dicatur radix omnium vitiorum; habetur enim: *Radix omnium malorum eſt cupiditas*; attamen *hic* non ſumitur auaritia,niſi lato modo, quo omne peccatum dicitur cupiditas; nimis nanque auarus, & cupidus eſt,cui non ſufficit Deus. Sic luxuria ſtrictè ſumpta,vt *inſ.* videbimus, eſt appetitus carnalis tendens ad emiſſionem ſeminis; gula verſans circa immoderatam ſumptionem cibi; ira,quæ eſt paſſio appetitus ſenſitiui; & accidia, quæ eſt retractio à ſpiritualibus propter corporales labores. Remanet ergo,quòd ex ſeptem vitijs capitalibus ſuperbia,& inuidia ſolùm poſſunt per ſe competere naturæ Angelicæ.

3 Et quanuis Angelis competat blaſphæmia in Deum,& odiũ Dei, & hominũ, impietas, apoſtaſia,ambitio,vana gloria,& alia huiuſmodi; attamen hæc non potuerunt eſſe primum peccatum Angelorum; quia radix eorum eſt ſuperbia; radix autem præcedit radicatum; vt ait *Fund. Doct.inf.ad* 2.

4 Certum eſt 3.primum peccatum Angelorum fuiſſe amorem inordinatum propriæ excellentiæ,& celſitudinis; colligitur enim ex illo: *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo*; & *ex Beatiſs.P. vbiſ*; nec de hoc dubium eſt *inter Scholas*, vt fatetur etiam *Maſtr.inſ.n.*67.

5 Dubium ergo ſolùm eſt de nomine; an talis amor propriè appellandus ſit ſuperbia ſtrictè ſumpta, prout contradiſtinguitur ab alijs vitijs capitalibus; vel alio particulariori nomine?

6 *Scot.in* 2.*diſt.*6.*q.*2. vult talem amorem inordinatum ſui nõ eſſe ſuperbiam ſtrictè ſumptam,ſed luxuriam ſpiritualem; & ideo primum peccatum Angelorum fuiſſe quãdam ſpeciem innominatã,quæ dici poteſt *Philauthia*,ſeu luxuria ſpiritualis, quæ ſolùm radicaliter, virtualiter,aut concomitanter poteſt dici ſuperbia, quatenus, qui plus æquo amat ſua perfectionem, ſtatim ſuper alios extolli deſiderat (& in hoc explicat *Beatiſs.P.*) putat enim ſuperbiam ſtrictè ſumptã eſſe tantummodò immoderatum affectum propriæ excellentiæ relatiuè ad alios,non autem in ordine ad ſe. Ipſum ſequũtur *omnes Scotiſtæ,Fab; Vulp; Branc,Ponc; Baſsol. apud Maſtr. hic diſp.*3. *q.*4.

q.4.*art.*1.*n.*69;vbi refert etiam *Zum.q.*63.*art.*3. *q.*2.*concl.*3.

7 Noſtra tamen ſententia docet primum peccatum Angelorum fuiſſe ſuperbiam ſtrictè,& propriè ſumptam, quæ proinde nedum per ordinem ad alios, ſed etiam per ordinem ad ſe propriè dicitur. *Ita Fund.Doct.in* 2.*diſt.*5.*q.*1.*art.*3; *Argent,Gibb; & tota noſtra Schola*. Idem docent *Thomiſtæ communiter, PP. Soc;* & *omnes alij* approbantes modum loquendi *Scripturarum*, & *SS.PP.*tanquam proprium,& ſecundùm ſtrictam ſignificationem, qui communiter aſſerunt primū Angelorum peccatum fuiſſe ſuperbiam. Vnus excipitur *Val;* qui licèt id fateatur de facto;aſſerit tamen primum peccatum Angelorum potuiſſe eſſe alterius ſpeciei,puta inobedientiæ.

8 Vnica concl. Primum peccatum Angelorum fuit ſuperbia propriè dicta.

Prob.1. *ex Scripturis* ſuperiùs adductis; ex quibus ſic arguitur. *Scriptura* aſſerunt peccatum, per quod ceciderunt Angeli mali,eſſe ſuperbiā; ergo primum peccatum Angelorum fuit ſuperbia. Ant. patet *ex textibus* ſuperiùs adductis. Prob.conſ. Illud eſt primum peccatum Angelorum, per quod ceciderunt; nam peccata ſubſequentia ſupponebant caſum ipſorum; quia ſupponebant primum peccatum,per quod iam ceciderant;ipſum enim peccatum eſt lapſus,& caſus; ergo primum peccatum Angelorū eſt ſuperbia.

9 Conf.Illud,quod eſt principale,eſt primū peccatum;ſed ſuperbia Angelorum eſt principale peccatum; ergo ſuperbia Angelorum eſt primum peccatum.Ma.patet;quia principale,& primum dicuntur ad conuertentiam;nam principale eſt illud,quod eſt principium aliorum;& *primum eſt cauſa ceterorum.*Prob.mi.Illud eſt peccatum principale Angelorum,quod nominatur *in Scriptura*, & cui principaliter indicta eſt pœna; non enim veriſimile eſt, quòd *Scriptura* nominauerit peccatum minùs principale, & pœnam debitam peccato minùs principali; & taceret peccatum principale,& pœnam principalem;ſed ſuperbia, & deiectio in ima, quæ debetur ſuperbiæ, qua Angeli intenderunt exaltationem ſui,nominatur *in Scriptura*;ergo ſuperbia eſt peccatum primum Angelorum.

10 Prob.2.*ex Beatiſſ.P. lib.*11. *de Gen.c.*14; vbi loquens de Diabolo ait: *Nonnulli enim dicūt ipſum ei fuiſſe caſum à ſupernis ſedibus,quòd inuiderit homini facto ad imaginem Dei.Porrò hæc inuidia ſequitur ſuperbiam,non præcedit;non enim cauſa ſuperbiendi eſt inuidentia,ſed cauſa inuidendi ſuperbia.Cùm igitur ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ; inuidia verò ſit odium felicitatis alienæ;quid inde naſcatur,ſatis in promptu eſt, amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus inuidet,quia ei coæquantur;vel inferioribus,ne ſibi coæquentur;vel ſuperioribus, quia eis non coæquetur.Superbiendo igitur inuidus, non inuidēdo quiſque ſuperbus eſt.* Quod repetit *ſerm.*54. *de verb. Domini;Prior eſt in vitijs ſuperbia; vt dicere ceperam,deinde inuidia, nō enim inuidia peperit ſuperbiam,ſed ſuperbia peperit inuidiam; non enim inuidet,niſi amor excellentiæ. Amor excellentiæ ſuperbia vocatur.*Ex his ſic arguitur.Solum vitium capitale eſt primum peccatum cuiuſcunque naturæ intellectualis creatæ;ſed in Angelis non ſunt niſi duo vitia capitalia, quorum vnum eſt ſuperbia, alterum inuidia; & ſuperbia eſt radix, & ideo prior inuidia;ergo ſola ſuperbia eſt primum peccatum Angelorum. Ma.patet; quia reliqua peccata originata à vitijs capitalibus eſſentialiter ſupponunt vitia capitalia, à quibus deriuant; ſicut radicatum ſupponit radicem; illud autem, quod aliud ſupponit, non eſt primum; quia primum nihil ſupponit; & ideo ſolum vitium capitale eſt primum peccatum.Mi.quoad 1.par.conſtat; quia cetera vitia capitalia ſunt corporalia, & ideo nequeunt committi per ſe ab Angelis, qui ſunt naturæ incorporeæ; vt *ſup.* dictum eſt. Prob. 2.pars. Inuidia eſt effectus ſuperbiæ; quia *ſuperbia eſt initiū omnis peccati*; vt habetur *Eccl.* 10;in tantùm enim quis peccat, in quātùm amat bonum proprium; & ideo in tantùm quis inuidet ſuperiori, in quantùm vult ipſum excellere, vel ei coæquari; quod non eſt, niſi amare propriam excellentiam; & conſequenter ſuperbire; ergo ſuperbia eſt prior,quia eſt radix inuidiæ.

11 Dices.*Apoſt.*1.*Cor.*13.poſuit priùs inuidiam, quàm ſuperbiam; ait enim de charitate: *Non æmulatur,non inflatur;*ergo inuidia eſt prior ſuperbia.

Reſp. *Beatiſs.P.de Verb. Domini vbiſ. Apoſtolum* poſuiſſe priùs inuidiam *quaſi quæſiturus cauſam,quare non æmulatur,ſubdidit: Non inflatur;ergo ſi ideo non æmulatur, quia non inflatur:ſi inflaretur,æmularetur.*

12 Conf.Illud,quod eſt radix omnium peccatorum, eſt primum peccatum omnium peccatorum; ſed ſuperbia eſt radix omnium peccatorum; ergo ſuperbia eſt primum peccatum Angelorum.Ma.conſtat. Prob.mi. Superbia in vnoquoque peccatore eſt primum peccatum omniū peccatorum;vt dictum eſt *ex Scripturis*;tum quia omnis peccator peccat magis amando ſe ipſum, quàm Deum;tum quia anteponit ſe ipſum Deo; quia non vult illi ſubiacere ſeruando eius legē; vt docet *Beatiſs.P.*12.*de Ciu.c.*6; vbi loquens de Angelis malis ait: *Se illi præferendo, id, quod minus eſt,prætulerunt;*hæc autem eſt maxima ſuperbia etiam in ſententia *Scoti* aſſerentis ſuperbiam eſſe relatiuè ad alios;amando enim excellentiam ſuam magis, quàm Deum, illam amauerunt per ordinem ad alium, nempe Deum;ergo iuxta ſententiam *Beatiſs.P.* primum peccatum Angelorum fuit ſuperbia propriè dicta etiam ſecundùm definitionem efformatam *à Scoto*; & ideo falſa eſt explicatio *eiuſdem Scoti*,qua aſſerit *Beatiſs.Patrē locis cit.* loqui de ſuperbia latè ſumpta; ibi enim loquitur de ſuperbia per ordinem ad alium.

Ex

13 Ex his confutata manet opinio *Val*;inobedientia enim non eſt peccatum capitale; ideo nequit eſſe primum peccatum;& ſic de reliquis.

14 Dices.Ex hoc ſequeretur omne peccatũ eſſe ſuperbiam propriè dictam; & ſic omnis peccator peccaret ſemper peccato ſuperbiæ;& ideo hoc teneretur exprimere in cõfeſſione;nam peccator ſemper poſtponit Deum bono, quo delectatur;ergo hæc ratio non ſubſiſtit.

Reſp; quòd licèt in omni peccato ſit ſemper ſuperbia materialiter,non tamen formaliter; nam peccator aliquando non intendit per ſe poſtponere Deum creaturæ, ſed ſolùm per accidens, quatenus illud peccatum creaturam Deo præponit;nam v.g. fur per ſe intendit ſurripere rem alienam, non tamen intendit poſtponere Deum creaturæ; quoties cum facto coniuncta poſtpoſitio Dei ad creaturam; ea autem,quæ ſũt præter intentionem peccatoris,non tenemur exprimere in confeſſione; nec talia dicuntur ſuperbia propriè dicta,ſed ſolùm per accidens, & materialiter; denominatio autem propriè dicta habetur ab eo,quod eſt per ſe;non ab eo, quod eſt per accidens.Igitur in peccato Angelorum poſtpoſitio Dei ad creaturam ſe habet per ſe, quia Angelus intendebat ſe non ordinare ad Deum; aliter eius amor non fuiſſet inordinatus; & ideo fuit ſuperbia per ſe,& propriè dicta.

15 Prob.autem vlteriùs,quòd primum peccatum Angelorum fuerit ſuperbia propriè dicta. 1. Quotieſcunque *Scriptura* aſſerit aliquod abſolutè,quod admittitur *à SS.PP.*ſine vlla exceptione, tunc non eſt fas illud negare in ſenſu literali, & proprio ſecũdùm propriam vocum ſignificationẽ, niſi aliunde ſequatur aliqua contradictio,aut abſurditas *in Scriptura*;ſed *Scriptura* aſſerit abſolutè primum peccatum Angelorũ fuiſſe ſuperbiam; & hoc traditur communiter *à SS. PP*;nec aliunde ſequitur aliqua contradictio,aut abſurditas *in Scriptura*; ergo non eſt fas negare primum peccatum Angelorum fuiſſe ſuperbiam propriè dictã.Ma.patet ex dictis *to.1.q.6.proem. art.3;& in hoc to.3.q.1.in Hexam.pluries*; aliter ferè nihil certi *in Scripturis* habere poſſemus; ſi vnicuique liceret eas ad propriam contorquere ſententiam.1.Pars mi.patet *ex textibus* allatis.2. p.vltra *textus ex Beatiſſ.P.*adductos videri poteſt *D.Ambr.epiſt.*84;*D.Greg.lib.*23.*Mor.c.*7; *D.Proſper de Vita contempl.c.*3;*D.Dam.lib.*2. *de Fide c.*4;*D.Bern.lib.*1.*de Am.& ſerm.*37; *D.Anſel.de caſu Diaboli c.*4; *D.Tho. in* 2.*diſt.*5.*q.*1.*art.*6;*& alij ferè omnes*; quibus adduntur *omnes Scholaſtici vno Scoto* excepto. Quòd autem nulla ſequatur contradictio,aut abſurditas,patet, quia nulla adducitur *ab Aduerſarijs*; qui puram objiciunt rationem, quæ tamen non conuincit, ſed facillimè ſoluitur; vt *inf.* vnde licèt quando ratio conuincens communiter admiſſa repugnat intelligentiæ literali *Scripturarum*; tunc licitum ſit illã in alio ſenſu exponere; non tamen licet,cùm ratio vniuerſaliter non conuincit; quia rationem propriam debemus appendere *Scripturæ*, non *Scripturam* rationi; plus enim præpõderat *Scripturæ* auctoritas,quia eſt Diuina, quàm totius rationis perſpicacitas,vt docet *Beatiſs.P. loc.cit.to.* 1. *vbiſ*; & ideo *Scriptura* non debet appendi rationi vnius *Doctoris priuati*, ſed ad ſummum rationi *apud omnes* vniuerſaliter manifeſtæ.

16 Prob.vlteriùs.Quod dicitur ſecundùm ſuam definitionem,dicitur propriè,& formaliter; ſed ſuperbia dicitur de primo peccato Angelorum ſecundùm ſuam definitionem;ergo ſuperbia dicitur propriè, & formaliter de peccato Angelorum. Ma.patet; quia dici ſecundùm ſuam definitionem eſt dici ſecundùm ſuam formam, ſeu eſſentiam,& hoc eſt dici formaliter;& eſt dici ſecundùm ſuam differentiam,quo nihil magis proprium habet res. Prob.mi. Superbia *à Beatiſſ.P.* definitur: *Amor propriæ excellentiæ* illis verbis: *Cùm ſuperbia ſit amor propriæ excellẽtiæ*; ſed peccatum Angelorum eſt amor propriæ excellentię; ergo de peccato Angelorum dicitur ſuperbia ſecundùm propriam definitionem.

17 Præterea.Si peccatum Angelorum pertineret ad ſpeciem innominatam peccati; quæ poteſt vocari *Philautbia*, ſeu luxuria ſpiritualis; vel hæc pertineret ad aliquod ex ſeptem vitijs capiralibus; quæ ſuos Fideles docet Eccleſia, vt ab illis abſtineãt;vel non? Si primum; ergo ipſa non poſſet eſſe primum peccatum; radicatum enim nequit eſſe prius radice.Si ſecundum;ergo Eccleſia defeciſſet in doctrina Fidelium vſque ad temporã *Scoti*; non enim ſufficiẽtem notitiam tradidiſſet peccatorum, quæ ſunt vitanda, & in Sacramento pœnitentiæ expianda; quod eſt abſurdum.

18 Vrgetur magis.In tantùm ſuperbia dicitur propriè relatiuè ad alios; in quãtùm hoc nomen ſignificat *ire ſuper alios*;vt ait*Maſtr*;ſed hoc eſt falſum; quia hoc nomen *ſuperbia* ſignificat æquè*ſupra ſe ipſum*, ac*ſuper alios*; vnde *ſuperbire* rectè ſignificare poteſt *ire ſuper ſe ipsũ* magis æſtimando ſe, quàm oportet; quàm *ſuper alios*, magis ſe ipſum,quàm alios faciendo;ergo ſuperbia æquè dicitur ad ſe,ac relatiuè ad alios.

19 Conf.Humilitas, quæ opponitur ſuperbiæ,dicitur nedum in ordine ad alios, quatenus alijs ſe ſubijcit; ſed etiam in ordine ad ſe,quatenus ſuum nihil,ex quo eſt,recogitat; quapropter qui nihil ſe eſſe, & nihil boni habere in ſe ipſo, & ex ſe ipſo,putat,humilis propriè vocatur;aliter deberet dari alia ſpecies innominata virtutis; & ſic de alijs;quòd multùm præiudicaret doctrinæ, & notitiæ Fidei; darentur enim multæ virtutes, & multa vitia hactenus innominata; ergo & ſuperbia dicitur nedum in ordine ad alios,ſed etiã in ordine ad ſe;*oppoſitorum* enim *eſt eadem ratio.*

20 Vrgetur magis.Luxuria *ex noſtro Ambr. Calepino* ſignificat in quacunq; re immoderantiã quandam,& ſuperfluitatem deliciarum,& volup-

tatum; ergo luxuria ſpiritualis nequit eſſe peculiaris ſpecies peccati ſpecificans, & diſtinguens primum peccatum Angelorum ab alijs; nam ſicuti in rebus corporeis datur immoderatus appetitus, & nimia delectatio, quæ eſt communis omnibus peccatis corporeis, poteſt enim quis nimis amare ſuas diuitias, nimis affectare vindictam, nimis immoderatè appetere, & delectari cibis; & ſic de reliquis; & tamen iſte immoderatus, & nimius appetitus non conſtituit ſpeciem diſtinctã à vitijs corporeis; eſt enim ſolùm intẽſior, & maior complacentia; quæ in alio peccatore eſt remiſſior, & minor; *magis* autem, *& minus non variant ſpeciem*; ergo idem pariter dicendum de luxuria ſpirituali.

21 Vlteriùs. Quanuis hoc nomen *luxuria* in corporalibus ſit ad alterum propriè loquendo, vt patet in fornicatione, adulterio &c; attamen in ſpiritualibus propriè dici poteſt ad ſe; aliter primum peccatum Angelorum nec etiam luxuria ſpiritualis propriè dici poſſet; ergo eadẽ ratione quanuis ſuperbia propriè loquendo ſit ad alterum, cui vult ſuperferri; attamen propriè dicitur etiam in ordine ad ſe, cùm ſupra id, quod eſt, ambiat extolli.

22 Inſuper. Quod communiter dicitur de pluribus generibus, nequit, etianſi determinetur ad aliquod genus, conſtituere aliquam ſpeciem; v.g. quia ſubſtantia communiter dicitur de natura ſpirituali, & corporali; ideo neque etiam, vt determinata ad genus ſubſtãtiæ ſpiritualis, cõſtituere poteſt aliquã ſpeciẽ athomam, de qua loquimur; ſubſtantia enim ſpiritualis eſt communis omnibus ſpeciebus Angelorum, vt patet; ſed luxuria, *vt ſic*, eſt communis immoderationi corporeæ, & ſpirituali; ergo neque, vt determinata ad genus vitij ſpiritualis, poteſt conſtituere aliquam ſpeciem athomam peccati, & ideo adhuc quærenda eſt differentia ſpecifica infima primi peccati Angelorum.

23 Tandẽ. Delectatio ordinata alicuius boni honeſti non eſt aliqua ſpecialis virtus diſtincta ab alijs virtutibus; quia reſpicit idem obiectum formale, quod reſpicit ipſa virtus; ergo delectatio inordinata obiecti inhoneſti non eſt aliqua ſpecialis malitia diſtincta à malitia illius vitij, quo delectatur voluntas; habet enim idem obiectum formale; ſed luxuria ſpiritualis eſt quedam delectatio inordinata; ergo non conſtituit malitiam ſpecificam diſtinctam à malitia aliorum vitiorum.

24 Obijc. 1. *Maſtr.* Luxuria nedum dicitur de rebus corporeis venereis, ſed etiam de quacunque profuſione; vnde etiam plantæ luxuriare dicuntur, cùm frondes plus æquo emittunt; ergo dicitur etiam de amore peccaminoſo Angelorũ, quo plus æquo ſe dilexerunt; & ideo primum eorum peccatum propriè dici debet ſpiritualis luxuria. 2. Eiuſdem rationis eſt amor, quo quis amat inordinatè ſe ipſum; ac ille, quo amat inordinatè proximum; ſed amor, quo amat inordinatè proximum, eſt propriè luxuria; ergo & ille, quo inordinatè amat ſe ipſum. 3. Superbia eſt amor immoderatus propriæ excellentiæ ſolùm per ordinem ad alios; ſuperbire enim eſt *ſuper alios ire*; ergo amor immoderatus ſui ipſius non eſt ſuperbia, ſed luxuria ſpiritualis. 4. *Gelaſius in epiſt. Decretali cont. Pelag.* ait Angelos peccaſſe luxuria ſpirituali, idẽſt dilectione ſui.

Reſp. hoc arg. iam ſolutum fuiſſe. Inſuper ad 1. diſt. ant. Luxuria dicitur de quacunque immoderata profuſione, vt de plantis, metaphoricè, & per translationem, vt riſus dicitur de prato, cooc; propriè, neg. Ad 2. retorq. arg. Amor, quo quis amat ſe ipſum, eſt eiuſdem rationis cũ eo, quo amat proximum; ergo appetitus inordinatus, quo quis vult extolli ſuper proximum, eſt eiuſdem rationis cum appetitu inordinato, quo quis vult ſe ipſum extolli ſupra ſuum ſtatum; atqui ille eſt ſuperbia propriè dicta; ergo & iſte. Præterea neg. mi; nam amor, quo quis amat alterum, vt vltorem propriæ offenſæ, eſt inordinatus; eſt enim contra legẽ Dei, & tamen ille amor non eſt luxuria. Ad 3. ſuperiùs dictum eſt. Ad 4. dicitur luxuriam ſumi translatiuè, non propriè.

25 Obijc. 2. Primum peccatum Angeli non potuit eſſe, niſi amor inordinatus amicitiæ erga ſe ipſum; nã amauit nõ referẽdo ſe in Deũ; ſed hic amor nequit eſſe actus ſuperbiæ; quia fuit erga ſe ipſum, vt abſolutè amabilem, non verò reſpectiuè, quatenus excellentem ſuper alios; prius eſt enim rem eſſe abſolutè ſecundùm ſe, quàm relatiuè ad alia; ergo primum peccatum Angelorum non fuit ſuperbia propriè dicta.

Reſp. hoc pariter ſolutum fuiſſe. Neg. igitur mi; & ad prob. infert. dicitur, quòd quanuis ille amor fuerit erga ſe ipſum, quia tamen fuit erga ſe ipſum, quatenus excellentem ſupra ſuũ ſtatum; ideo fuit actus ſuperbiæ propriè dictæ; in tantùm enim amor, quo quis affectat extolli ſuper alios, eſt actus ſuperbiæ; in quantùm vult extolli ſupra ſuum ſtatum; nam ſi quis amaret ſe, vt excellentem omnia bruta animalia, non eſſet actus ſuperbiæ; quia non vellet extolli ſupra ſuũ ſtatum; ſtatus enim ipſius eſt excellens ſtatum brutorum animalium; ergo in tantùm quis ſuperbit amando extolli ſuper alios; in quantùm amat extolli ſupra ſuum ſtatũ; & ideo amor, quo quis amat extolli ſupra ſuum ſtatum, à fortiori eſt proprius actus ſuperbiæ; ſed amando ſe ipſum, plusquàm debet, amat extolli ſupra ſuum ſtatũ; ergo talis amor eſt actus ſuperbiæ propriè dictæ; & ſic magis roboratur concl. Præterea dicitur, quòd ſi ille amor, vtpotè inordinatus, nõ referebatur in Deum, iam præponebat ipſum Angelum Deo; quia poſtponebat ſibi ipſi ſubiectionem Dei; vel ſaltem æqualem faciebat ſe Deo; Deus enim non ordinatur ad alium tanquam ad finem, ſed eſt propter ſe; & ſic ille actus non fuit ordinatus ad alium tanquam ad finem, ſed fuit

prop-

propter ſe; ſed intendere ſuperioritatem, vel æqualitatem ad Deum eſt actus ſuperbiæ; quia eſt extollere ſe ipſum ſupra ſuum ſtatum; ergo fuit peccatum ſuperbiæ propriè dictæ. Quanuis igitur Angelus ſit obiectum abſolutè amabile, & hoc ſit prius, quàm relatiuè ad alios; attamen Angelus amando ſe abſolutè non peccauit; quia talis amor fuit ei naturalis; vt ſuperiùs dictum eſt; ergo non peccauit, niſi quatenus non retulit illum actum in Deum; & per conſequens quatenus voluit ſe ipſum extolli ſupra id, quod erat; erat enim naturaliter, vtpotè creatura, ſubiectus, & ordinatus in Deum, tanquam inferior; à qua inferioritate præſcidit, quatenus non retulit ſe in Deum.

26 Obijc. 3. Superbia eſt maximum peccatum, per quod damnati ſunt Angeli mali, vt docent *Scripturæ*; ſed primum peccatum Angelorum non fuit maximum; quia Angelus peccando incepit à leuioribus procedendo ad grauiora; vt docet *Beatiſſ.P.14.de Ciu.c.vlt.* dicẽs: *Amor ſui vſque ad contemptum Dei fecit ciuitatem Diaboli*; & ex illo *pſ. Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*; ergo primum peccatum Angelorum non fuit ſuperbia.

Reſp. neg. mi; quia primum peccatum eſt rario ceterorum peccatorũ; *propter quod* autem *vnunquodque tale, & illud magis*; vnde peccatũ originale *in Adam*, quia fuit cauſa omnium peccatorum, eſt maximum peccatum. Ad *Beatiſſ. P.* dicitur; quòd illis verbis non deſcribit gradationem plurium peccatorum; ſed intenſionem peccati ſuperbiæ; quæ fuit talis; vt peruenerit ad cõtemptum Dei. Illud autem *pſ.* nihil aliud ſignificat, niſi quòd ſuperbia ſemper creſcit; non autẽ quòd prius non fuerit ſuperbia; aliter ſi non fuiſſet, quomodò diceretur aſcendere, & creſcere; diceretur enim naſci.

27 Obijc.4. Superbia conſiſtit in appetere aliquid ſibi naturaliter indebitum; ſed excellentia Angeli erat ei naturaliter debita; ergo appetitus illius non eſt actus ſuperbiæ. 2. Appetitus inordinatus propriæ excellentiæ eſt amor concupiſcentiæ; quo quis aliquod bonum maius ſibi concupiſcit; ſed amor concupiſcentiæ ſupponit amorem amicitiæ; quia ſupponit amorem perſonæ, cui illud bonum concupiſcitur; ergo amor propriæ excellentiæ non fuit primum peccatum Angelorum; ſed amor amicitiæ, qui eſt luxuria ſpiritualis.

Reſp. *Fund.Doct.* diſt.ma. Superbia conſiſtit in appetere aliquod ſibi naturaliter indebitum tantùm, neg; poſſumus enim ſuperbire appetendo aliquid naturaliter debitum non eo modo, quo appetere debemus, ſcilicet non tanquam ex Deo, ſed ex nobis; etiam, conc; & ſic diſt. mi. Excellentia erat debita Angelo ſubiectiuè ad Deũ, conc; non ſubiectiuè, neg. Ad 2. diſt. mi. Eſt amor concupiſcentiæ, tantùm, neg; concupiſcentiæ, & amicitiæ ſimul, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam amor amicitiæ eſt ille, quo amamus aliquod bonum alicui perſonæ; & amor concupiſcentiæ eſt, quo amamus præciſè illud bonum; vnde cùm quis amat excellentiam ſibi, vtroque amore ſimul amat. Vel diſt. mi. Amor cõcupiſcentiæ ſupponit amorem amicitiæ vel ordinatum, vel inordinatum, conc; inordinatum tantùm, neg; poteſt enim quis ordinatè amare aliquem amore amicitiæ, tanquam proximum; & poſtea illi inordinatè concupiſcere aliquod bonum. Sic amor cõcupiſcentiæ inordinatus Angelorum ſupponebat amorem naturalem amicitiæ ordinatum, quo amabant ſe ipſos; quia tamen hic amor non erat malus, naturalis enim erat; & quia amor cõcupiſcentiæ, quo inordinatè concupiuit ſuam excellentiam, erat malus; ideo hic fuit primum peccatum Angelorum.

Quæres; an primum peccatum Angelorum potuerit eſſe peccatum veniale?

Reſp. hoc diſſoluendum fore conformiter ad ea, quæ ſuo loco dicemus *de Adam* in ſtatu innocentiæ conſiderato; de vtroque enim procedit par ratio; ideo illuc remittitur.

ART. IV.

Quod fuerit motiuum ſuperbiæ Angelorum?

1 OMiſſa opinione eorum, qui, vt refert *Beatiſſ.P. lib.11.de Gen.ad lit.c.14*; aſſerebant motiuum peccati Angelorum fuiſſe hominem, cui inuiderant eò, quia viderunt ipsũ factum ad imaginem Dei, quæ opinio ſatis confutata eſt *in ſup. art*; cùm enim concluſum fuerit primum peccatum Angelorum non fuiſſe inuidiam, ſed ſuperbiam; demonſtratum pariter eſt hoc non fuiſſe motiuum primi peccati Angelorum. Quærimus igitur *hic* de ſolo motiuo ſuperbiæ, quæ fuit primum peccatum ipſorum.

2 Certum eſt ſecundùm Fidem Angelos malos appetijſſe ſimilitudinem Dei; vt dicitur *Iſaiæ 14. Similis ero Altiſſimo*; imò & æqualitatẽ ſedis, ac throni cum Deo, habetur enim *ibid. Super Sydera Cœli ponam thronum meum, ſedebo in monte excelſo ſuper montes excelſos, qui ſunt ad Aquilonẽ*, qui locus procul dubio eſt ſedes Dei; ac propterea ſubdit: *Similis ero Altiſſimo*; & *Ezechiel.28. In cathedra Dei ſedi in corde maris*; imò certum eſt appetijſſe Deitatem; *Ezechiel.* enim *ibid.* dicitur: *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum*; ex quibus liquet motiuum ſuperbiæ Angelorum fuiſſe ſimilitudinem, æqualitatẽ cum Deo, & ipſam Deitatem. Difficultas tamen eſt in explicando, quomodò iſta appetierint, vel potuerint appetere?

3 Prima ſententia vult motiuum primi peccati Angelorum fuiſſe æqualitatem cum Deo abſolutè ſumptam. *A Gonet* tribuitur *Scot*; *Sua*; *Vaſq*; & *Bec*; qui tamen (ait noſter *Gibb.*) dixerunt fuiſſe æqualitatem in eſſe conditionato; idèſt *vellem eſſe Deum, ſi hoc eſſet poſſibile*.

4 Secunda ſententia vult fuiſſe vnionem

hypoſtaticam; videns enim ſe ipſum perfectiorē homine, cenſuit vnionem ſuæ naturæ cum Verbo Diuino ſibi deberi ratione ſuæ perfectionis, non homini; & ex hoc orta eſt inuidia in hominem. *Ita Gran*;qui refert *Alen*;*Carthus*;*Dur*; *Salmeron*;*&* *Sua*;eamque probabilem putant *Zum*; *Mol*;*&* *Ban*;quibus additur *Viguer*. *Alij* tamen volunt eos noluiſſe ſubijci Chriſto, eumque recognoſcere,vt Dominum.*Ita Melchior Flauius*, *& Iacobus Naclantus apud Gonet*.

5 Tertia vult fuiſſe puram beatitudinem naturalem non ordinatam in finem ſupernaturalem. *Ita Capr*;*Ric*,*Caiet*;*Ferr*.*3*.*cōt*.*Gent*.*c*.109; *Caiet*;*Ban*;*Naz*;*Rip*.apud noſtrum *Gibb*;qui probabilem reputat hanc ſententiam; ſicut illam nō reprobat *Fund*.*Doct*; quanuis aliam *inf*. afferendam probabiliorem iudicet, & magis conſonam *SS*.*PP*;& rationi, quidquid dicat *Gibb*; qui illum citat pro hac ſententia. His adduntur *Salm*; *Gonet*,*& alij ex Thomiſtis*; quapropter hæc ſententia inter ipſos cenſenda eſt communior; quanuis *Gonet* §.5.addat, quòd quanuis primum peccatū Angelorum non fuerit appetitus elicitus, & expreſſus beatitudinis ſupernaturalis acquirendæ viribus naturæ,fuit tamen appetitus virtualis, & interpretatiuus illius. *Alij* autem volunt fuiſſe ambitionem habendi tyrannicam poteſtatem ſuper omnes creaturas.

6 Quarta vult hoc motiuum fuiſſe beatitudinem ſupernaturalem,vt acquirendam per proprias vires, & independenter à Deo. *Ita noſter Gibb*;qui refert *D*.*Tho*;*& communiter eius Diſcipulos*,*Naz*;*Zum*;*Arrub*; quam probabilem putāt *Vaſq*;*Gran*;*Salm*; *& noſter Fund*. *Doct*. probabiliorem vocat, ſed tamen eius ſententia clariùs explicanda eſt.

7 Noſtra ſententia docet motiuum ſuperbiæ Angelorum directè fuiſſe propriam excellētiam; indirectè autem beatitudinem ſupernaturalem, quam putabat per naturalia poſſe adipiſci. *Ita Fund*.*in 2*.*diſt*.*5*.*q*.*1*.*art*.*2*;vbi poſtquam docuit non potuiſſe Anglū directè appetere Dei æqualitatem; quia non erat tam hebes, vt non videret apertè hoc eſſe impoſſibile; potuit tamē indirectè; quia peccando voluit non ſubeſſe legi Dei; & ideo voluit eſſe æqualem Deo, qui nulli ſubditur legi. Imò voluit eſſe maiorem Deo; quia voluit non ſubeſſe legi Dei; quod Deus nō poterat velle; quia nequit velle creaturam ſibi non eſſe ſubiectam. Poſtquam,inquam,hoc docuit,procedit ad inquirendum,quomodò potuerit appetere æqualitatem Dei indirectè; & poſtquam retulit ſententiam *eorum* dicentium voluiſſe ponere in ſuis naturalibus rationem vltimi finis, in quo æquabatur Deo, qui pariter eſt vltimus finis;quam ſententiam non reijcit; aſſerit appetijſſe Dei æqualitatem indirectè, quatenus ita æſtimauit ſuperbè ſuam excellentiam, vt putauerit per ipſam poſſe conſequi beatitudinē ſupernaturalem, quam ſolùm per gratiam poterat conſequi;& hanc ſententiam vult eſſe magis conformem rationi,*&* *SS*.*PP*. Igitur.

8 Not. *ex eod*. *Fund*.*Doct*. nullam creaturā poſſe directè ſibi appetere excellentiā Dei ęqualiter,ac habet Deus; quia non poteſt illam adæquatè comprehendere; ideo dicitur, quòd *Deus lucem habitat inacceſſibilem*; quapropter nec poteſt illam appetere;quia voluntas nequit ferri in incognitum; & hoc ex parte probat hanc impoſſibilitatem ex parte Dei;ex parte autem creaturæ prob; nam nulla creatura poteſt cogitare aliquod adæquatè excellens, ac Deus; ergo nec illud poteſt appetere.Prob.ant; quia Deus eſt ens ſimpliciter primum; nequeunt autem cogitari duo entia ſimpliciter prima; & ideo nulla creatura poteſt cogitare aliquid adęquatè excellens, ac Deus. Tum quia nulla creatura poteſt appetere non eſſe; ergo nulla creatura poteſt appetere fieri Deum;quapropter ait *Phil*.*9*.*Eth*.*Nullus vult fieri alius*;*quia tunc vellet non eſſe*;ergo Angeli non appetierunt directè eſſe Deū, vel æquales Deo, vel beatos beatitudine ſupernaturali. Potuerunt tamen appetere indirectè; ſcilicet appetendo aliquod,quod ſi fieret,eſſent Deus; vt v.g.appetere non ſubdi legi Dei,eſſe beatos per naturam &c;ſi enim hoc fieret,eſſent Deus; cùm ſolus Deus nulli ſubdatur legi,ſit beatus per naturam.Et dat exemplum in ſpeculabilibus;quanuis enim nullus poſſit directè negare aliquod principium per ſe notum;v.g. *De quolibet eſt affirmatio*,*vel negatio*; attamen iudicando verum aliquod falſum particulare,indirectè negat illud principium;iudicat enim falſum eſſe verum.Ita à pari quanuis Angelus non poſſit directè appetere eſſe Deū; quia nulla veritas eſt manifeſtior; quàm quòd nulla creatura poſſit eſſe Deus; attamen potuit indirectè appetere appetendo aliquod bonum particulare;quod ſi haberet, eſſet Deus. Et per hoc euertitur prima ſētētia;Angeli enim manifeſtè videbant ſuppoſitionē eſſe falſam;& ideo illam non potuerunt appetere. Tum quia *Scriptura* teſtatur volitionem Diaboli fuiſſe abſolutam;ait enim:*In Cælum conſcendam*, *ſimilis ero Altiſsimo*; ergo non potuit eſſe conditionata;aliæ autem opiniones ex probatione noſtræ ſententiæ confutatæ manebunt.

9 Vnica concl. Motiuum directum ſuperbiæ Angelorum fuit propria excellentia,& indirectū ſimilitudo,& æqualitas Dei.

Prob. 1.Quod deducitur *ex Scripturis*,illud ſolùm tenendum eſt *à Theologis*; ſed motiuum directum ſuperbiæ Angelorum fuiſſe propriam excellentiam;& indirectum fuiſſe ſimilitudinem, ac æqualitatem Dei deducitur *ex Scripturis*; ergo motiuum directum ſuperbiæ Angelorum fuiſſe propriam excellentiam;& indirectum fuiſſe ſimilitudinem, ſeu æqualitatem Dei tenendum eſt *à Theologis*. Ma.patet; nam Theologia, quia innititur Fidei, debet procedere ex reuelatis *in Scripturis*; vel ex deductis à reuelatis; & ideo

ideo in hac,& omni materia Theologica debet à *Theologis* teneri, quod deducitur *ex Scripturis*; aliter ſi merè philoſophicè poſſemus procedere, poſſet vnuſquiſque pro ſuo arbitratu confingere quælibet peccata, & quælibet motiua. Prob.mi. *Ezechiel.*28.habetur: *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo*; quibus verbis apertè indicatur motiuum elationis, ſeu ſuperbiæ Luciferi fuiſſe decorem ſuum;ſeu pulcritudinem ſuam excellentē pulcritudinem aliarum creaturarum; prætereа habetur: *In Cælum conſcendam, ſuper ſydera Cæli ponam thronum meum, ſedebo in monte excelſo ſuper omnes montes &c.ſimilis ero Altiſſimo*; quibus verbis clarè deducitur ipſum appetijſſe æquari ſe ipſum Deo Altiſſimo, & eſſe ſimilem illi;ergo motiuum directum ſuperbiæ Angelorum fuiſſe propriam excellentiam;& indirectum fuiſſe ſimilitudinem, ſeu æqualitatem Dei deducitur *ex Scripturis*. Ratio autem, quare propria excellentia fuerit motiuum directum;ſimilitudo verò,ſeu æqualitas Dei motiuum indirectum;ſuperiùs allata eſt.

10 Conf. Dicere, quòd motiuum ſuperbiæ Angelorum fuerit vnio hypoſtatica; vel beatitudo merè naturalis; vel merè ſupernaturalis; vel poteſtas tyrannica in omnes creaturas, nullum habet fundamentum;ergo dicitur ſine fundamēto;& ideo omnes iſtæ ſentētiæ dimittendæ ſunt; & ſola noſtra amplectenda tanquam fundata *in Scripturis*. Prob. 1.pars ant. Quanuis poſſit *in Scripturis* reperiri Angelos inuidiſſe homini redemptionem per vnionem hypoſtaticam; attamen nullibi reperitur motiuum ſuperbiæ, & caſus ipſorum fuiſſe vnionem hypoſtaticam; vel inuidiam;quæ eſt partus ſuperbiæ,& ideo illam ſupponit;vt docet *Beatiſſ.P.in ſup. art*; ergo motiuum ſuperbiæ Angelorum non fuit vnio hypoſtatica. Prob.2.pars. Licèt *in Scripturis* reperiatur motiuū ſuperbiæ Angelorum fuiſſe beatitudinem naturalem;attamen reperitur etiam fuiſſe ſimilitudinem Dei, & extollentiam vſque ad ſublimitatem Maieſtatis Diuinæ;ergo non fuit ſola beatitudo naturalis. Prob. 3. pars eodem modo,quanuis enim reperiatur ſimilitudo Dei,quæ non eſt naturalis,ſed ſupernaturalis; attamen reperitur etiam elatio propriæ excellentiæ naturalis; ergo non fuit ſola beatitudo ſupernaturalis. Prob. vlt. pars; nam dominium tyrannicum nuſquam legitur fuiſſe motiuum caſus Angelorum; ſed ſubſecutiuè ſe habuiſſe;tum quia motiuum ſuperbiæ Angelorum debuit eſſe bonum maximè excellens, quod non eſt dominium aliarum creaturarum; ſupra quas erant Angeli naturaliter eleuati; ergo non potuit eſſe dominium tyrannicum aliarum creaturarum.

11 Vrgetur ampliùs. Illud,quod innuitur *à Scripturis*,& traditur *à SS.PP*; eſt à nobis tenendum in materia Theologica; ſed motiuum directum ſuperbiæ Angelorum fuiſſe propriam excellentiam,ſeu celſitudinem;& indirectum fuiſſe ſimilitudinem, ſeu æqualitatem Dei, traditur *à SS. PP*; ergo hoc eſt à nobis tenendum. Prob.1. pars mi. *ex Beatiſſ.P.Aug. lib.*11.*de Ciu.Dei c.*33; vbi diſtinguens duplicem ciuitatem ait: *Vnam Dei ſancto amore flagrantem;alteram propriæ celſitudinis immundo amore fumantem*, & *lib.*11.*de Gen.ad lit.c.*23.*Factus continuò à luce veritatis ſe auertit ſuperbia tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus.Et* 14.*de Ciu.Dei c.vlt.Fecerunt itaque Ciuitates duas amores duo;terrenam ſcilicet amor ſui vſque ad contemptum Dei; cæleſtem verò amor Dei vſque ad contemptum ſui*; Prætereа definit ſuperbiam dicendo: *Eſt amor propriæ excellentiæ*;vt dictum eſt *in ſup.art. n.*10; ergo motiuum directum ſuperbiæ Angelorum fuit propria excellentia; definitio enim rei importatur directè, non indirectè. Sic autem inſtatur.Illud eſt motiuum directum ſuperbiæ Angelorum,quo Angeli fuerunt corrupti,& quod cōſtituit ſocietatem rebellem; & quod ſpecificauit peccatum ipſorum; ſed propria excellentia eſt huiuſmodi,vt patet *ex textibus*; ergo fuit directū motiuum ſuperbiæ illorum. Hæc videre poſſunt, qui dubitant hanc ſententiam non eſſe conformem doctrinæ *Sanctiſſ. P*. Prob. 2. pars eiuſdem mi. *ex eod.lib.*11.*de Gen. c.*23; poſtquam enim dixit Diabolum fuiſſe propriæ poteſtatis delectatione corruptum; ſubdit: *Vnde beatæ,atque Angelicæ vitæ dulcedinem non guſtauit;quam non vtique acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit,atque amiſit*; & paulò poſt. *Ille autem continuò impius, conſequenter, & mente cæcus non ex eo,quod acceperat,cecidit; ſed ex eo, quod acciperet,ſi ſubdi voluiſſet Deo;quod profectò quia noluit,& ab eo,quod accepturus erat,cecidit, & poteſtatem illius ſub quo eſſe noluit, non euaſit*. Et immediatè affert textus *Iſaiæ,& Ezechiel. In Cælū conſcendam,&c;& ſimilis ero Altiſſimo*.Ex quibus ſic arguit *Fund.Doct*. Angeli ceciderūt per peccatum ſuperbiæ à ſimilitudine Dei,quam potuerunt habere per gratiam,iuxta illud 1.*Io.*3. *Cùm apparuerit,ſimiles ei erimus*;quia noluerunt illam accipere ſubijciendo ſe Deo, ſed ſubijciendo ſe ſolùm propriæ poteſtati voluerunt illam habere; ergo motiuum indirectum,& ex conſequenti ſuperbiæ Angelorum fuit ſimilitudo, & æqualitas Dei;illud enim eſt motiuum indirectum alicuius peccati, quod ſequitur ad rationem formalem conſtitutiuam illius peccati, quæ eſt motiuum directum,vt *ſup.*dictum eſt;amor autem ſimilitudinis, ſeu æqualitatis coniungitur cum amore inordinato ipſius Dei;vt docet *Beatiſſ.P*;ideo eſt motiuum indirectum.

12 Prob.2.*à Fund. Doct.vbiſ.hac ratione*. Motiuum ſuperbiæ Angelorum fuit illud, circa quod Angelus potuit peccare peccato ſuperbiæ; ſed hoc directè fuit propria excellentia; & indirectè ſimilitudo,ſeu æqualitas Dei;ergo hæc fuit motiuum ſuperbiæ Angelorum. Prob.1.pars mi; nam ſuperbia primariò intendit elationem ſui;in

hoc

hoc enim diſtinguitur ab inuidia, quæ primariò intendit depreſſionem aliorum; ſed quod intenditur primatiò, intenditur directè; ergo motiuum directum ſuperbiæ Augelorum fuit propria excellentia. Prob. 2. pars. In hoc diſtinguitur amor hominis ab amore Angelorum, quòd homo, quia eſt prӕditus ſenſibus, poteſt vltimatè quietari in bono ſenſibili, & ſic peccare; Angelus verò, cùm ſit purè ſpiritualis, non poteſt vltimatè quietari, niſi in bonŏ ſpirituali, quod eſt bonum intelligibile; ſed bonum intelligibile quietatiuum ſimpliciter Angeli eſt ſolus Deus; quia clarè cognoſcebat Angelus ſe non eſſe primum, ac ſupremũ bonum, & ideo non poterat vltimò quietari in ſe ipſoſtum quia *ex Phil. viſis effectibus naturaliter deſideramus videre cauſam*; & ideo intellectus Angeli clarè cognoſcens ſe eſſe effectum Dei naturali deſiderio ferebatur ad cognoſcendum Deum; & ideo vltimò non quietabatur in ſe ipſo, ſed vlteriùs tendebat in Deum; quoniam autē inordinatè tendebat, ideo non tendebat in Deũ per gratiam, ſic enim non peccaſſet, ſed per naturam; ergo motiuum indirectum ſuperbiæ Angelorum fuit ſimilitudo, ſeu æqualitas Dei.

13 Conf. *ex eod.* Voluntas Angeli circa naturalia ſiſtendo in illis non potuit deficere, quia circa illa non potuit deficere intellectus, clarè enim illa videbat; ergo peccauit ſolùm referendo ſua naturalia ad aliquod ſupernaturale, quod *in Scripturis* dicitur ſimilitudo, ſeu æqualitas Dei. *Vid. art. 1.*

14 Tripliciter autem probat *Fund. Doct.* Angelos appetijſſe eſſe ſimiles, & æquales Deo indirectè. 1. Appetierunt eſſe ſuum eſſe; ſolus autem Deus eſt ſuum eſſe à nullo receptum; ergo appetierunt eſſe ſimiles, & æquales Deo. Prob. ma. Ex cognitione intuitiua ſui naturaliter appetierũt videre Deum intuitiuè; ſed Deus eſſentialiter eſt ſuũ eſſe *iuxta illud Exod. 2. Ego ſum, qui ſum*, & quod eſt ſuum eſſe eſſentialiter, non eſt obiectum naturale, niſi intelligentis, quod eſt ſuum eſſe eſſentialiter; obiectum enim naturale proportionatur principio circa illud tendenti; ergo Angeli appetendo naturaliter videre Deũ appetierunt eſſe ſuum eſſe, & ideo eſſe Deum. 2. Appetierunt habere naturam ſimpliciter illimitatam; ergo appetierunt eſſe ſimiles, & æquales Deo. Prob. ant. Appetierunt eſſe beatos per ſuam naturam; ſed nullus eſt beatus per ſuam naturã, niſi vidēdo per illã vnico intuitu omnia alia à ſe; naturã autē, quæ repræſentaret omnia alia à ſe, cōtineret omne eſſe; & omne eſſe eſt ſimpliciter illimitatum; ergo appetierunt habere naturam ſimpliciter illimitatam. *Vid. q. 4. art. 2. & 3.* 3. Appetierunt eſſe primam regulam, quia appetierunt eſſe naturaliter inflexibiles in bono, quo fruebantur, & nunquam labiles ad malum; ſola autem voluntas, quæ eſt prima regula, eſt naturaliter indefectibilis, & inflexibilis in bono, quia non poteſt deficere, & labi à ſe ipſa; ſed prima regula bonitatis, ſicut primũ principium entitatis eſt Deus ſolus; ergo appetierunt eſſe ſimiles, & æquales Deo.

15 Obije. 1. Motiuum primarium ſuperbiæ Angelorũ fuit Deitas, vt habetur *ex Scripturis*; ergo non fuit propria excellentia. Prob. ant. Si Deitas non fuiſset motiuum primarium, maximè, quia non potuerunt Angeli appetere non eſſe, vt *ſup.* dictum eſt; hoc autem eſt falſum, quia damnati ob deſperationem appetunt non eſse; vel quia Deitas eſt impoſſibilis Angelis, nemo autem tendit in impoſſibile; ſed hoc etiam eſt falſum, nam Dœmones vellent Deũ non eſſe, quod noſcunt eſse impoſſibile; *& Beatiſſ. P.* maximè delectabatur illo feruentiſſimo amore ex ſuppoſitione impoſſibili, qua eſſet Deus, & Deus *Auguſtinus*, mallens ſe eſse *Auguſtinum*, vt *Auguſtinus* eſſet Deus; ergo motiuum primarium ſuperbiæ Angelorum fuit Deitas.

Reſp. neg. ant. nam vt dictum eſt, *Scripturæ* docent ſuperbiam Angelorum fuiſse *ex decore ſuo*, ex quo ſurrexerunt *in ſimilitudinem Dei*. Ad 1. prob. neg. mi; damnati enim appetunt non eſse damnatos, non autem non eſse ſimpliciter. Ad 2. etiam neg. mi; Dœmones enim appetunt Deum non eſse vltorem, non autem non eſse ſimpliciter, quia ſic appeterent etiam ipſi non eſse, quia ſine Deo noſcũt nihil poſse eſse; vel dicitur Dœmones eſse excęcatos in malo, & ideo poſse cæcò appetere id, quod nequit eſse. Ad illud *Beatiſs. P.* dicitur, quòd illa extaſis erat ad explicandum incendium ſui amoris erga Deum, & ideo hanc ſuppoſitionem non potuerũt facere Angeli mali, niſi priùs habuiſsent actum ſuperbiæ, ad quem explicandum poterant vti ſimili ſuppoſitione, & ideo tantùm indirectè poterant appetere Deitatem. Vel ad arg. neg. ma; nam motiuum directum ſuperbiæ eſt propria excellentia, vt dictum eſt.

16 Obijc. 2. Maxima ſuperbia, qualis fuit Angelorum, debuit eſse circa maximum bonum, quod eſt vnio hypoſtatica; ergo obiectum illius non fuit proptia excellentia.

Reſp. diſt. ant. Debuit eſſe erga maximum bonum indirectè, quod maximum bonum eſt ſimilitudo, ſeu æqualitas Dei, conc; directè, neg; ſuperbia enim primariò tendit in excellentiam propriam, à qua ſpecificatur, vt *ſup.* dictum eſt. Quanuis autem vnio hypoſtatica ſit maximum bonum; attamen circa illam non fuit, nec etiam indirectè; aliter deberet conſtare *ex Scripturis*.

17 Obijc. 3. Motiuum ſuperbiæ Angelorum fuit aliquod nunquam poſſeſſum; dicitur enim: *In Cælum conſcendam; ſimilis ero Altiſſimo*; & *Beatiſs. P. vbiſ.* docet Angelum cecidiſse à bono, quod non acceperat; quod etiam ait *D. Anſ.* ergo non fuit propria excellentia.

Reſp. diſt. ant. Motiuum indirectum, conc; directum neg; & ſic intelligi debent *Scripturæ, & SS. PP.*

Obijc.

18 Obijc. 4. Circa obiectum neceſſarium quoad exercitium,& ſpecificationem non poteſt eſſe actus peccaminoſus; ſed propria excellentia Angeli eſt obiectum neceſſarium amoris illius quoad ſpecificationem,& exercitium: ergo circa illam non potuit eſſe actus ſuperbiæ. Mi.prob.eſt *q.7.*Prob.ma. Circa obiectum neceſſarium volūtas tendit naturaliter; ſed *in naturalibus nec meremur,nec demeremur*; ergo circa obiectum neceſſarium nequit eſſe actus peccaminoſus.

Reſp.diſt.ma. Circa obiectum neceſſarium, ſecundùm quod eſt neceſſarium reduplicatiuè, conc;ſecundùm quod habet modum liberè amabilis,neg;non enim implicat,quòd aliquod ſecūdùm diuerſas rationes ſit neceſſarium,& liberū; & eodem modo diſt.mi.Excellentia propria Angeli eſt obiectum neceſſarium,ſi conſideretur ſecundùm ſe ipſam abſolutè, conc; ſi relatiuè ad Deum,neg;poterat enim Angelus referre illam excellentiam in Deum, tanquam in Auctorem illius,vt fecerunt Angeli ſancti;& non referre, vt fecerunt Angeli mali; vnde ait *Fund. Doct*; quòd Angeli peccauerunt in modo amandi, non autem in re;quia res,quam amauerunt,eſt bona, non mala;modus autem, quo illam amauerunt, eſt malus; quia non fuit ordinatus in Deum; & quia amauerunt plus, quàm natura ipſorum naturaliter amari exigebat;& ideo excellentia Angeli quantùm ad rem erat neceſſaria, & quātùm ad modum libera.

19 Obijc. 5. Angelus non potuit peccare contra finem naturalem directè;quia circa illum non potuit eſſe error in intellectu; etenim clarè cognoſcebat omnia naturalia:ergo motiuum directum ſuperbiæ Angelorum non fuit propria excellentia; nam propria excellentia erat beatitudo naturalis; & per conſequens finis naturalis ipſorum.

Reſp.eodem modo diſt.ant.Nō potuit peccare circa finem naturalem *quo* ſecundùm ſe præciſè,& abſolutè,conc; relatiuè, & ordinatiuè ad aliquod ſupernaturale, neg. Ad conſ.dicitur, quòd excellentia naturalis non fuit eius beatitudo,quæ fuit aliquod ſupernaturale,vt dictum eſt *in ſup.q.art.*1;illa autem beatitudo dicitur naturalis etiam *à Fund.Doct*; quia cum Angelis nata eſt; fuit enim creata cum illis,non autem, quia fuerit viribus naturæ. Diximus autem contra finem naturalem non poſſe peccare; vt vidimus *vbi*§.2. Ita licèt Angelus cognoſcat clarè ſuam excellentiam, & circa illam non poſſit peccare abſolutè, & ſecundùm ſe; relatiuè tamen poteſt peccare.

20 Inſt. Si Angelus peccaſſet, quia non ordinauit ſuam excellentiam in Deum, peccaſſet peccato omiſſionis; ſed peccatum omiſſionis eſt leue; ergo peccaſſet leuiter.

Reſp;quòd licèt illud peccatum habeat annexam omiſſionem, fuit tamen peccatum commiſſionis; quia poſitiuè voluit ſe ipſum aſſimilare, & æquiparare Deo; & ideo fuit maximum peccatum.

ART. V.

Quantùm temporis interceſſerit inter creationem, & lapſum Angelorum?

1 QVod aſſeremus de interuallo mediāte inter creationem,& lapſum Angelorum malorum;dicēdum erit de creatione,& conuerſione,qua confirmati ſunt Angeli ſancti;nam in eodem inſtāti, quo ceciderunt illi cedentes tentationi; ſteterunt iſti tentationem vincendo; ait enim *Beatiſſ.P. de Corr; & Grat.c.*11.*Sicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium,per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi; & huius manſionis debitā mercedem recipere meruerunt.*

2 Not.autem *Fund.Doct.inf.* dupliciter nos poſſe loqui de tempore;ſcilicet vel de tempore Angelico,vel de tempore noſtro. Si loquamur primo modo, certum eſt nō interceſſiſſe,niſi vnicum inſtans; quia non interceſſit,niſi vnica operatio,cum qua Angeli fuerunt creati; ſi enim interceſſerunt plures operationes;vel ſecunda illarum fuit amor Dei;vel non?Primum dici nequit, quia prima operatio erat amor Dei; & ideo per amorem Dei non poterat expelli,ſed tantùm intendi.Si ſecundum;ergo per illam peccauerunt; quia tenebantur ſubijci Deo per amorem. Senſus ergo difficultatis eſt; an prima operatio Angeli tantùm durauerit, ſeu illud inſtans Angelicum,quo durauit prima operatio Angeli,tantùm ſtetetit, vt correſpōderit durationi diuiſibili noſtri temporis; illud enim inſtans non erat fluens, ſicut inſtans noſtri temporis;ſed ſtans,quia in illa operatione poterant Angeli ſtare.

3 Prima ſententia vult Angelorū viam, quę interceſſit inter creationem, & lapſum, duraſſe pluſquā ſex diebus noſtri tēporis; quia poſt ſex dies creationis habetur *Gen.*1. *Vidit Deus cūcta, quæ fecerat, & erant valde bona. Ita aliqui* ſuppreſſo nomine *apud noſtrum Gibb.* Sed hæc ſententia ſupponit illos ſex dies fuiſſe corporales 24.horarum interuallis diſtinctos; cuius oppoſitum docuimus *cum Beatiſſ. P. q.* 1. *in Hexam. art.* 10.

4 Secunda vult Angelos cecidiſſe ſecunda die;cùm Deus *diuiſit lucem à tenebris*; qua diuiſione intelligit *Beatiſſ. P.*ſeparationem Angelorum bonorum à malis.*Ita Altiſiodor; Comeſtor in Gen;& plures alij.*

5 Tertia vult duraſse ſpatio vnius diei naturalis 24.horarum. *Ita Beda, Rupert; Hugo Victorin;& alij.*

6 Quarta ſententia iſtis extremè oppoſita vult duraſse ſolùm per vnicum inſtans loquendo de Angelis bonis; at verò de Angelis malis aſserit duraſse duobus inſtantibus ita, vt Angeli boni poſt primum receperint immediatè beatitudinem; mali verò in ſecundo inſtanti peccauerint,

rint;& in tertio receperint pœnam eternam. *Ita Serra;Ban,Vaſq;Io.à S.Tho;& alij;*& probabile hoc putant *Salm.* Sed iſti præter *Caiet. & Io. à S.Tho.*loquuntur de inſtanti temporis Angelici, non per comparationem ad tempus noſtrum.*Caiet.*autem,*& Naz.*apud *Gonet* conſtituunt ſolùm duo inſtantia pro via tam malorum,quàm bonorum Angelorum.

7 Quinta vult viam Angelorum ſiue bonorum,ſiue malorum triplici inſtanti fuiſſe completam;quia triplicem operationem habuerunt;primam ſcilicet amoris Dei; ſecundam Angeli quidem mali auerſionis à Deo; & boni conuerſionis in Deum; tertiam Angeli mali ſummæ triſtitiæ, quæ erat incompoſſibilis cum ſumma delectatione,quam habuerunt peccando; & Angeli boni ſummæ lætitiæ.Ita *Capr;Zum;Mol;Sua;*& probabile reputat *noſter Gibb; hic diſp.25. dub.5; Salm;& Gonet hic diſp.10.art.3;*qui *§.Quæres* ſimul *cum Io.à S.Tho;& Salm.* aſſerit *contra Naz; Sua; & Valent.* primum inſtans correſpondiſſe vnico inſtanti temporis noſtri; ſecundum verò parti diuiſibili temporis; & tertium, ſi loquamur de actuali receptione gloriæ, & pœnæ, correſpondiſſe vnico inſtāti tēporis noſtri; ſi verò de duratione,mēſurari æternitate participata.

8 Noſtra tandem ſententia docet Angelos tam bonos,quàm malos duraſſe per aliquod ſpatium temporis noſtri in bonitate accepta à Conditore ita,vt prima operatio non correſponderit vnico tantùm inſtanti, ſed parti diuiſibili temporis noſtri; quanta autem fuerit iſta pars diuiſibilis,non niſi diuinando poteſt aſſignari. *Ita Fund. Doct.in 2.diſt.3.p.1.q.1. art.3; Greg;* & excepto *noſtro Gibb.communiter noſtra Schola.*Idem tenēt *Ban,Naz;Vaſq;Arrub;Sua, Val; & Scotus cum ſuis in 2.diſt.5.q.1;Alen;Altiſiod;Gabr;& alij.*

9 Difficultas hæc reducenda eſt ad hoc, an via Angelorum,ſeu ſtatus innocentiæ,aut primū inſtans, quo durauit prima operatio, durauerit per aliquod breue tempus noſtrum; nam illud ſolùm fuit ſtatus viæ; nomine enim ſtatus viæ intelligimus illam durationem, in qua potuit mereri, vel demereri; quia in hoc contradiſtinguitur via à termino, in quo non poteſt mereri, vel demereri; ſed per actum meritorium charitatis diffuſæ in cordibus Angelorum Angeli sancti meruerunt gloriam,& per illum eundem illam adepti ſunt, vt dictum eſt *in ſup. q. art.* 4; actus enim charitatis manet in patria, vt docent *Thomiſtæ*, & per actum ſuperbiæ Angeli mali demeruerunt gloriam, & acquiſiuerunt pœnam; actus autem ſuperbiæ manet in Angelis malis; ergo actus meritorius gloriæ, & demeritorius pœnæ computantur in termino; & ideo ſolùm primum inſtans, ſeu prima operatio ſpectat ad viam.

10 Inſt. *Gonet.* In actu peccaminoſo ſummè delectati ſunt Angeli mali; ergo per illum non potuerunt conſequi damnationem, in qua ſummè triſtantur; ſumma enim delectatio, & ſumma triſtitia nequeunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto; & ideo nedum prima operatio, ſed tres operationes,ſcilicet amor Dei,actus peccaminoſus, & damnatio pertinent ad ſtatum viæ Angelorum malorum. 2. Impoſſibile eſt Angelum eſſe ſimul in via,& extra viam; ſed dum peccauit, erat in via;& dum fuit damnatus,erat extra viam,quia erat in damnatione, quæ eſt terminus viæ; ergo actus peccaminoſus ſpectat ſolū ad viā. 3. Angelus peccauit in Cœlo Empyreo, & cū fuit dānatus, fuit in inferno; ſed non potuit per vnicum inſtans eſſe in Cœlo Empyreo,& in inferno; ergo peccatum Angelorum ſolū ſpectat ad viam. 4. Angeli sancti poſt primum inſtans creationis meruerunt gloriam; ſed actus meritorius diſtinguitur ab actu conſecutionis gloriæ, quia ille eſt actus gratiæ imperfectæ, iſte verò gratiæ conſūmatæ,qui actus ſunt incompoſſibiles;ergo etiam tres operationes ſpectant ad viam Angelorum bonorum. Plura alia adducit *Gonet*, quæ ſoluta ſunt *vbi ſup.in ſup.q.art.4.*

Reſp.ad 1.neg.conſ; nā dicitur certum eſſe peccatum ſuperbiæ manſiſſe in Angelis poſt dānationem,non enim in illis remiſſum fuit, quia remiſſio non fit,niſi per gratiam, quam nunquā habuerunt;ergo ſi durauit actus ſuperbiæ, non fuit niſi vna, & eadem operatio mala in Angelo peccāte,& in damnato. Ad prob.infert.diſt. Delectatio, & triſtitia nequeunt eſſe ſimul ſimultatu naturæ,conc;ſimultate durationis, neg. Ad 2. diſt. eodem modo ma. Simul ſimultate naturæ, conc;ſimultate durationis,negatur; quāuis enim fieri,& factum eſſe dicant viam,& terminum; attamen ſunt ſimul in eodem inſtanti temporis, vt patet de generationibus inſtantaneis; & vt diximus *de Creat.q.2.art.2.*Ad 3.dicitur 1.ma. eſſe valde dubiam,vt diximus *q.8.art.1.n.32; & 33;* probabile enim eſt creatos fuiſſe in ſuprema parte aeris, & per peccatum deiectos fuiſſe in hanc partem turbulentam, in qua permittuntur nos tētare.Inſuper neg; quòd pro priori naturæ, quo peccarūt,fuerint in inferno;fuerūt enim ſub derelictione loci,in quo conditi fuerunt;ſicut dicitur de forma, quæ pro priori naturæ importat non eſſe formæ antecedentis, & pro poſteriori importat fieri formæ ſubſequentis; quæ duo ſūt in eodem inſtanti temporis.Ad 4.diſt.mi. Actus meritorius diſtinguitur ab actu conſecutionis gloriæ entitatiuè, neg; ſecundùm diuerſas rationes importantes prius,& poſterius natura,conc. *Vid.in ſup.q.vbiſ. His ſupp.*

11 Vnica concl. Angeli ſancti, & mali per aliquam breuem morulam correſpondentem ad ad aliquod breue ſpatium noſtri temporis manſerunt in ſtatu innocentiæ, & in bonitate accepta à Cōditore; quanta autem fuerit determinatè iſta morula, non poteſt,niſi diuinando aſſignari, quia nihil certi colligi poteſt *ex Scriptura*, aut ex ratione.

Prob.

Prob.1.*ex Scripturis*;nam *Ezechiel.*28. habetur de Diabolo:*In medio lapidum ignitorum ambulaſti perfectus in vijs ſuis à die conditionis ſuæ*;ambulare autem non eſt in inſtanti,ſed in tempore noſtro; & illud *à die* denotat diſtantiam à primo inſtanti creationis, quæ diſtantia, cùm nō poſſit ſumi per ordinem ad tempus Angelicum, neceſſariò ſumenda eſt per ordinem ad tempus noſtrum;& *Iſaiæ* 14.*Qui manè oriebaris*;vbi cōparat viam Angelorum ortui Solis; Sol autem non oritur in inſtanti,ſed in tempore; tum quia tempus imperfectum non poteſt explicari per inſtans;quia quod eſt imperfectum, non eſt totū ſimul, deficit enim illi aliquid ſui eſſe, quod requiritur ad perfectionem ſui eſſe; quod autem eſt in inſtanti,eſt totum ſimul, aliter ſi non eſſet totum ſimul in illo inſtanti, ſequeretur, quòd in alio inſtanti eſſet aliquid faciens ad totalitatem illius,& ſic eſſet in tempore;ſed via Angelorum, ſeu prima eorum operatio explicatur per tempus imperfectum ; ergo non fuit per vnicum inſtans temporis noſtri. Ex hoc patet conformitas noſtræ ſententiæ *ad Sacram Scripturam.*

12 Prob.2.*ex Beatiſſ.P.lib.*2 1.*de Gen. ad lit. c.*16; vbi explicans illud *Io.* 8. *Ille homicida fuit ab initio,& in veritate non ſtetit*;aſſerit homicidā fuiſſe ab initio,ſcilicet ab illo initio, quo potuit occidi *Adam*; non enim poteſt eſſe quis homicida,niſi exiſtat,qui occidatur;illud autem initiū, quo potuit occidi *Adam*, non fuit primum inſtans creationis Angeli ; quia homo fuit creatus poſt creationem Angelorum;& vlterius *Adam* fuit bonus ſaltem per aliquod inſtans ; & ideo Diabolus non fuit homicida,niſi ſaltem poſt duo inſtantia; ſcilicet per vnum inſtans, quo non erat homo;& per aliud, quo homo fuit innocens ; ac per conſequens illud *ab initio* ſupponit tempus, in quo Diabolus non fuit homicida; & illud : *In veritate non ſtetit*; ſupponit tempus, in quo fuerat in veritate; ergo quamuis *Scriptura* nō dicat, quādo deiecerit ſuperbia Diabolū;vt docet *ibid*; attamen *ex illa* colligi poteſt per aliquod breue tempus illius viam duraſſe.

13 Præterea *lib.*9.*c.*4.quærens;an *Adam,& Eua* coiuerint ante lapſum;reſp.negatiuè; & duplicem aſſignat rationem.Prima eſt; quia in ſtatu innocentiæ nullus erat ſtimulus carnis; & libido in membris; & ideo expectabant imperium Dei; Deus autem non iuſſit,vt coirent; quia præuidebat eos peccaturos ; & ideo non debebant innocenter concipere prolem,quam debebant alere peccatores.Secunda eſt ; quia inter creationem, & lapſum eorum paruum tempus interceſſit ; & ideo illud debebant inſumere in ijs, quæ ſpectāt ad proprium ſtatum,non ad ſtatum filiorum . Ex quibus ſic arguitur . *Adam, & Eua* ſteterunt *ex Beatiſſ.P.* per aliquod breue tempus innocentes in via;ergo à fortiori ſteterunt Angeli.Prob.ant. *Adam,& Eua* ſteterunt innocentes tantùm , vt poſſent coire ; aliter reſpondiſſet non coiuiſſe quia tempus coeundi non fuit; ſed coitio non fit in inſtanti, quia ſemen emittitur in tempore , vt patet;ergo *Adam* , *& Eua* ſteterunt per aliquod breue tempus innocentes in via.Prob.conſ.quia Angeli erant fortiores,& robuſtiores; non enim habebāt ſenſus, à quibus deijci poſſent,ſicut habebant *Adam, & Eua*; ſed auxilia , cum quibus creati ſunt *Adam,& Eua*,fuerunt ſufficientia, vt ſtarent per aliquod breue tempus in ſtatu innocentiæ ; ergo multò magis auxilia , cum quibus creati ſunt Angeli,ſatis fuerunt,vt ſtarēt per aliquod breue tempus in ſtatu innocentiæ . Tum quia *Adam,& Eua* habuerunt tentatorē Luciferum,à quo deiecti ſunt in peccatum; Lucifer autem non habuit hoſtem, à quo deijceretur ; ſed faciliùs ſtare poteſt ille,qui non habet,à quo deijciatur;quàm ille,qui habet deiectorem; ergo ſi *Adam* habuit deiectorem,& tamen ſtetit per aliquod breue tempus;à fortiori dicendum eſt de Lucifero,qui nullum habuit deiectorem.

14 Prob. 3. ratione *Fund. Doct.* In hoc diſtinguitur motus à termino, quòd mobile non durat in loco ſibi æquali,niſi per inſtās; in termino autem durat per aliquod tempus; ſed Angeli fuerunt in prima cognitione, tanquam in termino ; ergo in illa fuerunt per aliquod tempus; & ideo ſtatus innocentiæ Angelorum durauit per aliquod tempus. Ma. explic. Locus æqualis eſt, qui adæquatur locato;v.g.ſi locatum extendatur ad tres palmos, tres palmi loci ſunt locus æqualis illius; & locus inæqualis eſt, qui excedit , vel minor eſt locato;v.g.hæc aula dicitur locus inæqualis corporis, quia excedit quantitatem corporis;dicitur tamen locus corporis, quia per illū tranſit corpus.Igitur prob. ma. Mobile tranſiens per aliquem locum inæqualem dicitur ſemper eſſe in loco ſibi æquali , & adæquato ſolùm per inſtans; nam ſi ibi eſſet per aliquod tempus, iam quieſceret,& ideo non moueretur ; aliter ſimul quieſceret, & moueretur; mobile autē in termino debet eſſe in tempore , aliter ſi in illo eſſet in inſtanti,non quieſceret,ſed moueretur,quia permanentia in inſtanti competit motui,non quieti; ergo in hoc diſtinguitur motus à termino;quòd mobile,dum eſt in motu, eſt in loco ſibi æquali ſolùm per inſtans; in termino autem per aliquod tempus . Tum quia quælibet res in ſuo termino quieſcit;quies autem dicit perſiſtentiam;ſed hæc perſiſtentia nequit eſſe ſolùm per inſtans ; quia etiam motus dicit perſiſtentiam in loco æquali per inſtans, & tamen non dicitur quieſcere,aliter non moueretur; vel motus non diſtingueretur à quiete ; ergo res in ſuo termino perſiſtit per aliquod tempus.Prob.mi. Intellectus Angeli comparatur ad ſuam primam intellectionem, tanquā potentia ad actum , ſeu terminum , in quo quieſcit,nō enim comparatur ad ſuam intellectionē, tanquam ad motum;quia *motus eſt actus entis in potentia*; intellectio autem non eſt quid in potētia,ſed eſt actus , per quem potentia intellectiua con-

conſtituitur in actu; perpetua intellectio eſt forma intellectus; ſicut autem forma eſt terminus materiæ, ſub qua quieſcit; ita intellectio eſt terminus potentiæ intellectiuæ, quæ ſub illa quieſcit; ita enim *Phil.* comparat intellectionem ad intellectum, ſicut formam ad materiam; ergo Angeli fuerunt in prima conditione, tanquam in termino; & in illa quieuerunt per aliquod tēpus.

15 Conf. Non eſt veriſimile, quòd beatitudo, quam habuerunt Angeli mali, antequam caderent, non durauerit per aliquod tempus; ergo ſtatus innocentiæ Angelorum durauit per aliquod breue tempus. Prob. ant. De ratione beatitudinis eſt quies, inquietudo enim ſpectat ad miſeriam; ſed quies importat aliquam durationem noſtri tēporis; in inſtanti enim nō eſt quies; vt dictum eſt; ergo non eſt veriſimile beatitudinem, quam habuerunt Angeli mali, antequam caderent, non duraſſe per aliquod tempus. Tum quia beatitudo æterna eſſentialiter importat quietem duraturam per totam æternitatem; ergo beatitudo eſſentialiter importat quietem duraturam per aliquod tempus; ſed beatitudo, quā habuerunt Angeli mali, antequam caderent, fuit beatitudo ad tempus; non enim ſemper duraſſet, ſicut non durauit in Angelis bonis, qui fuerunt tranſlati ad beatitudinem ſempiternam; ergo beatitudo, quam habuerunt Angeli mali, antequam càderent, durauit per aliquod tempus.

16 Obijc. 1. *Beatiſſ.P. lib.11. de Gen. ad lit. c.16.* ait: *Nec fuiſſe vllum antea tempus, quo cum Angelis ſāctis vixerit, & beatus. Et inferiùs c.23. Factus continuò ſe à luce veritatis auertit*; ergo ſtatus innocentiæ Angelorum non durauit per aliquod tempus.

Reſp. ad 1. loqui de beatitudine ſupernaturali, quam ait nunquam guſtaſſe. Ad 2. dicitur continuò ſe auertiſſe, quia inter beatitudinem Angelorum, & lapſum nihil mediauit, ſed ad illam continuò ſecutus fuit lapſus; non tamen ex hoc ſeqnitur beatitudinem illam duraſſe ſolū per vnum inſtans; ſicuti diximus, quòd ad vnum diem continuò ſeqnatur alter dies, non tamen ptimus dies eſt vnicum inſtans. Ita licèt ad beatitudinem, in qua factus eſt Angelus malus, continuò ſecuta fuerit auerſio à luce veritatis; attamen non ſequitur illam beatitudinem duraſſe ſolùm per inſtans.

17 Obijc. 2. Angelus tenebatur poſt primū inſtans ſe conuertere in Deum, quod ſi nō fecit, peccauit; ſed per primum motum liberum Angeli redditur natura inflexibilis, quia natura ſpiritualis, cui primùm adhæret, ſemper adhæret; ergo ſtatus innocens Angeli non durauit, niſi per vuum inſtans.

Reſp. Angelum fuiſſe creatum rectum, & ideo cum amore Dei, & per conſequens fuiſſe creatum conuerſum in Deum, in qua conuerſione potuit durare per aliquod tempus. Speciali autem conuerſione tenebatur ſe conuertere in Deum, ne conuerſus ad propriam excellentiam peccaret; illi autem, qui ſpreta contemplatione Dei conuerterunt ſe ad propriam celſitudinem, peccauerunt. Diſt. igitur mi. Per primum motum infuſum à Deo durantem in eius voluntate, neg; per ſecundum motum elicitum ab ipſa voluntate, tranſeat; de hoc enim *inf.*

18 Obijc. 3. Nihil erat, quod neceſſitaret Angelum ad permanendum in ſtatu innocentiæ per aliquam moram temporis; ergo ſtatim poſt primum inſtans peccauit.

Reſp; quòd pariter nihil erat neceſſitans Angelum ad non permanendum, quia liberè manebat, ſicuti liberè peccauit; ergo nulla eſt neceſſitas dicendi, quòd ſtatim peccauit. Igitur licèt nihil eſſet neceſſitans Angelum ad permanendum; adſunt tamen rationes probantes liberè permanſiſſe per aliquod tempus; quia permanſit vſque ad rentationem, quæ non fuit ſtatim poſt primum inſtans.

19 Obijc. 4. Angelus ſtatim peccauit poſt primam operationem; ergo peccauit poſt primū inſtans; prima enim operatio Angeli fuit in inſtanti, quia fuit indiuiſibilis, & tota ſimul.

Reſp. diſt. conſ. Peccauit poſt primum inſtans Angelicum, quod durauit per aliquod breue tempus noſtrum, conc; quod durauit per aliquod inſtans tantùm temporis noſtri, neg; æternitas enim licèt ſit vnicum inſtans, durat tamen per omne tempus noſtrum, imò per omne tempus, quod poteſt imaginari.

20 Collig. *ex Fund. Doct*; quòd etianſi dicatur Angelos creatos fuiſſe in gratia; attamen non ſequitur peccaſſe poſt inſtans noſtri temporis; quia etianſi non fuerit creatus in gratia; attamen tenebatur poſt primum inſtans facere totum, quod in ſe erat; quod ſi non feciſſet, peccaſſet; vnde ex eo, quòd fuerit creatus in gratia, nō deducitur, quòd ſtatim poſt primum inſtans noſtri temporis peccauerit. *Vid. ſuperiùs art.1.*

21 Quæres; an Angeli mali præſcierint ſuum caſum?

Reſp. *cum Fund. Doct. diſt.4.q.1.art.2; & 3*; quòd nec Angeli mali præſcierunt ſuum caſum; nec boni ſuam permanentiam. Ratio primi eſt; nā vt arguit *Beatiſſ.P. de Corr; & Grat.c.10*; hæc præſcientia ſuæ miſeriæ incompoſſibilis erat cū eorum beatitudine; & ſic fuiſſent miſeri ante peccatum, & ideo ante miſeriam. Ratio ſecundi eſt. Angeli boni fuerunt creati æquales cum Angelis malis; ſed illi non præſcierunt ſuum caſum; ergo neque iſti ſuam perſeuerantiam; aliter iſti habuiſſent maiorem ſcientiam, quàm illi. Verum tamen eſt, quòd coniecturalem cognitionem poterant habere; cognoſcere enim poterant; quòd manere in contemplatione Dei melius erat, quā in contemplatione ſui; & ideo quòd ex illa bonū eis obuenturum fuiſſet, non malum; ex iſta autē, vtpotè de obiecto inferiori, depreſſionem potiùs, quàm exaltationem percepturos fuiſſe.

ART.

A R T. VI.

Quæ ſit cauſa obſtinationis Dœmonum?

1 DOemones eſſe obſtinatos, & inflexibiles in malo, ſeu in ſua ſuperbia eſt dogma Fidei; habetur enim *Matt.* 25; quòd pœna ignis Dœmonibus debita eſt æterna; & ideo eorum culpa non remittetur: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius;* & *Apoc.*20. *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, quo & beſtia, & pſeudopropbetæ cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſeculorum;* & definitum fuit *in c.Firmiter de ſumma Trin;* & *Beatiſſ.P. lib.*21.*de Ciu. c.* 17. ait hoc eſſe definitum ab Eccleſia *cont.Origenem* miſericorditer ſubſtinentē Dœmones poſt aliquod temporis ſpatium eſſe liberandos, & ſaluandos; & Angelos ſanctos eſſe damnandos, atque iterū liberandos alternando beatitudinem, & miſerias. Ratio autem eſt; quia Dœmones ſunt impotentes ad eliciendum dolorem deteſtatiuum peccatorum ſuorum; qui dolor eſt neceſſarius ad pœnitenriam ſalutarem, quæ eſt dolor de Deo oſfenſo. *Vid.Beatiſs.P. ibid.c.*23; & 24. Difficultas autem eſt; à quo proueniat iſta impotentia; ſeu quænam ſit radix obſtinationis in malo, à quo ſurgere non poſſunt?

2 Prima ſententia vult obſtinationē in malo à Deo immediatè cauſari, & infundi in voluntates Dœmonum ita, quòd Deus infundat, vel actum odij in Deum, & perpetuò conſeruet; vt dicunt *Okam,* & *Gabr;* vel habitum intēſum odij in Deum; vt *Aureol; Maior;* & *Marſ.apud Maſtr. inf.allegandum.*

3 Secunda vult cauſam obſtinationis Dœmonum eſſe duplicem; intrinſecam, & extrinſecā; intrinſecam quidem eſſe eorum naturam, quæ immobiliter adhæret ei actui, quem ſemel liberè elegit. *Ita Thomiſtæ, Naz; Zanard; Serra, Io. à S.Tho; Gonet;* & *alij.*

4 Tertia ſententia putat radicem obſtinationis in malo eſſe ſubſtractionem Diuinorum auxiliorum, & ſtatum termini. *Ita Scot;* & *omnes Scotiſtæ apud Maſtr.in* 2.*diſp.*3.*q.*5. Addit *Gonet Scotum* ſentire, quòd poſt peccatum Dœmones, dum fuerunt in via, potuerunt ſe conuertere. Sed hoc *Maſtr.*ait non ſenſiſſe *Scotum;* imò è contrariò voluiſſe Angelos malos poſt peccatum ſtatim fuiſſe damnatos.

5 Noſtra tandem ſententia docet radicem obſtinationis Dęmonum eſſe denegationem auxiliorum, quæ negantur eis in pœnam peccati, quibus poſſent conuerti; & impotentiam phyſicam, quam in ſtatu termini habet natura creata lapſa per peccatum ad ſurgendum ab illo. *Ita Fund.Doct.in* 2.*diſt.*7.*q.*1.*art.*2; *Greg; Argent;* & *omnes noſtri communiter* excepto *Gibb.*

6 Not; quòd hoc eſt diſcrimen inter homines, & Angelos peccatores; quòd hominibus poſt peccatum conceditur via ad pœnitendum, & reſurgendum à peccatis per gratiam Chriſti Domini, quæ liberat nos à malo; & confortat ad vincendas tentationes ad malum trahentes; quapropter dicebat *Apoſt.Philipp.*4. *Omnia poſſum in eo, qui me conſortat.* Angeli autem poſt primum peccatum ſtatim fuerunt in termino; non enim aliud ſpatium viæ habuerunt, niſi illud, in quo fuerunt innocentes; vt *ſup.* dictum eſt; ideo illis poſt peccatum non fuit conceſſa via ad pœnitendum; & per conſequens non fuit conceſſa gratia, quæ cōcedirur ſolis viatoribus, quia eſt medium conducens ad conſecutionem termini, qui eſt gloria. Cōgruum nanque eſt (ait *Fund. Doct.*) quòd quandiù res eſt in via ad aliquem terminum, impellatur, donec ad illum perueniat. At verò quando eſt in termino, non eget impulſu; ideo Angelis, qui ſunt in termino, congruenter negatur gratia, quæ eſt impulſus Spiritus S; hominibus autem viatoribus conceditur gratia, qua impellantur ad ſurgendum à peccato, & ad tendendum in Deum. Quòd ſi Angelis etiā poſt peccatum conceſſa fuiſſet via ad pœnitendum, pariter gratia illis deſtinata fuiſſet, qua potuiſſent reuocari à peccato; quia gratia, *quæ potens eſt ſuſcitare Filios Abrahæ;* fuiſſet potens etiam ſuſcitare Angelos mortuos per peccatum; vt *inſ.*

7 Ceterùm in hoc conueniunt homines, & Angeli dānati, quòd in ſtatu termini ſūt obſtinati, & inflexibiles in peccatis, cū quibus trāſierunt ad illum ſtatum; nullus enim poteſt ad pœnitentiam reuerti; & ideo nullus poteſt à ſuis peccatis ſe liberare, à quibus non liberat, niſi pœnitenria; quæ non habetur, niſi per gratiam Dei; quæ datur ſolùm in via, non in termino. *Hoc not.*

8 Vnica concl. Radix obſtinationis, & inflexibilitatis Dœmonum eſt denegatio gratiæ, quæ conuenit ſtatui damnationis; & impotentia naturalis phyſica, quam habenr in illo ſtatu, ad reſurgendum ſine gratia.

Prob.1.pars concl. *ex Scripturis;* nam *pſ.*30. habetur: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te; perfeciſti eis, qui ſperant in te.* Super quod *Beatiſſ.P.lib.*21. *de Ciu.Dei c.*24.ait: *Et ideo eis abſconditur multitudo dulcedinis Dei, quoniam timent quidem Deū, ſed illo timore ſeruili, qui non eſt in charitate; quia perfecta charitas foras mittit timorem. Ideo ſperātibus in eum perfecit dulcedinem ſuam inſpirando eis charitatem ſuam.* Et paulò poſt: *Hanc Dei iuſtitiam, quam donat gratia ſine meritis.* Ex quibus ſic. Solus timor Dei filialis ortus ex amore Dei, non autem ſeruilis ortus ex rigore pœnæ, poteſt flectere Dęmones à malo, & vertere ad bonum; ſed Dęmones carenr timore Dei filiali orto ex charitate; ergo hæc catentia eſt ratio inflexibilitatis à malo; *contrariorum* enim *eſt eadem ratio;* & ideo ſicuti timor Dei filialis ortus ex charitate eſt ratio flexibilitatis; ita carentia, ſeu denegatio timoris filialis eſt ratio inflexibilitatis. Prob.ma. In hoc diſtinguitur timor Dei filialis à timore ſer-

ſeruili; quòd illa iuſtificat, quia oritur ex charitate Dei, quæ noſtra iuſtitia eſt; & ideo flectit à peccato ad bonum; iſte autem, quia non oritur à charitate Dei, nec iuſtificat, nec flectit à peccato ad bonum; ergo ſolus timor Dei filialis ortus ex amore Dei, non autem ſeruilis ortus ex rigore pęnæ, poteſt flectere Dęmones à malo, & vertere ad bonum. Mi. patet; quia ſuper Dęmones manet ira Dei, cum qua incompoſſibilis eſt charitas, ſeu amor ipſius. Præterea ſolùm habentibus ſpem datur charitas Dei potens flectere à peccato; ſed Dęmones carent ſpe, quia ſunt in loco deſperationis; ergo carent charitate, qua ſolùm poſſunt flecti ad bonum. Tum quia iuſtitia Dei datur ſolùm ex gratia; ſed Dœmones in termino carent gratia; ergo carent Dei iuſtitia; atqui per iuſtitiã tantùm flectuntur à peccato, quia non poſſunt flecti, niſi redeundo ad iuſtitiam; ergo denegatio gratiæ Dei eſt ratio inflexibilitatis Dœmonum.

9 Conf. ex illo 2. *ad Tim.* 2. *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant.* Super quod *Beatiſſ. P. vbiſ. Cur ita, niſi quia iam in parte Diaboli computantur, qui dum eſſent in corpore, non ſunt tranſlati ad Chriſtum? Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ cauſa eſt, vt neque nunc, neque tunc oretur pro Angelis malis.* Ex quo ſic. Pœnitentia, ſeu actus cõtritionis, qui *teſte Trid.* eſt donum Dei diuinitus infuſum, eſt ratio conuerſionis peccatoris in Deum; ergo denegatio huius doni pœnitentiæ eſt ratio, cur non flectantur in Deum; ſed in Dœmonibus eſt denegatio pœnitentiæ, quia in tali ſtatu ſunt incapaces gratiæ, quæ eſt propria ſolius viæ; nam ſtatus damnationis eſt ſtatus omnis miſeriæ, & locus iuſtitiæ ſolius vindicatiuæ; gratia autem eſt magna felicitas huius vitæ, quia eſt medium ad beatitudinem; & eſt effectus miſericordiæ; ergo denegatio pœnitentiæ eſt radix inflexibilitatis eorum. Tum quia quòd creatura flectatur de malo in bonum, eſt *mutatio dexteræ Excelſi*; idèſt gratiæ Dei expellentis peccatum, & roborantis voluntatem ad reſurgendum; ergo denegatio *dexteræ Excelſi* eſt ratio, cur nõ expellatur peccatum, & non reſurgat peccator, & ſic eſt ratio, cur Dęmones ſint inflexibiles.

10 Prob. 2. *à Fund. Doct.* alia ratione deſũpta *ex Beatiſ. P. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 15*; vbi ait: *Si Deus ſubtrahat operationem intimã, qua eam ſubſtituit, & facit, continuò tanquam extincta nulla remanebit.* Ex quo ſic. Si Deus non operaretur interiùs mouendo naturam ad opera naturalia, non poſſet natura ſe mouere ad aliquid agendum ita, quòd ſicuti operatio intima Dei eſt cauſa operationis ipſius naturæ; ita denegatio talis operationis eſſet ratio, cur natura non operaretur; ergo ſi Deus non operatur interiùs per gratiam mouendo naturam intellectualem ad opera ſupernaturalia, natura intellectualis nequit ſe ad illa mouere, & ſic denegatio motus gratuiti, qui fit per gratiam, eſt ratio, cur natura non ſe moueat, ſed fixa in ſuo ſtatu permaneat. At in Dœmonibus Deus non operatur per gratiam illos mouẽdo à malo ad bonum, quia ſunt in termino, & termino repugnat motus, cùm illi competat quies; tum quia ſi mouerentur ad bonum à Deo per gratiam, eſſent filij Dei, non filij gehennæ, iræ, & vindictæ iuxta illud *Rom. 8. Qui Spiritu Dei agũtur, hi ſunt filij Dei*; ergo denegatio gratiæ eſt ratio inflexibilitatis Dęmonum à malo ad bonũ.

11 Ex his collig. inflexibilitatem in malo nõ eſſe poſitiuè à Deo, quia non eſt per aliquem influxum phyſicum, & operationem poſitiuam; ſed merè negatiuè, & permiſſiuè, quatenus denegat operari per gratiam, & permittit in malo permanere. *Vid. in 1. Sent. to. 2. de Reprob. art. 2.*

12 Altera pars concl. prob. ijſdem rationibus ſic. Dęmones non poſſunt viribus phyſicis naturæ elicere timorem filialem Dei, qui eſt ex charitate, qua carent; & quo ſolùm poſſunt conuerti à peccato in Deum; ergo impotentia naturalis phyſica eſt ratio ſuæ obſtinationis. Tum quia Dęmones naturaliter nequeunt habere actum pęnitentiæ, ſeu contritionis, quo ſolùm poſſunt conuerti in Deum à peccato, in quo sũt; & quo ſolùm poteſt tolli illud peccatum; nam pęnitentia, ſeu contritio eſt donum Dei ſupernaturaliter infuſum, quo carent ratione ſtatus. Tum quia naturaliter nequeunt ſe mouere in Deum, vt Auctorem gratiæ; nam talis motus eſt impulſus Spiritus S; qui non datur niſi exiſtentibus in via, & filijs Dei; non autem filijs gehennæ, iræ, & vindictæ; ergo naturalis impotentia phyſica ad pęnitendum, ſeu conuertendum, & ſe mouẽdum in Deum eſt ratio obſtinationis Dęmonum.

13 Conf. 1. *ex Beatiſs. P. de Corr. & Grat. c. 11.* docente: *Liberum arbitrium ad malum ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono*; ergo quòd Angeli non poſſint conuerti, prouenit ex impotentia phyſica naturæ ipſorum; non autem ex eo, quòd de ſua natura ſint inflexibiles à primo actu; non enim reddũtur inflexibiles, niſi per ſubtractionem gratiæ ratione ſtatus denegatæ, & per impotentiam ad reſurgendum; ſicut redduntur inflexibiles homines damnati.

14 Conf. 2. Quòd non fiat aliquis effectus, nedum poteſt prouenire ex parte primi agentis non concurrentis phyſicè ad illum effectum, ſed etiam ex impotentia agentis ſecundarij non habentis vires ad illum effectum producendum; effectus enim, qui petit eſſe à duplici agente, nedum non ponitur ex defectu concurſus vnius, ſed etiam ex impotentia alterius; v.g. quia *Sol, & homo generant hominem*; nedum homo non generaretur, ſi Sol non concurreret, ſed etiam ſi homo generans eſſet impotens ob ſterilitatem; ſed conuerſio Dœmonum in Deum ſecundùm hunc ordinem, quem videmus, pendet à Deo, vt ab agente ſupernaturali; & à voluntate ipſorum

Dę-

Dęmonum;ſic enim fit cōuerſio peccatoris adulti, ergo nedum non ponitur, quia Deus denegat ſuum concurſum per gratiam; ſed etiam quia eorum voluntas eſt impotens phyſicè naturaliter ad ſe conuertendum. Atqui denegatio Diuini concurſus per gratiam eſt ratio non conuerſionis à peccato in Deum; vt dictum eſt; ergo & naturalis impotentia phyſica, quæ competit eorum naturæ priuatæ ipſa gratia.

15 Prob.2.*à Fund.Doct.* Natura creata ſuis viribus naturalibus relicta habet ſolùm, quòd tendat in ſe ipſam,& in alia à ſe propter ſe ipsā; ſed Dęmones habent naturam creatam ſuis viribus naturalibus relictam; ergo habent ſolùm, quòd tendant in ſe ipſos, & in alia à ſe propter ſe ipſos. Atqui tendentia in ſe ipſum, & in alia à ſe propter ſe ipſum eſt peccatum ſuperbiæ; tēdit enim præferendo ſe omnibus, quia conſtituit ſe finem omnium; ergo Dœmones naturaliter habent, quòd ſemper maneāt in peccato ſuperbiæ; à quo non poſſunt naturaliter ſe auertere, quia non poſſunt naturaliter à ſe ipſis ſe auertere. Ma.prob. tum *ex Phil.* 2. *Poſt.* c.2. aſſerente quòd *natura ſemper eſt curua*; natura enim ſecundùm proprias vires ſpectata ad ſe ipſam reflectit, & reuertitur; quia natura non poteſt ſe eleuare ſupra ſe ipſam; aliter operatio eſſet ſuperior potentia operatiua; vel potentia operatiua eſſet ſuperior ſubſtantia, à qua fluit; implicat autem effectum eſſe præſtantiorem ſua cauſa. Tum quia naturaliter tendit ſolùm in bonum ſuum, quod ei naturaliter competit; ſicut per gratiam tendit in bonum, quod ei competit ſupernaturaliter; bonum autem ſuum, quod ei naturaliter competit, eſt propria excellentia; vnde ſi tendit in Deum, tendit in ipſum, quatenus eſt bonum ſuum conſeruatiuum ſui eſſe; vt diximus *q.7.art.3.n.*11; & in alia à ſe, quatenus faciunt aliquo modo ad conſeruationem ſuæ dignitatis,& excellentiæ, quæ eſt obiectum ſuperbiæ; quapropter dicitur: *Superbia eorum aſcendit ſemper*, idèſt amor ſui reuertitur ſemper ad ſuam excellentiam, ad quam aſcendit; & hoc habetur ex naturali inclinatione, quæ eſt *tendentia in bonum ſibi conueniens*; ergo natura creata ſuis viribus relicta habet ſolùm, quòd tēdat in ſe ipſam, & in alia à ſe propter ſe ipſam. Mi. patet; quia Dœmones ſunt in ſtatu ſummæ miſeriæ, & ideo ſunt priuati omni gratia, quæ eſt participatio imperfecta felicitatis beatorum, & ideo habent naturam proprijs viribus relictam.

16 Dices. Ex hoc ſequeretur naturam creatam naturaliter inclinare ad peccatū; ergo eſſet naturaliter mala; & ſic Deus eſſet Auctor mali.

Reſp; quòd licèt natura creata, quia *ex nihilo eſt, in nihilum tendat*; vt docet *Beatiſſ.P*; attamen quia Deus illam creauit cum auxilijs ſufficientibus, & cum rectitudine in Deum; ideo Deus non eſt Auctor mali. Neque natura ſine gratia eſſet mala, quanuis propenderet in malum, quia non poſſet ſtare. *Sed de hoc alibi*.

17 Prob. 3. *ex eod.* In tantùm Dœmones proſtrati per peccatum naturaliter poſſent ab illo reſurgere; in quantùm habent naturalem aptitudinem, & inclinationem ad tendendum in Deum; vt diximus *q.7.vbiſ*; ſed per hanc aptitudinem nō poſsūt moueri, niſi recipiāt à Deo formam, per quam mouentur; quanuis enim materia ſecundùm ſe ſit apta naturaliter moueri ad formam; attamen indiget, quòd ab agente extrinſeco moueatur per introductionem qualitatum præuiè diſponentium ad illam formam; ergo Dœmones nequeunt ſe mouere naturaliter in Deum; ſed neceſſariò indigent forma, quæ eſt gratia, qua moueantur. Atqui in ſtatu damnationis carent gratia; ergo carent potētia ad ſe mouendum in Deum; & ideo naturalis impotentia eſt ratio obſtinationis eorum in malo.

18 *Aliorum* ſententiæ reijcientur ſoluendo eorum rationes; nimis enim prolixi eſſemus, ſi ſingulas vellemus diſcutere, cùm *Fund.Doct.* vltra allatas à nobis alias vſque ad octo enumeret.

19 Obijc.1. *Gonet.* Connaturale eſt Angelo omninò fixè,& immobiliter apprehendere obiecta, quæ cum perfecta deliberatione cognoſcit; ergo ei connaturale eſt omnino fixè, & immutabiliter ea eligere, eiſque immobiliter adhærere; & ideo obſtinatio in Dœmonibus non ſolùm ex ſubſtractione gratiæ, ſed etiam ex ipſa natura intellectus,& voluntatis prouenit, tāquam ex prima, & intrinſeca radice. Prob. ant. Intellectus perfectè apprehendens aliquod obiectum vnico intuitu ſine diſcurſu omnino fixè, & immobiliter illud apprehendit; ideo enim nos fixè,& immobiliter apprehendimus prima principia, cetera verò mobiliter; quia illa cognoſcimus per ſimplicem intuitum ſine diſcurſu; iſta verò vel non perfectè, vel cum diſcurſu cognoſcimus; ſed Angelus cognoſcit omnia naturalia,& ſupernaturalia ſine diſcurſu perfectè penetrando omnia, quę in illis continentur; ergo illa omnino fixè, & immobiliter apprehendit. Prob.conſ. Ideo voluntas noſtra eſt mobilis de vno obiecto ad aliud, quia noſtrum iudicium eſt mobile,& flexile, ergo voluntas Angeli immobiliter eligit, quia eius iudicium eſt immobile, & fixum. Tum quia appetitus ſequitur apprehenſionem, eique conformatur; in tantùm enim appetitus ſenſitiuus eſt boni particularis, quia ſenſus eſt particularium; & voluntas circa bonum vniuerſale verſatur, quia intellectus tendit in bonū vniuerſale; ergo connaturale eſt voluntati Angeli immobiliter eligere, & adhærere obiectis ſemel apprehenſis.

Conf. In tantùm Angelus poſſet recedere ab aliquo obiecto ſemel volito; in quantùm poſſet apprehendere aliquam rationem, quam priùs in illo non cognoſcebat; ſed Angelus nequit de nouo aliquam rationem apprehēdere; quia ſimplici intuitu comprehendit cōcluſiones in principijs,& prædicata in ſubiectis, quæ poterant illum

lum ad peccandum inducere,vel retrahere; ergo immobiliter adhæret obiecto ſemel volito. Tum quia hæc eſt ratio, quare Angelus non eſt admiſſus ad pœnitentiam,ſicuti admiſſus eſt homo;quia Angelus eſt *Spiritus vadens, & non rediens*;homo verò eſt flexilis,ſicut arundo.

Reſp.*Fund. Doct.ad 7.modum dicendi* neg. ant; intellectus enim Angeli poteſt concipere in obiecto clarè cognito aliquam rationem falſi ſaltem, quatenus illud obiectum eſt ſupernaturaliter ordinabile in Deum, cùm circa ſupernaturalia poſſit errare,vt diximus *art.1*;& ſic apprehēdere in illo aliquam rationem malitiæ, à qua poteſt voluntas ſe auertere. Imò de facto hoc accidit; cognouit enim, quòd propria excellentia, quam clarè apprehēdit,neceſſariò debebat ſubijci Deo,& ad Deum ordinari;& quòd illā non ordinando malū fuit, & ideo peccauit;aliter ſi hoc non cognouiſſet, non cognouiſſet ſe peccaſſe, quod eſt falſum; quia cognitio proprij peccati ſpectat ad illius miſeriam. Licèt ergo quoad cognitionem ſui,vt quædam res eſt,non poſſit errare,aut deſiſtere à cognitione;attamen in hac non cōſiſtit eius peccatum,quia cognoſcere, & amare ſe ipſum non eſt malum,ſed bonum naturale; vnde per hoc non probatur,quòd non poſſit deſiſtere à peccato, ſed rantùm quòd non poſſit deſiſtere à cognitione,& amore ſui, quod eſt bonū naturale. Attamen quoad cognitionē ſui, vt erat ordinabilis in Deū,potuit errare,& de facto errauit,& ſic errādo peccauit;& ideo de facto cognoſcēs hūc errorē poteſt ab illo deſiſtere,& ſic non probatur,quòd volūtas apprehendens malū ortū ex hoc errore nō poſſit ab illo ſe retrahere. Ad prob. neg.2. pars mi; ſcilicet quòd Angelus perfectè penetrauerit omnia ſupernaturalia; illa enim cognouit per Fidem, ſicuti cognoſcimus nos,& ideo obſcurè,non clarè.Per hoc poteſt retorqueri illud,quod additur;ſi enim voluntas ſequitur intellectum; ergo cùm intellectus potuerit errare circa naturalia,vt ordinabilia in Deū; & poſtea coguoſcendo talem errorem poteſt ab illo ſe retrahere;ita à pari de voluntate.

Ad conf.neg.mi; vt dictum eſt. Ad illud, quòd additur,dicitur, quòd idem eſt non admitti ad pœnitentiam,& non redire ad Deum;vnde nulla eſt illa ratio. Diſparitas ergo traditur *à Beatiſ.P.lib.1.de Mirab.Sacræ Scriptura c.2*;quia Angelus fuit poſitus in ſublimiſſimo culmine dignitatis, in quo per ſolam cōtemplationem Dei poterat facillimè ccuſequi beatitudinem,à qua tamen cecidit, homo verò fuit conditus in hoc imo ſtatu terræ; & ideo difficiliùs illam poterat conſequi; quapropter miſericordia Conditoris dignior fuit.Vel vt habet *ibid*;Angelus poſt peccatum,ſtatim in deſperationem incidit;quia procurauit inducere etiam *Adamū* in peccatū,quod eſt ſignum deſperatiouis veniæ; at verò *Adam* ſtatim poſt peccatū ſe excuſauit dicēdo ſe fuiſse ſeductum à muliere; & mulierem à ſerpēte, ideo non deſperauit. Vel quia infirmitas hominis propter ſenſus peccatum magis excuſat, quàm robuſta fortitudo naturæ Angelicæ, *vt alibi* docet.

20 Obijc. 2.*idem*.Angelus eſt forma ſimplex, in qua non ſunt vires apprehenſiuæ diuerſæ rationis,ſcilicet,intellectuales,& ſenſitiuæ, vt ſunt in homine; ergo Angelus,quādo vni obiecto per tales vires adhæret,immobiliter adhæret;nam in illo non eſt aliqua potentia inducens ad contrariam adhæſionem. 2.In tantùm homo poteſt mutare falſum iudiciū habitum de aliquo obiecto; in qnantùm habet paſſiones, ex quarum impetu intercipitur ratio; vel in quantùm habet habitū contrarinm exiſtentem in alia potentia; habitus enim exiſtens in iraſcibili poteſt mutare iudiciū habitus venerei exiſtentis in concupiſcibili; vel in quantùm habet ignorantiam vniuerſalem; retinet enim cognitionem vltimi finis, per quam poteſt ſe retrahere ab illa ignorantia;ſed nullum horum eſt in Angelo; quia peccatum ipſius nec eſt ex paſſione,nec ex habitu,neque ex ignorantia,quia fuit circa vltimum finem; ergo Angelus non poteſt ſe mutare. 3. Angelus eſt medius inter Deum,& hominem; ſed Deus eſt immutabilis ante,& poſt electionem, & homo eſt mutabilis; ergo Angelus erit immutabilis poſt electionem;mutabilis verò ante electionem.

Reſp.*Fund.Doct.ad 2.modum dicendi*;quòd licèt Angelus ſit forma ſimplex quantùm ad potentias,eſt tamen virtualiter multiplex quantùm ad virtutes, actus, & obiecta; ex ideo poteſt ſe modò conuertere ad vnum obiectum per vnum actum,modò ad aliud,quia eſt liber. Neg. igitur conſ. Ad 2. reſp. *ad 6. modum dicendi* neg. mi. quoad 3. part; Angelus enim poſt peccatum optimè cognoſcit Deum eſſe vltimum finem, ad quem debebat ordinare ſe ipſum. Ad 3.reſp. *ad 1. modum dicendi* ex hoc ſequi homines damnatos non eſſe obſtinatos in malo,ſed poſſe ſe conuertere in Deum; in hoc enim diſtinguuntur ab Angelo damnato, vt dicit arg; quòd ſolùm procedit de damuatis.

21 Obijc.3. Voluntas,quò perfectior eſt,eò vehementiùs, & firmiùs adhæret obiecto ſemel volito;ſed voluntas Angeli eſt perfectiſſima; ergo immobiliter adhæret obiecto ſemel volito. 2.Angelus immobiliter adhæret vltimo fini,quē ſibi deſtinauit;quia in illo nnlla ratio mali apparet; ſed deſtinauit ſibi obiectum peccaminoſum; ergo ex ſua natura illi immobiliter adhæret. 3.Proprium eſt ſuperborum tenaciter ſuæ ſentētiæ adhærere;ſed Angeli mali ſunt ſuperbi;ergo ex ſua natura habent immobiliter ſuæ ſententiæ adhærere; quia ſupetbus non vult videri ſe in iudicio erraſſe.

Reſp.*Fund.Doct.ad 7.modum dicendi in fine eum Beatiſſ.P.lib.12.de Ciu.Dei c.1.* diſt.ma. Adhæret obiecto bono, & proficuo, conc; malo, & nociuo, neg; *omne enim vitium naturæ nocet*; *ac*

per

per hoc contra naturam eſt. Quantò ergo voluntas eſt perfectiot, tantò fortiùs inclinatur in bonum;nam inclinate in malum eſt imperfectio voluntatis; voluntas autem fortiùs inclinans in bonum,citiùs,& faciliùs reſpuit malum,quod eſt ſibi nociuum;& ideo ex eo,quòd voluntas Angeli ſit perfectiſſima, habet priùs ex ſua natura ſe auertere à malo, quàm in illud tendere. Ad 2. neg.ma; nam in vltimo fine malo optimè cognoſcit rationem mali,& ideo nequit ei immobiliter adhætere.Præterea eriam homo immobiliter adhæretet peccato, quia pet ipſum ſibi deſtinat vltimum finem; ſi à ratione vltimi finis ptæcisè haberetur immobilitas.Ad 3.dicitur hoc probare etiam de homine in ſuperbiam lapſo, quod tamen eſt falſum. Quanuis ergo ſuperbus habeat firmiùs adhærere ſuæ ſententiæ;attamen non habet,quòd non poſſit ſimpliciter ſe auettere.

22 Improb. vlteriùs hæc ſententia *ex Fund. Doct.* Angelus modò ſe conuertit ſuper vnam ſpeciem, & per illam intelligit vnum obiectum; modò luper aliam intelligens aliud obiectum; & ſic deinceps; non enim omnia ſemper actu cognoſcit;vt dictum eſt *q.4.pluries*;ſed hæc conuerſio, & intellectio fit ex pleniſſima delibetatione voluntatis imperantis talem conuerſionem, & intellectionem;ergo falſum eſt;quòd Angelus ex ſua natura adhæreat ei, quod ſemel elegit cum plena delibetatione.2.*Ex Dan.c.1.* habetut Angelum cuſtodem *Perſarum* repugnaſſe viginti diebus Angelo *Iſraelitarum*; & poſtea ceſſauit à tali repugnantia; ex quo ſic. In tantùm Angelus mutauit ſuam voluntatem;in quantùm iudicium de tali volitione etat imperfectũ; & poſtea plenè cognouit voluntatem Dei;vt aſſetit *Gonet*,ſed cũ peccauit Angelus, eius iudicium non erat perfectum; non enim clarè, & perfectè cognoſcebat ſubijciendam eſſe Deo propriam excellentiam; vel ad hoc non aduertebat, quod ſufficit ad imperficiendum iudicium; ſi enim clatè cognouiſſet,& aduertiſſet,non potuiſſet peccare; ſicut nõ potuit peccare circa naturalia clarè cognira, & animaduerſa; ergo de facto poteſt ſecundùm ſe mutare ſe à ſuo actu.3.Si Angelus haberet ex ſua natura adhærere immobiliter obiecto, quod ſemel elegit,ſequeretur,quòd etiam beati haberẽt immobilitatem in beatitudine per naturam, non per gratiam; ſed conſequens eſt contra *SS. PP.* docentes non poſſe cadere à beatitudine eſſe per gratiam;vt *Beatiſſ.P.de Corr;& Grat.c.10;& ſæpe alibi*; ergo & falſum eſt ant. Nec ſatisfacit *Ioã S.Tho.* dicens, quòd licèt Angelus ex ſua natura ſit inflexibilis;attamen quòd ſit inflexibilis in bono,non in malo,gratia Dei eſt. Nam cõtra eſt;quia *SS.PP.* loquuntur de immobilitate in bono viſionis beatæ,poſtquam illud Angeli conſecuti ſunt; & ideo non loquuntur de conſecutione illius,quæ maxima gratia eſt.Præterea cõſequi viſionem beatam eſt gratia Dei; ergo & in ea conſeruari; quia conſeruari eſt continuum cõſequi; adhærere autem Deo clarè viſo immobiliter, eſt perpetuò conſetuari viſionem Dei in intellectu, & continuari,vt patet; ergo adhærere Deo immobiliter eſt per gratiam, non per naturam.4.Si Angelis conceſſa fuiſſet via poſt peccatum,& gratia vincens, & ſanans eorum voluntatem,ſicut conceſſa fuit hominibus;potuiſſent flecti in Deum;quia vinci, & ſanari voluntatem nihil aliud eſt, quàm liberari à peccato, quod eſt flecti in Deum; ergo inflexibilitas non conuenit eis ratione naturæ immobiliter adhærentis primo actui. Prob.magis ant. Voluntas Angeli per peccatum non amiſit potentiam radicalem ad bonum;quia eſſentiæ rerum ſunt inuariabiles; & voluntas eſſentialiter libera eſt ad bonum,& malum; imò principaliùs ad bonum, quod eſt ſibi conueniens, quàm ad malum, quod eſt ſibi nociuum,vt dictum eſt;ergo poſita gratia,qua volũtas conſtituitur proximè potens ad bonum agendum,nihil impedit,quòd non tendat in bonum; ad hoc enim ſufficit potentia radicalis, & virtus proxima;ergo ideo de facto non tendit,quia deficit ei gratia, quæ denegatur illi ſtatui; & quia phyſicè impotens eſt de ſe ſine gratia tendere in Deũ. 5.Volũtas Angeli eſſẽtialiter habet tẽdere in bonũ, & malum, ergo eſſentialiter nequit habere, quòd tendat immobiliter in malum tantũmodò, poſtquam ſemel ad malum determinata eſt;nam hæc immobilis tendentia nequit deſumi ex ipſa eſſentia, & natura voluntatis, quæ ſecundùm ſe ipsã eſt ad vtrũq;indifferẽter,& liberè;& ideo ſicut liberè ponit;ita liberè poteſt ſecũdũ ſe ipsã retrahere ſe.6.Ideo Deus non poteſt retractare aliquam volitionẽ, quia eſt ſimpliciter immutabilis; ſed Angelus eſt mutabilis ſimpliciter quoad naturalia eligibilia actu electiuo; vt *ſup.* dictum eſt;ergo ſecundùm ſe poteſt ſe retractare ab aliquo actu;& ideo non habet, quòd ex ſua natura ſit inflexibilis. 7. Cùm voluntas Angeli poſuit actum malum, vel amiſit potẽtiam ad oppoſitum;vel non? Non primum; aliter amiſiſſet, vel minuiſſet libertatem, quod eſt falſum; docet enim *D.Dion. Naturalia in Angelis remanſiſſe integra*. Si ſecundum; ergo ſi roboretur eius potẽtia per gratiam, poterit tendere in oppoſitum, quod eſt conuerti in Deum. 8. Illud non dicitur ex ſua natura inflexibile ab vno,cuius natura dicit potentiam radicalem ad oppoſitum; aliter etiam homo peccator diceretur inflexibilis à peccato;cùm enim eſt in peccato, non habet niſi potentiam radicalem ad oppoſitum; ſed Angeli mali habent potẽtiam radicalem ad oppoſitum; ergo ex ſua natura non dicuntur inflexibiles à malo. 9.Etiam homo damnatus eſt inflexibilis à malo,& tamen non dicitur ex ſua natura inflexibilis; quia in via per gratiam conuerti poterat eo,quia habebat liberum arbitrium ſanabile per gratiam,& munibile ad ſurgendum; ſed hoc idẽ dicitur de Angelo, qui habet liberum arbitrium ſecundùm ſe propendens in bonum,& malum;

nec

Digitized by Google

nec gratiæ Dei debet negari virtus ad illud ſanãdum,nulla enim adduci poteſt repugnantia;ergo ex ſua natura non eſt inflexibilis.Vrgetur magis. Angelus ſine peccato habebat naturam, per quã poterat tendere in Deum; ſed gratia Dei poteſt ſanare voluntatem Angeli à peccato per actum charitatis Dei diffuſum in cor ipſius inflammans, & conſtituens voluntatem potentem ad pœnitẽdum;ergo non eſt natura ſua inflexibilis à primo actu.

23 Ad auctoritates autem, quas afferũt *Aduerſarÿ*,reſp.*SS.PP.*tantùm docere Angelos eſſe inflexibiles, & obſtinatos in malo, non autem ex intrinſeca eorum natura, quæ petat immobiliter adhærere actui,quem ſemel elegit cum plena libertate;hoc enim *apud nullum* reperitur.

24 Cont. 2. part. concl. quanuis nihil obijciatur, quia à nullo impugnatam vidimus ;attamen ſic dici poſſet *ex Maſtr.*1.Angeli boni ſunt inflexibiles ſolùm ex gratia; ergo mali ſunt inflexibiles ſolùm ex ſubtractione gratiæ; eadẽ enim eſt ratio vtriuſque. 2. Angeli mali, antequam peccarent,erant liberi ad non ponendum actum peccati,ergo & poſtquam peccarunt, ſunt liberi ad abijciendum illum actum; non enim per peccatum libertatem perdiderunt.3.Angelus etiam poſt electionem mali nõ eſt neceſſitatus, ſed manet liber reſpectu illius; quia in illo manet potẽtia ad illud retractandum; ergo falſum eſt, quòd ex impotentia phyſica ipſius oriatur illius inflexibilitas à malo.

Reſp.ad 1.neg.conſ;& diſparitas eſt; quia ad bonum creatura non poteſt, niſi adiuuetur à gratia;ad malum autem ſibi ſufficit;& ideo quòd maneat in bono immobiliter firmata, prouenit à ſola gratia,quia ſecundùm ſe ipſam eſt vertibilis; at verò quòd maneat in malo, nedum prouenit ex ſubtractione gratiæ,per quam poteſt ad bonũ reuerti,ſed etiam ex impotentia naturæ, quæ ſecundùm ſe ipſam præcisè nullum bonum poteſt operari.Ad 2.neg.conſ;nam antequam peccarẽt, habebant gratiam, per quam poterant ſtare, & vitare actum peccati,at verò poſt peccatum gratiam amiſerunt, per quam ſolùm poſſent reſurgere. Ad id, quod additur, dicitur perdidiſſe libertatem Filiorum Dei ad ſeruiendum iuſtitiæ, de qua dicitur *Io.8.Si ergo vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis; & Apoſt. Rom. 6. Liberati autem à peccato,ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Mãſit ergo in eis ſola libertas à iuſtitia, qua continuò ſeruiunt,& captiuantur à peccato; non autem libertas à peccato, quæ non habetur, niſi per gratiam Chriſti. Ad 3. dicitur in Angelo malo manere libertatem, & potentiam radicalem ad retractandum,quæ de ſe eſt impotens, niſi adiuuetur à gratia; & ideo ex hac impotentia ad reſurgendum oritur inflexibilitas à malo.

25 Quæres; an Dœmones poſſint operari aliquod opus bonum morale naturale?

Reſp. negatiuè *cum Fund. Doct. hic, Greg; Gibb.vbiſ.dub.2; Capr; Ferrar; Caiet; Naz; Zum; Salm;Gonet,& alÿs.* Et prob. 1. *ex textibus mox allatis.* Seruus peccati omnino captiuus nequit ſeruire iuſtitiæ;quia *Matt.6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire*; ſed faciendo aliquod opus bonum morale, etiam naturale,ſeruitur iuſtitiæ; ergo Dœmon,qui eſt ſeruus peccati,nequit facere aliquod bonum morale,etiam naturale.2.*ex Beatiſſ.P. ep.107. ad Vital. Nec ipſi habent liberum arbitrium ad bene faciendum, ſed ad maximam malitiam pœna ſui ſceleris obduratum.* Ex quo ſic. Beati,quia inflexibiliter adhærent ſummo bono, nequeunt facere aliquod malum morale,etiam naturale; quia ſummum bonum eſt radix omnis boni ſupernaturalis, & naturalis; ergo damnati, quia inflexibiliter adhærent ſummo malo, nequeunt patrare aliquod opus bonum morale, etiam naturale; quia ſummum malum eſt radix malitiæ, quæ opponitur bonitati ſupernaturali, & naturali.

26 Dices. 1. *Iacob.2.* habetur Angelos credere, & contremiſcere; ſed actus credendi, & timoris eſt bonus,ſaltem naturaliter; ergo faciunt aliqua bona moralia ſaltem naturalia. 2. *Sap.5.* habetur.*Pœnitentiam agentes;& præ anguſtia ſpiritus gementes;nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam;* ſed pœnitentia,& gemitus peccatorum ſunt opera bona; ergo faciunt aliqua opera bona. 3.*Luc.16. Epulo* rogabat *Abraham*, vt mitteret ad commonendos ſuos fratres, vt agerent pœnitentiam, ne damnarentur; ſed hoc eſt opus bonum;ergo poſſunt facere opera bona. 4.Aliquando legitur Dœmones aliqua bona dixiſſe,& conſuluiſſe.

Reſp.ad 1. *cum Fund. Doct.* neg. mi; actus enim Fidei, & tremoris in Dœmonibus eſt per ordinem ad propriam ſuperbiam; credunt enim, ſed mala voluntate,quia nollent ſubijci pęnis inflictis à Deo,cui nollent eſſe ſubiecti; ſic tremũt, quia nollent ſubiectari illis pęnis. Ad 2. diſt.mi. Pęnitentia ad veniam, conc; pęnitentia ex mala voluntate,qua nollent ſubijci miſerijs,neg.Ad 3. neg.mi; nam *Epulo* rogabat, ne augeretur eius pęna accidentalis per eorum damnationem, cuius forſitan ipſe fuerat cauſa moralis inducendo eos ſuo exemplo in peccatũ.Ad 4.reſp.*Beatiſſ.P. 4.de Trin.c.29. Si illi ſuperbi ſpiritus aliqua vera dicunt,hoc eſt intentione fallendi;*quod repetit etiã *lib.de Diuinat. Dæmonum*. Igitur ad omnia iſta communiter dicitur eſſe actus malos, quia mala fiunt voluntate.

27 Ex his colligi poteſt Dęmones in omni ſuo actu mortaliter peccare, quia ſemper operãtur ex motiuo ſuperbiæ, quæ eſt peccatum mortale.

ART. VII.

Afferuntur aliquot dubia.

1 PLura ſpectãtia ad pęnam Dęmonum, de quibus fusè agit *Fund.Doct*; collige-

Google

ligemus *in hoc art*;quia parum habent difficultatis;vel quia *alibi* ſunt diſſoluenda,aut ſoluta.

2 Quæres 1; quænam ſit prima pęna Dęmonum?

Reſp.eſſe pęnam damni;ſcilicet priuatio viſionis beatæ,qua in æternum carebunt.

3 Quæres 2; an Dęmones torqueantur verè,& realiter ab igne, an verò ſolùm intentionaliter?

Reſp.hoc eſſe diſſoluendum *in Tract. de peccatis*; eadem nãq; difficultas eſt de Angelis,& animabus,ſunt enim ſpirituales; & ideo ea ratione,qua ignis torquet Dęmones, torquet etiam animas. Interim videatur *Beatiſſ. P. de Ciu. Dei lib.21.c.10*;vbi ait: *Cur enim non dicamus, quanuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pæna corporalis ignis affligi; ſi ſpiritus hominum, etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris; & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo,ſi eis nulla ſunt corpora, ſpiritus Dæmonum;imò ſpiritus Dæmones,licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi*. Quomodò autem cum hoc concordet *Fund.Doct*; qui communiter refertur ſentire Dęmones cruciari per apprehenſionem,*ibid.* explicabitur; apprehenſio enim alicuius corporalis non facit illud non eſſe corporale; v.g.cùm quis non apprehendit,ſeu non aduertit ſe comburi ab igne, nõ ſentit dolorem; cùm verò apprehendit, dolorem percipit; per hoc autem nõ ſequitur ibi eſſe ignem ſolùm per apprehenſionem,& non realiter;quanuis ſequatur non ſentire dolorem,niſi apprehendendo ignem;*ſed de hoc loc.cit.*

4 Quæres 3; an Dœmones de facto puniantur pęna ignis;vel ſolùm puniendi ſint poſt diem Iudicij?

Reſp. *Fund.Doct. in hoc 2.diſt.6. q.2.art.1.* affirmatiuè; nam ſicut Angeli ſancti poſt victoriã tentationis ſtatim receperunt gloriam; ita Angeli mali ſtatim poſt peccatum receperunt pœnam illis debitam; pęna autem illis debita eſt pęna ignis iuxta illud *Matt.25.Ite in ignem æternum,qui paratus eſt Diabolo,& Angelis eius*.

5 Sed dubium eſt; an Dęmones ſecum portent ſemper ignem materialem inferni etiam in hoc aere,in quo nos tentant?

Reſp.*Fund.Doct.ibid.aliquos* ſenſiſſe pęnam ignis differri Dęmonibus vſque ad diem Iudicij ob duplicem rationem. 1.Quia ſi punirentur pęna ignis, acerbitate huius pęnę penitus abſorpti non poſſent tentare nos. 2. Quia ſic oſtenditur magis Dei miſericordia, quæ in multa patientia ſuſtinet vaſa iræ. Hæc opinio accedit ad errorẽ *Græcorum*; qui, vt refert *Fund. Doct*; voluerunt neminem ſiue Angelum, ſiue hominem ante diẽ Iudicij aſcendere in Cęlum, vel deſcendere in infernum; qui error videtur ſumptus ex fabulis *Pythagoricorũ* ſomniantium animas occiſorum circuire ſepulcra,& expectare vindictam.

6 Sed contra eſt; quia pęna ignis,cùm non ſit infinita,non ita occupat Dęmones,vt nequeãt tentare nos; imò tali pęna crudeliter afflicti incitantur magis ad nos tentandum, vt habeant ſocios in pęnis. Ad aliud dicitur miſericordiam oſtendi ſolùm in via;& iuſtitiam in termino;dicitur enim *in pſ.*100. *Miſericordiam, & iudicium*; Dęmones autem ſunt extra viam; ideo non ſunt capaces miſericordiæ,ſed ſubiecti iuſtitiæ.

7 Et ſi dicatur *Matt.*8.habetur de Dęmonibus: *Ieſu Fili Dauid veniſti ante tempus torquere nos*; ex quibus patet pęnam ignis non eſſe illis debitam ante diem Iudicij.

Reſp.*Fund.Doct.* Dęmones torqueri etiam eò, quia non poſſunt affligere homines; nam vt docet *Beatiſſ.P.8.de Ciu.Dei c.22*; *Dæmones ſunt nocendi cupidiſſimi*; vnde ex eo,quòd prohibeantur nocere hominibus,ſicuti vetabuntur poſt diẽ Iudicij, cùm recludentur in inferno, & non erit ampliùs homo,qui poſſit tentari;ideo optimè dicitur in hoc ſenſu ante tempus torqueri à Chriſto Domino.

8 *Alij apud eundem Fund. Doct.* dixerunt Dęmones exiſtentes in hoc aere eſſe igne circũſeptos; qui ignis tamen, quia agit ſolùm, vt inſtrumentum Diuinæ iuſtitiæ,ideo torquet ſolùm illos,qui ad talem pęnam adiudicati ſunt.

Sed hoc eſt recurrere ad miracula; ad quæ tamen non debemus recurrere,niſi neceſſitas vrgeat;cùm aliunde Deus,vt docet *Beatiſs.P.* 8. *de Ciu.Dei c.31*; ſinat res peragere motus,& curſus ſuos. Primum ergo miraculum eſſet, quòd ille ignis adeo actiuus iuxta nos exiſtens non calefaceret nos.Secundum eſſet, quòd non appareret. Tertium,quòd non reſiſteret dimẽſionibus; nam ille ignis corpus eſſet,& ſic ſi dimenſionibus reſiſteret, non poſſet ingredi corpora obſeſſorum.

9 *Alij* dixerunt Dęmones affligi ab igne exiſtẽte in inferno; cùm enim ille ignis torqueat Dęmones tantùm calefaciendo, & deſiccando; ideo poteſt agere in diſtans.

Sed contra eſt; quia licèt actio ſpeculatiua poſſit fieri in diſtans, quia intellectus poteſt cognoſcere res præſentes,& abſentes;attamen hoc nequit verificari de actione paſſiua;ſicut eſt illa, qua torquentur Dœmones ab igne. Tum quia ſi ignis torqueret Dęmones in diſtans, torqueret etiam corpora, & animas obſeſſorum, in quibus ſunt.

10 Dicendum igitur *cum Fund.Doct*; quòd non circunſepiuntur ab igne reali, patiuntur tamen eandem pœnam,quam haberẽt,ſi igne reali circundarentur.Ratio eſt;quia Deus,quidquid facit cum cauſis ſecundis efficientibus, poteſt facere ſe ſolo;ſed cum igne, qui eſt cauſa efficiens extrinſeca, poteſt dare talem pœnam Dęmonibus; ergo eandem pœnam poteſt dare ſe ſolo. Vnde in hoc ſenſu poteſt dici Dœmones ſemper ignem ſecum portare;quia ſemper pœnam ignis patiuntur.Sic intelligitur *Gloſ.ſup. Iacob.4.* aſſe-

rens Diabolum,vbicunque ſit,ſiue in Cœlo, ſiue in aere,ſiue ſubtus terram, ſemper ſecum deferre tormenta flammarum. Tum quia Angeli ſancti in Cœlo ſemper habent gaudium de viſione beata;quæ eſt pręmium illorum;ergo Dœmones vbicunque ſint,ſemper habent pœnam ignis,cui ob demerita ſunt condemnati.

11 Quæres 4;quinam ſit locus Dœmonum?

Reſp. *Fund. Doct.vbiſ. art. 1.ex Beatiſſ.P. lib.8.de Ciu.Dei c.22.* eſſe in hoc aere caliginoſo vſque ad diem Iudicij, poſt quem claudentur in inferno;ait enim *Beatiſſ.P.Qui in hoc quidem aere habitant,quia de Cœli ſuperioris ſublimitate deiecti merito irregreſſibilis tranſgreſſionis in hoc ſibi congruo velut carcere prædamnati ſunt.Et lib.11. c.33.Peccaſſe autem quoſdam Angelos,& in huius Mundi ima detruſos, qui eis velut carcer eſt vſq; ad futuram in die Iudicij vltimam damnationē, Apoſtolus Petrus apertiſſimè oſtendit dicens, quòd Deus Angelis peccantibus non pepercerit, ſed carceribus caliginis Inferni detrudens tradidit in Iudicio puniendos reſeruari;& lib.11.ſup. Gen.ad lit. c. 26. Dum tamen & peccatores Angelos minimè dubitemus detruſos tanquam in carcerem caliginis huius aerea circa terras ſecundùm Apoſtolicam fidem in Iudicio puniendos ſeruari.* Super quod *Fund.Doct.*notat aerem in triplicem partē diuidi;ſcilicet in partem ſuperiorem propinquā igni,quæ vocatur tertia regio; & in partem mediam,in qua generantur pluriæ, tonitrua, fulgura,nubes,grandines, & tempeſtates, quæ dicitur ſecunda regio; & in partem infimam terræ coniunctam,in qua nos habitamus.Ait igitur locum Dœmonibus congruum eſſe partem mediam aeris,ſeu ſecundam regionem,in qua eſt aer turbulentus propter exhalationes aquoſas,terreoſque vapores;& ratio congruitatis eſt. Angelus defecit à luce veritatis peccando *iuxta illud Ezechiel.28.Qui mane oriebaris*;oriens autem ſignificat principium lucis;ergo in ſui pœnam delicti congruum fuit,vt in aerem turbulentum detruderetur;non enim in infernum relegandus erat, quia homines tentationum exercitio probare debebat;vbi tamen elapſo tentationis tempore erit ligandus. Nec in ſuperiori aeris parte,quia nimis remotus fuiſſet; & ideo non potuiſſet tentare; nam forſan ad tantam diſtantiam illius actiuitas non extēditur;nec in infima,quia fortè nobis nimis nocuiſſet,collocari debebat. In media ergo regione ſiſtēdi erant Dęmones,in qua ſæpe Dei permiſſu magnas commouent tempeſtates, tonitrua,& fulgura, vt homines terroribus terrent.A qua tamen regione deſcēdunt,intrant in hominum corpora,aliaque plura efficiunt in hac infima aeris parte;quæ tamen non eſt locus fixus eorum;vnde cùm dicitur locum Dœmonum eſſe mediam regionem, intelligendum eſt de loco fixo,non de loco,ad quem tranſeunter mutantur.

12 Quæres 5, an numerus Angelorum, qui ceciderunt,*ex Scripturis* colligi poſſit?

Reſp.*Fund.Doct.in ead.diſt.6.art.5. dub.1. lit*;quòd licèt *aliqui* ex illo: *Draco de Cœlo cadēs ſecum traxit tertiam partem ſtellarum*; deducant tertiam partem Angelorum cecidiſſe; attamen *cum alijs* dici poteſt ſolùm decimam partem cecidiſſe;quia remanſerunt nouem ordines;& ex illis tot ceciderunt,qui ſimul ſumpti poterant vnū ordinem facere; ſeu æquari numero vnius ordinis;nam homines,qui ruinam Angelorum debēt reparare, per decimam dracmam figurati ſunt *Luc.15.*Ad id autem in contrarium ait Draconē traxiſſe tertiam partem quoad officium, non quoad numerum; nam Angeli alij ſunt aſſiſtentes,alij miniſtrantes,alij nos exercentes; & exercentes ſolùm ceciderunt, idèſt illi, qui habebant officium nos exercendi; qui ſunt vna pars diuidens genus Angelorum; quanuis alijs duabus partibus non ſit æqualis in numero;vt irrationale eſt vna pars diuidens genus animalis,quanuis nō ſit æquale rationali,quod eſt altera pars; numerus enim irrationalium excedit numerum hominùm.

13 Quæres 6;an de omnibus ordinibus Angelorū aliqui ceciderint; videtur enim *ex Apoſt. Epheſ.6.*cecidiſſe ſolùm principatus, & poteſtates;& ideo ſolùm ex duobus ordinibus.

Reſp. *ibid. dub.3. lit.* cecidiſſe ex omnibus ordinibus;licèt poſtquam ceciderunt,non vocētur nomine ſui ordinis;ratio enim huius eſt;quia aliqui ordines nominantur à gratia gratum faciente; vt Seraphim dicuntur ab ardore charitatis,quam debebant habere,& noluerūt;& Throni dicuntur ab habere Deum in ſe, quem tamen peccando amiſerunt; ideo etiam nomen perdiderunt, quod erat nomen gratiæ, quæ quia in ipſis penitus extincta eſt,ideo etiam nomen non manſit.Ideo Luciſer,qui creditur fuiſſe de ordine Seraphim, nominatur Cherub à Scientia, & alij appellantur principes, & poteſtates à dominio,& potentia.

14 Quæres 7; an Angeli inferiores peccauerint peccato ſuperbiæ, vel ſolùm peccato rebellionis ſequentes partes Luciferi?

Reſp. *Fund.Doct. diſt.5. q.1.art.3. dub.lat.* peccaſſe peccato ſuperbiæ; videntes enim Luciferum tumefactum propria excellentia,exemplū illius imitari amore propriæ celſitudinis intumuerunt.

15 Quæres 8;an Dœmones poſſint diuinari res futuras?

Reſp.*diſt.7.q.2.art.3.* poſſe cognoſcere futura neceſſaria determinata,non verò cogitationes cordium eo modo,quo diximus *q.4. art.9.*

QVAE-

QVÆSTIO X.

De Hierarchijs, & Ordinibus Angelorum.

ANgelorum dignitates, prælationes, & officia explicanda ſuſcipimus; poſtquam enim de actibus, qui per ordinem ad ſe ipſos eis conueniunt; de ijs, quæ cōparatiuè ad alios Angelos, & homines eis cōgruūt; ſupereſt diſcurrendū. Quoniā tamen Angeli non mittuntur, aut deputantur ad cuſtodiam, vel ad tentandum, niſi iuxta dignitates, & officia illis à Deo commiſſa; ideo priùs tractandum eſt de Hierarchijs, & Ordinibus, quibus eorum aliqui alijs præſunt, & principantur. Hæc tamen tantūmodò sūt declarāda, quia nulla vertitur *inter Theologos* circa ea dubietas, aut cōtrouerſia.

ART. I.

Afferuntur definitiones Hierarchiæ.

1 QVoad nominis ethimologiam *Hierarchia* componitur ex duobus nominibus Græcis *Hieros, & archos*, vt notat *Fund. Doct. in 2. diſt. 9. q. 1. in reſol. art. 1. §. Reſpondeo dicendum*. Nomen *hieros* ſignificat idem, ac *Sacer*; *archos* verò eſt idem, ac *princeps*, ſeu principatus; vnde hierarchia quoad nominis ethimologiam definitur *Sacer principatus*.

2 Quoad rem autem quatuor definitiones hierarchiæ traduntur *à D. Dion. de Ang. Hier. c. 3*; quas ſic explicat *Fund. Doct*; nam non implicat de eadem re conſiderata ſecundùm diuerſas rationes afferri diuerſas definitiones; quia vel res poteſt conſiderari ſecundùm ſua principia eſſentialia, quæ ſunt genus, & differentia, & ſic datur definitio eſſentialis; vel ſecūdùm ſuas cauſas; & hoc tripliciter, vel ſecundùm ſuam perfectionem formalem, vel ſecundùm ſuam cauſam finalem, vel ſecundùm ſubiectum, in quo eſt. Sic ira ſecundùm cauſam finalem eſt *appetitus doloris in contrario*; & ſecundùm cauſam materialem eſt *accenſio ſanguinis circa cor*. Itaque ſecundùm iſtas quatuor rationes quatuor definitiones hierarchiæ traduntur. Maximè enim in hac materia ſequendus eſt *D. Dion*; nam vt ipſe ait *c. 6*; hanc doctrinam accepit à ſuo S. Præceptore *Hierotheo*; idèſt *Deo Sacro*; quem *Com. D. Dion.* vult fuiſſe *D. Paulum*; qui poſt reditum à raptu docuit ipſum hanc cęleſtem doctrinā; vt docet etiā *Fund. Doct. in 2. diſt. 9. q. 2. art. 1. §. In cōtrarium*; *& dub. 2 lat. §. Praeſſe ergo bonis; Hugo de S. Vict. in Com. eiuſdem. c.*

3 Prima, quæ eſt ſecundùm principia eſſentialia, eſt: Hierarchia eſt *Diuinus ordo, ſcientia, & actio*; ſeu *eſt ordinata poteſtas ſecundùm ſcientiam in actionem progrediens*. Cùm autem principatus ſit nomen officij, & potentiæ; quia non dicuntur principari, niſi qui habent poteſtatem, & officiū exercendi talem poteſtatem; & cùm in Angelis non ſint, niſi duæ potentiæ, ſcilicet intellectus, & voluntas; ideo hæc definitio vel poteſt ſumi per ordinem ad actiones vtriuſque potentiæ, vel tātùm per ordinem ad actiones intellectus. Cùm enim principatus dicatur per ordinem ad actiones, quas habent ſuperiores in inferiores per imperium, quod eſt actus voluntatis, in qua reſidet dominium formaliter; & per conſilium, quod eſt actus intellectus; ideo hæc definitio, quæ traditur per ordinem ad huiuſmodi actiones, ſumitur per ordinem ad vtranque potentiam. Igitur ſi ſumatur per ordinem ad vtranque potentiam, dicitur hierarchia *Diuinus ordo*; ſeu *ordinata poteſtas*; idèſt ordinatum velle, & ſic reſpicit volūtatem Angeli; & dicitur *Diuinus ordo*; quatenus eius voluntas non vult, niſi per ſcientiam, cuius actus sūt tres, ſcilicet purgare, illuminare, & perficere, vt diximus *q. 6. art. 1*; & ſic reſpicit intellectum; tandem quia hæc poteſtas non completur niſi actione purgatiua, illuminatiua, & perfectiua, ideo additur *actio*; & ſic explicatur hæc prima definitio, quòd ſcilicet ſit *ordinata volitio, qua Angelus ſuperior illuminat, purgat, & perficit inferiorem*. Si verò hæc definitio ſumatur ſolùm per ordinem ad intellectum, cuius proprium eſt purgare à neſcientia, illuminare ad cognoſcendū aliquod Diuinum, & hac illuminatione perficere intellectum Angeli inferioris, tunc hierarchia conſiſtit in recipere à Deo illuminationem, & ipſam transfundere in alios ſibi inferiores, propter quod concurrit *ordo*, quem dicit ad Deum illuminantem, & *ſcientia*, quam transfundit in Angelos, quos illuminat, & *actio*, actualis ſcilicet illuminatio.

4 Addit *Fūd. Doct. ex Hug. in Com. ſup. Cal. Hier*; quòd hierarchia eſt principatus, ſeu officiū diuinitus inſtitutum, quod debet eſſe *ſine præsūptione, ſine reprehenſione, & ſine negligentia*. Dicitur ergo *ordinata poteſtas*, quia qui nō habet poteſtatem, & vult agere opera *Prælationis*, præſumit; vult enim agere vltra id, quod poteſt; & in hoc conſiſtit *præſumptio*. Dicitur *ſcientia*; nam quamuis aliquis haberet poteſtatem ad aliquid agendum; attamen ſi neſciat modum, quo debet agere, reprehenſibilis eſt. Dicitur *actio*; nam ordo, & ſcientia ſine actione eſt negligentia, negligit enim agere id, quòd poteſt, & ſcit eſſe agēdū.

5 Tandem ait; quòd per *ordinem* indicatur officium, per *ſcientiam* diſcretio, & per *actionem* opus, ſeu miniſterium.

6 Secunda definitio hierarchiæ tradita *à D. Dion. ibid. eſt: Hierarchia eſt quid Deiforme, quantùm poſſibile eſt, ſimilans, & ad inditas ei diuinitus illuminationes proportionaliter in Dei ſimilitudinem aſcendens*. Hæc definitio traditur per id, quod eſt perfectio formalis Angeli, per quā conſtituitur *Hierarchos*, ſeu ſacer Princeps; hæc enim perfectio eſt lumen receptum à Deo. Per lumen ergo transfuſum à Deo in Angelos ſuperio-

riores tria habentur,quæ ſunt de ratione hierarchiæ;ſcilicet Deiformitas,aſſimilatio, & aſcenſio in Deum;fit enim Angelus Deiformis;quatenus recipit formam luminis, quod eſt forma propria ipſius Dei; fit ſimilis Deo per ipſum lumen contemplando feruenter ipſum Deum; & aſcendit in Deum, quatenus transfundit lumen in alios Angelos modo dicto *q.5*; nam transfundẽdo lumen in alios Angelos, illos reducit in Deum; & ſic cum ijſdem dicitur aſcendere in Deum.

7 Tertiò definitur *ibid.* per ordinem ad cauſam his verbis; *Intentio hierarchia eſt ad Deum, quantùm poſſibile eſt, ſimilitudo, & vnitas ipſum habens omnis ſancta ſcientia, & actionis Ducem, & ad ſuum Diuiniſſimum decorem immutabilitatis quidem diffiniens.* Nam Deus eſt in triplici genere cauſæ; ſcilicet exemplaris, efficientis, & finalis. Per illa verba: *Similitudo, & vnitas*; explicatur Deus, vt cauſa exemplaris; per ea verò: *Ipſum habens omnis ſanctæ ſcientiæ & actionis Ducem*; oſtenditur Deus, vt cauſa efficiens; & per reliqua: *Ad ſuum Diuiniſſimum decorem immutabiliter quidem diffiniens*; ſeu *finiens*, vel finaliter intendens, explicatur Deus, vt cauſa finalis. Ex quibus patet hanc definitionem eſſe per ſuas cauſas.

8 Quartò definitur hierarchia per ordinem ad ſubiectum, in quo eſt; ſcilicet per cauſam materialem *ibid.* ſic. *Eſt ſacra quadam vniuerſaliter diſpoſitio imaginem Diuina ſpecioſitatis in ordinibus, & ſcientijs reſtaurans hierarchicis propriæ illuminationis ſacrificans myſteria, & ad proprium principium, vt libet, aſſimilata.* Dicitur *vniuerſaliter quadã ſacra diſpoſitio*, quia Angeli ſic à Deo diſpoſiti ſunt, vt inferioribus ſuperiores dominentur. Dicitur *imago Diuinæ ſpecioſitatis* propter lumen Diuinum, quod recipiunt; ſicut enim imago corporalis non fit, niſi per colores, qui sũt *quadam lux opacata*; ſic per lumen Diuinum à Deo productum in mentibus Angelorum fiunt Angeli imago Diuinæ pulcritudinis. Dicitur *in ſcientijs, & ordinibus reſtaurans hierarchicis propriæ illuminationis ſacrificans myſteria*; idèſt per ſuas potẽtias intellectuales, quæ ſunt intellectus, & voluntas, ordinatas; idèſt per auctoritatẽm acceptam à Deo facientes, ſeu exercentes ſacra myſteria illuminationis. Tandem *ad proprium principium, vt libet*, aſſimilata; idèſt Deo illuminanti, quantùm poſſibile eſt, aſſimilata. Ex quibus patet hanc definitionem traditam ratione ſubiecti comprehẽdere materialiter omnes alias definitiones.

9 Aduertendum *Fund. Doct*; & *D.Tho.* ſecutos fuiſſe aliam verſionem diuerſam ab illa, quam refert *Ambroſ.Camaldulenſis*; quãuis enim in iſta etiam reperiatur ſenſus harum definitionum; non tamen reperiuntur verba, vt iacent; quod patere poteſt legenti.

10 Ex his quatuor definitionibus *DD.* vnã confecerunt, ſcilicet: *Hierarchia eſt ſacrarum, & rationalium perſonarum ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinens dominatum.*

11 Obijc. 1. Ordo eſt pars hierarchiæ, quælibet enim hierarchia componitur ex tribus ordinibus; ergo hierarchia inconuenienter dicitur ordo; quia pars non prædicatur de toto. 2. Hierarchia eſt quid ordinatum; eſt enim Sacer principatus ſanctè ordinatus à Deo; quia habet *Beatiſſ.P. in lib. de Ciu.Dei*; quòd multitudo Angelorum ſanctorum eſt quædam Ciuitas ſancta, in qua omnia ordinatè fiunt; ergo malè dicitur, quòd ſit ordo. 3. Scientia non continetur ſub ordine, quia ſcientia ſpectat ad genus qualitatis, ordo autem ad genus relationis; ergo ex ſcientia, & ordine nequit coaleſcere definitio hierarchiæ. 4. In Angelis nedum eſt ordo ſecundùm ſcientiam, ſed etiam ſecundùm alia dona tam naturalia, quàm gratuita; iſta enim ſunt excellẽtiori modo in Angelis ſuperioribus, quàm in inferioribus; ergo diminutè definitur hierarchia. 5. Hierarchia eſt quid commune Angelis aſſiſtẽtibus, & miniſtrãtibus; nullus enim eſt Angelus, qui non ſit in aliqua hierarchia; ſed actio conuenit ſolùm miniſtrãtibus; ergo malè dicitur, quòd hierarchia ſit actio.

Reſp. *Fund. Doct.* ad has difficultates *art. 1.* Ad 1. dicitur, quòd ordo, vt docet *Beatiſſ. P. lib. 19. de Ciu.Dei c. 13*; ſignificat multitudinem rerũ parium, & imparium; quæ multitudo, ſi diuidatur in multitudines minores, diuidetur in plures ordines; vnde ſicut multitudo conuenit toti, & partibus; ita & ordo. Diſt. ergo ant. Ordo diuidẽs eſt pars hierarchiæ, conc; ordo diuiſus, neg; hic autem, nõ ille, ponitur in definitione hierarchiæ. Ad 2. diſt. ant. Hierarchia eſt quid ordinatũ concretè, conc; abſtractè, neg. Hierarchia ergo concretè ſumpta importat Angelos ordinatos; abſtractè autem importat ordinem, quem habent Angeli inter ſe. Ad 3. dicitur, quòd licèt ſubſtantia non habeat definitionem eſſentialem per additamenta; quia quidquid competit eſſentialiter ſubſtantiæ, debet eſſe ſubſtantia; vnde non definitur ſubſtantia per accidentia, niſi quando ignoramus differentiam ſpecificam ipſius ſubſtantiæ; attamen definitio aliorum à ſubſtantia eſt per additamenta; quia alia à ſubſtantia ſemper involuunt ſubiectum, & illa, quæ ſunt in ſubiecto, & ideo poſſunt definiri per res diuerſi prædicamẽti. Vel dicitur, quòd ſcientia importat relationẽ ſecundùm dici, ideo ſimul cum relatione poteſt componere definitionem hierarchiæ. Ad 4. neg. conſ; nam in Angelis ſuperioribus ſunt dona excellentiora, attamen ſecundùm ipſa non ſumitur hierarchia, quæ attenditur ſolùm ſecundùm officium illuminandi, purgandi à neſcientia, & perficiendi in ſcientia, ideo eius definitio traditur ſolùm per ordinem ad ſcientiam. Ad 5. diſt. mi. Actio illuminatiua cõuenit ſolùm miniſtrantibus, neg. Actio executiua eorum, quæ ſpectant ad nos, conc; ſed in prima, non in ſecunda, cõſiſtit ratio hierarchiæ.

Obijc.

12 Obijc.2. In Diuinis perſonis non eſt ordo hierarchicus, quia vna perſona non eſt dignior alia; ſed hierarchia Angelica eſt quædam Deiformitas,ſeu ſimilitudo Dei;ergo hierarchia Angelica nō eſt ordo. 3.In allatis definitionibus multa repetuntur, quæ ſunt omnino idem; vt *vnitas,& ſimilitudo;imago,& ſimilitudo; ſimilitudo Dei,& aſcenſio in Deum*;ergo prædictæ definitiones ſunt ſuperfluæ.

Reſp.*Fund.Doct.ad arg.dub.1.lat*; quòd licèt in Diuinis perſonis non ſit hierarchia,ſi conſiderentur ad inuicem,quia vna non purgat aliā; & vna non eſt inferior alia; attamen in illis eſt hierarchia reſpectu creaturarum intellectualiū, quas illumināt,purgāt,& perficiūt;&quibus participantur; & in hoc Angeli Deo aſſimilantur. Ad 2. dicitur vnitatem, & ſimilitudinem non eſſe idem formaliter,ſed materialiter;nam materia, & forma ſiunt vnum in compoſito; & tamen vna non ſit ſimilis alteri. Sic imago non eſt ſimilitudo formaliter, vt diximus *de Trin*; nam imago importat eſſe ab illo, cuius eſt imago; ſic imago Pontificis ſit ab ipſo Pontifice in mente Pictoris exiſtente;ſimilitudo autem non eſt ſic;quia vnus paries eſt ſimilis alteri, & tamen non ſit ab illo, neque à ſpecie ipſius.Sic ſimilitudo Dei eſt,quatenus Angeli illuminant inferiores;aſcenſio autē in Deum eſt, quatenus in laudem Dei Creatoris aſſurgunt.

ART. II.

An diuiſio hierarchiæ ſit rectè aſſignata?

1 Circa numerum, ſeu diuiſionem hierarchiarum Angelicarum ſeptem ſententias,ſeu modos dicendi refert *Fund.Doct. in hac diſt.9.q.1.in reſol.art.2.*

2 Primò *aliqui* volunt tres Angelicas hierarchias diſtingui per hoc, quòd aliqui Angeli recipiunt Diuinas illuminationes in maxima plenitudine; alij nec in maxima, nec in minima plenitudine, ſed in quadam mediocritate; & alij in minima plenitudine.

Sed hæc ratio diuiſionis inſufficiēs eſt;quia per hoc nō ſolùm hierarchiæ, ſed etiam ordines, imò etiam Angeli eiuſdem ordinis recipiunt inæqualiter illuminationes Diuinas eò, quia non ſolùm in diuerſis,ſed etiam in eadem hierarchia, & eodem ordine ſunt Angeli ſuperiores, & inferiores,qui inæqualiter recipiunt lumen Diuinū; ergo hæc nequit eſſe ratio propria diuiſionis hierarchiarum,quam *hic* inquirimus.

3 Secundò *alij* volunt Angelicas hierarchias diuidi, quia Angeli ſunt medij inter Deū, & homines; omne autem medium ſapit quodāmodò naturam medij,& naturas extremorum; ergo debet dari prima hierarchia, quæ ſit quaſi Diuina;& ſecunda,quę ſit Antonomaſticè Angelica;& tertia,quæ eſt quaſi humana.

Sed etiam hæc ratio nimis communis eſt; nam etiam in eadem hierarchia, & in eodem ordine dantur Angeli propinquiores Deo;alij medij;alij propinquiores hominibus; ergo hæc non eſt ratio propria diuiſionis hierarchiarum.

4 Tertiò *alij* diſtinguūt ex diuerſo modo cognoſcendi;nam aliqui Angeli vident in Deo nedum rationes vniuerſales, quibus Deus regit Mundum ſecundùm leges communes, ſed etiam rationes particulares, quibus regit mundum ſecundùm leges diſpenſatiuas ex aliquo priuilegio ſpeciali;& ſic eſt prima hierarchia;alij vident in Deo rationes vniuerſales, quibus regitur totus Mundus ſecundùm leges communes,non ſecundùm leges ſpeciales diſpenſatiuas à lege communi; & ſic eſt ſecunda; & alij vident ſolùm rationes,quibus reguntur partes Vniuerſi, nō quibus regitur totum;& ſic eſt tertia.

Sed hic modus loquendi recedit à doctrina *D.Dion.*diuidentis hierarchias penes diuerſum modū illuminationis; nam aliqui Angeli immediatè illuminantur à Deo, & illuminant alios Angelos; & ſic eſt prima hierarchia; alij illuminantur ab Angelis, & illuminant alios Angelos; & ſic eſt ſecunda; alij tandem illuminantur ab Angelis, & non illuminant alios Angelos, ſed homines tantùm;& ſic eſt tertia. Tum quia *idem D. Dion.* docet Angelos inferiores reduci in ſupremos per medios, & in Deum per ſupremos; hic autem modus loquendi omnes Angelos reducit in Deum immediatè; & ideo non eſt conformis *D.Dion.*

5 Quartò excogitauit *Fund. Doct.* alium modum dicendi; quòd cùm hierarchia ſit ſcientia,poteſtas,& actio; ideo ſecundùm *ſcientiam* deſumitur prima hierarchia; & quia ſcientia, vel accipitur in ſua radice, quæ eſt charitas; à qua denominantur Seraphin; vel in ſe ipſa, à qua dicuntur Cherubin,qui dicuntur pulcritudo ſcientiæ;vel in ſuo effectu; & ſic ſumūtur Throni,qui dicūtur Sedes Dei, in quibus Deus exercet iudicia iuxta illud *pſ.9.Parauit in iudicio thronū ſuū; & ipſe iudicabit orbem terrarum in æquitate*; iudicium autem eſt effectus ſcientiæ;& ſic deſumūtur tres primi ordines ſpectantes ad primam hierarchiam. Præterea ſecundùm *poteſtatem* ſumuntur tres ordines ſpectantes ad ſecundam hierarchiam; ſcilicet Dominationes; quia dominari non eſt ſine potentia; Virtutes;quia,vt docet *Phil.lib.1.de Cælo,& Mundo; virtus eſt vltimum de potentia*;& Poteſtates,quæ habent nomen potentiæ. Tandem ſecundùm *actionem* ſumuntur tres ordines tertiæ hierarchiæ; nam vel actio eſt circa vnam prouinciam, vel Regnum; & ſic ſunt Principatus; vel circa aliquam perſonam in particulari,& hoc vel circa bonum commune; & ſic ſunt Archangeli; vel circa bonum particulare;& ſic ſunt Angeli.

Sed nec iſta ratio eſt ſufficiens; nam hæc tria ſunt communia tribus hierarchijs; quia illis conuenit definitio hierarchiæ, *vt ſic*, à qua hæc tria importantur,vt diximus *in ſup.art*; ſed illud,

quod

quod eſt commune pluribus, non poteſt eſſe ratio diſtinctionis illorum; vt animalitas, quæ eſt communis homini, & brutis, nequit eſſe id, in quo homo,& bruta diſtinguuntur; ergo hæc tria nequeunt eſſe ratio diuiſionis hierarchiarum. Tum quia hæc eſt ratio diuerſitatis ordinum; vt *inf.* dicemus *art.* 4; ergo nequit eſſe ratio diuerſitatis hierarchiarum; nam ratio diuerſitatis partium nequit eſſe ratio diuerſitatis totius.

6 Quintò *alij* volunt hierarchias Angelicas diſtingui, ſicut diſtinguitur hierarchia Eccleſiaſtica, quæ imitatur Angelicam; ſed in hierarchia Eccleſiaſtica ſunt tres ſtatus diſtincti, ſcilicet *Contemplatiuorum, Prælatorum, & Actiuorum*; ergo & in Angelis eſt triplex hierarchia; prima contemplantium Deum; ſecunda Prælatorum; & tertia miniſtrantium.

Sed nec iſta aliquid valet; nam prima Angelorum hierarchia præeſt ſecundæ; contemplatiui autem non præſunt Prælatis in Eccleſia, vt patet.

7 Sextò *alij* volunt diſtingui penes diuerſũ ordinem, quem dicunt Angeli ad Deum, ad totũ Vniuerſum, & ad partes Vniuerſi; nam quælibet multitudo habet bonum ordinis, quo ordinatur ad bonum Ducis, quod eſt maximum bonum; & quo ordinatur ad bonum totius; & ad bonum partium; ſed in Angelis eſt multitudo; ergo vel ordinatur ad Deum immediatè; & ſic eſt prima hierarchia, quæ fertur in Deum immediatè; nam Seraphim immediatè tendunt in Deum amãdo; Cherubim contemplando; & Throni ſedem Deo formando; vel ordinatur ad totum Vniuerſum; & ſic eſt ſecunda hierarchia, quæ vel dirigit regimen illius, & ſic ſunt Dominationes; vel tollit impedimenta regiminis, & ſic ſunt Virtutes; vel exequitur ipſum regimen, & ſic ſunt Poteſtates; vel ordinatur ad bonum partium; & ſic eſt tertia hierarchia: quæ vel dirigit Regna, & communitates, & ſic sũt Principatus; vel perſonas particulas annunciando maxima myſteria, aut bona pertinentia ad bonum publicum, & ſic ſunt Archangeli, vel minima bona, aut ſpectantia ad bonum priuatum illius perſonæ; & ſic ſunt Angeli.

Sed etiam hic modus, quanuis poſſit ſubſtineri; & *Fund. Doct.* fateatur illum docuiſſe *in expoſit. Epiſt. ad Cor*; ait tamen perfectè non panderc diſtinctionem hierarchiarum; quia non explicat diuerſos modos illuminationis, ſecundùm quos diuiduntur hierarchiæ.

8 Not. *hic Fund. Doct.* quòd licèt *aliqui* velint Principatus aſſiſtere Regibus, & Principibus; Archangelos verò Regnis, Reipublicis, & quibuſcunque Communitatibus; attamen meliùs dicitur Reges, & Principes vltra Angelum cuſtodem nõ habere alium Angelum, niſi illum Principatum, qui præeſt Regno, aut principatui; quapropter Angelus, qui præſidebat *Perſis*, dictus eſt *Princeps Perſarum*; Rex enim, vt perſona priuata cuſtoditur ab Angelo infimo; vt autem caput multitudinis, cuſtoditur ab illo Principatu, qui præeſt illi multitudini. Archangeli verò leguntur *in Scripturis* deſtinatos fuiſſe ad perſonas particulares ad annunciandum aliquod bonum maximũ; vt *ad B. Virginem*; quapropter *D. Greg. hom.* 34. ait: *Hi autem, qui minima nunciant, Angeli; qui verò ſumma annunciant, Archangeli vocantur*.

9 Septimò *alij* volunt (quod etiam docuit *Fund. Doct. locis cit.* q. 4. *art.* 5. *n.* 6; & 14; vbi hunc modum dicendi fusè tradidimus) ita philoſophandum eſſe de naturis ſpiritualibus, ſicut de ſenſibilibus animatis, per quæ ſolùm ad ſpiritualia poſſumus aſcendere; ſed ſenſibilia animata diuidi per genera remota, propinqua, & per ſpecies; ergo & natura Angelica diuidi debet in hierarchias, tanquam in genera remota; in ordines, tanquam in genera propinqua; & in perſonas, tanquam in ſpecies. Atqui genera remota ſenſibilium animatorum ſunt tãtùm tria; ſcilicet vegetatiuum, ſenſitiuum, & locomotiuum; ergo tantùm tres hierarchiæ. *Vid. loc. cit.* explicationem huius rei.

Sed etiam hic modus loquendi (ait *Fund. Doct.*) quanuis non ſit improbabilis; attamen perfectè non explicat diſtinctionem hierarchiarum; quia hic modus explicat ſolùm diſtinctionẽ Angelorum quoad bona naturalia, non quoad ſupernaturalia, quibus conſtituuntur, & diſtinguuntur hierarchiæ; & licèt bona naturalia innuant ſaltem fundamentaliter bona ſupernaturalia; quia Deus iuxta menſuram bonorum naturalium tribuit bona ſupernaturalia; attamen per bona naturalia nonniſi remotè, quia fundamentaliter, explicatur diſtinctio hierarchiarum. Ideo ratio proximior eſt afferenda. Igitur.

10 Sententia *Fund. Doct.* eſt diuiſionem hierarchiarum proximè ſumi ratione operis, & finis, ad quem Angeli ordinantur; explicabitur autem hoc in concl.

11 Vnica concl. Angeli adæquatè diuiduntur in tres hierarchias; & ratio diuiſionis hierarchiarum in Angelis proximè deſumenda eſt ratione finis, ad quem Angeli ordinantur; & ratione operis, cui deſtinantur.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſſ. P. lib.* 83. *qq. q.* 79; vbi docet: *Quia ergo vnaquaque res viſibilis in hoc Mundo habet poteſtatem Angelicam ſibi præpoſitam; ſicut aliquot locis Diuina Scriptura teſtatur, de ea cui præpoſita eſt, aliter quaſi priuato iure agit, aliter tanquam publicè agere cogitur.* Et paulò poſt. *Eſt enim lex Diuinitatis Diuina Sapiẽtia.* Ex quo ſic arguit *Fund. Doct.* Ita ſe habet Deus, qui eſt *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, reſpectu regiminis huius Mundi; ſicut ſe habet Rex temporalis reſpectu regiminis ſui Regni; ſed Rex temporalis ita regit ſuum Regnum, vt habeat aliquos miniſtros familiares ſibi lateraliter continuò aſſiſtentes audientes ex ore Regis, quid ſit agendum in Regno; & alios, quibus

eſt

eſt commiſſa cura generalis totiusRegni,quibus miniſtri familiares Regis manifeſtant voluntatē ipſius; & tandem alios, qui miſſi in omnem partem Regni exequuntur mandata Regia eis manifeſtata ab illis, qui curam generalem totius Regni habent reducendo homines infimos ſubditos in obſequium Regis,vt legem ipſius ſeruent; ergo Deus ita regit Mundum, vt habeat aliquos Miniſtros ſemper ſibi aſſiſtentes ab ipſo Deo illuminatos de ijs,quæ agēda ſunt ad bonum Vniuerſi; & alios habentes curam totius Mundi generaliter illuminatos de ijſdem ab aſſiſtentibus Deo; & tandem alios miſſos in omnem Mundi partem illuminatos de ijſdem, & inſtructos ab habentibus curam generalem Mundi,vt exequātur in hominibus,qui ſunt ſubditi infimi in natura intellectuali,Dei mandata ad hoc, vt voluntati eius obtemperent,& in Deum reducantur.Atqui miniſtri Deo aſſiſtentes ſunt Angeli primæ hierarchiæ,qui *à D.Dion.* dicuntur *ſemper eſſe in veſtibulis Dei*; & miniſtri habentes curam generalem totius Mundi ſunt Angeli ſecundæ hierarchiæ, qui dicuntur *dirigentes*; & miniſtri regentes vnam partem Mundi ſunt Angeli tertiæ hierarchiæ, qui dicuntut *exequentes*; ergo per hoc rectè intelligitur eſſe solū tres Angelorū hierarchias; ſicut enim .per varietatem miniſtrorum Regis temporalis optimè intelligitur adæquata diſpoſitio regiminis ſui Regni; ita per hanc varietatem Angelicarum hierarchiarum rectè intelligitur adæquata diſpoſitio regiminis totius Vniuerſi,cuius Rex eſt Deus Optimus Maximus. Mi. patet; ſic enim perficitur adminiſtratio Regni,vel cuiuſcunque Reipublicæ,aut Communitatis. Prob. ma. Non habemus in hac vita *teſte Apoſt.* alium modum cognoſcendi inuiſibilia,quę ſunt Dei, niſi ex viſibilibus, quæ facta ſunt ad ſimilitudinem inuiſibilium;ergo ita ſe habet Deus in regimine totius Mundi; ſicut Rex temporalis ordinatè regens ſuum Regnum. Diximus *ordinatè*; quia ex Tyrannis peruersè gubernantibus non poſſumus aſcendere, niſi ad cognoſcendam tyrannicam Diabolicorum Spirituum poteſtatē.

12 Conf. *Ex D.Dion.* Angeli diuiduntur in aſſiſtentes,dirigentes,& exequētes ita,vt aſſiſtētes illuminenrur à ſolo Deo, & illuminent dirigentes;dirigentes verò illuminentur ab aſſiſtentibus, & illuminent exequentes; exequentes autem illuminentur à dirigentibus, & illuminent homines reducendo illos in Deum; ſed hæc triplex varietas miniſtrorum videtur in quolibet Regno temporali rectè diſpoſito, & adminiſtrato; ergo ita ſe habet Deus reſpectu adminiſtrationis totius Mundi; ſicut Rex temporalis reſpectu recti regiminis ſui Regni;& ideo ſicuti ex varietate officiorum Regni temporalis colligitur adæquata diuiſio miniſtrorum Regis; ita ex varietate officiorum Angelorum Deo aſſiſtentium, dirigentium, & exequentium optimè colligitur adæquata diuiſio Angelicarum hierarchiarum.

13 Prob.2.pars concl. *ex eod.Beatiſſ.P. ibid. q.78*; vbi docet: *Ars illa ſumma omnipotentis Dei, per quem ex nihilo facta ſunt omnia, quæ etiam ſapientia eius dicitur; ipſa operatur etiam per Artifices,vt & pulcra, atque congruentia faciant.* Ex quo ſic arguit *Fund. Doct.* Ita ſe habet Deus per ordinem ad ædificationem cęleſtis *Ieruſalem*; ſicut ſe habet Rex temporalis per ordinem ad ædificationem terrenæ ſuæ Regiæ; ſed Rex temporalis in ædificatione ſuæ Regiæ habitationis immediatè loquitur ſuis familiaribus aſſiſtentibus; & iſti loquuntur præpoſiris ædificio faciendo; & præpoſiti loquuntur miniſtris exequentibus manifeſtando voluntatem Regis; ex quo habetur ſufficiens diuiſio miniſtrorum concurrentium ad ædificium materiale; ergo Deus immediatè loquitur illuminando Angelos ſibi aſſiſtētes, eiſque manifeſtando ſuam voluntatem; aſſiſtentes verò loquuntur Angelis generaliter præpoſitis ædificio ſpirituali cœleſtis Ieruſalem, in qua habitat Deus in ſua gloria manifeſta; & iſti loquunrur Angelis exequentibus illuminando,& manifeſtādo voluntatem Dei, vt compleatur ædificium myſticum illius ſanctæ Ciuiratis; ex quo haberur ſufficiens diuiſio miniſtrorum Dei hierarchias conſtituenrium Angelicas.

14 Aduertit *Fund. Doct*; quòd ſicut inter miniſtros Regi aſſiſtenres eſt aliquis ordo; non enim omnes ſunt æquè intimi ipſi Regi; & ita inter præpoſitos, ſeu miniſtros generaliter præfectos alicui operi eſt pariter ordo; quia vnus ſub alio ſtat; & ſic inter exequentes eſt eadem ordinatio; aliter eſſet magna confuſio, quæ eſt carentia ordinis; ita inter Angelos Deo aſſiſtentes reperiuntur gradus ita, vt aliqui ſint in vno ordine, alij in alio; & ſic de reliquis generaliter præfectis,& exequentibus;ex quo deducitur in ſingulis hierarchijs reperiri plures gradus, ſeu ordines Angelorum, quorum aliqui ſunt Deo viciniores,alij remotiores;vt *inf.* videbimus.

15 Obijc.1. Hierarchia eſt ſpiritualis poteſtas,ſeu potentatus;ſed in quolibet Angelo ſunt duæ poteſtates, nempe intellectus, & voluntas; ergo quilibet Angelus conſtituit duplicem hierarchiam; & ideo malè aſſignatur diuiſio hierarchiæ.2.In homine,ſeu in ſpecie humana ſunt ſex genera principatuum *ex Phil*; tria bonorum, & tria malorum; bonorum quidem *Regnum*, cùm vnus tantùm dominatur; *Ariſtocratia*,cùm plures dominantur; & *Timocratia*, cùm dominatus totus populus. Malorum verò *Tyrannis*, cùm vnus peruersè dominatur; *Oligarchia*, cùm plures dominantur propter diuitias, vel propter aliquid ſimile; & *Timocratica*, cùm peruersè dominatur totus populus; ſed quilibet Angelus conſtituit vnam ſpeciem; ergo quilibet Angelus conſtituit ſex hierarchias.

Reſp.ad 1.diſt. ma. Hierarchia eſt ſpiritualis poteſtas, qua vna perſona præeſt alijs, conc; ſed in hoc ſenſu neg.mi;nam intellectus,& volū-

tas

tas non ſunt poteſtates in hoc ſenſu; aliter etiam inferiores præeſſent ſuperioribus;habent enim intellectum,& voluntatem. Eſt ſpiritualis poteſtas,quæ ordinatur ad aliquam actionem immanentẽ,neg;& in hoc ſenſu conc.mi;ſed neg.conſ. Ad 2. diſt.mi. Quilibet Angelus conſtituit vnam ſpeciem habentem diuerſum modum principandi,& dominandi, neg; habentem eundem modũ dominandi,conc. Igitur In tantùm in homine ſũt ſex genera principatuum; in quantùm poteſt habere ſex modos allatos dominandi; at verò in Angelis nequeũt eſſe,niſi tres modi ſuperiùs recenſiti ita, vt aliqui habeant primum modum; alij ſecundum; & alij tertium; ideo non ſunt niſi tres hierarchiæ.

16 Obijc.2.Si hæc diuiſio eſſet bona,vel eſſet generis in ſpecies; vel totius integralis in partes; ſed non eſt generis ſpecies; quia diuiſio generis in ſpecies eſt alicuius æqualiter participati,& vniuoci,hierarchia autem participatur,vt quid ſuperius,& inferius,& ideo inæqualiter;nec totius integralis in partes; quia totum integrale non prædicatur in recto de ſuis partibus, ſicut prædicatur hierarchia;ergo non eſt bona diuiſio. 2.Quantò aliquid eſt Deo propinquius,tantò eſt ſimplicius; ſed hierarchia Angelica eſt propinquior Deo,quã hierarchia Eccleſiaſtica;eſt enim media inter Deum, & Eccleſiam, cùm per ipſam reducatur Eccleſia in Deum; ergo hierarchia Angelica eſt magis ſimplex,quàm Eccleſiaſtica; ſed hæc eſt vna tantùm; ergo à fortiori illa eſt tantùm vna.

Reſp.ad 1.neg.1.part.mi;ex eo enim, quòd rationalitas ſit ſuperior, & dignior irrationalitate,non ſequitur,quòd animalitas,quam diuidit, inæqualiter ab vtraque participetur. Vel dicitur, quòd hierarchia analogicè dicitur; & ideo inæqualiter. Ad 2.diſt. ma. Quantò aliquid eſt Deo propinquius, tantò eſt ſimplicius quantùm ad entitatem,conc; ideo Angelus, quia eſt propinquior Deo,quã homo,habet pauciores potẽtias; & ſpecies,quia non habet potentias ſenſitiuas,ſicut habet homo; nec intelligit per ſpecies ſpecierum,ſed per ſpecies generum. Tantò eſt ſimplicius quoad numerum, neg; nam formæ ſpirituales habent ſtatum in homine, quia nequit dari alia forma ſpiritualis inferior anima rationali. Cùm autem forma ſpiritualis ſit creabilis à Deo perfectior in infinitum;ideo neceſſe eſt, quòd ex parte Dei formæ ſpirituales, quæ ſunt Angeli, ſint multiplicabiles in infinitum;& conſequenter quod eſt propinquius Deo,eſt cõpoſitius quoad numerum; ex quo ſequitur hierarchiam Angelicam multipliplicem eſſe ex eo, quòd Eccleſiaſtica ſit vna.

17 Quæres; an eadem ſit ratio, qua differunt hierarchiæ, & ordines Angelorum?

Reſp.*Fund.Doct.ibid.in reſol.dub.*1.negatiuè; nam in vna, & eadem hierarchia ſunt plures ordines;& ideo alia ratione differunt ordines,& hierarchiæ; ſicut enim quia in vna, & eadem irrationalitate ſunt plures differẽtiæ ſpecificæ animalium irrationalium;ideo non eſt eadem ratio, qua irrationalitas differt à rationalitate,& qua differentiæ ſpecificæ animalium irrationalium differunt inter ſe,quia in ea ratione, in qua irrationalitas differt à rationalitate, cõueniunt omnes differentiæ ſpecificæ animalium irrationaliũ; ita à pari.In Angelis ergo triplex differentia debet admitti,ſcilicet ſpecifica, qua vnus Angelus differt à quolibet alio Angelo; veluti generica, qua vnus ordo differt ab alio ordine; & ſuprema,qua vna hierarchia differt ab alia. Quomodò autem ordines Angelorum diſtinguantur inter ſe;inquit *Fund.Doct*; non poſſe à nobis ſine ſpeciali reuelatione certò ſciri hanc diſtinctionem; poſſe tamen aſſignari illam, quã tradidimus *q.4. vbiſ*;quòd ſcilicet ex eo,quòd Angeli primę hierarchiæ recipiant à Deo illuminationem, & cognoſcant per ſpeciem vniuerſaliorem, conſtituitur, & diſtinguitur primus ordo primæ hierarchiæ. Ex eo autem, quòd alij Angeli inferiores eiuſdem primæ hierarchiæ illuminentur, & cognoſcant per ſpeciem minùs vniuerſalem, conſtituitur,& diſtinguitur ſecundus ordo; & ſic de ſingulis. *Sed de hoc inf.*

A R T. III.

Reſoluuntur aliquot quæſita.

1 QVæres. 1; an omnes hierarchiæ ſint ad inuicem connexæ?

Reſp.*Fund.Doct.vbiſ.art.*3.affirmatiuè; cõnexio autem quadruplex eſt, vt colligitur *ex D.Dion. de Cæl.Hier. c.*10; vbi poſtquam dixit: *Quòd connexa itaque ſit ipſa quidem honorabiliſſima circa Deum animorum diſpoſitio perfectiua illuminatione ordinata*;ſubiungit. *Illuminatio deſcendit à Deo in omnes hierarchias, & ſic reducitur in ſuperprincipale principium, & conſummationem.*Ex quo colligit *Fund. Doct*: cõnexionem quadruplicem,ſcilicet ſecundùm principium,ſecundùm finem,ſecundùm perfectiones, & ſecundùm actiones.

2 Prima connexio habetur ex eo,quòd omnes hierarchiæ *reducũtur in ſuperprincipale principium*, quod eſt Deus, qui eſt maximè vnus. Quamuis enim hierarchiæ ſint diuerſæ inter ſe; attamen habent vnum, & idem principium; & ſunt ſub vno Principe, qui eſt Deus; ſic multæ nationes diuerſæ inter ſe ſunt quid vnum, quatenus ſunt ſub vno Rege; & plures milites ſunt vnus exercitus ſub vno Duce; imò totus Mundus eſt vnus principatus, quia eſt ſub vno Principe,qui eſt Deus; vt docet etiam *Phil.*12. *Met. t.c.*55.

3 Secunda connexio habetur ex illis verbis: *In conſummationem*;conſummatio enim habetur ex fine.Finis ergo hierarchiarum *eſt vnitas,& ſimilitudo ad Deum,ſeu eſſe Deiforme, quantùm poſſibile eſt*;nulla enim creatura, quãtunuis per-

fe-

fecta, poteſt eſſe perfectè ſimi lis Deo. Ea autem, quæ ad eundem finem ordinantur, ad inuicem ſe adiuuant; vt milites ordinati ad capiendam eandem arcem, auxiliãtur ſibi ad inuicem, ideo connectuntur ratione finis, & ſic Angelicæ hierarchiæ ita ſe habent, vt vna iuuet aliam illuminando, & ideo connectuntur ratione finis.

4 Tertia connexio habetur ex illis verbis: *Illuminatio deſcẽdit à Deo in omnes hierarchias*; nam *ſecundùm Phil. 1. de Gen. t.c.* 41. agentia, & paſſiua ad inuicem ſe tangunt, non quidem ſuperficialiter, vt ſe tangunt duæ magnitudines, ſed in profundo, quia actio penetrat ad intima; & ſecundùm iſtum contactum connectuntur; ſed vna hierarchia agit in aliam illuminando; ergo omnes connectuntur ratione actionis.

5 Quarta connexio colligi poteſt ex illo verbo *ordinata*; nam ordo requirit, vt ſupremum non coniungatur cum infimo, niſi ratione medij; vt inter aquam, & ignem mediat aer, qui connectit perfectiones aquæ, & ignis, ſcilicet frigiditatem, & humiditatem conuenientem aquæ cum ſiccitate, & caliditate cõueniente igni, aer enim eſt calidus, & humidus; & ideo prout calidus, cõnectitur perfectione caloris cũ igne; & prout humidus, connectitur cum aqua, aliter aqua, & ignis, vtpotè contraria, nunquam connecterentur; ſed in Angelicis hierarchijs datur ſuprema, quæ eſt illuminans Angelos; & infima, quæ eſt illuminata, non illuminans Angelos; ergo connectuntur perfectione per mediam, quæ eſt illuminata, & illuminans. Tum quia Deus ſe habet, ſicut vnitas; & omnes creaturæ, ſicuti numeri deſcendentes ab vnitate, ſunt enim omnes inæquales in perfectione; ſed vnus numerus v. g. ternarius connectitur cum vnitate mediante binario; ergo omnes hierarchiæ connectuntur ad inuicẽ ſecundùm perfectionem. Addi poſſet, quòd omnes hierarchiæ conueniunt in prædicatis genericis ſubſtantiæ ſpiritualis, intellectualis, &c; ergo ſecundùm illa connectuntur ad inuicem.

6 Quæres 2; an hierarchia Eccleſiaſtica connectatur cum hierarchijs Angelicis?

Reſp. *Fund. Doct. ibid.* affirmatiuè, nam hierarchia Eccleſiaſtica, quæ componitur ex hominibus, eſt ſub eodem Principe, qui eſt Deus, ſub quo ſunt hierarchiæ Angelicæ; ergo connectũtur ratione principij. 2. Hierarchia Eccleſiaſtica ordinatur ad eundẽ finẽ, ſcilicet vt homo per Diuinas illuminationes fiat vnus, & ſimilis Deo, ac Deiformis, quantùm poſſibile eſt; ergo connectuntur ratione finis. 3. Angeli infimi agunt in homines illos illuminando; ergo cum illis connectuntur ratione actionis. 4. Homines ſunt immediatè inferiores infima hierarchia Angelorum; ergo cõnectuntur ſecundæ hierarchiæ mediante infima. Tum quia homines mediant inter ſubſtantiam ſpiritualem, & corporalem, quatenus homo habet animam ſpiritualem, & corpus; ergo per animam, quæ eſt perfectio ipſius, connectitur cum Angelicis hierarchijs; & per corpus connectitur cum ſubſtantijs materialibus.

7 Quæres 3; an omnes ordines eiuſdem hierarchiæ connectantur ad inuicem?

Reſp. *Fund. Doct. vbiſ. in reſol. 1. dub. lat.* affirmatiuè; omnes enim Angeli eiuſdem ordinis connectuntur illis quatuor connexionibus, quas diximus connecti omnes hierarchias. Vlteriùs connectuntur ratione operis; quia vniuntur ad præſtandum idem opus; vt v. g. Angeli ſecundæ hierarchiæ vniuntur ad dirigendum Angelos infimos. Præterea etiã plures illuminationes vniũtur in eodem Angelo ratione ſubiecti; quia eſt idem ſubiectum plurium illuminationũ; ex quo deducitur Angelos eiuſdem ordinis magis connecti inter ſe, quàm Angelos alterius ordinis; quia magis connectuntur ea, quæ conueniũt in genere proximo, vt homo, & bruta; quàm ea, quæ connectuntur ſolùm in genere remoto; vt homo, & planta.

8 Quæres 4; quinam Angeli Deo aſſiſtant?

Reſp. *Fund. Doct. diſt. 10. q. 1. per totam*; quòd hoc verbum, *aſſiſto*, componitur ex *ad*, & *ſiſto*; & *ad* ſecundùm *Hugotionem* ſignificat idẽ, ac *iuxta*, vel *circum*; *ſiſto* autem ſignificat idem, ac *præſento*; ſic enim ſumitur *Luc. 2*; cùm dicitur de puero Ieſu: *Vt ſiſterent eum Domino.* Vnde *aſſiſtere* ſignificat eſſe præſentem circa aliquam perſonam ad ſeruitium illius; & in hoc ſẽſu omnes Angeli, imò omnes creaturæ Deo aſſiſtunt; quia omnes illi inſeruiunt, & obediunt. Hic tamen modus ſumendi aſſiſtentiam eſt latiſſimus; & in hoc ſenſu non accipitur in præſenti.

9 Præterea *aſſiſtere ſecundùm eundem Hugotionem* ſumitur magis ſtrictè, prout dicit præſentiam obſequioſam; & in hoc ſenſu Diaboli non aſſiſtunt Deo; nam quotieſcunque agũt aliquid in obſequium Dei, agunt præter intentionem; intentio enim eorum ſemper eſt mala, vt docet *Beatiſſ. P. 4. de Trin. c. 8.* In hoc ſenſu omnes Angeli boni Deo aſſiſtũt; ſed neque hoc modo ſumitur aſſiſtentia Angelica *à D. Dion*; qui diuidit Angelos in aſſiſtentes, dirigentes, & exequentes; vt *ſup.* dictum eſt; ideoque non omnes ſunt aſſiſtentes, ſed alij aſſiſtentes, alij dirigentes, & alij exequentes. Imò etiam iuſti in hac vita dicuntur Deo in hoc ſenſu aſſiſtere.

10 Vlteriùs ſumi poteſt *aſſiſtere* merè ſpeculatiuè, quatenus ſemper manent in contemplatione Dei clarè viſi; & in hoc ſenſu ſoli beati, non ſolùm Angeli, ſed etiam homines Deo ſemper aſſiſtunt. Sed neque iſte ſenſus hic intẽditur.

11 Item ſumitur *aſſiſtere*, prout contradiſtinguitur à mitti practicè ad aliquod opus miſſione exteriori; & in hoc ſenſu quatuor primi ordines nempe Seraphim, Cherubim, Throni, & Dominationes ſemper Deo aſſiſtunt; quia nunquã mittuntur ad exercenda aliqua officia exteriora. Quãuis enim omnes Angeli mittantur miſſione interiori, *vt inf. videb*; quia omnes operã-

tur ad ſalutem hominum illuminando Angelos inferiores miſſos ad opera exteriora,in quo ſenſu omnes Angeli dicuntur miniſtrantes;attamen non omnes deſcendunt in terram ad efficiendũ aliquod opus,vt docet *D.Dion*, quia Seraphim ſolũmodò habet illuminare Cherubim, & Cherubim Thronos, & Thronos Dominationes; illuminatio autem, quia fit per ſolam cognitionẽ ſpeculatiuam,per quam Angeli non conſtituuntur in loco; vt diximus *q.* 2. *art.* 2; ideo iſti tres ordines poſſunt implere ſua officia abſque eo, quòd localiter è Cœlo deſcẽdant in terram. Difficultas poteſt eſſe de Dominationibus; quia cũ omnes ordines ſecundæ hierarchiæ deputati ſint ad miniſterium,& gubernium Mundi, quapropter *à D.Dion.*vocantur *miniſtrantes*,videtur inter Angelos aſſiſtentes non eſſe connumerandos.

12 Verùm *Fund. Doct.* ait, quòd Dominationes ſunt veluti Architectores operum, quæ fieri debent in Mundo,præcipientes, & imperãtes ea, quæ fieri debent ab Angelis inferioribus; non eſt autem neceſſe,quòd præcipientes,& imperãtes ſint præſentes operibus præceptis,& imperatis, vt patet de Miniſtris Regis præcipientibus aliqua opera facienda in omnibus Ciuitatibus Regni, in quibus actu non ſunt. Tum quia imperium, & præceptum non extẽditur ad opus practicum, & externum,niſi per executionem actualem,quæ fit ab ijs,quibus præcipitur,& imperatur;& ideo Miniſter imperans,& præcipiens non dicitur mitti ad opus externum faciendum in partibus longinquis ipſius Regni;ſolùm enim mittuntur illi, qui debent illud opus executioni immediatè mandare; ergo Dominationes ſunt Deo in hoc ſenſu aſſiſtentes. Virtutes autem dicuntur mitti localiter ad opus externum; quia debent in terris patrare miracula, aliqua ſupra leges naturæ operari, & corporalibus præeſſe; ſic poteſtates impedire,ne aduerſa nobis noceãt; Principatus Regnis,& Regibus aſſiſtere,Archangeli maxima bona nunciare, & Angeli minima; ideo hac ratione non dicuntur aſſiſtentes.

13 Tandem ſumitur *aſſiſtere*,prout contradiſtinguitur à miniſtrare, dirigere, & exequi; & in hoc ſẽſu Angeli ſolius primæ hierarchię Deo ſemper aſſiſtunt,illi enim dicuntur miniſtrare, & dirigere, qui mandata ipſius Regis accepta à familiaribus lateraliter Dei aſſiſtentibus inferioribus communicant; & illi dicuntur exequi, qui mittuntur ad pręſtanda opera à Rege imperata; ſed Angeli ſolius primę hierarchię non accipiũt ab alijs Angelis mandata Dei, quia non illuminantur ab Angelis,ſed à Deo immediatè;ergo in hoc ſenſu illi ſoli dicuntur Deo aſſiſtentes. Tum quia illi ſoli dicuntur Deo aſſiſtentes,qui immediatè circa Deum collocantur,vt docet *D.Dion*; ſed Angeli ſolius primę hierarchię immediatè circa Deum collocantur; quia immediatè à Deo illuminantur;ergo ſoli ſunt aſſiſtẽtes; Angeli verò ſecundę hierarchię miniſtrãtes; & Angeli tertię hierarchię exequentes. Et in hoc ſenſu ſumitur propriſſimè aſſiſtere,ſic enim ſumitur poſitiuè, prout dicit illuminari Deo;& negatiuè, prout dicit non illuminari ab alio Angelo.

14 Obijc. 1. Illi dicuntur alicui Regi aſſiſtere,qui faciem illius intuentur;ſed omnes Angeli faciem Dei ſemper intuentur; ergo omnes dicuntur aſſiſtere. 2. Plures ſunt Angeli aſſiſtentes, quàm miniſtrantes;habetur enim *Dan.7. Millia millium miniſtrabant ei,& decies centena millia aſſiſtebant ei*;ergo non ſoli Angeli primæ hierarchiæ ſunt aſſiſtentes. 3 Nullus Angelus poteſt eſſe procul à Deo, quia Deus eſt vbique; ergo omnes aſſiſtunt.

Reſp. ad 1.neg. conſ. illi enim, qui ſemper vident faciem Regis, dicuntur ei aſſiſtere, quia alij, qui non aſſiſtunt, nequeunt videre faciem Regis ob diſtantiam, quæ impedit viſionem; at verò diſtantia localis non impedit, quin Angeli miſſi videant faciem Dei,dicitur enim de Angelis cuſtodibus *Matt.18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*; ideo Angeli Deo aſſiſtentes non poſſunt dici per ordinem ad videndam faciem Dei; in hoc enim conueniunt cum miniſtrantibus, & exequentibus. Ad 2.diſt. ant. Plures ſpecie, & numero,conc; hierarchia, & ordine,neg. Ad 3.diſt.ant. Nullus Angelus poteſt eſſe procul à Deo,quatenus habet ſpecialem modum eſſendi in loco per manifeſtationẽ ſuæ gloriæ, neg; quatenus habet vniuerſalem modum eſſendi in rebus, conc.

15 Obijc. 2. Ratio,quare omnes Angeli primæ hierarchiæ ſint aſſiſtentes, eſt, quia habent eundem modum recipiendi diuinam illuminationem; ſed Angeli omnes ſecundæ hierarchiæ habent eundem modum recipiendi Diuinam illuminationem; ergo vel omnes ſunt aſſiſtentes, vel non; & ſic falſum eſt Dominationes eſſe aſſiſtentes,non autem Virtutes,& Poteſtates.

Reſp. neg. ma; Angeli enim dicuntur aſſiſtentes eo, quia non mittuntur localiter ad aliquod opus externum; vt dictum eſt.

A R T. IV.

An Angeli adæquatè diuidantur in nouẽ Ordines?

1 FVnd. Doct. *in hac diſt.9.q.2.art.1.* hãc difficultatem reſoluit; *& in reſol. dub.1. lat.*affert quinque modos diuiſionis ordinum primæ hierarchiæ; ſecundùm quos modos nedum babetur adæquata diuiſio,ſed etiam propria appellatio, ſeu nominatio ipſorum Angelorum eiuſdem primę hierarchię. Quoniam autem de quarto modo ſermonem habuimus *ar.2. n.5*; quem dicit à ſe ipſo excogitatum fuiſſe; ac iſte inter alios magis altior, & ſubtilior nobis videtur,ideo primò ipſum exponemus. Igitur.

2 Vnica concl. Angeli adęquatè diuiduntur in nouem ordines; & quinque rationes huius diuiſionis allatæ *à Fund.Doct.*ſunt rectè aſſignatæ.

3 Prob.1.*ex D.Dion. de Cœl. Hier. c.6* vbi ait:

ait: *Has cæleſtes eſſentias Diuinus noſter S. Præceptor* (idèſt *Paulus*) *in tres ternas diſpoſitiones ſegregat*, deinde ratione ducta ex ipſa definitione hierarchiæ tradita *ab eodem D. Dion.* ſcilicet *ſcientia*, *ordo*, *& actio*. Quilibet Angelus debet contineri ſub aliqua hierarchia,ergo debet contineri ſub ſcientia,vel ordine,vel actione;ſed ſub *ſcientia* non continentur, niſi tres ordines; tres ſub *ordine*;& tres ſub *actione*; ergo non ſunt,niſi nouem ordines Angelorum;& ideo Angeli adæquatè diuiduntur in nouem ordines. Ant.patet; nam ſi aliquis Angelus non contineretur ſub aliqua hierarchia, diuiſio Angelorũ in tres hierarchias non eſſet adæquata; cuius oppoſitum probatum eſt *art.2*; ſicut ſi aliquod animal non contineretur ſub rationali,& irrationali,animal non diuideretur adæquatè in rationale, & irrationale.Prima conſ.optimè deducitur.

4 Prob.1.pars mi.ſubſumptæ; nam, vt dicebamus *art.2.vbiſ.* vel ſcientia accipitur radicaliter;& ſic importat charitatẽ,quæ eſt radix ſcientiæ;nam *ſcientia*, quæ non radicatur in charitate, *inflat ſecundùm Apoſt.*; at ſcientia, quam habent Angeli,eſt ſcientia ſubiectionis ad Deum,à quo illuminantur;& ideo nequit inflare; cùm autem charitati propriè conueniat ardor; vt experimur in nobis; videmus enim amantes nimio amore ardere nimio ardore; & Seraphim dicuntur ab ardore;ſic eſt primus ordo Angelorum,qui ordo Seraphim dicitur. Vel poteſt ſumi ſcientia formaliter in ſe ipſa;& ſic importat habitum contẽplatiuum ſui obiecti; & ideo ſcientia in Angelis importat contemplationem ipſius Dei; ſecundũ quam ſumitur ſecũdus ordo;ſcilicet Cherubim, qui dicuntur *plenitudo ſcientiæ*. Vel ſumitur in ſuo effectu ſiſtendo intra ipſum intellectum; & ſic importat iudicium, quod eſt effectus ſcientiæ; nam vt habet *Phil.1.Eth.c.5;Vnuſquiſque iudicat bene ea, quæ cognoſcit*; & ſic conſtituitur tertius ordo,ſcilicet Throni; in quibus Deus dicitur iudicare; ergo ſecundùm *ſcientiam* rectè ſumuntur tres ordines primæ hierarchiæ Angelorum, & hoc adæquatè;quia *ſcientia* adæquatè ſumitur in ſua cauſa,in ſe ipſa,& in ſuo effectu; & ideo Angeli,qui ſumuntur ſecundùm *ſcientiam*, adæquatè diuidũtur iuxta diuiſionem adæquatam illius.

5 Prob.2.pars mi. Ordo,ſeu ordinata poteſtas importat imperium; virtutem remotiuam impedimentorum, quæ poſſunt obſtare executioni;& diſpoſitionem operationum, quibus demandatur executio effectus intenti; ſed imperiũ importat Dominationes, quæ conſtituunt primũ ordinem ſecundæ hierarchiæ; virtus remotiua impedimẽtorũ, quę poſſunt obſtare ſaluti hominum, importat Virtutes, quæ dominantur rebus corporalibus; & quoties lex naturalis obſtat ſaluti hominum,quadam Diuina Epicheia diſpenſant legi vniuerſali, & operantur miracula; & diſpoſitio Angelorum tertiæ hierarchiæ, quibus demandata eſt executio ſalutis hominum, & per conſequens gubernium totius Mundi,qui factus eſt propter homines, conſtituit Poteſtates; ergo ſub *ordine* tres tantùm continentur ordines Angelorum;& ideo Angeli ſecundæ hierarchiæ,qui ſumuntur ſolùm reſpectu *ordinis*, adæquatè diuiduntur in tres ordines.

6 Prob. 3. pars eiuſdem mi. Qualibet actio vel verſatur circa obiectum vniuerſale, & principale,vel circa obiectum particulare; ſed circa obiectum vniuerſale, & principale verſantur Principatus, quibus demandata eſt cura Communitatum,Regnorum,populorum, & per conſequens Imperatorum, Regum, & Principum, qui præſunt Communitatibus, Regnis,& populis; & circa obiectum principale vel operando maximas, & excellentiſſimas res; & ſic ſunt Archangeli;vel operando res paruas,& ordinarias, & ſic ſunt Angeli; ergo penes actionem tantùm deſumũtur tres ordines Angelorũ tertiæ hierarchiæ; & ideo adæquata diuiſio omnium Angelorum in nouem ordines eſt ſufficiens, & adæquata; nam ſi Angeli adæquatè diuiduntur in tres hierarchias;& qualibet hierarchia adæquatè diuiditur in tres ordines,manifeſtè ſequitur Angelos adæquatè diuidi in nouem ordines.

7 Aduert.tamen,quòd licèt iſta tria;ſcilicet ſcientia, ordo, & actio, reperiantur in qualibet hierarchia, imò in quolibet Angelo; quia quilibet Angelus illuminatur à Deo, habet poteſtatem in alios Angelos,vel in homines, & agit vel in alios Angelos illos illuminando,vel in homines; attamen per antonomaſiam appropriantur eo modo,quo dictum eſt; quia prima hierarchia immediatè recipit illuminationem à Deo, & docet ſecundam hierarchiam; ſecunda autem dirigit tertiam; & tertia immediatè agit in homines illos illuminando,& exequendo ea,quæ pertinẽt ad eorum ſalutem.

8 Prob.2.*ex eod.Fund.Doct.in reſol.art.1.§. Sic & in propoſito.* Aula cuiuſlibet Regis temporalis adæquatè diuiditur in tres ordines, ſcilicet familiarium aſſiſtentium ipſi Regi;Præpoſitorum omnibus negotijs totius Regni; & Operariorum in diuerſis partibus Regni;ſed familiares aſſiſtentes alij ſunt intimi, & ſpecialiter dilecti ab ipſo Rege, alij ſunt Secretarij excipientes ſecreta ipſius ex officio, quanuis omnes illa dignoſcant,& præcipuè ſpecialiter dilecti; & alij ſunt deſcreuentes iudicia lata ab ipſo Rege; & ſic Præpoſiti alij ſunt,apud quos reſidet dominium Regni; alij remouentes contraria, & diſpenſantes in legibus vniuerſalibus ob bonum Regiminis;& alij curam habentes operariorum miſſorum in ſingulas partes ipſius Regni defendentes ipſos à quibuſcunque contrarijs,vt Duces militiæ; tandem Operarij ſunt Gubernatores,ſeu Præſides vnius Prouinciæ; & alij ſe intromittunt ſolùm in cauſis, & rebus magnis,ſub quibus ſunt alij,qui incumbũt rebus paruis; ergo Aula cuiuſlibet Regis adæquatè diuiditur in nouem ordines Aulicorum.

Atqui aula Regis temporalis imitatur Aulam Dei,qui eſt Regum Rex;*non eſt enim poteſtas,niſi à Deo;quæ autem à Deo ſunt,ordinata ſunt*;vt habetur *Rom.*13;ergo Angeli,qui ſunt Aulici Dei, adæquatè diuiduntur in nouem ordines;quorum primi ſunt intimè à Deo dilecti ob ardorẽ charitatis, & ſunt Seraphim; alij Secrerarij, vt Cherubim;alij iudicia Dei deſerentes,vt Throni; ſic dicendum de Angelis ſecundæ hierarchiæ,qui à *D.Dion.*vocantur *Præpoſiti*; & de Angelis tertiæ; qui vocantur *exequentes.Vid.art.2.vbiſ.*

9 Prob.3.ex diuiſione donorum, & gratiarum,quæ collatæ ſunt Angelis in quolibet ordine conſtitutis; nam aliquibus eſt conceſſum à Deo donum charitatis,& ſic ſunt Seraphim;alijs donum ſcientiæ, & ſic Cherubim; alijs donum inhabitationis Dei,& ſic ſunt Throni; alijs donũ dominij, & ſic ſunt Dominationes; alijs donum miraculorum, & ſic ſunt Virtutes; alijs donum ordinandi Angelos inferiores applicando eos diuerſis operationibus,& frẹnando Angelos malos impedientes,& ſic ſunt Poteſtates;alijs donũ gubernandi Regna,& Reges, ac Principes, & ſic ſunt Principatus; alijs donum annunciandi bona maiora, & ſic ſunt Archangeli, idèſt *magni, ſeu maiores Angeli*,& alijs donum annunciandi bona minora,& ſic ſunt Angeli;ſed præter hæc dona nullum aliud colligi poteſt *ex Scripturis*; ergo ratione horum donorũ habetur adæquata diuiſio Angelorum in nouem ordines.

10 Prob.4.ex fine,ad quem ordinantur omnes Angeli. Omnes Angeli ordinati ſunt à Deo, vt homines coniungantur ipſi Deo;per ordinem enim ad ſalutem hominum diſtributa ſunt Angelis officia,& ſalus hominum conſiſtit in coniũctione ad Deum; ſed Angeli coniungunt homines Deo per amorem, & ſic ſunt Seraphim; vel per cognitionem, & ſic ſunt Cherubim; vel per iudicium agibilium,& ſic ſunt Throni; vel imperando eis bona,& ſic ſunt Dominationes;vel per miracula conuertendo eos in Deum, & ſic ſunt Virtutes;vel reſiſtendo Dẹmonibus,ne eos auertant à bono, & ſic ſunt Poteſtates; vel præſidendo toti Communitati, & Principibus, quorum exemplis ſe conformant ſubditi,& ſic ſunt Principatus;vel annunciando maxima bona,& ſic ſũt Archangeli; vel procuranda bona minora; & ſic ſunt Angeli; ergo Angeli adæquatè diuiduntur in nouem ordines; ex fine nanque adæquatè ſumpto habetur adæquata diuiſio eorum,quæ ad talem finem conducunt.

11 Notat tamen *Fũd.Doct. dub.1.lat.§.Aduertendum*,quòd licèt aliquibus Angelis ex officio à Deo recepto incumbat præſidere toti Regno, poſſunt tamen ex deputatione particulari agere circa aliquam particularem perſonam; vt Rex poteſt in aliqua cauſa particulari alicuius particularis perſonæ ſpecialiter deputare Miniſtrum totius Regni gubernio deputatum ex officio.

12 Ex his colligit *idem Fund.Doct.*Angelos rectè nominari ex ſuis officijs; ac propterea hæc nomina illis impoſita eſſe nomina officiorum, quibus funguntur,non autem naturæ.

13 Obijc. 1. Angeli diuiduntur in ordines ratione donorum,vt ait *Mag.Sent*; ſed dona Dei ſunt ſeptẽ, quia dona Dei ſunt dona Spiritus S; ergo ſeptem tantùm ſunt ordines Angelorum. 2.Omnia, quæ ſunt in Mundo, reperiuntur in numero ternario, vt habet *Phil.lib.1.de Cæl; & Mund*;in omnibus enim reperitur principium, medium, & finis; ergo ſolummodò tres ſunt ordines Angelorum. 3. Ordines Angelorum ſunt in numero perfecto; ſed numerus perfectus eſt numerus denarius;quia ſupra numerum denariũ non eſt alius numerus; alij enim ſunt repetitio eiuſdem denarij;ergo decem ſunt ordines Angelorum.Tum quia *Luc.*15. homines aſſumendi ad ordines Angelorum figurantur in decima dracma deperdita;ergo decem ſunt ordines Angelorum; non enim homines per ſe ipſum conſtituẽt ordinem nouum,ſed reparabunt ordinem Angelorum,qui cecidit.

Reſp.ad 1.diſt.ma.Ratione donorum perficientium Angelos quoad actus hierarchicos,ſecundùm quos habent officia,conc;& in hoc ſenſu neg.mi;nam *ab Apoſt.* enumerantur dona Spiritus S.pluſquam ſeptem; vt prophetia, genera linguarum;ſecus,neg.Ad 2.diſt.ant. Omnia,quæ ſunt in Mundo, reperiuntur in numero ternario ſecundùm aliquam rationem,conc; & ſic Angeli ſunt in triplici hierarchia,& quælibet hierarchia in triplici ordine.Secundùm omnem rationem, neg;aliter nõ eſsẽt,niſi Angeli tres numero,tres homines &c; quod eſt euidenter falſum. Ad 3. dicitur,quòd numerus eſt perfectus, vel ſecundũ vniuerſalitatem,quia eſt in omnibus rebus, & ſic eſt ternarius; vel ſecundùm æqualitatem, quia æquatur ex omnibus ſuis partibus quotis, & ſic eſt ſenarius,vt diximus *q.1.inHexam.a.*10.*n.*40; vel ſecundùm aſcenſionem, quia nequit vlteriùs aſcendere,& ſic eſt denarius. Diſt.ergo ma. Sunt in uumero perfecto ſecundùm vniuerſalitatem, conc; ſunt enim in numero ternario triplicato; ſecundùm æqualitatem,vel aſcenſionem,neg.Ad aliud dicitur homines figurari in decima dracma, non quia reſtaurabunt ordinem decimum Angelorum,ſed quia reſtaurabũt numerum Angelorum, quorum decima pars cecidit, vt ſuperiùs dictum fuit.

14 Obijc.2. Diuiſio, quæ fit per nomina cõmunia rebus diuiſis,non eſt recta, vt v. g. ſi quis diuideret animal in ſenſitiuum, quod conuenit omnibus animalibus,& nutritiuum,quod nedum conuenit omnibus animalibus,ſed etiam alijs ab illis;ſed diuiſio Angelorum eſt huiuſmodi,quia Seraphim dicuntur ab ardore charitatis in Deũ, quo flagrant omnes Angeli; Cherubim à ſcientia,quæ eſt Angelis communis; dicuntur enim *Intelligentiæ*; & Throni ab inhabitatione Dei,

quæ

quæ conuenit etiam animabus iuſtis; dicuntur enim ſedes Dei;& Dominationes dicuntur à dominari, quod principaliter conuenit Deo, & à fortiori Angelis ſupremis; ergo non eſt recta diuiſio.

Reſp.neg.mi.Ad prob. inſert. dicitur Seraphim denominari ab exceſſu charitatis,qui ſolis ipſis conuenit;& ſic Cherubim ab exceſſu ſcientiæ;& Throni ab inhabitatione Dei,quæ illis cōpetit ex officio, quod habent; alijs verò non cōpetit ex officio, vt v. g; quòd Secretarius ſciat ſecreta Regis, ei competit ex officio; quòd autē alij illa ſciant non competit ex officio; ita à pari Cherubim dicuntur à ſcientia, quia eorum officium eſt excipere ſecreta Dei, & alijs illa nunciare;& Throni dicuntur ab inhabitatione Dei; quia ad illos ſpectat habere Deum in ſe ipſis, & illum deferre ad alios; ſic Dominationes dicuntur ex officio deferendi imperium Dei ad alios, quod officium non conuenit Deo, nec alijs Angelis,& ſic de reliquis.

ART. V.

An Ordines Angelorum ſint rectè diſpoſiti?

1 IN ordinario,quę tolleret rectam diſpoſitionem Angelorum, poteſt eſſe triplex. 1. Si loco primæ hierarchiæ poneretur ſecūda,vel tertia,aut è contra.2.Si vnus ordo ſecūdę hierarchię poneretur inter ordines primę,vel tertiæ,aut è contra.3.Si ordo inferior eiuſdem hierarchiæ poneretur pro ſuperiori,aut è contra.

2 Ratio autem dubitandi eſt; quia *D. Greg.* aſſerit Principatus eſſe ſecundum ordinem ſecūdæ hierarchiæ, Virtutes verò eſſe primum ordinem tertiæ hierarchiæ;*D.verò Dion.de Cœl.Hier. c. 6.* aſſerit Virtutes eſſe ſecundum ordinem ſecundæ hierarchiæ, & Principatus primum ordinem ſecundæ hierarchiæ. Vtrunque autem dictū poteſt habere fundamentum in *Sacra Scriptura*; nam *Apoſt. Epheſ.* 1. numerat ordines Angelorū eo modo, quo enumerantur *à D. Dion.* dicens Chriſtum conſtitutum eſſe ſupra omnem Principatum,& Poteſtatem, Virtutem, & Dominationem,vbi incipiens ab inferiori procedit ad ſuperiores ponendo Virtutes inter Poteſtates,& Dominationes, ſicut ponit *D. Dion.* At verò *ad Coloſſ.* deſcendendo à Thronis ponit Principatus inter Dominationes,& Poteſtates: Dicens,*ſiue Throni,ſiue Dominationes,ſiue Principatus, ſiue Poteſtates*, ex quibus colligi poteſt Principatus ſpectare ad ſecundam hierarchiam, non ad tertiam;& ideo ordines Angelorum videntur rectè non fuiſſe diſpoſitos *à D.Dion;pro cuius deciſ.*

3 Vnica concl. Hierarchiæ, & ordines Angelorū fuerunt recto ordine diſpoſitæ à *D.Dion;* diſpoſitio autem,& ordinatio *D.Greg.*poteſt verificari ſecundùm quid,non ſimpliciter.*Ita Fūd. Doct.in hac diſt.9.q.2.art.1.in reſol.dub.lat.2.*

4 Prob. 1. pars concl. *ex dictis in ſup. art;* nam in aula cuiuslibet Regis primum locum tenent familiarij cōtinuò aſſiſtentes ipſi Regi;ſecūdum locum miniſtri præpoſiti negotijs totius Regni; & tertium locum miniſtri deputati particularibus partibus ipſius Regni;ergo & in aula Sanctiſſimi Regis Regum recto ordine aſſignatur prima hierarchia Angelorum aſſiſtentium, ſecunda præpoſitorum gubernio totius mundi, tertia deputatorum partibus ipſius mundi.

5 Præterea hierarchię Angelorum deſumūtur penè *ſcientiam,poteſtatem, & actionem,vt ibid.* diximus;ſed ſcientia eſt prior poteſtate; & poteſtas actione,ſeu executione, quia ſcientia ſpectat ad intellectum, qui eſt prior voluntate, & poteſtas ſpectat ad voluntatem, quæ eſt prior potentia executiua,ſeu actuali executione;ergo prima hierarchia,quæ ſumitur penes *ſcientiam*,& ſecūda, quæ ſumitur penes *poteſtatem*; & tertia, quæ ſumitur penes *actionem*, ſunt rectè diſpoſitæ, & ordinatæ.*Vid. vbiſ.*

6 Prob. 2. pars concl. Primus ordo primæ hierarchiæ deſumitur penes radicem ſcientiæ, quæ ordine originis præcedit ſcientiam; ſecundus deſumitur penes ipſam ſcientiam formaliter in ſe ipſa conſideratam;tertius ſumitur penes effectum ſcientiæ,idèſt iudicium,quod ſequitur ad ipſam ſcientiam, vt diximus *in ſup.art;* ergo tres ordines primæ hierarchiæ ſunt rectè ordinati,& diſpoſiti ſecundùm prius,& poſterius.

7 Præterea inter præpoſitos miniſtros alicuius Regis priùs ſunt illi, qui promulgant imperia,& iuſſa Regis,quàm illi, qui procurant remouere impedimenta,quæ poſſunt fruſtrare ipſa imperia, & iuſſa; & remouentes impedimenta ſunt priores illis, qui præſidēt operarijs particularibus partium ipſius Regni; ſed Dominationes ſunt Angeli, qui deferunt imperia Dei; & virtutes ſunt illi, qui remouent impedimenta; & Poteſtates, qui præſident operarijs particularibus mundi; ergo ordines ſecundæ hierarchiæ ſunt rectè diſpoſiti,& ordinati *à D.Dion.*

8 Tandem illi, qui præſident prouinciæ alicuius Regni præcedunt eos, qui præſidēt vni tātùm Ciuitati,vel oppido illius prouinciæ; & illi, qui præſunt magnis negotijs alicuius Ciuitatis particularis,præcedunt eos,qui præſunt negotijs minoribus;ſed Principatus prę ſunt Communitatibus, & Regnis, quæ ſunt veluti prouinciæ reſpectu totius mūdi, qui eſt vnum Regnum vnius Regis Dei;& Archangeli præſunt magnis negotijs;Angeli autem minoribus; ergo tres ordines tertiæ hierarchiæ ſunt rectè diſpoſiti.*Vid.vbiſ.*

9 Conf. Si nouem ordines Angelorum non eſſent rectè diſpoſiti illo ordine, quo enumerantur à *D.Dion;*maximè quia *D.Greg.ex Apoſt.* ponit Principatus inter Dominationes, & Poteſtates, quæ ſpectant ad ſecundam hierarchiam; *D.Dion.* verò ait: *Principatus ſpectare ad tertiam hierarchiam;* ſed hoc non obſtat; quia magis eſt adhærendum *D.Dion;*qui proteſtatur ſe didiciſſe *à S.Hierotheo*, idèſt *à D. Paulo*, à quo instructus

fuit

fuit in Fide,& baptizatus;ergo non obſtante ſententia *D.Greg.* tenendum eſt diſpoſitionem ordinum Angelorum traditam à *D.Dion.*eſſe rectam.

10 Prob.3.pars concl. Non implicat, quòd illud,quod eſt ſimpliciter poſterius alio,ſecundū aliquam rationem, ſeu ſecundùm quid ſit prius; nam licèt illuminatio ſit ſimpliciter poſterior Sole, attamen reſpectu noſtrorum oculorum eſt prior;quia per illam videtur Sol;ſed Principatus habent aliquod officium,quod ſecundùm aliquā rationem poteſt præcedere Poteſtates; & Virtutes ſecundùm aliquam rationem poſſunt præcedere eaſdem Poteſtates;nam Principatus habent præſidere hominibus,inter quos ſunt multi iuſti, & ſancti;Poteſtates autem habent præſidere Angelis malis, qui ſunt inferiores hominibus iuſtis; & Poteſtates habent curam rerum ſpiritualium; Virtutes verò rerum corporalium, quæ poſtponuntur rebus ſpiritualibus; ergo Principatus ſecundùm quid poſſunt præcedere Poteſtates; & Poteſtates Virtutes. Per hoc tamen non colligitur diſpoſitionem allatam à *D. Dion.* non fuiſſe rectè ordinatam;quia diſpoſitio debet attendi ſecundùm illud,quod ſe habet ſimpliciter; non verò ſecundùm illud, quod ſe habet ſecundùm quid.

11 Obijc.1.Cherubim denominantur à ſciētia,quę ſe tenet ex parte intellectus;& Seraphim à charitate,quæ ſe tenet ex parte voluntatis; ſed intellectus eſt prior voluntate; ergo Cherubim eſt prior, quàm Seraphim. 2. Throni ſunt ſedes Dei; ſed ſedes immediatè ſe habet ad ſedentem; ergo Throni ſunt priores, quàm Cherubim, & Seraphim.

Reſp.diſt.1.part.ma. Cherubim denominātur à ſcientia radicata in charitate; & ideo ſupponente charitatem,conc; non radicata in charitate, neg. Et ſic diſt. mi. Intellectus intelligens per ſcientiam radicatam in charitate,neg; ſecus, conc.Ad 2.diſt.mi. Sedes immediatè ſe habet ad ſedentem in ſuo ordine,conc;in alio ordine,neg; nam Seraphim in ordine dilectionis, qui eſt ordo excellentior, immediatè ſe habet ad Deum.

12 Obijc.2.Ordines ſecundæ hierarchiæ important prælationem,& prępoſituram ad gubernium totius mundi;ſed ordo prælationis, & præpoſituræ eſt ſupremus; ergo eſt prior ordinibus Seraphim,Cherubim,& Thronorum.

Reſp. diſt. mi. Ordo prælationis eſt ſupremus reſpectu creaturarum,quibus præſunt,conc; reſpectu Dei, cui miniſtrant, neg; nam Angeli Deo aſſiſtentes præcedunt ordinem prælatorum, vt dictum eſt.

13 Obijc.3.*Apoſt. ad Coloſſ.* 1. ponit Principatus inter ordines ſecundæ hierarchiæ; ergo non ſpectant ad tertiam.

Reſp. *Fund. Doct*; quòd *Apoſt.* in illo loco non intendit aſſignare ordinem ordinum Angelorum,ſed ſolùm decribere exaltationem Chriſti Domini ſuper omnes Angelos; & ideo confuſè illos nominat; attamen *alibi* eos ſuo loco enumerat, vt dictum eſt. Præterea doctrina *D. Dion.* accepta erat *ab Apoſt*; & ideo *Apoſt.* per *D.Dion.* ordinatam diſpoſitionem nobis tradidit.

14 Quæres; an iſta diuerſitas ordinum ſit à natura,vel à gratia?

Reſp.*Fund.Doct.in reſol.dub.3.lat.*proximè, & immediatè eſſe à diuerſitate officiorum, quæ ſunt Angelis à Deo gratis collata; poſſe tamen remotè dici eſſe à natura;quatenus Deus Angelis habentibus perfectiorem naturam dedit maiorem gratiam, & maius officium; quod non remanſit in Dœmonibus, in quibus tamen remanſit diuerſitas,& maior perfectio naturæ,vt *inf.*

ART. VI.

An homines aſſumantur ad ordines Angelorum?

1 EVſtratij *Græci ſup.6.Eth.* errore dimiſſo, qui vt refert *Fund.Doct. hìc*, voluit, quòd homines nunquam poſſunt peruenire ad æqualitatem Angelorum, quia tenent eſſentialiter infimum locum inter ſubſtantias intellectuales,qui error reprobatur *ex illo Matt.22; & Luc.20.Erunt ſicut Angeli Dei in Cœlis*; & Eccleſia docet de *B.Virg*; quòd *fuerit exaltata ſuper Choros Angelorum*;tanquam certum ſupponimus ex hominibus ſanctis, & Angelis bonis eſſe conſtituendam in Cœlis vnam ſanctam ſocietatem, & Ciuitatem; ſicut ex hominibus damnatis, & Angelis malis vnam peruerſam ſocietatem; vt docet *Beatiſſ.P.lib.12.de Ciu.Dei c.1.*

2 *Aliqui* ex Catholicis ſenſerunt,quòd quia *Angelis eſt cognata virginitas*, ideo ſoli Virgines aſſumuntur intra ordines Angelorum;reliqui verò conſtituunt decimum ordinem;vt ſaluetur illa parabola *de decima dracma*.

Sed hoc communiter reijcitur;aliter *Petrus Apoſt*; *& S. M. Magdalene* eſſent ſub ſanctis minoris meriti.

3 *Alij* verò dixerunt,quòd ſoli perfecti aſſumuntur ad ordines Angelorum; alij verò conſtituunt ordinem inferiorem ordinibus Angelorū.

Sed hoc videtur repugnare Euangelio docenti abſolutè: *Erunt ſicut Angeli Dei in Cœlis*; cùm enim perfecti reſpectu imperfectorum ſint pauciſſimi;ideo abſolutè non diceret: *Erunt ſicut Angeli &c*; quod enim abſolutè dicitur, in pluribus reperitur, non in paucioribus; nam de paucioribus dicitur ſecundùm quid.

4 *Alij* dixerunt, quòd ſicuti ſupra ordines Angelorum erunt pauciſſimi; ſic infra illos ordines erunt pauciſſimi, qui tamen conſtituunt vnū ordinem per ſe diſtinctum ab alijs nouem;vt ſaluetur parabola *de dracma decima*.

Sed contra arguit *Fund. Doct*; nam ſicut pauciſſimi,qui ſunt ſupra ordines Angelorum, non conſtituūt ordinem diſtinctum; aliter eſſent vndecim,non decem ordines, & ſic non ſaluaretur parabola *dracmæ*; ita illi pauciſſimi, qui ſunt infra ordines Angelorum, non conſtituūt diſtinctum ordinem.

No-

5 Noſtra igitur ſententia docet homines ſanctos aſſumi ad ordines Angelorum;ſicut damnati transeunt in ſocietatem Dæmonum. *Ita Fund. Doct. in hac diſt.9.q.3.art.1.*

6 Vnica concl. Homines ſancti non componunt nouum ordinem diſtinctum, ſed aſſumũtur ad ordines Angelorum iuxta menſuram diuerſorum meritorum,quæ habent.

Prob. 1.*ex illo Matt.* 22; vbi dicitur: *Sed ſunt,ſicut Angeli Dei in Cœlo;& Luc.*20.de beatis ait: *Neque vltra mori poterunt,æquales enim Angelis ſunt.* Ex quibus ſic. Ordines Angelorum ita ſe habent,vt vnus ſit ſuperior alio; ſed homines beati nequeunt eſſe neque ſuperiores,neque inferiores omnibus ordinibus Angelorum; aliter non eſſent illis æquales;inferior enim non æquatur in gradu Angelo ſuperiori. Excipimus *Beatiſſ.Virginem*,quæ ex priuilegio ſpeciali *exaltata eſt ſuper choros Angelorum*;quomodò autem fuerit exaltata;an ſcilicet ita, vt ſit prima in ordine Seraphim;vel ſupra totum ordinem,*Fund.Doct.* ait;*quidquid poteſt in eius honorem dici,cum omni reuerentia eſſe acceptandum*; dummodò fateamur etiam ipſam eſſe membrum Chriſti pertinens ad illam ſanctam Ciuitatem, cuius Caput eſt Chriſtus.

7 Prob.2.*ex Beatiſſ.P. lib.*12.*de Ciu.Dei c.*9; vbi loquens de ſancta ſocietate Angelorum docet: *Cuius pars, quæ coniungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter peregrinatur in terris. Et lib.*22. *c.*29.ſuper illud *videbimus facie ad faciem.*1.*Cor.* 15. ait: *Sic iam vident ſancti Angeli, qui etiam noſtri Angeli dicti ſunt; quia eruti de poteſtate tenebrarum, & accepto ſpiritus pignore tranſlati ad Regnum Chriſti ad eos Angelos iam cæpimus pertinere, cum quibus nobis erit ſancta, atque dulciſſima, de qua iam tot libros ſcripſimus, Dei Ciuitas ipſa communis.* Ex quibus ſic. Homines ſunt pars coniũgenda ſocietati Angelorum pertinens ad illam; ergo non conſtituunt ordinem diſtinctum; ſicut vna pars multitudinis alicuius Communitatis non conſtituit ordinem diſtinctũ ab ordinibus, qui de facto ſunt in illa Communitate. Tum quia ſicut ſecundus ordo v.g. Angelorum primæ hierarchiæ, licèt coniungatur primo ordini eiuſdem hierarchiæ; attamen non dicitur pars illius, quia pars eſt in toto; vnus autem ordo non eſt in alio ordine; ergo ſi homines ſunt pars coniungenda ordinibus Angelorum, non ſunt vnus ordo diſtinctus.

8 Tum quia ſi conſtituerent ordinem diſtinctum, vel ille ordo eſſet ſub aliqua hierarchia Angelorum; vel non? Si primum; ergo illa hierarchia non eſſet terna, ſed quaterna; & ſic variaretur eius perfectio, quæ conſiſtit in numero ternario. Tum quia ſi pertinerent ad hierarchiam Angelicam, ob eandem etiam rationem poſſent pertinere ad ordinem. Si ſecundùm; ergo ille ordo immediatè coniungeretur Deo; & ſic omnes homines eſſent æquè ſuperiores, ac Seraphim. Præterea infima non reducerentur in Deum per media, vt docet *D. Dion*; quia homines non reducerentur in Deum per Angelos. Tum quia homines debent replere ſedes Angelorum;ſed ſedes Angelorum ſunt in ordinibus; ergo debent ſumi ad ordines.

9 Præterea ſi homines conſtituerent ordinẽ diſtinctum à nouem ordinibus Angelorum, eſſẽt in Empyreo duæ Eccleſiæ, ſeu ſocietates; vna Angelorum, alia hominum, quorum vnum Caput eſſet Chriſtus;ſed hoc eſt falſum; nam Chriſtus Dominus *Io.* 10. ait: *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*; vbi per *alias oues* intelligunt *multi* Angelos, qui non ſunt ex genere hominum; ex quibus ſimul, & hominibus fiet vnum ouile, ſicut eſt vnus Paſtor; ergo homines non conſtituunt ordinem diuerſum ab ordinibus Angelorum.

10 Tandem arguit *Fund. Doct.* Si ex parabola *decimæ drachmæ* argueretur eſſe decem ordines beatorum, ſequeretur, quòd etiam ex alia parabola adducta *Luc.*15. de centeſima oue, quæ perierat; vbi per centeſimam ouem intelligitur homo, deberent admitti centum ordines; nonaginta nouem Angelorum, & vnum hominum;ſed conſ.eſt falſum;ergo & ant.

11 Iſtæ igitur duæ parabolæ (inquit *Fund. Doct.*) ſic ſunt intelligendæ. Homines poſſunt conſiderari, vel quantùm ad indiuidua; vel quãtùm ad ſpeciem. Si conſiderentur primo modo; ſic figurantur per *decimam dracmam*, quæ ſignificat multitudinem; numerus enim denarius eſt numerus vniuerſitatem, & ideo multitudinem ſignificans; multitudo autem in hominibus non attenditur, niſi per indiuidua; quia penes naturas eſt vnitas; omnes enim homines ſunt vnum ſpecie. Dicitur autem hæc multitudo *decima dracma*, quia homines ſaluandi debent reparare ruinas Angelorum; & ex Angelis cecidit decima pars. Si verò conſiderentur ſecundo modo; ſic figurantur per centeſimam ouem; & Angeli beati per nonaginta nouem; nam Angeli beati omnes differunt ſpecie; & homines ſaluandi ſunt vnum ſpecie; non quòd Angeli, qui remanſerunt, ſint ſolùm nonaginta nouem; ſunt enim multò plures; ſed aſſumitur iſte numerus ad deſignandam maximam multitudinem Angelorum, qui longè excedent homines beatos in numero; ſicut nonaginta nouem excedit vnum; vnde hæc parabola proportionaliter eſt accipienda, non autem aritmeticè.

12 Quæres; an numerus hominum ſaluandorum ſit æqualis numero Angelorum, qui ceciderunt?

Reſp. *Fund. Doct*; quòd *Beatiſſ. P. in Enchir.* hanc difficultatem reliquit ſub dubio;aſſerit enim *c.*62;quòd numerus hominum ſaluandorũ

non

non erit minor numero Angelorum, qui ceciderunt: *Ex ipſa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. Et vtique nouerunt ſancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati ſunt, quanti ſunt, quãti numeri ſupplementum de genere humano integritas illius Ciuitatis expectet.* Et hoc colligit ex *Apoſt. Epheſ.* 1. dicens: *Propter quod ait Apoſt. inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in Cœlis ſunt, & quæ in terris. In ipſo quippe inſtaurantur, quæ in Cœlis ſunt, cùm id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur. Et in eod. lib. c.* 29. docet, quòd numerus hominum electorum fortaſsis erit maior numero Angelorum reproborum his verbis: *Itaque ſuperna illa Ieruſalem mater noſtra Ciuitas Dei nulla ciuium ſuorum* (idèſt Angelorum) *numeroſitate fraudabitur*; quia (ait ſuperiùs) natura humana reparara ſupplebit ruinã Angelorum, qui ceciderunt; *ſed vberiore etiam copia* (idèſt maiori hominum numero) *fortaſſe regnabit*. Hoc determinatè docet *D. Greg. apud Mag.* Cùm autem aſſerunt *aliqui SS. PP.* quòd homines reparabunt ruinam Angelorum; reſp. homines reparare ruinam cum exceſſu, non ad æqualitarem.

13 Obijc. 1. Illud, quod eſt in ordine ſenſibilium, nequit eleuari ad ordinem intellectualẽ; ergo homines, qui ſunt in ordine animalium, nequeunt eleuari ad ordinem Angelicum. 2. Magis diſtat homo ab Angelo, quàm Angelus vnius ordinis ab Angelo alterius ordinis; ſed Angelus vnius ordinis nequit eleuari ad ordinem alterius; ergo neque homo ad ordinem Angelorum. 3. Si animæ beatorum aſſumerentur ad ordines Angelorum, exercerent eorum officia propria illorum ordinum; ergo animæ beatorum eleuatæ ad infimum ordinem Angelorum deputarentur ad cuſtodiam hominum; & ſic de reliquis; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. ad 1. diſt. conſ. Homines nequeunt eleuari ad ordinem Angelorum per naturam, cõc; nunquam enim poſſent fieri Angeli in eſſe naturali; ad ordinem, idèſt ad officium Angelorum per gratiam, neg; ſicut enim plebeius poteſt ex gratia Principis eleuari ad officium nobilium; ita à pari. Ad 3. diſt. ma. Magis diſtat homo ab Angelo in eſſe naturæ, cõc; in eſſe gratiæ, neg; nam poteſt vnus homo habere æqualem gratiã, quam habet Seraphim; Cherubim autem illam nequit habere; quia homo habet diuturnã vitã, & poteſt ſibi augere gratiam, quam nequit augere Angelus, quia eſt in termino. Ad 3. neg. ant; nam officia Angelorum, licèt ſint ex gratia, fundantur tamen in prælatione naturæ; homo autẽ eſt inferior natura omnibus Angelis; ideo nequit ei competere exercere officia Angelorum. Quãuis ex Diuina diſpenſatione poſſit ei conuenire, vt refert *Beatiſſ. P. lib. de Cura agenda pro mortuis*; vbi ait, quòd *Petrus Apoſt.* miſſus eſt ad curandam *B. Agatham* exercendo officium Raphaelis.

§. I.

Soluuntur aliquot quæſita.

1 Supereſt agendum de aliquibus dubijs, quæ proponit *hic Fund. Doct.* quæ breuiter ſoluentur; quia de illis nullum eſt diſſidium *inter Theologos*.

2 Quæres 1; an ordines Angelorum bonorum poſt diem Iudicij ſint remanſuri?

Reſp. *Fund. Doct. in hac diſt.* 9. *q.* 3. *art.* 1. *dub.* 1 *lat*; quòd ordines Angelorum poſſunt cõſiderari tripliciter. 1. Quoad excellentiam naturæ, qua vnus Angelus eſt perfectior altero. 2. Quoad excellentiam gratiæ, & gloriæ; qua vnus eſt alio gratior, & beatior. 3. Quoad officia illis commiſſa, ſecundùm quæ habent procurare ſalutem hominum ſaluandorum. Si ſumantur primo, & ſecundo modo, certum eſt remanere poſt diem Iudicij; quia remanebit natura cum eadem perfectione naturali, & cum eadẽ gratia, & gloria, quæ nunquam auferetur ab Angelis; quia nunquam ceſſabunt eſſe Deo grati, & beati. At verò ſi ſumantur tertio modo, non remanent ordines; quia non erunt ampliùs homines in ſtatu viæ, & ideo eorum ſalus procurari non poterit; quapropter nec Angeli, aut Principatus cuſtodiam ampliùs exercebunt, nec mittentur Archãgeli ad annuncianda maxima myſteria ſpectantia ad hominum ſalutem; nec poteſtates ordinabunt operarios cuſtodes; aut coercebunt Dœmones, qui in inferno clauſi erunt; nec virtutes operabuntur miracula; nec Dominationes hæc, vt fiant, imperabunt; nec Throni iudicia promulgabunt; quia iudicia in futurum non erunt; nec Cherubim excipient ſecreta ſpectantia ad futuram hominum ſalutem; nec Seraphim illa reuelabunt illuminando; & colligitur hoc *ex* 1. *Cor.* 15; vbi de Chriſto Domino habetur. *Cùm tradiderit Regnum Deo, & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.* Idèſt cùm perducet Deo Patri fideles, tunc euacuabũtur &c; idèſt ceſſabunt Angelorũ ordines quoad officia ſibi commiſſa.

3 Quæres 2; an inter Dœmones ſint ordines?

Reſp. *Fund. Doct. ibid. dub.* 2; quòd ſi loquamur de ordinibus ſecundùm excellentiam gratiæ, & gloriæ, nullus eſt ordo inter Dœmones; quia gratiam per peccatum æternaliter amiſerunt; & gloria, quam ſtando poterant acquirere, priuati ſunt. Si loquamur de ordinibus ſecundũ excellentiam naturæ, in eis eſt ordo ſuperioris, & inferioris; quia naturalia, vt docet *D. Dion*; in ipſis remanſerunt integra. Si loquamur quoad officia, dicẽdum eſt quatuor ordines tantùm eſſe in Dœmonibus correſpondentes ſolùm quatuor ordinibus Angelorum ſanctorum; non enim in Dœmonibus poſſunt eſſe Seraphim; quia iſti nõ denominantur ab officio, ſed ab igne charitatis in Deũ, qui in Dœmonibus extinctus eſt ſuccedente propriæ fumo ſuperbiæ. Nec Cherubim, quia non eſt in eis plenitudo ſcientiæ radicatæ

in

in charitate, ſed ſcientia fundata in ſuperbia, quę inflat; & quanuis *Ezechiel.* 28. Sathã dicatur *Cherub extentus*; attamen dicitur *Cherub* à ſcientia radicata in natura. Nec poſſunt ibi eſſe Throni; quia in illis non habitat Deus per gratiam, & gloriam. Nec Dominationes, quæ ſunt liberæ ab omni tyrannide; in illis enim eſt captiuitas, & tyrannis. Nec virtutes; quia nequeunt immutare ordinem naturæ, aut vera miracula patrare, niſi accipiamus Virtutes; prout ſunt idem, ac Poteſtates; vt loquitur *D. Greg. apud Mag.*

4 Dicendum ergo in Dœmonibus eſſe Poteſtates, Principatus, Archidœmones, & Dœmones; ſicut in Angelis bonis ſunt Poteſtates, Principatus, Archãgelos, & Angelos. Colligitur hoc *ex Apoſt. Epheſ. vlt.* dicente: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in Cœleſtibus.* Nam ſicuti Poteſtates in Angelis bonis ſunt illi, qui ordinant operarios deſtinatos ad procurandam noſtram ſalutem; ita Poteſtates vocantur illi, qui ordinant operarios deſtinatos ad impediendam noſtram ſalutem. Sicuti Principatus in Angelis bonis ſunt illi, qui ſunt applicati ad procurandam ſalutem totius communitatis; ita in Dœmonibus ſunt illi, qui deſtinantur ad impediendam ſalutem totius nationis; & ſicuti in illis aliqui procurant maxima bona circa particulares perſonas, & vocantur Archangeli; ita in iſtis aliqui tentant ad maxima mala, & aptè vocari poſſunt Archidœmones; tãdem ſicut in illis aliqui intendunt minima bona, & dicuntur Angeli; ita in iſtis aliqui tentant ad minima mala, & appellantur Dœmones.

5 Obijc. 1. Diuerſitas ordinum in Angelis ſumitur ab inæqualitate gratiarum; ſed in Dœmonibus nulla eſt gratia; ergo nulla diuerſitas ordinum. 2. Ordines Angelorum ſibi vendicant diuerſum locum; ſed vnus, & idem locus Dęmonum eſt iſte aer caliginoſus vſque ad diem Iudicij, & poſt illum erit infernus; ergo & vnus tantùm ordo in Dęmonibus. 3. *Iob.* 16. dicitur, quòd in inferno, aut terra tenebroſa eſt *nullus ordo*; ergo malè aſſignantur ordines in Dœmonibus.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Diuerſitas ordinum ſumitur ab inæqualitate gratiæ, & officiorum; & ſecundùm inæqualitatem officiorum tantùm in Dœmonibus, conc; tantùm ab inæqualitate gratiæ, neg. Ad 2. neg. ma; nam in Cœlo Empyreo ſunt diuerſi ordines, & tamen eſt vnus locus omnium. Arg. ergo æquiuocat de ordine ſituali, qui eſt inter loca, & de ordine entitatiuo, qui eſt inter ſubſtantias. Ad 3. dicitur, quòd non eſt ordo quantùm ad ſolatium, ſed tantùm quantùm ad pœnam; vt mox dicemus.

6 Quæres 3; an in Dęmonibus ſit Prælatio? Reſp. *Fund. Doct. ibid. in reſol. dub. 3. lat. & diſt. 6. q. 2. art. 3.* affirmatiuè; nam ſicuti in Angelis bonis Prælatio ſumitur ex ordine naturæ,

Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom. 3.

gratiæ, gloriæ, & officiorum; ita in ſpiritibus malis ſumi poteſt Prælatio ex ordine naturæ, Diuinæ Sapientiæ, Diuinæ Iuſtitiæ, & ex peruerſitate nequitiæ, & malitiæ ipſorum.

7 Prob. ſic. Vbicunque datur ſuperioritas, & inferioritas in natura, ibi datur Prælatio, & ſubiectio; homo enim præeſt brutis, quia habet ſuperiorem naturam; ſic leo alijs animalibus &c; ſed in Dœmonibus datur ſuperioritas, & inferioritas in natura, quia Dœmones differunt ſpecie; & quæ differunt ſpecie, ſunt inęqualia in natura, ſe habent enim ſicuti numeri, quorum vnus eſt ſuperior alio; quia vnus eſt alij inæqualis; ergo datur Pręlatio in Dęmonibus ratione naturę.

8 Secundum prob. Diuina Sapientia nedũ ordinat bona, quæ facit, ſed etiam mala, quę permittit; quatenus ex malis elicit bona ipſorum electorum; ſed ex eo, quòd vnus Dœmon præſit alteri ipſum adiuuando in tentatione iuſtorum, reſultat maius bonum electorum; qui habent maius meritum ex eo, quòd grauiùs, & fortiùs tententur; ergo datur Prælatio in Dœmonibus ex ordine Diuinæ Sapientiæ ordinantis illam Prælationem ad maius bonum iuſtorum.

9 Tertium prob. Prælatio in Dœmonibus ſpectat ad pœnam propriæ ſuperbiæ; nam præeſſe inordinatè, ſcilicet per ordinem ad malum, nõ ad bonum, eſt pęna ipſi prælato; ſicut præeſſe ordinatè ad aliquod bonum eſt ſuaue; tum quia ſicut præeſſe in Angelis bonis reſultat eis ad gloriam, quod præeſſe conſecuti ſunt ex gratia; ita præeſſe in Dœmonibus reſultat eis ad pęnam, quam conſecuti ſunt per culpam; ſed in Dœmonibus eſt pœna propriæ ſuperbiæ ex Diuina iuſtitia; ergo & prælatio.

10 Quartum prob. Homines mali ſe vniunt potentioribus, vt poſſint exercere ſuam malitiã; potentiores autem præſunt inferioribus; ergo hoc idem dicendum de Angelis malis.

11 Obijc. 1. Prælatio in Angelis ſumitur ſecundùm illuminationem; ſed vnus Dœmon non illuminat alium; ergo in illis non eſt Prælatio. 2. Vbi non eſt obedientia, non eſt Prælatio; ſed in Dœmonibus non eſt obedientia; quæ nequit eſſe inter ſuperbos, inter quos ſolùm ſunt iurgia; ergo neque Prælatio. 3. *Ex Beatiſſ. P.* 19. *de Ciu. Dei c.* 15. *Prima cauſa ſeruitutis eſt peccatum*; ergo qui magis eſt peccator, magis eſt ſeruus; & ideo ſi daretur Prælatio inter Dœmones, ſequeretur, quòd Lucifer eſſet ſubditus inferioribus Angelis, quia magis peccauit; & ſic non eſſet Prælatio ordine naturæ; nam inferior natura præeſſet ſuperiori.

Reſp. ad 1. diſt. ma. In Angelis bonis, conc; in Angelis malis, neg; in iſtis enim ſumitur eo modo, quo dictũ eſt; nec requiritur illuminatio, ſed ſufficit locutio cum ſuperioritate naturæ. Ad 2. diſt. mi. Nõ eſt obediẽtia in ordine ad malum, quod cupiunt ex ſua ſuperbia, qua vellet omnes alios eſſe ſe ipſis miſeriores, neq; in ordine ad

bonum, conc. Ad Prælationem autem Dœmonũ ſufficit obedientia primo modo. Ad 3. dicitur, quòd peccatum eſt prima cauſa ſeruitutis per ordinem ad proprium appetitum,cui ſeruit peccator,& cui peccando fit ſeruus; non autem per ordinem ad aliam perſonam.

12 Quæres 4; an Lucifer fuerit ex ordine ſupremo, & ſupremus inter omnes ordinis ſupremi?

Reſp.*Fund.Doct.diſt.6.q.1.art.1.* affirmatiuè; & prob. *Iſaia* 14; vbi de illo dicitur: *Cedri* (idèſt Angeli)*non fuerunt altiores illo,abietes non adæquabantur ſummitati illius;omne lignũ Paradiſi non eſt aſſimilatum illi, quoniam pretioſiorem fecit illum Dominus; & Ezechiel.*28. *Omnis lapis pretioſus operimentum eius*; idèſt omnis perfectio aliorum Angelorum in ipſo tanquam in magis perfecto congregabatur.Præterea *Iſaiæ* 14.dicitur *Lucifer*; idèſt anteſignanus lucis, & decoris. *Et Iob.*40.*Ipſe eſt principium viarum Dei.* Prob. autem hoc *Fund.Doct.*1.per ordinem ad Deum. Lucifer peccauit per ſe ipſum innixus propria excellentia;cæteri verò Dœmones peccarunt innixi exemplo Luciferi; ergo Lucifer non habuit ſuperiorem,in perfectione naturali; ſi enim habuiſſet ſuperiorem, vidiſſet ſe non eſſe magis perfectum;& ideo non potuiſſet peccare iudicãdo ſe ſuper omnia; ſicut non peccauerunt Dœmones inferiores, qui ſolùm peccauerunt exemplo Luciferi inordinatè propriam excellentiam amando; quapropter dicitur *in Apoc. Draconem traxiſſe tertiam partem ſtellarum*; ergo fuit perfectior inter Angelos ſupremos. 2. Lucifer peccauit appetendo excellentiam ſuper omnia inordinatè ad Deum;ergo cognouit ſe eſſe perfectiorem omnibus Angelis; habuit enim cognitionẽ claram,& certam rerum naturalium; & ideo verè erat omnibus perfectior.

13 Obijc. 1. *Ezechiel.* 28. Lucifer vocatur *Cherub*; ſed Cherub non eſt de ordine ſupremo; ergo nõ eſt perfectior Angelus. 2.*D.Dam.lib.*2. *de Fid.c.*4.ait Diabolum eſſe de illis, qui præſtãt terreſtri ordini. 3.Omnes Angeli fuerũt ad beatitudinem ordinati; ſed non eſt credibile, quòd Deus permiſerit perfectiorem Angelum cadere; & perfectiſsimam creaturam fruſtratam eſſe ſua beatitudine; ergo Lucifer non fuit ex primo ordine. 4.Quò ſuperior fuit Angelus, eò minùs habuit de incitatione ad peccatum; ſed Lucifer magis habuit de incitatione ad peccatum; ergo non fuit ſupremus.

Reſp.*Fund.Doct*; quod nomen Seraphim eſt nomen dictum à gratia, & charitate in Deo, quam Lucifer amittendo amiſit & nomen; retinuitque ſolùm nomen Luciferi, quod eſt nomen dictum à naturalibus, quæ in ipſo erant magis ſplendida, vtpotè perfectiora, quàm in alijs Angelis. Dictus eſt autem *Cherub*; quod ſignificat ſcientiam; quia enim ſcientia ſine charitate inflat;ideo ad oſtendendam illius ſuperbiam dictus eſt Cherub, idèſt habens ſcientiam inflantem, ſeu fundatam in ſuperbia. Ad 2. dicitur Diabolum, ex quo cecidit, præfectum fuiſſe terreſtribus;quia detruſus eſt in pœnam peccati in hanc partem inferiorem ad tentandos homines. Vel dicitur præeſſe terreſtribus mediatè;vel non cõſtare *D.Dam.*loqui in propria ſententia,vel aliena. Ad 3. dicitur Angelos fuiſſe ordinatos inefficaciter ad beatitudinem in oſtenſionem miſericordiæ,vel in pœnam in oſtenſionem iuſtitiæ.Sic igitur diſtincta ma.neg.mi;quia condidit creaturam inter bonum, & malum; & ideo ſicuti ſtanti in ea bonitate, in qua condita erat, non poterat gratiam negare; ita ſe auertenti debuit permittere lapſum.Ad 4.neg.mi; nam Lucifer peccauit ex propria libertate,qua voluit Deum deſerere, & deſertus eſt.

QVÆSTIO XI.

De Miſsione Angelorum.

SAepe diximus *in ſup.q.*Angelos mitti ad nos de Cœlis ad promouendum bonum noſtræ ſalutis, & ad impugnandos,ac coercendos Dœmones,qui nobis inſidiando perditionem æternam moliri conantur;præterea Angelos deputari tum ad noſtram cuſtodiam, tum ad cuſtodiam Regnorum, & Regum;Communitatum,& Principum;de quo *inf.*nunc videndum eſt,an Angeli verè mittantur, & quinam ſint,qui mittuntur; quod breuiſſimè expedicmus;etenim de ſe ſunt manifeſta, quæ ſumus dicturi, ideoque longa declaratione non egent.

ART. I.

An Angeli verè mittantur?

1 MIſſio,vt diximus *to.*2. *de Trin.q.*10. *art.* 1; importat in mittente operari per aliam perſonam; & in miſſo importat operari per virtutem,& poteſtatem acceptam ab alio;quapropter in Diuinis Filius dicitur mitti à Patre, quia cùm ab illo accipiat naturam, accipit quoque virtutem operatiuam, quæ eſt paſſio naturæ Diuinæ; & ſic Spiritus S. à Patre, & Filio. Pater autem nullo modo poteſt mitti à Filio, & Spiritu S; quia cùm ab illis non accipiat eſſe, neque accipit virtutem,aut poteſtatem. Cùm ergo Angeli accipiant eſſe à Deo, & poteſtatem operãdi, nec non officium gubernandi creaturas terrenas,& præcipuè hominem, propter quem creaturæ corporeæ factæ ſunt; ideo illis maximè competit mitti. Igitur.

2 Vnica concl.Angeli verè mittuntur. Eſt de Fide;habetur enim *Tob.*12.*Miſit me Dominus,vt curarem te, & Sarã vxorem filij tui;& Exod.*23.

Ecce

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via; & Hebr. 1. Quoniam omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis; ſuper quod *Beatiſ.P.lib.de Dilig.Deo;ſeu Medit. lib.alio* ait: *Ipſique Angeli in quibuſdam Scripturæ locis nobis ſeruire dicuntur, dum propter nos in miniſteriam mittuntur;* quod alibi frequentiſſimè legitur. Et ratio etiam id ſuadet; nam vt diximus; & eſt doctrina *Beatiſſ.P. lib.2.de Trin. c.12;* Angeli verè accipiunt virtutem operatiuam, & auctoritatem, ſeu poteſtatem operandi circa homines, & alias creaturas tum cœleſtes, quas mouēt, tum terreſtres, quas cuſtodiunt, vel circa quas operantur; ergo Angeli verè mittuntur.

3 Prob. *ex Fund.Doct.* 1. Homines maximè indigēt cuſtodia, & tutela Angelorum, vt defendantur à Dæmonibus, à quibus continuò impetuntur; & ab aduerſitatibus temporalibus, à quibus grauiſſimè opprimuntur; & vt promoueantur ad bona ſempiterna, ad quæ à Deo ſunt ordinati; non enim homines per ſe ipſos iſta omnia poſſunt exequi æquè facilè, ſicut exequuntur ſub præſidio Angelorum; ſed Diuina prouidentia nō deficit in neceſſarijs; ergo Angeli à Deo verè mittuntur ad cuſtodiam, & tutelam hominum.

4 Prob. 2. Congruum eſt, quòd Ciues eiuſdem Ciuitatis videntes oppreſſionem aliorum, cum quibus debent viuere cum ſancta ſocietate, mittantur à Principe ad illos adiuuādos, & ſubleuandos; ſed Angeli ſancti ſunt ciues Ciuitatis *Ieruſalem*, cuius etiam homines prædeſtinati sūt conciues victuri in ſancta ſocietate cum illis, ergo congruum eſt, vt Angeli mittantur.

5 Prob. 3. Si Angeli non mitterentur à Deo ad homines adiuuandos, maximè, quia Deus per ſe ipſum ſolum homines adiuuaret; ſed conſ. eſt falſum ſecundùm ordinem, quem videmus, ſecūdùm quem Deus ſinit creaturas ſuperiores agere in inferiores, & infima reducere in Deum per media, ſicut media per ſuprema; ergo Angeli verè mittuntur.

6 Prob. 4. De ratione perfectionis Vniuerſi eſt, quòd eius partes connectantur eo modo, quo poſſunt, & decet; aliter Vniuerſum non eſſet vnū; vnitas enim illius deſumitur ex connexione partium; ſed maxima vnio eſt illa, qua vnum operatur in aliud; vnio autem ſitualis eſt tantùm ſecundùm ſuperficiem; vnio autem ſecundùm operationem fit intimè, & profundè ſecundùm intima ipſius rei; ergo ratio perfectionis Vniuerſi exigit, vt Angeli, qui ſunt partes perfectiores Vniuerſi, operentur in creaturas inferiores; ſed nullum agens poteſt operari in diſtans; ergo Angeli verè mittuntur ad operandum in his inferioribus; aliter non operarentur.

7 Prob. 5. Miſſio Angelorum ad nos maximè commendat ſummam Dei potentiam, & auctoritatem, quæ appropriatur Patri; potentia enim Regis maximè commendatur ex eo, quòd operetur mediantibus excellentiſſimis, & nobiliſſimis miniſtris; & ſic ex eo, quòd Deus operetur per Angelos, qui ſunt excellentiſſimæ, & nobiliſſimæ creaturæ, maximè cōmendatur Dei potētia; ita cōmendatur Diuina Sapientia, quæ appropriatur Filio, & creaturas inferiores reducit per medias; & ideo homines reducit in Deū per Angelos; & maximè commendatur bonitas, quæ appropriatur Spiritui S; maximum enim argumentum eſt Diuinæ dilectionis erga nos, quòd tam nobiles, & ſublimes creaturas, vt ſunt Angeli, deputet ad noſtram cuſtodiam, & tutelam; ergo Angeli verè mittuntur.

8 Aduert. tamen hanc eſſe differentiam inter miſſionem Diuinarum Perſonarum, & miſſionem Angelorum; quòd Diuinæ Perſonæ mittūtur abſq; vlla mutatione facta in illis perſonis; ſolæ enim creaturæ, ad quas mittūtur, mutātur; at verò miſſio Angelorū importat in Angelis miſſis ſemper aliquam mutationem vel entitatiuam; vt cùm illuminant alios Angelos, quos antea non illuminabant; tunc enim mittuntur, quia incipiūt eſſe in illo loco, non quidem vbi non erant, ſed qualiter non erant, antea nāq; non erant illuminantes; cùm autem fiunt illuminantes, intrinſecè mutantur, ſicut etiam mutantur Angeli illuminati; vel mutationem localem; vt cùm mittuntur ad locum, vbi non erant, v.g. cùm deſcendunt ad nos de Cœlis in terras.

9 Obijc. 1. Tunc non mittitur nuncius, quādo præſens eſt Dominus; ſed Deus eſt vbiq; præſens omnibus; ergo non mittit nuncios ad aliquam creaturam; & ideo Angeli non mittuntur à Deo. 2. Miſſiones Diuinarum perſonarum ſufficiunt ad peragenda, quæcunque pertinent ad noſtram ſalutem; ſed Deus Pater ſemel miſit viſibiliter Filium ad nos redimendos; & ſimul Pater, & Filius miſerunt viſibiliter Spiritum S; inuiſibiliter autem vterque mittitur continuò per gratiam, & charitatem; ergo ſuperflua eſt miſſio Angelorum. 3. Cœlum Empyreum eſt locus pertinens ad dignitatem perſonarum, quæ illud habitant; ergo contra dignitatem Angelorum eſt; quòd mittantur à Cœlo Empyreo in terras; tunc enim deſinerent eſſe in Cœlo Empyreo, & ſic amitterent dignitatem loci. 4. Miniſtrare eſt inferioris naturæ; ſed Angeli ſunt naturæ ſuperioris; ergo eis nequit competere mitti in miniſterium hominum.

Reſp. ad 1. neg. ma; quanuis enim Rex ſit præſens omnibus illius Ciuitatis, in qua ſedem habet; attamen poteſt agere per nuncios, ſeu per alios, quæ tamen poſſet agere per ſe ipſum, ſi vellet. Sic Deus, quanuis poſſet agere omnia per ſe ipſum, quia præſens eſt omnibus, attamen vult agere per ſuas creaturas, ne ſint otioſa opera, quę fecit. Ad mi. diſt. Eſt præſens omnibus ſecūdùm indiſtantiam localem, conc; ſecundùm qualitatē præſentiæ. Quanuis enim Deus ſit præſens omnibus, quatenus Auctor naturæ producens,

& conſeruans omnia in eſſe naturali;non tamen eſt præſens omnibus, vt Auctor gratiæ, & ideo debet mittere ad gubernãdas creaturas, vt reducantur ad gloriam.*Vid.in 1.Sent.to.1. de Immenſit.art.6.*Ad 2.dicitur hoc tollere omnem efficiẽtiam à rebus; quia Deus ſe ſolo eſt ſufficiens ad producendas omnes res, & tamen aliquas producit mediantibus creaturis; ita licèt ſe ſolo ſit ſufficiens ad ſaluandos homines; attamen vtitur Angelis cooperantibus ad illorum ſalutem.Diſt. igitur ma. Sufficiunt, & non decet mitti etiam creaturas,neg; nam decet Diuinam poteſtatem, ſapientiam,& bonitatem,vt *ſup.* dictum eſt; ſufficiunt, & decet etiam mitti creaturas, vt ſaluetur earũ efficientia,& magnitudo Maieſtatis Dei,Sapientiæ &c; conc. Ad 3. diſt. ant. Empyreum eſt locus pertinens ad dignitatem perſonarũ quoad ius ordinarium illud poſſidendi,conc; quoad tẽporancam habitationem, neg. Quanuis enim palatium Regis ſpectet ad dignitatem ipſius Regis; attamen non eſt contra dignitatem ipſius, quòd aliquando exeat alicuius negotij cauſa. Ad 4.dicitur Angelos eſſe miniſtros Dei, non enim obediunt nobis,ſed Deo; nobis autem dicuntur miniſtrare,quatenus ea,quæ conducunt ad noſtram ſalutem, ex imperio Dei, aut etiam ex propria bonitate nobis impartiuntur; vnde potiùs tutores,fautores,cuſtodes appellãtur,quàm miniſtri.

ART. II.

An omnes Angeli mittantur?

1 Ratio dubitandi eſt; nam vt dictũ eſt *in ſup.q;* Angeli alij ſunt aſſiſtentes, alij miniſtrantes,qui diuiduntur in Præpoſitos,& operarios;diximus autem *ibid.*ſolos operarios de Cęlis in terras mitti;quod probauimus exemplo Potentatus terreni, qui habet apud ſe aliquos familiares nunquam deſerentes latus ipſius;alios Præpoſitos negotijs totius Regni, qui non mittuntur ad partes particulares Regni;& alios operarios,qui deſtinantur, & mittuntur ad diuerſas partes Regni ad exequenda Regis mandata per Præpoſitos,& familiares accepta. Hinc *D. Dion.* loquens de Angelis aſſiſtentibus Deo ait; quòd *ſemper ſtant in veſtibulis Dei*; ex quo videtur, quòd non omnes Angeli mittantur. E contrario eſt auctoritas *Apoſt.Hebr.1.* dicentis: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi; & Iſaiæ 6. Volauit ad me vnus de Seraphim*; Seraphim autem procul dubio ſunt ex numero Angelorum aſſiſtentium; ex quo deducitur omnes Angelos mitti.

2 Propter hęc *aliqui apud Fũd. Doct. hic in reſol.dub.1.*ſuppreſſo nomine citati dixerunt,quòd licèt aliqui Angeli ſint aſſiſtentes ex officio;attamen ex aliqua cauſa ſuborta ſpeciali delegatione mittuntur.*Sed pro huius deciſ.*

3 Not. id,quod diximus *in ſup. art;* ſcilicet miſſionem Angelorum aliam eſſe, qua mittitur, vbi non erat;& alia, qua mittitur, qualiter non erat. Miſſio,qua Angelus mittitur, vbi non erat, eſt, qua mittitur ad nos; certum enim eſt, quòd Angelus non eſt vbique, ſicuti eſt Deus;& cùm operatur circa nos, eſt in loco circa nos,in quo, antequam operaretur,non erat; vnde Angeli ad nos miſſi deſcendunt de Cęlis in terras,nõ enim poſſunt in diſtans operari; & ideo mittuntur,vbi non erant. Miſſio autem, qua Angelus mittitur, qualiter non erat, eſt, qua mittitur ad alios Angelos inferiores, quos antea non illuminabat,& poſtea mittitur ad illuminandum;cùm enim miſſio ſit operari per virtutem, & auctoritatem acceptam ab alio;cùm Angelus ſuperior illuminat inferiorem per virtutem illuminatiuam,& poteſtatem acceptam à Deo, tunc ad illum dicitur mitti.*Hoc not.*

4 Vnica concl.Omnes Angeli mittuntur,vel miſſione,qualiter non ſunt;vt Angeli aſſiſtentes; vel miſſione, vbi non ſunt, vt Angeli inferiores.

Prob.1. *Lex Diuinitatis ex D. Dion. eſt reducere infima in Deum per media*; ſed hæc reductio non fit,niſi quia Angeli ſupremi illuminant medios,& medij infimos; & infimi illumināt homines ſuæ cuſtodiæ commiſſos, qui per talem illuminationem reducuntur in Deum,adeoque ad vnum ordinem Angelorum; ergo ſupremi illuminant medios,& medij infimos;atqui Angeli illuminantes alios Angelos abſque eo, quòd è Cœlo deſcendant,dicuntur miſſi miſſione, qualiter non ſunt;& Angeli illuminantes homines dicuntur miſſi, vbi non ſunt; ergo omnes Angeli mittuntur vel miſſione,qualiter nõ ſunt; vel miſſione,vbi non ſunt.

5 Prob.2.*ex Fund.Doct.* euertendo ſententiam contrariam. Si ex aliqua cauſa ſuborta mitterentur etiam Angeli aſſiſtentes, vbi non erant, eo modo, quo Rex in aliquibus cauſis grauiſſimis mittit vnum ex ſuis familiaribus, aut etiam vadit ipſe Rex; vel hoc eſſet ratione diſpoſitionis ipſorum ordinum; vel quia Angelus inferior non poſſet exequi id,quod Deus vult; vel quia ita expediret ex parte hominis; ſed neutrum dici poteſt; ergo Angeli aſſiſtentes mittuntur ſolũ ad Angelos inferiores, qualiter non ſunt; non autem vbi non ſunt;hoc enim competit ſolis Angelis infimæ hierarchiæ. Ma. patet; quia nullum aliud videtur excogitabile. Prob.mi.Non ratione diſpoſitionis ipſorum ordinũ; quia diſpoſitio ordinum exigit potiùs, vt Angeli ſupremi nunquam mittãtur,vbi non ſunt;quia exigit, vt omnia exequantur per Angelos exequentes,qui ſũt inferiores;vt *ſup.*dictum eſt. Non ratione impotentiæ Angelorum, quia Angeli infimi minima nõciãt; Archangeli verò maxima; non eſt autem aliqua cauſa maior maxima; aliter maxima non eſſet maxima;quia maximum eſt ſupra maius,nõ autem maius ſupra maximum. Neque quia expedit nobis;nam cùm non ſint nobis noti Angeli,qui mittuntur;quia eos non videmus;ideo nobis

bis non expedit, quòd potiùs illi, quàm iſti mittantur; ſufficit enim illos, qui mittuntur, habere ſufficientes vires ad nos conuertendum, & conſeruandum in bono; ergo nulla eſt ratio dicendi etiam Angelos ſupremos mitti ad nos ob aliquam cauſam ſpecialem ſubortam.

6 Conf. Nulla cauſa maior, aut nullum bonum excellentius poteſt eſſe, quàm Incarnatio Verbi Diuini; ſed huic fuit ſufficiens vnus ex Archangelis; patet enim ex Fide illam annunciaſſe Gabrielem; ergo ob quaſcunque cauſas ſubortas ſufficiunt Angeli, vel Archangeli, ſi ſint circa particulares perſonas; vel Principatus, ſi ſint circa communitates; & ideo nulla eſt neceſſitas mittendi Angelos ſupremos.

7 Ad 1. rationem dubitandi dicitur, quòd *Apoſt.* vult omnes Angelos tanquam miniſtros Dei eſſe miſſos illuminando vel Angelos, qualiter non erant; vel homines, vbi non erant. 2. Dicitur omnes Angelos illuminare homines, ideoque illis miniſtrare vel immediatè per ſe ipſos, vt infimi, vel mediatè per alios, vt ſupremi. 3. Dicitur *Apoſtolum* loqui de omnibus Angelis tertiæ hierarchiæ ſolùm, non verò de omnibus Angelis ſimpliciter; vult enim oſtendere excellentiam nouæ legis, quæ data eſt per Filium Dei ſuper excellentiam veteris legis, quæ data eſt per Angelos, quos vocat ***omnes adminiſtratorios ſpiritus***; & facit ſenſum, quòd omnes illi Angeli, qui dederunt legem veterem, omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus; non tamen ex hoc ſequitur omnes Angelos ſimpliciter eſſe adminiſtratorios. Sicut omnes promulgantes legem Regis ſunt miniſtri Regis; non tamen valet, quòd omnes miniſtri Regis ſint promulgantes legem ipſius.

8 Ad 2. reſp. ***Fund. Doct. hic ad*** 1. Angelum miſſum ad *Iſaiam* fuiſſe vnum ex Angelis infimis, qui dictus eſt Seraphim ratione actionis, ad quam deſtinatus fuerat, miſſus enim fuerat ad accendenda labia *Iſaiæ*; Seraphim autem dicitur ab accendere. Vel dictus eſt Seraphim, quia operatus eſt in virtute Seraphim, cuius proprium eſt inflammare.

ART. III.

An Angelorum miniſteria impediant viſionẽ Dei?

1 DVbium hoc proponit ***Fund. Doct. hic dub. lat.***2; ſed quia illud reſoluimus *q.4.art.*7; vbi oſtendimus Angelum poſſe intelligere plura per modum plurium ſecundũ diuerſas rationes; & vnam cognitionem non impedire, ſed perficere aliam; ideo paucis nos expediemus.

2 Vnica concl. Angeli miniſtrantes in nullo impediuntur, aut retardantur à viſione Dei.

Prob. 1. *ex Matt.* 18; vbi Chriſtus Dominus de Angelis Cuſtodibus ait: ***Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in Cœlis. Et Beatiſſ. P. lib.4. ſuper Gen. ad lit. c.29.*** docet Angelos ſimul contemplari Deum, & creaturas in ſe ipſis & ex ipſis in laudem Dei exurgere: *Nunquid tamen dicet, aut ſi quiſquam dixerit, audiendus eſt, illam cæleſtem in Angelorum millibus Ciuitatem, aut non contemplari Creatoris æternitatem, aut mutabilitatem ignorare creaturæ, aut ex eius quoque inferiore quadam cognitione non laudare Creatorem? Simul hoc totum poſſint, ſimul hoc totũ faciant; poſſunt tamen, & faciũt.* Et ratio eſt. Quotieſcunque aliqua operatio eſt cauſa, aut ratio alterius operationis, tunc ſecunda operatio non impedit, aut retardat primam; ſicuti quia viſio corporalis eſt cauſa dirigens manum ad ſcribendum; ideo ſcriptura non impedit, aut retardat viſionem; ſed viſio beata eſt cauſa illuminationis, purgationis, & perfectionis, quibus Angeli cuſtodes miniſtrant nobis; illuminant enim, purgant, & perficiunt nos ſecundùm ea, quæ vident in Diuina eſſentia per viſionem beatam; vt ſuperiùs diximus *ex D. Dion*; ergo miniſteria Angelorum illos non impediunt à viſione beata.

3 Conf. Si Angeli cuſtodes impedirentur à viſione beata per eorum miniſteria, ſequeretur, quòd etiam Seraphim impedirentur ab illuminatione, qua illuminãt Cherubim, & ſic de Cherubim reſpectu aliorum, ac de alijs per ordinem; ſed conſ. eſt falſum; aliter neque Angeli, qui ſunt in Cœlo, ſemper viderent faciem Dei; ergo & ant. *Vid. vbiſ.*

4 Obijc. Multa agunt Angeli circa noſtram cuſtodiam, ad quæ diriguntur per ea, quæ vident in proprio genere, non autem per ea, quæ vidẽt in Deo per viſionem beatam; nam vt habetur *Dan.* 10; Princeps Regni *Perſarum* reſtitit *Gabrieli* viginti, & vno diebus, quod non feciſſet, ſi vterque iſtorum Angelorum vidiſſet in Deo voluntatem ipſius; ergo ratio allata non concludit vniuerſaliter.

Reſp. neg. ant; quamuis enim videant etiam aliquas res in proprio genere; attamen quia illas vident in Deo clariùs, & perfectiùs; ideo regulantur per viſionem beatam. Ad prob. infert. dicitur, quòd Princeps *Perſarum* reſtitit, quia nõ videbat in Deo volũtatem ipſius, quouſque fuit illuminatus ab Angelo ſuperiori; & tunc ceſſit; non tamen regulabatur per cognitionem rerum in proprio genere, ſed per viſionem beatam; videbat enim in Deo, quòd per moram *Iudæorum* inter gentes *Perſarum* multi *Perſæ* incitabantur ad bonum; & ideo retardabat liberationem *Iudæorum*; vel videbat multos malos *ex Iudæis*, & intendebat anguſtijs illis eos conuertere. E contra verò *Gabriel* videbat in Deo orationes *Danielis* eſſe exaudiendas, & ideo volebat liberationem eorum; quare vterque intendebat facere voluntatem Dei; quæ tamen, quia non erat nota Angelo *Perſarum*, ideo retardabatur. *Vid. Fund. Doct. vbiſ.* affert enim alias rationes, ob quas vna cognitio non impedit aliam; quas quia tetigimus *vbiſ.* ideo ad alia tranſimus.

Q V Æ S T I O XII.

De Cuſtodia Angelorum.

MIſſi Angelos à Deo in terras ad nos cuſtodiendum viſum eſt *in ſup. q;* videndum ſequitur id, quod ſpectat ad munus nos cuſtodiendi; de quo agit *Fund. Doct. in hoc 2. ſent. diſt. 11. q. 1; & 2. per totam.* Breuiter pariter omnia, quæ *ibid.* traduntur, complectemur, quia nihil controuerſiæ inuexerunt *in Scholas.*

ART. I.

An Angeli ad cuſtodiam hominum ſint deputati?

1 CVſtodia Angelorum in duobus præcipuè conſiſtit, vt aduertit *Fund. Doct. hic ad 4;* ſcilicet *in retrahendo hominem à malo, & inducendo ipſum ad bonum;* & licèt hoc principaliter intelligendum ſit de malo culpæ, quod nos priuat vita æterna; & de bono ſalutis æternæ, ad quod nos dirigunt Angeli cuſtodes; attamen ex conſequenti intelligendum eſt de malo etiam temporali ſiue animæ, ſiue corporis, quatenus indirectè nos poteſt diſponere ad malum culpæ, aut pœnæ æternę; & ſic de bono temporali, quatenus nos poteſt diſponere ad bonum æternum.

2 Supp. *cum Fund. Doct. in hac diſt. 11. q. 1. art. 1;* quòd ſicut Deus poſſet ſine cauſis ſecundis producere ſe ſolo omnes effectus, qui fiunt in Mundo; attamen quia non vult eſſe otioſas creaturas, quæ ſunt opera ſua, ideo ſimul cum illis producit effectus, quos fieri videmus per propagationem materiæ in initio à Deo creatæ. Ita à pari dicendum eſt de Diuina prouidentia, quæ licèt ſe ſola poſſet ſaluare homines, & reducere in conſecutionem finis ſupernaturalis, qui eſt gloria; attamen quia non ſinit eſſe otioſas ſuas creaturas, ideo diſpoſuit, vt homines reducerentur in Deum, qui eſt vita æterna per creaturas ſuperiores, quæ ſunt Angeli. Hoc totum habetur *Sap. 14;* vbi dicitur: *Tua autem Pater prouidentia gubernat; quoniam dediſti & in mari viam, & inter fluctus ſemitam firmiſsimam, oſtendens, quoniam potens es ex omnibus ſaluare, etianſi ſine rate aliquis adeat mare, ſed vt non eſſent vacua Sapientiæ tuæ opera; propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas ſuas; & tranſeuntes mare per rates liberati ſunt.* Suppoſito igitur hoc ordine prouidentiæ, qui de facto eſt, & ſinit creaturas dirigi per creatùras, quærimus, an Angeli ad hominum cuſtodiam ſint deputati; *pro cuius deciſ.*

3 Vnica concl. Angeli ad cuſtodiam hominum à Deo deputantur. Eſt de Fide; habetur enim *pſ. 90. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis; & Deut. 32;* vbi nos legimus: *Conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael;* alia litera habet: *Statuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei;* quod *Gloſ.* intelligit de Angelis ad cuſtodiã deputatis; *& Matt. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris &c;* quod pariter *Gloſ.* explicat de Angelis ad cuſtodiam paruulorum deputatis.

4 Prob. autem *à Fund. Doct.* ratione deſumpta *ex Beatiſſ. P. lib. 3. de Trin. c. 4;* vbi ait: *Sed quemadmodum corpora craſsiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritũ vitæ, & ſpiritus vitæ irrationalis per ſpiritum vitæ rationalem, & ſpiritus vitæ rationalis deſertor, atque peccator per ſpiritum vitæ rationalem pium, & iuſtum, & ille per ipsũ Deũ, ac ſic vniuerſa creatura per Creatorẽ ſuum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita, atque inſtituta eſt, ac per hoc voluntas Dei eſt prima, & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum, atque motionum.* Quibus clarè deſcribit id, quod docet *D. Dion;* ſcilicet quòd *Lex Diuinitatis eſt reducere in Deum inferiora per ſuperiora.* Ex quo ſic. Ordo naturæ à Diuina prouidentia ſtatutus exigit, vt inferiora regantur per ſuperiora; videmus enim, quòd corpora ſublunaria reguntur, & conſeruantur per corpora cęleſtia; & corpora cęleſtia mouentur per Angelos; & ſpiritus vitæ irrationalis corporum per ſpiritũ rationalem; & ſpiritus vitæ rationalis per ſpiritũ purum, vt eſt Angelus; & tandem Angelus per Deum; ergo ex ordine Vniuerſi clarè colligitur Angelos fuiſſe deputatos ad hominũ cuſtodiã.

5 Prob. 2. *à Fund. Doct. §. Tertia via* alia ratione deſumpta *ex Beatiſſ. P. lib. de Dilig. Deo,* ſeu *Medit. lib. alio;* vbi poſtquam *c. 2.* dixit: *Deus fecit creaturam rationalem, quæ ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur; eamque hoc modo diſtinxit; vt pars ſui puritate permaneret, nec corpori vniretur, ſcilicet Angelus; pars corpori iungeretur, ſcilicet anima. Diſtincta eſt igitur rationalis creatura in incorpoream, & corpoream, incorporea Angelus, corporea verò homo vocatur ex anima rationali, & carne ſubſiſtens.* (Ex quibus manifeſtè colligitur etiam *hìc* docuiſſe incorporeitatem Angelorum) Deinde *c. 3.* ſubdit: *De excelſo igitur Cœlorum habitaculo ad conſulendos, viſitandos, & adiuuandum nos attrahit ſupereminens charitas propter Deum, propter nos, propter ſeipſos. Propter Deum vtique, cuius tanta erga nos pietatis viſcera ipſi quoque, vt dignum eſt, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam ſimilitudinem admirantur. Propter ſeipſos, quorum ordines inſtaurandos ex nobis toto deſiderio præſtolantur; & lib. Soliloq. c. 26. Dilexiſti me vnice amor meus, antequam diligerem te &c. Inſuper facies Angelos tuos ſpiritus propter me, quibus mandaſti, vt cuſtodiant me in omnibus vijs meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim ſunt cuſtodes ſuper muros ciuitatis tuæ nouæ Ieruſalem, & montes*

tes in circuitu eius vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem tuum, ne quando rapiat, vt leo, animas noſtras, dum non eſſet, qui eriperet, ille antiquus ſerpens aduerſarius noſter Diabolus, qui quaſi leo rugiens ſemper circumit quærens, quẽ deuoret. Hi ſunt ciues Beatæ Ciuitatis ſupernæ Ieruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, vt eos liberent ab inimicis ſuis, confortent quoque, & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conſpectu gloriæ maieſtatis tuæ; diligũt nempe conciues ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras inſtaurari expectant; ideoque magna cura, & vigilanti ſtudio aſſunt nobis omnibus horis, & locis ſuccurrentes, & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſolliciti diſcurrentes inter nos, & te, Domine; gemitus noſtros, atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem; ambulant enim nobiſcum in omnibus vijs noſtris, intrant, & exeunt nobiſcum attentè conſiderãtes, quàm piè, quanque honeſtè in medio prauæ nationis conuerſemur, quãtoque ſtudio, & deſiderio quæramus regnum tuum, & iuſtitiam eius, quantoque timore, & tremore ſeruiamus, & exultemus tibi in lætitia cordis noſtri. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortãtur pugnãtes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patiẽtibus. Grandis ergo eis cura de nobis; magnus eſt affectus dilectionis eorum erga nos, & hoc totum propter honorem tuæ ineſtimabilis charitatis, qua dilexiſti nos; diligunt enim, quos tu diligis, cuſtodiunt, quos tu cuſtodis. Ex quibus ſic. 1. Angeli debent Deum imitari, quantùm eis poſſibile eſt, vt docet *D. Dion. loc. cit. q. 10. art. 1;* ſed Deus propter ſuam dilectionem, qua diligit nos, cuſtodit nos, intimè nobis aſſiſtens nedum, vt Auctor naturæ, ſed etiam vt Auctor gratiæ; ergo Angeli debent nobis aſſiſtere cuſtodiendo, nedum in bonis naturæ, ſed etiam in bonis gratiæ. 2. *Omne ſimile appetit ſuum ſimile,* & deſiderat eſſe illi præſens; quia *amans magis eſt, vbi amat, quàm vbi animat;* & deſiderat cuſtodiam, & cõſeruationem illius; ſed Angeli vident nos eſſe ſimiles illis, ac deſtinatos ad conſortium illorum; ergo cupiunt nobis eſſe præſentes, cuſtodientes, & conſeruantes nos ab omni eo, quod poteſt nos auertere ab eorum ſimilitudine, & conſortio. 3. Angeli deſiderant inſtaurari eorum ruinas Luciferi peccato cauſaras; ſed ſoli homines poſſunt hoc præſtare; ergo deſiderant hominum ſalutem; atqui vt homines ſaluentur, neceſſarium eſt, vt cuſtodiantur ab inſidijs Diaboli machinantis eorum perditionem; & dirigantur in Deum; ſic enim ſolummodò illis poſſunt vniri efficiendo vnam ſanctam Ciuitatem, & augendo gaudium accidentale eorum; ergo Angeli debuerunt à Deo deſtinari cuſtodes hominum.

6 Prob. 3. *à Fund. Doct. ex ead. auct.* Dæmones à Deo permiſſi ſunt tentare hominem, eiq; præſentialiter inſidiari, vt eum efficiant conſortem ſuarum pœnarum; ergo Angeli boni debuerunt à Deo deſtinari cuſtodes hominum, vt eos efficiant conſortes ſuorum gaudiorum; nam ſi Angeli boni non cuſtodirent hominem, faciliter homo vinceretur à Dęmonibus; cùm enim homo habeat intellectum imperfectum dependenter à phantaſmatibus intelligentem, faciliter poteſt illudi à Dęmonibus; & cùm habeat voluntatem faciliter flexilem ad malum, poſſet trahi in peccatum eadem facilitate; cùnque habeat ſenſus annexos, per bona ſenſibilia poſſet expugnari; & tandem cùm habeat vnitum corpus, quod nequit reſiſtere ſpiritui, faciliter poſſet deſtrui à Dœmonibus, cùm vident ipſum eſſe in peccato mortali, & ſic in perditionem detrudi; ergo neceſſaria eſt præſentia Angelorum cuſtodum, qui illuminent hominis intellectum, ne decipiatur; roborent voluntatem, ne vincatur; confortent ſenſus, ne deprauẽtur; & præſideant corpori, ne opprimatur.

7 Tandem probari poſſet ratione connexionis cauſarum ſecundarum ſuperiorum, & inferiorum, quæ mediantibus earum actionibus connectuntur cum cauſa prima, nempe cum Deo; *vt dix. art. 1. n. 6.*

8 Obijc. Deus eſt cuſtos hominum; vt dicitur *Iob. 7;* ergo ſuperflua eſt cuſtodia Angelorũ. 2. Cuſtodia Angelorum ponitur ad præſeruandũ nos in gratia; ſed Deus immediatè per ſe ipſum infundit nobis gratiam, & illam conſeruat; ergo non eſt neceſſaria cuſtodia Angelorum.

Reſp. ad 1. neg. conſ. ſicuti enim quamuis Deus ſit cauſa efficiens omnium creaturarum; attamen non ſunt ſuperfluæ actiones cauſarum creaturarum, cum quibus Deus producit aliquas creaturas; ita licèt Deus ſit cuſtos omnium hominum, non ſequitur, quòd ſit ſuperflua cuſtodia Angelorum. Ad 2. dicitur eodem modo; nam licèt Deus infundat nobis gratiam, eanque conſeruet in nobis; attamen non eſt ſuperflua cuſtodia Angelorum, qui poſſunt nos hortari ad fugienda peccata, & ad facienda bona, quibus conſeruatur gratia; ſi enim hoc poteſt præſtare vnus homo alteri homini, à fortiori dicendum eſt de Angelo.

ART. II.

Cuius ordinis ſint Angeli cuſtodes?

1 Non loquimur de Angelis cuſtodibus Communitatum, aut Regnorũ, ſed ſolummodò de cuſtodibus perſonarum particularium; & quærimus, an iſti ſint ſolius ordinis infimi, idèſt eorum, qui ſpeciali nomine appellãtur Angeli; an verò etiam Archangeli, vel Principatus &c. applicentur à Deo ad cuſtodiendas aliquas particulares perſonas.

2 Certum eſt. 1. Angelos primæ hierarchiæ non applicari ad cuſtodiam alicuius perſonæ par-

particularis; nam vt diximus *in ſup. q;* iſti non mittuntur in terras, quia ſemper aſſiſtunt Deo, *cùm ſint ſæper in veſtibulis Dei*; vt inquit *D.Dion.*

3 Certum eſt 2. Dominationes quoque nõ mitti in terras; nam Dominationes habent ſolũ imperare Angelis aliorum ordinum ſibi inferiorum ea,quæ ſunt agenda circa Mundi gubernĩũ; vt pariter dictum eſt;& ideo primi quatuor ordines ſunt aſſiſtentes.Dubium ergo reſtringitur ad alios ordines, qui ſunt miniſtrantes, nempe ad Virtutes, quæ mittuntur in terras ad perpetranda miracula, quibus conuertuntur homines ad Deum;ad Poteſtates, quæ mittuntur ad coercẽdos Dœmones, & ordinandos Angelos inferiores;ad Principatus,quibus,vt volunt *aliqui*,commiſſa eſt Regum,& Principum cuſtodia; ad Archangelos, qui deſtinantur ad magna negotia; & ad Angelos, qui deputantur ad minima; *pro cuius reſol.*

4 Vnica concl. Soli Angeli infimi ordinis deputantur ad hominum cuſtodiam.

Prob.1.*ex illis Scripturis*, in quibus eſt ſermo de cuſtodia Angelorum; ſoli enim Angeli appellantur cuſtodes; vt *pſ.90. Angelis ſuis Deus mandauit de te,vt cuſtodiant te &c*;nunquam autem Principatus &c. dicuntur cuſtodes alicuius perſonæ particularis, ergo ſoli Angeli infimi ſũt cuſtodes hominum particularium.

5 Dices. Principatus præſunt Regibus, & Principibus;ſed Reges, & Principes ſunt perſonæ particulares. 2. Archangelus *Raphael* datus fuit in cuſtodiam *Tobiæ iunioris*;& Archangelus *Gabriel* miſſus fuit *ad Beatiſſ.Virginem*;ergo non ſoli Angeli infimi ſunt cuſtodes perſonarũ particularium.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Præſunt Regibus, & Principibus,prout ſunt Caput multitudinis,cõc; quatenus perſonæ priuatæ,neg.Ad 2.diſt.Archãgelus *Raphael* datus fuit in cuſtodiam *Tobiæ* ad aliquod tempus per ordinem ad aliquod opus extraordinarium,& magnum,conc;in cuſtodiam ordinariam,neg;& ſic dicendum eſt *de Gabriele*, qui miſſus fuit ad annunciandum Incarnationis myſterium,non autem, quòd fuerit datus ab ortu *ipſius Beatiſſ.Virginis* tanquam ordinarius cuſtos ipſius. Imò colligitur oppoſitum; nam ſi datus fuiſſet *Beatiſſ.Virgini* tanquam cuſtos ipſius, non diceretur ſpecialiter miſſus ad annunciandũ myſterium Incarnationis,ſed generaliter annunciaſſet illi omnia, quæ ſpectabant ad propriam illius ſalutem;dicitur autem ſpecialiter miſſus ad annunciandum myſterium Incarnationis, vtpotè excellentiſſimum, & pertinens ad communem omnium hominum ſalutem; ergo non fuit cuſtos ipſius generaliter deputatus ad omnes illius actiones.

6 Prob.2. *à Fund.Doct.* In hoc conſiſtit mirabilis connexio partium Vniuerſi, vt ſolùm infimum ſupremi attingat ſupremum infimi;vt docet *D.Dion.*videmus enim,quòd ſola infima pars aquæ tangit terram; & infima pars aeris tangit aquam;non enim hæc ſe tangunt ſecundùm omnes ſuas partes,vt patet;ſed infimus ordo naturę Angelicæ, quæ, vtpotè ſpiritualis completè, eſt ſuperior ad naturam humanam, quæ eſt incompletè corporea,eſt ordo Angelorum,qui ſpeciali nomine ſic appellantur; ergo ſoli Angeli infimi tangunt homines immediatè, & ideo ad cuſtodiam illorum deputantur; cuſtodia enim importat actionem illuminatiuam hominum, quæ non eſt,niſi per contactum.

7 Prob.3.*ex eod.*Si aliqui Angeli præter infimos deputarẽtur ad cuſtodiam hominum particularium,maximè vel Virtutes, vel Poteſtates, vel Principatus,vel Archãgeli;alij enim quatuor ordines ſuperiores ſunt aſſiſtẽtes,vt *ſup.*dictũ eſt; ſed conſ.eſt falſum;ergo & ant. Prob.mi.diſcurrendo per ſingulos. Non Virtutes,quia iſtæ ſunt deputatæ ad peragenda miracula, quæ ordinantur ad ſalutem omnium, à quibus inſpiciuntur, vel audiuntur; & ideo non deputantur ad cuſtodiam particularis perſonæ, quæ per ſe ordinatur ſolùm ad ſalutem illius hominis in particulari, quem cuſtodiunt. Non Poteſtates; quia iſtæ deputantur ad coercendos Dœmones, ne noceant omnibus hominibus. Non Principatus; quia pariter deputantur ad cuſtodiam Communitatum. Non Archangelorum; quia iſti mittuntur ſolùm ad annunciãda maxima,& excelſiora myſteria; patet autem, quòd circa quanlibet perſonam particularem contingunt etiam myſteria minima; quia *Beatiſſ. Virgini*, cui miſſus fuit *Gabriel* Archangelus, annunciata ſunt etiam alia myſteria minora Incarnatione, quæ annunciatio non potuit fieri per Archangelum, qui ſolùm habet maxima nunciare; & ideo quælibet particularis perſona habet Angelum infimum ſibi deputatũ, qui annunciat ei minima, & illuminat in ſuis actionibus particularibus, quas continuò elicit; & ſic habet Angelum cuſtodem continuò ſibi aſſiſtentem. At verò cùm myſteria maxima rarò contingant;ideo Archangelus,poſtquam illa nũciauit, non aſſiſtit, ſed redit in Cœlum; otioſè enim aſſiſteret, quia nihil ageret. Tum quia maxima myſteria ordinantur ad ſalutem omnium, & ideo quanuis illa annunciatio facta ſit perſonę particulari; attamen eſt circa bonum vniuerſale; & ideo Angelus annuncians non eſt cuſtos, qui ſolùm dicitur ille, qui annunciat bonum particulare;ſic enim *hic* accipitur;vt *ſup.*dictum eſt;ergo Angeli cuſtodes hominum particularium ſunt ſoli Angeli infimi ordinis tertiæ hierarchiæ.

8 Prob.4.*ex eod.*Officium circa aliquas partes particulares, & minimas Regni nõ congruit, niſi infimis Miniſtris ipſius Regis,vt patet; nam Miniſtris principalibus conuenit officium,& gubernium partium,& rerum principalium Regni; ſed cuſtodia particularium perſonarum quoad res minimas eſt officium circa partes particulares,& minimas Eccleſiæ, quæ eſt Regnum ipſius Dei;

Dei; ergo cuſtodia particularium perſonarum quoad res minimas nō conuenit, niſi infimis Miniſtris ipſius Dei. Atqui iſti ſunt infimi Angeli tertiæ hierarchiæ;ergo iſti ſoli deputantur ad cuſtodiam hominum particularium.

9 Obijc. 1. Non videtur conueniens, quòd Chriſtus Dominus, & B.Virgo habuerint cuſtodem Angelum infimi ordinis; ergo non ſoli Angeli infimi deputantur ad cuſtodiam perſonarū particularium. Prob.ant;hoc enim videtur derogare maieſtati, ac dignitati Chriſti Domini, & Matris eius.

Reſp.*Fund.Doct.art 2.ad arg.in cont.*negādo ſupp; ſcilicet, quòd Chriſtus Dominus habuerit Angelum cuſtodem; non enim indigebat ab Angelis illuminari, quia ab inſtanti ſuæ conceptionis plura intuitiuè videbat in Diuina eſsētia,quàm quilibet Angelus.Habebat ergo ſolos Angelos ad obſequium, & famulatum. Idem dicitur *de Beatiſſ. Virg*; quæ ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beata; vnde quia beatis non dātur Angeli in cuſtodiam; ſunt enim certi de ſua beatitudine; & cuſtodia Angelorum datur ſolùm ad procurandam beatitudinem,quam homines non habent; ideo etiam ipſa habuit Angelos ad ſolamen,obſequium,& famulatum, non ad cuſtodiā. Vel dicitur,quòd ſi *B.Virgo* habuiſſet cuſtodem, fuiſſet primus Principatus; quia vtpotè Mater omnium fidelium,debuiſſet habere Angelum cuſtodem multitudinis primariæ.

10 Obijc.2. *Ex D. Dion.*Tota prima hierarchia eſt inter Deum,& Angelos; quia immediatè illuminatur à Deo, & immediatè illuminat Angelos medios; & tota ſecunda hierarchia eſt inter Angelos ſupremos, & Angelos infimos; quia immediatè illuminatur ab Angelis ſupremis,& immediatè illuminat Angelos infimos; ergo tota tertia hierarchia eſt inter Angelos medios,& homines; quia immediatè illuminatur ab Angelis medijs, & immediatè illuminat homines;ſed immediata illuminatio hominum eſt cuſtodia illorum; quia Angeli cuſtodes illuminando cuſtodiunt; ergo omnes Angeli tertiæ hierarchiæ ſunt deputati ad hominum cuſtodiam.

Reſp. diſt. conſ. Tota tertia hierarchia eſt inter Angelos, & homines eodem modo immediatè,neg;diuerſo modo, conc; nam Principatus ſunt circa homines generaliter, prout conſtituunt vnam Communitatem; Archangeli circa homines, prout illis reuelant aliquod bonum maximum ſpectans ad communem ſalutem; Angeli verò circa homines particulares, & circa bona conducentia ad ſalutem particularem illorum; & in hac illuminatione ſolùm conſiſtit cuſtodia Angelorum; non autem in alijs duabus illuminationibus.

11 Obijc.3.Angeli cuſtodes pugnant cum Dœmonibus,à quibus defendunt homines; ſed pugnare cum Dœmonibus ſpectat ad Poteſtates; ergo etiam Poteſtates deſtinantur ad cuſtodiam hominum. 2. Quinque ordines inferiores mittuntur ad cuſtodiam hominum;vt *ſup.*dictum fuit;ergo cuſtodes aſſumuntur ex quinque inferioribus ordinibus; nam aſſumi ad cuſtodiam eſt mitti ad cuſtodiam. 3. Homines aſſumuntur ad omnes ordines Angelorum; ergo ex omnibus ordinibus deputantur ad hominum cuſtodiam.

Reſp.ad 1.neg.ma; nam pugnare cum Dœmonibus non ſpectat ad Angelos cuſtodes, ſed ad Poteſtates;vt *ſup.* dictum eſt. Ad 2. neg. ant; quanuis enim quinque ordines inferiores mittātur ad procurandam ſalutem hominum; non tamen mittuntur ad cuſtodiam;non enim procuratio idem eſt,ac cuſtodia; quia cuſtodia importat officium retrahendi à malo, & inducendi in bonum per continuam aſſiſtentiam; poſſunt autem Angeli procurare ſalutem, etianſi non aſſiſtant continuò. Ad 3.dicitur homines aſſumi ad ordines Angelorum, non tamen propter hoc cuſtodiri ab omnibus ordinibus; quia Angeli infimi aſſumūt eos ad Archāgelos; Archāgeli autē eos aſſumunt ad Principatus &c. poſt vitæ conſummationem;non autem ex hoc ſequitur,quòd in vita alij Angeli eos cuſtodiant.

ART. III.

An,& quando quilibet homo habeat ſuum Angelum cuſtodem?

1 DVo quærūtur in præſenti.1.An quilibet homo habeat ſuum Angelum cuſtodem particularem;vel vnus Angelus cuſtodiat plures homines? 2. Quo tempore incipiat Angelus hominem ſibi commiſſum cuſtodire? Quoad 2.fuit aliqua varietas opinionum.

2 *Aliqui* enim ſuppreſſo nomine citati à *Fund.Doct.* voluerunt Angelum cuſtodem derelinquere hominem, cùm videt eum eſſe incorrigibilem.

3 *Alij* voluerunt incipere cuſtodiam ſolùm poſt baptiſmum; ex quo ſequeretur non omnes homines habere ſuum Angelum cuſtodem; quia illi, qui nunquam baptizātur,nunquam eum haberent.

4 *Alij* opinati ſunt incipere ab vſu rationis; & iſti pariter implicitè idem aſſerunt;nam ſequeretur eos,qui moriuntur ante vſum rationis,Angelum cuſtodem non habere.

5 Communis tamen ſententia docet quenlibet hominem habere Angelum cuſtodem à principio vitæ vſque ad mortem. Sed adhuc videtur poſſe eſſe aliquod diſſidium; nam *Fund. Doct.in hac q.11.q.1. art.5. §.Ideo rationabiliùs* aſſerit hominem habere ſuum cuſtodem ab inſtanti ſuæ conceptionis;*Beatiſſ.P.autem inf.* allegādus docet habere ab ortu ſuę natiuitatis;propter quod *aliqui* dixerunt paruulos,dum ſunt in ventre matris, cuſtodiri ab Angelo cuſtode ipſius matris.

6 Sed hoc diſſiduum facilè poteſt componi dicendo, quòd natiuitas aliquādo ſumitur,prout idem,

idem eſt,ac poſitio in rerum natura; quando autem infans concipitur in ventre matris per infuſionem animæ rationalis,ponitur in rerum natura, & ideo dicitur naſci; quanuis vulgariter *ab Aſtrologis* accipiatur pro eruptione à ventre matris. Vnde cùm *Beatiſſ.P.* loquitur de natiuitate, illam accipit, non prout accipitur *ab Aſtrologis*, ſed prout ſumitur *à Philoſophis,& Theologis*;hoc enim modo frequenter ſumitur *in Scripturis*. *Vid.Fund.Doct.hic dub.1.lit.*

7 Vnica concl. Quilibet homo à principio ſuæ natiuitatis,ſeu conceptionis vſque ad vltimũ vitæ periodum habet Angelum cuſtodem.

Prob.1.ex illo *Iſaiæ 5.Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Auferam ſepem eius &c*;nomine autem *ſepis* intelligit *Gloſ.cũ SS.DD. Hier;& Aug.*Angelum cuſtodem. Ex quo ſic. Si quilibet homo non haberet pro toto tempore ſuæ vitæ Angelum cuſtodem, poſſet vinea, idèſt anima,reſpondere Deo exprobranti; quòd ei nõ dedit cuſtodiam pro omni tempore; & ideo illo tempore, quo non habuit cuſtodiam, acquiſiuit peruerſas inclinationes ad malum, à quibus poſtea attracta eſt in peccata;non enim eo tempore habebat Angelum, à quo inclinaretur in bonũ, & auerteretur à malo; & ideo ad malas inclinationes curuata eſt;ſicut planta, cùm adhuc tenera eſt, faciliter ad curuitates obliquatur, à quibus,vel cum difficultate, vel nullo modo poteſt redigi ad rectitudinem; & ſic ſi non haberet vſq; ad finem,poſſet conqueri,quòd fortè in fine vitæ egiſſet pęnitentiam, ſi auxilium Angeli ei non defuiſſet; ergo quilibet homo ab inſtanti ſuæ conceptionis vſque ad vltimum vitæ terminum habet Angelum deputatum.

8 Prob.2.*ex Beatiſs.P. lib. de Dilig.Deo,ſeu Medit.lib.alio c.12*;vbi docet: *Maximum æſtimo & illud fuiſſe beneficium, quòd Angelum pacis ab ortu natiuitatis meæ ad me cuſtodiendum vſque ad finem meum mihi dediſti; vnde quidam Sanctus ait: Magna eſt dignitas animarum, vt quæque habeat ab ortu natiuitatis ad cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Iſte autem *Sanctus*, quem refert *Beatiſſ.P.*ſuppreſſo nomine,vel poteſt eſſe *D.Hier*;qui *in Matt.lib.3.c.18.*habet eadem verba;vel alius anteceſſor, à quo & *D.Hier.* hoc didicerit.Quomodocunque dicatur,colligitur hãc ſententiam traditam eſſe *à SS.PP*;& veluti hęreditariè vnum ab alio eam recepiſſe.

9 Prob. 3.ratione. Illi dantur Angeli cuſtodes,& pro eo tẽpore, qui eſt in ſtatu acquiſitionis vitæ æternæ, propter hoc enim deputantur Angeli cuſtodes, vt *ſup.* dictum eſt; ſed quilibet homo pro toto tempore ſuæ vitæ poteſt ſaluari; tunc enim ſolùm impoſſibilitatur eius ſalus,cùm ponitur in ſtatu termini;& tempus ſuæ vitæ incipit à primo inſtanti infuſionis animæ vſque ad vltimum inſtans efflationis eiuſdem animæ; pro nullo enim inſtanti huius durationis eſt in termino; aliter ab ipſo non poſſet reſilire; ergo quilibet homo à principio ſuæ vitæ vſque ad vltimũ inſtans habet Angelum cuſtodem ſui.

10 Conſ. Angelus cuſtos aſſignatur homini à Deo *in omnibus vijs ſuis*; vt habetur *in pſ. 90*; ergo pro tempore ſuæ vitæ, quæ eſt via ad ſuam ſalutem, homo habet Angelum cuſtodem.

11 Prob.4.*à Fund.Doct.*Diuinæ bonitati,& iuſtitiæ conuenit, vt cuilibet homini deputetur Angelus cuſtos à primo vſque ad vltimum inſtans;ergo quilibet homo habet Angelum cuſtodem pro toto tempore ſuæ vitæ. Prob.ant.Diuinæ bonitati conuenit,vt nunquam deficiat cuilibet homini ſua auxilia conferre pro quolibet inſtãti ſuæ vitæ, in quo poteſt perire; non enim ita reluceret Diuina bonitas,ſi periret homo in aliquo inſtanti, in quo ei non conferret ſua auxilia; quàm ſi periret in aliquo inſtanti, in quo ei talia auxilia conferret; patet autem, quòd in ventre matris poteſt perire, & ideo ſi pro tali tempore periret, non reſplenderet Diuina bonitas, ſi cuſtodia Angelica pro illo tempore eſſet deſtitutus.Sic Diuinæ iuſtitiæ conuenit, vt cuilibet homini pro quolibet inſtanti ſuæ vitæ concedat auxilia ad ſalutem; ſi enim perit cum illis auxilijs, magis dignus redditur pęna; ergo Diuinæ bonitati,& iuſtitiæ conuenit,vt cuilibet homini deputetur Angelus cuſtos à primo vſque ad vltimæ vitæ inſtans.

12 Quòd autem infans exiſtens in ventre matris habeat Angelum cuſtodem diſtinctum ab Angelo cuſtode ipſius matris, ſic poteſt ſuaderi. Angelus cuſtos, vt *ſup.* dictum eſt, in hoc diſtinguitur à Principatu, quòd ille deputatur ad cuſtodiam vnius perſonæ particularis; iſte verò ad cuſtodiam plurium perſonarum; ſed infans exiſtens in ventre matris, & ipſa mater ſunt plures perſonæ diſtinctæ; habent enim plures animas realiter diſtinctas;ergo habent diuerſos Angelos cuſtodes. Tum quia Angelus cuſtos licèt detur etiam ad cuſtodiam corporis; attamen principaliter datur ad cuſtodiam animæ, quæ per ſe eſt capax gloriæ;corpus enim non acquirit gloriam, niſi per animam; ſed infans, & mater habent diſtinctas animas; ergo & diſtinctos Angelos cuſtodes.

13 Obijc.1.In ſtatu innocentiæ non erat neceſſaria cuſtodia Angelorum; quia in tali ſtatu nulla erat pugna,ergo falſum eſt Angelos cuſtodes deputari pro toto ſtatu viæ. 2. Antichriſtus non promouebitur ad bonum; ergo fruſtra concederetur ei Angelus cuſtos. 3. Angelus cuſtos conceditur à Deo,ne homo peccet;ſed pueri ante vſum rationis non poſſunt peccare;ergo non habent cuſtodem ante vſum rationis. 4. Cuſtos hominis nequit permittere hominem peccare, aliter eſſet reprehenſibilis; ſed homo aliquando peccat; ergo tunc non habet Angelum cuſtodẽ.

Reſp.ad 1.neg.ant.Ad prob.inſert.diſt.Nulla erat pugna interna, conc; quia ſumma pace fruebatur; externa,neg; habuit enim pugnã *cum*

Eua,

Eua, & hæc cum Diabolo ; quam viciſſet ſtando in bonitate, in qua conditus erat. Ad 2.neg.conſ; illud enim eſt fruſtra, quod caret fine ; conceditur autem cuſtos Antichriſto, vt reluceat Diuina bonitas, & iuſtitia, vt dictum eſt; & vt ſeruetur lex vniuerſalis, qua Deus decreuit vnicuique homini Angelum cuſtodem. Ad 3. diſt. ma. Conceditur, ne homo peccet, tantũ, neg; conceditur enim etiam, vt cuſtodiat, & ſeruet corpus, & animam vſque ad tempus, in quo poteſt acquirere tantũ meritum, vt poſſit aſcendere ad tantam gloriam; vnde quia ante vſum rationis poſſet à Diabolo opprimi, vel ab aliquo accidente occidi, quo impediretur conſecutio talis meriti, ideo debuit ei concedi Angelus etiam ante tempus rationis. Ad 4.neg.ma. Cùm enim cuſtos agit, quantùm in ſe eſt, non eſt reprehenſibilis.

14 Obijc. 2. *Hier.* 51. habetur: *Curauimus Babilonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam; & eamus vnuſquiſque in terram ſuã* ; quod *Gloſ.* explicat de Angelis cuſtodibus, qui videntes ſe non poſſe conuertere homines, redeunt in Cœlum; *Et Iſaiæ* 5. *Auferam ſepem eius*; nomine autẽ ſepis intelligit *Gloſ.* cuſtodiam Angelorũ. 2. Deus recedit à peccatore, & tamen eſt *cuſtos hominum*; ergo multò magis Angelus 3. *Zach.* 10. Angelus reuerſus eſt ad ipſum *Zachariam* ; & *Dan.* 10. *Nunc ad te miſſus ſum* ; ſed non reuertitur, niſi qui diſceſſit; & non venit nunc, niſi qui antea nõ erat ; ergo Angeli non cuſtodiunt ſemper ſua præſentia. 4. Angeli aliquandò ſunt in Cœlo; ergo non ſemper aſſiſtunt homini ; non enim poſſunt eſſe ſimul in Cœlo, & in terra ; aliter non dicerentur deſcendere. 5. Sapiens medicus derelinquit ægrotum, cùm deſperat de eius ſalute ; ergo à pari.

Reſp. ad 1. intelligi de puncto mortis; tunc enim Angelus cuſtos non comitatur animam morientis in peccato ; nec pro ea aduocat apud Deum; ideo dicitur eam derelinquere, idèſt eius cauſam non vrgere. Vel dicitur derelinquere, quia ſinit eam maximis tribulationibus affligi; quomodò Chriſtus in cruce dixit ſe derelictum à Patre; idèſt expoſitum maximis doloribus. Vel quia permittit labi in peccata. Sic exponitur illud *Iſaiæ*. Ad 2. dicitur Deus recedere auferendo ſuam gratiam, non autem præſentiam Diuinitatis; aliter peccator abiret in nihilum. Ad 3. dicitur, quòd Angelus *Zachariæ, & Danielis* non fuit Angelus cuſtos ipſorũ ; ſed fuit vnus ex Archangelis, vel Principatibus; venerat enim reuelare bona maxima ſpectantia ad bonum totius populi *Iudæorum*; Angelus autem cuſtos non reuelat, niſi bona particularia ſpectantia ad particularem perſonam, quam cuſtodiunt. Ad 4. neg. ant; nulla enim eſt neceſſitas, propter quam dicendum ſit Angelos cuſtodes aliquando aſcendere in Cœlum; nam Deus eſt vbique; & ideo etiam in terris poteſt ab illis videri, eoſque beatificare; nec à loco corporali recipit aliquam delectationem, niſi quatenus in illo beatificatur; vnde ſi beatificatur in terris, dum cuſtodit hominem, eandem percipit delectationem, quam haberet in Cœlis. Ad 5. neg. paritas; ſalus enim corporis pendet ab ipſa natura, cuius Medicus eſt miniſter; & cùm videt naturam ampliùs non poſſe vincere morbum, ægrum derelinquit ; at verò ſalus animæ dependet à libero arbitrio, quod ſemper mediante gratia poteſt vincere peccatum; & ideo Angelus cuſtos nunquam derelinquit peccatorem.

ART. IV.

Afferuntur aliquot quæſita.

1 QVædam alia, quæ faciunt ad complementum *huius q*; explicanda ſuperſunt; quæ *in hoc art.* breuiter afferentur ; controuerſiam enim non habent *inter DD.*

2 Quæres 1; an Angeli cuſtodiendo mereãtur augmentum viſionis beatæ?

Reſp. *Fund. Doct. in hac diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 1. negatiuè; & prob. 1. ex illo *Eccleſ.* 11. *In quocunque loco ceciderit lignum, ibi ſtabit ; & ex pſ.* 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Ex quibus ſic. Beati in Patria ſunt in termino, ſtatu, & quiete; aliter non eſſent beati ; ergo non poſſunt ampliùs mereri vlteriorem gloriam ; ſecus eſſent in via, & in motu ad illam; illud enim dicitur eſſe in motu, & in via ad aliquam perfectionẽ, quod illam non habet, poteſt tamen illam acquirere, & ideo ſi beati poſſent acquirere maiorem gloriam, eſſent in motu, ſeu via ad illam; & per conſequens non eſſent in termino, aut ſtatu, & quiete; & ſic non eſſent beati, quia de ratione beatitudinis eſt quies, quæ habetur per ſatietatem. 2. Gloria correſpondet gratiæ, quæ tribuitur in via, & quæ dicitur gloria in ſemine iuxta illud *ad Galat.* 6. *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet*; idèſt iuxta menſuram gratiæ habitæ in via, quæ eſt ſemen gloriæ, recipiet gloriam, quæ eſt fructus gratię; ergo in Patria nequit mereri augmentum gloriæ.

3 Obijc. 1. Viſio beata Angelorum cuſtodũ non eſt perfectiſſima ; quia viſio Angeli ſuperioris eſt perfectior; ergo poteſt augeri. 2. Angelus ſuperior illuminat Angelum inferiorem ; ergo viſio Angeli cuſtodis, qui eſt inferior, poteſt augeri per illuminationem factã ab Angelo ſuperiori ; illuminatio enim eſt in ordine ad aliquod obiectum, quod priùs non videbatur, & ideo in ordine ad augendam viſionem.

Reſp. ad 1. neg. conſ; licèt enim viſio beata Angeli cuſtodis non ſit perfectiſſima; attamen eſt in termino, & ideo nequit augeri. Ad 2. neg. pariter conſ; illuminatio enim nõ eſt per ordinem ad obiectum ſpecificatiuum viſionis beatæ, ſed per ordinem ad effectus Diuinos, qui pertinent ad ſalutem electorũ, & regimen Vniuerſi; & ideo non augetur viſio beata, quæ non augetur, niſi

per incrementum obiecti primarij ſpecificatiui, non autem obiecti ſecundarij materialis.

4 Quæres 2;an cognitio Angelorum cuſtodum augeatur ſaltem quoad obiecta futura?

Reſp. *Fund. Doct. ibid. art.* 2. poſſe augeri extenſiuè extrinſecè, non formaliter intrinſecè; quia poteſt fieri viſibile aliquod obiectum,quod priùs non erat viſibile, quia non erat determinatum; quod obiectum videtur per eandem viſionem,quam habebat priùs, omnino immutatā; v.g.ſi oculus haberet cōgenitā ſpeciē repræſentantem duos parietes, quorum vnus tantū eſſet à parte rei,& alter futurus;tunc non videret,niſi vnū. At ſi produceretur deinde alter paries,qui erat futurus,tunc ille paries,qui priùs non videbatur, quia non erat à parte rei,actu videretur per eandem ſpeciem omnino immutatam intrinſecè; & ſic diceretur illa ſpecies augeri tantùm obiectiuè extrinſecè;ita à pari.Et ratio eſt.In hoc diſtinguitur ſcientia Beatorum à ſcientia Dei, & à ſcientia animæ Chriſti Domini; quòd ſcientia Dei attingit omnia præterita, præſentia,futura, & poſſibilia; ſcientia verò animæ Chriſti Domini attingit omnia præterita,præſentia,& futura, non tamen poſſibilia; ſcientia autem Beatorum attingit præterita,& præſentia, non tamen futura,aut poſſibilia;quæ tamen, ſi tranſeant ad eſſe actuale determinatum,poſſunt per illam attingi; ergo poteſt obiectiuè extrinſecè augeri.

5 Obijc.Si intellectus Angeli inferioris poſſet videre in Diuina eſſentia effectus futuros, quos priùs non videbat, ſequeretur, quòd clariùs videret Diuinam eſſentiam; ergo augeretur eius præmium eſſentiale.2.Sequeretur,quòd videret Diuinam eſſentiam, vt cauſam illius effectus, quam ſic antea non videbat; & ideo perfectiùs videret eſſentiam,ergo eius viſio augeretur intenſiuè.

Reſp.ad 1.neg.ſeq;ſicuti enim ſi quis videt in ſpeculo aliquod obiectum,quod priùs non videbat,quia in illo non repræſentabatur, non dicitur clariùs videre ſpeculum;ita à pari Angelus videt in Diuina eſſentia effectus futuros, qui priùs in illa non repræſentabantur, ſed latebant; nam cùm futura habeant eſſe determinatè ſolū in determinatione Diuinæ voluntatis, de cuius ratione eſt non apparere Beatis;vt diximus *q.* 4. *art.*8; ideo ſolùm videntur, cùm manifeſtantur à Deo.Et ſic ad 2;nam Diuina eſſentia, vt cauſa futuri,importat determinationem volūtatis Diuinæ,quæ non apparet,niſi à Deo manifeſtetur; facta autem manifeſtatione Angelus per eādem viſionem,quam habet,illam intuetur.

6 Quæres 4;an Angeli didicerint per homines,ſeu per Eccleſiam aliqua myſteria Fidei; aut è contra?

Reſp.*Fund.Doct.ibid.art.*3.conformiter ad ea,quæ dicta ſunt *q.6. art.*2. *n.*10; ſcilicet Angelos didiciſſe in Apoſtolis; ſeu in Eccleſia circunſtantias myſterij Incarnationis, non autem didiciſſe ſubſtantiam Incarnationis ab Apoſtolis,aut ab Eccleſia, aut didiciſſe ipſas circunſtantias ita, vt Apoſtoli,ſeu Eccleſia docuerint Angelos;ſed ſolùm didiciſſe in Apoſtolis,ſeu in Eccleſia ipſas circunſtantias;quia cognouerunt illuminationes factas à Deo immediatè in Apoſtolis, & in Eccleſia.*Vid.vbiſ.*Et ſic concordantur *D.Hier;Beatiſſ.P;& D.Dion*;qui videntur ſibi contradicere; nam *D.Hier.*exponens illud: *Vt innoteſcat Principatibus,& Poteſtatibus* ait Angelos ante prędicationem Apoſtolicā non cognouiſſe plenè myſterium Incarnationis, ſed tantùm poſt prædicationem Apoſtolicam; hoc namque intelligendū eſt de myſterio Incarnationis quoad circunſtantias, vt quoad conuerſionem gentium &c. *Beatiſſ.P.ad Ephef.*3. docet Angelos nō latuiſſe myſteriū Incarnationis; quod intelligēdū eſt quoad ſubſtantiam;*D.Dion.* autē *circa finem Cœl. Hier.* docet,quòd illud myſterium latuit cœleſtes mētes;idèſt quoad circunſtantias.

7 Dices *Iſaia* 63.habetur; quòd Angeli videntes Chriſtum Dominum aſcendentē in Cœlum dixerunt: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus*; ergo videtur,quòd ipſum non cognouerint.

Reſp.illam fuiſſe vocem admirationis, non ignorantiæ.*Vid.Fund.Doct.hic dub.6.*

8 Quæres 4; an Angeli cuſtodientes doleāt damnationis hominum eorum cuſtodiæ commiſſorum?

Reſp.*Fund.Doct.ibid.art.*4.negatiuè;nullus enim dolor poteſt ſtare cum beatitudine Patrię; vt habetur *Apoc.*21;vbi dicitur:*Non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor*; ſed Angeli cuſtodes ſunt beati beatitudine Patriæ; ergo nullum poſſunt habere dolorem. Et quamuis Chriſtus Dominus coniunxerit cum beatitudine dolorem ſuæ paſſionis; hoc tamen fuit ſecundùm diuerſas partes,& potentias;quia ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus ſecundū animā,nō autem ſecundùm corpus;& beatus ſecundùm partem rationalem,non ſecundùm partem ſenſitiuam; & ideo potuit frui Deo ſecundū animam,& ſecundùm partem rationalem; & pari ſecundùm corpus, & ſecundùm partem ſenſitiuam.Et licèt ipſe dixerit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*;ex quo videtur deduci ſecundùm animam fuiſſe ſimul beatum, & dolentem; & ideo dolorem poſſe coniungi cum beatitudine;attamen dicendum eſt, quòd cùm anima rationalis contineat virtualiter animam ſenſitiuā, & ideo habeat potentias ſenſitiuas, quæ ſunt proprietates illius; hoc eſt intelligendum de anima ſecundùm potentias ſenſitiuas,non ſecundùm potentias intellectuales. Cùm ergo Angeli non habeant corpus,& potentias ſenſitiuas, ſed intellectuales tantùm,ideo non habent,per quid poſſint eſſe beati,& per quid poſſint eſſe damnati ſimul; vnde quilibet dolor pugnat cum beatitudine Angelorum.

9 Præterea Angeli omnino conformantur cum Diuina voluntate,& ſummè gaudēt de omni eo,quod placet Diuinæ voluntati;ſed damnatio peccatorum placet Diuinæ voluntati; ergo ſummè gaudent de damnatione hominum ſuæ cuſtodiæ commiſſorum; & ideo nequeunt ſimul dolere, quia incompoſſibilis eſt dolor cum gaudio eiuſdem rei formaliter.

10 Tum quia ſummè gaudent de Diuina iuſtitia,ſicut de miſericordia, quà ſunt beati;ſed cuſtoditi damnantur à Diuina iuſtitia; ergo nequeunt de ipſis dolere;aliter ſimul gauderent,& dolerent,quod repugnat.

11 Tandem *Luc.16.Epuloni* deſcribenti pœnas ſuas, vt ad commiſerationem excitaret, reſpondit *Abraham:Inter nos, & vos chaos magnū firmatum eſt; vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos,nō poſſint;neque inde huc tranſmeare.* Ex quo ſic. Damnati nequeunt eleuari ad gaudendum de gloria beatorum; ſunt enim gaudij beatifici penitus incapaces;ergo beati nequeunt deijci ad dolendum de pœnis damnatorum; quia æquè ſunt doloris incapaces. Atqui Angeli ſunt beati; ergo nequeunt dolere de damnatione hominū ab ipſis cuſtoditorum in via.

12 Obijc. 1. *Iſaiæ 38.*habetur: *Angeli pacis amarè flebant*; ſed fletus amarus eſt effectus doloris; ergo Angeli cuſtodes poſſunt dolere de pœnis damnatorum. 2.*Oppoſitorum eadem eſt ratio*;ſed Angeli gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agente; vt dicitur *Luc.15*; ergo dolēt de peccatore in impœnitentia decedēte. 3.Proprium eſt amicorum dolere de malo alterutrius; ſed Angeli cuſtodes ſunt amici hominum cuſtoditorum;ergo dolent de damnatione,quæ eſt ſūmum malum illorum. 4.Omne agens triſtatur de non conſecutione ſui finis, ſicut gaudet de aſſecutione; ſed finis Angelorum cuſtodum eſt aſſecutio gloriæ;ergo triſtantur de non aſſecutione, quæ eſt hominum damnatio.

Reſp.ad 1;quòd per *Angelos pacis* intelliguntur literaliter nuncij miſſi à Rege *Ezechia* ad petendam pacem *ab Aſſyrijs*; qui pacem non reportantes, ſed loco pacis contumelias, amarè dolebant; etenim hoc nomen *Angelus*, quia ſignificat *nuncium*,vt dictum eſt *q. 1. art.1. n.1*; ideo aliquando ſignificat hominem miſſum ad aliquod annunciandum. Vel ſi intelligantur Angeli, dicitur eos dolere metaphoricè; ſicut dolere dicitur Deus *Gen. 6. Tactus dolore cordis intrinſecus*. Ad 2.dicitur, quòd tunc oppoſita poſſunt fieri circa idem ſubiectum, quando ſubiectum eſt mobile de vno ad aliud oppoſitum; beati autem non ſunt mobiles de gaudio ad dolorem. Diſt. igitur mi. Angeli gaudent gaudio accidentali immobiliter,conc;mobiliter,neg. Ad 3.diſt.ant. Proprium eſt amicorum, qui ſunt capaces doloris,conc; ſed neg.mi; qui ſunt incapaces doloris,vt Angeli,neg. Ad 4. neg.mi;finis enim Angelorum eſt adimpletio volunta tis Diuinæ;qui a autem volūtas Diuina vult ſolùm voluntate antecedente ſalutem damnandorū; ideo Angeli non intendunt gloriam cuſtoditorum, qui damnantur, niſi voluntate antecedente; & ideo de illa non dolent;quia illam non intendūt voluntate conſequente,& efficaci.

13 Quæres 5;an inter Angelos ſit pugna?

Reſp.*Fund.Doct.ibid.art.5*. non eſſe dubiū de pugna inter Angelos bonos, & malos; habetur enim *Apoc.12. Factum eſt prælium magnū in Cœlo.Michael,& Angeli eius præliabantur cum Dracone,& Draco pugnabat,& Angeli eius.* Difficultas ergo eſt de Angelis bonis inter ſe.

14 Ratio dubitandi eſt. 1. Quia pugna, & diſcordia repugnat charitati, & amori; ſed Angeli amant ſe ipſos perfectiſſima charitate; ergo inter eos nequit eſſe pugna, aut diſcordia. 2. Si vnus Angelus repugnaret volūtati rectę alterius Angeli,repugnaret voluntati Dei;voluntas enim recta eſt mota à Diuina voluntate;ſed nequit repugnare voluntati Dei;ergo nec alterius Angeli; & ideo inter eos nequit eſſe pugna.3.Vbicunque eſt ordinata prælatio, nequit eſſe pugna; quia inferior nequit repugnare ſuperiori; ſed inter Angelos bonos eſt ordinata Prælatio;vt diximus q.10; ergo inter eos nequit eſſe pugna. 4. Inter Angelos bonos nequit eſſe contrarietas opinionum;quia opinionum contrariarum alia eſt vera, & bona;altera verò falſa,& mala; in nullo autem Angelo bono poteſt eſſe opinio falſa, aut mala; ideo inter eos nequit eſſe contrarietas opinionum;& per conſequens nec pugna.

15 Ex altera autem parte habetur *Dan. 7. Quatuor venti ſoli pugnabant in mari magno*; per quos *Gloſ.* intelligit quatuor Angelicas Poteſtates;*& c.10. Princeps Regni Perſarum reſtitit Angelo,qui loquebatur mecum,viginti vno diebus*;ex quibus colligitur etiam inter Angelos bonos eſſe pugnam,& diſcordiam;*pro cuius deciſ.*

16 Not;quòd pugna inter Angelos nihil aliud eſt, quàm diſcordia voluntatum ipſorum eò,quòd voluntas vnius vult aliquod,quod non vult voluntas alterius. Hæc autem diſcordia poteſt eſſe duplex. Prima,qua voluntas vnius intēdit bonum; & voluntas alterius malum, vel purā negationem illius boni; & hoc modo eſt diſcordia inter Angelos bonos,& malos;non autem inter ipſos Angelos bonos; quia nullus Angelus bonus poteſt velle malum,ſeu puram negationē boni. Secunda, qua voluntas vnius intendit aliquod bonum, quod eſt incompoſſibile cum eo bono,quod intendit voluntas alterius ita tamen, vt vtraque voluntas intendat concorditer bonū, ſed diuerſum, imò incompoſſibile. Sic voluntas Angeli Regis *Perſarum* pugnauit cum voluntate Angeli populi *Iſraelis*; quia ille intendebat bonum pœnitentiæ *Iudæorum*,& conuerſionis *Perſarum* ex conuerſatione *Iudæorū*,iſte verò intendebat bonum liberationis *Iudæorum* ob bonitatem orationis *Danielis*; quapropter ille reſtitit

huic

huic viginti vno diebus impediens, ne populus liberaretur; non enim illi nota erat volũtas Dei, qua decreuerat populum liberare; at verò cùm fuit illuminatus ab Angelo ſuperiori, & cognouit Dei voluntatem, ſtatim populum dimiſit, & ſecuta eſt pax. Igitur.

17 Dicendum inter Angelos bonos eſſe pugnam concordem in bono, non verò diſcordem à bono.

18 Prob. *ex allatis Scripturis*; nam quatuor Angelicæ poteſtates, quibus commiſſa eſt cura quatuor partium orbis terrarũ, ſunt Angeli boni; ſed inter eos erat pugna; ergò inter Angelos bonos eſt pugna concordiæ in bono; non autem diſcordiæ in malo, quia vnus nequit velle malũ, & alter bonum. Et ſic dicendum de Angelo *Perſarum*.

19 Conf. *à Fund. Doct.* Poteſt vnus, & idem ſpiritus bonus impellere diuerſas voluntates in bona diuerſa ex diuerſo motiuo bono; quorum vnum ſit incompoſſibile cùm alio; ſicuti per vnũ, & eundem ventum in contrariam partem diſpoſitis velis poſſunt duæ naues ire in partes contrarias; ergo duæ voluntates Angelorum ex diuerſo motiuo bonitatis poſſunt diſcordare quãtùm ad volita; & ideo pugnare inter ſe. Tum quia in electionibus, quæ fiunt in Eccleſia, poteſt eſſe pugna voluntatum eo, quòd vna velit eligere vnum in Prælatum; altera verò alium ex diuerſo motiuo vtroque tamen bono; vel etiam poteſt eſſe pugna de aliquo bono nobis à Deo non reuelato, vt fuit inter *Apoſtolos Petrum, & Paulum* de imponendo, vel non imponendo Gentibus iugum Moſaicæ legis; quam diſcordiam ſedauit Spiritus S. *in Conc. Ieroſol*; vt teſtatur *D. Petrus*: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*; ergo poteſt eſſe etiam in Eccleſia triunphante, quotieſcunque illis beatis Spiritibus non innoteſcit voluntas Dei, eadem pugna.

20 Tandem *Iob.25. Qui pacem ponit in ſublimibus*; idèſt in Angelis, vt exponit *D. Greg. 17. Mor*; inter quos ponit pacem illis reuelãdo propoſitum voluntatis ſuæ; ex quo ſic. Ponere pacẽ ſupponit pugnam, aliter pax non poneretur, ſed ſupponeretur; ſed Deus ponit pacem inter Angelos; ergo inter ipſos eſt pugna.

Ad 1. rationem dubitandi diſt. ma. Pugna cõcors in bono repugnat amori, & charitati, neg; nam bonũ eſt effectus charitatis; vnde ſi eſt concordia in bono, quãuis ſit diſcordia quantùm ad volita, eſt concordia etiam in charitate. Pugna diſcors à bono, conc. Ad 2. diſt. ma. Repugnare voluntati Dei cognitæ in particulari, neg; non cognitæ in particulari, tranſeat; repugnare autem voluntati Dei non cognitæ non eſt peccatum, quotieſcunque talis repugnantia eſt ex alio motiuo bono volito per aliam voluntatem Dei. Ad 3. diſt. ma. Nequit eſſe pugna concors in bono, neg; diſcors à bono, conc. Ad 4. dicitur, quòd ad pugnam concordem in bono non requiritur cõtrarietas opinionum, ſed ſufficit neſcientia Diuinæ voluntatis; ideo vterque Angelus certò ſcit, quòd ſua volitio eſt ex bono motiuo, quamuis vnus ignoret volitionem alterius eſſe conformẽ voluntati Diuinæ.

21 Quæres 6; an quilibet homo habeat ſuũ Angelũ cuſtodem; & an vnus Angelus poſſit cuſtodire plures homines ſucceſſiuè?

Reſp. *Fund. Doct. vbiſ. dub. 4. lat*; quòd licèt vnus Angelus poſſet ſufficere ad cuſtodiendos omnes homines; ſicut vnus ſufficit ad mouendũ totum Cęlum; nõ enim requiritur, quòd Angelus ſit ſimul in tota terra, quia nec etiam quarta pars terrę habitatur ab hominibus; attamen magis cõgruit Diuinæ bonitati, vt vnuſquiſq; homo habeat ſuum Angelũ cuſtodẽ; attentiùs enim cogitat de bono hominis, quò magis reſtringit ſpeciẽ ad conſiderationem vnius tantùm ſingularis; vt diximus *q. 4*: Fundamentum autem huius habetur *in Deut. 32. Conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum*.

22 Ex hoc autem ſequitur vnum Angelum cuſtodire plures homines ſucceſſiuè; quia cùm maior ſit numerus hominum, quàm Angelorum cuſtodum; ideo neceſſariò vnus Angelus debet plures homines ſucceſſiuè cuſtodire. Nec ex hoc ſequitur aliquod inconueniens; quia Angelus, vtpotè purus ſpiritus, in cuſtodiendo non fatigatur; nec impeditur à ſua beatitudine; nec diſtrahitur à viſione: *Angeli enim eorum ſemper vident faciem Patris, qui eſt in Cœlis*; neque aliquid moleſtiæ illi accidit; quia moleſtia incompoſſibilis eſt cum eorum beatitudine, vt *ſup.* dictum eſt; ergo nihil obſtat, quin poſſit plures homines ſucceſſiuè cuſtodire.

QVÆSTIO XIII.

De Inſidijs Dæmonum.

SAepe diximus *cũ Beatiſſ. P. Aug. lib. 11. de Ciu. Dei c. 33.* Angelos in duas ſocietates fuiſſe diuiſos, quarum vna caſtiſſimo flagrans charitatis ardore homines cuſtodit, vt eos ad gloriam ſecum perducat; altera impuriſſimo fumans odientis libidinis æſtu inſidiatur hominibus, vt illos in pœnarũ ſuarum trahat cõſortium. Cùm igitur aliqua de bonorũ Angelorũ cuſtodia tractauerimus *in ſup. q*; in præſenti nonnulla de malorum inſidijs ſunt proponenda; cetera explicaturi *in tract. de peccatis*, cùm de tentatione hominis agemus; Dęmones enim inſidiantur, vt tentent, & à Fide, vel à bonis moribus in prauos deijciant.

A R T. I.

An Dæmones ſenſus hominis poſſint deludere?

1 DOemones nobis inſidiantur vel intrinſecè, vel exrrinſecè; intrinſecè quidem, quando inuiſibiliter deludunt ſenſus, & immutant noſtrum intellectum, ac volunrarem; vt ſic in peccata nos trahant; extrinſecè autem, quādo viſibiliter in corporibus apparēt. Quia tamen nedum Dœmones, ſed etiam Angeli boni corpora viſibilia aſſumunt; ideo de hoc *in ſeq.q.* ſermonem habebimus.

2 Vnica concl. Angeli mali deludunt ſenſus humanos internos, & externos effingendo obiecta ſenſibilia, & immutando potentias ſenſiriuas. *Ita Fūd. Doct. in 2. diſt. 8. q. 2. art. 4. in reſol. dub. 1.*

3 Prob. 1. ex illo *Exod. 7. Vocauit autem Pharao ſapientes, & maleficos, & feeerunt etiam ipſi per incātationes Aegyptiacas, & arcana quædā ſimiliter; prodieceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in draeones*; ſuper quod *Gloſ.* aſſerit, quòd *figmentis Diabolicis ſpectantium oculos deludebant; &* 1. *Reg.* 28. arte *Pythoniſſæ* ſuſcitatus eſt *Samuel* per illuſionē ſenſuum. *Hinc Beatiſſ. P. lib. 18. de Ciu. Dei c. 18.* narrat quaſdam mulieres ſtabularias in Italia magicis artibus imbutas caſeo hoſpitibus dato ad manducandum illos vertiſſe in iumenta, quæ neceſſaria quæque portabāt; poſt quæ perfuncta opera ad ſe ipſos redierūt; ſic *Apuleium* epoto veneno in aſinum fuiſſe mutatum permanente animo humano; & tandem in hominem redijſſe; ſic *Circem* ſocios *Vlyſſis* in beſtias vertiſſe; ſicut ſocios *Diomedis* in aues; de quibus ait *Beatiſſ. P. Non itaque ſolùm animum, ſed nec corpus quidem vlla ratione crediderim Dæmonum arte, vel poteſtate in mēbra, vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe conuerti; ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando, ſiue ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur; & cùm corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis, aut oppreſſis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum, neſcio quo ineffabili modo, figura corporea poſſe perduci ita, vt corpora ipſa hominum alicubi iaceant viuētia quidem, ſed multò grauiùs, atque vehementiùs, quàm ſomno ſuis ſenſibus obſerratis. Phantaſticum autem illud, veluti corporatum in alicuius animalis effigie, appareat ſenſibus alienis, taliſque etiam ſibi homo eſſe videatur; ſicut talis ſibi videri poſſet in ſomnis; & portare onera, quæ onera, ſi vera ſunt corpora, portantur à Dæmonibus, vt illudatur hominibus partim uera corpora onerum, partim iumētorum falſa cernentibus.* Quibus verbis deſcribit, quomodò Dœmones poſſunt deludere ſenſus humanos corpora ſenſibilia externè ementiendo; & ipſos ſenſus internè immutando. *Vid. lib. 11. de Gen. ad lit.*

4 Prob. autem ratione. Corpora obediunt Angelis qnoad *vbi*; quia poſſunt mouere localiter corpora; ergo poſſunt mouere localiter acrem, illumque magis, & minùs condenſare ita, vt repræſentet effigiem alicuius corporis, qua illudat ſenſus humanos; & ſic mouere humores in oculis, vt videant colores efformantes aliquam effigiem; ſicut enim color rubeus poſitus in oculo repræſentat omnia obiecta rubea; ita mouendo humores varij coloris exiſtentes in oculo poteſt efficere, vt oculus videat aliquam effigiem, quæ verè non eſt illi præſens; & ſic poteſt reducere ad ſenſus ſpecies exiſtentes in memoria ſenſitiua, & illas ita connectere, & vnire, vt repręſentent aliquod, quod non eſt; ergo poteſt illudere ſenſus humanos ementiendo extrinſecè obiecta, & immutando intrinſecè ſenſus.

5 Conf. Poſſunt Dœmones retrahere calorem à ſenſibus, & ſic eos ſopire, & poſtea mouere phantaſmata exiſtentia in memoria ſenſitiua; vt contingit in dormientibus, qui ſomniantur ea, quæ non ſunt; vel ſubleuare nimium calorem ad ſenſus, vt accidit in frænericis, qui videntur videre, quæ verè non vident; ergo poſſunt ſenſus intrinſecè immutare, & falſis imaginibus illudere. Præterea poſſunt aliquos homines in aliquē locum ſecretū detrudere, eorumque ſenſus per aliquod tempus ſopire; & interim ſumere corpora acrea efficiendo aliquod ſub eorum effigie; atque id hominibus ſic ſopitis repræſentare; hæc enim omnia dicunt ſolùm motum ad locum; ergo poſſunt obiecta ſenſibilia extrinſecè effingere deludendo ſenſus tam exrernos, quàm internos hominum ſpectantium.

6 Obijc. 1. Dœmones non poſſunt imprimere ſenſibus ſpecies ſenſibiles; ergo nequeunt ſenſus immutare; immutatio enim ſenſus non fit, niſi per impreſſionem alicuius ſpeciei. 2. Licèt Dœmones poſſint mouere humores exiſtentes in ſenſibus; attamen in illis humoribus nòn ſunt actu ſpecies ſenſibiles repræſentantes corpora, quæ non ſunt actu; aliter ea videremus, etianſi Dœmones non moueāt illos humores. Si autem illæ ſpecies ſint in potentia, non poterunt actu repræſentare; quia potentiale, prout in potentia, nequit actu agere; ergo nequeunt ſenſus immutare. 3. Si poſſent Dœmones ſopire corpora per multum tempus, illa corpora non poſſent ſic viuere, quia impoſſibile eſt corpora multo tempore viuere ſine cibo; ergo allata doctrina non ſubſiſtit.

Reſp. ad 1. neg. conſ. Ad prob. inſert. neg. aſſumpt. abſolutè; immutatio enim ſenſuum vel fit per impreſſionem ſpecierum ſenſibilium; vel per reductionem ſpecierum exiſtentium in memoria ſenſitiua ad ipſos ſenſus; vel per motionē humorum, vt *ſup.* dictum eſt. Ad 2. dicitur illos humores habere ſpecies ſenſibiles actu; non tamen per illos actu ſentimus, niſi quando ſunt actu redactæ, & coniunctæ cum ſenſibus; coniunguntur autem à Dœmonibus; & ideo ſic deludimur. Ad 3. dicitur illud alimentum, quo viuimus, eſſe modicum, & ſubtile; & ideo illud poſſunt

Dœ-

Dœmones purificare, & in corpora ſopita traijcere, ac illa alere, ne pereant.

7 Cetera proponentur, & explicabuntur *in ſeq. art.*

ART. II.

An Dœmones poſſint immutare intellectum humanum?

1 MEntem hominis poſſe decipi per ſenſus à Dœmonibus inſidiatoribus manifeſtum eſt; cùm enim pro hoc ſtatu mẽs noſtra intelligat dependenter à phantaſmatibus materialibus exiſtentibus in ſenſibus; ideo ſi ſenſus poſſunt decipi à Dęmonibus, clarè ſequitur etiam intellectum noſtrũ poſſe deludi. Vlterius tamen inquirendum eſt, an alio modo poſſit fieri deceptio?

2 Vnica concl. Intellectus hominis poteſt indirectè ſolùm à Dœmone inſidiatore tripliciter decipi. 1. Quia Dęmon poteſt facere, vt ſpecies, ſeu ſimilitudines exiſtentes, & non apparentes in corpore appareāt. 2. Quia poteſt de nouo cauſare ſpecies in corpore, quæ in illo antea non erant. 3. Quia intellectus noſter poteſt videre in aliquo ſpiritu ſpecies exiſtentes in illo; non autẽ poteſt Dœmon decipere intellectum noſtrum immediatè, & directè in illum agendo. *Ita Fund. Doct. vbiſ. dub. 2. lat;* quod colligit *ex Beatiſſ. P. lib. 12. ſup. Gen. ad lit.* Idem docet *noſter Argent. diſt. 8. art. 3.*

3 Prob. 1. pars concl. Dœmones habent virtutem locomotiuam; quia corpora eis obediunt quoad motum *ad vbi*; ergo poſſunt vnire cum intellectu hominis ſpecies, quæ latent in eius memoria; & ſic proponere aliquod obiectũ peccaminoſum, & inducere eum in peccatum.

4 Dices. Si Dœmones poſſent ſolùm facere, vt ſpecies, quæ latent in memoria, coniungātur cum potentia ſenſitiua, & cum organo phantaſtico, & ſic repræſentarent aliquod obiectum intellectui; ſequeretur, quòd non poſſent plus facere, quàm nos ipſi; id enim etiam nos poſſumus præſtare; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. *Fund. Doct.* neg. ſeq; nam licèt etiam nos poſſimus reducere ſpecies exiſtentes in memoria ad intellectum poſſibilem; attamen non poſſumus eas ita ordinare, & connectere, ſicut poſſunt Dœmones; vt repræſentent aliquod obiectum, quod priùs non repræſentabant; v. g. quamuis nos cognoſcamus, & habeamus ſpecies omnium literarum linguæ latinæ; attamen neſcimus omne illud, quod poteſt per illas hoc, vel alio modo ordinatas ſignificari; ſicuti quamuis diſcipulus habeat ſpecies omnium verborũ; attamen nõ cognoſcit per illas omne illud, quod poteſt edoceri à Magiſtro edocente illum ordinando eadem verba hoc, vel illo modo; ergo quamuis habeamus ſpecies, & illas poſſimus reducere ad organum phantaſticum, & ad intellectum; attamen non poſſumus æquè, ac Dœmones; quia non ſcimus illas ita ordinare, ac connectere, vt repræſentent aliquod obiectum, quod priùs non cognoſcebamus.

5 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ. P. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 27;* vbi de Serpente tentante *Euam* ait: *Sed in Serpente ipſe locutus eſt vtens eo veluti organo, mouenſque eius naturam eo modo, quo verè ille mouere, & moueri illa potuit ad exprimendos verborum ſonos, & ſigna corporalia, per quæ mulier ſuadentis intelligeret voluntatem.* Ex quo ſic. Quamuis corpora non obediant Dœmonibus quoad motum ad formam; quia Dœmones nequeunt producere aliquid in corporibus; vel ex corporibus aliquid educere; attamen poſſunt mouere corpora externa, & illis mediſtibus voces formare; quibus generare in nobis phantaſmata, quæ antea non habebamus; vel poſſunt adducere ante noſtrum conſpectum corpora, vel vera, vel ab ipſis efficta, quæ antea non vidimus; & ſic generare in nobis ſpecies illorum; ergo poſſunt nobis illudere producẽdo in nobis ſpecies, quas antea non habebamus.

6 Prob. 3. pars; nam licèt pro hoc ſtatu non poſſimus intelligere ſubſtantias ſeparatas in ſe ipſis, & ideo neque ſpecies intelligibiles exiſtentes in ipſis; attamen quia Dœmones poſſunt ſic ordinare noſtras ſpecies exiſtentes in noſtro intellectu, vt repræſentent ſpecies exiſtentes in mentibus Dęmonum; ideo poteſt noſter intellectus cognoſcere ſpecies exiſtentes in intellectu Dœmonum; ſed Dœmones poſſunt ita ordinare ſuas ſpecies, vt repræſentent aliquod falſum; ergo Dœmones hoc modo etiam nos poſſunt deludere, & decipere.

7 Ex dictis. 1. collig; quòd ſicut Angeli mali poſſunt his tribus modis hominẽ decipere, & ei illudere, vt ipſum trahant in peccata, & damnationem; ita Angeli boni poſſunt iiſdem modis hominem inſtruere, & docere veritatem ipſum perducendo ad bonum, & ad gloriam; propter quod dati ſunt in illius cuſtodiam; oppoſitum enim intendit Angelus malus aſſiſtens homini, & Angelus bonus ipſũ cuſtodiẽs; propterea Angelus cuſtos, & Dęmon inſidiator dicuntur ad inuicem continuò pugnare.

8 Collig. 2; quòd licèt Angeli non poſſint immediatè mouere, niſi ad *vbi*; vt fusè probat *Argent. vbiſ. art. 1;* attamen mediatè poſſunt etiã mouere motu ad formam; quia poſſunt coniungere actiua paſſiuis proprijs; ex qua coniunctione ſequitur actio; vt poſſunt coniungere ignem ligno; ſi enim poſſunt mouere lignum de loco ad locum; poſſunt etiam coniungere lignum igni; quia poſſunt vnum ponere iuxta alterum; niſi tamen à Deo impediantur; quod contingit vt plurimùm in Angelis malis; quorum *poteſtatem* dicit *Beatiſſ. P. lib. 11. de Ciu. Dei, Dei poteſtate frænatã;* ne nobis noceant.

9 Prob. vlt. pars concl. Dœmones non poſſunt agere immediatè in intellectũ, quia illi illa-

be-

bereretur; nam cùm intellectus ſit indiuiſibilis, & Angelus nequeat eſſe in indiuiſibili;aliter poſſet eſſe in eſſentia cuiuslibet rei;quod nequit eſſe, quia in eſſentia nequit eſſe,niſi illud, quod illam conſeruat, vt eſt ſolus Deus; ideo nequit immediatè operari in intellectu; nã operatio conſtituit ſpiritum in eo, in quo operatur: ergo Dœmon nequit immediatè, & directè fallere noſtrum intellectum.*Vid.Fund.Doct.in reſol.huius art.5;ſed de hoc,cùm de illapſu.*

A R T. III.

An Dœmones poſſint eludere voluntatem?

1 DIximus *q.7.art.3.n.*11.amorem triplicem eſſe,ſcilicet naturalem,electiuum,& gratuitum. Certum eſt Dœmones nõ poſſe eludere voluntatem noſtram inclinando ad amorem naturalem;quia amor naturalis conſequitur naturam voluntatis; & ideo eſt ſolùm à Deo,qui ſolus condidit voluntatem,& omnia, quæ naturaliter ad illam ſequuntur. Certum eſt etiam non poſſe inclinare ad amorem gratuitũ; quia amor gratuitus eſt à gratia, quæ ordinatur ad gloriam;nam Dęmones ſe auertendo à gloria gratiam amiſerunt; & ideo ad illam nequeunt inclinare,quod nequit fieri,niſi per gratiam;ſicut enim inclinatio ad malum non fit,niſi per culpã, quæ eſt quoddam pondus animæ inclinans voluntatem ad malum;ita inclinatio ad gratiam, & gloriam non fit, niſi per gratiam, quæ eſt veluti quoddam pondus inclinans voluntatem ad bonum. Dubium ergo eſt de amore electiuo mali.

2 Vnica concl. Dœmones inſidiatores poſſunt mouere voluntatem noſtram indirectè inflammando appetitum ſenſitiuum,ſeu iraſcibilẽ, & concupiſcibilem; & per phantaſmata per ſenſus in intellectum, & per intellectum mouendo voluntatem, quatenus pellicit in obiectum peccaminoſum repræſentatum ſub ratione boni delectabilis; & apparentibus rationibus ſuadet, vt in illud tendat.*Ita Fund.Doct. hic in reſol.dub.3; & Argent.vbiſ. art.4.*

3 Prob.1. pars concl. Quotieſcunque accenditur ſanguis, tunc homo eſt pronus ad iram; & cùm caleſiunt partes venereæ, eſt inclinatus ad carnis concupiſcentiam; cor enim hominis mediat inter has duas paſſiones, quæ vocantur iraſcibilis,& concupiſcibilis;& iſtis inflammatis accenditur cor ad peccandum;ſed Dœmones poſſunt inflammare ſanguinem, & partes venereas mouendo ipſum ſanguinem,& ſemẽ;*motus* enim *eſt cauſa caloris*; vel aliquid aliud extrinſecè efficiendo; ergo poſſunt mouere voluntatem inflammando appetitum ſenſitiuum.

4 Prob.2.Quoties duæ potentiæ ad inuicem colligantur, tunc mota vna mouetur & alia; vt patet de duabus rotis fixis in eodem ſtipite; mota enim vna mouetur etiam altera; ſed appetitus ſenſitiuus colligatur cum voluntate;ſicuti ſenſus colligantur cum intellectu; ergo moto appetitu ſenſitiuo mouetur etiam voluntas;atqui Dœmones poſſunt mouere appetitum ſenſitiuum,ergo & mediante ipſo voluntatem.

5 Hac ratione prob.etiam altera pars concl; nam intellectus,quia vnitur cum voluntate, poteſt illam mouere perſuadendo rationibus,vt tẽdat in aliqnod obiectum, & oſtendendo bonitatem obiecti; ſenſus autem, cùm pariter vniantur cum intellectu, poſſunt mouere ipſum intellectum,vt dictum eſt *in ſup.art*;ſed Dœmones poſſunt mouere ſenſus,vt dictum eſt *art.*1;ergo mediantibus ſenſibus poſſunt mouere intellectum, & mediante intellectu voluntatem.

6 Quoniam autem repetitione actuum fit habitus,ſeu conſuetudo,quæ *ex Phil.lib.de mem.* eſt altera natura; ideo Dęmones repetendo motus in partem ſenſitiuam hominis, & mediantibus his inducendo in malum, dicuntur inclinare hominem per modum cuiuſdam inclinationis naturalis acquiſitæ in malum.Quemadmodum è contra Angeli cuſtodes per eoſdemet ſenſus mouent ad bonum, & repetendo motus inducũt conſuetudinem ad tendendum in bonum.

7 Collig. ex dictis, quomodò intelligendæ ſint *Scripturæ* aſſerentes Diabolum trahere voluntatem ad malum,tentare cor; vt illud *Oſeæ* 7. *Omnes adulterantes,quaſi clibanus ſuccenſus*; ſuper quod *Gloſ. marginal.* ait: *Hæreticorum corda igne Diaboli ſuccenſa, donec coquatur numerus Antichriſti*: Et illud *Act.*5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum*; ſuper quod *eadem Gloſ.* ait, quòd alia trãſlatio habet:*Quare impleuit Sathanas cor tuũ*; iſta enim, & alia ſimilia non ſunt intelligenda immediatè ita,vt Dœmones immediatè agant in voluntates hominum imprimendo malas cogitationes;ſed mediante appetitu ſenſitiuo, & mediantibus ſenſibus mouentibus intellectum ad ſuadendam voluntati tendentiam in peccatum; quapropter *pſ.* 77.malæ cogitationes vocantur *immiſſiones per Angelos malos*; quia ab Angelis inſidiantibus immittuntur in voluntatem hominis per appetitum ſenſitiuum, & per ſenſus, & à ſenſibus in intellectum, à quo tandem immittuntur in voluntatem.

A R T. IV.

An Dœmones victi ab impugnatione deſiſtant?

1 ALiqui, vt refert *Fund. Doct. diſt.* 6. *q.*2.*art.*4; voluerunt Dœmones victos ab aliquo iuſto ceſſare à tentatione ſimpliciter ita,vt nedum deſinant illum ampliùs tentare circa illud vitium,de quo victi ſunt; ſed neq; poſſint illum tentare circa aliud vitium; & non ſolùm non poſſint tentare illum iuſtum, ſed nec alium hominem.

2 Sed hæc ſententia falſitatis conuincitur; aliter nulla in præſenti eſſet tentatio, cùm à tot hominibus ſanctis victi ſint Dœmones;imò nullus ſanctus fuiſſet tentatus;quia ſi Dœmones victi ab aliquo homine iuſto non poſſent amplius ten-

tentare aliquem hominem; multò minùs id potuiſſent præſtare victi à Chriſto Domino, quia magis ab ipſo eneruati, debilitati, & proſtrati fuerunt.

3 *Alij apud eundem* dixerunt Dęmones victos ab aliquo homine non poſſe ampliùs tentare illum, nec alium hominem illo vitio, circa quod victi ſunt.

4 Sed etiam hoc falſum eſt;nam ſequeretur Dęmones ſemel victos circa libidinem non poſſe ampliùs circa illam homines tentare, quod experientia docet eſſe falſum.

5 *Alij* voluerunt Dęmones victos non poſſe ampliùs tentare hominem,à quo victi fuerunt de illo vitio,poſſe tamen tentare circa alia vitia; alios verò homines poſſe tentare circa illud, & alia vitia; *pro cuius deciſ.*

6 Not. *hic* nos loqui de victoria perfecta, quæ fit per adhæſionem Deo per actum charitatis perfectæ in via; non autem de victoria quacunque imperfecta.

7 Vnica concl. Non eſt certum Dœmones victos ceſſare à tentatione hominis victoris, & etiam aliorum circa illud vitium, de quo victi fuerũt,vel circa alia vitia;probabiliter tamẽ dici poſſet ceſſare à tentatione hominis vincentis, & etiam aliorum hominum cum hoc tamen diſcrimine; quòd ceſsãt à tentatione hominis vincentis pro ſemper circa illud vitiũ, de quo victi fuerunt,non tamen circa alia vitia;at verò licèt ceſſent ad tempus à tentatione aliorum hominum circa illud vitium,non tamen ceſſant ſimpliciter pro ſemper. *Ita Fund. Doct. vbiſ.*

8 Prob. 1. pars concl. *Ex Scripturis* hoc non poteſt deduci, imò deducitur Dęmones continuò occupari in tentatione; quomodò autem occupentur, non conſtat; ergo circa hoc nihil certi poteſt ſubſtineri.

9 Prob. 2. pars. Diabolus victus à Chriſto Domino circa gulam illum ampliùs circa hoc non tentauit; ſed paulò poſt illum tentauit circa concupiſcentiam oculorum, deinde de ſuperbia vitæ;ſic etiam legitur *de D. Benedicto, D. Thom. Aquinate, & alijs SS*; quòd poſtquam perfectè vicerunt tentationem libidinis, non fuerunt ampliùs circa illam tentati; ergo Dęmones perfectè victi circa aliquod vitium ceſſant à tentatione vincentis circa illud vitium, non tamen à tentatione circa alia vitia. Et ratio etiam id ſuadet;nã Dęmones tunc perfectè vincuntur circa aliquod vitium, quando iuſtus tentatus habet paſſiones perfectè domitas,& frænatas,nec in illud vitium ampliùs inclinat; ſed cùm iuſtus habet paſſiones ſic domitas, atque frænatas, vt abhorreat ab illo vitio, & nullo modo ad illud inclinet, nequit tentari à Dęmonibus circa illud; quia Dęmones non tentant, niſi quem ſciunt habere paſſiones inclinatas ad aliquod vitium, vel ad ſummũ quem neſciunt habere paſſiones domitas, & fręnatas; nam tentare eſt experimentum ſumere, vt ſciant aliquid,quod antea ignorabant; vnde cùm ſciunt aliquem hominem habere paſſiones perfectè domitas,& auerſas ab aliquo vitio, nequeunt circa hoc experimentum facere,vt circa hoc ſcientiam capiant; talem enim ſcientiam iã habent; ergo Dęmones perfectè victi ab aliquo iuſto circa aliquod vitium, ceſſant ab illo tentãdo circa illud vitium; quia tamen ex hoc non poſſunt ſcire, an alij homines habeant paſſiones eodem modo frænatas,ideo non deſiſtunt à tentatione aliorum hominum circa illud vitium; & quia neſciunt, an ille iuſtus habeat eaſdem paſſiones æqualiter frænatas circa alia vitia; ideo quamuis ceſſent à tentatione circa illud vitium, de quo victi ſunt, quia ſcientiam de illo habent; attamen non ceſſant à tentatione eiuſdem iuſti circa alia vitia,& multò minùs à tentatione aliorum hominum circa alia vitia.

10 Prob. 3. pars concl. Ordo charitatis facit,vt omnia bona,quæ fiunt in Eccleſia,ſint omnibus communia;quapropter inter *Articulos Fidei* ponitur *in Symb. Communio Sanctorum*; ſed iuſtus vincendo Dęmones impugnantes facit, vt ceſſent à tentatione ſui circa illud vitium; ergo efficit etiam, vt ceſſent à tentatione aliorum hominum circa illud idem vitium. Quia tamen neſciunt Dęmones,an alij homines habeant paſſiones perfectè frænatas,& auerſas ab illo vitio;imò potiùs ſciunt multos habere paſſiones procliues ad illud vitium,ideo non deſiſtunt ſemper,ſed ad tempus.

11 Ex dictis colligi poteſt, quòd Dęmon victus ab aliquo iuſto circa aliquod peccatum, ſicuti deſiſtit ſimpliciter à tentando illum circa illud peccatum;ita ad tempus, ſeu pro illo inſtãti deſiſtit à tentãdo illum etiam quoad alia peccata; videt enim eum perfectè cõuerſum in Deũ pro eo tunc,ac magno feruore charitatis tendere in Deum; quapropter licèt alia peccata non ſint inter ſe connexa ratione ſui;attamen connectuntur ratione auerſionis à Deo; in hoc enim omnia peccata conueniunt; ergo ratione perfectæ conuerſionis in Deum omnia vincuntur; & ideo Dœmones videntes aliquem iuſtum perfectè conuerſum in Deum per ardentiſſimum actũ charitatis,quo vincit aliquod peccatum,deſiſtũt pro illo tunc à tentatione ipſius circa alia peccata;cognoſcunt enim pro eo tunc non poſſe iuſtũ inclinare in illũ peccatum,quia eſt perfectè conuerſus in Deum;quapropter cùm Lucifer tentauit prima vice Chriſtum Dominum, non ſtatim tentauit denuo,ſed poſt morulam;duxit enim ipſum priùs in montẽ excelſum;quo interuallo putauit ipſum eſſe diſtractum à cõuerſione in Deũ.

12 Hæc omnia ſolùm probabiliter dicta eſſe volumus;ad quorum obiectiones,ſi quæ fiant, probabiliter ſemper reſponderi poteſt ex dictis; nihil enim circa hoc vſque nunc adductum eſt *ex Scripturis*, aut quidquam reuelatum eſt, & definitum ab Eccleſia.

QVAE-

QVÆSTIO XIV.

De Aſſumptione Corporum.

QVoniam corpora ſenſibilia multoties aſſumuntur ab Angelis bonis deputatis ad noſtram cuſtodiam; vt colligit *ex Scriptura Beatiſſ.P.Aug.in Enchir.c.59*; & à Dœmonibus ad tentationem, & exercitium addictis, ideo poſtquam egimus de cuſtodia bonorum, & inſidijs malorum, agendum eſt de aſſumptione corporum, in quibus tam illi, quàm iſti nobis apparent; illi, vt ad bonum alliciant; iſti, vt in malum deijciant; illi ſeruando, iſti inſidiando.

ART. I.

An Angeli poſſint aſſumere corpus?

1 ASſumere corpus poteſt eſſe quadrupliciter. 1. Tanquam forma informans. 2. Tanquam motor naturaliter, & neceſſariò connexus cum corpore. 3. Tanquam ſuppoſitum ſuppoſitans naturam corpoream, vt Verbum Diuinum in Incarnatione. 4. Tanquam formę merè liberè, & contingenter aſſiſtētes, & mouentes extrinſecè; & in hoc vltimo ſenſu procedit difficultas propoſita; antequam tamen illam reſoluamus, expediendi ſunt tres ſenſus priores. Ideo.

§. 1.

An Angeli poſſint aſſumere corpora, tanquam formæ informantes?

2 DIximus *q.1.art.2.§. 3.* Angelos non eſſe corporeos; *&* §. 1. oſtendimus *Beatiſſ.P.* nec quidem dubitaſſe circa corporeitatem Angelorum, ſed ſimpliciter *Platonicorum* ſententiā retuliſſe, quam exponit *lib.12.c.14*; & hoc conformiter ad *Fund.Doct. in 2. diſt.8.q.1. art.1.ad 1*; vbi habet: *Dictum Auguſtini 8. de Ciuit.Dei non eſt ſecundùm opinionem propriam, ſed eſt recitatiuum opinionis aliorum; eſt enim dictum Apulei, vt patet per Auguſtinum ibid*; & licèt dictam opinionem non improbet, attamen non ſequitur, quòd approbet; ſubdit enim *Fund. Doct. ibid. Non valet, ſi opinionem aliquam recitamus, & eam non improbamus, quòd ipſam approbemus; & maximè, ſi non accipiamus hoc, tanquam veritatis fundamentum, ſed tanquam opinatiuè dictū.*

3 Vnica concl. Angeli non poſſunt aſſumere corpora per informationem, ſeu per naturalē vnionem per modum formæ informantis ipſum corpus.

Prob. 1. *ex Beatiſſ.P.lib.21.de Ciu.Dei c.10*; vbi habet, quòd Dęmones adhærebunt ignibus; *Non vt ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtant ex ſpiritu, & corpore.* Et mox. *Non dantes ignibus vitam, quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærēt Spiritus, & animalia fiunt, omnino maius eſt; nec comprehendi ab homine poteſt.* Quod *Fund. Doct. ibid.* probat tripliciter. 1. Si aſſumeret corpus per informationem, operaretur dependenter à corpore; ideo enim anima rationalis operatur dependenter à corpore, quia informat corpus, & habet eſſe in corpore; *operari enim ſequitur ad eſſe*; ergo à pari de Angelo. 2. Si Angeli informarent corpora, eſſent ſubſtantialiter pura potentia in genere intelligibilium; & ideo non differrent ſpecie ab homine, nam ſi non eſſent pura potentia in genere intelligibilium; iam eſſent actu per ſe intelligentes; ergo eſſent completi in eſſe ſubſtantiali; & ideo non poſſent vniri corporibus, vt formæ incompletæ; tum quia ſi poſſent vniri corporibus per informationem, poſſent recipere ſpecies intelligibiles per corpora; corpus enim eſt organum, quo mediante forma exercet ſuas operationes, vt patet de anima rationali, quę, dum eſt in corpore, recipit ſpecies per corpus; dum autem eſt ſeparata à corpore, illas non recipit per corpus; ſed illud, quod recipit ſpecies per corpus, eſt pura potentia in genere intelligibilium; ergo Angeli eſſent pura potentia. 3. Si Angeli haberent corpora vnita per informationem, laſſarentur in mouendo alia corpora, & aliquando ceſſarent à motu; nulla enim maior ratio eſt, ob quam homo fatigetur in mouendo corpora, niſi quia habet corpus coniunctum per informationem; ſed Angeli non laſſantur, neque ceſſant à motu corporum Cœleſtium; ergo Angeli non aſſumunt corpora per informationem.

4 Obiectiones *vid.vbiſ.q.1.art.2.§.2; & 3.*

§. 2.

An Angeli vniantur naturaliter corporibus, tanquam motores?

5 VNica concl. Angeli non aſſumunt corpora, tanquam motores naturaliter, & neceſſariò illis vniti, liberè enim mouēt corpora aſſumpta. Ita *Fund. Doct. ibid. in reſol. dub.* 1. Prob. 1. Angeli ſunt in maiori numero, quàm corpora mobilia; quia maior eſt diſtantia inter animam rationalem, & Deum, quàm inter animam, & materiam primam; hæc enim eſt finita, illa infinita; congruum autem eſt, quòd in maiori diſtātia exiſtant plura, quàm in minori; ergo Angeli nequeunt naturaliter, & neceſſariò vniri, tanquam motores, corporibus aſſumptis; quod enim naturaliter competit alieni naturę, cōpetit omnibus illius naturę; vnde ſi Angeli eſſent vniti corporibus naturaliter, tanquam motores, omnes Angeli ſic eſſent vniti. 2. Si Angeli eſſent naturaliter vniti, tanquam motores aliquorum corporum, non poſſent mouere alia corpora, niſi mediantibus illis corporibus, quibus ſunt naturaliter vniti; ita enim anima noſtra nequit mouere lignum, vel lapidem, niſi mediante noſtro corpore, cui naturaliter vnitur; ſed conſ. eſt falſū; ergo & ant. 3. Angeli nequeunt vniti corpori-

ribus aſſumptis per ſuam eſſentiam; ſic enim vnirentur, vt formæ; ergo vniuntur per virtutem operatiuam; ſed virtus operatiua vel eſt voluntas ipſius Angeli, vel potentia locomotiua, quæ ſubditur imperio ipſius voluntatis, quod verius putamus, vt patet in nobis; ergo Angeli non vniuntur corporibus mobilibus naturaliter, & neceſſariò, ſed liberè.

6 Dices. Si Angeli non eſſent naturaliter vniti corporibus ſaltem, tanquam motores, ſequeretur omnes partes Vniuerſi nõ eſſe connexas, quod præiudicaret perfectioni ipſius, quæ conſiſtit in connexione, & ordine partium.

Reſp. neg. ſeq; ad connexionem enim Vniuerſi ſufficit, quòd omnes Angeli ſint in aliquo loco, ſeu ſpatio ipſius Vniuerſi.

§. 3.

An Angeli poſſint ſuppoſitare naturam corpoream?

7 QVærimus *hic* an Angelus poſſit aſſumere aliquam naturam per ſuũ ſuppoſitum illam ſuppoſitando eo modo, quo Verbum Diuinum aſſumpſit naturam humanam; & ſicuti Verbum aſſumendo naturam humanam factus eſt homo; ita Angelus aſſumendo naturam humanam v. g. poſſit fieri homo.

8 Vnica concl. Angelus nequit aſſumere naturam humanam illam ſuppoſitando. *Ita Fund. Doct. vbiſ. in reſol. dub. 2. lat.*

Prob. 1. Sicut ſe habet natura vnius rei ad naturam alterius, ita ſe habet ſuppoſitum vnius ad ſuppoſitum alterius; ſed natura Angeli, quia eſt limitata, nequit exercere operationes naturæ corporeæ, v. g. generare canem &c; ideo enim natura Diuina poteſt producere canem ex nibilo, quia eſt infinita; & ideo eſt omnis natura; natura autem Angeli eſt finita, nec eſt omnis natura; & ideo nequit habere operationes proprias alterius naturæ; ergo neque ſuppoſitum Angeli poteſt ſuppoſitare naturam corpoream, & exercere munus alterius ſuppoſiti proprij naturæ corporeæ; quia eſt finitum, & limitatum æquè, ac natura ipſius Angeli, cuius eſt ſuppoſitum. Hæc ratio deſumpta eſt *ex Beatiſſ. P. lib. 9. de Gen. ad lit;* vbi docet, quòd Angeli ſe habent, ſicut Agricolæ, qui non ſunt creatores ſegetum, ſed ſolùm adminiſtratores ſeminum.

9 Prob. 2. *ex eod.* Suppoſitum Angelicum eſt determinatum ad ſuppoſitandam determinatam ſpeciẽ ita, vt nequeat aliam ſpeciẽ ſuppoſitare; ergo nequit ſuppoſitare naturam corpoream. Prob. ant. Suppoſitum Angelicum eſt in determinata ſpecie, tãquam terminus illius; aliter ſpecies Angelica careret termino, & ſic eſſet illimitata; tum quia omnis res creata eſt in determinato genere, & determinata ſpecie; aliter eſſet infinita, vt eſt Deus, qui habet perfectiones omnium generum, & ſpecierum, quia nõ eſt in aliquo genere, aut ſpecie determinata. Prob. conſ. Ideo ſuppoſitum Verbi Diuini poteſt terminare naturam humanam, quia ſuppoſitat naturam Diuinã, quæ non eſt aliqua ſpecies determinata, cùm ſit omnis natura; ergo ſuppoſitum Angelicum, quia eſt determinatum ad ſuppoſitandam determinatam ſpeciem Angeli, nequit ſuppoſitare naturam corpoream.

10 Prob. 3. *ex eod.* Suppoſitum Angelicum habet eſſe limitatum ad ſuppoſitandam hanc ſpeciem, non aliam; ergo nequit ſuppoſitare naturam diuerſam à natura Angeli. Prob. ant. Eſſe, quod habet ſuppoſitum Angeli, recipitur in hac natura, non in alia; ergo ad illam eſt determinatũ; ſicut determinatur forma ad hanc materiam, quia recipitur in hac materia, non in alia. Tum quia ideo ſuppoſitum Diuinum habet eſſe illimitatum, quia illud acquirit in natura Diuina, quæ eſt omne eſſe; ſuppoſitum verò creatum habet eſſe limitatum, quia dat eſſe naturæ creatæ, quæ acquirit eſſe in ſuppoſito; cùm enim ſuppoſitum ſit indiuiduum, & particulare, ideo etiam eſſe, quod acquiritur in ſuppoſito, eſt indiuiduum, & particulare; atque adeo eſt limitatum ad vnum; eſſe verò, quod ſecundùm ſe habet natura, eſt vniuerſale; ſequitur enim ipſam naturam, quæ ſecũdùm ſe ipſam eſt vniuerſalis; ſicut eſſe, quod habetur in ſuppoſito, ſequitur ipſum ſuppoſitũ; quod eſt indiuiduum, & particulare; ſed natura Angelica acquirit eſſe in ſuppoſito; quia non eſt ſuum eſſe, cùm ab illo realiter diſtinguatur; illa enim natura ſolùm non acquirit eſſe in ſuppoſito, quæ eſt ſuum eſſe, & ideo non emendicat eſſe ab alio; vt eſt natura Diuina; ergo ſuppoſitum Angelicum habet eſſe limitatum ad ſuppoſitandam hanc naturam determinatam, non aliam. Prob. conſ. Quod eſt limitatum ad terminandum vnum, nequit terminare aliud, aliter non eſſet limitatum ad vnum; ſed ſuppoſitum Angelicum eſt limitatum ad ſuppoſitandam vnam ſpeciem Angelicam; ergo nequit ſuppoſitare, aut terminare naturam corpoream.

11 Prob. 4. *ex ead.* In tantùm Deus poteſt ſuppoſitare omnem naturam creatam; in quantũ omnes naturę creatę comparatiuè ad Deum habent modum accidentis; quapropter *Apoſt. Philipp. 2.* explicans Incarnationem ait: *Habitu inuẽtus, vt homo*; habitus autem adiacet hãbẽti, quod eſt proprium accidentis, & ratio eſt; nam in tantùm accidentia poſſunt ſubſtentari in eſſe à ſubſtantia; in quantùm dependent ab illa in fieri, & conſeruari; omnes autem naturæ creatæ dependent à Deo in fieri, & conſeruari magis, quàm accidentia à ſubſtantia; & ideo in tantùm Deus poteſt ſuppoſitare omnem naturam creatam; in quantùm omnis natura creata reſpectu Dei habet modum accidentis; modus enim accidentis eſt fieri, & conſeruari dependenter à ſubiecto; ſed natura corporea nequit habere modum accidentis reſpectu Angeli; quia natura corporea non dependet in fieri, & cõſeruari ab Angelo; quia ſic ſolùm dependet ab Auctore ſui eſſe;

cum

cùm eiuſdem ſic cõſeruari, cuius eſt creare; creatio enim eſt continuata productio; ideo natura corporea reſpectu Angeli nõ habet modum accidentis; ergo Angelus nequit ſuppoſitare naturam corpoream.

12 Dices. Angelus maiorem habet conuenientiam cum natura corporea, quàm Verbum Diuinum; quia Angelus in ratione ſubſtantiæ cõuenit vniuocè cum natura corporea; Deus autẽ analogicè; conuenientia autem vniuoca eſt maior, quàm analogica; ſed Verbum Diuinum potuit ſuppoſitare naturam corpoream; ergo à fortiori Angelus; quia quæ magis conueniunt, magis poſſunt vniri; conuenientia enim eſt vnitas; & ſuppoſitare naturam eſt fieri vnum cum illa.

Reſp. diſt. ma. Habet maiorem conuenientiam logicam ſecundùm gradus vniuerſales, cõc; metaphyſicam in ratione ſuppoſitandi, neg; nam ſuppoſitum Diuinum, cùm ſit infinitum, habet eſſe omne ſuppoſitum; & ideo habet eſſe etiã ſuppoſitum illius naturæ, quam vult ſuppoſitare; at verò ſuppoſitum Angelicum, cùm ſit limitatum ad vnam naturam; ideo non eſt ſuppoſitum alterius naturæ; propter quod nequit illam ſuppoſitare. Vnde Angelus in ratione ſuppoſitandi nullam habet conuenientiam cum natura corporea, quia non eſt ſuppoſitum illius; Deus verò, quia eſt omne ſuppoſitum; ideo habet conuenientiam cum omni natura in ratione ſuppoſitandi.

§. 4.

Reſoluitur Articulus.

13 ALiqui, vt narrat *Fund. Doct. in hac diſt. 8. q. 1. in reſol. art. 2*; voluerunt Angelum nunquam aſſumpſiſſe corpora; ſed ſolùm ingerendo aliquam ſpeciem alicuius rei ipſis ſenſibus viſi ſunt apparere in illa ſpecie; & ideo ſolùm apparuiſſe immutando virtutẽ phantaſticam, & alios ſenſus. Et ratio horum fuit; quia Angeli vnico temporis momento diſparuerunt; quod non potuiſſet fieri, ſi aſſumpſiſſent aliquod corpus extremum; non enim illud corpus potuiſſet vnico inſtanti diſsolui.

14 Sed hæc opinio reiecta fuit *ex Scripturis q. 1. art. 1. n. 5*; nam Angeli *Sodomæ* miſſi *ad Loth* debuiſſent immutare ſenſus omnibus viris illius Ciuitatis, qui illos viderunt in ſpecie viri; nam quod apparet ſecundùm immutationem ſenſuũ, apparet ſolùm ei, qui habet ſenſus immutatos; vnde ſi illi Angeli apparuerunt omnibus incolis illius Ciuitatis, debuiſſent immutare ſenſus omnium. Præterea *Beatiſſ. P. lib. 15. de Ciu. Dei c. 23*; quod repetit in *Enchir. c. 59.* ait: *Apparuiſſe hominibus Angelos in talibus corporibus, vt non ſolùm videri, ſed etiam tangi poſſent, veriſſima Scriptura teſtatur.* Ad rationem autem dicitur corpora eſſe aerea, quæ magna vi ipſius Angeli in ictu oculi diſſoluuntur.

15 *Alij* dixerunt Angelos habere corpora naturaliter ſibi vnita, quibus corporibus non ſunt ſubiecti, ſed dominantur; & ideo illa transformant in eam figuram, & ſpeciem, quam volũt, & in ea nobis apparent.

16 Sed hoc falſum eſſe ſuperiùs monſtratũ eſt; aliter enim eſſent corporei; tum quia ſi haberent corpora naturaliter ſibi vnita; iam dependerent ab illis, tanquam ab organis ſuarum operationum; & ideo non poſſent ea vertere in eas figuras, & ſpecies, in quibus videntur; agens enim, licèt agat mediante inſtrumento, non tamen agit in ipſum inſtrumentum, vt patet. Igitur.

17 Vnica concl. Angeli ſibi formant corpora ex aliqua ſubſtantia creata, quam redigunt in hanc, vel illam ſpeciem, quam aſſumunt, & in qua nobis apparent. *Ita Fund. Doct. vbiſ.* & communiter omnes.

Prob. Poſſunt Artifices formare ſibi domũ ſecundùm eam formam, & figuram, quæ magis ſibi placet, v.g. triangularem, quadratam &c; quã habitent; ergo multò magis Angeli poſſunt ex aliqua ſubſtantia, quę eis ſubditur, & obedit, formare ſibi corpus, in quo habitent; nam in tantùm Artifices formant ſibi domum; in quantùm lapides, calx, & ligna illi obediunt quantùm ad locũ; poſſunt enim illa trãsferre, quò, & quomodò volunt, ſed aer, aqua, & quælibet ſubſtantia huiuſmodi à Deo creata ſubditur Angelis, & obedit quantùm ad locum; ergo poteſt ab Angelis mutari in eam figuram, & ſpeciem, quæ magis ſibi placet, & ei ſe localiter applicare.

18 Conf. Aer, & vapores magis, vel minùs denſi, & inſpiſſati habẽt varios colores, ſecundũ quos varijs aſſimilantur corporibus; & ſunt capaces, vt ex eis formẽtur diuerſę figuræ, vt patet de nubibus, & arcu cœleſti; ſed Angeli hæc poſſunt magis, & minùs condenſare, & inſpiſſare ita, vt appareant diuerſæ figuræ, illiſque applicare ſuã quantitatem virtutis; ergo poſſunt aſſumere corpora ab ipſis formata exprimentia diuerſas figuras.

19 Obijc. 1. Ad hoc, vt ſaluetur connexio Vniuerſi, debet medium attingere ſupremum ſecundùm id, quod eſt ſupremum in ipſo medio; & attingere infimum ſecundùm id, quod eſt inferius in ipſo medio; ſed anima rationalis eſt media inter Angelum, & corpus; ergo ſecundũ id, quod eſt in anima, attingit Angelum; & ſecũdùm id, quòd eſt inferius, attingit corpus, & ideo Angelus nequit attingere corpus; quia in illo non eſt id, quod eſt inferius in anima, per quod valeat corpus attingere. 2. Ita ſe habet ſpiritus ſeparatus ad vnionem cum corpore; ſicut ſpiritus vnitus ad ſeparationem; oppoſitorũ enim eadem eſt ratio; ſed ſpiritus vnitus, vt eſt anima, nequit liberè ſeparare ſe à corpore; ergo neque ſpiritus ſeparatus, vt eſt Angelus, poteſt liberè ſe vnire corpori. 3. Si Angeli aſſumerent corpora, vel eſſet propter eſſe; vel propter operari ipſorũ Angelorum? Non primum; quia Angeli habent eſſe independenter à corpore. Nec ſecundum; quia fortior eſt virtus libera, & ſeparata à corpore;

re,quàm vnita cum corpore; *corpus enim, quod corrumpitur,aggrauat animam*;vt docet *Apoſt*,& ideo illam debilitat;ergo aſſumptio corporis eſſet fruſtranea,quia careret fine.

Reſp.ad 1;quòd cõnexio partium Vniuerſi vel poteſt attendi ſecundùm conuenientiam in prædicatis eſſentialibus; & in hoc ſenſu valet illa propoſitio *D.Dion*; vel ſecundùm locum, & motum; & in hoc ſenſu non valet;quia Deus,licèt ſit ſupremum ens,mouet omnia corpora infima, & eſt in illis; & ideo à fortiori hoc poteſt Angelis competere. Diſt. ergo ma. Vt ſaluetur connexio ſecundùm prædicata eſſentialia, conc; ſecũdùm motum,& locum,neg. Ad 2.diſt.2.pars ma.Sicut ſpiritus vnitus per voluntatem liberã, conc;& in hoc ſenſu neg.mi; anima enim nõ vnitur corpori per voluntatem liberam, ſed per naturam; & ideo nequit ſe liberè ſeparare, & iterũ liberè ſe vnire.Sicut ſpiritus vnitus per naturã, neg. Ad 3. dicitur Angelos aſſumere corpora propter manifeſtandas nobis ſuas operationes viſibiliter; non autem propter eſſe, aut propter operari ſimpliciter. Præterea dicitur Angelos non infirmari à corporibus aſſumptis; quia licèt operentur in corporibus; non tamen operantur per corpora; operantur enim in ipſis tanquam in loco, non tanquam per organum; bonus autem non impedit operationem,vt patet.

20 Quæres 1; an corpora aſſumpta ab Angelis ſint verè talia, qualia nobis videntur; vt v.g.cùm apparent in ſpecie hominis, illud corpus ſit verum corpus humanum; ſic cum in ſpecie Aquilæ &c?

Reſp. *Fund.Doct. ibid.in reſol.dub.1.* negatiuè. 1.Quia non poſſunt talia corpora formare; nam vt docet *Beatiſſ.P. vbiſ. n.8*; Angeli in productione rerum ſe habent,ſicut agricolæ;agricolæ autem non producunt res, niſi putrefaciendo ſemina,ex quorum putrefactione naſcuntur res; atqui corpus hominis non fit per ſolam putrefactionem,quia homo non generatur ex putri; ſed fit per propagationem à ſolo homine; & ſic dicitur de corporibus aliorum animalium perfectorum, quæ non fiunt ex putri; ergo Angeli non aſſumunt vera corpora,ſed apparentia. 2.Dato, quòd poſſent formare vera corpora, adhuc non poſſent ea aſſumere;nam nõ eſt vera materia,niſi vbi eſt vera forma; quapropter corpus hominis ſeparatum ab anima non eſt corpus hominis,ſed cadauer; eſt ergo ſolummodò verum corpus humanum,quando eſt informatum ab anima rationali; ſed Angeli nequeunt aſſumere corpus informatum ab anima; nam aſſumptio corporum eſt,vt nobis appareant;ſi autem aſſumerent corpus animatum,non apparerent, quia illa anima operaretur mediante corpore; & ideo ex illius operationibus colligeretur ibi eſſe animam; atque adeo eſſe hominem, non Angelum, & ad ſummum eſſe hominem oppreſſum; ergo Angeli nequeunt aſſumere verum corpus. 3.Si aſſumerent verum corpus, non poſſent ſtuporem, & timorem hominibus incurere; quia illud corpus non poſſet tam citò diſſolui;nec tam mirabilia operari;ſed *Scriptura* nos docet Angelos apparentes in corporibus timorem, & ſtuporem incutere;vt patet *Luc.1; & Matt.6*; ergo non aſſumunt vera corpora,ſed apparentia.

21 Dices.1. In corpore aſſumpto eſt debita diſpoſitio omnium partium; vt facies, manus, vẽter,& pedes;ergo eſt verum corpus. 2.Si non aſſumerent vera corpora, nos deciperent; ſed hoc de Angelis bonis dicendum non eſt; ergo neque primum.

Reſp.ad 1.diſt.ant.Eſt debita diſpoſitio ſecundùm rem,neg;ſecundum apparentiam, conc. Ad 2.neg.ma;nam tales apparitiones ſunt, ſicuti parabolæ,& aliæ locutiones figuratæ,quas non oportet eſſe veras quantùm ad id,quod dicitur; ſed ſolùm quantùm ad id,propter quod dicitur. Sufficit ergo eſſe verum id, quod nobis annunciant,ne nos decipiant;non enim intendunt efficere,vt nos credamus illud corpus,in quo apparent,eſſe verum corpus;ſed ſolùm eſſe vera,quæ in illo nobis annunciant.

22 Quæres 2; an ſub eadem ſpecie ſolo numero diuerſa poſſit apparere nedum Angelus inferior,ſed etiam ſuperior;v. g. in ſpecie hominis nedum Angelus, ſed etiam Archangelus?

Reſp.*Fund.Doct.ibid.in reſol.dub.2.*affirmatiuè. 1. Quia ſpiritualia non habent proprias figuras corporales, quibus propriè poſſint repræſentari;vt docet *D.Dion.1.de Diuin.Nomin*,ideo vna,& eadem ſpecies poteſt eſſe communis pluribus Angelis,& ab illis aſſumi.2.Quia per eãdẽ ſpeciem hominis cum ſola diuerſitate partium poſſunt repræſentari Angeli inferiores, & ſuperiores, vt v.g.per oculos magis vegetos, & per dentes magis acutos poſſunt repræſentari Angeli ſuperiores,qui ſunt magis oculati eò, quia magis intelligunt; & dicuntur habere dentes, quia diuidunt ſpecies, eaſque reddunt proportionatas Angelis inferioribus; per aures autem, manus, & pedes deſignantur Angeli inferiores; ſicut enim per aures inſtruimur à Magiſtro docente;ita Angeli inferiores inſtruuntur à Superioribus, tanquam à Magiſtris illuminantibus; ſicut per manus exercemus miniſteria; ſic Angeli inferiores in miniſteria mittuntur; tandem ſicut pedes ſunt infima pars corporis; ita Angeli inferiores ſunt infimi in natura Angelica; ergo Angeli inferiores,& ſuperiores poſſunt aſſumere eandem ſpeciem,& per illam manifeſtari etiã quoad inferioritatẽ,& ſuperioritatem. 3.Si Angeli ſuperiores deberent aſſumere ſpecies nobiliores, poſſemus decipi faciliter circa eorum naturam; nam poſſemus cogitare Angelos inferiores eſſe animalia terreſtria, ſuperiores verò eſſe animalia cœleſtia; ergo ad euitandam hanc deceptionem congruum fuit Angelos ſuperiores,& inferiores aſſumere eandem ſpeciem, & in

illa

illa apparere. Tandem Archangelis, vt *Gabriel Beatiſſ.Virgini*; atque Angeli infimi, vt plurimis Sanctis,apparuerunt in ſpecie hominis;ergo in eadem ſpecie apparent Angeli ſuperiores,& inferiores.

23 Dices. Angeli ſuperiores, & inferiores habent ordinem ſuperioritatis, & inferioritatis inter ſe; ergo illi debent manifeſtari per ſpecies altiores,& nobiliores; iſti autem per ſpecies inferiores,& ignobiliores.2.Vna,& eadem ſpecies nequit repræſentare Angelos ſuperiores, & inferiores;ergo illam nequeunt aſſumere.

Reſp.ad 1.neg. conſ; ordo enim ſuperioritatis, & inferioritatis Angelorum poteſt repræſentari per diuerſas partes eiuſdem ſpeciei,ſcilicet per oculos, dentes &c; vt dictum eſt. Sic ad 2.diſt.ant. Vna, & eadem ſpecies ſecundùm diuerſas partes,neg;ſecundùm eaſdem partes,cōc.

24 Quæres 3; an in corpore aſſumpto eodē numero poſſint ſimul apparere Deus, & Angelus;ac etiam Angelus inferior,& ſuperior?

Reſp.*Fund.Doct. ibid.q.2.in reſol.art.3; & dub.1.lat.*affirmatiuè.Ratio primi eſt;nam *Exod. 3*.dicitur, quòd Deus apparuit *Moyſi* in medio rubi;& *Act.7*.dicitur, quòd ei apparuerit Angelus;ergo ſimul fuit Deus, & Angelus in rubo; Deus quidem,vt Iudex,Angelus verò, vt preco, ſeu nuncius;Deus illuminando Angelum loquētem;Angelus verò loquendo annunciantem; ſic habet *Beatiſſ.P.3.de Trin.c.*10. Ratio ſecūdi eſt: nam *Iſaia 6. Volauit ad me vnus de Seraphim*; patet autem, quòd Seraphim nunquam mittuntur, quia ſemper aſſiſtunt; Angelus ergo miſſus *Iſaia* fuit ex ordine infimo,& tamen apparuit ei Seraphim,quia Seraphim dicitur *ab incendendo*; vnde ille Angelus,quia venerat incendere labia *Iſaia*,viſus eſt Seraphim, quanuis Seraphim nō fuerit in illo corpore aſſumpto ſecundùm perſonam, ſed ſolùm ſecundùm officium, vel ſecundùm illuminationem.

Hæc ergo eſt differētia inter Deum,& Angelum, atque inter Angelum ſuperiorem, & inferiorem, quòd Deus apparet ſemper ſecūdum præſentiam perſonalem ſimul cum alio Angelo, Deus enim eſt in Angelo ſecundùm ſubſtātiam. At verò Angelus ſuperior apparet ſolùm ſecundùm operationem, quia ſecundùm præſentiam perſonalem non eſt in illo, quia Deo ſemper aſſiſtit.

ART. II.

Ex qua materia Angeli ſumant corpora aſſumpta?

1 Quæritur in præſenti; ex qua materia Angeli componant corpus, quod aſſumunt;cùm enim *in ſup. art.* dictum ſit corpora aſſumpta non eſſe vera, & realia,ſed tantùm ſimilia,& apparentia, ſequitur inquirendum, ex quanam materia compacta ſint,ſcilicet an ex materia Cœleſti,ignea, aerea, aquea,vel terrea? Hoc autem dupliciter accipi poteſt,ſcilicet propriè,& ſimilitudinariè.

2 Vnica concl. Corpora aſſumpta ab Angelis non ſunt propriè ex materia cœleſti, ignea, aquea,vel terrea, quanuis ſimilitudinariè poſſint vocari cœleſtia, vel ignea, ſed verè, & propriè ſunt formata ex aere magis, vel minùs condenſato.*Ita Fund. Doct.in hac diſt.8. art.3.per totū.*

3 Prob. 1. pars concl. Materia cœleſtis non poteſt recipere peregrinas impreſſiones quoad ſubſtantiam; quia ex illa nequit alia materia cœleſtis generari;neque quoad quantitatem; quia non poteſt ſcindi in partes, ex quibus poſſint formari corpora;neque quoad qualitates; quia non poteſt magis rareſieri, & inſpiſſari; etenim ſolidiſſima eſt, vt habetur *Iob.* 37; ergo ex illa nequeunt Angeli formare corpora aſſumpta.Tū quia materiæ cœleſti nequit competere naturaliter locus deorſum, neque motus ad centrum, vel à centro;cùm ei ſolùm competat locus ſupra omnia elementa,& motus circa cētrum; ſed corpora aſſumpta ab Angelis acquirunt locū deorſum,& mouentur ad centrum,ac à centro; ergo nequeunt eſſe compoſita ex materia cœleſti.

4 Prob.2.pars concl.Corpora,in quibus apparent Angeli poſſunt tangi ſine læſione, vt diximus ex *Beatiſſ.P.n.*14,ſed corpora ignea non ſunt tangibilia ſine læſione; comburerent enim manus ipſa tangentes,ergo corpora aſſumpta ab Angelis non ſunt formata ex igne. Tum quia materia ignis eſt nimis rara; & ideo nequit faciliter condenſari, vt reddatur viſibilis; & eſt nimis pura; quapropter difficulter reddi poteſt palpabilis;ſed corpora aſſumpta ab Angelis ſunt viſibilia, & palpabilia; ergo nequeunt eſſe ex igne compacta.

5 Prob.3. pars concl. Corpora aſſumpta ab Angelis debent eſſe celerrimè mobilia ad hoc, vt velociùs compleant miniſterium eis commiſſum; & propterea debent eſſe faciliter formabilia,ac diſſolubilia;patet enim de Angelis,qui apparuerunt *in Scripturis,vt Tob.*12; quòd in ictu oculi ille diſparuit abſque eo, quòd videretur corpus aſſumptum vel diſcedere,vel diſſolui;ſed aqua, & terra non eſt agilis mobilitatis, vt patet de corpore oppreſſi,quod non mouetur adeo agiliter à Dœmone; neque ab Angelis poſſunt formari, vel diſſolui corpora in ictu oculi abſq; eo,quòd non appareat eorum formatio, vel diſſolutio; quotieſcunque enim diſſolueretur aliquod corpus aſſumptum,terra,vel aqua caderet in terram,vbi diſſoluitur, & ſic videretur diſſolutio; ergo corpora aſſumpta ab Angelis non ſunt ex aqua, vel terra.

6 Prob.4. pars concl. Quanuis corpora aſſumpta ab Angelis ſint formata ex aere, vt mox dicemus; attamen aliquando aer nūcupatur *Cœlum*; dicuntur enim *Aues Cœli*, vt diximus *in Hexam.art.*12.*n.*3; & ideo poſſunt dici corpora cœleſtia in hoc ſenſu. Præterea corpora aſſumpta ab Angelis ſunt lucida, & calida; calor enim, & lux

lux pulcritudinem efficiunt, quæ maximè conſpicitur in corporibus ab Angelis aſſumptis; ſed calor, & lux conueniunt igni; ergo ſimilitudinariè ignea dici poſſunt.

7 Prob. 5. pars concl. Corpora aſſumpta fiunt in aere; ergo in ipſo formantur. Tum quia aer eſt leuis, ſubtilis, & agilis; ideo faciliter poteſt moueri, condenſari, & diſſolui. Tum quia in diſſolutione corporum ex aere factorum non eſt neceſſe, quòd remancāt veſtigia ſenſibilia; ſicut remanerent, ſi ex terra, vel aqua componerentur; corpus enim aereum in ipſum aerem circunſtantem citò vertitur; & ſicuti viderentur veſtigia, ſi componerentur ex igne; nam ſurſum euolarent in fumum, vel in flammam; proprium enim eſt ignis ſurſum ferri ad ſuam ſphæram; ſicut proprium eſt aquæ, & terræ deorſum decidere; ſed in diſſolutione corporum aſſumptorum nulla remanent veſtigia ipſorum ſenſibilia; ergo componuntur ex aere.

8 Obijc. 1. Angeli debent aſſumere corpora puriſſima, & lucidiſſima; hæc enim magis decent naturæ Angelicæ; ſed huiuſmodi ſunt corpora cœleſtia; ergo corpora aſſumpta ſunt ex materia cœleſti. 2. Si aſſumerent corpora elementaria, vel eſsent ex materia graui, & ſic difficulter poſſent aſcendere; vel ex materia leui, & ſic difficulter poſsent deſcendere, ergo non ſunt ex materia elementari, & ideo ex cœleſti.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Et ſunt aſsumibilia, neg; & non ſunt aſsumibilia, conc. Quanuis ergo corpora cœleſtia ſint maximè pura, & lucida; attamen nō ſunt aſsumibilia ab Angelis ob rationes allatas; quibus additur, quòd maxima lux impediret, ne à nobis viderentur; vt patet de Sole, qui nec in tanta diſtantia poteſt videri; vnde impediretur finis aſsumendi corpora, qui eſt, vt Angeli videantur à nobis. Ad 2. dicitur aerem eſse valde habilem ad motum; nam cum leuibus eſt leuis, cum grauibus grauis; & ideo grauiter cum corporibus, & leuiter cum ſpiritibus mouetur. Præterea materia cœleſtis eſt magis leuis, quàm materia elementaris; ergo propter eandem rationē nec ex ipſa poſsent formari corpora aſsumpta.

9 Obijc. 2. Ignis *ex D. Dion. de Cæl. Hier. c. vlt.* maximè repræſentat proprietates Angelicas; ſed per corpora aſsumpta debent repræſentari Angeli aſsumentes; ergo corpora aſsumpta debent eſse ex igne formata. Tum quia ignis eſt ſubtiliſſimus, & leuiſſimus omnium elementorū; ſed corpora aſsumpta debent eſse ſubtiliſſima, & leuiſſima; ergo debent eſſe ex igne.

Reſp. ad 1; quòd licèt per ignem repræſententur maximè Angeli ob agilitatem, & ſubtilitatem; attamen ex hoc non ſequitur corpora aſſumpta debere eſse ex igne ob inconuenientia, quæ ſequerentur; quia nempe comburerent &c. Igitur diſt. mi. Per corpora aſsumpta debent repræſentari Angeli modo nobiſ conuenienti, cōc; non conuenienti, neg; quanuis autem per ignem poſsent repræſentari Angeli, v.g. per flammam *rubi Moyſis*; vt dicitur *Act. 7*; aut *per columnam nubis, & ignis* in deſerto; attamen talis modus non eſt nobis conueniens, cùm Angeli mittuntur ad nos ad aliquod nobis annunciandum; comburerēt enim nos, & omnia illa, per quæ intrāt ad nos. Et ſic ad 2; diſt. enim mi. Debent eſse ſubtiliſſima, & leuiſſima modo conuenienti, conc; non conuenienti, neg.

10 Obijc. 3. Corpora aſſumpta debent fieri ex materia, quæ poteſt tangi, & contrectari; ſed ſola materia terrea, & aquea eſt huiuſmodi, ergo ex hac ſolùm fieri debent. 2. Vel ſumunt corpus ſimplex, vel mixtum? Non primum; quia corpus ſimplex habet partes eiuſdem rationis, ac propterea ſimilares; & ideo nequit formare corpus humanum, quod conſtat ex partibus diuerſæ rationis. Si ſecundum; ergo eſſet compactum ex quatuor elementis.

Reſp. ad 1. neg. mi; aer enim inſpiſſatus poteſt tangi, quanuis rarus non ſit tangibilis. Ad 2. dicitur, quòd non eſt ſimplex abſolutè, ſed ſicut nubes, quæ aliquā admixtionem habent vaporū; vnde ſicut datur aer purus, & mixtus; ita ex iſto illa corpora poſſunt formari.

11 Obijc. 4. Aer non eſt terminabilis termino proprio, ſed debet terminari ab aliquo alio corpore diſtincto; ergo nequit formari in corpus exiſtens, & terminatum in aere. Tum quia aer nō videtur palpabilis.

Reſp. ad 1. diſt. 1. part. ma. Aer purus non eſt terminabilis, tranſeat; aer mixtus vaporibus, neg. Et ſic aer ſit palpabilis per mixtionem humorum.

A R T. III.

An Angeli in corpore aſſumpto exerceant opera vitæ?

1 Tria ſunt opera animæ vegetatiuæ; ſcilicet nutritio, augmentatio, & generatio; vt dicitur *in lib. de an*; huiuſmodi autem opera, prout ſunt in animalibus, fiunt per ſpiritus, ſeu virtutes pulſatiles, quæ exiſtunt in corde; & per quaſdam veluti cordas, quas quoque *Auerr. apud Fund. Doct. hic* vocat *pulſatiles*; quia pulsāt hepar, vt moueatur ad nutritionē; & genitalia ad generationem; & cerebrum ad ſenſationem; & in homine, in quo eſt libertas, voluntas reſidēs in corde per iſtas virtutes pulſatiles habet mouere omnia membra ad exercitium omnium operum vitæ. Ex quo deducitur opera vitæ in animalibus dependere à corde, tanquam à principio principaliter mouente. Præterea *hic* loquimur de corpore aereo inanimato; vt *ſup.* dictū eſt; nam quando Angeli ingrediuntur corpus animatum, non dicuntur illud aſſumere, ſed ingredi, aut opprimere, vt *inf.*

Vnica concl. Angeli in corpore aſſumpto nequeunt exercere opera vitæ propria animalis. *Ita Fund. Doct. in hac diſt. 8. q. 2. art. 1; & dub. lat. 1; & 2.*

Prob.

2 Prob.1.*ex illis auct.Beatiſſ.P*,quibus *art.*1; *& loc. ibid. cit.* probauimus Angelos non poſſe aſſumere corpus per modum formæ informantis,ex quibus ſic arguitur.Opera vitæ animalibus propria nequeunt fieri, niſi per cor,tanquam per principium principaliter mouens organa operũ vitalium; ſed Angeli nequeunt aſſumere corpus habens cor potens mouere organa ad huiuſmodi opera; ergo Angelus in corpore aſſumpto nequit exercere opera vitæ. Ma. patet ex dictis. Prob. mi. Cor mouens cetera organa ad opera vitalia eſt informatum intrinſecè ab anima;organum enim vitale eſt illud, cuius actus informans eſt anima; quæ definitur *actus corporis organici*; ſed Angeli nequeunt informare cor corporis aſſumpti,tanquam forma intrinſecè afficiens; ergo nequeunt aſſumere corpus habens cor potens mouere cetera organa ad huiuſmodi opera.

3 Prob.2. quoad ſingula opera diuiſim;& 1. quoad nutritionem. Si Angeli poſſent nutrire corpus aſſumptum, deberent habere vera organa nutritionis,quæ ſunt cor,lingua,dentes,hepar &c;ſed hoc eſt falſum;quia hæc ſolùm ſunt ſecũdùm apparentiam, & ſimilitudinem; quapropter Angelus *Tob.*12.ait:*Videbar quidem vobis manducare, & bibere; ſed ego cibo, & potu inuiſibili vtor,qui ab hominibus videri non poteſt*,vnde illũ cibum, quem videntur manducare, aliò inuiſibiliter transferunt; ergo Angeli nequeunt in corpore aſſumpto exercere opera nutritionis.

4 Ex hoc ſequitur. 1. nec poſſe exercere opus augmentationis, quæ neceſſariò fit per nutritionem, cùm fiat per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti.

5 Sequitur 2.nec poſſe generare;quia generatio non fit,niſi per ſemen, quod eſt ſuperfluum alimenti vltimò digeſti; ſed digeſtio non fit, niſi per potentiam nutritiuam, qua carent corpora aſſumpta, vt dictum eſt; ergo neque poſſunt generare. Tum quia ſicut in nutritione hepar deſeruit cordi,tanquam principali mouenti;ſic vaſa genitalia in generatione deſeruiunt cordi, tanquam motori principali;ſed in corpore aſſumpto non eſt cor,vt dictum eſt;ergo neque poteſt per illud fieri generatio.Tandem generatio, quæ fit per ſemen, eſt in ſimilitudinẽ illius,à quo ſemen deciditur,ſed ſemen, quod decideretur à corpore aſſumpto habente figuram corporis humani, non eſſet ſemen hominis, ſed corporis aſſumpti ab Angelo;ergo non gigneretur homo.Quid ergo gigneretur?

6 Not. tamen *Fund.Doct. hic in reſol. huius dub.*2;quòd ſemen vel poteſt conſiderari per deciſionem à corpore aſsumpto ita, vt non ſit exceptum ab aliquo alio corpore animato; & in hoc ſenſu procedit ratio. Vel quòd ſit procuratum,& excerptum ab alio corpore; nam Dęmones poſsunt accipere figuram fœminæ; & ſic excipere ſemen maſculi.& illud calidum conſeruare; ac deinde mutare ſpeciẽ in formam maſculi, coire cum fœmina, & ſic efficere generationem. Ob hoc diuiduntur Dæmones *in Succubos*, qui viris ſub ſpecie fœminę ſuccumbunt; & *in Incubos*,qui fęminis ſub ſpecie viri incumbunt;vt docet *Beatiſs. P. lib.* 15. *de Ciu. Dei c.* 23. Propter quod *aliqui* illud *Gen.6. Videntes Filij Dei filias hominum,quòd eſſent pulcræ*; exponunt de Angelis *Incubis*; qui ſe immiſcuerunt filiabus hominum,& genuerunt Gigantes,qui fuerunt *Viri famoſi potentes ſuper terram*; poterant enim Dœmones cognoſcere, quod ſemen cuique fœminæ competere poſſit; aeris diſpoſitionem, & coſtellationem ſyderum, in qua fortior, & melior fit generatio; & ſic generare homines proceri corporis,& robuſtæ cõplexionis.Ceterùm *Beatiſſ.P. hunc textum vbiſ.* exponit de Filijs *Seth*, qui cœperunt timere Deum,& ſe immiſcuerunt filiabus *Caim*.

7 Obijc.1.*Gen.*18.habetur de Angelis:*Cùmque comediſſent &c*; & paulò poſt *Abraham* illis dixit: *Requieſcite ſine labore, ponãque bucellam panis,& confortetur cor veſtrum*; ſed comedere, & confortari per comeſtionem eſt nutriri; ergo Angeli in corporibus aſsumptis exercent opera vitæ.

Reſp. hæc ſolui ex dictis; talis enim comeſtio erat apparens, ſicuti apparens erat corpus eorum;ſiebat autem ab Angelis talis apparentia, vt exercerent hoſpitalitatem, & charitatẽ *Abrahæ*, qua mediante mereretur gratiam Dei.

8 Obijc.2. Viuere maximè conuenit Angelis; ergo in corporibus aſsumptis poſsunt exercere opera vitæ; tum quia in corpore aſsumpto ſunt omnia organa,quibus fiunt opera vitalia,vt os,dentes,lingua &c; ergo ſi non exercerẽt opera vitæ,hæc omnia eſsent ſuperflua.

Reſp. diſt. ant. Viuere vita purè ſpirituali independenter à corpore conuenit Angelis,cõc; vita animali dependenter ab organis corporis, neg.Ad aliud dicitur illa organa ſic apparentia non eſse fruſtranea;ſignificant enim proprietates Angelorum, vt diximus *art.*1.§.4.*n.*22; & incutiunt admirationem,ſtuporem,& conſolationem hominibus.Cetera ſoluentur *in ſeq.art.*

ART. IV.

An Angeli in corporibus aſſumptis ſentiant?

1 QVæritur, an Angeli, cùm aſsumunt corpus humanum v.g; in quo apparent omnia organa ad ſenſationes ſenſuum præcipuè externorum neceſsaria, verè ſentiant per illa; & ſic per oculos videant, per aures audiant; ex quo deducetur, quid dicẽdum ſit de ſenſationibus ſenſuum internorum.

2 Vnicà concl. Angeli non ſentiunt per organa,quæ apparent in corporibus aſsumptis. *Ita Fund.Doct.in hac diſt.*8.*q.*2.*art.*2.

Prob.1.*ex Beatiſs.P.Aug.* 15. *de Trin. c.* 5; vbi probans Deum non ſentire per corpus rationẽ reddit: *Non enim ex anima conſtat,& corpore.*

Ex quo ſic. Sentire eſt actus corporis informati ab anima ſenſitiua formaliter,vel virtualiter; ſed Angeli non ſunt animæ formaliter, vel virtualiter ſenſitiuæ informantes corpora aſſumpta; ergo Angeli nō ſentiunt in corporibus aſſumptis.

3 Conf.Si Angelus ſentiret per corpora aſſumpta, deberet mediantibus organis corporis recipere ſpecies ſenſibiles, quibus fit ſenſatio; ſed conſ.eſt falſum; ergo & ant. Ma. patet; quia ſenſatio non fit,niſi per ſpeciem ſenſibilem; ſicut intellectio per ſpeciem intelligibilem. Prob. mi. Si reciperet ſpecies ſenſibiles mediantibus organis corporis, ipſa organa deberent eſſe intrinſecè informata ab ipſis Angelis; & eis attribueretur actio; vnde oculicorporis aſſumpti diceretur videre, aures audi re &c; in tantùm enim teloſcopium, & perſpi cillus, quo mediante videmus,non dicitur videre, quia eſt inſtrumentum merè extrinſecè aſſumptum, non informatum ab anima; oculus autem dicitur videre, quia eſt intrinſecè informatus ab anima; ſed organa corporis aſſumpti non ſunt anima; ſunt enim merè extrinſecè aſſumpta; ergo ſi Angelus reciperet ſpecies ſenſibiles mediantibus organis corporis, ipſa organa deberent eſſe intrinſecè animata; licèt enim perſpicilli recipiant ſpecies ſenſibiles, per quos immittuntur ad oculos; attamen non dicuntur ſentire,ſicut ſentiunt oculi; quia illi nō ſunt animati,ſicut iſti.

4 Prob.2.*ex Fund.Doct.* Sicut organa principalia nutritionis ſunt cor, ac hepar animatum; & organa generationis sũt cor, & vaſa genitalia animata; ita organa principalia ſenſationis ſunt cor,& cerebrum animatum;ſed corpus aſſumptũ ab Angelo non habet cor,& cerebrum animatũ; aliter Angelus eſſet forma intrinſecè illud informans; nullum enim corpus eſt animatum,niſi ab anima intrinſecè ipſum informante; ergo per corpus aſſumptum nequit Angelus ſentire.

5 Obijc.1.*Beatiſſ.P.lib.2 de Gen.ad lit.c.*17. ait,quòd Angeli *ſubtilioris ſenſus acumine vigēt; & pluries alibi*; vt poteſt videri *q.* 1. *art.*2. §.1; ergo Angeli poſſunt ſentire.

Reſp. hoc fuiſſe explicatum *loc. cit. ex eod. Sanctiſſ.P*;nam vt *ibid.*dicebatur; quòd quia *ſenſus eſt particularium, intellectus verò eſt vniuerſalium*;cùmque Angeli videant res intuitiuè,ſeu quiditatiuè perfectè;& res in ſe ipſis non ſint,niſi particulares; ideo dicũtur Angeli ſentire,quia vident res particulares pręsẽtes etiã ſecũdũ gradus particulares; & in hoc ſenſu etiam Deus *ab eod.Beatiſſ.P.* aliquando dicitur ſentire.Sicut ergo viſio, quæ propriè dicitur de oculo, dicitur etiam de intellectu,cùm res intuetur;ita dicendũ eſt de ſentire.*Vid.vbiſ.*

6 Obijc.2.Angeli,vt patet *ex Scripturis*, & vt diximus *q.* 5; in corporibus aſſumptis emittũt voces,& loquuntur corporaliter;ſed emiſſio vocum, & locutio corporalis eſt propria animalis ſenſibilis;ergo ſentiunt in corporibus aſſumptis.

Reſp.*Fund.Doct.ibid.dub.*3. diſt.ma. Emittunt voces proprias, & loquuntur propriè, neg; ſimilitudinariè,conc;nam vox propriè loquendo eſt *Sonus ab animali prolatus naturalibus inſtrumentis formatus &c*; vt dicitur in eius definitione;complexum autem ex Angelo,& corpore aſſumpto non eſt animal; neque tale corpus habet inſtrumenta naturalia formata à natura,ſed artificialia compacta ab ipſo Angelo. Præterea adhoc, vt voces forment locutionem, requiritur, quòd ſint ſui ſignificatiuæ, idèſt conceptus exiſtentis in imaginatiua expreſſiuæ, & intellectus interpretatiuæ; quapropter in brutis licèt ſint veræ voces, quatenus ſignificatiuæ conceptus exiſtentis in imaginatiua; non eſt tamen in ipſis vera locutio, quia illæ voces non ſunt interpretatiuæ intellectus, qui non reperitur in brutis. Igitur cùm voces formatæ ab Angelis in corporibus aſſumptis non ſint formatæ ab animali inſtrumentis naturalibus, quæ ſunt os,lingua,palatum, arteria vocalis, diaphragma &c; ideo non ſunt veræ locutiones, ſed ſimilitudinariæ; ſicut illæ, quos ex concauitatibus ædificiorum reijcit *echo*;& in hoc ſenſu locuti ſumus *q.*5.*vbiſ.*

A R T. V.

De ingreſſu Dæmonum in corpora, & vexatione corporum.

1 SVpereſt agendum de ingreſſu Dęmonum in corpora;diſtinguitur autem ingreſſio ab aſſumptione;quòd aſſumptio,vt *ſup.* diximus, eſt ad manifeſtandam præſentiam Angeli per externam apparẽtiam, ſeu ſpeciem corporis aſſumpti; quapropter ſemper cauſat admirationem,& timorem. Ingreſſio autem non alterat apparentiam externam corporis obſeſſi, & ideo non eſt ad manifeſtandam præſentiam ipſius Dœmonis per externam apparentiam;apparentia enim illius corporis ita repræſentat poſt ingreſſũ,ſicut ante ingreſſum;& licèt per motus verba, & alia ſigna illud corpus repræſentet ibi eſſe Dœmonem; non tamen repræſentat per apparẽtiam externam;ſicut repræſentat aſſumptio. Ingreſſio igitur eſt ſolùm vel ad vexandum corpus,ſi ſit animatum;vel ad deludendum hominẽ, ſi ſit inanimatum; vel ad aliquid aliud Diuina permiſſione,vel iuſſione complendum.

2 Corpus autem, vt ſpectat ad præſens, eſt quadruplex,ſcilicet inanimatum,vegetatiuum, ſenſitiuum,& humanum;quæritur autem in præſenti,an Dœmones quodlibet ex his corporibus ingredi poſſint;& vexare ea corpora,quæ sũt vexationis capacia?

3 Fuit *aliquorum* opinio,quos ſuppreſſo nomine refert *Fund.Doct.in hac diſt.*8.*q.*2. *in reſol. art.*4; arbitrantium Dœmones poſſe penetrare corpora poroſa,& concaua, non autem ſolida,& continua ducti illo *Abac.*2. *Omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eorum*, ſup.quod *Gloſ. interlin.* ait, quòd *ſpiritus immundus poteſt aſſiſtere ſimulacris,*

cris, ſed intrinſecus eſse non poteſt.

4 Supponimus autem Dœmones non eſſe impeditos à Deo; nam ſi impediantur, quemadmodum contingit, vt plurimùm; docet enim *Beatiſſ.P.lib.11.de Ciu.Dei c.33.* Dœmonum ſocietatem, *ne quantùm vult, nobis noceat, Dei poteſtate frænatam*, certum eſt non poſſe ingredi corpora. Quæſt. ergo eſt ſuppoſita permiſſione Dei.

5 Vnica concl. Dœmones permittente Deo poſſunt ingredi omnia corpora ſiue inanimata, ſiue animata, atque iſta vexare. *Ita Fund. Doct. vbiſ.*

Prob.1. In tantùm vnum corpus nequit ingredi quantitatem alterius; in quantùm dimenſio quantitatiua vnius reſiſtit dimenſioni quantitatiuæ alterius; nam *dimenſiones dimenſionibus reſiſtunt*; vt docet *Phil.4.Phyſ.t. c.37*; etenim anima rationalis, quia non eſt corporea, nec quanta, ingreditur quantitatem ipſius corporis; ſed Dœmones non habent quantitatem, quia non ſunt corporei, cùm ſint ſubſtantiæ ſpirituales; ergo poſſunt ingredi quantitatem ipſius corporis.

6 Prob.2. In hoc diſtinguitur operatio Angeli ab operatione ſubſtantiæ corporeæ; quòd Angelus operatur, vbi eſt, cùm ſit in loco per operationem; ſubſtantia autem corporea operatur, vbi non eſt; non quòd operetur in diſtans, ſed quia cùm non poſſit ingredi corpora, in quibus agit, ob reſiſtentiam quantitatis, ſolùm per iuxtapoſitionem, & ſituationem paſſo propinquam operatur; ſed Dœmones non poſſunt operari, vbi ſunt, niſi ingrediantur corpus, in quo operantur; ergo Dœmones poſsunt ingredi corpora.

7 Prob.3. Ex eo, quòd Deus ſit ſummè ſimplex, ingreditur nedum quantitatem corporum, ſed etiam eſsentias omnium rerum; & corpus ex eo, quòd ſit quantum, nequit ingredi quantitatẽ alterius corporis; ergo Angelus, qui eſt medius inter Deum, & ſubſtantiam corpoream, ex eo, quòd comparatiuè ad corpus ſit ſimplex, poteſt ingredi quantitatem corporis; ex eo autem, quòd comparatiuè ad Deum ſit potentialis, nequit ingredi eſſentias rerum in illas illabendo.

8 Prob.2.pars concl. *ex Gen.c.2*; vbi dicitur Diabolum, qui decepit *Euam*, ingreſsum fuiſſe in ſerpentem. Et *Marc 5.* Dœmonia exeuntia à corporibus obſeſſis clamabant: *Mitte nos in porcos.* Et eadem ratio probat de corporibus animatis, ac inanimatis.

9 Prob.3.pars. *ex illo Act.5. Afferebant vexatos à ſpiritibus immundis, & curabantur omnes; quod etiam habetur in Euang*; vt *Matt.12. Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine &c. Tunc vadit, & aſsumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe; & intrantes habitant ibi; & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Et Matt.1. Obmuteſce, & exi ab homine; & diſcerpens eum ſpiritus immundus exijt ab eo.* Hoc experimur continuò in obſeſſis intus concuſſis, contortis, & afflictis à Dœmonibus; vt legitur de filia *Chananeæ*; & vltra experientiam ratio etiam id probat; quia Dœmones habent vim mouendi corpora motibus violentis, qui nequeunt eſse ſine vexatione, & dolore ipſorum corporum; ergo poſſunt ea vexare, niſi tamen impediãtur à Deo, qui eos frænat, aliter omnes homines perderent; *non enim eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei*; vt habetur *Iob.41. Vid. Beatiſs.P. lib. de Diuinat. Dæmon.*

10 Ex his infertur Dœmones nedum extrinſecè, ſed etiam intrinſecè obſidere, & affligere hominem; vnde obſidentes hominem diuidũtur in habitantes, & aſſiſtẽtes; quod maximè debent aduertere *Exorciſtæ* in eiectione horum ſpirituum malignantium hominibus.

11 Obijc.1. Illud *Abac.vbiſ*; vbi dicitur ſpiritum non eſse in viſceribus eorum. 2. Dœmones nequeunt intrinſecè mouere corpora; aliter eſsent animæ eorum. 3. Duo ſpiritus nequeunt naturaliter eſſe in eodem loco; vt diximus *q. 2. art.6*; ſed anima rationalis eſt ſpiritus exiſtens in corpore, tanquam in loco; ergo in eodem corpore nequeunt eſse Dœmones. 4. Si Dęmones poſſent ingredi corpus animatum anima rationali, poſſent illabi animæ; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. 5. Si Dœmones poſſent ingredi corpus animatum humanum, maximè, quia anima, & Angelus comparantur ad eundem locum diuerſo modo; ſed conſ. eſt falſum; quia vterque eſt totus in toto, & totus in qualibet parte, & ideo eodem modo; ergo nequeunt ingredi corpora humana. 6. Ita ſe habet ſubſtantia ad ſubſtantiam; ſicut quantitas ad quantitatem; ſed vna quantitas nequit naturaliter penetrare aliam quantitatem; ergo neque vna ſubſtantia aliam ſubſtantiam.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct. ad 1. art*; quòd ſpiritũ eſſe in aliquo corpore ſtat dupliciter. 1. per informationem; & in hoc ſenſu intelligitur *textus Abac.* 2. per applicationem virtutis; & in hoc ſenſu Dœmones ingrediuntur corpora. Vel dicitur ſpiritum non poſſe eſſe in viſceribus intrinſecè eſſentiæ illabendo, quia illapſus ſolus Deo conſeruatori competit; poſſe tamen eſſe in eodem loco intrinſecè penetrando quantitatẽ; & ſic ſoluuntur omnes obiectiones. Ad 2. diſt. ant. Nequeunt intrinſecè mouere corpora per informationem, conc; per applicationem virtutis, neg. Ad 3. diſt. mi. Duo ſpiritus comparati ad locum eodem modo, conc; ſed in hoc ſenſu neg. mi. Diuerſo modo, neg. Ad 4. neg. ma; quãuis enim Dœmon ſimul cum anima poſſit eſſe in eodẽ corpore, nõ tamen propter hoc dicitur eſſe in ipſa anima, ſed vterque ſimul in eodem corpore; ſicut duæ lineæ poſſunt ſimul terminari ad eundẽ punctum, non tamen ex hoc ſequitur vnam lineam eſſe in alia. Ad 5. neg. mi. Ad prob. inſert. dicitur, quòd licèt anima, & Angelus ſint in eodem corpore per modum totius in toto, & totius in qualibet parte; quia hic eſt modus com-

munis omni ſpiritui carenti quantitati molis, quæ ſolùm importat eſſe partem in parte,& totũ in toto; ſola enim quantitas molis habet partes, & ideo etiam Deus eſt totus in toto, & totus in qualibet parte; attamen iſte modus eſſendi in loco cõmunis omni ſpiritui ſubdiuiditur in tres modos ſpeciales dinerſos,qui conueniunt Deo, Angelis,& animæ; nam Deo conuenit eſſe in loco tantùm repletiuè; Angelis autem definitiuè; & animæ rationali conuenit eſſe in corpore informatiuè;& ideo Angelus,& anima comparantur ad corpus diuerſo modo. Quòd ſi anima eſſet ſeparata à corpore, ei competeret ſolùm eſſe in loco definitiuè per applicationem virtutis,ſicut competit Angelo,& tunc non poſſer eſſe in eodem loco naturaliter ſimul cum Angelo. Ad 6.conc.totum;non enim dicimus Angelum poſſe penetrare ſubſtantiam corporis,quia ſic ei illaberetur; ſed ſolùm quòd poſſit penetrare quantitatem corporis,quæ quantitas eſt accidẽs realiter diuerſum à ſubſtantia. *Sed de hoc ſuo loc.*

Q V Æ S T I O XV.

De Menſura Angelorum.

VLtimò agendum eſt de menſura durationis eſſe,& operationum Angelorum, quo *iſte tractatus* rerum copia adeo prolixus complebitur. De hoc fuſiſſimè agit *Fund. Doct. in Opuſc. lib. de Menſ. Ang. decem articulis*;quæ autem in illis lato calamo ſcribuntur, ſtrictiori ſtylo complectemur; vt tandem ad alia mentem admoueamus, & calamum.

A R T. I.

Quænam ſit menſura eſſe Angelorum?

1 QVoniam probationes, quæ ſumuntur à definitione, ſunt ab intrinſeco,& conuincenter concludunt; ideo priùs videndum,quid ſit definitio menſurę, quam poſtea dicemus menſurare eſſe Angelorũ.

§. 1.

Aſſertur definitio menſuræ Angelorum.

2 MEnſura *vt ſic* definitur, quòd ſit *id, per quod cognoſcitur quantitas rei. Ita Phil. 8. Met. apud Fũd. Doct. de Menſ. Ang. art.* 1;ex quo patet menſuram reduci ad genus quantitatis,quia ſolam quantitatem rei manifeſtat. In qualibet autem re triplex quantitas reperitur,ſcilicet eſſentialis perfectionis, ſecundùm quam dicimus vnam rem habere eſſentiam perfectiorem alia re,vt v.g. Angelum habere eſſentiam perfectiorem alia re, ſcilicet Angelum habere eſſentiam perfectiorem eſſentia hominis; & hæc eſt definitio rei, quæ adæqnat perfectiones eſſentiales ipſius. Itẽ quantitas extenſionis continuæ,vel diſcretæ, ſecundùm quam dicimus *vlnã panni; decem vlnas panni, duodecim vlnas &c*; & tandem quantitas durationis, ſecundũ quã dicimus rem durare tãto tempore. Per quãtitatem perfectionum eſſentialium certificamur de prædicatis eſſentialibus ipſius rei; per quantitatem extenſionis certificamur de magnitudine, & multitudine rerum; & per durationem certificamur de conſiſtentia in eſſe ipſarum rerum. *Hic* agimus ſolùm de menſura tertio modo sũpta; nam ſi ſumatur primo modo, de ea actum eſt *q.1.* Si ſecundo modo, dictum eſt *in alijs qq*; menſura enim v.g. intellectus naturalis Angeli eſt quiditas naturalis actu exiſtens;& ſic obiectũ adæquatum potentiarum, & cuiuslibet virtutis exiſtentis in Angelis eſt menſura illius potentiæ,& virtutis.

3 Quoniam autem in Angelis ſunt aliqua, quæ licèt à parte ante non ſemper fuerint, quia Angeli non fuerunt ab æterno; attamen à parte poſt ſemper durabunt; vt exiſtẽtia; nam ſunt naturaliter indeſtruibiles, vt diximus *q. 1. art.* 2; & actus beatifici, à quibus nunquam ceſſabunt; nec non cognitio,& amor naturalis erga ſe ipſos; vt diximus *q.* 4. Alia verò, quæ non ſemper fuerunt à parte ante, nec ſemper erunt à parte poſt; vt actus liberi, qui fiunt ex electione; & reſoluuntur, tranſeunt, ac deſinunt eſſe; vt *inf. videb*; *hic* ſolùm agimus de duratione eorum, quæ ſemper erunt, acturi de alijs inferiùs.

4 Præterea menſura alia eſt extrinſeca; alia intrinſeca. Extrinſeca eſt quantitas vnius rei, quę adaptata, & comparata ad alteram rem facit cognoſcere quantitatem illius; vt quantitas vlnæ applicata ad quantitatem panni. Intrinſeca eſt aliqua ratio prior exiſtens in ipſa re, per quam deuenimus in cognitiouem quantitatis ipſius rei. In hoc autem differunt menſura extrinſeca, & intrinſeca; quòd intrinſeca ſemper eſt adæquata menſurato; extrinſeca autem vel poteſt eſſe excedens, & inadæquata per exceſſum; vt æternitas, quæ menſurat eſſe Angelorum, & tẽporalium; nam æternitas à parte ante excedit in infinitum eſſe omnium creaturarum; & adhuc ſi creaturæ fuiſſent ab æterno, illas excederet; dicitur enim de Deo, quòd durat *in æternum, & vltra*; quia ſcilicet Deus ita eſt ab æterno, & in æternum, vt non poſſit non eſſe, creatura autem ita fuiſſet ab æterno,& eſt in æternum, vt potuiſſet,& poſſit non eſſe; ex quo habetur æternitatẽ creaturæ eſſe participatam; vt *ex Beatiſſ. P.* docet *Fund. Doct*; quidquid enim habetur, vt poſſit nõ haberi, participatum eſt; quod autem non poteſt non haberi, à ſe ipſo eſt; vt eſt æternitas Dei. Prętere a menſura extrinſeca poteſt eſſe adæquata menſurato; vt vlna ligni vlnæ panni; & vniuerſaliter omnia pondera rebus ponderatis. Tandem poteſt eſſe deficiens, ſeu inadęquata per defectũ,

vt vlna reſpectu cannę; quia nequit illam menſurare, niſi per repetitionem ipſius vlnæ. Ex quo colligitur tripliccm eſſe menſuram; ſcilicet per exceſſum, per adæquationem, & per repetitionem. *Vid. B. Doct. lib. 10. Met. q. 1. Hìc* loquimur ſolùm de menſura intrinſeca.

5 An autem de ratione menſuræ realis ſit realiter differre à menſurato; dicimus *cũ B. Doct. vbiſ. q. 3. ad 9; & 10; & in 1. diſt. 8. p. 1. princ. 2. art. 3. ad 2. cont. Vaſq. 1. p. q. 41. c. 3. n. 15.* meſurã extrinſecam ſemper differre realiter; & hanc ſolùm realiter referri ad menſuratum; non verò menſuram intrinſecam. Ratio eſt; quia in eadem re poſſunt eſſe plures rationes ſolùm virtualiter diſtinctæ, quarum vna ſit cauſa virtualis cognitionis quantitatis alterius; ſicut ſe habet æternitas reſpectu eſſe Dei; ergo tunc menſura non diſtinguitur realiter à menſurato, nec realiter refertur ad illud; neque eſt cauſa realiter cauſans, ſed ſolùm virtualiter. Vnde non oportet, quòd menſura intrinſeca addat rei aliquod realiter diſtinctum, ſed tantùm virtualiter.

6 Ex hoc duo habentur. 1. Habetur neceſſitas ponendi menſuram extrinſecam; cùm enim in omni re non ſit intrinſecè ratio cognoſcendi quantitatem illius rei; ideo neceſse eſt ponere menſuram extrinſecam, per quam illam cognognoſcamus; aliter eſset incognoſcibilis; quod repugnat experientiæ. 2. Habetur, quòd tempus eſt menſura extrinſeca rerum temporalium; quia res temporales non habent aliquod intrinſecè, per quod cógnoſcatur eorum duratio; ſicut pannus non habet aliquod intrinſecè, per quod cognoſcatur quantitas illius; ideo ſolùm habent menſuram extrinſecam. Tum quia menſura intrinſeca ſecundùm ſe eſt inuariabilis, aliter per ipſam non poſset haberi certa cognitio quantitatis determinatæ ipſius menſurati; ſed quælibet res temporalis eſt variabilis; ergo in ipſa nequit eſse intrinſecè ratio menſuræ. Tum quia menſura intrinſeca eſset particularis; non vniuerſalis, ſicut menſura extrinſeca, quæ plures quantitates menſurat; ſed per rationem particularem variabilem nequit haberi cognitio certa, quæ eſt inuariabilis; ergo in re temporali nequit eſſe menſura intrinſeca, ſicut in re æuiterna, in qua eſt ratio particularis inuariabilis, per quam poteſt haberi cognitio certa, quam generat menſura.

7 Quoniam autem, vt dictum eſt, menſura ſolùm, prout applicata, & adiacens, ducit in cognitionem quantitatis rei menſuratæ; & ex hac applicatione, & adiacentia arguitur coexiſtentia quantitatis rei menſuratæ; aliter ſi non coexiſteret, non menſuraret illam, ſed nihil; ideo ex applicatione, & adiacentia temporis ad res temporales reſultat in illis coexiſtentia ad tempus, quę vocatur duratio rerum temporalium; quæ multiplicatur ad rerum multiplicationem; non enim duratio vnius rei, quæ poteſt eſſe per centum annos, eſt duratio alterius rei, quæ poteſt exiſtere centum diebus, vel horis; ideo tot ſunt durationes rerum, quot ſunt ipſæ res.

8 Duratio autem non eſt aliquod realiter diſtinctum ab eſſe rei; ſed eſt permanentia, vel continuitas ipſius eſſe, ac propterea eſt modus illius; quidquid dicant *Sua. & Vaſq.* nam duratio nihil aliud eſt formaliter, quàm ipſa res perſeuerans in eſſe; tum quia duratio, & eſſe ita ſe habent; ſicut productio, quæ reſpicit eſſe, & conſeruatio, quæ reſpicit permanẽtiam in eſſe; ſed perſeuerantia in eſſe nihil aliud eſt, quàm modus ipſius eſſe; ſicut perſeuerantia in loco nihil aliud eſt, quàm exiſtentia rei in loco; non enim perſeuerando in loco acquirit alium locum; ita perſeuerantia in eſſe nihil aliud eſt, quàm ipſum eſſe; non enim permanendo acquirit aliud eſſe; eſſe autẽ perſeuerans realiter diſtinguitur ab eſſe nõ perſeuerante; ſicut corpus ſedens à non ſedente, ſeu currente; ſeſſio autem eſt modus; ergo duratio non importat, niſi modum ipſius eſſe realiter indiſtinctum ab ipſo.

9 Ex hoc habetur, quòd ſicut menſura durationis eſt quid genericum ad menſuram ſucceſſiuam, & permanentem; ita duratio eſt quid genericum ad durationem ſucceſſiuam, & permanentem; duratio enim correſpondet menſurę, ex qua reſultat; vnde aliquod rectè dicitur durare per inſtans; & ideo duratio *vt ſic* præſcindit à ſucceſſione, & permanentia. *Sed de hoc in Met.*

10 His peractis de menſura in communi ſequitur agendum de ſpeciebus menſuræ durationis.

11 Menſura igitur durationis duplex eſt; alia ſecundũ ſucceſſionẽ, vt tẽpus; alia ſecundùm permanentiam, vt æternitas. Sicut enim ens menſuratum aliud eſt permanens, aliud ſucceſſiuum; ita dicendum de menſura. Et ſicuti ens permanens eſt illud, quod habet actu ſimul omnes ſuas partes; & ens ſucceſſiuum eſt illud, quod habet aliquas partes actu, & aliquas in potentia; ita menſura ſecundùm permanentiam eſt illa, quæ habet actu ſimul omnes ſuas partes, & menſura ſecundùm ſucceſſionem eſt illa, quæ non habet actu ſuas partes, ſed aliquas pręteritas, & aliquas in potentia; ratio autem huius eſt; quia menſura intrinſeca eſt vnigenea menſurato, à quo ſpecificatur, vel quod ſpecificat; vt *ex Phil. 11. Met. 1. 7.* docet *Fund. Doct. 10. Met. q. 1.* Tandem quia ens permanens duplex eſt; ſcilicet Deus, & illæ creaturæ, quæ nunquam deſinent eſſe; ideo menſura ſecundùm permanentiam alia eſt, quæ menſurat Deum; alia, quæ mẽſurat creaturas indefectibiles, vt ſunt Angeli. Menſura Dei vocatur latinè *æternitas*, Græcè verò *æuum*; menſura verò Angelorum, & aliarum creaturarum ob penuriam vocabulorum dicitur *æuum*, ſeu æuiternitas per comparationem ad menſuram Dei; ſicut enim menſura Dei, qui ſemper eſt, vocatur æuum, ſeu æternitas; ita menſura creaturarum, quæ ſemper erunt, vocatur æuum, ſeu æuiternitas participata.

Pri-

12 Primum autem eſt diſcrimen inter has duas menſuras; quòd menſura Dei eſt tota ſimul actu à parte ante, & à parte poſt; menſura verò Angelorum non eſt actu ſecundùm omnes partes à parte ante; quia creatura non fuit creata ab æterno; eſt tamen actu ſimul ſecundùm omnes partes à parte poſt; & licèt ſi fuiſſet creata ab æterno, fuiſſet ſimul ſecundùm omnes partes à parte ante; attamen non fuiſſet ſimul ſecundùm potentiam paſſiuam; quia ita fuiſſet, vt potuiſſet non fuiſſe; ſicut ita eſt ſimul à parte poſt, vt poſſit non eſſe; quia Deus poteſt deſtruere creaturas permanentes, vel poterat decernere creaturas permanentes durare ſolùm pro aliqua duratione finita, non autem in æternum. Menſura autem Dei ita eſt ſimul actu à parte ante, & à parte poſt; vt nullo modo poſſit, aut potuerit non eſſe; quia eſſe eſſentialiter conuenit Deo, accidentaliter verò creaturæ. Ex hoc habetur aliud diſcrimen; nam æternitas Dei nequit deſinere ſecundùm partes, quia partes non habet, nec ſecundũ totum, quia eſt ſimpliciter immutabilis; ęternitas verò creaturarum, licèt non poſſit deſinere ſecũdùm partes, quia partes non habet; poteſt tamen deſinere ſecundùm totum, quia Deus poteſt illam deſtruere.

13 Quanuis ergo æuum Græcè ſit idem, quòd latinè æternitas; attamen *apud SS. DD.* multipliciter ſumitur; vt notat *Fund. Doct. in hac q. 1. de Menſ. Ang.* Cùm enim illud, quod conſideratur ſimul ſecundùm omnes ſuas partes, ſit multiplex; ideo etiam æuum, quod menſurat aliquod ſecundùm omnes ſuas partes, multiplex eſt. 1. Aeuum ſumitur pro tota duratione cuiuslibet rei; ſic tota ætas hominis dicitur æuum, vt habet *Beatiſſ. P. in fine pſ. 130.* 2. Sumitur pro tota numeratione plurium rerum; ſic mille anni dicuntur æuum, ſeu ſæculum; nam licèt numerus poſſit augeri per additionem ſolùm vſque ad decem, attamen ſecundùm multitudinem totalitatis numeralis non aſcendit, niſi vſque ad mille; quia mille eſt numerus, cuius radix eſt decem, qui cubicè ductus facit mille; vt docent *Algebriſtæ*; nam ſicut corpus perficitur per triplicem lineam ſecũdùm lõgitudinem, latitudinem, & profunditatem; ita numerus cubicus, qui aſſimilatur corpori, perficitur per trinum numerum denarium cubicè ductum; numeri autem ſupra mille ſunt repetitiones. 3. Sumitur æuum pro totalitate ipſius temporis. 4. Sumitur pro diuerſis partibus temporis; & ſic ſeptem Mundi ætates dicuntur ſeptulex æuum. 5. Sumitur æuum pro totalitate rei, quæ finem non habet, habuit tamẽ principium; & ſicuti potuit carere principio, ita potuit carere fine. 6. Sumitur pro totalitate rei, quæ nec habuit, nec habere potuit, aut poteſt principium, & finem. *Hìc* ſumitur æuum ſolùm quinto modo; quod eſt idem, ac æternitas participata, quæ poteſt admittere ſucceſſionem ſecundùm totum ſaltem de potentia Dei abſoluta. *His not.*

14 Vnica concl. Aeuum menſurans eſſe Angelorum rectè definitur *menſura durationis exiſtentiæ Angelorum per modum vnitatis, & ſimultatis carens omni ſucceſſione ſecundùm partes, capax tamen ſucceſſionis ſecundùm totum.* Deducitur *ex Fund. Doct. & Argent.* Dicitur *menſura durationis*; in quo diſtinguitur à menſura perfectionis eſſentialis, & extenſionis continuæ, ac diſcretæ. Dicitur *per modum vnitatis, & ſimultatis*; in quo æuum conuenit cum omni alia menſura entium permanentium. Dicitur *carens omni ſucceſſione ſecundùm partes*; in quo diſtinguitur à tẽpore menſurante res temporales ſecũdùm prius, & poſterius. Dicitur tandem *capax ſucceſſionis ſecundùm totum*; in quo diſtinguitur ab æternitate, quæ eſt menſura Dei. Ex quo ſic. Illa ęſt bona definitio, quæ clarè explicat eſſentiam rei definitæ; ſed hæc eſt huiuſmodi; quia illud clarè explicat eſſentiam alicuius rei, quod illam explicat diſtinctè; ſicut enim explicare indiſtinctè eſt explicare confuſè; ita explicare diſtinctè eſt clarè explicare; hæc autem definitio explicat quiditatem æui diſtinctè, quia illam explicat, prout diſtinguitur ab omni alia menſura, vt dictum eſt; ergo eſt bona definitio. Tum quia illa eſt bona definitio, quæ traditur per proprium genus, & propriam differentiam; ſed hæc eſt huiuſmodi; genus enim æui eſt *menſura*, quæ conuenit tempori, & æternitati; & differentia ipſius ſunt ceteræ particulæ, per quas differt ab omni alia menſura, vt dictum eſt; ergo eſt definitio rectè tradita.

15 Obijc. 1. *Sua.* Aeuum definitur *à Fund. Doct, & Argent.* per durationem; ergo malè definitur; quia æuum non eſt duratio, ſed menſura durationis; ſicut tempus non eſt duratio rerum temporalium, ſed menſura. 2. Menſura vera, & realis debet realiter diſtingui à menſurato; ſed æuum non diſtinguitur realiter ab exiſtentia Angeli, ergo non eſt menſura illius.

Reſp. ad 1. neg. ant; vt patet ex dictis; ſicut enim ex eo, quòd tempus ſit menſura durationis rerum temporalium ſecundùm prius, & poſterius, non ſequitur, quòd ſit duratio; & ſicut vlna, quia eſt menſura panni, non eſt pannus; ita à pari. Ad 2. diſt. ma. Menſura intrinſeca, vt æternitas, neg; extrinſeca, conc.

16 Obijc. 2. *Vaſq.* Menſura Angeli vel eſt exiſtentia ipſius Angeli; vel modus in ea fundatus? Non primum; quia exiſtentia eſt menſuratũ, ideo nequit eſſe menſura. Non ſecundum; quia mẽſura debet eſſe notior, cùm per ipſam cognoſcamus menſuratum; nobis autem magis innoteſcit exiſtentia Angeli, quàm ille modus.

Reſp. eſſe modum fundatum in exiſtentia. Ad improb. dicitur, quòd menſuratum formaliter non eſt exiſtentia, ſed quantitas durationis exiſtẽtiæ; vnde licèt exiſtentia ſit nobis notior illo modo; attamen quia quãtitas durationis, quæ per æuũ nobis innoteſcit, nõ eſt magis nota; ideo æuũ eſt illius menſura.

17 Obijc.3.*Mol.* Menſura notificat quantitatem; ſed in Angelis nulla eſt quantitas; ergo nulla menſura. Tum quia ſi æuum eſſet menſura Angelorum, noſter intellectus aliquo modo cōcurreret ad illud, ſicut concurrit ad tempus; ſed conſ.eſt falſum; aliter æuum non eſſet menſura realis;ergo & ant. Tum quia *Fund.Doct.de Mēſ. Ang.q.3.§.Viſo* ait, quòd æuum ita ſe habet reſpectu Angelorum; ſicut quando reſpectu temporalium;ſed quando non eſt menſura; ergo neque æuum. Tum quia eſſe capax ſucceſſionis ſecūdùm totum eſt quid commune omnibus creaturis, quæ poſſunt à Deo totaliter deſtrui; ergo non eſt differentia propria æui.

Reſp.ad 1.diſt.mi. In Angelis nulla eſt quātitas extenſionis,conc;durationis,neg. Ad 2.*cum Fund.Doct.q 3.ad* 10. diſt. ma. Concurreret efformando relationem rationis,quæ conſequitur ad rationem menſuræ, conc; quæ eſſentialiter pertinet ad rationem formalem menſuræ, neg. Ad 3. dicitur, quòd ſimilitudo inter æuum, & quando conſiſtit in his. 1. Quòd ſicuti quando extrinſecè cauſatur à tempore in re temporali; ita æuum extrinſecè cauſatur ab æternitate imparticipata in re æuiterna.2.Quòd ſicuti quando non addit rei temporali aliquid realiter diſtinctum;ita dicendum de æuo. 3.Quòd ſicuti quando multiplicatur ad multiplicationem rerum tēporalium;ita æuum multiplicatur ad multiplicationem æuiternorum. Differunt tamen in hoc, quòd quando habet rationem durationis, non menſuræ;quia in re temporali nequit eſſe aliqua ratio inuariabilis, per quam cognoſcatur quantitas durationis illius, cùm omnis res temporalis ſit variabilis; at verò æuum poteſt habere rationem menſuræ, quia eſt ratio inuariabilis, vna, & tota ſimul ducens nos in cognitionem quantitatis durationis ipſarum rerum æuiternarum. *Vid. Fūd.Doct.de Menſ.q.5.§.Quarto modo.* Ad aliud diſt.ant. Eſſe capax ſucceſſionis ſecundùm totum cum incapacitate ſucceſſionis ſecundùm partes eſt quid commune omnibus creaturis, neg; iſta enim particula coniuncta cū alijs particulis conſtituit differentiam æui;præciſa incapacitate ſucceſſionis ſecundùm partes,conc.

§. 2.

Reſoluitur Articulus.

18 PRima ſententia vult eſſe Angeli mēſurari tempore noſtro, tanquā propria menſura. *Ita Dur.in 2.diſt.2.q.4;Okam.ibid. q.13; Gabr.in 2.diſt.2.q.1; Gonet* verò *hic diſp.5. digreſſ.* ait menſurari æuo, quod non eſt idem, ac æternitas.

19 Noſtra tamen ſententia docet eſſe Angeli menſurari æuo, quod eſt idem, ac æternitas participata. *Ita Fund.Doct.de Menſ.Ang.q.1;Argent.in 2.diſt.2.q.1.art.3.concl.3; & communiter omnes DD.tam noſtri,quàm extranei.*

20 Vnica.concl. Eſſe Angelorum menſuratur æuo,ſeu æternitate participata.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.lib.4.ſup.Gen.ad lit.c.5. ſup.illud.Sap.11. Omnia in Menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti,* ait: *Fateamur ergo ita dictū eſſe:Omnia in menſura, & numero,& pondere diſpoſuiſti;tanquam ita dictum eſſet ita diſpoſita, vt haberent proprias menſuras ſuas, & proprios numeros,& proprium pondus;& lib.83.qq.q.23.* loquens de anima noſtra ait: *Aeternitatem, vel intelligitur,vel creditur conſequi,ſed æterna æternitatis participatione fit.* Ex quibus ſic. Omnis creatura eſt à Deo creata in aliqua menſura ſibi propria; ſed Angeli ſunt creaturæ; ergo à Deo ſunt creati in aliqua menſura illis propria; atqui mēſura Angelis propria non eſt æternitas imparticipata;quia hæc eſt menſura propria ſolius Dei; neque eſt tempus, quia hæc eſt propria rerum temporalium,quæ deſinunt eſſe; ergo eſt æternitas participata,ſeu æuum,quod menſurat ea,quę finem non habent.

21 Conf. Anima rationalis,quia eſt immortalis,menſuratur æuo,ſeu æternitate participata; ſed Angeli ſunt immortales; ergo menſurantur æuo,ſeu æternitate participata.

22 Prob.2. *ex Fund.Doct.* Eſſe Angelorum durat ſine fine à parte poſt;ergo debet menſurari menſura, quæ durat ſine fine à parte poſt; cuilibet enim durationi debet correſpondere propria menſura, cùm duratio ſit effectus menſuræ; reſultat enim ex adiacentia illius, ſicut quando ex adiacentia temporis; at nomine æui, ſeu æternitatis participatæ intelligimus menſuram, quæ durat ſine fine;hæc enim menſura habet partem æternitatis ſimpliciter,quia æternitas ſimpliciter durat ſine initio,& ſine fine,& hoc habet à ſe ipſa; æternitas autē participata habet ſolū durare ſine fine ab ipſa ęternitate ſimpliciter,quia primū eſt cauſa ceterorum; illud autem, quod eſt ſimpliciter,eſt primum; & ideo æternitas imparticipata eſt cauſa æternitatis participatæ; ergo eſſe Angelorum menſuratur æuo,ſeu æternitate participata.

23 Prob.3. *ab eod.ex D.Dion. de Diuin.Nomin.c.10;* vbi docet; quòd creaturæ mediæ inter Deum,qui eſt;& inter creaturas,quæ fiunt,& generantur, ſecundùm aliquid menſurantur æuo, & ſecundùm aliquid menſurantur tempore; ſed Angeli ſunt creaturæ mediæ inter Deum,& hæc generabilia; ergo ſecūdùm aliquid menſuranrur æuo,& ſecundùm aliud menſurantur tempore; atqui illud, quod in Angelis menſuratur æuo, debet eſſe quid permanens; quod non eſt,niſi eſſe,quod ſemper erit; & illud, quod menſuratur tempore,eſt,quod prætervolat,& ſic non ſunt,niſi eius operationes naturales, quæ fiunt, & euolant;ergo eſſe Angelorum mēſuratur æuo; quod nequit eſſe, niſi participatiuè; quia æuum, ſeu æternitas ſimpliciter nequit compati ſecum aliquod tempus,aut temporale; nihil enim temporale eſt in Deo; ergo æuum Angelorum eſt ęternitas participata. Verba *D.Dion.* ſunt hæc: *Media*

au-

autem exiſtentium, & factorum ſecundùm aliquid quidem æuo, ſecundùm aliquid autem tempore participant; ex quibus patenter colligitur menſuram Angelorum eſſe æuum, ſeu æternitatem participatam.

24 Prob.4. *ab eod. Tertia via.* Mēſura menſurans aliquod eſſe ęternum, quod nunquam deſinet, poteſt tamen deſinere eſſe, eſt participatio illius menſuræ, quæ menſurat aliquod eſſe ęternum, quod nequit deſinere eſſe; ſicut entitas, quæ poteſt deſinere eſſe, eſt participatio illius entitatis, quæ nequit deſinere eſſe; illud enim, quod eſt ſecūdùm quid, eſt participatum ab illo, quod eſt ſimpliciter; ſed menſura menſurans eſſe, quod nequit deſinere eſſe, eſt æternitas ſimpliciter; ergo menſura menſurans eſſe, quod nunquam deſinet, poteſt tamen deſinere eſſe, quia à Deo poteſt deſtrui, eſt æternitas participata; atqui eſſe Angelorum nunquam deſinet, poteſt tamen deſinere; ergo eſſe Angelorum menſuratur æternitate participata, ſeu æuo.

25 Prob.5. *ex eod.* Eſſe limitatum, & indefectibile menſuratur aliqua mēſura limitata, & indefectibili; ſed eſſe Angelorum eſt limitatum, quia eſt eſſe receptum; & compoſitum ex genere, ac differentia, quæ ſunt limites ipſius eſſe; & eſt indefectibile, quia nunquam deſinet eſſe; ergo eſſe Angelicum menſuratur menſura limitata, & indefectibili; atqui menſura limitata non eſt æternitas imparticipata, quia hæc eſt ſimpliciter illimitata; neque eſt tempus, quia tēpus menſurat ſolùm defectibilia; ergo erit aliqua menſura media inter æternitatem, & tempus, quam vocamus æuum, ſeu æternitatem participatam.

26 Tandem menſura eſſe Angelici eſt *tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; quia non habet partes; menſurat enim eſſe Angelicum, quod eſt indiuiſibile, & habet omnem ſuā perfectionem ſubſtātialem ſimul; non enim ſubſtantia Angeli ſubſtātialiter augetur, ſicuti augetur ſubſtantia corporea; & eſt *vitæ interminabilis* ſecundùm quid, nō ſimpliciter; quia licèt habeat terminum à parte ante, caret tamen termino à parte poſt; & quamuis careret terminis ex vtraque parte; attamen poſſet illos habere; vt dictū eſt *in ſup.* §; ſed æternitas definitur *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; ergo menſura eſſe Angelici eſt æternitas ſecundùm quid, & ideo ęuum, ſeu ęternitas participata.

27 Obijc.1. Vnunquodque menſuratur minimo indiuiſibili, & perfectiſſimo ſui generis *ex Phil*; ſed Angeli ſunt in genere ſubſtantię, in quo minimum indiuiſibile, & perfectiſſimū eſt Deus; ergo menſura Angelorum eſt ipſe Deus; & ideo æternitas imparticipata.

Reſp. diſt. ma. Menſuratur minimo indiuiſibili, & perfectiſſimo, tanquam menſura extrinſeca, conc. ma; & mi; tanquam menſura intrinſeca, neg.

28 Obijc. 2. Per tempus noſtrum poſſumus cognoſcere quantitatem durationis Angeli; ergo tempus noſtrum eſt menſura eſſe Angelorū. Prob. ant. 1. Non poſſumus cognoſcere ſubſtantias ſeparatas, niſi per ſenſibilia; ſed tempus noſtrum eſt ſenſibile; ergo per tempus noſtrum poſſumus perfectè cognoſcere quantitatem durationis Angeli. 2. Ex eo, quòd Angeli coexiſtant tempori noſtro, cognoſcere poſſemus, quot anni fluxerunt ab eorum creatione, ergo per noſtrum tempus cognoſcere poſſumus durationem Angelorum. 3. In duratione Angeli inueniūtur partes temporis noſtri, inueniuntur enim ante, & poſt, longitudo, & breuitas; nam ſi Deus modò crearet vnum Angelum, iſte eſſet creatus poſt illos, qui fuerunt creati ab exordio Mundi, & breuior eſſet illius vita; & illi fuiſſent ante illū, & longior eſſet eorum vita; ergo per tempus noſtrum poſſumus cognoſcere durationem Angeli. 4. In duratione Angeli inuenitur præteritum, & futurum; nam *ex D. Anſ. in proſol. c.3.* Angeli de ſua ęternitate nondum habent, quod eſt futurum; ſicut non habent, quod eſt præteritum; ergo menſurantur tempore noſtro.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Per tempus noſtrum, tanquam per menſuram alienam, poſſumus cognoſcere imperfectè quātitatem durationis Angeli, conc; tanquam per menſuram propriam, & perfectam, neg; nam noſtrum tempus ceſſabit, ſed nō ceſſabit eſſe Angeli. Ad 1. prob. diſt. ant. Non poſſumus cognoſcere ſpiritualia, niſi per ſenſibilia, tanquam per aliquod imperfectum, per quod manuducimur ad cognoſcendum aliquod perfectum, per quod poſtea poſſumus cognoſcere perfectè, quātùm nobis datur in hac vita, ſubſtantias ſpirituales, conc; tanquam per aliquod perfectum, neg. Vel per ſenſibilia tanquam per aliquod proprium, & intrinſecum, neg; tanquam per aliquod alienum, & extrinſecum, conc. Ad 2. neg. conſ; quāuis enim per tempus noſtrum poſſimus cognoſcere durationē Angeli per correſpondentiam ad tempus noſtrum; attamen illam non cognoſcimus perfectè; quia excedit durationem temporis noſtri. Ad 3. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur, quòd ante, & poſt; breuitas, & longitudo vitæ Angelorum merè extrinſecè ſe habēt ad illorum durationē, quæ eſt tota ſimul; & ideo dicuntur ſolùm per reſpectum ad noſtrum tempus. Ad 4. dicitur eodem modo præteritum, & futurum dici ſolùm de Angelis extrinſecè, quatenus coexiſtunt partibus tēporis noſtri, quę ſūt præteritæ, & futuræ. Vel diſt. ant. In duratione Angeli inuenitur præteritum, & futurum reſpectu operationum, conc; reſpectu ipſius eſſe, neg. Ita intelligendus eſt *D. Anſ.*

29 Obijc.3. Angelus creatus eſt in inſtanti; ergo eius eſſe menſuratur inſtanti; & ideo non menſuratur æuo, quod diſtinguitur à ſuo nunc, ſeu inſtanti.

Reſp. neg. conſ; quamuis enim res corporales creatæ ſint in inſtanti temporis; attamen non

ſe-

ſequitur earum menſuram eſſe inſtans temporis, non ipſum tempus; ita à pari licèt Angelus productus fuerit in inſtanti æui; attamen non ſequitur, quòd eius eſſe menſuretur inſtanti, ſeu nunc æui,quo menſuratur eſſentia Angeli, non exiſtentia;vt *inf.*dicemus.

30 Obijc.4.*ex Gonet.*Aeuum diſtinguitur ab æternitate participata;nam æternitas participata nullam admittit variabilitatem,æuum autem admittit aliquam variabilitatem vel ex parte ſubiecti, in quo eſt; vel ex parte aliarum operationum, quæ illi adiunctæ ſunt; ergo malè dicitur eſſe Angelorum menſurari æuo, ſeu æternitate participata. 2. Aeternitas idem eſt, ac extra terminos; ſed eſſe Angelorum non eſt extra terminos, cùm ſit limitatum; ergo non menſuratur æternitate. 3.Nulla eſt aſſignabilis ratio,ob quā menſura Angelorum vocāda ſit potiùs æternitas participata,quàm tempus participatum,eſt enim inter æternitatem, & tempus, medium autem participat naturam extremorum; ergo rectè dici poteſt tempus participatum.

Reſp.ad 1.neg.ant.Ad prob.dicitur, quòd ſicut eſſe admittit mutationem ſolummodò accidentalem reſpectu actuum naturalium,qui ſiūt ex electione,cum quibus coniungitur eſſe ipſius Angeli; ita viſio beata admittit mutationem accidentalem reſpectu eorūdem actuum, cum quibus coniungitur; & ſicut hoc non obſtante viſio beata, quia nullam admittit mutationem in ſe ipſa,menſuratur æternitate participata; ita eſſe Angeli,quia nullam mutationem dicit in ſe ipſo, eadem æternitate menſuratur.Ad 2.diſt.mi.Non eſt extra terminos ſimpliciter, conc; ſecundùm quid,neg; & ideo menſuratur ſolùm æternitate ſecundùm quid, quæ eſt æternitas participata. Ad 3.neg.ant;quāuis enim ſit medius inter Deū, & temporalia,attamen eius menſura nequit eſſe tempus:quia nequit eſſe quid imperfectius, ſed perfectius; cùm menſura ſit cauſa menſurati, & cauſa ſit potior effectu.

31 Obijc.5.Menſura rei ſupernaturalis nequit eſſe menſura rei naturalis; cùm enim menſura intrinſeca non diſtinguatur à menſurato; ſicut naturale nequit eſſe ſupernaturale; ita mēſura rei naturalis nequit eſſe menſura rei ſupernaturalis;ſed eſſe Angelorum eſt naturale; & viſio beata eſt ſupernaturalis;ergo æternitas participata,quæ eſt menſura viſionis beatæ,nequit eſſe menſura eſſe Angelorum.

Reſp;quòd cùm accidens exiſtat in alio, & per exiſtentiam alterius;nam ſi exiſteret in ſe ipſo,& per ſe ipſum,non eſſet accidens,ſed ſubſtātia; in hoc enim diſtinguitur ſubſtantia ab accidente; ideo menſura durationis eſſe accidentis eſt menſura durationis eſſe ipſius ſubſtantiæ; ſed viſio beata eſt accidens exiſtens per exiſtentiam ſubſtantiæ Angeli; ergo menſura viſionis beatæ exiſtentis in Angelo eſt menſura ipſius eſſe Angeli;& ideo eadem eſt menſura vtriuſque. Ad arg.ergo diſt.2.pars mi.Viſio beata eſt ſupernaturalis quoad quiditatem, conc; quoad exiſtentiam, neg; nam viſio beata habet exiſtere in ſubiecto, quod naturaliter competit omni accidēti,ſicuti enim non implicat, quòd aliquod naturale habeat exiſtere per aliquod ſupernaturale; vt natura humana Chriſti Domini, quæ ſecundū ſuam quiditatem eſt quid naturale,exiſtit per exiſtentiam Verbi,quæ eſt quid ſupernaturale; ita non implicat, quòd aliquod ſupernaturale ſecūdùm quiditatem exiſtat per exiſtentiam naturalem;vt viſio beata,quæ eſt ſupernaturalis ſecundùm quiditatem,exiſtat per exiſtentiam Angeli, quæ eſt naturalis;ſed illa,quæ habent communē exiſtentiam, habent communem mēſuram menſurantem exiſtentiam; ergo menſura rei naturalis poteſt eſſe menſura rei ſupernaturalis quoad eſſe.

ART. II.

An ſit vnum æuum omnium Angelorum?

1 Senſus difficultatis eſt; an ſicuti datur tempus in aliqua creatura corporali extrinſecè menſurans omnia corpora mutabilitati ſubiecta; ita detur vnū æuum in aliqua creatura ſpiritali extrinſecè menſurans eſſe omnium entium incorruptibilium;& ſicuti omnia temporalia per vnum tempus exiſtens in motu primi mobilis reducuntur in æternitatem, quæ eſt mēſura ſimpliciter prima menſurans omnia menſurabilia; ita per vnum æuum exiſtens in aliqua creatura ſpiritali omnia æuiterna reducantur in æternitatem tanquam in menſuram ſimpliciter primam? Porrò certum eſt æternitatem imparticipatam,quæ eſt menſura Dei, & ideo eſt omniū menſurarum menſura, menſurare eſſe omnium creaturarum ſiue tēporalium, ſiue ſpiritualium; ideo in hoc ſenſu nulla eſt difficultas, ſed tantùm in primo.

2 Prima ſententia putat æuum exiſtens in prima creatura æuiterna eſſe menſuram extrinſecam omnium æuiternorum;ſicut motus exiſtēs in primo mobili eſt menſura extrinſeca omniū mobilium inferiorum. *Ita D.Tho.1.p.q.10.art.6; & cōmuniter ei diſcipuli, inter quos Gonet digreſſ. diſp.5.* Diſcrepant tamen in aſſignando ſubiectū; in quo hæc menſura reperiatur; *aliqui* enim, *vt Ban.& Zum;* cenſent reperiri in Lucifero, qui eſt ſupremus Angelorum; quāuis enim per peccatum amiſerit conformitatem ad Deum, vt ad Auctorem ſupernaturalem; non tamen perdidit vniformitatem naturalem in eſſendo,& operando naturaliter, quia naturalia in Dæmonibus remanſerunt integra. *Alij, vt Gonet,* volunt, quòd peccante Lucifero menſura primi Angeli, qui remanſit in gratia, euaſit menſura omnium aliorum Angelorum; quia retinuit vniformitatem in ſuis operationibus, per quam poteſt metiri operationes aliorum; & licèt Lucifer remanſerit integer in ſuis naturalibus ſpeculabilibus; atta-

men quia factus fuit difformis in practicis, ideo non potuit remanere menſura aliorum. *Alij, vt Naz.* volunt animam Chriſti Domini eſſe æuum omnium Angelorum; quia licèt ſit inferior in natura, eſt tamen ſuperior in gratia; & aliunde ex vnione ad Verbum Diuinum contraxit maiorē vniformitatem, & immutabilitatem, quàm habeant Angeli.

3 Noſtra tamen ſententia docet non dari vnum æuum Angelorum, ſed totidem eſſe æua, quot Angeli. *Ita Fund. Doct. de menſ. Ang. q.2. & in 2. diſt.2. art.2; Argent. ibid. q.1. art.4; Sua, Vaſq. & alij;* qui explicant *D. Tho. vbiſ.* loqui de menſura perfectionis eſſentialis, quia ſubſtantia perfectior eſt menſura ſubſtantiarum imperfectiorum; non autem de menſura durationis, de qua loquimur *hic.*

4 Not. *ex Fund. Doct.* quòd *vnunquodque menſuratur minimo ſui generis ex Phil. 10. Met. t.3. & 4;* ratio autem minimi, ex qua ſumitur ratio menſuræ, ſumitur vel ex ſimplicitate, vel ex vniformitate, vel ex indiuiſibilitate; nam vt docet *idem Fund. Doct. de Menſ. Ang. q.3;* ratio menſuræ per ſe primò reperitur in quantitate diſcreta, & ſolùm translatiuè, & materialiter conuenit quantitati continuæ; menſura enim eſt id, per quod cognoſcimus quantitatem; & ideo menſura debet eſſe notior menſurato; id autem, quod eſt notius in quantitate, eſt vnitas, quæ eſt principium quantitatis diſcretæ; ea namque, quæ ſūt ſimpliciora, ſunt faciliùs cognoſcibilia, quàm ea, quæ ſunt compoſita; tum quia vnitas eſt minima omnium numerorum; id autem, quod eſt minus, eſt notius, quàm id, quod eſt maius; quia maius maiorem exigit cognitionem; & minus minorem; illud autem, quod minorem exigit cognitionem, eſt notius; tum quia per quātitatem diſcretam cognoſcimus continuam; nam cognoſcimus pannum eſſe decem v.g. vel duodecim vlnas; illud autem, quod eſt ratio alterius, principaliùs ſe habet, quàm alterum; ergo ratio menſuræ per ſe primò reperitur in quantitate diſcreta; & ideo in illa reperitur per ſe; in quantitate autem continua reperitur translatiuè, & per aliud, quia reperitur ratione quantitatis diſcretæ.

5 Igitur quia vnitati, quæ eſt menſura quantitatis diſcretæ, competit ſimplicitas; in hoc enim diſtinguitur à numero, qui eſt compoſitus; & vniformitas; numeri enim ſunt difformes inter ſe, vt patet; & indiuiſibilitas; quia numerus eſt diuiſibilis; ideo menſuræ hæc tria conueniunt, ſcilicet ſimplicitas, vniformitas, & indiuiſibilitas; & propter hæc tria menſura diuiditur in triplicē menſuram; nam menſura extenſionis, aut multiplicationis debet eſſe indiuiſibilis, & ideo minima ſecundùm indiuiſibilitatem; vt vnitas; & licèt menſura quantitatis continuæ ſit diuiſibilis materialiter, quia vlna eſt diuiſibilis in plures partes; eſt tamen indiuiſibilis formaliter; non enim eſt diuiſibilis in plures vlnas. Menſura perfectionis eſſentialis debet eſſe ſimplex, & ideo minima ſecundùm ſimplicitatem; vnde quia Deus eſt ſubſtantia ſimpliciſſima, ideo eſt mēſura omnis ſubſtantiæ creatæ. Tandem menſura durationis debet eſſe vniformis, & regulata ſemper æqualiter; aliter modò plus, modò minus menſuraret; quapropter motus Cœli eſt menſura aliorum motuum, quia vna reuolutio tantùm durat, quantū alia, & licèt poſſit dari motus velocior; attamen nequit dari motus vniformior, & regulatior.

6 Ex hoc colligi poteſt 1. quomodò menſura debeat eſſe cauſa menſurati, & aliquomodò facere ad eſſe ipſius menſurati; *primum* enim *in vnoquoque genere eſt cauſa ceterorum*; & illud, quod aliquomodò facit ad cognitionem prioriſticam alterius, facit etiam ad eſſe illius, quia cū eſſe, & cognoſci ſint idem; ideo nequit aliquid eſſe cauſa cognoſcibilitatis, quin ſit cauſa ipſius eſſe. Et licèt hoc non verificetur de menſura ex inſtitutione hominum; vt eſt vlna, brachium, vncia &c. quæ aſſumuntur ab hominibus, tanquam menſuræ; verificatur tamen de menſura naturali; hinc vnitas eſt cauſa numerorum, qui ab illa dependent, & fiunt; tempus omnium temporalium; & Deus omnium entium. 2. Quomodò intelligēdum ſit illud axioma: *Menſura, & menſuratum debent eſſe in eodem genere*; loquendo enim de menſura extrinſeca ait *Fūd. Doct. hic; & 10. Met. q.1. & 2.* hoc verificari de genere analogico, nō vniuoco; quia vnitas eſt menſura numeri, & non eſt in eodem genere vniuoco, quia non eſt numerus; & Deus eſt menſura omnium crearurarū; & tamen ſolùm analogicè conuenit cum illis. Quanuis ergo aliqua menſura poſſit eſſe in eodem genere cum menſurato; vt albedo, quæ eſt menſura aliorum colorum; hoc tamen non conuenit menſuræ, niſi materialiter, non autem formaliter. *His not.*

7 Vnica concl. Non datur in creatura ſpirituali vnum æuum menſurans omnia æuiterna; ſicut datur in creatura materiali vnum tempus menſurans omnia temporalia.

Prob. 1. *ex Fund. Doct.* Mēſura communis pluribus mēſuratis nō eſt in aliquo ex illis menſuratis; aliter ſi eſſet in menſuratis, multiplicaretur ad multiplicationem menſuratorum; & ſi eſſet tantùm in vno menſurato, illud menſuratum non eſſet menſuratum per illam menſuram; ſed æuum reperitur in Angelis; ergo non eſt vnum omniū Angelorum. Prob. ma. Tempus, quod eſt menſura communis omnium temporalium, non eſt in aliqua re temporali; eſt enim in primo mobili, cuius eſſe menſuratur æuo, quia eſt incorruptibile; vnde licèt tempus menſuret partes motus primi mobilis, non tamen menſurat eſſe illius; ergo mēſura cōmunis pluribus menſuratis nō eſt in aliquo ex illis menſuratis. Tum quia ſi eſſet in aliquo menſurato, iam eſſet contracta ad illud menſuratum, contractum autem non eſt commune. Prob. mi. Aeuum nequit reperiri in creatura

temporali, quia menſura nequit eſſe inferior ad mẽſuratum; neque in Deo, quia in ipſo eſt æternitas imparticipata, non æuum, quod eſt æternitas participata; ergo æuum reperitur in Angelis.

8 Prob. 2. Menſura eſt quid ſupremum in illo genere, in quo eſt menſura; ſic Deus dicitur menſura omnium entium, quia eſt ſupremus in genere entium; & licèt poſſit dari aliquod corpus perfectius Cœlo; vel aliquis motus velocior, aut breuior motu Cœli; attamen nequit dari corpus habens motum magis regulatum, & vniformem, quàm ſit motus Cœli; ſed quolibet Angelo exiſtẽte à parte re. poteſt dari alius perfectior habens maiorem vniformitatem cum Deo; ergo nullus Angelus eſt menſura aliorum Angelorum; & ideo non datur vnum æuum commune Angelis.

9 Conf. In hoc diſtinguitur menſura ſecundùm qualitatem, à menſura ſecundùm quantitatem, & ſecundùm ſubſtantiam; quod menſura ſecundùm qualitatem eſt in eodem genere cum menſurato; vt albedo, quæ eſt menſura omnium colorum, eſt in genere coloris; menſura verò ſecundùm quantitatem non eſt in eodem genere formaliter, ſed tantùm reductiuè, vt vnitas non eſt formaliter numerus, ſed reductiuè; & menſura quantitatis continuæ, vtpote indiuiſibilis ſaltem ſecundùm inſtitutionem, & poſitionem noſtram, non eſt diuiſibilis, ſicut menſuratum; ergo menſura ſecundùm ſubſtantiam, quæ eſt perfectior, non eſt in eodem genere nec formaliter, nec reductiuè; & ideo Angelus menſurans alios Angelos non eſſet in genere ſubſtantiæ intellectualis.

10 Prob. 3. *ex eod.* Repugnat creaturam eſſe menſuram omnium entium ſimpliciter; ergo repugnat vnum Angelum eſſe menſuram ceterorum. Ant. patet; quia menſura omnium entium eſt infinita, & ideo eſt ſolus Deus. Prob. mi. In tantùm creatura nequit eſſe menſura totius entis creabilis; in quantùm nequit eſſe menſura primi, & nobiliſſimi entis creabilis, ſicuti in tantùm nequit eſſe cauſa totius entis creabilis; in quantùm nequit eſſe cauſa primi, & nobiliſſimi entis creabilis; ſi enim poſſet eſſe cauſa primi, & nobiliſſimi entis creabilis, poſſet etiam eſſe cauſa aliorum entium, quæ ſubſequuntur ad primũ; & ita dicendum de menſura; ſed primum, & nobiliſſimum genus inter creaturas eſt ſubſtantia ſpiritualis Angelica; ergo repugnat vnum Angelum eſſe menſuram aliorum.

11 Prob. 4. Menſura aliquo modo eſt cauſa eſſe ipſius menſurati, & facit ad conſeruationem illius; quia eſt prior illo; vt *ſup.* dictum eſt; ſed nullus Angelus eſt cauſa alterius, nec facit ad conſeruationem illius; aliter vno deſtructo deſtruerentur alij; ergo nullus Angelus poteſt eſſe menſura aliorum Angelorum.

12 Prob. 5. *ex eod.* Menſura eſt id, per quod à priori cognoſcitur menſuratum, tanquam per cauſam ſui eſſe; ſed nullus Angelus poteſt eſſe ratio cognoſcendi alios Angelos, tanquam cauſa illorum; aliter incideremus in opinionem *Algazelis, & aliorum*, quos retulimus *de Creat. q. 2. art. 2. n. 1*, aſſerentium Deum nõ creaſſe, niſi primum Angelum, à quo poſtea creati ſũt alij Angeli, & ſic deinceps; ergo vnus Angelus nequit eſſe menſura aliorum Angelorum, & ideo non eſt vnum æuum omnium æuiternorum.

13 Prob. 6. Eſſe menſuræ menſurantis aliqua inferiora menſuratur ab aliqua menſura ſuperiori; vt eſſe primi mobilis, quod menſurat temporalia, menſuratur æuo, quia nunquam deſinet eſſe; ſed menſura ſuperior ad æuum, quod menſurat Angelos inferiores, eſt æternitas imparticipata; qua menſuratur eſſe Dei; ergo ſi in primo Angelo eſſet æuum menſurans Angelos inferiores, eſſe primi Angeli menſuraretur æternitate imparticipata; hoc autem eſt impoſſibile; quia æternitas imparticipata eſt propria ſolius Dei; vel careret propria menſura, quod æquè falſum eſt; habetur enim *Sap. 11*; quòd *Deus creauit omnia in numero, pondere, & menſura*.

14 Prob. 7. Si motus cuiuſuis rei temporalis eſſet vniformis, ſimplex, & regulatus, non eſſet neceſſe ponere menſuram extrinſecam omnium temporalium; quia vnaquæque res temporalis haberet menſuram intrinſecam ſui eſſe; ſed eſſe Angelorum eſt vniforme quoad durationẽ, ſimplex, & indiuiſibile; ergo non eſt neceſſe ponere menſuram extrinſecam vnam omnium Angelorum; tota enim ratio ponendi tempus eſt propter difformitatem, & irregularitatem horũ temporalium; quorum vnum magis durat, quàm aliud; vnũ velocius, aliud breuius mouetur; Angeli autem æquè durant ſemper, & ideo non eſt neceſſe ponere mẽſuram extrinſecam vniformẽ.

15 Tandem prob. Si vnus Angelus eſſet menſura omnium Angelorum; vel iſte eſſet Lucifer, vel primus Angelus bonus? Non primum; quia cùm menſuratum ſubdatur menſuræ, incõgruum eſt, quòd Angeli boni ſubdantur Lucifero quoad eſſe. Non ſecundum; quia ſi primus Angelus bonus remanſiſſet menſura aliorum, ſequeretur, quòd cadente Lucifero Angeli boni amiſiſſent perfectiorem menſuram; Lucifer enim erat perfectior Angelo bono, qui remanſit menſura; & ſic aliquid perfectionis naturalis amiſiſſent, quod eſt inconuenientiſſimum; ſi enim naturalia in Dœmonibus remanſerunt integra, vt docet *D. Dion*; multò magis idem dicendum eſt Angelis bonis.

16 Obijc. 1. cont. hanc vlt. rationem. Si vnus Angelus non eſſet menſura aliorum, maximè, quia cadente Lucifero, variata fuiſſet aliorum menſura; ſed hoc nullam dicit inconuenientiam; idem enim omnino docet *Beatiſſ. P.* de tempore 11. *Conf. c. 23*; vbi ait: *An ſi ceſſarent Cœli lumina, & moueretur rota figuli, non eſſet tempus, quo metiremur eos gyros?* & inf. *Cuiuſdam voto cùm Sol ſte-*

ſtetiſſet, vt victor Ioſue prælium perageret, Sol ſtabat, ſed tempus ibat; ergo hęc ratio non concludit.

Reſp. *Gonet Beatiſſ. P.* loqui de duratione rerum, non de menſura. Sed hæc reſponſio rem non explicat, ſed euadit; ait enim *Beatiſſ. P. Sol ſtabat, ſed tempus ibat;* non autem *Sol ſtabat, ſed res durabat.*

17 Reſp. ergo neg. mi. Si enim ceſſaret motus Cœli, tunc non eſſet aliquis motus vniformis faciens ad eſſe temporalium, & ideo nullum eſſet tempus. *Ad Beatiſs. P.* dicitur, quòd loquitur de motu Luminarium, non autem de motu primi mobilis; quamuis ergo non mouerentur luminaria, quæ habent ſolùm menſurare quaſdam deſignationes temporis; vt v.g. vna reuolutio Solis deſignat annum; motus ab oriente in occidẽtem deſignat diem; in quo ſenſu loquitur *Scriptura Gen.* 1; attamen eſſet motus primi mobilis, & ideo eſſet tempus; quòd ſi nullus eſſet motus, nullum eſſet tempus; vt manifeſtè docet *lib. 5. de Gen. ad lit. c. 5. in princ; & in Sēt. decerptis ſent.* 280; vbi habet: *Facta creatura motibus cœperunt currere tempora; vnde ante creaturam fruſtra tempora requiruntur; motus enim ſi nullus eſſet, vel ſpiritalis, vel corporalis creaturæ, quo per præſēs prateritis futura ſuccederent, tempus nullum omnino eſſet.* Quibus verbis docet in motu corporali cõſtitui tempus noſtrum; & in motu ſpiritali tempus Angelicum, de quo *inf.*

18 Obijc. 2. Primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorum; quia vnunquodque mẽſuratur minimo, ſeu ſimpliciſſimo ſui generis; primum autem eſt ſimpliciſſimum; ergo omnes Angeli menſurantur à primo Angelo. 2. Infima reducuntur in ſuprema per media, vt docet *D. Dion*; ergo Angeli infimi menſurantur à medijs, & medij à ſupremis.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Primum in vnoquoque genere analogico, conc; vniuoco, neg; aliter menſura durationis omnium animalium eſſet primũ animal, & omnium plantarum prima plãta; quod eſt ridiculum; & ſic ad prob. inſert. dicitur vnunquodque menſurari minimo ſui generis analogici, non vniuoci; ſic durationes omnium temporalium menſurantur à motu primi mobilis, qui ſolùm analogicè dicitur de temporalibus; nam motus de primo mobili dicitur ſimpliciter, durabit enim ſecundùm omnes differentias temporis; de temporalibus dicitur ſecundùm quid, idèſt ſecundùm aliquas differentias temporis, & ideo dicitur analogicè, quia dicitur inæqualiter. Tum quia motus per priùs dicitur de primo mobili; ex conſequenti de rebus temporalibus; & ideo analogicè ſumendo tamen motum quoad durationem; quia ſecũdùm definitionem dicitur vniuocè. Ad 2. diſt. ant. Reducuntur tanquam per menſuram, neg; tanquam per cauſam, conc. Sicut enim terra reducitur in aerem per aquã mediantem inter aerem, & terram; terra enim priùs conuertitur in aquam; & poſtea euaporat in aerem; non tamen aqua dicitur menſura terræ; nec aer aquæ; ſed reducitur per cauſalitatem, quia aqua agit in terram, & aer in aquam; ita Angeli infimi reducuntur in ſupremos per medios; quia Angeli medij illuminant, & perficiunt infimos; ſupremi autem illuminant, & perficiunt medios; & in hoc ſenſu locutus eſt *D. Dion*; vt diximus *q. 6.*

19 Obijc. 3. Ita ſe habent æuiterna ad æuũ; ſicut temporalia ad tempus; nam ſicut tempus eſt menſura temporalium; ita æuum eſt menſura æuiternorum; ſed vnum eſt tempus temporalium; ergo vnum æuum æuiternorum. 2. Ideo tẽpus eſt menſura temporalium, quia eſt ſimplicius temporalibus; ſed æuum in primo æuiterno eſt ſimplicius, quàm in alijs; ergo eſt menſura aliorũ.

Reſp. *Fund. Doct.* neg. ma; nam æuum eſt intrinſecum æuiternis; tempus verò extrinſecum temporalibus; præterea tempus non eſt in re tẽporali; æuum autem eſt in re æuiterna; ideo non ſe habent eodem modo. Sicut ergo ſi tempus eſſet in rebus temporalibus, multiplicaretur ad multiplicationem earum; ita quia æuum eſt in rebus æuiternis, multiplicatur ad multiplicationem illarum; & ideo æuum non eſt vnum, ſicut tempus. Ad 2. diſt. ma. Eſt ſimplicius analogicè, & vniforme, conc; ſed neg. mi; nam æuum in quolibet æuiterno eſt vniforme, & in primo æuiterno eſt ſimplicius ſolùm quoad perfectionem eſſentialem, non quoad durationem; eſt ſimplicius vniuocè, & difforme, neg.

20 Obijc. 4. Aeuum eſt medium inter æternitatem, & tempus; ſed æternitas eſt vna omniũ æternorum, & tempus eſt vnum omnium temporalium; ergo & æuum; nam medium participat naturam extremorum. 2. Aeuum eſt ſimplicius tempore; ſed tempus, quia eſt ſimplex, menſurat omnia temporalia; ergo æuum, quia eſt ſimplicius, menſurat omnia æuiterna.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Aeternitas eſt vna menſura intrinſeca, & propria omnium æternorum, neg; ſic enim eſt menſura ſolius Dei, extrinſeca, & aliena, conc; tempus autem eſt vna menſura propria, ſed extrinſeca; & ideo æuum, quod eſt medium, debet eſſe menſura propria, & intrinſeca; ſic enim participat naturam extremorum, & ab illis differt, non enim medium debet ita participare, vt non differat; aliter non eſſet medium. Ad 2. diſt. mi. eod. modo. Tempus, quia eſt ſimplex, & extrinſecum, menſurat omnia temporalia, conc; ſed neg. conſ; quia æuum eſt in æuiternis; & intrinſecum, neg.

21 Obijc. 5. Si eſſent plura æua, vel eſſent ſimul, vel vnum poſt aliud? Si primũ; ergo conuenirent in vnico nunc, quod eſſet menſura omnium; & ſic daretur vnum æuum omnium æuiternorum. Si ſecundum, ergo vnum eorum, quod decederet, non eſſet perpetuum. 2. Si Deus crearet aliquem motum in his inferioribus, qui non eſſet productus à motu primi mobilis; attamen poſſet ab illo menſurari; ergo licèt vnus Angelus

non producat alterum Angelum;attamen poteſt eſſe illius menſura. 3. Vnus Angelus habet cauſalitatem in alium Angelum;quia non eſt conueniens produci Angelum inferiorem non producto Angelo ſuperiori; tũ quia Angelus ſuperior eſt notior natura, quàm Angelus inferior; ergo poteſt eſſe ratio cognoſcendi durationem Angeli inferioris;ergo poteſt eſſe illius menſura.

Reſp. ad 1; quòd plura æua ſunt ſimul in vno nunc æternitatis imparticipatæ,quæ eſt mẽſura omnium Angelorum,non tamen propria, ſed aliena;ſed nihil contra nos. Ad 2.vel dicitur illum motum conſeruari à primo mobili, & ſic primum mobile facere ad illius conſeruationem; quòd ſi nec conſeruaretur,nec produceretur;nec etiam menſuraretur. Vel dicitur illum motum non eſſe actualiter productum; eſſet tamen aptitudinaliter; quia potuiſſet ab illo produci; & ſic menſurari.Ad 3.neg.ant;nullam enim connexionem habet Angelus inferior cum ſuperiori in ratione cauſæ,& effectus;& ideo nulla eſt inconuenientia produci non producto ſuperiori. Ad aliud diſt.ant. Eſt notior natura, & nullam habet connexionem cauſalitatis cum Angelo inferiori,conc; & habet connexionem cauſalitatis, quæ ſit ratio cognoſcendi illum à priori,neg;quanuis enim vnum principium ſit notius natura aliquibus concluſionibus non connexis cum illo principio; attamen non eſt ratio cognoſcendi illas, quia eſt diſparatum; ita quanuis Angelus ſuperior ſit notior natura altero Angelo; attamen, quia diſparatè ſe habet ad cauſalitatem illius; ideo non eſt ratio cognoſcendi illum, nec menſura illius.

ART. III.

An æuum importet aliquam ſucceſſionem?

1 AD meliùs percipiendam rationem formalem æui, oportet inquirere differentiam ipſius ab ęternitate,& tempore,quę patebit ex deciſione huius difficultatis.

2 Prima ſententia vult æuum admittere aliquam ſucceſſionem,in qua poteſt aſſignari prius, & poſterius,ita tamen, vt illud, quod eſt prius, non recedat in præteritum, ſed maneat,& perſeueret ſimul cum præſenti, & extendatur ad futurum; vnde in hac ſententia æuum eſt variabile, quatenus poteſt aliquid acquirere de nouo,non tamen deperdere;ſeu quatenus habet futurum ſine præterito; & in hoc diſtinguitur ab æternitate,quæ non habet futurum; & à tempore,quod habet præteritum.*Ita D.Bon.in 2. diſt. 2. q.9; & Ric. ibid.*

3 Secunda ſententia docet æuum nullam admittere ſucceſſionem ſecundùm partes,poſſe tamen admittere ſucceſſionem ſecundùm totum, quia poteſt totaliter deſtrui à Deo;& ſic ratione primi diſtingui à tempore; & ratione ſecundi ab æternitate.*Ita Fund. Doct.de Menſ.Ang. q.7; & in 2.diſt.2.q.1.art.3; Argent; & communiter omnes alij DD.*

4 Not.*Fund.Doct.de Menſ.vbi ſ;* quòd alicui poteſt dupliciter cõpetere ſucceſſio, ſcilicet extrinſecè, & intrinſecè.Tunc cõpetit ſucceſſio extrinſecè, quando competit prioritas,& poſterioritas ratione alicuius extrinſeci,cui coexiſtit, nõ autem intrinſecè ratione ſui; & in hoc ſenſu non ſolùm æuo, ſed etiam æternitati competit ſucceſſio, quatenus coexiſtunt tẽpori, quod eſt ens ſucceſſiuum;vnde Deus dicitur fuiſſe,priuſquam eſſet creatura;& fore poſt creaturam. Tunc ſucceſſio conuenit alicui intrinſecè, quando ratione ſui conuenit prioritas, & poſterioritas. Vlteriùs ſucceſſio intrinſeca duplex eſt;alia ſecundùm totum dicens relationem relationis, ſeu negatiuã, aut priuatiuã;& in hoc ſenſu illud dicitur ſucceſſiuum,quod tranſit de non eſſe ad eſſe, & è contra;& ſic omnis creatura,quæ eſſentialiter eſt ex nihilo,eſt ſucceſſiua,quanuis habeat ſimul totum ſuum eſſe; & quanuis eſſe non tranſeat ad non eſſe;quia tamen poteſt trãſire, cùm poſſit deſtrui à Deo, dicitur potentialirer ſucceſſiua; & hæc ſucceſſio importat relationem rationis; quia inter eſſe,& non eſſe datur ſola relatio rationis,nõ realis, quæ eſt ſolùm inter extrema realia. Alia eſt ſecundùm partes dicens relationem realem vnius partis ad aliam, ſeu poſitiuã; & eſt illa, ſecundùm quam vna pars eſt prior alia;& iſtæ partes ſunt reales, & ideo important relationem realem,vt vna forma dicitur alteri ſuccedere, & hora horæ,dies diei,& hæc eſt ſolũ verè, & propriè ſucceſſio.

5 Ex his habetur diſcrimen inter æternitatem imparticipatam,æuum,& tempus;nam æternitati imparticipatæ repugnat omnis ſucceſſio, ſiue ſecundùm partes, ſiue ſecundùm totum,ſiue actualiter,ſiue potẽtialiter; definitur enim *interminabilis vitæ*, ideo nequit tranſire de non eſſe ad eſſe, aut è contra, quia non eſſe eſt terminus *à quo* mutationis productiuæ, & terminus *ad quem* actionis deſtructiuę:*Tota ſimul,& perfecta poſſeſſio*; quibus verbis excluditur ſucceſſio ſecũdùm partes; illud enim,quod eſt ſucceſſiuum ſecundùm partes, non eſt totum ſimul, ſed ſecundùm aliquid ſui eſt, & ſecundùm aliud non eſt. Aeuo autem, licèt non competat ſucceſſio ſecũdùm partes, quia menſurat ſubſtantias indiuiſibiles, quæ acquirunt ſuum eſſe totum ſimul; attamen ei conuenit ſucceſſio ſecundùm totum, quia menſurat ſubſtantias,quæ tranſeunt de non eſſe ad eſſe;& poſſunt tranſire de eſſe ad non eſſe. Tandem tempori competit ſucceſſio ſecundũ partes, & ſecundùm totum; quia vna pars temporis eſt poſt aliam;& eſt ex non eſſe; nam antequam eſſet tempus,non erat tempus.*His not.*

6 Vnica concl. Aeuum importat ſolam ſucceſſionem ſecundùm totum, non ſecundùm partes.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.lib.12. de Ciu.Dei c.15.* docente: *At per hoc etianſi immortalitas Angelorũ non tranſit in tempore,nec præterita eſt, quaſi iam* non

non ſit, nec futura, quaſi nondum ſit. Et paulò poſt. *Veruntamen n m de ipſo genitam (ſupple creaturā Angelicam) ſed ab ipſo de nihilo factā, nec ei coæternam.* Ex quo *Fund. Doct.* arguit ſic. Subiectum, in quo fundatur æuum, eſt capax ſucceſſionis tātùm ſecundùm totum, non ſecundùm partes; ergo æuum importat ſolùm ſucceſſionem ſecundū totum, non ſecundùm partes. Prob. ant. Subiectū, in quo fundatur æuum, eſt eſſe Angelicum; ſed eſſe Angelicum eſt capax tantùm ſucceſſionis ſecundùm totum, quia, vtpotè creatum, tranſijt de non eſſe ad eſſe, & poteſt tranſire ad non eſſe, cùm poſſit deſtrui à Deo; non tamen ſucceſſionis ſecundùm partes, quia eſt ſimplex, & indiuiſibile; ergo ſubiectum, in quo fundatur æuum, eſt capax ſucceſſionis ſecundùm totum, non ſecundùm partes. Prob. conſ. nam menſura debet eſſe proportionata ſuo fundamento; hinc tempus eſt ſucceſſiuum ſecundùm partes, quia fundatur in motu, qui habet partes ſuccedentes, & decedentes; ſed æuum fundatur in eſſe Angelico, quod licèt tranſierit de non eſſe ad eſſe, & poſſit tranſire de eſſe ad non eſſe; attamen non habet partes decedentes, & ſuccedentes; ergo æuum importat ſolùm ſucceſſionem ſecundùm totum, non ſecundū partes.

7 Prob. 2. In hoc diſtinguitur æuum ab æternitate imparticipata, quòd æuum menſurat eſſe, quod eſt ex nihilo, & poteſt in nihilum tranſire; æternitas verò imparticipata menſurat eſſe Dei, quod non poteſt non eſſe; & in hoc differt à tēpore, quòd æuum menſurat inuariabilia ſecundùm eſſe, quæ nunquam deſinent eſſe ſecundùm curſum vſitatum naturæ; tempus verò menſurat temporalia, quæ continuò variantur ſecundùm eſſe; ergo æuum eſſentialiter importat ſolam ſucceſſionem ſecundùm totum, non verò ſecundùm partes; per illud enim, per quod res diſtinguitur, conſtituitur; *cùm idem ſit diſtinctiuum, & conſtitutiuum.*

8 Prob. 3. *ex eod.* In tantùm tempus habet ſucceſſionem ſecundùm partes; in quantùm menſurat temporalia, quæ licèt non ſuſcipiant magis, & minùs ſecundùm ſubſtantiam, habent tamen magis, & minùs ſecundùm diſpoſitiones; nam forma aquæ habet magis de eſſe in materia frigida, quàm in calida; quia in illa eſt ſtabiliùs, quā in iſta; ſed æuum non eſt in aliquo ſubiecto, quod varietur à diſpoſitionibus; ergo non importat ſucceſſionem ſecundùm partes, ſed ſolùm ſecundùm totum.

9 Quia tamen ſucceſſio propriè loquendo ſumitur ſecundùm partes, non ſecundùm totum; nam ens ſucceſſiuum propriè dicitur illud, quod non eſt totum ſimul; ideo abſolutè dicendum eſt æuum non importare ſucceſſionem.

10 Obijc. 1. *SS. PP.* docent ſolum Deum non noſſe præteritum, & futurum; Angelos autem nō habere de ſua æternitate, quod eſt præteritum, & quod eſt futurum; vt *D. Anſ. in Prolog. c. 20*; ergo æuum, quod eſt eorum mēſura, importat ſucceſſionem ſecundùm partes. 2. Ratione. Si æuum non haberet ſucceſſionem ſecundùm partes, in Angelo idem eſſet præteritum, præſens, & futurum; atque adeo eſſe, fuiſſe, & fore ſimul eſsent in eo; ſed conſ. eſt falſum; aliter eſset impoſſibile æuum non ſemper eſse; nam impoſſibile eſt facere non fuiſse id, quod fuit, & non eſse id, quod eſt; & ſic Angelus eſset à Deo indeſtruibilis; ergo æuum importat ſucceſsionem ſecundùm partes. Tum quia ſicut Deus non poteſt facere non fuiſse id, quod fuit; ita non poſset facere non eſse id, quod eſt; & non fore id, quod futurum eſt; ergo non poſset Angelum annihilare. Tandē duratio, quæ identificat præteritum, præſens, & futurum, eſt infinita; ſed æuum eſt duratio finita; ergo non identificat præteritum, præſens, & futurum.

Reſp; quòd ſolus Deus ſimpliciter, & ſecūdùm omnes rationes non noſcit præteritum, vel futurum; quia Deus nec ſecundùm eſse, nec ſecundùm operationes eſt mutabilis de eſse in nō eſse; cùm eſse, & operationes Dei menſurentur æternitate; Angeli autem, licèt non noſcant præteritum, & futurum ſecundùm eſse, quia eorum eſse ſemper actu permanet; attamen noſcit præteritum, & futurum ſecundùm operationes, quæ tempore menſurantur, vt *inf.* Vel quòd Deus ita eſt, vt non potuerit non eſse, nec poſsit non fore; Angeli autem ita ſunt, vt non fuerint, & poſſint nō eſse. Ad rationem *cum Fund. Doct.* neg. ſupp. ma; nam in æuo non eſt præteritum, & futurum, & ideo non identificantur; quomodò enim poſſunt aliqua identificari, quæ non ſunt? Hoc autē verificatur de præterito, & futuro deſumpto penes intrinſecam quiditatem æui; quòd ſi deſumatur penes menſuram extrinſecam, nempe penes tempus noſtrum; tunc non eſt idem præteritum, & futurum; quia in tempore noſtro realiter differunt. Et ſic ad aliud neg. conſ; quia in Angelo intrinſecè non eſt fuiſse, & fore; ſed eſt ſolùm præſens ſemper durans. Ad vlt. conc. totum; dicitur autem æuum duratio infinita negatiuè, quia nō habet terminum, à quo finiatur ex parte poſt; non tamen poſitiuè eò, quia includat omnem durationem extenſiuam, vt probat arg; hoc enim conuenit ſoli æternitati.

11 Obijc. 2. Angeli à Deo conſeruantur; ergo eorum menſura admittit ſucceſſionem ſecundùm partes. Ant. patet. Prob. conſ. 1. Conſeruatio eſt poſterior creatione; ſed vbi eſt prius, & poſterius, eſt ſucceſſio ſecundùm partes; ergo in æuo eſt ſucceſsio ſecundùm partes. 2. Si in æuo non eſſet ſucceſsio ſecundùm partes, Angeli acciperent eſſe totum ſimul vltimatè; & ſic non indigerent conſeruari à Deo; nam non indigēt conſeruari vltra vltimum ſui eſſe. 3. In conſeruatione radij ſolaris eſt ſucceſsio, licèt non ſit ſucceſsio in ipſo radio; ergo licèt in Angelis nō ſit ſucceſſio; attamen eſt ſucceſsio in eorum cōſeruatione.

Reſp.

Reſp.*Fund.Doct.ad* 9.neg.conſ.Ad 1.prob. neg. mi; nam illa ſucceſsio eſt ſecundùm totum, non ſecundùm partes; ſicut enim totum producitur; ita totum à Deo conſeruatur. Vel diſt.mi. Ibi eſt prius,& poſterius duratione,cōc; ſed neg. conſ;quia in Angelis eſt prioritas, & poſterioritas naturæ,non durationis;ibi eſt prius,& poſterius natura,neg. Ad 2. neg. 2.pars aſſumpt; nam licèt acceperint totum ſuum eſſe ſimul, & non indigeant conſeruari vltra vltimum ſui eſſe;attamen quia illud eſſe ſemper durat; ideo indiget conſeruari. Ad 3.neg.ant; nam radius tranſit de eſſe ad non eſse tranſeunte Sole ex oriente in occidentem; vnde minus habet de eſse in occidente,quàm in oriente.

12 Obijc.3.In æuo aſſignatur ante, & poſt; quia Angelus creatus fuit ante animam rationalem, & anima rationalis poſt Angelū; & aſſignatur magis,& minùs; quia Angelus magis durat, quàm anima;& minùs,quàm Deus;ergo in eo eſt ſucceſſio. 2.Si Angelus haberet ſimul totum ſuū eſſe,& totam ſuam durationem,omnia ſimul cognoſceret,quia cognoſceret ea omnia, quæ poſſunt eſſe in tota ſua duratione, in tātùm enim Deus omnia ſimul cognoſcit; in quantùm eius duratio eſt tota ſimul; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp.ad 1.*cum Fund.Doct.*diſt.ant.Aſſignatur ante,& poſt;magis,& minùs reſpectu menſuræ extrinſecæ, conc; reſpectu ſuæ quiditatis intrinſecæ,neg. Ad 2.neg.ma. Ad prob.inſert.neg. ſupp;menſura enim cognitionum Angeli non eſt æuum,ſed tempus diſcretum, vt *inf.* Quanuis ergo habeat ſimul totam durationem ſui eſſe;non tamen habet ſimul omnem durationem ſuarum operationum, ſed ſucceſſiuè; & ideo quanuis ſimul cognoſcat totum ſuum eſſe; attamen non cognoſcit ſimul totam ſeriem ſuarum operationum. At verò Deus habet ſimul durationem ſui eſſe, & ſuarum operationum; quia hæc omnia menſurantur æternitate imparticipata; & ideo nedum ſimul cognoſcit totum ſuum eſſe,ſed etiā omnem operationem.

13 Obijc.4. Menſura operationum Angeli haber ſucceſſionem ſecundùm partes; ergo & menſura eſſe Angelici; nam in rebus temporalibus,& in Deo eſſe, & agere vna, & eadem menſura menſurantur; & ſic etiam in Angelis; tum quia ita res ſe habet ad eſſe,ſicut ad agere. 2.In æuo dantur plura inſtantia, aliter non poſſet ſaluari, quomodò Deus poſſet Angelum annihilare;quia impoſſibile eſt,quòd annihiletur in eodē inſtanti,in quo creatur; aliter ſimul crearetur,& non crearetur; ſed vbi dantur plura inſtantia,datur ſucceſſio ſecundùm partes; ergo in æuo eſt ſucceſſio ſecundùm partes. 3.*Fund.Doct*; vt diximus *q.*1.*art.*5;docet eſſe Angeli poſſe partiri; & ideo poſſe Angelos ſolo numero multiplicari in eadem ſpecie;ſed quod poteſt partiri,habet partes;ergo eſse Angeli habet partes; & ideo menſura eſſe Angeli habet partes; quia menſura, vt dictum eſt,debet proportionari menſurato.

Reſp.ad 1.neg.conſ. Ad prob. inſert. dicitur, quòd temporalia menſurantur eadem menſura quoad eſſe, & operari ex imperfectione ipſorum,non enim habent eſse ſtabile,& fixum,ſed mobile,ſicut mobiles ſunt eorum operationes;& ideo menſurantur eadem menſura menſurante omnia mobilia. Sic Deus habet eſſe, & operari ſimpliciter indefectibile; ideo quoad vtrunque menſuratur æternitate, quæ menſurat omne indefectibile. At verò Angelus habet eſse indefectibile,& operari defectibile;ideo eſse, & operari Angeli nequit eadem menſura menſurari. Ad 2.ait *Fund. Doct.* hanc eſse differentiam inter æuum,& tempus; quòd æuum eſt ſimul cum ſuo nunc;tempus autem non eſt ſimul cum ſuo nūc; quia nunc temporis copulat partes temporis; & & quando eſt nunc,non eſt tempus, & ideo non eſt pars temporis, quæ eſt tempus; ſicut pars lineæ eſt linea.Igitur neg.ma.Ad prob.inſert.neg. aſſumpt;& ad id,quod ſubditur,diſt. Impoſsibile eſt,quòd annihileturin eodem inſtanti temporis, in quo creatur,conc; in eodem inſtanti æui, neg; nam hæc eſt differentia inter inſtans temporis, & æui; quòd inſtans temporis, quia ſtatim fluit; ideo in illo non poſſunt fieri mutationes, & variationes; at verò inſtans æui,quia ſemper ſtat; ideo poteſt ſuſcipere mutationes,& variationes; ſi enim tempus, quia durat,has ſuſcipit; multò magis inſtans æui,quod magis durat,quàm tempus.Ad 3.reſp. *Fund. Doct.* eſse Angeli habere partes multiplicationis,non autem durationis;ſi enim Angeli multiplicarentur, acciperent illud eſse ſic partitum totum ſimul, & menſuraretur inſtanti æui.

14 Collig. 1.ex dictis. Aeuum differre ab æternitate, & tempore noſtro ratione ſucceſsionis modo explicato;& hanc eſſe differentiam eſſentialem,quia attenditur ſecundùm quiditatem ipſius æui;vt dictum eſt. 2.Differre, quia æternitas menſurat Deum inuariabilem ſecundùm eſſe,& operari;tempus menſurat temporalia variabilia ſecundùm eſſe,& operari;æuum autem mēſurat Angelum inuariabilem ſecundùm eſſe, & variabilem ſecundùm operationes. Hæc differētia non eſt eſsentialis,quia non accipitur ex ipſo eſse Angeli menſurato ab æuo, ſed ex ipſis operationibus coniunctis cum eſse Angeli,quæ non menſurārur ab æuo,ſed à tēpore Angelico; accipere autem differentiam ab eo,quod eſt coniunctum,eſt recedere ab eo, quod eſt per ſe, & ideo talis differentia non eſt eſsentialis, ſed accidentalis, quia ſumitur ex eo, quod accidit eſse Angelico menſurato per æuum. 3.Differunt; quia æternitas eſt tota in ſuo nunc, ab illo realiter indiſtincta;quia in Deo eſsentia,& exiſtentia non diſtinguuntur realiter; tempus verò nullo modo eſt in ſuo nunc; quia inſtans temporis non eſt tēpus;æuum autem eſt totum in ſuo nunc; non tamen

men eſt idem cum eo; quia ſubſtantia Angeli, quæ menſuratur nunc æui, diſtinguitur ab exiſtẽtia ipſius Angeli, quæ menſuratur æuo. 4. Differunt; quòd æuum, & æternitas menſurant eſſe; tempus autem menſurat motum. 5. Quòd æternitas, & æuum ſunt menſuræ ſtantes; tempus verò menſura fluens. 6. Quòd æternitas, & æuum ſunt vnum nũc; tempus verò eſſentialiter importat partem extenſam inter duo nunc. 7. Quòd ad rationem temporis concurrit noſter intellectus; æternitas autem, & æuum habent eſſe independenter ab intellectu; quia tempus eſt numerus, & numerus conſtat ex pluribus in actu; cùm autem partes temporis non ſint in actu; quia nec preteritum, nec futurum eſt actu; ideo intellectus noſter concipit preteritum, & futurum eſſe actu; at verò æternitas, & æuum ſunt vnicum nunc ſemper actu ſtans; & ideo nullo cogitante intellectu eſt in actu. Tum quia à parte rei nõ eſt, niſi inſtãs præſens; & ideo non eſt tempus, quod importat partes diuiſibiles copulatas inſtãti; atq; adeo neceſſe eſt, quòd intellectus illas partes concipiat eſſe. At verò æternitas, & æuum ſunt ſecundùm totam ſuum eſſe ſemper à parte rei. 8. Differunt, quòd æternitas eſt ſimpliciter increata; æuum autem, & tempus ſunt ſimpliciter creaturæ.

ART. IV.

Aſſeruntur aliquot quæſita.

1 QVædam alia fusè diſputat *Fund. Doct.* de æuo *lib. de Menſ. Ang*; quæ in cõpendium redacta trademus; nam vel non ſunt controuerſa; vel ſi aliqua eſt difficultas, ſoluitur faciliter ex dictis *in Phyſica de Motu, & de Tempore*.

2 Quæres 1; an æuum diſtinguatur realiter ab eſſe Angelorum?

Reſp. *Fund. Doct. vbi ſ. q. 3.* negatiuè. Prob. 1. Ita ſe habet æuum ad eſſe Angelorum; ſicut tempus ad motum primi mobilis, ſed tempus à motu primi mobilis diſtinguitur tantùm virtualiter, nõ realiter; ergo æuum ab eſſe Angelorũ diſtinguitur tantùm virtualiter, non realiter. Prob. ma. Aeuum ſe habet ad eſſe Angelorum, vt menſura ad primum menſuratum, in quo eſt, tanquam in ſubiecto; ſed tempus ſe habet ad motum primi mobilis, vt menſura ad primum menſuratum, in quo eſt, tanquam paſſio in ſubiecto; nam tempus priùs menſurat motum primi mobilis; & mediãte ipſo menſurat hæc temporalia, & per accidens menſurat quietem; nam quies habet nunc prius, & poſterius ſolùm per ordinẽ ad motũ, cuius eſt priuatio; & tẽpus reperitur ſolùm in motu primi mobilis, tanquam in ſubiecto; quia reperitur ſolùm in motu vniformi, & regulato; motus autem horum inferiorum eſt difformis, & irregularis; quia modò eſt velocior, modò tardior, modò lõgior, modò breuior; motus autem primi mobilis ſemper eſt æqualis ita, vt vna reuolutio alteri totaliter adæquetur; ergo ita ſe habet æuum ad eſſe Angelorum; ſicut tempus ad motum primi mobilis. Prob. mi. Ratio motus ſumitur ex eo, quòd ſit actus mobilis; & ratio temporis ſumitur ex eo, quòd talis actus habeat partes priores, & poſteriores, ſecundùm quas numeratur ab anima; ſed ex eo, quòd aliquod numeretur, non acquirit aliquam entitatem realiter diſtinctam; nullam enim entitatem acquirunt aliqui homines ex eo, quòd dicamus eos eſſe decem, quam non habebant, antequam numerarentur; & ſic nullam entitatem, aut quantitatem acquirit lignum trium palmorum ex eo, quòd aſſumatur, tanquam vlna ad menſurandum pannum; ergo tempus non diſtinguitur à motu primi mobilis realiter, ſed tantùm virtualiter. 2. Menſura non diſtinguitur realiter ab eo, quod per ſe primò menſurat; ſed æuum menſurat per ſe primò eſſe Angelorum; ergo ab ipſo non diſtinguitur realiter. Mi. patet ex dictis *in ſup. art*; nam æuum eſt æternitas participata; quæ per ſe primò non menſurat temporalia; quia temporalia ſunt aliquando finem habitura; & ideo non mẽſuratur ab æternitate, quæ nunquam finem habebit; nec menſurat Deum, qui menſuratur æternitate imparticipata, non participata; & ideo à ſufficienti enumeratione ſequitur æuum per ſe primò mẽſurare eſſe Angelorum; cùm præter Deum, & creaturas temporales non reperiantur, niſi creaturæ ſpirituales, vt ſunt Angeli. Prob. ma. pariter à ſufficienti enumeratione. Aeternitas imparticipata, quæ per ſe primò menſurat Deum, non diſtinguitur realiter à Deo; & tempus, quod per ſe primò menſurat motum primi mobilis, non diſtinguitur ab ipſo motu; quia tempus nihil aliud importat, niſi vnum moueri clauſum duobus inſtantibus; eſt enim quantitas continua, & quantitas continua importat partem diuiſibilem clauſam duobus punctis, vt patet de linea; vnum autem moueri clauſum duobus inſtantibus eſt vna pars diuiſibilis motus, quæ motus appellatur; ergo menſura non diſtinguitur realiter ab eo, quod per ſe primò menſurat. 3. Si menſura importaret aliquam entitatem realiter diſtinctam à menſurato, maximè, quia menſura eſt cauſa menſurati, ad quam ſequitur relatio realis, & ideo diſtinctio; ſed quanuis menſura extrinſeca ſit cauſa efficiens importans relationem realem in menſurato, & ideo diſtinctionem; attamen menſura intrinſeca, vt eſt æuum reſpectu eſſe Angelici; & tempus reſpectu motus primi mobilis, non eſt cauſa efficiens, quæ eſſentialiter eſt extrinſeca, ſed formalis virtualis, vt albedo reſpectu eſſe albi, quæ ſolùm virtualiter diſtinguitur à ſuo effectu; ergo æuum non diſtinguitur realiter, ſed virtualiter ab eſſe Angelorum.

3 Dices. Menſura eſt notior mẽſurato; quia per menſuram dignoſcitur quantitas menſurati; ergo diſtinguitur realiter à menſurato; aliter idem realiter eſſet notius ſe ipſo. 2. Eſſentia Angeli realiter differt à ſuo eſſe; ſed eſſentia eſt mẽ-

ſura

ſura ſui eſſe, quia Angelus cognoſcit ſuum eſſe per ſuam eſſentiam; ergo æuum, quod eſt menſura eſſe Angelici, differt realiter ab eſſe Angelorum.

Reſp. ad 1. neg. conſ. Ad prob. inſert. diſt. Idem ſecundùm eandem rationem nequit eſſe notius ſe ipſo, conc; ſecundùm diuerſas rationes, neg; poteſt enim vna ratio eſſe nobis magis nota, quàm alia; & ex illa deueniri in cognitionem illius. Ad 2. diſt. mi. Eſſentia Angeli eſt menſura perfectionis ſui eſſe, conc; eſt menſura durationis, ſubdiſt; materialiter, quatenus in ipſa fundatur nunc æui, vt *inf.* dicemus, conc; formaliter, quaſi ſecundùm ſe ipſam menſuret eſſe, neg.

4 Quæres 2; in quo prædicamento ſit æuum? Reſp. *Fund. Doct. de Menſ. Ang. q.* 4; *&* 5. eſſe reductiuè indirectè in prædicamento ſubſtantiæ. Eſt *cont. Sua. in Met. diſp.* 30. *q.* 12. *n.* 22; *& Sanch. in Log. q.* 73. *concl.* 4. opinantes æuum eſſe in prædicamento Quando.

5 Prob. 1. Modus ſubſtantiæ nequit, niſi indirectè pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ; ſed æuum eſt modus ſubſtantiæ Angelorum; ergo nequit pertinere, niſi ad prædicamentum ſubſtantiæ. Prob. ma. 1. Modus reducitur ad rem, cuius eſt 2. Modus ſubſtãtiæ nequit pertinere ad alia nouem prædicamenta, quæ ſunt accidentia, vel fundata in accidentibus; quia modus nequit extrahere rem à ſuo prædicamento, & illam in alio collocare; nam licèt ſcientia habeat modũ relatiuum, quia dicit relationem ſecundùm dici ad obiectum; attamen per illum modum ſcientia non extrahitur à prædicamento qualitatis, nec collocatur in prædicamento relationis; ergo modus ſubſtantiæ nequit, niſi indirectè pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ. Prob. mi. Aeuum eſt modus exiſtentiæ ſubſtantialis Angelorum; non enim diſtinguitur realiter, ſed tantùm virtualiter ab illa, vt dictum eſt; ergo eſt modus ſubſtantiæ Angelorum.

6 Prob. 2. Aeuum non conſtituit per ſe nouum prædicamentum; neque pertinet ad nouem vltima prædicamenta; ergo pertinet reductiuè ad prædicamentum ſubſtantiæ. Prob. 1. pars ant; nã ſi conſtitueret per ſe nouum prædicamentum, prædicamenta non eſſent tantùm decem; & ſic eorum diuiſio non eſſet adæquata, & ſufficiens; ergo non conſtituit nouum prædicamentum. Prob. 2. pars. Alia nouem prædicamenta diſtinguuntur realiter ab eſſe ſubſtantiali; quia vel sũt accidentia, vel in accidentibus fundãtur; ſed æuũ non diſtinguitur ab eſſe ſubſtantiali; ergo nequit reduci ad vltima nouem prædicamenta.

7 Prob. 3. Si æuum reduceretur ad aliquod prædicamentum diuerſum à prædicamento ſubſtantiæ, maximè ad prædicamentum quantitatis, vel quando; ſed hoc eſt falſum; ergo & illud. Prob. ſeq. Non primum; nam licèt æuum habeat modum quantitatis, quatenus habet adæquare durationem eſſe Angelici; attamen non reducitur ad prædicamentum quantitatis; ſicuti licèt habeat modum relationis, non tamen reducitur ad illam; & quanuis habeat modum qualitatis, quatenus aduenit eſſe Angelico, quod habet modum qualitatis, quatenus perficit eſſentiam; non tamen reducitur ad prædicamentum qualitatis; aliter cùm omnia prædicamenta communicent ſibi ſuos modos, ſequeretur, quòd quodlibet prædicamentum, prout habet modum alterius, reduceretur ad alterum; & ſic non bene definiretur prædicamentum *Modus eſſendi rerum principalis non reductus in alium*; tandem licèt natura humana Chriſti Domini habeat modum accidentis, quia exiſtit per exiſtentiam Verbi Diuini, & quantitas panis in Sacramento Altaris habeat modum ſubſtantiæ; quia exiſtit per ſe ipſam; attamen nec illa reducitur ad prædicamentum accidentis, nec iſta ad prædicamentum ſubſtantiæ; ergo æuum nõ reducitur ad prædicamentum quantitatis. Non ſecundum; tum quia quando fundatur in aliquo accidente, vt dictum eſt; æuum autem in ſubſtantia; tum quia quando dicit ordinem ad menſuram extrinſecam creatam, ex cuius adiacentia reſultat; æuum autem non dicit ordinem ad aliquam menſuram extrinſecã creatam; quia non datur vnum æuum commune omnibus æuiternis; vt diximus *art.* 2; tum quia quando fundatur in motu; æuum autem dicit immobilitatem actualem ipſius eſſe Angeli; quia importat perpetuitatem illius; tum quia quando eſt effectus temporis; æuum autem eſt ſupra tempus; ſuperiùs autem nequit reduci ad inferius; quia illud, quod reducitur, eſt minùs principale, & ideo inferius; illud autem, ad quod aliud reducitur, eſt magis principale, & ideo ſuperius, ſic omnis creatura reducitur in Deum, Deus autem in nullam creaturam; ergo æuum nequit reductiuè pertinere ad prædicamentum quando.

8 Obijc. 1. Ad hoc, vt aliquod faciat prædicamentum per ſe, ſufficit, quòd diuidatur in differentias eſſentiales, & non habeat aliquod prædicatum ſupra ſe; ſed æuum diuiditur in ſpecies æuiternorum, & nihil eſt ſupra æuum, niſi æternitas imparticipata, ergo conſtituit vnum prædicamentum per ſe. 2. Ita ſe habet æuum ad æuiterna, ſicut tempus ad temporalia; ſed tempus conſtituit vnum prædicamentum per ſe, quod eſt *quando*; ergo & æuum.

Reſp. ad 1. neg. 2. partem mi; æuum enim reducitur in ſubſtantiam, cuius eſt modus, vt *ſup.* dictum eſt. Ad 2. neg. ma. abſolutè; non enim ſicut eſt vnum tempus omnium temporalium, ita eſt vnum æuum omnium æuiternorum; ita ergo ſe habet tempus ad temporalia, quorum eſt menſura communis; ſicut æuum ad eſſe æuiternum, cuius eſt menſura ſpecialis. Ratio autem, quare tempus, non æuum, conſtituat prædicamentum, eſt, quia tempus adiacẽdo relinquit durationem in motu, per quam conſtituitur *quando*; motus autem non ſpectat diſtinctè ad aliquod prædica-

mentum, vt patet; & ideo conſtituit prædicamentum diuerſum ab alijs; at verò æuum fundatur in eſſe ſubſtantiali, quod ſpectat ad prædicamentum ſubſtantiæ; & ideo non conſtituit prædicamentum, ſed ad illud reducitur.

9 Obijc. 1. Aeuo competit ratio menſuræ, æqualitatis, & inæqualitatis; ſed hęc conueniunt quantitati; ergo reducitur ad prædicamentum quantitatis. 2. Aeuum ſupra eſſe non addit, niſi quendam ordinem; ſed ordo reducitur ad prædicamentum relationis; ergo æuum reducitur ad prædicamentum relationis. Tum quia *Phil. 3. Met. t.2.* inter genera relatiuorum ponit relationem menſuræ, & mēſurati, adæquātis, & adæquati; ſed æuum eſt menſura Angelorum; ergo ſpectat ad prædicamentum relationis.

Reſp. hæc omnia probare ſolùm; quòd æuū habeat modum quantitatis, & relationis; ex hoc tamen non deducitur ſpectare ad prædicamentū quantitatis, vel relationis. Ad 1. igitur diſt. ma. Competit ratio menſuræ, æqualitatis, & inęqualitatis ſecundùm dici; idèſt per modum propriū quantitatis conſtituitur in ratione menſuræ, côc; ſecundùm eſſe, neg; & ita ad 2; nam æuum dicit ordinem ſolùm ſecundùm dici. Ad aliud dicitur, quòd *Phil.* nihil aliud vult, quàm quòd aliqua relatio fundetur in menſura, & menſurato, quæ relatio eſt ſecundùm dici; & ideo reducitur ad prædicamentum, in quo eſt ſuum fundamentū; nam *ibid.* dicit relationem aliam eſſe numeri, aliam potentiæ; & tamen numerus, & potentia non ſpectant ad prædicamentum relationis; aſſignat igitur fundamenta relationum, vel diuidit relationes ratione fundamenti, non autem rationе ſui.

10 Obijc. 3. Durare in tempore ſpectat ad prædicamentum quando; ergo durare in æuo ſpectat ad prædicamētum quando. 2. Etiam Deo competit quando; vt *Prou. 8. Quando præparabat Cælos, aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſus*; ergo multò magis conuenit exiſtētiæ Angelorum. 3. Si durationes Angelorum nō ſpectarent ad prædicamentum quando, ſequeretur, quòd hoc prędicamentum non eſſet diuiſibile in genera, & ſpecies; nam quando reſpiceret ſolùm noſtrum tempus, quod eſt vnum indiuiduum; ſed conſ. eſt falſum; quia prędicamentum eſt coordinatio plurium generum, & ſpecierum ſub vno prędicato generaliſſimo illis communi; ergo ęuum reducitur ad prędicamentū quando.

Reſp. ad 1. neg. conſ. nam durare in tempore ſpectat ad motum, qui non eſt in aliquo prędicamento; at verò durare in ęuo ſpectat ad ſubſtantiam, quę conſtituit primum prædicamentū. Ad 2. diſt. ant. Quando conuenit Deo per ordinem ad tempus noſtrum, quod non eſt menſura Dei, conc; per ordinem ad æternitatem, quę eſt intrinſeca menſura Dei, neg. Ad 3. neg. ma; licèt enim ſit vnum tempus; attamen diuiditur in pręſens, futurum, & pręteritum, tanquam in genera; & quodlibet ex his diuiditur in tot durationes, ſeu in tot quando, tanquam in ſpecies, quot ſunt res durantes.

ART. V.

An operationes Angelorum menſurentur tempore?

1 Menſura eorum, quę in ſempiternum durant in Angelis, ſatis eſt explicata ſuperius; ſupereſt videre, quid dicendum ſit de operationibus liberis naturalibus, quę eliciuntur, & trāſeunt. Aliquas operationes in Angelis non durare, licèt pluries dictum ſit ſuperiùs; attamen colligi poteſt *ex Beatiſſ. P. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 20; & ſeq;* vbi ex profeſſo probat Angelos moueri per tempora; in quo diſtinguūtur a creatura corporali, quę mouetur per tempora, & per loca, & à Deo, qui non mouetur nec per tempora, nec per loca; habet autem, quòd mouetur ſpiritus *vel diſcendo, quod neſciebat; vel volendo, quod nolebat; & c. 24. Mouentur autem eius imperio etiam temporaliter illo non temporaliter moto. Nec ita, vt ab eius contemplatione reſiliant, aut defluant; ſed ſimul & illum ſine loco, ac tempore contemplantur; & eius in inferioribus iuſſa perficiunt mouentes ſe per tempus.* Quibus verbis docet viſionem beatam non menſurari tempore; actiones autem, quas habent circa hęc inferiora, exequentes iuſſa Dei, tempore menſurari. Ratio autem eius eſt. Angeli ſunt medij inter immutabilitatem ſimpliciter ipſius Dei; & inter mutabilitatem ſimpliciter creaturæ corporalis; ergo ſecundū aliquid debent participare immutabilitatem Dei, & mutabilitatem corporum tēporalium; atqui immutabilitatem Dei participāt quoad eſſe ſubſtantiale, & quoad naturalia, & hoc per naturam; nec non quoad ſupernaturalia per gratiam; ergo mutabilitatem creaturę temporalis participant quoad actiones liberas naturales. Quęritur ergo de his operationibus, qua menſura menſurentur; cùm non menſurentur ęuo, quia non ſemper durant; aliter per illas non moueren turiſicuti non mouentur quoad eſſe, & quoad viſionem beatam. *Vid. lib. 12. de Ciu. Dei c. 15.*

2 Prima ſententia vult operationes immanentes menſurari ęuo, tranſeuntes verò menſurari tempore noſtro. *Cit. Scot. in 2. diſt. 2. q. 4;* qui negat tempus diſcretum in Angelis.

3 Noſtra ſententia docet operationes liberas Angelorum menſurari tempore diſcreto, quod vocatur tempus Angelicum, quia propriū eſt Angelorum. *Ita Fund. Doct. de Menſ. Ang. q. 8, & 9, & omnes noſtri DD.* Idem docet *D. Tho. 1. p. q. 10. art. 5; & Thomiſtæ communiter*; inter quos *Gonet hic diſp. 5. digreſſ. concl. 2;* quibus iunguntur *Mol; Val; & alij.*

4 Not; quòd cùm diximus operationes Angelorum menſurari tempore diſcreto, intelligēdum eſt de ſucceſſione plurium operationum, quarum vna decedit alia ſuccedente; nam ſi ſermo

mo ſit de vna ſimplici operatione per ſe tautùm conſiderata,non menſuratur tempore, ſed inſtāti;quia cùm acquiratur,& deperdatur tota ſimul, non habet ſucceſſionem; & vbi non eſt ſucceſſio, non eſt tempus;vt ſæpiùs diximus,& *inf.* repetemus;tempus enim eſſentialiter eſt ensſucceſſiuū; vt habitum eſt *art. 3.* Quapropter licèt Angeli poſſint perſiſtere in eadem operatione v. g. per annum,& in illa quieſcere ; non tamen illa operatio menſuratur tempore intrinſecè , ſed tantū extrinſecè;quia ad hoc,vt aliquid intrinſecè mēſuretur tempore,debet admittere intrinſecè ſucceſſionem ; nam etiam viſio beata , & eſſe Angelorum;imò etiam ipſe Deus durant per totum tempus noſtrum; & tamen non dicuntur menſurari tempore, ſic à pari . Loquimur ergo *hic* de menſura propria,& intrinſeca,non de aliena , & merè accidentaliter extrinſeca.

5 Operatio autem Angeli alia eſt immanēs, vt intellectio,& volitio;alia formaliter tranſiens; alia virtualiter tranſiens;vt ſæpe diximus . Operatio formaliter trāſiens , qua ſcilicet mouet aliquod corpus de vno loco ad alium;poteſt conſiderari vel paſſiuè,vt recepta in corpore moto;& hanc patet menſurari tempore nóſtro;quia tempus noſtrum menſurat omnes motus corporis;& menſuratur tempore continuo , non diſcreto ; quia talis motus habet continuitatem à corpore. Vel poteſt conſiderari actiuè ; prout eſt actus intrinſecè exiſtens in ipſo Angelo. Tādem operatio virtualiter tranſiens eſt , qua Angelus ſe applicat alicui loco , deinde alteri , & ſic deinceps;& quanuis locus ſit quid continuum ; attamen quia Angelus nō acquirit partem loci poſt partem;cùm non moueatur per loca, vt diximus *diſp.3. art.*1; ſed totum ſimul acquirit per vnam applicationem; & per aliam totam ſimul dimittit;ideo non mouetur continuè , ſed diſcretè . *His not.*

6 Vnica concl.Succeſſio operationum Angelorum menſurantur tempore Angelico, quod eſt tempus diſcretum,non continuum.

Prob. 1.pars concl. *ex Beatiſſ.P.de Ciu. Dei vbiſ.*docente:*Tempus,quoniam mutabilitate trāſcurrit,æternitati immutabili non poteſt eſſe coæternum. Ac per hoc etianſi immortalitas Angelorum non tranſit in tempore,nec præterita eſt , quaſi iam non ſit,nec futura,quaſi nondum ſit ; tamen eorum motus,quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum tranſeunt; & de Gen. ad lit. lib.5 . c.5. Motus enim ſi nullus eſſet vel ſpiritalis,vel corporalis creaturæ, quo per præſens præteritis futura ſuccederent, nullum eſſet tempus omnino ; moueri autem creatura non vtique poſſet, ſi non eſſet .* Ex quibus ſic arguitur . Mutatio, qua aliquod mouetur de vna perfectione ad aliam per prius , & poſterius,mēſuratur tempore; ſed ſucceſſio operationum Angeli eſt huiuſmodi ; ergo ſucceſſio operationum Angeli menſuratur tempore . Ma. patet; quia tempus eſſentialiter eſt ens ſucceſſiuum importans motum ſecundùm prius , & poſterius,vt habetur ex eius definitione. Prob. mi. Angeli mutantur de vna intellectione , & volitione libera ad aliam ; & de vna applicatione ad locum ad aliam ; in hoc enim diſtinguuntur à Deo,vt *ſup.*dictum eſt,qui eſt ſimpliciter immutabilis; ergo ſucceſſio operationum Angeli eſt mutatio , qua Angeli mouentur de vna perfectione ad aliam per prius,& poſterius .

7 Conf. 1.Quod habet præteritum,præſens, & futurum , menſuratur tempore ; ſed ſucceſſio operationumAngeli eſt huiuſmodi;ergo menſuratur tempore.Ma.patet; quia præteritum , præſens,& futurum ſunt differentiæ temporis;& ei, cui conueniunt differentiæ alicuius generis, cōuenit & illud genus; vt quia rationalitas eſt differentia animalis,& cōuenit homini, ideo etiam animalitas homini conuenit ; ergo ſi ſucceſſioni operationum Angeli conuenit præteritum, præſens,& futurum,quæ ſunt differentiæ temporis , ei etiam conuenit eſſe in tempore, eſſe autem in tempore eſt tempore menſurari . Prob. mi. Succeſſio operationum Angeli eſſentialiter importat aliquam operationem , quæ fuit in ipſo Angelo;& aliam, quæ actu eſt in illo; & aliam, quæ erit;cùm enim duæ operationes eiuſdem generis,& ordinis,imò contrariæ inter ſe, non poſſint ſimul eſſe in eodem ſubiecto, oportet, vt ſuccedente poſteriori prior decedat, vt v.g. Angelus *Perſarum* nolebat dimittere populum , & ideo reſiſtebat Angelo cuſtodi ipſius populi *Iſrael* , qui venerat ad illum liberandum; ſi autem non deceſſiſſet illa nolitio,nunquam voluiſſet; quia volitio non erat componibilis cum nolitione ; illud autem,quod decedit,& non durat, eſt præteritum;ſicut illud, quod ſuccedit , antequam ſuccederet,erat futurum;& cùm ſuccedit,fit præſens ; ergo ſucceſſio operationum Angeli habet præteritum,præſens,& futurum .

8 Conf. 2. Omnis verus motus ſucceſſiuus tempore menſuratur; ſed ſucceſſio operationum Angeli eſt verus motus ſucceſſiuus;ergo tempore menſuratur.Ma.conſtat;nam tempus eſt menſura motus ſecundùm prius,& poſterius; & ideo motus ſucceſſiuus. Prob. mi. Illud verè mouetur motu ſucceſſiuo , quod tranſit de vna perfectione decedente ad aliam ſuccedentem; vt lignum tranſiens de frigiditate ad calorem dicitur ſucceſſiuè moueri;ſed Angelus verè tranſit de vna affectione libera,quæ decedit,ad aliam,quæ ſuccedit;ergo verè mouetur . Tum quia motus ſucceſſiuus eſt *actus entis in potentia, prout in potentia*;ſed ſucceſſio operationum Angeli dicit aliquid actu; quia importat aliquam operationem actualem ; & aliud in potentia ; quia dicit aliquam operationem , quam Angelus actu non habet ; ergo ſucceſſio operationum Angeli eſt verus motus ſucceſſiuus. *Vid.q.3.art.* 1.

9 Prob.2. *ex Fund. Doct.* triplici ratione . 1.Omne realiter ſuſceptiuum ſuarum perfectio-

nũ accidentaliũ mouetur in tẽpore ad illas ſuſcipiẽdas;ſedAngelus eſt huiuſmodi;ergo mouetur in tẽpore ad ſuas operationes, quæ ſunt perfectiones accidentales illius.Prob.ma.Omne realiter ſuſceptiuum ſuarum perfectionum accidentalium non eſt ſimul omnis ſua perfectio accidẽtalis,aliter eſſet omnis perfectio; & ſic eſſet infinitè perfectum; ergo mouetur ſucceſſiuè ad illas ſuſcipiendas,& ideo mouetur ad illas in tempore. Prob. mi; quia Angelus non eſt ſimul omnis ſua perfectio, nec eſt ipſa perfectio, cùm ab illa realiter diſtinguatur; aliter eſſet infinitè perfectus; quia eſt capax infinitarum intellectionum, & volitionum; & ideo ſi eſſet ſimul omnis ſua intellectio, & volitio, eſſet infinitè perfectus. 2. Operationes liberæ fiunt ab Angelo ex libertate voluntatis; ſed libertas non eſt circa aliquod æternum;quia viſio beata,quæ eſt æterna,non eſt ex libertate;& ſic de cognitione,& amore ſui ipſius; ergo operationes liberæ Angelorum non ſunt æternæ; atqui quod non eſt æternum,decedit,& ſuccedit; & quod decedit,& ſuccedit, mẽſuratur tempore;ergo operationes liberæ Angelorum menſurantur tempore. 3. Angelus non intelligit perfectè,& diſtinctè omnia obiecta naturalia per vnicum actum, & per vnicam ſpeciem; vt diximus *q.* 4; nam quò Angelus eſt inferior, intelligit per plures ſpecies; & quò ſuperior,per pauciores ſpecies intelligit; nullus tamen per vnicam ſpeciem,& actum omnia ſimul intelligit; ſed plures cognitiones naturales liberę nequeũt eſſe ſimul in eodem intellectu; ſicut duæ albedines in eodem pariete; ergo ad vnum intelligendum, quod priùs non intelligebat, neceſſe eſt, quòd acquirat intellectionem, quam non habebat;& poſtea ad intelligendum aliud neceſſe eſt, quòd aliam intellectionem acquirat,& primam deperdat;aliter dum actu intelligit vnum, ſi nũquam poſſet ab illo deſiſtere, nunquam poſſet alia ab illo intelligere; & ſic darentur plurima obiecta naturalia, quæ ab Angelo non poſſent cognoſci,quod eſt abſurdum;at quæ habent eſſe ſucceſſiuè,menſurantur tempore; ergo ſucceſſio operationum Angeli tempore menſurantur.

10 Prob.*3.ex eod.in* 1.*diſt.*19.*p.*1.*princ.*2.*q.*2.*art.*2.Quotieſcunque in aliquo ſunt plures formæ menſurabiles à pluribus menſuris;tunc illud ſecundùm vnam formã menſuratur ab vna menſura;& ſecundùm aliam ab alia; vt v.g. quia in panno eſt grauitas, & extenſio, pannus poteſt mẽſurari vncia, & vlna; ſed in Angelo eſt duplex forma menſurabilis à duplici menſura; ſcilicet eſſe perpetuum,quod eſt menſurabile ab æuo;& ſucceſſio operationum, quæ eſt menſurabilis à tempore;ergo ſucceſſio operationum Angeli tẽpore menſuratur.

11 Tandem. Quòd tempus ſit in motu cõtinuo, materialiter ei competit; quia formaliter importat ſolùm ſucceſſionem ſecundùm prius,& poſterius;vt dicitur in eius definitione;tum quia ratio menſuræ primariò conuenit quantitati diſcretæ,vt ſuperiùs dictum eſt; ſed in operationibus liberis Angelorum datur ſucceſſio ſecundũ prius,vt poſterius; ergo quanuis ſint inter ſe ipſas diſcretæ,attamen tempore formaliter menſurantur.

12 Prob.2.pars concl. Illa menſurantur tẽpore diſcreto, quæ menſurantur diuerſis inſtantibus, inter quæ non cadit aliquod diuiſibile; ſicuti enim lineæ diſcretæ sũt illæ, quæ ſi iũgãtur, ſe tãgunt ſecũdũ duos pũctos,inter quos nõ mediat pars diuiſibilis lineæ; ita ſe habẽt duo inſtãtia temporis, inter quæ non mediat pars diuiſibilis temporis; ſed operationes Angelorum mẽſurantur diuerſis inſtantibus, inter quæ non mediat pars diuiſibilis temporis; quælibet enim operatio fit in inſtanti, quia tota ſimul producitur;& vna alteri immediatè vnitur; ſicut autem ex eo, quòd duo puncti duplicis lineæ diſcretè vniantur,non mediat inter illos aliqua linea; ita ex eo, quòd duæ operationes immediatè vniantur, non mediat inter illas aliquod diuiſibile; ergo menſurantur tempore diſcreto.

13 Prob.2.*ex Fund.Doct.q.*9.*vbiſ.* Succeſſio plurium inſtantium immediatè ſequentium ſine vlla parte diuiſibili temporis media eſt tempus diſcretum; ſicut ſucceſſio plurium punctorũ eſt quantitas permanens diſcreta; ſed tempus Angelicum eſt ſucceſſio plurium inſtantium, ſeu operationum,quæ fiunt in pluribus inſtantibus; ergo eſt tempus diſcretum.

14 Prob. 3. Ideo tempus noſtrum eſt quid continuum, quia ſubiectatur in motu primi mobilis; qui eſt continuus, & ideo motus eſt continuus,quia ſubiectatur in primo mobili, quod eſt continuum,& diuiſibile; ſed operationes Angeli ſubiectantur in ſubſtantia Angeli,quæ eſt indiuiſibilis;& eſt vnicum nunc æui; ergo operationes Angeli non ſunt quid continuum,ſed diſcretum; & ideo componunt tempus diſcretum, non continuum.

15 Obijc.1.*Scot.*Angelus eſt ſimplicior qualibet re temporali; ergo eius actiones non menſurantur tempore;nam ſimplicius eſt illud,quod menſuratur vna tantùm menſura, quàm quod menſuratur duplici menſura,atqui eſſe,& operationes temporalium menſurantur vna tantùm menſura; ergo multò magis eſſe, & operationes ipſius Angeli. 2. Tempus eſt ens naturale,nõ ad placitum;ſed operationes Angeli ſunt entia ad placitum;quia ſunt ex beneplacito Angeli; ergo nõ menſurantur tempore. 3. Sicut res ſe habet ad eſſe, ita ad operari; ſed eſſe Angeli menſuratur æuo;ergo & eius operari.4.Singulæ operationes ſunt ſimplices; ergo nec omnes ſimul menſurantur tempore;nam quia puncti ſunt indiuiſibiles; ideo plures puncti etiam ſimul ſumpti non menſurantur linea;ita à pari; & ratio eſt;quia ſicut ſe habet totum menſuratum ad totam menſuram, & totus motus ad totum tempus; ita quælibet

pars

pars menſurati ad partem menſuræ; & pars motus ad partem temporis; ſed ſi quælibet pars motus non menſuraretur tempore, nec totus motus mẽſuraretur à tempore; ergo quia vna cognitio nõ menſuratur à tempore, nec tota ſucceſſio cognitionum menſuratur à tempore.

Reſp. ad 1. neg. conſ. Ad prob. diſt. ma. Simplicius eſt, quod menſuratur vna tantùm menſura, quàm quòd menſuratur duplici menſura indiſtincta, neg; quàm quod menſuratur duplici mẽſura diſtincta, conc; diſtinctio enim facit compoſitionem, ſicut indiſtinctio ſimplicitatem; & ideo magis eſt compoſita ſubſtantia corporea, quæ menſuratur ſecundùm quantitatem molis à tempore; quàm Angelus, in quo non eſt quantitas molis, ſed ſolum eſſe, quod menſuratur ab æuo indiſtincto; & operatio, quæ eſt qualitas mẽſurata à tempore indiſtincto; nam in re corporali vltra eſſe, & qualitates, reperitur etiam quantitas molis, quæ non repetitur in Angelo, & ideo hic eſt ſimplicior, & illa compoſitior. Ad 2. dicitur, quòd ſi argumentum valeret, concluderet etiam exiſtentiam hominis in loco, & talem motum per loca, tempore non menſurari eò, quòd homo liberè ſtet, & moueatur per talia loca. Diſt. igitur ma. Tempus eſt ens naturale menſurans omnes motus exiſtentes in aliqua ex ſuis differentijs, ſiue ſint contingentes, ſiue neceſſarij, conc; ſecus, neg. Et diſt. mi. *cum Fund. Doct.* Operatio Angeli quantùm ad exiſtentiam eſt ad placitum, conc; quantùm ad ſucceſſionem, neg; habet enim natura Angeli, quòd moueatur de vna ad aliam operationem; quòd autem moueatur potiùs ad hanc, quàm ad illam; & quòd tantùm duret, & non minùs, eſt ad placitum; vnde operatio diſiunctiuè ſumpta non eſt ad placitum, ſed tantùm determinatè ſumpta. Vel ſoluitur arg. diſt. ma. Tempus exiſtẽs in ente neceſſario, vt eſt tempus noſtrum, conc; exiſtens in actibus liberis, vt eſt tempus Angelicum, neg. Ad 3. diſt. mi. Eſſe ſubſtantiale menſuratur æuo, conc; eſſe accidentale, neg; nam ignis in tantùm calefacit, in quantùm habet eſſe calidum; & ſi tolleretur eſſe calidum, non calefaceret; eſſe autem accidentale ſupponit eſſe ſubſtantiale, quia accidens, cùm ſit entis ens, ſupponit ſubiectum. Ad 4. neg. conſ. Ad prob. inſertam dicitur punctos ſimul ſumptos nõ menſurari linea, quia ſimul ſumpti non faciunt continuum; at verò plura inſtantia collectiuè accepta faciunt ſucceſſionem, quæ ſufficit ad rationem temporis. Præterea arg. à diſtributiuo ad collectiuum non valet; non enim valet: *Deus in quolibet inſtanti hora poteſt producere Angelum; ſed in vna hora ſunt infinita inſtantia; ergo in vna hora poteſt producere infinitos Angelos*; ita à pari. Ad rationẽ diſt. 3. pars ma. Et pars motus, quæ ſit diuiſibilis, vt in re corporali, conc; quæ ſit indiuiſibilis, vt in Angelis, neg. Ideo enim pars motus, quæ eſt diuiſibilis, menſuratur tempore, quia vtpotè diuiſibilis, habet ſucceſſionem, & eſt diuiſibilis in partes, quarum aliquæ ſunt priùs, & aliquæ poſteriùs; at verò pars indiuiſibilis, vt eſt operatio Angeli, tempore non menſuratur, quia caret ſucceſſione, cùm careat partibus.

16 Obijc. 2. Poteſt Angelus durare in vna operatione plus, quàm per inſtans; vt diximus *q. 9. art. 5.* de Angelis bonis ante lapſum; ergo nõ ſola ſucceſſio operationum Angeli menſuratur tempore.

Reſp. diſt. ant. Pluſquam per inſtans temporis noſtri, quod non menſurat operationes Angeli, conc; temporis Angelici, neg; vt *ſup.* dictum eſt.

17 Ceteræ obiectiones faciliter ſoluuntur ex dictis; & videri poſſunt *apud Fund. Doct. vbi ſ.*

18 Quæres 1; in quo prædicamento ſit tempus Angelicum?

Reſp. *Fund. Doct. de Menſ. Ang. q. 10.* eſſe in prædicamento qualitatis, habere tamen modum quantitatis, & relationis, vt *ſup.* diximus de æuo. Ratio eſt. Tempus Angelicum fundatur in operationibus intellectus, & voluntatis ipſius Angeli; ſed operationes intellectus, & voluntatis ſunt in prædicamẽto qualitatis; ergo, & tempus Angelicum. Habet tamen modum quantitatis, quatenus importat extenſionem de vna ad aliam operationem, & modum relationis, quatenus dicit ordinem ad operationem priorem, & poſteriorem. *Vid. in ſup. art. à n. 4.*

19 Dices. Qualitas habet contrarium; ſed operatio, & tempus Angelicum non habẽt contrarium; ergo non ſpectant ad prædicamentum qualitatis. 2. Angeli ſecundùm tempus non dicuntur quales, ſed quanti; ergo tempus Angelicum ſpectat ad prædicamentum quantitatis.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Qualitas habet cõtrariũ poſitiuum, vt ſunt primæ qualitates; vel negatiuum, vt ſunt ſecundæ qualitates ortæ ex primis, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam vna operatio Angeli nequit eſſe in eodem ſubiecto ſimul cum alia; & ſic neque vnum tempus cum alio. Habet contrarium poſitiuum tantùm vniuerſaliter, neg. Ad 2. neg. ant; nam denominatio prouenit nedum à re, ſed etiam à modo; vnde ſicut ab operationibus ſecundùm rem dicuntur quales; ita à modo quantitatis, quam habent, dicuntur quanti.

20 Quæres 2; ad quam ſpeciem qualitatis pertineat?

Reſp. *Fund. Doct.* pertinere ad tertiam ſpeciem, ſcilicet ad paſſionem, quæ tollitur à ſubiecto; nam habitus datur ad faciliùs; tempus autem non datur ad faciliùs operandum; quia Angeli difficultatem non habent; diſpoſitio eſt ad vlteriorem formam; tempus autem non eſt huiuſmodi. Potentia dicit vim operatiuam, & impotentia imbecillitatem eiuſdem potentiæ; tempus autem Angelicum dicit operationem ipſius Angeli, vt *ſup.* dictum eſt. Tandem forma, & figura dicunt diuerſam ſituationem quantitatis molis, qua carent

rent Angeli; ergo tempus Angelicum ſpectat ſolùm ad tertiam ſpeciem qualitatis; atqui non ſpectat ad qualitatem paſſibilem, quia hæc eſt difficulter mobilis à ſubiecto; paſſio autem eſt mobilis; ergo tẽpus, quod eſt quid faciliter mobile, ſpectat ad paſſionem. Tum quia paſſibilis qualitas oritur ex paſſione; ſicut rubor ex verecundia; ſed tempus Angelicum menſurans intellectionem oritur ex impreſſione facta in intellectum à voluntate; & ſic de impreſſione intellectus in voluntatẽ; ergo eſt paſſio. Aduertenda tamen eſt æquiuocatio, quæ poteſt eſſe in hoc; nam paſſio dupliciter ſumitur. 1. vt eſt ſpecies qualitatis. 2. vt eſt prædicamentum ſequens ad actionem. *Hic* ſumitur primo, non ſecundo modo.

A R T. VI.

An nunc æui, & nunc temporis ſint idem?

1 SVbtiliſſimè, & profundiſſimè hanc difficultatem pertractat *Fund. Doct. de Menſ. Ang. ar. 6*; ex qua maximè pendet cognitio temporis noſtri. Vt autem percipiatur ſenſus rei propoſitæ, not; quòd ſicut corpus ſphæricum poſitum ſupra corpus perfectè planum poteſt dupliciter moueri in puncto. 1. Si moueatur ſuper illud motu circulari; tunc enim ita mouetur, vt vnus punctus corporis ſphærici tangat punctum corporis plani, & alter alterum; non enim vnus, & idem punctus corporis ſphærici tangit omnes punctos corporis plani. 2. Si moueatur motu directo tantummodò, ſeu motu raptus; non autem voluatur motu circulari; tunc enim vnus, & idem punctus corporis ſphærici tangit omnes punctos corporis plani, ac totum planum menſurat. Ita *hic* quæritur; an vnum, & idem nunc, ſeu inſtans indiuiſibile temporis ſiue noſtri, ſiue Angelici fluendo menſuret totam durationem rei menſuratæ; vel dentur plura nunc per reuolutionem deperdita ſimul cum mutatis eſſe ipſius motus, quæ voluuntur, & pereunt? Si nanque dicatur primum, ſequitur nunc æui eſſe idem realiter cũ nunc temporis; ſi verò aſſeratur ſecundum, ſequitur eſſe diuerſum realiter; vt patebit.

2 Prima ſententia putat nunc æui, & nunc temporis diſtingui realiter eo, quòd nunc æui fundatur in ſubſtantia; nunc verò temporis noſtri in quãtitate; & nũc tẽporis Angelici in operationibus Angeli, quæ realiter differunt à ſubſtantia ipſius. *Ita aliqui antiqui*, quos ſuppreſſo nomine refert *Fund. Doct*; & vocat *Magnos Doctores*.

3 Noſtra ſententia docet nunc æui, & nunc temporis non differre realiter, ſed tantùm virtualiter per diuerſas habitudines eo, quia vtrunque fundatur in ſubſtantia, quæ, prout reſpicit eſſe perenniter durans, dicitur nunc æui; prout autem reſpicit operationes in Angelis, aut partes motus in tempore noſtro, dicitur nunc temporis; vnde in hoc ſolùm differunt nunc æui, & nunc temporis, quòd illud eſt ſemper ſtans; iſtud ſemper fluens. *Ita Fund. Doct. vbiſ; & omnes veri illius Diſcipuli*.

4 Hoc autem (ait *Fund. Doct.*) eſt intelligendum de nunc æui, & nũc temporis in eodem ſubiecto; vt v.g. in eodem Angelo; vel in eodem primo mobili; nam ſi intelligatur in diuerſis ſubiectis, patet illa differre ratione ſubiectorum, in quibus ſunt; vt nunc æui, quod eſt in tempore noſtro, differt à nunc temporis, quod eſt in Angelis; & nunc æui, quod eſt in vno Angelo, differt à nunc temporis, quod eſt in alio. Nomine autem *nunc* intelligimus inſtãs indiuiſibile, quod continuat ipſum æuum, vel ipſum tempus; ſicut enim nomine *puncti* intelligimus indiuiſibile, quod continuat lineam permanentem, ſiue vnit partes diuiſibiles lineæ; & nomine *mutati eſſe* intelligimus indiuiſibile, quod continuat, vel vnit ipſa moueri, quæ ſunt partes diuiſibiles motus; ita hac voce *nunc* ſignificatur inſtans indiuiſibile menſuræ durationis, quæ continuat ipſum eſſe, vel vnit diſcretè, aut continuè operationes ſubſtantiæ æuiternæ. Hc ita intellecta.

5 Vnica concl. Nunc æui, & nunc temporis in eodem æuiterno non diſtinguuntur realiter.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. lib. 11. Conf. c. 15.* docẽte: *Si quid intelligitur tẽporis, quod in nullas iam, vel in minutiſſimas momẽtorum partes diuidi poſſit, id ſolùm eſt, quod præſens dicatur. Quod tamen ita raptim à futuro in præteritum tranſuolat, vt nulla morula extendatur; nam ſi extenditur, diuiditur in præteritum, & futurum; præſens autem nullum habet ſpatium.* Ex quo ſic arguit *Fund. Doct. Prima via §. Tertiò dicitur*. Nunc æui, & & nunc temporis fundantur in ſubſtantia, quæ mouetur per tempus; ergo nunc æui, & nunc tẽporis non diſtinguuntur realiter; non enim poſſunt diſtingui, niſi quia reperiuntur in diuerſis ſubiectis, vel in diuerſis partibus ſubiecti; nam vnus punctus diſtinguitur ab alio, vel quia reperitur in diuerſa linea, vel quia reperitur in diuerſa parte eiuſdem lineæ; ita autem ſe habet inſtans reſpectu temporis, ſicut punctus reſpectu lineæ; vnde ſi ſubiectum nunc æui, & nunc temporis eſt eadem ſubſtantia; & ſubſtantia ſecundùm ſe non habet partes; rectè ſequitur iſta duo nunc non diſtingui realiter. Prob. ant. In illo fundatur nunc æui, quod per ſe dicitur ſemper durare; & in illo fundatur nũc temporis, quod per ſe dicitur moueri; in illo enim eſt nunc durans, & nunc mobile, quod denominatur nunc eſt, & nunc mouetur; ſed ſubſtantia rei durantis, & mobilis eſt huiuſmodi; nam ſubſtãtia ſola eſt ens per ſe; & ideo ei ſolùm conuenit per ſe durare, & per ſe moueri; nam exiſtentia non eſt id, quod durat, ſed id, quo eſſentia durat; ſicut nec motus eſt id, quod mouetur, ſed eſt id, quo ſubſtantia mouetur; ergo nunc æui, & nunc temporis fundantur in ſubſtantia rei durantis, & mobilis.

6 Conf. 1. *ex eod. ibid.* Moueri, quod eſt diuiſibile, per ſe competit ſoli ſubſtantiæ; implicat

enim

enim, quòd illud, quod eſt in alio,moueatur per ſe;vt homo,qui eſt in naui,cùm mouetur ad motum nauis,non mouetur per ſe;& ideo omnia accidentia,quia naturaliter ſunt in alio,non mouētur per ſe naturaliter; & per conſequens ſola ſubſtantia,quæ eſt ens per ſe, mouetur per ſe:ergo multò magis nunc æui,& nunc temporis,quæ ſunt indiuiſibilia, per ſe competunt ſubſtantiæ, quæ eſt indiuiſibilis.

7 Conf.2. Nunc æui dicit id, quod eſt præſens æuo, & durationi ipſius; dicit enim id,quod nunc exiſtit perenniter,per quod explicatur præſentia ad ipſam menſuram æuiternam; & nunc temporis dicit id, quod eſt præſens mutationibus temporis;dicit enim id,quod exiſtit ſub omni mutatione temporis; ſed id, quod eſt præſens æuo,& quod exiſtit nunc perenniter,eſt ſubſtantia,non exiſtentia, quia exiſtentia non exiſtit,ſed eſt id,quo ſubſtantia exiſtit;nec eſt præſens æuo, quia non eſt præſens ſibi ipſi; & id,quod eſt præſens omnibus mutationibus temporis, & exiſtit ſub illis,eſt ſubſtantia mobilis; ergo nunc æui,& nunc temporis dicunt ſubſtantiā æuiterni,prout ſemper eſt,& per ſe mouetur.

8 Prob. 2. ex illis verbis *eiuſdem Beatiſs.P. Quod tamen ita raptim à futuro in præteritum tranſuolat; & ex Mart. Boet. de Trin.* dicente: *Nunc currens facit tempus; nunc ſtans facit æternitatem; & ex Phil.4.Phyſ.* vbi ait:*Nunc temporis manet idem ſecundùm rem in toto tempore, differt autem ſecundùm rationem*. Ex quibus ſic arguit *Fund.Doct.ibid.*prima ratione *prima via*.In hoc diſtinguitur tempus,quod eſt continuum ſucceſſiuum,à continuo permanēte; quòd tempus nullam partem diuiſibilem ſui actu habet; quia *præteritum iam non eſt,& futurum nondum eſt*;vt docet *Beatiſſ.P. vbiſ.* & ideo non eſt,niſi præſens, quod eſt inſtans *raptim tranſuolans, currens, & eſt vnum ſecundùm rem in toto tempore*; continuū autem ſucceſſiuum habet actu ſimul omnes ſuas partes; & ideo conſtat ex pluribus indiuiſibilibus;vnum enim indiuiſibile idem ſecundùm rem nequit eſſe in principio,medio,& fine lineæ;quia eſſet in diuerſis partibus, & diuerſis locis; ſed vnicum nunc indiuiſibile nequit attendi, niſi penes ſubſtantiam,quæ vnica eſt in omnibus partibus temporis;non enim poteſt attendi penes mutata eſſe,quæ ſunt indiuiſibilia connectentia partes motus, & ſunt plura in toto motu, ſicut ſunt plures partes ipſius motus;ergo nunc indiuiſibile,quod eſt vnum ſecundùm rem in toto tempore,& quod tranſuolando, currendo, & fluendo efficit tempus,eſt in ſubſtantia.

9 Conf. Hoc eſt diſcrimen inter punctum ſtyli tractum per motum ſuper aliquam lineam, & punctum per quietem tangentem per lineam; quòd vnus,& idem punctus tractus per motum ſuper totam lineam menſurat totam lineam, & attingit omnes punctos, qui ſunt in linea; punctus autem per quietem tangens lineam non attingit,niſi vnum punctum lineæ; vt *ſup.* dictum eſt; ſed nūc temporis eſt indiuiſibile tractum per motum fluens per totam lineam;ergo non eſt,niſi vnicum indiuiſibile, atqui penes partes motus non poteſt deſumi vnum tantùm indiuiſibile, quia ſunt plura mutata eſſe ipſius motus; ergo attenditur ſolùm ſecūdùm ſubſtantiam mobilis, quæ eſt vnica, & indiuiſibilis; & ideo nunc temporis eſt in ſubſtantia mobilis.

10 Prob.3.*ex eod.Beatiſſ.P.8.ſup.Gen.ad lit. c.21*:vbi ait:*Ea,quæ per ſpatia locorum mouentur, niſi ab eis, quæ loco fixa ſunt,non moueri.* Ex quo ſic. Nunc temporis eſt illud, à quo incipit motus;ſed illud, à quo incipit motus,debet eſſe immobile,quia cardo ipſius motus debet eſſe fixus; & ſola ſubſtantia æuiterni eſt immobilis ſecundùm eſſe, & nō mouetur,niſi per ordinem ad locum,qui eſt extrinſecus; ergo nūc temporis fundatur in ſubſtantia mobilis. Hanc rationem expendimus *q.3.art.1.n.17.& ſeq.*

11 Prob.4.*ab eod.*Nunc temporis fundatur in motu; ſed motus fundatur in natura mobilis; natura enim definitur *principium motus, & quietis eius,in quo eſt,per ſe,& primò*;tum quia motus fundatur in illo, quod mouetur per ſe; ſola autē ſubſtantia mouetur per ſe; quia accidentia mouentur ſolùm ad motum ſubſtantiæ; ergo nunc temporis fundatur in ſubſtantia mobilis; quia fundatur in eo,quod eſt principium motus.

12 Prob.5. In illo eſt nunc temporis, quod eſt ſuſceptiuum contrariorum;quia nunc temporis eſt ſuſceptiuum præteriti, & futuri, quæ ſunt contraria; ſed ſola ſubſtantia eſt ſuſceptiua contrariorum per ſe loquendo; ergo nunc temporis eſt in ſola ſubſtantia mobilis.

13 Prob.6.Nunc temporis fundatur in ſubſtantia ſempiterna,quæ habet eſſe perpetuum; ſed ſubſtantia ſempiterna,quæ habet eſſe perpetuum, menſuratur æuo, & in ipſa eſt nunc æui,vt concedunt *Aduerſarij*; ergo nunc æui, & nunc temporis eſt in eodem ſubiecto indiuiſibili, & ideo non diſtinguuntur realiter. Mi.patet ex dictis; nam ſicut res temporalis menſuratur tempore; ita res ſempiterna menſuratur æuo. Prob. ma.ex triplici inconuenienti. Primum eſt.Si nūc temporis non fundaretur in ſubſtantia ſempiterna, ſequeretur, quòd tempus non eſſet vnum; nam ſi fundaretur in aliqua re corruptibili, corrupta illa re corrumperetur tempus; & ſi remaneret in alia re, quæ generatur ex corruptione illius,ſicut illa res non eſſet vna, & eadem cum iſta;ita tempus, quod eſſet in illa, non eſſet vnū, & idem cum tempore,quod eſſet in iſta; ſed cōſ. eſt falſum; quia vnum eſt tempus omnium temporalium, vt communiter ponitur; ergo & ant. Secundum eſt. Si tempus non fundaretur in ſubſtantia ſempiterna, ſequeretur,quòd tempus eſſet quid temporale: quia omnis res corruptibilis eſt temporalis; ergo tempus non eſſet menſura omnium temporalium,ſed eſſet tantùm menſura

illius

illius rei temporalis, quæ eſſet tempus; nam tempus debet eſſe extra temporalia adhoc, vt ſit illorum menſura, vt ſuperiùs dictum eſt; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Tertium eſt. Si tempus non fundaretur in ſubſtantia ſempiterna, daretur aliqua differentia temporis, quæ non eſſet in tempore; nam omnis res temporalis corrumpitur in aliqua differentia temporis, & ſic in illa differẽtia temporis non eſſet tempus, quia corrumperetur, & quod corrumpitur, non eſt; ſed hoc eſt abſurdum; ergo & id, vnde ſequitur.

14 Prob. 7. In hoc diſtinguitur tempus à continuo permanente; quòd continuum permanens habet ſuum continuatiuum, quod ſaltem reductiuè eſt in eodem genere cum ipſo continuo permanente; quia punctus continuatiuus lineæ reducitur ad genus quantitatis; at verò tempus habet ſuum continuatiuum à motu; in tantùm enim tempus eſt continuum, in quantùm eſt in motu continuo; & motus habet continuitatem à mobili; quia motus eſt vnus propter vnitatem mobilis; mobile autem non eſt in eodem genere cum motu, aut cum tempore; ſed nunc temporis eſt continuatiuum temporis; ergo nunc temporis eſt in ſubſtantia mobilis; & ideo non diſtinguitur à nunc æui, quod pariter eſt in ſubſtantia mobilis.

15 Tandem ſi nunc temporis non fundaretur in ſubſtantia mobilis, fundaretur in ipſis mutatis eſſe, quæ ſunt indiuiſibilia intercipientia partes diuiſibiles motus, quæ appellantur moueri; ſed conſ. eſt falſum; nam nunc temporis eſt illud, quod incipit, continuat, & terminat motum; at verò mutatum eſſe, quamuis poſſit continuare, & terminare motum; attamen nequit motum inchoare; quia mutatum eſſe eſſentialiter cauſatur ab ipſo moueri, ad quod conſequitur; nam eſſe calidum, quod eſt mutatum eſſe, cauſatur à calefactione; nec poteſt antecedere calefactionem; & ideo mutatum eſſe nequit antecedere motum, eumque inchoare; ergo nunc temporis non fundatur in ipſo mutato eſſe; ſed in ipſa ſubſtantia mobilis, quæ inchoat, continuat, & terminat motum.

16 Hæc arg; quæ procedunt de tempore noſtro reſpectu ſubſtantiæ primi mobilis, quæ eſt æuiterna, procedunt etiam de tempore Angelico reſpectu ſubſtantiæ Angelorum, quæ pariter eſt æuiterna; & ideo vniuerſaliter probant, quòd nunc temporis ſiue noſtri, ſiue Angelici non differt realiter à nunc æui menſurantis eſſe ſubſtantiæ ſiue ſpiritalis, ſiue corporalis æuiternæ.

17 Obijc. 1. Nunc æui fundatur in ſubſtantia; & nunc temporis in quantitate; quia nunc temporis fundatur in motu, & motus fundatur in quantitate; nam fundatur in eo, quod eſt partibile; quia *nullum impartibile mouetur ex Phil*; ergo nunc æui, & nunc temporis realiter differunt. 2. Nunc æui fundatur in re permanente, & nunc tẽporis in re fluente; ſed res permanens, & fluens differunt realiter; ergo & nunc æui, ac nunc temporis. 3. Nunc æui habetur per comparationem ad eſſe, quod ſemper ſtat; & nunc temporis per comparationem ad motum, qui fluit; ſed eſſe ſtans, & motus fluens realiter differunt; ergo & nunc æui, ac nunc temporis.

Reſp. hæc tria fuiſſe ſoluta; oſtenſum enim eſt, quomodò per comparationem ad ſubſtantiam, ad permanentiam, & ad eſſe nunc temporis fundatur in ſubſtantia mobilis; & ideo fuerunt ſimpliciter redarguta. Ad 1. igitur neg. 2. pars ant; nam licèt verum ſit ad veram rationẽ motus requiri partibilitatem ita, vt ipſa partibilitas, ſeu diuiſibilitas ſit ratio ipſius motus; attamen ex hoc non ſequitur, quòd motus per ſe recipiatur in quantitate; nam quantitas eſt ens in alio, & ideo ei non conuenit moueri per ſe; ſicut diximus de homine exiſtente in naui. Quãuis ergo quantitas ſit ratio recipiendi motum; attamen non recipitur in ipſa per ſe; ſicut quamuis lumen ſit ratio videndi, & recipiendi ſpeciem colorati; attamen lumen non dicitur videre, ſed oculus per lumen; & anima per oculum; & homo per animam; vt alibi diximus. Ad 2. diſt. 2. pars ma. Nunc temporis recipitur in re fluente per ſe, conc; res autem fluens per ſe eſt ſubſtantia; in re fluente in alio, neg; res autem fluens per ſe, & permanens non diſtinguuntur ſecundùm rem, ſed ſolùm ſecundũ diuerſas habitudines; eadem enim res per ordinem ad ſuum eſſe permanet; & per ordinem ad locum mouetur; vt patet de primo mobili. Ad 3. eodem modo dicitur, quòd nunc temporis comparatur ad motum, prout eſt ens in alio, non autem per ſe; & ideo per ſe eſt ſolùm in ſubſtantia æuiterna.

18 Inſt. Accidentia ſunt in ſubſtantia ordine quodam ita, vt immediatè vnũ recipiatur in ſubſtantia, & aliud mediante altero; v. g. quantitas immediatè recipitur in ſubſtantia; color autem immediatè recipitur in ſuperficie quantitatis; ſed motus recipitur in ſubſtantia mediante quantitate; quia ſolùm quantum mouetur, ſicut ſolùm quantum coloratur; ergo motus per ſe recipitur in quantitate, non in ſubſtantia, & ideo quantitas mouetur per ſe, non ſubſtantia; ſicut coloratur per ſe, quia color recipitur immediatè in illa; nam illud, quod eſt ratio alterius, eſt magis per ſe, quàm illud alterum; nam *propter quod vnunquodque tale, & illud magis*.

Reſp. *Fund. Doct*; quòd licèt vnum accidens ſit ratio recipiendi aliud, non tamen illud recipit per ſe, quia non habet eſſe per ſe; ſi ergo recipit, vt in alio, debet dari receptiuum per ſe, quod neceſſariò ſupponitur ad recipere, vt in alio. Igitur diſt. ma; & mi. Color recipitur in ſuperficie, & motus in quantitate per ſe, neg; vt in alio, conc. Additur, quòd ſicut grauitas

uitas eſt ratio, per quam lapis tendit deorſum, nullus tamen diceret, quòd tendere deorſum per ſe recipiatur in grauitate, quæ eſt qualitas; ita à pari.

19 Obijc. 2. Tempus fundatur ſuper motum localem primi mobilis, qui eſt primus motus; ſed motus localis fundatur in quantitate, quia per quantitatem acquiritur; ergo tempus fundatur in quantitate,non in ſubſtantia.2.*Quãtitas* poteſt moueri ſine ſubſtantia;nam in Sacramento Altaris quantitas panis transfertur de vno loco ad alium ſine ſubſtantia; non tamen ſubſtantia poteſt moueri ſine quantitate;ſed nũc temporis dicit illud,quod per ſe poteſt moueri; ergo magis dicit quantitatem, quàm ſubſtantiã.

Reſp. ad 1. neg. ant; quanuis enim motus localis primi mobilis ſit ratio,quare tempus fũdetur in ſubſtantia primi mobilis,attamen non fundatur per ſe in ipſo motu; ſicut dictum eſt de grauitate, quæ in lapide eſt ratio motus localis deorſum, & tamen non eſt ſubiectum per ſe receptiuum motus localis.Ad 2.diſt.ma.Quantitas miraculosè habens modum ſubſtantiæ, conc; ſecundùm curſum naturalem,vt loquimur *hic*,neg.

20 Obijc.3 .Nunc temporis ita comparatur ad motum primi mobilis; ſicut punctus comparatur ad lineam; ſed punctus eſt in linea; ergo nunc temporis eſt in motu. 2. Nunc æui eſt in eodem genere cum æuo; & nunc temporis eſt in eodem genere cum tempore; ſed æuum eſt in genere ſubſtantiæ; & tempus eſt in genere quãtitatis;ergo nunc æui nequit eſſe in eodem genere cum nunc temporis; & ideo differunt realiter inter ſe.

Reſp.ad 1. retorq. arg. Sicut ſe habet motus ad mobile, ita nunc temporis ad motum; ſed motus eſt per ſe in ſubſtantia mobili; ergo & nunc temporis per ſe eſt in ſubſtantia mobili; ergo ſi idem dicendũ de puncto,habetur contradictoriũ. Diſt.igitur ma.Sicut ſe habet pũctus ad lineam,ita nunc temporis ad motum quãtùm ad indiuiſibilitatem, & continuationem partium diuiſibilium,conc; quantùm ad ſubiectionem, & multiplicationem, neg; nam punctus ſubiectatur in linea,vt *ſup*.dictum eſt,& in illa multiplicatur; nunc autem temporis non ſubiectatur in motu, nec in illo multiplicatur; quia eſt vnum nunc fluens per omnes partes motus.Ad 2.neg.2.pars ma;nam ſicut mobile, quod eſt ſubſtantia, non eſt in eodem genere cum motu, qui eſt accidẽs; ita nunc temporis non eſt in eodem genere cum motu;& licèt punctus lineæ ſit in eodem genere cum linea ſaltem reductiuè; attamen nunc temporis non eſt in eodem genere cum motu; quia punctus ſubiectatur intrinſecè in linea;nunc autem temporis intrinſecè recipitur in ſubſtantia mobili.

21 Obijc.4. Aeuum importat inuariabilitatem,& tempus variabilitatem;ergo nunc æui, & nunc temporis differunt realiter; implicat enim, quòd idem ſit ſimul inuariabile, & variabile. 2. Aeuum differt à tempore; ergo, & nunc æui à nũc tẽporis.3.Sublato nũc æui adhuc remaneret nunc temporis, ergo differunt realiter. 4. Nunc æui pertinet ad conſiderationem metaphyſicam; & nunc temporis ad conſiderationem phyſicam; ſed metaphyſica,& phyſica differunt realiter; ergo & nunc æui,ac temporis.

Reſp.ad 1.neg.conſ.Ad prob.infert.diſt.Implicat idẽ eſſe variabile, & inuariabile ſecũdũ diuerſas habitudines,neg;nam ſubſtãtia Angeli eſt inuariabilis ſecundùm eſſe,& variabilis ſecundũ operationes; & ideo ex hoc ſequitur ipſam eſſe nunc æui,& nunc temporis.Secundùm eandem habitudinem,conc.Ad 2. neg. conſ;nam æuum fundatur in exiſtentia, & tempus in motu,at verò tam nunc æui, quàm nunc temporis fũdatur in ſubſtantia,& ideo iſta non differunt, illa verò differunt. Ad 3.neg. conſ; nam ſublato vno filio ceſſat relatio paternitatis ad illum, & manet relatio ad alterum filium; & tamen per hoc non arguitur in eodem patre eſſe duas paternitates; ſic ſublata vna linea à puncto trianguli non manet ampliùs ordinatio puncti ad illam lineam, & manet ordinatio eiuſdem puncti ad alteram lineam;& tamen vnus, & idem punctus ordinatur ad duplicem lineã;ita à pari. Ad 4.dicitur,quòd Deus,vt primum ens,ſpectat ad metaphyſicam; & vt glorificator ſpectat ad Theologiam; & tamen Metaphyſica, & Theologia differunt realiter;ita à pari quanuis nunc æui, & nunc temporis ſpectent ad diuerſam conſiderationem; attamen non differunt realiter; quia ſufficit diuerſa ratio,ſeu habitudo ſolùm virtualiter diſtinct. Sic bonum, & ens ſpectant ad diuerſam potentiam;quia ens eſt obiectum intellectus,& bonum voluntatis;intellectus autem, & voluntas diſtinguuntur realiter; & tamen ens, & bonum ſunt idem realiter.

22 Hæc de ſupremis illis Intelligentijs Deo adiuuante intelligere potuimus pro hoc ſtatu, in quo ab illorum ſeparamur cõſortio magna interpoſita ſenſuum denſitate; faxit Deus,vt ad illorum beatorum ſpirituumSocietatem perueniamus euitãtes malorum caliginem;ſic enim claræ eorum ſcientiæ compotes erimus; nam *Luc. 20.* habetur:*Aequales Angelis eius ſunt*;qui cum illis beatam illam æternitatem ſortiuntur.

DE VLTIMO FINE.

N*Otum fac mihi Domine finem meum,& numerum dierum, qui eſt ; vt ſciam, quid deſit mihi.pſ.*38. Hæc amantiſſima *Pſalmiſtæ* vox toto animi affectu prolata votum,quòd altiùs fouebat in corde,quia inter alia deſideria eminebat,feruentiſſimo expromit anhelitu.Non initium dierum,quod fuit,nec numerum annorũ, qui fluit;ſed finem,*qui eſt*,flagrantiſſimè inquirit. Quamuis enim legat *Vulgata* : *Numerum dierum, qui eſt*;attamen *Septuaginta* vertit trãſlatio:*Qui eſt*,ſeu *qui ſtat*,vt *ibidem* explicat *Beatiſſ.Pater*. Finem ergo ſine fine,& numerum ſine numero cognoſcere peroptabat Rex Sanctus; non iſtum finem, qui non eſt, quia finem habet;nec iſtum numerum, qui, cùm venerit,non ſtat, cùm prætereat, ſed finem dierum, qui nec heſterno præceditur,vt ſuccedat;nec craſtino impellitur,vt tranſeat,agnoſcere anhelabat,*vt ſciret,quid ei deeſſet*,nunc enim ſcimus,quid nobis deeſt,cùm quid prodeſt,experimur.Quamobrem illo fine habito ſciemus nunc eſſe nobis deeſſe,quia ad non eſſe continuò deuoluimur. Sciemus deeſſe vitam,quia morti perpetuò accedimus.Sciemus deeſſe quietem, quia in hoc inſtabili rerum motu ſemper ſtabilis inſidet labor.Ceſſabunt corporis morbi, qui finem habebunt in fine. Deſinent ægritudines animi,quæ vltra finem neſciunt torquere.Nulla erunt deſideria, quia nihil expectabitur futurum;nullus dolor,quia nihil amittendum plorabitur;nulla turbatio, quia perpetua regnabit tranquillitas. Plena bonorum omnium ſatietas probabit nos in hoc ſtatu quantacunque vbertate affluentes nonniſi fame,ſitique perire;inamiſſibiles diuitiarum theſauri indigentem huius ſæculi paupertatem oſtendent; omnigena gaudiorum poſſeſſio conuincent eam, quæ in hoc Mundo guſtatur, eſſe meram felicitatis illecebram.Diſcordias quis inueniet,vbi terminum habent; ibi enim ligat animos ſemper inſoluta ſocietas,bella quis reperiat, vbi metam agnoſcunt;ibi nanque ęterno fędere triumphat beatiſſima pax;odium quis diſpiciat, vbi eius extinguitur ardor ; ibi enim ardet ineſtinguibilis amor?Foris timor,foris ſpes,foris fides;quia intus charitas,quę *foras mittit timorem*;intus gaudium, quod afflictionem eliminat ſpei;intus viſio,quę cæcitatem exterminat Fidei.Felicitatis horoſcopus, ad quem diriguntur omnes affectus; Sapientiæ epilogus,ad quem ordinatur omnis ſciendi cupido. Beatitudinis centrum,ad quod referuntur,& in quo omnes beantur amores. Omnia aduerſa ab hoc fine finiuntur,& omnia proſpera in hoc fine habent initium,ſed ſine fine,quia finis finem non habet; nam ſi haberet,finis non eſſet.Finis ſimul,atque principium,quod fine caret,quia finis eſt, qui non habet initium,cùm ſit ipſe principium.Huius finis in præſenti nobis eſt perquirenda notitia,vt illius amore ardentiùs accendatur voluntas,inflammetur affectus,aliarumque rerum,quæ non ſunt, quoniam tranſeunt,quærendarum finem imponat.

Porro licèt cauſa finalis inter cauſas primatum obtineat;vnde videtur priùs agendum fuiſſe de fine,quàm de cauſa efficienti creaturarum,de qua iam egimus in ſuperioribus tractatibus;attamen, quia finis executio poſterior eſt actione efficientis,& quia omnia, quæ vſque ad finem *huius curſus Theologici* diſcutienda ſuperſunt,ad conſecutionem finis vltimi ordinantur ; idcirco de illo poſteriorem habemus ſermonem.

QVÆSTIO VNICA.

SVppoſitis ijs,quæ in 2. *Phyſ.*dicuntur de cauſa finali generaliter accepta, examinanda ſunt *hìc*, quæ Deo conueniunt, vt habet rationem vltimi finis; ad quem omnes creaturæ vltimatè ordinantur;quod pręſtabimus *in hoc,& ſeq.tract.* acturi deinde in alijs,quæ ad hanc ſcientiam Theologicam de cetero ſpectant,de medijs, quæ ad cõſecutionẽ huius finis creaturas intellectuales cõducũt.

ART. I.

An Deus ſit vnus finis vltimus omnium creaturarum?

1 LOquimur de omni creatura ſiue viuente,ſiue non viuente,ſiue intellectuali,ſiue non intellectuali.In hoc autem diſcriminatur creatura intellectualis à non intellectuali ; quòd illa poteſt conſequi Deum in ſe ipſo in eſſe intellectuali ; quia ei poteſt vniri per viſionem,& per amorem beatificum;iſta autem Deum conſequitur non in ſe ipſo, ſed extra ſe ipſum, quatenus participat eius bonitatem, ſeu eſſe,quod habet,quod eſt participatio eſſe ipſius Dei;nã omne participans habet eſſe illius, quod eſt per eſſentiam. Sic etiam creatura intellectualis,quæ ſe auertit à Deo peruersè operando, licèt ſe auertat ab illo,vt à fine ſupernaturali;& à gratia ipſam beatificãte;attamen nequit ſe auertere ab illo, vt à fine naturali dante illi eſſe ; nec ab eius iuſtitia iuſtè puniente, & ordinante culpas ad pœnas;vt v.g.ſi quis intendat lignum calefieri,vt octo,non poteſt hoc facere, niſi coniũgat immediatè lignum igni ; ſic enim lignum fit ignis;cùm nequeat dari calor, vt octo, ſeparatus à forma ignis;eſt enim eius proprietas; at verò ſi intendat lignum calefieri ſolùm,vt quatuor,non eſt neceſſe,quod lignum vniatur igni ſecundùm ſubſtantiam,ſed ſufficit, quod ponatur in debita di-

diſtantia.Ita Deus intendit aliquas creaturas intellectuales fieri Deum in eſſe intelligibili, omne enim intelligens fit res intellecta, ideo neceſſe eſt,quòd illæ conſequantur Deum in ſe ipſo; at verò cùm intendit aliquas creaturas illum nõ participare,niſi in gradu imperfecto,non eſt neceſſe, quòd illæ ipſum conſequantur intrinſecè in ſe ipſo, ſed ſufficit extrinſecè in aliqua illius bonitate.

2 Finis duplex eſt; vt habet *Fund.Doct.in 2.diſt.38.q.1.art.2.§. Poſſet autem*; alius proximus,ſeu intermedius; qui ita eſt finis reſpectu vnius, vt ſit etiam mediũ reſpectu alterius;alius remotus,ſeu vltimus,qui ita eſt finis,vt non poſſit medium.Primus eſt ille,ad quem ſecundùm vnam rationem aliud ordinatur; & ſecundùm aliam ordinatur ad aliud.Alter eſt ille, ad quem omnia ſimpliciter ordinantur;ipſe autem ad nullum ordinatur;vt v.g. ſi quis intendat acquirere nũmos, vt illos largiatur propter amorem Dei; tunc elargitio eleemoſinæ dicitur finis intermedius;amor autem Dei dicitur finis vltimus ſimpliciter;quia non ordinatur ad alium finem:Hoc tamen eſt intelligendum, quòd non ordinatur ſecundùm rectam rationem; nam ſecundùm perverſam intentionem etiam amor Dei poteſt ad aliud ordinari, vt ad vanam gloriam &c.

3 Verùm quia *Vaſq.* negat rationem finis intermedij, ideo priuſquam reſoluamus difficultatem propoſitam,ſtatuenda eſt allata doctrina.

§. 1.

An finis intermedius ſit propriè finis?

4 V*Aſq.*igitur 1.2.*diſp.*4.*c.*2. vult media non poſſe habere rationem finis; quia *finis definitur id, cuius gratia cetera fiunt*; cùm autem finis intermedius fiat gratia alterius,ideo nequit habere rationem finis; vnde remanet ſolum finem vltimum habere rationem finis.

5 Communis tamen ſententia concedit fines intermedios. *Ita Fund.Doct.vbiſ, & diſt.*38.*q.*2.*art.*2; vbi docet, quòd idem ſecundùm diuerſam rationem poteſt eſſe intentum,& electũ; & ideo habere rationem finis, & medij; quia intentio eſt circa finem,& electio circa media. Idẽ tenent *tota noſtra Schola;Thomiſtica, & alij.*

Vnica concl.Verè dantur fines intermedij. Probari ſolet.1.*ex Apoſt.*1.*ad Tim.*1. *Finis præcepti eſt charitas*; ſed charitas non eſt finis vltimus,ſed medius; ergo finis intermedius colligitur *ex Scriptura.*

Si dicatur charitatem eſſe finem vltimum *quo*;quia per illam coniungimur Deo, qui eſt finis vltimus *qui*; & ideo non eſſe finem intermedium,ſed vltimum.

Reſp. charitatem conſummatam eſſe finem vltimum *quo*;non autem charitatem viæ,quæ eſt medium ad conſequendam charitatem patriæ; *Apoſt.*autem loquitur de charitate viæ, quæ habetur ex fide,fides enim non manet in patria; ait nãque: *Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro,& conſcientia bona,& fide non ficta*. Quanuis igitur per charitatem viæ coniungamur Deo in ſpe;attamen eſt medium ad coniungendum nos cum Deo in re; quia cùm eligimus aliquod medium ad aliquem finem, tunc coniungimur cum tali fine in ſpe; in tantùm enim quærimus obtinere aliquem finem;in quantùm illum ſperamus;& tamen tale medium, per quod ſperamus conſequi talem finem, & per quod coniungimur cum fine in ſpe,non eſt ipſe finis;ita à pari.

Prob.2.*ex Beatiſſ. P. Aug. lib.*83. *qq. q.*30; vbi ait:*Quanquam enim omne honeſtum vtile, & omne vtile honeſtum eſſe ſubtiliter defendi queat; tamen quia magis propriè,atque vſitatiùs honeſtũ dicitur,quod propter ſe ipſum eſt expetendum,vtile autem, quod ad aliud aliquid referendum eſt, ſecundùm hanc differentiam nunc loquimur; illud ſanè cuſtodientes,vt honeſtum, & vtile nullo modo ſibi aduerſentur; aduerſari enim hæc ſibi aliquando imperitè, ac vulgariter exiſtimatur.* Quibus verbis imperitam, atque vulgarem opinionem dicentium rationem vtilis,& honeſti, & ideo ratinem finis,& medij non poſſe coniungi. Ex hoc duplex ratio efformatur.

Prima eſt. Honeſtas verè conſtituit rationem finis; & vtilitas rationem medij; ſed honeſtas,& vtilitas poſſunt coniungi in eodem; ergo & ratio finis,& medij,atqui finis intermedius dicit ſimul rationem finis,& medij;ergo datur finis intermedius.Prob.ma.Honeſtum eſt illud, quod propter ſe eſt expetibile; & vtile, quod propter aliud expetitur; in hoc enim diſtinguitur honeſtum ab vtili; ſed illud, quod propter ſe expetitur,habet verã rationẽ finis; & illud,quod expetitur propter aliud, habet verã rationẽ medij;ergo honeſtas verè conſtituit rationem finis;& vtilitas rationem medij. Prob. mi. Obiectum virtutis eſt bonum honeſtum; & tamen eſt vtile ad Deum conſequendum; ergo honeſtum, & vtile poſſunt coniungi in eodem.

Secunda eſt. Quotieſcunque propter aliquod verè eligitur medium,tunc illud habet veram rationem finis; ſed propter finem intermedium verè eligitur medium; ergo finis intermedius habet veram rationem finis.Prob.ma;nam finis conſtituitur eo,quia propter ipſum eligitur medium; & ad ipſum medium ordinatur; in hoc enim diſtinguitur à medio, quod eligitur propter aliud,& ad illud ordinatur. Prob.mi. Acquiſitio nummorum v.g. verè eligitur propter elargitionem eleemoſinæ; & ad illam verè ordinatur; ſed elargitio eleemoſinæ eſt finis intermedius; ergo propter finem intermedium verè eligitur medium.

6 Conf.etiam *ex Phil.*1. *Eth.c.*7; vbi diſtinguit finem in illum,qui nullius gratia appetitur, & eſt finis vltimus; & in illum, qui eſt propter alium finem; ſed hic eſt intermedius; ergo *ex Phil.* datur finis intermedius.

7 Prob. 3. Ita ſe habet medium ordine intẽtionis reſpectu finis, ſicut effectus cauſæ efficientis reſpectu eiuſdem cauſæ efficientis; nam ſicut effectus cauſatur à cauſa efficiente, ita medium cauſatur à cauſa finali ordine intentionis; ſed effectus ita eſt effectus cauſæ efficientis, vt poſſit etiam ſimul eſſe cauſa alterius ab ipſo cauſati; vnus enim homo ita eſt effectus hominis, vt ſit etiam cauſa alterius hominis; ergo medium ita eſt effectus cauſæ finalis ordine intentionis, vt poſſit etiam eſſe cauſa ordine intentionis alterius medij; atqui hic eſt finis intermedius; ergo datur finis intermedius.

8 Conf. 1. Primum ſimpliciter debet correſpondere vltimo ſimpliciter, eique commenſurari; ſed quanuis Deus ſit prima cauſa efficiens ſimpliciter; attamen non ſequitur creaturas non habere veram, & propriam rationem cauſæ efficientis intermediæ; ergo quanuis Deus ſit vltimus finis ſimpliciter; attamen non ſequitur fines intermedios non habere veram, & propriam rationem cauſæ finalis. Ma. patet; quia primum, & vltimum dicuntur ex æquo, & ſe inuicem reſpiciunt; & ſunt æqualiter extrema; & ideo quod dicitur de vno, vt extremum eſt; dici debet etiam de alio, vt eſt extremum. Mi. eſt certa ſecundùm Fidem; habetur enim *Gen.* 1. Deum dediſſe efficientiam creaturis; cùm dixit: *Germinet terra herbam virentem*; *producant aquæ &c*; vt videri poteſt in 2. *Phyſ.*

9 Conf. 2. Quanuis cauſa ſimpliciter prima ſit illa, cui eſſentialiter competit eſſe cauſam, *à qua* ſimpliciter pendet omnis effectus; attamen non tollitur, quin cauſa ſecunda, *à qua* non pendet omnis effectus, ſed tantùm aliquis, ſit vera cauſa efficiens; & quanuis cauſa ſecunda phyſicè moueat in virtute cauſæ primæ, & vt mota à cauſa prima; attamen non ſequitur cauſam ſecũdam non eſſe veram cauſam efficientem; ergo quanuis cauſæ finali ſimpliciter vltimæ competat eſſentialiter eſſe cauſam, *ad quam* ſimpliciter omnia ordinantur; & quanuis finis intermedius intentionaliter moueat in virtute finis vltimi; attamen non tollitur, quin finis intermedius, ad quẽ non ordinantur omnia, ſed tantùm aliqua, ſit vera cauſa finalis.

10 Dices cauſas ſecundas habere virtutem intrinſecam productiuam, & ideo eſſe veras cauſas efficientes; at verò fines intermedios non habere intrinſecè virtutem motiuam intentionalẽ.

Sed contra eſt; & magis ſtabilitur concl. Quanuis cauſæ ſecundæ accipiant virtutem à prima cauſa efficiente, & in virtute illius, ac vt motæ ab illa, phyſicè moueant; attamen dicuntur habere illam virtutem intrinſecam, quia illa virtus eſt in illis intrinſecè recepta; ergo quanuis fines intermedij habeant virtutem motiuam intẽtionalem à fine vltimo, & virtute illius intentionaliter moueant; attamen dicuntur habere virtutem motiuam intrinſecam; aliter non poſſent mouere; ſicut cauſæ efficientes non poſſent agere; ſi non haberent virtutem intrinſecam.

11 Tandẽ ſi ratio finis non conueniret creaturæ, cui nequit ſecundùm rectam rationem conuenire ratio vltimi finis, non eſſent quatuor cauſæ phyſicæ creatæ, quod eſt contra communem Philoſophiam; ergo ratio finis conuenit etiã fini, qui non eſt vltimus ſimpliciter, & ideo eſt intermedius.

12 Obijc. 1. Finis *à Phil. 2. Phyſ.* definitur *id, cuius gratia cetera fiunt; & à Beatiſſ. P. Reth. c. 2. Ad quem cuncta referuntur, cuius cauſa ſunt reliqua omnia, à Græcis telos dicitur.* Sed gratia finis intermedij non fiunt cetera, quia non fit finis vltimus; cùm ipſe fiat gratia finis vltimi, non è contra; ergo finis intermedius non habet veram rationẽ finis. Prob. ma; nam quanuis illa particula *cetera* addita ſit ab *Argyropilo*; nõ enim habetur *in Græco*; vt obſeruat *noſter Luſit. lib. 1. de Fine q. 3. art. 1. §. 2*; attamen conſonat dictis *Phil. 1. Eth. c. 7; & 2. Met*; vbi ait finem eſſe, *quod non eſt alterius gratia, ſed cuius cauſa cetera.* 2. Vtile, vt vtile, nequit appeti gratia ſui; ergo nequit eſſe ratio, cur aliud ametur propter ipſum; nam quod non eſt ſufficiens, vt ametur gratia ſui, & propter ſe, nequit eſſe ratio, cur aliud ametur gratia ſui, & propter ipſum; ſed intermedia habent rationem vtilis, quia ſunt media ad finem vltimũ; ergo nequeunt eſſe ratio, cur appetantur gratia ſui, & cur alia appetantur propter ipſa; & ideo nequeunt habere veram rationem finis. 3. Ideo vtile nequit appeti gratia ſui, quia non eſt bonũ abſolutè, ſed relatè ad bonũ honeſtum, ad quod conducit; ergo illa media, quæ ordinantur ad aliquem finem intermedium, non ordinantur ad ipſum abſolutè, ſed relatè ad finem vltimum; & ideo vtraque ſunt tantùm media, quorum vnũ eſt proximum, & immediatum; alia verò remota, & mediata.

Reſp. ad 1; quòd *ly cetera* intelliguntur ea ſolùm, quę ſunt ſupra finem, & ad illũ ordinãtur; non autem ea, quæ ſunt infra, & poſt finem; ſicut enim diſtinguimus finem in ſimpliciter vltimũ, & in finem ſecundùm quid; ita omnia ordinata ad finem diſtinguũtur in eo; quòd omnia ſimpliciter ordinantur ad finem vltimum ſimpliciter; omnia verò, ſecundùm quæ obtinetur talis finis, ordinantur ad finem ſecundùm quid. Diſt. igitur mi. Gratia finis intermedij non fiunt cetera, quibus aſſequimur talem finem, neg; cetera ſimpliciter, neg. Ad illud 2. *Met.* dicitur *Phil.* loqui de fine vltimo, & probare non dari proceſſum infinitum in finibus, & ideo admittit neceſſariò pluralitatem finium; & conſequenter fines intermedios. Ad 2. reſp. *cum Beatiſſ. P. vbi ſ.* diſt. ant. Vtile, vt vtile, quod non habet, niſi rationem vtilis, nequit appeti gratia ſui, tranſeat; quod habet ſimul rationem vtilis, & honeſti, neg. Ad 3. dicitur eodem modo diſt. ant. Vtile non eſt bonum abſolutè, ſed relatè, quod non eſt ſimul vtile, & honeſtum;

ſtum,cōc; quod eſt ſimul vtile,& honeſtum,neg. Quanuis igitur illud, quod habet præcisè rationem vtilis,nequeat appeti gratia ſui ; attamen falſum eſt de eo,quod ſimul habet rationem vtilis,& honeſti;nam ſecundùm vnam rationem appetitur gratia alterius; & ſecundùm aliam appetitur gratia ſui.

13 Obiic.2. De ratione finis eſt,quòd appetatur propter ſe;ſed finis intermedius non appetitur propter ſe, ſed propter alium finem ; ergo non habet veram rationem finis. 2.Finis propriè loquendo ſignificat id , quod vltimò terminat ; ſed finis intermedius non terminat vltimò, quia vlteriùs ordinatur ad alium finem ; ergo finis intermedius propriè loquendo non eſt terminus. 3.Si finis intermedius haberet propriè rationem finis , ſequeretur Deum habere pro fine creaturam,cùm producit vnam propter aliam; vt cùm fecit omnia , quæ ſunt in Mundo propter hominem , habuiſſet pro fine hominem ; & cùm Verbum Diuinum incarnatum eſt propter noſtram ſalutem,noſtra ſalus fuiſſet finis Dei; ſed hoc eſt falſum ; quia finis Dei eſt ſola bonitas Diuina communicanda creaturis;ergo finis intermedius non habet propriè rationem finis.

Reſp.ad 1.diſt.mi. Finis intermedius non appetitur propter ſe ſimpliciter, ſeu ſecundùm omnem rationem, cōc;ſecundùm quid , idèſt ſecundùm aliquam rationem,neg;& ſic intelligitur ma;nam de ratione finis ſimpliciter eſt,quòd appetatur ſecundùm omnem rationem;& de ratione finis intermedij tantùm ſecundùm aliquam. Ad 2.eodem modo diſt.ma.Finis vltimus ſignificat id,quod vltimò terminat,conc;finis intermedius,neg;ad rationem etenim finis ſufficit, quòd terminet;& ſi terminat vltimò,eſt vltimus;ſi non terminat vltimò, eſt intermedius. Ad 3.neg.ſeq; nam Deus non mouetur niſi à propria bonitate , ideo nequit habere alium finem à propria bonitate ; at verò creatura mouetur à bonitate finis intermedij ad eligenda media ad conſecutionem illius ; atque adeo poteſt habere finem intermedium.

§. 2.

Expeditur Articulus.

14 Finis vltimus alius eſt finis *quo*, ſiue *cuius quo* ; & eſt vltima operatio , vel actualis applicatio,qua coniungimur cum fine vltimo;alius eſt finis *qui*,ſiue *cuius qui* ; & eſt illud obiectum , cui coniungimur mediante vltima operatione; finis antem *quo*, & *finis qui* dicitur *cuius*;quia vtriuſque gratia,& propter vtrũque eliguntur plura media ; *hic* ſolùm loquimur de fine *qui*, ſiue *cuius qui*.

15 Tandem finis alius eſt ſecundùm rectam rationem, qui habet in ſe ipſo verã, & realẽ bonitatem,quæ appetitur,vt talis;alius autem ſecũdùm apparentiam , qui habet in ſe malitiam , & difformitatem ad bonitatem;quia tamen malum, vt malum,appeti non poteſt; quia *nemo intẽdens ad malum operatur*; ideo neceſſe eſt,quòd appareat,vt bonum.*Hic* loquimur de fine primo modo tantùm ; *infra* autem loquemur ſecundo modo.

16 Vnica concl. Deus eſt vltimus finis omnium rerum. *Ita Fund. Doct. in 2.diſt.1.p.2.q.1. art.3;& 4;& diſt.38.q.1.art.2;& 3;& communiter omnes Theologi.*

Prob. 1. *ex Apoc. vlt;* vbi de Deo dicitur: *Ego ſum Alpha,& Omega; primus, & nouiſſimus ; principium,& finis.*Ex quo ſic 1. Deus eſt primũ efficiens omnium rerum ; ergo eſt vltimus finis omnium rerum ; finis enim debet principio correſpondere. 2. Deus agit ad extra communicando omnibus rebus ſuam bonitatem;ergo eſt finis omnium rerum; bonitas enim habetur à fine; cũ *finis,& bonum conuertantur.*

17 Prob.2.*ex Beatiſſ.P.vbiſ.*docente:*Omnia ergo, quæ facta ſunt, in vſum hominis facta ſunt*; & paulò ſuperiùs loquens quoque de homine ait:*Vtitur autem ceteris amantibus ad ſocietatem, irrationabilibus ad eminentiam , vitam etiam ſuã ad id refert,vt fruatur Deo;ita enim beata eſt.* Ex quo ſic arguit *Fund.Doct. diſt.1.cit.art.4.* Quotieſcunque aliqua plura ordinantur ad vnum finem,etianſi vnum illorum ſit propter aliud;tunc ille finis eſt finis illorum plurium ; vt quia potio ordinatur ad ſudorem,& ſudor ad ſanitatem animalis ; ſanitas animalis eſt finis nedum ſudoris , ſed etiam potionis; atqui omnes res ordinantur ad hominem, ſunt enim media à Deo creata , vt eis vteretur homo ad conſecutionem vitæ beatæ, quæ eſt Deus ; & homo ordinatur ad vitam beatam , quæ eſt Deus ; ergo Deus eſt finis vltimus omnium rerum.

18 Prob.*3.ex eod.art.3.* Omne mobile eſt à principio immobili;& eſt ad finem immobilem ; ſed omnis res creata eſt mobilis; ergo eſt à principio immobili,& ad finem immobilem; atqui finis immobilis eſt ſolus Deus;ergo ſolus Deus eſt finis omnium rerum. Prob.ma.Si mobile non eſſet à principio immobili,in mouentibus,& motis per ſe daretur proceſſus in infinitum;& ſic nulla creatura de facto moueretur,nã motus ad illã nõ poſſet peruenire; quia debuiſſet tranſire mouentia infinita à parte ante , infinitum autem nequit tranſiri;& ſi non terminaretur ad finem immobilem,motus nunquam eſſet in termino, quia nunquam eſſet in fine;terminus enim eſt finis motus; & ſic nulla creatura eſſet in actu,& in facto eſſe ; quia ſemper eſſet in motu,qui *eſt actus entis in potentia*;ens autem in potentia actu non eſt;& ſic nulla creatura actu eſſet; ergo omne mobile eſt à principio immobili;& eſt ad finem immobilem. Mi.patet;nam omnis creatura tranſit de non eſſe ad eſſe, & poteſt tranſire de eſſe ad non eſſe; ſed omne tranſiens de non eſſe ad eſſe , & è contra eſt mobile;ergo omnis creatura eſt mobilis.

19 Prob.4.*ab eod.ibid.*Omnis multitudo rectè ordinata, ordinatur ad vnum;vt patet de nu-

me-

meris.ſed omnes res creatæ faciunt vnam multitudinem rectè ordinatam; ergo ordinantur ad vnum; atqui iſte vnus eſt Deus; ergo omnes res ordinantur ad Deum; & ideo Deus eſt finis omnium rerum,finis enim eſt ille,ad quem alia ordinantur.

20 Prob.5.*ab eod.* Omne mouens immobile mouet,vt deſideratum,quia mouens,vt deſideratum,mouet quieſcenter;trahit enim res ad ſe,nõ autem trahitur à rebus; ſicur autem de ratione eius,quod trahitur,eſt moueri;quia ipſa actio eſt motus ſubiectatus in eo,quod trahitur; ita non eſt neceſſe,quod trahens moueatur;ſed mouens, vt deſideratum,mouet,vt finis; ergo mouens immobile mouet, vt finis; atqui Deus eſt mouens immobile omnium rerum; ergo eſt finis omnium rerum.

21 Prob.6.*ab eod.*Ordo omnium rerum,quæ ſunt in Vniuerſo,non eſt à caſu; quia quod eſt à caſu,eſt præter ordinem; vt fusè probat *Beatiſſ. P.lib.de Ord*, implicat autem dicere ordinem eſſe præter ordinem,quia eſſet præter ſe ipſum;ergo eſt ex intentione agentis, à quo productum eſt Vniuerſum;ſed quod eſt ex intentione agentis,eſt propter finẽ; & iſte finis nequit eſſe creatura;quia primum agens nequit conſtituere ſuũ finem vltimum in creatura;hæc enim eſt peruerſa ordinatio, quia eſt frui vtendis; & vti fruendis;vt docet *idem Beatiſ.P.lib.1.de Doctr.Chriſt*; ergo finis vltimus omnium rerũ eſt ſolus Deus.

22 Tandem vltimus finis eſt ille, à quo pẽdet omnis felicitas; quia in fine tantùm quieſcimus, & quies ad felicitatem ſpectat; ſed ſolus Deus eſt ille,à quo pendet omnis felicitas,quia ſolus Deus eſt omnis bonitas; ergo ſolus Deus eſt finis omnium rerum.

23 Obijc. 1. Impoſſibile eſt omnes creaturas poſſe conſeqni Deum; quia impoſſibile eſt creaturas irrationales, & inanimes beatificari; imò impoſſibile eſt creaturas intellectuales conſequi bonitatem Diuinam,quæ eſt infinita;ergo Deus non eſt finis creaturarum; nam appetitus ad finem inconſequibilem eſt omnino fruſtra, & otioſus.

Reſp. diſt. ant. Impoſſibile eſt omnes creaturas poſſe conſequi Deum vniuocè, conc; analogicè,neg,& ideo creaturæ irrationales, & inanimes conſequuntur bonitatem Dei extrinſecè illis participata;vt *ſup.*dictum eſt; creaturæ verò intellectuales conſequuntur Deum in ſe ipſo in eſſe intelligibili inæqualiter, ſcilicet non in eodẽ gradu infinitatis,quo eſt in ſe ipſo; ſicut enim Deus non eſt cauſa efficiens vniuoca creaturarum,quia eis non participat totam ſuam naturã; ſed analogica,quia illis participat aliqualiter ſuũ eſſe;ita dicendum de fine, qui eſt tantùm analogicè,non vniuocè finis.

24 Obijc. 3. In cauſis finalibus datur proceſſus in infinitum;ergo non datur vltimus finis, & ideo Deus non eſt finis creaturarum. Prob. ant. Res ita ordinantur,vt inferior reducatur in ſuperiorem;ſed ſunt poſſibiles infinitæ creaturæ poſſibiles perfectiores in infinitum; ergo ſunt poſſibiles infiniti fines, & ideo datur infinitus proceſſus in eis.

Reſp.neg.ant.Ad prob.diſt.ma. Res ita ordinantur, vt inferiores reducantũr in ſuperiores ſuperioritate ordinis,& hierarchiæ,conc;ſed in hoc ſenſu neg.mi;vt diximus *q. 5. de Ang. art.5.* §.1; ſuperioritate ſpecici, neg.

25 Obijc.5. Diuerſæ naturæ tendunt in diuerſos fines,quia habent diuerſas inclinationes; ergo nequit aſſignari finis omnium rerum, quæ habent naturas adeo diuerſas.

Reſp. diſt. ant. In diuerſos fines intermedios,conc;vltimum,neg;nam finis vltimus, cùm ſit omnis finis, quia eſt omnis naturæ natura, ideo poteſt terminare omnes inclinationes, quantumuis diuerſas.

ART. II.

An homo velit omnia propter finem vltimum?

1 SEnſus difficultatis eſt,an quotieſcunque homo vult aliquem finem, ſemper intendat aliquem finem vltimum ſiue ſecundùm rectam rationem,qui eſt Deus; ſiue ſecundùm peruerſam ordinationem, ſecundùm quam peccando ſibi figit finem vltimum in creatura. Sed magis difficultas eſt circa modum, quo intendit finem vltimum, quàm circa rem propoſitam. Antequam tamen deueniamus ad ſolutionem, ſeu explicationem, decidendum eſt breuiter quoddam dubium philoſophicum;an ſcilicet omnes actiones humanæ ſint effectus finis, ſeu propter finem?

§. 1.

An omnes actiones hominis ſint effectus finis?

2 ACtiones voluntatis aliæ dicuntur *actiones hominis*,quæ licet ſint propriæ ipſius hominis, habent tamen modum cõmunem cum actionibus brutorum,quia non ſunt liberæ, vt motus primò primi, qui non fiunt ex deliberatione voluntatis, nec ſunt ſub dominio illius; ſiue ſint actus eliciti ab ipſa voluntate, vt intentio,electio &c;ſiue ſint imperati ab ipſa voluntate, & eliciti ab alia potentia ſubdita imperio voluntatis,vt riſus,curſus &c. Aliæ dicuntur *actiones humanæ*, quæ fiunt cum plena libertate voluntatis, ſiue ſint elicitæ ab illa, ſiue tantùm imperatæ,non elicitæ;& vocantur *humanæ*, quia ſunt dignæ laude,vel vituperio.De his omnibus inquirimus;& vt certa ab incertis ſeparemus.

3 Certum eſt. 1. omnes actiones, quæ verſantur circa media conducentia ad aliquem finem,eſſe effectus illius finis; & eſſe propter illũ finem;in tantùm enim voluntas eligit, & ordinat illa media, & illis vtitur; in quantùm intendit ipſum finem conſequi; & ideo ſunt effectus finis in intentione, & ordinantur ad finem in executione.Et hoc verificatur tam de actionibus elicitis;

tis,quàm de imperatis; quia etiam imperatæ fiũt ex imperio voluntatis intendentis conſecutionem finis,& ad illum ordinantur.

4 Certum eſt 2.actiones indeliberatas, quæ non intenduntur à voluntate, nec conducunt ad finem,non eſſe effectus finis; quia finis reſidet in voluntate,quam mouet; vnde ſi illæ actiones nõ ſint à voluntate, non ſunt effectus finis;& illud, quod eſt effectus finis,conducit ad finem.

5 Dubium ergo eſt de actionibus, quibus voluntas fertur in finem, non quibus fertur in media. Iſtæ autem actiones vel ſunt circa finem nondum acquiſitum,vt ſimplex volitio,& intentio;vel ſunt circa ipſam acquiſitionẽ finis;vt viſio beata,& amor beatificus;vel ſunt poſt acquiſitionem finis,vt delectatio,fruitio, gaudium &c.

6 Prima ſententia vult ſolas illas actiones, quæ ſunt circa media eſſe effectus finis, & eſſe propter finem. *Ita Vaſq. hic diſp. 3. c. 2; & Lorca pariter diſp. 3.*

7 Secunda ſententia vult actus conſequentes ad acquiſitionem finis, vt delectationem, & fruitionem,non eſſe effectus finis. *Ita Martinez, & Ildephon. apud Gonet hic diſp. 1. art. 2. §. 2. Dico tertio; & ipſe Gonet*,qui *§. 3. in fine* addit neque illas actiones, quæ verſantur circa ipſam actualẽ conſecutionem finis,eſſe effectus finis,neque eſſe propter finem.

8 Noſtra tandem ſententia docet nõ ſolùm actiones liberas,quæ ſunt circa media, ſed etiam actiones, quæ ſunt circa finem obtinendum, vel obtẽtum,eſſe effectus finis,& eſſe propter finem. *Ita Fund. Doct. diſt. 36. q. 2. dub. 3. lit. 4; & 5; & quamplures ex noſtris,ac ex Thomiſtis*,quibus adduntur *Sua; & alij*.

9 Not. *ex Fund. Doct. vbi ſ. dub. 3.* finem duplicem eſſe,ſcilicet finem actus,& finem obiecti. Finis actus eſt ille,qui terminat per ſe ipſum immediatè ipſum actum; vt cùm quis intendit aliquod obiectum bonum; ipſum obiectum dicitur finis ipſius intentionis. Finis obiecti eſt ille, qui terminat actum terminatum ad aliud obiectum, quod eligitur ratione ipſius finis;vt cùm quis eligit dare eleemoſynam,vt gloriam acquirat; gloria nedum eſt finis intentionis acquiſitionis ſui, ſed etiam eſt finis eleemoſynæ,quæ eſt obiectum actus electionis. Iſti autem duo fines ita ſe habẽt. Obiectum bonum apprehenſum ab intellectu,& propoſitum, ac oſtẽſum voluntati generat in voluntate actum intentionis,vt qualitas eſt,per quẽ actum redditur ponderoſa voluntas, vt inclinet in illud bonum,& ſe moueat in illud; vnde obiectum duo munera exercet. Primum eſt cauſare in voluntate actum,vt qualitas eſt;& in hoc ſenſu agit,vt cauſa efficiens,non vt cauſa finalis,nam qualitas vera, & realis non producitur, niſi per actionem veram, & phyſicam cauſæ efficientis; cauſa autem finalis agit ſolùm intentionaliter mouendo. Secundum eſt per illam qualitatem mouere voluntatem ad tendendum,ſeu volendũ illud obiectum;& in hoc ſenſu agit,vt cauſa finalis. Quapropter licèt omnia obiecta cauſent in potentijs immanenter agentibus actus vitales, vt ſunt qualitates; vt diximus *in 1. Sent. to. 2. de Scient. Dei q. 4. art. 1. §. 3*; attamen ſi non moueãt voluntatem ad tendendum in illa, non habent rationem cauſæ finalis. Hæc doctrina expreſſiùs traditur *in 2. Phyſ.* iuxta ſententiam *Fund. Doct. Hoc not.*

10 Vnica concl. Non ſolùm actiones, quæ ſunt circa media, ſed etiam actiones, quæ ſunt circa finem obtinendum,vel obtentum,ſunt effectus finis,& propter finem.

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. in pſ. 54.* docente: *Quoniam quidquid agimus, ad illum referimus; & cũ ad eum peruenerimus, vltra quod quæramus, non habemus.* Ex quo ſic. Omnia illa,quæ referuntur in finem,ſunt effectus finis,& ſunt propter finem; ſed omnes actiones ſiue circa media, ſiue circa finem obtinendum,vel obtentum referuntur in finem;ergo ſunt effectus finis,& propter finem. Ma. patet;nam effectus cuiuslibet cauſæ eſt ille, qui ad illam refertur; datur enim relatio inter cauſam,& effectum, vnde effectus patris eſt filius, qui ad illum refertur; ergo omnia illa,quæ referuntur in finem,ſunt effectus finis. Prob. mi. Omne ordinatum ad aliquod refertur ad illud; ſicut enim relatio eſt ordo, ita ordinari eſt referri;ſed omnis actio ſiue circa finem,ſiue circa media ordinatur ad finem;quia omnis actio eſt via ad terminum;via autem ordinatur ad ipſum terminum; ergo omnis actio ſiue circa media,ſiue circa finẽ refertur ad finem.

11 Prob. 2. *ex eod. lib. 83. qq. q. 24*; vbi ait: *Quidquid caſu fit,temerè fit, quidquid temerè fit, non fit prouidẽtia; ſi ergo caſu aliqua fiunt in Mũdo,non prouidentia vniuerſus Mundus adminiſtratur. Quòd ſi non prouidentia vniuerſus Mundus adminiſtratur, eſt ergo aliqua natura, atque ſubſtantia, quæ ad opus prouidentiæ non pertinet.* Ex quo ſic. Illud ſolùm,quod caſualiter,& temerè fit, quia fit præter intentionem agentis, non eſt effectus finis;ſed nulla actio erga finem fit caſualiter, temerè, & præter intentionem agentis; hoc enim repugnat in terminis; nam fieri caſualiter,temerè, & præter intentionem agentis eſt fieri præter finem; fieri autem præter finem, & fieri erga finem ſunt contradictoria; ergo omnis actio, quæ eſt erga finem ſiue mediatè, ſiue immediatè,eſt effectus finis. Ma. conſtat;nam quod fit ex intentione finis,eſt effectus finis;finis enim eſt cauſa intentionaliter agens; & ideo omne, quod fit ex intentione,fit ex fine; & cùm ſolùm illud,quod fit caſualiter, fiat præter intentionẽ; ideo ſolùm caſuale non eſt effectus finis. Prob; ſeu explic. ampliùs mi. Implicat in terminis dicere, quòd intentio finis fit præter intentionem finis;quia implicat in terminis dicere, quòd idem fit præter ſe ipſum; ergo implicat in terminis dicere,quòd intentio finis,& omnia illa, quæ fiunt

ex intentione finis, ſint præter intentionem finis, atque adeo, quòd ſit caſualiter, & temerè; hoc enim eſt eſſe præter intentionem; atqui omnes actiones, quæ immediatè ſunt circa finem, vel sũt ipſa intentio finis, vel ſunt effectus intentionis; vt acquiſitio finis, fruitio, delectatio, & cetera huiuſmodi; hæc enim omnia intenduntur ab agente propter finem; & principaliter intenduntur, cùm propter iſta eligat media; *& propter quod vnunquodque tale, & illud magis*; ergo ſunt effectus finis.

12 Conf. 1. Quod cadit ſub prouidentia, eſt effectus finis; nam illud cadit ſub prouidentia, quod eſt ordinatum ad finem; prouidentia enim eſt *ratio ordinandorum in finem*, & quod eſt ordinatum ad finem, eſt effectus finis; ſicut quod eſt ordinatum ad cauſam efficientem, eſt effectus cauſæ efficientis; ſed omnis actio erga finem cadit ſub prouidentia; eſt enim ordinata ad finem, quia per illam voluntas conſequitur finem; ergo omnis actio erga finem eſt effectus finis.

13 Conf. 2. Eadem ratione, qua intentio, conſecutio, fruitio, & delectatio finis non eſſet effectus finis intenti à creatura, non eſſet pariter effectus finis intenti à Deo, eadem enim eſt ratio reſpectu Dei, & creaturæ, vt patet conſideranti; ſed implicat dicere, quòd detur aliqua actio Dei, quæ non ſit effectus finis intenti à Deo; quia illa actio non eſſet ordinata ad finem; & ideo non ſpectaret ad Diuinam prouidentiam; nihil autem poteſt eſſe, quod non pertineat ad Diuinam prouidentiam; ſicut nihil eſſe poteſt, quod non ſpectet ad Diuinam potentiam; ita enim repugnat eſſe aliquod non ordinatum à Deo; ſicut repugnat aliquod ab ipſo non cauſatum; ergo omnis actio circa finem eſt effectus finis.

14 Prob. 3. *ex doctr. Fund. Doct.* Omnis actus immanens, qui eſt circa finem, cauſatur à fine in ipſa potentia immanenter agente; prout finis per illam entitatem, vt qualitas eſt, cauſatam in genere cauſæ efficientis in voluntate mouet ipſam voluntatem ad tendendum in ipſum finem; ſed intentio, acquiſitio, quæ fit per actum charitatis perfectę, fruitio, delectatio, & gaudium ſunt actus circa finem, vt patet; ergo ſunt effectus ipſius finis.

15 Prob. 4. Omne illud, quo conſequimur finem in executione, eſt effectus finis in intentione; quia prius eſt cauſa poſterioris; & poſterius eſt effectus prioris; illud autem, quod eſt in executione, eſt poſterius eo, quod eſt in intentione; ſed mediante intentione conſequimur finem; aliter ipſum conſequeremur præter intentionẽ, & ideo caſualiter; & ſic mediante acquiſitione actuali, fruitione, delectatione, & gaudio conſequimur finẽ, quia illi vnimur, vt finis eſt, vt fruibilis, vt delectabilis &c; ergo ſunt effectus ipſius finis.

16 Obijc. 1. *Vaſq.* Si intentio, qua voluntas mouetur in finem, eſſet effectus finis, ſequeretur, quòd etiam bruta agerent propter finem; quia etiam bruta mouentur, alliciuntur, & trahuntur à ſuis obiectis; ſed conſ. eſt falſum; quia agere propter finem ſupponit cognitionem finis, qua carent bruta; ergo & ant. 2. Ad hoc, vt aliquid ſit effectus finis, debet præintendi; aliter non eſſet gratia ipſius finis; id enim dicitur fieri gratia alterius, quod ſupponit intentionem illius, in cuius gratiam fit ipſe effectus; ſed ipſa intentio finis nõ poteſt præintendi; quia intẽtio eſt primus actus, & ideo non habet alium actum priorem ſe ipſa; ergo intentio non eſt effectus finis, ſed tantùm alij actus ſequentes ad intentionem.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct. in 2. diſt. 1. p. 2. art. 1. ad* 3. diſt. ſeq. Etiam bruta agerent propter finem cognitum per cognitionem exiſtentem in ipſis brutis, neg; cognitum per cognitionem exiſtentẽ in Auctore naturæ, vel in Intelligentia aſſiſtente, neg. Et ſic ad mi. Agere propter finem ſupponit cognitionem exiſtentem in ipſo agente, vel in alio, conc; in ipſo tantùm, neg. Hoc ergo eſt diſcrimen inter homines, & bruta; quòd homines agunt propter finem cognitum ab ipſis; bruta autem propter finem cognitum ab alijs; & ideo non intendunt finem eodem modo; reſpectu autem actus electiui differunt, quòd homines verè eligunt media, quia libero arbitrio præditi ſunt; bruta verò non eligunt, quia libero carent arbitrio; attamen reſpectu actuum, qui non ſunt liberi, differunt tantùm eo modo, quo dictum eſt. Ad 2. neg. ma. vniuerſaliter; licèt enim valeat de effectibus finis, qui ſunt circa media, electio namque ſupponit intentionem; attamen non valet generaliter de omnibus effectibus finis; ad hoc enim, vt aliquod ſit effectus finis, ſufficit, quòd ordinetur ad finem, vt dictũ eſt; & ad hoc, vt ordinetur ad finem, non requiritur, quòd per alium actum priorem intendatur finis, ipſa enim intentio ordinatur ad finem; aliter abiretur in infinitum.

17 Inſt. Fieri propter finem eſt fieri ex amore finis; ſed prima volitio non fit ex amore finis; quia prima volitio eſt primus amor finis, & primus amor non fit ex amore, aliter non eſſet primus amor; ergo prima volitio non eſt propter finem. 2. Ita ſe habet finis in practicis; ſicut principium in ſpeculatiuis; & ideo ita ſe habet amor finis, ſicut aſſenſus principiorum; ſed aſſenſus principiorum non eſt ex alio aſſenſu; ergo nec volitio finis eſt ex alia volitione.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Fieri propter finem electiuè, conc; intentiuè, neg; quanuis enim electio mediorum ſit ex amore finis, attamen intentio finis non eſt ex amore finis, ſed ſufficit, quòd ſit amor finis, vnde ma. vniuerſaliter eſt falſa. Ad 2. retorq. arg. Ita ſe habet finis in practicis, ſicut principium in ſpeculatiuis; ſed aſſenſus principij in ſpeculatiuis non eſt ex aſſenſu principij, ſolus enim aſſenſus concluſionis eſt ex aſſenſu principiorum; ergo volitio finis non eſt ex amore finis;

ſed

ſed ſola electio mediorum eſt ex intẽtione finis.

18 Obijc. 2. Finis non cauſat, niſi quatenus eſt in intentione; ergo ipſa intentio conſtituit finem in ratione cauſæ; & ideo non eſt effectus finis. 2. Effectus finis eſt medius inter finem in intentione, & finem in executione; ergo finis eſt cauſa tantùm mediorum; atqui intentio non eſt medium; ergo non eſt effectus finis.

Reſp. ad 1; quòd intentio dupliciter ſumitur. 1. Prout eſt actus intellectus, qui idem eſt, ac apprehenſio. 2. Prout eſt actus voluntatis tendentis in finem. Diſtinguitur igitur ant. Finis nõ cauſat, niſi in intentione, idẽſt in apprehenſione, conc; finis enim, vt apprehenſus ab intellectu, mouet voluntatem ad tendendum in ipſum; & ideo eſt cauſa intentionis, quæ eſt actus voluntatis. Non cauſat, niſi in intentione, idẽſt in ipſo actu, quo voluntas tendit in finem, neg. Ad 2. diſt. ant. eodem modo; effectus finis eſt medius inter finem in intentione, idẽſt in apprehenſione, & finem in executione, conc; inter finem in executione, idẽſt in actu voluntatis tendentis in finem, neg. Ad mi. ſubſump. diſt. Intentio non eſt mediũ *quod*, conc; nam circa medium *quod* datur electio, quæ non datur circa intentionem. Non eſt medium *quo* voluntas conſequitur finem, neg.

19 Obijc. 3. *Gonet.* Effectus finis nequit eſſe poſterior conſecutione finis; quia effectus finis eſt propter finem; & illud, quod eſt propter aliud, nequit eſſe poſterior illo; ſed quies, fruitio, delectatio, & gaudium ſupponunt conſecutionẽ Dei in ratione boni; ergo nequeunt eſſe effectus finis. Tum quia illud, quod eſt vltimum, habet potiùs rationem finis, quàm illud, quod non eſt vltimum; ſed fruitio, delectatio, & gaudium ſunt quid vltimum; nam conſecutio ſummi boni ordinatur ad fruitionem, delectationem, & gaudiũ; non è contra; ergo potiùs habent rationem finis, quàm effectus finis. 2. Cauſalitas finis conſiſtit in hoc, quòd moueat, & determinet voluntatem ad ſui amorem; ſed Deus, vt clarè viſus, non mouet, neque determinat voluntatem ad amorem beatificum; quia voluntas non eſt indifferens, ſed omnino determinata, & neceſſitata ad talem amorem; ergo actualis conſecutio Dei per amorem beatificum non eſt effectus finis.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Effectus finis nequit eſſe poſterior conſecutione finis adæquatè conſiderati ſecundùm omnem rationem formalem in illo exiſtentem, cõc; ſed in hoc ſenſu neg. mi; nam quanuis delectatio ſupponat conſecutionem finis in ratione ſummi boni; non tamen illam ſupponit in ratione ſummè delectabilis; & ſic nec fruitio in ratione ſummè fruibilis; ſi tamen hæc duo diſtinguantur, de quo *inf*; & gaudium in ratione ſummè gaudibilis; Deus enim, qui eſt vltimus finis, habet in ſe ipſo omnes iſtas rationes; & ideo eſt conſequibilis per actus ab iſtis ſpecificatos. Inadæquatè conſiderati tantùm ſecundũ aliquam rationem, neg; & in hoc ſenſu conc. mi. Ad aliud diſt. mi. eodem modo; fruitio, & delectatio ſunt quid vltimum reſpectu conſecutionis ipſius Dei in ratione ſummi boni, conc; in ratione ſummi delectabilis, neg. Ad 2. neg. mi; nam voluntas præciſo actu amoris non eſt determinata formaliter; quia non determinatur, niſi per actum; *actus* enim *eſt, qui determinat*, imò eſt ipſa determinatio, & ideo non eſt neceſſitata, neceſſitatur autem ab ipſo actu intrinſecè illam perficiente, & ſatiante totam eius capacitatem, quia eſt circa obiectum habens omnem rationem boni, & nullam rationẽ mali; vnde ſicuti (ait *Fund. Doct. in 2. diſt. 7. q. 1. art. 1. §. Tertia via*) materia nullam habens annexam contrarietatem nequit ſpoliari illa forma, quam habet; quia per illam perfectè ſatiatur, & ſicut principium nullam habens annexam rationem falſitatis cogit intellectum ad illi aſſentiendum, ita bonum nullam habens annexam rationem mali neceſſitat voluntatem ad illud amandum. Sed ipſe actus producitur in voluntate ab ipſo Deo, vt à cauſa efficiente; & poſtea ipſe Deus, vt cauſa finalis, mouet voluntatem ſic actuatam ad tendendum in ſe ipſũ; & ſic dicitur trahere voluntatem ad ſe, quæ tractio eſt cauſalitas, ſeu effectus ipſius finis vltimi; vt *ſup.* dictum eſt de fine in communi.

§. 2.

Diſcutitur Articulus.

1 PRæter allatas diuiſiones finis adhuc diuiditur finis vltimus in finem vltimum in vniuerſum; & eſt bonum in vniuerſum non deſcendendo ad aliquam rationem particularem boni; appetunt enim homines naturaliter eſſe beatos, & carere omni miſeria; non tamen ſuam felicitatem quærunt in aliquo bono particulari, ſed in bono communiter accepto; & diuiditur in finem vltimũ in particulari; & eſt bonum, prout reperitur in aliqua re particulari, v.g. in fruitione Dei, in determinato bono animæ, vel corporis. Quæritur in pręſenti, an omnia, quæ vult homo, velit propter vltimum finem, vel in particulari, vel in communi, ſeu in vniuerſum acceptum?

2 Velle autem aliquid propter finem vltimum quadrupliciter eſſe poteſt. 1. Actualiter expreſsè; quando actu formali explicito voluntas intendit vltimum finem. 2. Virtualiter implicitè; quando præceſſit aliquis actus formalis explicitus, qui dicitur virtualiter remanere in alijs actibus ſucceſſiuis in virtute illius elicitis; & hic dicitur virtualis ex parte operantis. 3. Interpretatiuè; quando voluntas fertur circa aliquod bonum, quod ex ſua natura ordinatur ad vltimum finem; vt cùm quis dat eleemoſynam ex miſericordia; talis actus ex ſua natura ordinatur in Deum; quia illius obiectum ad Deum refertur; & hic actus vocatur etiam virtualis ex parte operis. 4. Habitualiter; quando natura eſt naturaliter inſtituta, vt poſsit tendere in ſuum vltimum finem.

3 Certum eſt. 1; quòd homo non vult omnia propter vltimum finem in vniuerſum actualiter explicitè volitum;conſtat enim experientia, quā vnuſquiſque in ſe ipſo poteſt habere ; quòd aliquando voluntas vult aliquod nihil cogitando actualiter de vltimo fine in vniuerſum;quanuis appetendo aliquem finem in particulari, & vlteriùs non procedendo dicatur ille finis eſſe vltimus voluntatis illius.

4 Certum eſt 2. hominem naturaliter habitualiter velle vltimum finem; quia habet naturalem inclinationem ad ſuam felicitatem. Difficultas ergo reducitur ad amorem virtualem ex parte operantis,& interpretatiuum, ſeu virtualem ex parte obiecti. Imò exceptis *quibuſdam Nominalibus* aſſerentibus poſſe voluntatem appetere malum,vt malum, omnes alij concedunt hominē velle in omni ſua actione voluntaria implicitè,& interpretatiuè vltimum finem, ſeu beatitudinem in communi,quia illud, quod vult, appetitur ab ipſo ſub ratione formali boni,*vt ſic*; quāuis enim illud,quod appetitur,ſit tale bonū in particulari; attamen ratio formalis illud appetendi eſt ratio boni,*vt ſic*;ſicur licèt id, quod videtur ab oculo, ſit tale viſibile in particulari ; attamen ratio formalis videndi eſt color,*vt ſic*; ſed bonum, *vt ſic*, eſt finis,ſeu beatitudo in vniuerſum;ergo voluntas appetens aliquid vult implicitè, & interpretatiuè finem vltimum in vniuerſum , nam implicitè imbibitur in ratione boni particularis, vt dictum eſt . Igitur difficultas eſt ſolùm de amore virtuali ex parte operantis , an ſcilicet volitio, qua homo vult aliquod,ſupponat præceſſiſſe aliquem actum explicitum, quo voluit beatitudinē in vniuerſum.

5 Prima ſententia vult omnem volitionem hominis ſupponere præcedentem amorem finis vltimi,ſeu beatitudinis in vniuerſum,& ideo omnia,quæ vult homo, velle propter vltimum finē. *Ita Dur.in 2.diſt.38.q.4; Capr.in 1.diſt.2.q.3.ar.1;Conrad.1.2.q.1.art.6;Caiet.ibid;Gonet hìc diſp.1.art.7.§.1.concl.2;& alij ex Thomiſtis.*

6 Secunda ſententia vult non omnia , quæ vult homo,velle propter vltimū finem. *Cit. Scot*; quanuis *à multis* explicetur nihil aliud velle , quàm quòd homo non ſemper intendit vltimum finem actu diſtincto ab illa volitione , qua vult bonum particulare, vnde in hoc ſenſu ſentit nobiſcum,*vt inf.*

7 Tertia ſententia docet hominem velle omnia propter vltimum finem abſque eo, quòd ſupponat aliquem actum præcedentem elicitum à voluntate circa vltimum finem in vniuerſum. Deducitur *ex Fund.Doct.in 2.diſt.38.q.2.art.3.§.Reſpondeo*; vbi docet ; *quòd quoties poteſt conſiderari, prout vnum eſt ratio alterius ; ſic eſt vnus motus,& vnus actus in vtrunque* ; & dat exemplum de luce,quæ eſt ratio videndi colorem ; & de ambulatione propter digeſtionem;vt *inf.* Hāc eandem ſententiam tenent ferè *omnes noſtri ; inter quos Luſit,& Gibb;& ex exteris Curiel,Lorca, Sua;Vaſq;& alij .*

8 Vnica concl. Omnia,quæ vult homo,vult propter vltimum finem in vniuerſum vnico, & eodem actu ſimpliciſſimo.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P. lib.13.de Trin.c.5*; vbi fusè hanc materiam pertractat , docente : *Quapropter quoniam verum eſt , quòd omnes homines eſſe beati velint , idque vnum ardentiſſimo amore appetant, & propter hoc cetera , quæcunque appetunt*: Ex quo ſic arguit *Fund. Doct.* Quotieſcunque aliqua potentia tendit in aliquod obiectum ſpeciale per rationem genericam,tunc per vnum ſimpliciſſimum actum tendit in rationem genericam,& ſpecificam;ſed voluntas tendit in quodlibet bonum ſpecificū per rationem boni , *vt ſic*, quod eſt vltimus finis in vniuerſum;ergo voluntas per vnum ſimpliciſſimum actum tendit in vltimum finem in vniuerſum,& in tale bonum ſpecificū,& ideo omnia,quæ vult homo, vult propter vltimum finem in vniuerſum vnico,& eodem actu ſimpliciſſimo.Prob.ma.Potentia intellectiua vnico actu cognoſcit tale verum per verum , *vt ſic*, quod imbibitur in tali vero, & quod ſpecificat ipſum intellectum; ſic oculus per rationem coloris,*vt ſic*, videns talem colorem habet tantū vnam viſionem, qua videt vtrunque; ſicut vidēs hominem per ſpeculum videt per vnicum actū viſionis, ſic potentia creatiua producens tale eſſe per rationem genericam entis non habet duas actiones, per quarum vnam priùs producat ens , *vt ſic*; & per aliam deinde producat tale eſſe ; ſic cognoſcens effectum per cauſam non habet, niſi vnicam cognitionem;ergo potentia tendens in aliquod obiectum ſpeciale per rationem genericam per vnum ſimpliciſſimum actum tendit in vtrunque. Prob.mi.Voluntas non tendit in obiecta ſpecialia,niſi per rationem boni , *vt ſic* , quæ eſt ratio adæquatè ſpecificans voluntatem; aliter non tenderet per ſuum ſpecificatiuum ; & ideo tenderet extra ſuam ſpeciem, ac extra ſe ipſam ; tum quia ita ſe habet voluntas;ſicut intellectus, & ceteræ potentiæ;ergo voluntas tēdit in quodlibet bonum ſpecificū per rationem boni, *vt ſic*; & ideo per vltimum finem in vniuerſum .

9 Prob.2.*ex eod.Beatiſſ.P. lib. de Epicureis , & Stoicis c.3.*docente:*Pone aliquem furem,quæro ab illo;quare furtum facit?Vt habeam,inquit,quod non habebam . Quare vis habere,quod non habebas? Quia miſerum eſt non habere . Si ergo miſerū eſt non habere, beatum putat habere ; ſed in eo imprudens eſt,& errat;quia de malo vult beatus fieri.Et in pſ.127.conc.1.Beatum eſſe tam magnum eſt bonum, vt hoc & boni velint, & mali. Nec mirum,quòd boni propterea ſint boni;ſed illud eſt mirum, quòd etiam mali propterea ſunt mali , vt ſint beati:nam quiſquis libidinibus deditus , vt luxuria,ſtupriſque corrumpitur,in hoc malo beatitudinem quærit.*Ex quibus ſic.Amor beatitudinis,ſeu vltimi finis in vniuerſum, propter quem amatur

tale

ſale bonum ſpeciale,eſt circa ipſum bonum ſpeciale; quia amor beatitudinis, quem habet fur, eſt circa ipſum furtum, ſiue circa rem, quam furatur; & amor beatitudinis, quem habet libidinoſus,propter quem fornicatur,eſt circa ipſum obiectum fornicationis;quia fur vult eſſe beatus de ipſo furto;& libidinoſus de ipſa re venerea; ſed circa illud obiectum ſpeciale, quod homo vult,non habet duos actus diſtinctos,vnum præcedentem,& alterum poſteriorem;quia vnum, & idem obiectum poteſt amari vnico,& eodem actu; ergo amor beatitudinis in vniuerſum, & amor talis boni, in quo exiſtit ratio boni, *vt ſic*, quod eſt beatitudo in vniuerſum, non ſunt duo actus,ſed vnus,& idem ſimpliciſſimus actus.

10 Conf. In hoc diſtinguitur intellectus à voluntate; quòd cùm intellectus trahat res ad ſe;ideo poteſt intelligere res vniuerſales abſtractas à conditionibus indiuiduantibus, cum quibus res non poſſunt recipi in intellectu, quia ſũt materiales; at verò voluntas, cùm trahatur à rebus, non poteſt tendere in res vniuerſales abſtractas à conditionibus indiuiduantibus; quia res vniuerſales abſtractæ à conditionibus indiuiduantibus non dantur,nec dari poſſunt à parte rei;ergo voluntas nequit amare finem vltimum, *vt ſic*,niſi in aliquo bono particulari; & per conſequens actus, quo vult finem vltimum in vniuerſum,non ſupponitur ad actum, quo vult aliquod bonum particulare,ſed eſt vnus, & idem actus cum illo.

11 Dices.Voluntas mouetur à rebus,prout ſunt in intellectu; ſed in intellectu res ſunt vniuerſales; ergo mouetur à rebus, prout ſunt vniuerſales; atqui non tendit in res,niſi prout ab illis mouetur; ergo non tendit,niſi in res vniuerſales.

Reſp; quòd licèt voluntas moueatur à rebus,prout ſunt in intellectu, attamen quia non tendit in res, prout conſequibiles in eſſe intellectuali, ſed in eſſe reali à parte rei; ideo voluntas non tendit in res vniuerſales, ſed particulares. Vel dicitur, quòd quamuis res, prout ſunt in intellectu hominis præcisè, ſint vniuerſales; attamen mouent voluntatem, prout reſpiciunt phãtaſmata exiſtentia in memoria ſenſitiua, vel in alijs ſenſibus;in quibus quia exiſtunt cum conditionibus indiuiduantibus;ideo mouent etiam ſecundùm gradus particulares.

12 Prob.3.Poteſt intellectus repræſentare voluntati aliquod bonum ſpeciale, abſque eo, quòd præcedenter ei repræſentet bonum, *vt ſic*; v.g. poteſt repræſentare bonitatem eleemoſynæ faciendæ huic pauperi nunc occurrenti;ergo poteſt voluntas tendere in bonum ſpeciale abſque eo,quòd præcedenter tendat in bonum, *vt ſic*;& ideo non eſt neceſſarius amor vltimi finis in vniuerſum præcedens amorem ſpecialem talis rei in ſpeciali.Prob.ant.Poteſt intellectus apprehendere aliquod verum ſpeciale abſque eo, quòd neceſſitetur ad apprehendendum verum, *vt ſic*, per cognitionem præcedentem diſtinctam; ergo poteſt illud repræſentare voluntati ſub ratione ſpeciali talis bonitatis, quæ annectitur tali veritati ſpeciali; nam eodem modo,quo apprehendit,repræſentat.Prob.conſ.Ad hoc,vt voluntas tendat in aliquod bonum, ſufficit, quòd illud ei repræſentetur ab intellectu; ergo ſi poteſt intellectus repræſentare aliquod bonum ſpeciale abſque eo, quòd repræſentet priùs per diſtinctam repræſentationem bonum, *vt ſic*, poterit voluntas in illud tendere abſque eo, quòd tendat in bonum, *vt ſic*, tendit enim eo modo,quo ſibi repræſentatur ab intellectu.

13 Obijc. 1.Si homo non poſſet tendere in aliquod bonum particulare,niſi tendendo in bonum vniuerſale, quia particulare eſt pars boni vniuerſalis,ſequeretur,quòd homo peccans tenderet in Deum ſaltem interpretatiuè, & propter illum operaretur; ſed conſ.eſt falſum; quia peccans auertitur à Deo;ergo & ant. Prob.ſeq. Bonum particulare eſt participatio bonitatis Dei; ergo eadem ratione tenderet in Deum.2.Sequeretur nullum eſſe verbum otioſum;quia verbum otioſum eſt illud,quod caret fine;ſed hoc pariter falſum eſt communiter;ergo & ant. 3. Voluntas eſt libera circa finem in communi; ergo poteſt in illum non tendere.

Reſp.ad 1;quòd licèt *aliqui* propter auctoritatem *Beatiſſ.P.lib.2.Conf.c.6.* docentis: *Superbia celſitudinem imitatur, cùm tu ſis vnus ſuper omnia excelſus; & ambitio quid,niſi honores quærit, & gloriam, cùm tu ſis præ cunctis honorandus &c*; ſentiant etiam actiones peccaminoſas eſſe propter Deum,vt eſt Auctor naturæ; attamen quamuis actiones malæ ſecundùm entitatẽ phyſicam imitentur Deum, vt Auctorem naturæ, quia ſic bonæ ſunt, ſecundùm tamen deformitatem moralem diſcordant à Deo,& ab illo peccatorem auertunt; quapropter lubdit *Beatiſs. P*; quòd hæc eſt imitatio peruerſa,& oppoſita. Et quamuis peccans falsò zelo Religionis referat actionem peccaminoſam in Deum; non tamen peccat propter Deum; nam Deus non mouet,vt finis, ad peccatum; ſed ſola falſa imaginatio eſt motiuum; & ideo peccat propter falſam imaginationem,aut propter Deum falsò imaginatum; non propter Deum veraciter apprehẽſum.Neg. igitur ſeq.Ad prob.diſt.ant.Bonum particulare reale eſt participatio bonitatis Dei, conc; & in hoc ſenſu ait *Fund. Doct. in 2.diſt.1.princ.2.q.1. art. 3.* omnia eſſe bona participatione bonitatis Dei;bonum particulare apparens,neg.eſt enim malum morale ſub apparentia boni; quod quidẽ reducitur in bonum,*vt ſic*, tanquam in genus;nõ autem in Deum,tanquam in cauſam. Ad 2. neg. pariter ſeq.Ad prob.inſert.diſt.Verbum otioſum eſt illud, quod caret fine proximo ſecundùm rectam rationem,conc;quod caret fine remoto difformiter ad rectam rationem,neg.Ad 3.diſt.ant.

Eſt libera quoad ſpecificationem, neg; quoad exercitium, conc; quia voluntas poteſt actu non tendere in bonum; ſuppoſito tamen, quòd velit tendere in aliquod bonum particulare, neceſſitatur ad tendendum ſub ratione boni, *vt ſic*; quia neceſſitatur ad tendendum in ſuum ſpecificatiuum, extra quod nequit ferri.

14 Obijc. 2. *Scot.* Poteſt quis appetere aliquod bonum ſingulare ratione ipſius bonitatis ſingularis nihil cogitando de beatitudine; ergo non omnia, quæ vult homo, vult propter vltimũ finem. 2. Poteſt quis appetere aliquod contra beatitudinem; vt v.g. occidere ſe ipſum.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Nihil cogitando de beatitudine per actum diſtinctum, conc; per eundem actum, neg; impoſſibile enim eſt, quòd appetat bonitatem particularem non ſub ratione vniuerſali bonitatis, *vt ſic*; ſicuti enim ratio bonitatis, *vt ſic*, eſſentialiter imbibitur in ratione talis bonitatis; ita in amore talis bonitatis eſſentialiter imbibitur amor bonitatis, *vt ſic*; nam actus ſpecificatur ab obiecto, & ideo nequit ferri extra illud, quia nequit ferri extra ſuam ſpeciem. Ad 2. diſt. aſſumpt. Poteſt quis appetere aliquid contra ralem beatitudinem in particulari, conc; in vniuerſum, neg; in tantùm enim poteſt appetere occidere ſe ipſum; in quantùm putat bonum eſſe carere miſerijs, quas experitur; & ideo propter bonum, *vt ſic*, appetit occidere ſe.

15 Obijc. 3. *Gonet.* Impoſſibile eſt, quòd cauſa ſecunda efficiens operetur, niſi præſupponat influxum cauſæ primæ; ergo repugnat, quòd finis particularis moueat, niſi præſupponat influxum vltimi finis; quia ita ſe habet vltimus finis in mouendo reſpectu finis particularis; ſicut primum efficiẽs ad cauſas efficiẽtes particulares. 2. Actus circa finem vltimum eſt naturalis, & neceſſarius quoad ſpecificationem; & actus circa finem particularem eſt liber; ſed actus liber ſupponit neceſſarium; ſicut voluntas, vt potentia libera, ſupponit ſe ipſam, vt eſt natura; ergo volitio finis particularis ſupponit volitionem finis vltimi. 3. Omne mobile, & incertum ſupponit immobile, & certum, ne detur proceſſus infinitus; ergo actus circa finem in particulari ſupponit actum circa finẽ vltimum. 4. Ita ſe habet finis vltimus reſpectu finis particularis, ſicut finis particularis reſpectu mediorum; ſed electio mediorũ ſupponit intẽtionẽ finis particularis; ergo à pari.

Reſp. ad 1; quòd potiùs concludit oppoſitum; nam ſicuti primum efficiens agit per eandẽ actionem, per quam agit ſecundum efficiens; ita finis particularis mouet per eundem motum, per quem mouet finis vltimus; & ſicut ad diuerſificandam actionem primi, & ſecundi efficientis ſufficit in effectu ratio entis, *vt ſic*, & ratio *talis entis*, quæ rationes non diſtinguuntur, niſi ratione; ita ad diuerſificandam motionem finis vltimi, & finis particularis ſufficit ratio bonitatis, *vt ſic*, & ratio *talis bonitatis* in eadem re cum ſola diſtinctione rationis. Et quia ratio entis eſt prior, & ratio talis entis eſt poſterior; ideo primum efficiens agens in ens eſt primum; & ſecundum agens in tale ens eſt ſecundum. Ita à pari. Ad 2. neg. mi; ſufficit enim, quòd ratio liberi ſupponat rationem neceſſarij, quæ eſt in eodem actu; non enim implicat, quòd idem actus ſeũdùm diuerſas rationes ſit liber, & neceſſarius; vt idem homo ſecundùm prædicata eſſentialia eſt neceſſarius; & ſecundùm prædicata particularia eſt contingens. Præterea ſi hoc valeret; valeret etiam de quocunque actu cuiuſcunque potentiæ, & ſic oculus, qui neceſſariò neceſſitate ſpecificationis tendit in colorem, *vt ſic*; non autem in talem colorem, quia in colorem, *vt ſic*, non poteſt non tẽdere; cùm nequeat nõ tendere in ſuum ſpecificatiuum; poteſt tamen non tendere in talem colorem; oculus, inquam, vt videns talem colorem, deberet priùs videre per viſionem antecedentẽ colorem, *vt ſic*; quod eſt ridiculum. Ad 3. eodem modo diſt. ant. Mobile ſupponit immobile mouens per motum diſtinctum, neg; indiſtinctum, conc. Ad 4. vel neg. ma; nam vel media habent rationem formalem, per quam eliguntur, diuerſam à ratione formali, per quam intenditur finis; ratio autem formalis intendendi finem particularem eſt bonum, *vt ſic*, quod eſt vltimus finis; & ideo media non eliguntur eodem actu, quo intẽditur finis; vel ſi habent eandem rationem formalem ſpecificam, eſt tamen ſaltem numericè diuerſa, quia eſt in diuerſo ſubiecto; & ideo poteſt diuerſo actu eligi medium, & finis intendi. Vel *cum Fund. Doct.* diſt. mi. Quando medium appetitur ſecundùm ſe, conc; quando appetitur ratione finis, neg; eodem enim actu poteſt voluntas tendere in finem, & media; & ideo idem actus ſecundùm diuerſas rationes poteſt eſſe electio, & intentio; vt *ſuo loco* videbimus.

16 Obijc. 4. *idem. Beatiſſ. P. 1. de Trin. c. 6.* aſſerit: *Omnes iſtæ, atque tales voluntates proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beatè viuere*; ergo volitio boni particularis ſupponit volitionem finis, *vt ſic*. 2. Voluntas de ſe eſt potentia indifferens ad omnes actus; ergo nequit determinatè prorumpere in actum, niſi determinetur à Deo per aliquem actum; ſed hic actus nequit eſſe erga bonum particulare; quia actus erga bonum particulare ſæpe eſt peccaminoſus, & Deus nequit producere in voluntate actum peccaminoſum, aliter eſſet Auctor peccatorum quia actus circa bonum particulare non ſatiat voluntatem adæquatè; & ideo nequit eſſe ratio adæquata mouendi illam; ergo erit actus erga bonum vniuerſale. 3. Homo in volitione finis particularis humano modo operatur propter finem vltimum; ergo tendit in vltimum finem formaliter; aliter ſi intenderet vltimum finem ſolùm, quatenus imbibitur in fine particulari, & quatenus cognitum ab Auctore naturę, operaretur modo communi brutis, & inani-

nimatis;& ſic non humano modo.

Reſp. ad 1. *Beatiſſ. P.* nihil aliud velle, quàm quòd finis particularis refertur ad finem vniuerſalem, qui eſt imbibitus in ipſo fine particulari, vt *ſup.* viſum eſt; vnde illa relatio non eſt realis; non autem quòd alio actu appetatur finis particularis;& alio finis vltimus. Ad 2. neg. conſ. Ad 1. prob. infert. dicitur, quòd entitas illius actus eſt bona,& prout ordinatur à Deo ad finem, bona eſt; mala autem, prout ordinatur peruerſè à voluntate creata. Ad 2. dicitur voluntatem creatam in hoc ſtatu non ſatiari iuxta illud *pſ.16. Satiabor, cùm apparuerit gloria eius*; vnde neg. ſupp. Ad 3. neg. conſ. cuius probatio non eſt ad rem; aliud enim eſt, quòd voluntas appetendo finem particularem non appetat diuerſo actu finem vniuerſalem; & aliud, quòd illum non cognoſcat; nam ex eo, quòd dicamus per eundem actum appeti finem particularem, & vniuerſalem, dicimus, quòd vtrunque cognoſcat; quia *nihil volitum, quin præcognitum*; & in hoc diſtinguitur ſufficienter à modo tendendi in finem, qui conuenit brutis, & rebus inanimatis; tendunt enim in finem per cognitionem exiſtentem in alio, non in ſe ipſis; homo autem per cognitionem etiam in ſe ipſo exiſtentem; nam verè cognoſcit, & appetit rationem boni, *vt ſic*, exiſtêtem in fine particulari; aliter ab illa non ſpecificaretur eius voluntas, ſi in illam non tenderet; & in ipſam non tenderet, niſi illam cognoſceret; quamuis eodem actu tendat in illam, & in rationem particularē.

ART. III.

An idem homo poſſit tendere in plures fines adæquatos?

1 Eodem modo intelligenda eſt hæc difficultas, quo diximus *de Angelis q.4. art.7.* de duplici obiecto reſpectu intellectus. Vt tamen certa ab incertis ſeparemus.

2 Certum eſt 1. eandem voluntatem tendere in plures fines vltimos adæquatos ſucceſſiuè ſuppoſito, quòd peccatum ſit vltimus finis, quem ſibi præfigit homo peccando; poteſt enim volūtas eiuſdem hominis ſucceſſiuè committere plura peccata, vt experientia notum eſt. Igitur dubium eſt; an idem homo poſſit ſimul tendere in plures fines adæquatos?

3 Certum eſt 2. poſſe ſimul tendere in plures fines per modum vnius; quia poteſt quis intendere acquiſitionem pecuniæ propter elargitionem eleemoſynæ; tunc enim illi fines ſunt tantùm materialiter,& inadæquatè plures; non autem formaliter,& adæquatè.

4 Certum eſt 3. poſſe ſimul tendere in plures fines adæquatos vltimos diuerſo modo, ſcilicet in vnum habitualiter, & in alium actualiter; quia licèt voluntas inclinet in Deum; attamen dum peccat, conſtituit ſibi vltimum finem creaturam.

5 Certum eſt 4. poſſe tendere imperfectè,& inefficaciter; nam cùm in nobis ſenſus confligit cum ratione, durante tali conflictu imperfectè,& inefficaciter intenditur ab homine vtrunque bonum propoſitum à ſenſu,& à ratione.

6 Senſus igitur eſt; an eadem voluntas poſſit ſimul tendere in plures fines adæquatos, vt plures ſunt, ſeu per modum plurium, actualiter, perfectè,& efficaciter.

7 Communis ſententia eſt negatiua. *Ita Fund. Doct. in 2 diſt. 38. q.2. art.2; & Quodl. 5. q.23; & omnes alÿ DD. cont. Hadrian. Quodl. 7. art.4*; qui potiùs negauit ſuppoſitum concl; quā ipſam concl; nam, vt refert *Vaſq*; putauit hominem peccando mortaliter non conſtituere in creatura vltimum finē, nec magis diligere creaturam, quàm Deum.

8 E contra tamen *Fund. Doct. in 1. diſt. 1. princ. 3. q.1. in fine corp. & in 2. diſt. 35. q.2. art.1; & omnes alÿ* communiter docent hominem peccando ſibi ſtatuere finem vltimum in creatura; imò non ſolùm peccando mortaliter, ſed etiā venialiter. Et prob. 1. *ex Beatiſſ. P. 10. de Trin. c.10.* docente: *Non eſt alia vita hominis vitioſa, atque culpabilis, quàm malè vtens, & malè fruēs.* In hoc diſtinguitur vſus à fruitione; quòd vſus eſt circa ea, quæ referimus ad finem,& ideo vſus importat motum ad vlteriorem terminum; fruitio verò eſt circa finem, & ideo importat quietem;& negationem motus ad vlteriorem finem; ſed homo peccando fruitur creaturis; ergo homo peccando quieſcit in creaturis ita, vt illas non referat ad vlteriorem terminum; ſed finis, qui nō refertur ad vlteriorem finem, eſt vltimus; quia vltimus eſt ille, vltra quem nihil eſt; ergo homo peccando conſtituit ſibi vltimum finem in creatura. Tum quia ſi peccator non conſtitueret vltimum finem in creatura, referret ſuam intentionem in Deum, cumque præponeret creaturæ; creatura enim, quantùm eſt de ſe, eſt referibilis in Deum,& eſt Deo inferior, & ſubiecta; vnde ſi peccator non ſiſteret in creatura, neceſſariò deberet referre ſuam intentionem in Deum, in quem refertur creatura; ſed conſ. eſt falſum; nam referendo ſuam intentionem in Deum cōuertitur ad Deum; & ideo non peccat; quia peccare eſt auertere ſe à Deo, & conuertere ad ſe ad creaturam, conuertere autem ſe ad creaturā ipſam referendo in Deum non eſt auerti à Deo, nec peccare; ergo peccando conſtituit vltimum finem in creatura. Præterea *lib. 4. de Gen. ad lit. c.32.* habetur. *Poſt hæc ſi eo modo ſibi placeret, vt ampliùs ſe ipſa, quàm Creatore ſuo delectaretur; non fieret mane.* Ex quo ſic. Homo peccando magis delectatur creatura, quàm Deo; ergo ponit vltimum finem in creatura; nam in vltimo fine eſt maior delectatio, quàm in alijs finibus; quia in illo eſt maior quies; tum quia fines intermedij habent delectabilitatem propter vltimum finem; & *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Tandem omnis actio humana debet ha-

be-

bere aliquem vltimum finem *ad quem*; aliter ſi non haberet finem, eſſet infinita; ſed peccatum non habet pro vltimo fine *ad quem* ipſum Deũ; quia Deus eſt terminus, *à quo* per peccatum recedit homo; & terminus *à quo* nequit eſſe terminus *ad quem*; ergo peccatum habet pro vltimo fine creaturam; nam præter Deum nihil eſt, niſi creatura.

9 Dices 1. Poteſt quis peccare ex ignorantia vincibili putans obſequium ſe pręſtare Deo; ergo tunc peccator non conſtituit finem vltimũ in creatura; nec diligit ſe magis, quàm Deum. 2. Peccans in gratiam amici nõ diligit magis amicum, quàm ſe; quia non perderet pro amico manum, vel digitum; ergo à pari. 3. Peccator vellet potiùs ſe ipſum in nihilum redigi, quàm Deum. 4. Peccator non ordinat omnia in creaturam; neque illa fruitur; quia fruitio quietem conſummatam importat, quæ nequit haberi, niſi in re ſimpliciter immobili, vt eſt Deus.

Reſp. ad 1. neg. conſ. nam licèt ex intentione operantis illa actio referatur in Deum; attamen ſecundùm ſe ipſam non refertur, quia eſt auerſio à Deo. Ad 2. neg. ant; & ad prob. dicitur, quòd non perderet manum propter dolorem, quem ſentiret; peccans autem vult delectationẽ, non dolorem. Ad 3. dicitur, quòd quamuis vellet potiùs in nihilum redigi, quàm Deum; attamen non ſequitur, quòd actio peccaminoſa ſecundũ ſe ipſam referatur in Deum, cũ ſit auerſio à Deo; licèt intentio operantis aliunde referatur in Deum. Ad 4. dicitur, quòd ſicut de ratione finis vltimi ſecundùm rectam rationem eſt, quòd ſola omnia bona referantur in illum, non autem etiam mala; ita de ratione finis vltimi ſecundùm peruerſitatem rationis eſt, quòd ſola peruerſitas referatur in illum. Ad aliud dicitur quietem cõſummatam haberi ſolùm in ſummo bono; non autem in bono creato; nec per hoc tollitur, quòd non ſit finis vltimus; quia ad hoc ſufficit illam actionem non ordinari in alium finem.

10 Sed quæres, an ſaltem peccatum veniale referatur in Deum?

Reſp. *aliqui Thomiſtæ* referri habitualiter, quia per ipſum non tollitur charitas, quæ refertur in Deum.

11 Sed oppoſitum eſt dicendum *cum Fund. Doct. in 2. diſt. 42. q. 1. art. 3*; vbi habet, quòd peccatum veniale eſt quidam leuis animæ morbus diſponens ad ſeparationem animæ à Deo, quæ ſeparatio eſt peccatum mortale, quod propterea *à Beatiſſ. P.* vocatur mors animæ; vnde ſicuti peccatum mortale conſtituit completè finem vltimum in creatura; ita veniale conſtituit diſpoſitiuè, & incompletè. Tum quia peccatum veniale, vt tale, eſt defectus moralis; ſed nullus defectus moralis refertur in Deum; quia ſicut Deus non eſt cauſa efficiens, ita non eſt cauſa finalis peccati; ergo conſtituit vltimum finem in creatura. Quamuis ergo per charitatem, quæ remanet, referatur in Deum; quia tamen peccatum veniale non conſiſtit formaliter in illa charitate, ſed in defectu feruoris, & ille defectus non refertur in Deum; ideo veniale non refertur formaliter in Deum, ſed ſiſtit in creatura. *His not.*

12 Vnica concl. Homo nequit actu ſimul tendere in plures fines adæquatos per modum plurium.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. in pſ. 54*; vbi agens de vltimo fine ait: *Quare finis dicitur? Quoniam quidquid agimus, ad illum referimus; & cùm ad eum peruenerimus, vltra quod quæramus, non habebimus*. Ex quo ſic. Vltra finem vltimum adæquantem voluntatem nihil remanet quærendũ; ergo repugnat voluntatem tendere in plures fines adæquatos. Prob. ant. Si vltra finem vltimum adæquantem voluntatem eſſet aliud quærendũ, ille finis non eſſet vltimus, quia ordinaretur ad illud aliud, quod ſupereſſet quęrendum; nec eſſet adæquatus, quia non expleret totum appetitum voluntatis; ergo vltra finem vltimum adæquantem voluntatem nihil aliud manet quærendum. Prob. conſ. Si voluntas tenderet in plures fines vltimos adęquatos, neuter illorum eſſet vltimus, quia extra quemlibet illorum voluntas aliquid quæreret; nec eſſet adæquatus, quia per alterum etiam repleretur, & ſatiaretur; ergo nequit voluntas tendere in plures fines vltimos adæquatos.

13 Prob. 2. Vel illi duo fines conuenirent in vna ratione boni, *vt ſic*, communi bono reali, & apparenti; vel non? Si primum; ergo voluntas tẽderet in illos per modum vnius, non per modũ plurium, quia ratio formalis, per quam tenderet, eſſet vna; & ideo illi fines non eſſent plures, niſi materialiter, non formaliter; ſicut cùm oculus videt plures homines ſimul; quia eſt vnica ratio formalis videndi, nempe color, aut lux, dicitur tendere in plura obiecta per modum vnius. Præterea illi fines non eſſent vltimi, quia reducerẽtur in illam rationem boni, *vt ſic*, communem vtrique; quæ, quia non eſſet reducibilis in aliam rationem, eſſet vltima; & ſic conſtituerent vnum tantùm finem vltimum adæquatum. Si ſecundũ; ergo vnus tantùm finis eſſet bonus; alter verò nedum realiter, ſed etiam apparenter malus; ſed voluntas nequit tendere proſecutiuè in malum; quia malum opponitur bono; & ideo habet rationem oppoſitam rationi, quam habet bonum; bonum autem habet trahere voluntatem, vt ipſũ proſequatur; ex quo ſequitur, quòd malũ habet retrahere, ſeu reijcere voluntatẽ, vt illud fugiat; ergo voluntas tenderet tantùm proſecutiuè in vnum finem, & in alium fugitiuè; de hoc autem nulla eſt quæſtio; quia cùm voluntas appetit ſuã felicitatem, fugit à miſeria, quæ illi opponitur; & ideo difficultas procedit ſolùm de duobus finibus poſitiuè volitis per modum proſecutionis.

14 Conſ. Vel voluntas tenderet in illos duos fines per eundem actum volitionis; & ita repræ-

ſen-

ſentarētur ab intellectu per vnicā ſpeciē;vel per duplicem volitionem,& repræſentarētur per duplicē ſpeciē?Si primū; ergo non tenderet in illos per modum plurium;quia actus ab obiecto trahit ſpecificationem,& ideo vnitatem,& diſtinctionē; & per conſequens ſi eſſet vna volitio,eſſet quoq; vnum illius obiectum;nam à pluribus, vt plura ſunt,nequit ſumi vnitas,vt vnitas eſt.Si ſecundū; ergo voluntas informaretur ſimul duplici actu adæquato;ſed actus adæquatus eſt ſpecificatiuus potentiæ; ſicut obiectum adæquatum eſt ſpecificatiuum actus; ergo voluntas haberet duplex ſpecificatiuum adæquatum; & ideo eſſet in duplici ſpecie;nec eſſet vna,& eadem voluntas, ſed diuerſa,& diſtincta realiter,ſicut eſſet diuerſum; & diſtinctum realiter illius ſpecificatiuum; ſed hæc omnia repugnant, & deſtruunt ſtatum quæſtionis;ergo repugnat etiam id,vnde ſequuntur.

15 Prob. 3. In diuinis ratio communiter allata,ob quam Pater nequit producere alium Filium, eſt,quia Filius eſt terminus totalis ita adæquans potentiam generatiuam; vt non valeat tendere extra illum producendo alium Filium; ergo à pari voluntas ita adæquatur ab vno fine totali,& adæquato,vt nequeat ſimul actu tendere extra illum proſequendo alium finem; aliter illa ratio non probaret generaliter; atque adeo poſſet negari; & haberemus inſtantiam de voluntate reſpectu finis adæquati; ita enim ſe habet voluntas reſpectu finis vltimi totalis; ſicut potentia generatiua reſpectu ſui termini adæquati.

16 *Vid.*alias rationes *q.4.de Cog. Ang. vbi;* ſicut enim ſe habent plura obiecta reſpectu intellectus; ita plures fines reſpectu voluntatis; & ideo æquè probant hoc,& illud.

17 Obij. 1.Iuſtus peccans venialiter eo,quia faciat opus bonum cum tepore, habet ſimul pro vltimo fine ipſum Deum; & pro vltimo fine creaturam; quia ille tepor eſſentialiter refertur ad creaturam, cùm Deus non ſit cauſa illius teporis, qui eſſentialiter eſt defectus; ergo eadem voluntas poteſt ſimul actu tendere in plures fines vltimos adæquatos.

Reſp.*cum Fund.Doct.*diſt. ant. Habet ſimul pro vltimo fine Deum completè, & perfectè; & creaturam diſpoſitiuè,& incompletè,ſeu inchoatiuè, conc; & creaturam completè, & perfectè, neg; non implicat autem eandem voluntatem habere plures vltimos fines ita, vt in vnum feratur perfectè,& completè;& in alium diſpoſitiuè, & incompletè; nam ſic ferri eſt potiùs incipere deſinere à tendendo in finem, in quem tendit completè, & perfectè, quàm tendere in duos fines vltimos adæquatos.

18 Obij:2. Poteſt homo ſimul committere diuerſa peccata mortalia; vt furari, & ſuperbire; ſed peccando conſtituit ſibi vltimum finem; ergo poteſt tendere in plures vltimos fines.

Reſp.diſt. ma. Poteſt homo ſimul committere diuerſa peccata illa ordinando ad ſuam felicitatem, quæ eſt vnicus finis vltimus illorum, conc;ſecus,neg.

19 Inſt.Peccator eſt finis *cui*,non *qui*; ergo quanuis ordinet peccata in vnicum finem *cui*;attamen ſibi conſtituit plures vltimos fines *qui*.

Reſp.diſt.ant. Peccator quantùm ad perſonam,aut ſubſtantiam eſt finis *cui*, conc; quantùm ad felicitatem,neg;hinc *Beatiſſ.P. lib. 11. de Gen. ad lit.*ferè per totum docet Dæmones omnia referre in propriam excellentiam, tanquam in vltimum finem *qui*; & in propriam perſonam, tanquam in finem *cui*.

20 Obijc.3.*Gentiles* adorantes pluralitatem Deorum conſtituebant deitatem in quolibet illorum; aliter eos,vt Deos,non adoraſſent; ergo præfigebant ſibi plures vltimos fines totales;nam de ratione Dei eſt eſſe finem vltimum.

Reſp.*Gentiles* diuiſiſſe Deos in maiores, & minores,& ideo præfixiſſe ſibi plures vltimos fines partiales,& inadæquatos;omnes autem illos Deos reducebant *in Iouem*,tanquam in ſummū, & primum aliorum.

21 Obijc.4. Non repugnat ſaltem diuinitus dari plures cauſas totales, & adæquatas non ſubordinatas efficientes eiuſdem effectus; ergo neque plures cauſas finales adæquatas. 2.Non repugnat duas formas actuare eandem numero materiam; & duo corpora adæquatè replere eundem locum;ergo à pari.

Reſp. ad 1. neg. ant; vt dicitur *in 2. Phyſ.* Præterea poteſt diſtingui ant.Non repugnat dari plures cauſas efficientes non reductas in vnā cauſam primam efficientem,neg;reductas in vnā cauſam primam, tranſeat; ſic non repugnat dari plures fines reductos in vnum finem vltimum; repugnat tamen dari plures vltimos fines non reductos reſpectu eiuſdem effectus. Ad 2. neg. conſ;nam materia non actuatur vltimatè per vnā formam;cùm enim eſt ſub vna forma, eſt actuabilis per aliam; & ideo poteſt ab alia actuari; & duo corpora ſe habent per modum vnius, quia ſunt penetrata,& non occupant maius ſpatium, quàm vnum ſolùm; at verò ſicut plura corpora non penetrata nequeunt eſſe in eodem loco, quia tunc habent modum plurium locatorum, quæ habent occupare diuerſum ſpatium;ita plures fines per modum vnius poſſunt intendi,non tamen per modum plurium.

22 Obijc. 5. Poteſt voluntas ſaltem diſiunctiuè intendere plures fines;vt cùm quis ait:*Volo eſſe miles , vel ſacerdos*; ergo poteſt tendere in plures fines,& in illis quieſcere.

Reſp. diſt. ant. Poteſt voluntas diſiunctiuè intendere plures fines ſub ratione boni, *vt ſic*,illis communi, conc; ſub ratione primò diuerſa, neg;& ſic ſoluuntur ferè omnes aliæ obiectiones, quæ fieri poſſunt.

ART.

A R T. IV.

An omnia agentia agant propter finem?

1 AGentia diuiduntur in ſpiritualia, quę intellectu, & voluntate prædita ſunt; vt ſunt Deus, Angeli, & homines; & corporalia, quæ ſunt rationis expertia; ſiue ſint ſenſitiua, vt bruta; ſiue vegetatiua, vt plantæ; ſiue inanimata, vt cetera omnia. De omnibus his inquirimus, an agant propter finem? Agere autem propter finē poteſt ſumi dupliciter. 1. Propter finem intentum ab ipſis. 2. Propter finem intentum ab Auctore naturæ.

2 Certum eſt agentia inanimata non agere propter finem propriè intentum à ſe ipſis; quia intentio finis propriè ſumpta eſt actus voluntatis, vt *inf.* videbimus; & actus voluntatis ſupponit actionem intellectus, quia *nihil volitum, quin præcognitum*; vnde cùm in rebus inanimatis non ſit voluntas, aut intellectus; ideo in illis nequit eſſe intentio finis propriè ſumpta; & per conſequens remanet, quòd ſolùm poſſint agere propter finem intentum ab alio, ſcilicet ab Auctore naturæ, & ab Intelligentia mouente; & ideo per cognitionem, & amorem exiſtentem in alio, non in ſe ipſis; & in hoc ſenſu tantùm loquimur; hinc potiùs dicuntur agi, & moueri in finem, quàm agere, & ſe mouere.

3 Dubium ergo reſtringitur ad tria. 1. An Deus agat propter finem nedum agendo tranſeunter in creaturas, ſed etiam in ſuis actionibus immanentibus. 2. An bruta agant propter finem intentum, & cognitum per intentionem, & cognitionem exiſtentem in ſe ipſis; vel tantùm in Auctore naturæ, & in Intelligentia mouente. 3. An inanimata agant propter finem intentum, & cognitum ab alio?

4 Prima ſententia fuit *Anaxagoræ, Empedoclis, Democriti, Epicuri, & aliorum antiquorum Philoſophorum*, quos arguit *Phil. 2. Phyſ. c. 7*; opinantium omnia caſualiter contingere, & ideo nō dirigi in aliquem finem.

5 Secunda ſententia arbitratur Deum agere propter finem in actionibus tranſeuntibus, & immanētibus. *Ita Sonc. 5. Met. q. 2; Salm. hic diſp. 2. dub. 6. §. 1; Monteſin; & alij apud noſtrum Gibb. hic diſp. 2. dub. 1. n. 2.*

6 Tertia ſententia putat bruta agere propter finem per cognitionem imperfectam exiſtentem in illis; concedit enim hæc ſententia aliquē vſum rationis, & quandam libertatem indifferentiæ, per quam poſſunt eligere vnum alio relicto. *Ita Plut; Porphir; Tireſias, & Melampus apud Balthaſſarem Bonifacium hiſt. Ludicra lib. 2. c. 13; Valeſ; Mol, Sal, & Arriaga apud Gonet hic diſp. 1. art. 3*; quibus additur *Appollonius Tyaneus*, qui ſe iactabat percipere loquelam animalium, de quibus, ſed re vera per artem magicam, plura indicabat vt contigit quadam die referēte *Philoſtrato lib. 4. c. 1*; cùm ſuaderet *Epheſios* ad concordiā, vnus paſser vocem emiſit, poſt quod omnes vocitantes ſtatim auolarunt; & ait *Apollonius* primum paſſerem narraſſe alijs puerum quendam lapſum reliquiſſe multa grana frumenti in area; quò cùm ſe contuliſſent *ſocij Appollonij*, inuenerunt paſſeres illud comedentes.

7 Noſtra ſententia docet agentia naturalia ſiue ſenſitiua, ſiue non ſenſitiua agere propter finem cognitum ab alio; Deum autē agere propter finem ſolùm per actiones tranſeuntes, quibus producuntur creaturæ. *Ita Fund. Doct.* quoad agentia inanimata *in 2. diſt. 1. q. 1. art. 1*; & quoad bruta *ibid. tertia via*; vbi ait: *Certum eſt, quòd non operantur, niſi ex naturali inſtinctu; & diſt. 25. q. 1; art. 2*; quoad Deum *ibid. art. 2.*

8 Not; quòd licèt in creaturis finis exerceat ſuam cauſalitatem nedum ſuper actum electionis, ſed etiam ſuper actū intentionis; vt diximus *art. 2. §. 1*; quia bonum in intentione, ſeu in intellectu cauſat actum intentionis in voluntate, ex quo mouetur voluntas ad eligēda media; & ideo tam electio, quàm intentio eſt verus effectus realiter cauſatus, & diſtinctus à fine; attamen bonitas Diuina apprehenſa ab intellectu Diuino non cauſat phyſicè in eius voluntate actum intentionis; quia actus intentionis eſt idem, ac ipſe Deus, & ideo ſicuti Deus nequit eſſe phyſicè cauſatus, quia nequit eſſe creatura, ita nec ipſe actus intētionis; tum quia cauſa finalis, & efficiēs ſunt cauſæ extrinſecę, & realiter diſtinctæ ab effectu; ſed actus intentionis Dei non diſtinguitur realiter à bonitate Diuina, imò nec etiam virtualiter; quia iſta duo pertinent ad eandem ſpeciem, ſeu lineā voluntatis; ergo nequit eſſe effectus bonitatis Diuinæ; & ideo ſi agere propter finem in actionibus immanentibus importat actiones immanentes eſſe effectus phyſicos cauſæ finalis, ſicut ſunt effectus phyſici, & reales actiones tranſeuntes, Deus non agit propter finem in actionibus immanentibus.

9 Quoniam autem finis, vt *ſup.* dictum eſt, & *hic* repetit *Fund. Doct*; alius eſt finis operis, qui eſt perfectio, ſeu conſummatio rei; alius eſt finis operantis, qui eſt ille, ad quem dirigitur illa res; v. g. finis operis *Architecti* eſt forma domus; & finis operantis eſt vſus, ſeu inhabitatio illius domus iam perfectæ, & conſummatę, ideo finis operis ipſius Dei eſt perfectio, & conſummatio creaturæ; finis autem operantis eſt Diuina bonitas. Sed quia operans aliud eſt operans ex indigentia; & aliud ex ſupereffluentia ſuæ bonitatis; ideo finis operantis alius eſt, per quem perficitur indigentia operantis; & alius, per quem operans perficit rem operatam; cùm autem Deus non ſit operans ex indigentia alicuius perfectionis ab ipſo acquirendæ; cùm Deus ſit omnis perfectio; ſed ſit operans ex ſupereffluentia ſuæ bonitatis communicandæ creaturis, per quam communicationem perficitur creatura; ideo finis Dei operantis eſt ſua Diuina bonitas, vt communicanda

crea-

creaturis perficiendis per illam. Tandem quia non omnes creaturæ ſunt capaces Diuinæ bonitatis eodem modo, ſed aliquæ tantùm in eſſe naturali,aliæ verò etiam in eſſe ſupernaturali; ideo Diuina bonitas, vt communicabilis creaturis per viſionem,& amorē beatificum, eſt finis creaturarum intellectualium, quæ ſunt capaces videndi,& amandi Deum; vt autem communicabilis in eſſe naturæ tantùm, eſt finis creaturarum non intellectualium,quæ non ſunt capaces participare Deum in eſſe intelligibili, quia non ſunt intellectuales. *His not.*

10 Vnica concl. Deus agit propter finem ſolùm in actionibus tranſeuntibus; & creaturæ intellectuales agunt propter finem in actionibus immanentibus, & tranſeuntibus per cognitionē exiſtentem in ipſis;creaturę verò rationis expertes agunt propter finem per cognitionem exiſtentem in alijs; & ideo magis propriè dicuntur agi,quàm agere.

Prob.1.pars concl. 1. *ex Prou.16. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; & Beatiſſ.P.lib.1.Conf.c.1.Ad Te feciſti nos Domine.* Ex quibus ſic.Operari propter ſe ipſum,& ordinare ſuas actiones ad ſe ipſum eſt agere propter finē; ſed Deus in actionibus tranſeuntibus, quibus producit creaturas,operatur propter ſemetipſū, & illas ordinat ad ſe ipſum; ergo agit propter finem.

11 Prob.2.*à Fund.Doct.prima via.* Res naturales tendunt in ſuos fines,vt mox videbimus; ſed hoc nequeunt habere à ſe ipſis, quia carent cognitione eas dirigente in finem;ergo habent à ſuo Opifice; qui illas dirigit in ſuos fines; vt patet de ſagitta,quæ,quia nequit ſe ipſam dirigere in finem,ideo dirigitur à Sagittante; ſed Opifex dirigens in finem res naturales eſt Deus; dirigere autem in finem eſt agere propter finem; ergo Deus in actionibus tranſeuntibus, quibus reſpicit creaturas,agit propter finem.

12 Prob.2.*ex eod.* Mouere in finem eſt agere propter finem; ſed Deus eſt primum mouens omnes creaturas in finem,quia nedum eis dedit inclinationes, quibus in ſuos fines mouerentur; dedit enim grauitatem lapidi, per quam tenderet deorſum;ſed etiam ſimul cum illis efficit motum,quo actu mouentur; ergo Deus in actionibus tranſeuntibus agit propter finem.

13 Prob.3.*ex eod.* Omne agens per intellectum agit propter finem; nam agens per intellectum agit etiam per voluntatem;intellectus enim non fit practicus, niſi per extenſionem ad voluntatem,& ad potentias executiuas; voluntas autē eſt erga finem,quia finis eſt primum volitum(loquendo de actionibus liberis) ſed Deus eſt agēs per intellectum; quia eſt perfectiſſimum agens; ergo Deus agit propter finem.

14 Tum quia Deus eſt ſapientiſſimum, & vniuerſaliſſimum prouidens, præter cuius prouidentiam nihil poteſt contingere caſuale, & fortuitum; ſicut eſt primum, & vniuerſaliſſimum agens,præter cuius potentiam nihil poteſt fieri; ſed prouidens ſapientiſſimum agit ex intentione,& ideo propter finem; ergo Deus agit propter finem.

15 Quòd autem in actionibus immanentibus non dicatur verè, & propriè agere propter finem, idēſt exercere cauſalitatem finis in illis, iam *ſup.*dictum eſt, nam illæ non diſtinguuntur à bonitate Diuina,nec realiter phyſicè cauſantur. Si autem fiat ſenſus, quòd Diuina bonitas non eſt quidem cauſa phyſica illorum, ſed eſt ratio formalis motiua illas ſpecificans ſine vlla diſtinctione,aut compoſitione, dici poteſt agere in illis propter finem;quia per actum intentionis verè amat ſuam bonitatem,& vult illam communicare creaturis,vt obſeruat *Fund.Doct.hic ad 5.*

16 Prob. 2.pars concl. iiſdem ferè rationibus parum immutatis; nam creaturæ intellectuales ordinant ſuas actiones,& ſe mouent in finem; & agunt per intellectum cognoſcendo finem, & media,quæ ad illum conducunt; agunt ex conſilio,& electione; & actus intentionis ipſorum sūt effectus finis; ergo agunt propter finem per cognitionem in ipſis exiſtentem. *Vid.art.2.§.1;*vbi hoc fusè probatum eſt.

17 Prob.3.pars concl.1.*ex Beatiſ.P. 9.ſup. Gen.ad lit.c.*14; vbi expreſsè docet bruta carere voluntatis arbitrio;& rationem affert; quia præſente ſuo obiecto concupiſcibili neceſſariò pelluntur in ipſum; ait enim:*Sed anima rationalis voluntatis arbitrio,vel conſentit viſis vel non conſentit;irrationalis autem non habet hoc indiuiduum; pro ſuo tamen genere,atque natura viſa aliquo tacta propellitur.* Ex quo ſic.Si bruta haberent imperfectum vſum rationis, præſente obiecto poſſent non concupiſcere, quia vſus rationis, & libertas poſſet frænare appetitum, vt patet in nobis; ſed oppoſitum conuincit experientia; ergo non habent vſum rationis,& ideo non agunt per cognitionem exiſtentem in ipſis.

18 Prob.2. Cognitio,ſeu apprehēſio requiſita ad agendum propter finem eſt intellectualis ſpiritualis; ſed in brutis non eſt cognitio intellectualis ſpiritualis;ergo non agunt propter finem per cognitionem exiſtentem in ipſis. Mi. patet; quia bruta ſunt irrationalia, & materialia; ideoque non habēt formam intellectualem ſpiritualem,cuius tantùm eſt proprietas intellectus, qui habet elicere cognitionem intellectualem ſpiritualem. Prob.ma. Cognitio requiſita ad agendū propter finem eſt cognitio boni, ſub ratione boni,*vt ſic*,reduplicatiuè,& formaliter;finis enim, & bonum *ex Phil.*conuertuntur; quamuis nanq; actualiter tendat in bonum particulare;attamen ratio formalis tendendi ſpecificatiua illius eſt bonitas, *vt ſic*; ſicuti quamuis oculus videat aliquod coloratum particulare,attamen ratio formalis ſpecificatiua oculi eſt ratio coloris, *vt ſic*; ſed cognitio boni, *vt ſic*, eſt intellectualis ſpiritua-

tualis; quia bonum, *vt ſit*, conuertitur cum vero, *vt ſic*; & ideo ſola cognitio intellectualis ſpiritualis, quæ tendit in verum, *vt ſic*, poteſt tendere in bonum, *vt ſic*, tendit enim in bonum ſub ratione veri; bonum autem, *vt ſic*; nequit repræſentari, niſi per verum, *vt ſic*; quia per tale verum determinatum nequit repręſentari bonum indeterminatum, quod conuenit omni enti; ſicut per animal nequit repræſentari omne corpus; cùm animal non adæquetur corpori; ergo cognitio, ſeu apprehenſio requiſita ad agendum propter finē eſt intellectualis ſpiritualis.

19 Prob. 3. Cognitio regulans, & dirigens actiones in finem eſt actus prudentiæ, quæ eſt *ratio ordinandorum in finem*; ſed in brutis non datur prudentia; quia prudentia eſt habitus intellectus, & intellectus non eſt in brutis; ergo in brutis non eſt cognitio requiſita ad agendum propter finem; & ideo agunt per cognitionem exiſtentem in alio.

20 Prob. 4. Agere propter finem per cognitionem exiſtentem in ſe ipſo importat vſum rationis cum indifferentia reſpectu electionis mediorũ, vt videmus in homine, & in Angelo; ſed hic nõ eſt in brutis; ſecus bruta poſsēt mereri, vel demereri ſaltem imperfectè; vt patet in hominibus rudibus, in quibus eſt exile lumen rationis, imperfecta cognitio, atque imperfecta libertas; & ſic bruta eſſent digna pœna, vel præmio, & per conſequens ſubiecta Dei punientis, vel retribuētis iudicio; à quo Fides abhorret; ergo non agunt propter finem per cognitionem in eis exiſtentē.

21 Prob. 5. *ex Fund. Doct. art. 1. vbiſ. tertia via*. Si in brutis eſſet imperfectus vſus rationis, & imperfecta libertas, poſſent errare in electione mediorum conducentium ad finem; in tantùm enim homo, & non Angelus in rebus naturalibus poteſt errare, quia in homine per peccatum naturalia læſa fuerunt; in Angelo autem integra remanſerunt; & ideo ſi in brutis eſſet vſus rationis, & libertas imperfectior, multò magis poſſet errare; ſed vbi poteſt eſſe error, ibi poteſt eſſe ſcientia correctiua erroris; & ideo videmus, quòd vnus homo docet alium, ne erret in ſuis actionibus conducentibus ad ſuum finem; ergo in brutis poſſet eſſe ſcientia correctiua erroris, quem poſſent habere in electione mediorum ad ſuum finem; atqui hoc eſt apertè falſum; nam videmus, quòd quanuis hirundo non doceat ſuos filios cõſtruere nidos; & aranea non doceat modum conſtruendi telas ad capiendas muſcas; attamen araneæ, & hirundines genitæ naturaliter conſtruunt telas, & nidos; ergo non operantur ex cognitione, & libertate in ipſis exiſtente, ſed ex inſtinctu naturæ.

22 Conf. *ex eod. ibid.* Illud contingit naturaliter, quod contingit determinatè ad vnum, vt plurimùm; natura enim eſt ad vnum determinata; illud verò contingit ex electione, quod pro diuęrſis temporum congruentijs diuerſo modo contingit; ſed actiones brutorum contingunt eodem modo determinatè ad vnum, vt plurimùm; ergo contingunt naturaliter ex inſtinctu naturæ, non ex electione. Prob. ampliùs ma; nam licèt plantæ producant folia ad cuſtodiam fructuum; attamen quia ſemper eodem modo illa producunt, vt plurimùm, ideo dicimus illas agere naturaliter, non ex electione; ergo à pari.

23 Tandem libertas, & ratio ſunt paſſiones naturæ intellectualis propriæ in quarto modo dicendi per ſe; ergo nequeunt competere naturę irrationali etiam imperfecto modo; nam quanuis proprietates naturæ inferioris poſſint competere naturæ ſuperiori, quia natura ſuperior continet virtualiter naturam inferiorem; attamen quia natura inferior nequit continere virtualiter naturam ſuperiorem, aliter non eſſet inferior, ſed ſuperior; ideo nequit etiam imperfectè continere proprietates naturæ ſuperioris.

24 Prob. 4. pars concl. 1. *ex Fund. Doct.* Agentia naturalia agunt per ſe; ergo agũt propter finem; ſed non habent cognitionem in ſe ipſis, vt patet; ergo agunt per cognitionem exiſtentem in alio. Prob. ant. 1. In agentibus naturalibus non datur proceſſus in infinitum; quia eſt deuenire ad vnum primum agens immobile, vt *alibi* probatum eſt; ergo agentia naturalia agunt per ſe; nam proceſſus infinitus datur ſolùm in agentibus per accidens; vt v. g. quòd vnus homo generet alium, poteſt ire in infinitum; in cauſis autem ſubordinatis eſſentialiter non datur proceſſus infinitus, quia ſunt cauſę agentes per ſe. 2. Per ſe agere ſequitur ad per ſe eſſe; ſicut agere ſequitur ad eſſe; ſed agentia naturalia ſunt entia per ſe, quia ſunt entia ſubſtantialia; ergo per ſe agunt. Prob. conſ. In hoc diſtinguitur cauſa per ſe agens à cauſa agente per accidens; quòd cauſa agens per accidens dicitur illa, quæ producit effectum præter intentionem agentis; at cauſa agens per ſe producit effectum iuxta intentionē agentis, quod ſemper intendit aſſimilare ſibi paſſum; ſed cauſa agens per intentionem agit propter finem; ergo cauſæ naturales agunt propter finem. Hæc ratio eſt *Phil. vbiſ.*

25 Conf. Cauſa, quæ ſecundùm ſe producit effectum ſemper eodem modo, niſi accidētaliter impediatur ab alia cauſa, agit per ſe, & determinatè; quia cauſa agens per accidens agit, vt rarò; ſed cauſæ naturales agunt eodem modo determinatè, vt ſemper; ergo agunt per ſe; & ideo propter finem.

26 Prob. 2. Agentia naturalia producunt ſuos effectus determinatos; non enim *ex quolibet fit quodlibet*; nam ex cane non generatur leo; nec ex ſemine oliuę cedrus; ſed res determinatur ad vnum tantùm ex fine; quia finis eſt regula omnium eorum, quæ fiunt; & ideo ſicut regula menſurat rectum, & non rectum; ita finis menſurat actionem, qua aliquid fit; menſura autem determinat menſuratum, quod nequit excedere limi-

tes

tes menſuræ adæquatæ; tum quia ſicut ſagitta determinatur tantùm ad vnum motum ab vno ſcopo;ita à pari; ergo agentia naturalia determinantur ad ſuas actiones tantùm à fine; & ideo agunt propter finem.

27 Prob.3. *ab eod.quarta via*. Ars imitatur naturam in hoc, quòd ſicuti ars intendit aſſimilare artefactum ideæ, quam habet in mente; ita natura intendit aſſimilare effectum ſuæ cauſæ; vnde ait *Phil.2.Phyſ.t.c.78;& 86*; quòd ſi domus eſſet ex ijs, quæ fiunt à natura, ita fieret, ſicut fit ab arte; ſed ars agit propter finem, quia agit ex intentione agentis;ergo & natura; atqui natura reperitur in agentibus naturalibus; ergo agentia naturalia agunt propter finem. Cùm autē ea careant cognitionem, quia carent intellectu; ideo agunt per cognitionem exiſtentem in Auctore naturæ,non autem in ſe ipſis.

28 Obijc.1.cont.1.part.cócl. Operari propter finem non eſt tantùm producere aliquid, quod habeat finem, ſed eſt effectiuè exercere operationem propter finem; ſed Deus effectiuè non producit ſuam operationem; quia eius operatio eſt immanens, & ideo increata; ergo non agit propter finem.

Reſp. omiſſa reſp. *Thomiſtarum, & noſtri Gibb.* negantium operationem Dei verè tranſeūtem,vt diximus *de Creat.*diſt.mi. Deus non producit effectiuè ſuam operationem immanentem, conc;tranſeuntem,neg.

29 Obijc.2. Agens propter finem mouetur à bono propoſito ad tendendum in illud; ſed Deus nequit moueri; ergo non agit propter finem. 2. Deus non agit propter finem in actionibus immanentibus;ergo neque in tranſeuntibus; nam ſi non ageret in iſtis,maximè,quia iſtæ contingunt præter intentionem ipſius;ſed immanentes non contingunt præter intentionem illius;& tamen non agit propter illas;ergo nulla eſt ratio aſſignata.

Reſp.diſt.ma. Si ſit in potentia paſſiua realiter diſtincta ab ipſo bono, conc; ſi ſit idem,ac ipſum bonum,neg;hæc enim eſt differentia inter Deum, & creaturam; quia cùm creatura agat propter bonum acquirendum;ideo debet moueri ad illud,& ideo ab illo debet diſtingui; nulla enim res mouetur ad acquirēdū ſe ipſū; at verò Deus cùm agat propter bonitatem communicādam creaturis; ideo non eſt neceſſe, quòd ipſe moueatur, aut diſtinguatur ab ipſa bonitate, ſed ſufficit,quòd moueantur ipſæ creaturæ, quæ per talem motum debent acquirere bonitatem Dei; & ideo Deus agens propter finem debet mouere creaturas abſque eo, quòd ipſe moueatur. Ad 2.neg. conſ; nam quamuis immanentes agens nō agat præter intentionem,quia agit volens, & intelligens; attamen non agit propter finem, quia illæ actiones non cauſantur à fine, vt dictum eſt; at verò actiones tranſeuntes cauſantur à fine; & ideo ſi non ageret propter finem, ageret præter intentionem; quia non ageret ſciens, & volens; ſecus ſi ageret ſciens, & volens, cùm ex altera parte actiones tranſeuntes diſtinguātur realiter, nihil ei deficeret ad agendum propter finem in illis.

30 Obijc.cont.3.part.concl. 1.In brutis datur aliqualis vſus rationis; ergo per illū poſſunt ſe mouere in finem;& ideo per cognitionem exiſtentem in ipſis.

Prob.ant.1.ex ipſis formicis, quæ nedum appetunt cibum præſentem, ſed quadam prouidentia quærunt cibum pro tempore hyemis futuro;ſed hæc prouidentia nequit eſſe ſine vſu rationis; ergo in brutis datur aliqualis vſus rationis.

2. *Bonifacius vbiſ. lib.13.c.7.* refert Pſitacū *Leonis X*; cùm aliquando tacitutnus, ac veluti cogitabundus perſtaret, interrogatum à Pontifice:*Papagalle,quid penſiculas*;reſpōdiſſe: *Cogitaui dies antiquos; & annos æternos in mente habui*; quo reſponſo perculſus Pontifex Dœmoniacum ſuſpicatus iuſſit occidi. Item refert alium Pſitacum,quem alebat quidam nobilis Venetus, cùm aliquando inueniſſet carnem vitulinam aſſam, quam famula prope ignem reliquerat,vt calida conſeruaretur, eam,quantùm potuit,comediſſe; & dum roſtro eam malè diſcerperet, ac per terram euolueret, ſuperueniens famula muliebriter indignata accepto iure feruenti è cacabo ſuper caput illius iniecit, propter quod ſtatim plumas amiſit, & cranium nudum deinceps remanſit. Hæc res latuit Dominum, vſquedum quadam die accedens quidam homo caluus ad illam domum,videns pſitacus caluitiem capitis: *Heus*,inquit,*bone vir tibi quoque ſapit aſſa vitulina*?Item refert pſitacum *Henrici VIII.* caſualiter lapſum in prælabentem *Tameſim* vocem,quàm ſæpiſſimè audierat à prætereuntibus iterari, protinus enūciaſſe:*Cymbam,Cymbam,vel pro viginti libris*; ad quam accurrēs nauta ſuſtulit auem, & ad Regem attulit poſcens eam, quam ſibi promiſerat auis,dari mercedem; cui Rex ſpopondit ſe daturum pretium, quod auis denuo ei dandum eſſe dixiſſet;interrogatus igitur pſitacus,quæ merces ſoluenda eſſet: *Date*, reſpondit, *nebuloni teruntium*;ſed hæc fieri nequeunt ſine vſu rationis;ergo in brutis eſt vſus rationis.

Reſp.*Fund.Doct.*neg.ant. Ad prob. dicitur hæc omnia fieri ex inſtinctu naturæ;ſpecies enim actionum,vel vocum receptæ in memoria ſenſitiua mouentur ab obiectis præſentibus,& coniunguntur cum phantaſia; & ideo operantur per illam, non autem per intellectum. Sic dicimus, quòd canis per imaginatiuam videns vmbram alicuius rei putat eſſe hominem,adeoque latrat, videns lupum concipit inimicitiam; ergo ſicuti iſta poſſunt bruta præſtare per ſolam imaginatiuam,quæ eſt potentia ſenſitiua recipiens ſpecies illarum;ita poſſunt voces formare, & actiones in futuram neceſſitatem exercere per ſolam phan-

taſiam, non per vſum rationis.

31 Obijc. 1. Bruta ſunt diſciplinabilia; ſed diſciplinabilitas eſt proprietas rationis; ergo bruta habent vſum rationis. 2. Bruta habent prædicere futura; ſed prædictio futurorum nequit eſſe actus phantaſiæ; quæ nequit agere, niſi per ſpecies receptas à rebus, quæ fuerunt; ergo habent vſum rationis. Ant. probari poteſt ex relatione nobis facta *à quodam noſtro amiciſſimo Viro omni fide digno*; qui, dum moraretur *in Hybernia*, quæ ei patria eſt, audiuit quendam videntē coruum vocitantem ſupra tectum cuiuſdā domus interrogaſſe, quis, & quomodò ſe haberet Dominus illius domus? Cui cùm eſſet reſponſum bene valere: *Poſt quinque dies*, inquit, *morietur*; ſubiungēs ſe id excepiſſe à coruo loquente; & ita ſecuta eſt mors. Præterea altera die deſtinata recreationi ſtudentium cauit, ne vllus è conuentu exiret; audierat enim coruum prædicentem vnum ex illis fore vulnerandum lethaliter; quam prædictionē aliquibus aſpernantibus egreſſis ad relaxandum animum vni illorum grauiter percuſſum fuit caput tegula caſualiter deſuper cadente.

Reſp. *Fund. Doct. diſt. 25. art. 2. ad 1; & 2.* hæc omnia contingere ex inſtinctu naturali, vt dictum eſt; diſciplinantur enim bruta per receptionem ſpecierum materialium, non per ſpecies intellectuales; quia ſi reciperent diſciplinam per ſpecies immateriales, poſſent alia bruta edocere, quod falſum eſſe manifeſtum eſt; tum quia ſpecies immateriales non conueniunt, niſi formæ ſpirituali. Ad 2. dicitur futura prędicere, quomodò formicæ futura prævident. Additur, quòd Corui mortē prædicunt, quia fœtorem ob olfactus ſagacitatem præſentiunt. Vel hæc fieri ex ordinatione prouidentiæ Diuinæ, quæ ingerit ſpecies rerum animalibus ad noſtram vtilitatem, & profectum, non ad eorum ſcientiam, quæ nihil eis prodeſt ob eorum incapacitatem.

32 Obijc. cont. vlt. part. concl. Finis mouet cum cognitione; ſed in rebus inanimatis non eſt cognitio; ergo res inanimatæ non agunt propter finem. 2. Si res inanimatæ agerēt per cognitionē exiſtentē in alio, potiùs aliud ageret propter finem, quàm ipſæ res; ergo iſtæ non agunt propter finem. 3. Multa in rebus inanimatis caſualiter eueniunt, vt monſtra; ergo non agunt propter finem; nam agere caſualiter opponitur actioni ex intentione finis. 4. Si res inanimatæ agerent per cognitionem exiſtentem in alio, nunquam deuiarent à fine; quia non poſſunt deuiare à cognitione, & intentione Dei, quæ eſt infallibilis, & infruſtrabilis; ergo non agunt per intentionem exiſtētem in alio. 5. *Phil.* ad probandum contra antiquos *Philoſophos* aſſerentes naturam non agere propter finem, quia non agit ex deliberatione, aſſerit nec etiam artem agere ex deliberatione, & tamen agere propter finem; ſed hoc eſt falſum; quia ars agit ex deliberatione; ergo non rectè probatur.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Finis mouet cum cognitione exiſtente in ipſo agente, vel in alio, conc; tantùm in ipſo agente, neg. Ad 2. neg. conſiquãquis enim agere propter finem potiùs competat Auctori naturæ, quàm rebus inanimatis; attamen quia cauſalitas propter finem exiſtit etiam in ipſis rebus animatis, quæ verè agunt; ideo verè dicuntur agere propter finem. Ad 3. diſt. ant. *cum Beatiſs. P. lib. 5. de Ciu. Dei c. 9.* Multa caſualiter eueniunt reſpectu noſtri, qui ignoramus voluntatem Dei, conc; reſpectu voluntatis Dei, neg; habent enim monſtra ſuas cauſas latentes nobis ignotas, & eueniunt ſecundùm alium ordinem cauſarum; & ideo quanuis ſecundùm curſum vſitatum rerum caſualiter videantur euenire; attamen eueniunt ex intentione Dei operantis ſecundùm alium ordinem, vt ei placet; & tunc res agunt ex intentione Dei agentis ſecundùm alium ordinem. Ad 4. diſt. ant. eodem modo. Nūquam deuiarent à fine intento ab Auctore naturæ ſecundùm alium ordinem, conc; ſecundùm iſtum ordinem vſitatum, neg. Ad 5. dicitur *cum Fund. Doct. 2. Phyſ. t. 77. dubit. 2; & t. 82*; quòd *Phil.* probat naturam agere propter finem, etianſi non agat ex deliberatione; quia etiam ars agit ordinatè, & propter finem, quanuis aliquando non agat ex deliberatione; nam quando citharædus v. g. acquiſiuit artem citharizandi, aliquando debitè, & ordinatè citharizat; quanuis actualiter non cogitet, aut deliberet circa regulas, & modum citharizandi; ita à pari.

33 Ex dictis habetur Deum eſſe primum agens propter finem, & vltimum omnium agentium finem; creaturas verò eſſe ſecunda agentia propter finem, & fines intermedios; quarum aliquæ ordinantur ad Deum participabilem in eſſe naturæ, vt res inanimatæ; aliæ verò, vt creaturæ intellectuales, ordinantur, vt ad ſummum bonū illarum perfectè beatificatiuū in eſſe gratiæ participabile ſine fine; quapropter ad agendum *de Beatitudine*, quam creatura acquirit in vltimo fine tranſimus.

DE BEA-

DE BEATITVDINE.

B*Eati, qui ambulant in vijs eius. pſ.* 118. Ea eſt ſummi Boni affluentia, adeoque effuſa æternæ felicitatis iucunditas; vt egreſſa è ſeipſa nedum poſſidentium beet præſentiam, ſed & eam quærentium in via poſſeſſionem præueniens ſatiet abſentiam. Suo ſinu contineri neſcia, quia finium limitibus non clauditur, prægustandam ſuæ ſuauitatis dulcedinem, antequam deguſtetur, emittit. Irrequietis huius viæ motibus beatiſſimam illius vitæ inſerens quietem antiphraſtici ſtatus ſeriem componit. Tumultuantes inter pelagi procellas portus tranquillitatem immittit; nec tamen tranquillitas ſedat tumultus, aut tempeſtates auertit, ſed tranquilla duntaxat reddit naufragia. Mirabilis oppoſitionum congreſſus! Lux in tenebris ſplendet, nec cedunt tenebræ; nocti vnitur dies, nec nox fugatur; lacrymis iungitur riſus, nec à riſu diſiunguntur lacrymæ; timori ſecuritas nectitur, nec timor tollitur; triſtitiæ miſcetur gaudium, nec triſtitiam abijcit; inediæ ſatietas, nec famem pellit; egeſtati opulentia, nec inopiam deſtruit; ægritudini ſalus, nec morbos ſanat, morti vita, quæ ſinit mori; pacatis enim hoſtilitatis iuribus amico fœdere aſſociantur. Terminus viæ ante vitæ terminum anticipata fruitione poſſidendus, ſed non poſſeſſus oſtenditur; vt præambulas ſummis labijs guſtantes delicias affectemus extremas. Odor ſuauitatis defertur, ſed ſuauitas ipſa differtur; vt ſagaci eam venemur hiatu. Animum guttatim alluit, ſed non perfundit; vt guttularum præſentiens dulcedinem plenitudinem ambiat. Immenſas Cœleſtis Regni offert diuitias; ac veluti dato pignore tribuit ius ad coronam. Sed hæc momenta ſunt illius interminabilis vitæ; guttulæ illius maris immenſi; exteriùs micantes illius lucis ſcintillulæ. Quid itaque in ſe ipſa erit, ſi extra ſe ineffabilis prorſus apparet? Capi nequit, quia infinita; menſurari non poteſt, quia ipſa eſt omnium menſura; nec deſcribi, quia nulla concludi valet periodo. Niſi tranſeat temporanea hæc nox, dies ille ſempiternus in ſe ipſo clarè nequit videri; niſi hæc vmbra fugax euaneſcat, perſpicuè luſtrari non poteſt illa firmiſſima, & ſereniſſima lux. Verùm ne rei magnitudo Curſum intercipiat propoſitum, inueſtigemus, quantùm poſſumus in ſpe contemplandi Deo adiuuante in re aliquando, quod nunc non valemus.

QVÆSTIO I.

De Beatitudine obiectiua.

DIuiditur beatitudo in naturalem, & ſupernaturalem; de prima multa diximus *q.8.de Angelis art.*1; & iterum ſermo erit *in tract. de peccatis*, cùm de paruulis decedentibus ſine baptiſmo diſputabim. 5. Loquimur ergo *hic* ſolùm de beatitudine ſupernaturali. Hæc pariter ſubdiuiditur in beatitudinem obiectiuam; quæ eſt res ipſa, ſeu obiectum beatificans potentiam; & formalem, quæ eſt ipſe actus, quo adipiſcimur beatitudinem obiectiuam. Agimus *in hac q.* de obiectiua duntaxat acturi de formali *in ſeq.*

ART. I.

In quo conſiſtat beatitudo ſupernaturalis obiectiua?

1 INter *Catholicos* nulla eſt circa hâc rem controuerſia, quia Fides docet ſolùm Deum eſſe ſummum bonum, finem ſimpliciter vltimum plenè ſatiatiuum appetitus creati. Solùm igitur *apud antiquos Gentiles* fuit circa hoc dubitatio.

2 *Beatiſſ.P.lib.*19.*de Ciu.Dei à c.*1.*ad* 5.hâc materiam pertractat;& *ex Varr.* recenſens *antiquorum Philoſophorum* deliria circa beatitudinem obiectiuam hominis, ſeu obiectum beatificum illa ad tria genera reducit. Porro *Philoſophi Gentiles* ſolo naturæ lumine præditi ſolam hominis beatitudinem naturalem agnouerunt; adeoque in bono naturali ſtatutã eſſe dixerunt. Cùm igitur bonum naturale hominis generaliter ſumptum diuidatur in bonum corporis, & bonum animi, ex quibus conſtat homo; ideo triplex ſententia principalis fuit circa beatitudinem illius: *Alij* ergo voluerunt conſiſtere in bonis corporis; quæ quidem vel ſunt interna; vt ſalus, incolumitas, integritas membrorum, robur &c; vel externa, vt diuitiæ, gloria, voluptates &c; & ita refertur ſenſiſſe *Epicurus* nomine *voluptatis* omnia iſta complectens; vt narrat idem *Beatiſſ. P. vbiſ. c.* 1. *Alij* voluerunt conſiſtere in bonis animi, quæ ſunt virtutes ipſius; & pro iſta ſententia *ibid.* referuntur *Stoici*. *Alij* verò putauerunt conſiſtere ſimul in bonis corporis, & animi; vt *Academici à Platone* inſtituti. Vnde iſtæ tres ſententiæ videntur differre, vt obſeruat *Beatiſſ.P.c.* 2; quòd prima conſtituit felicitatem in vita naturali actiua; ſecunda in vita naturali contemplatiua; tertia verò in vtraque vita.

3 Quamuis autem *aliqui* conentur excuſare *Epicurum* aſſerentes ipſum collocaſſe noſtram beatitudinem in voluptatibus animi, vel ſimul in voluptatibus animi, & corporis; vt videre eſt *apud*

noſtrum Gibb.hic diſp.4.dub.4.n.3;attamen *Saraceni,& Mahometani*, nec non *Cherintus*, & *eius Diſcipuli* dixerunt ſe poſt vniuerſalem reſurrectionem victuros mille annos in Regno Chriſti ſecundùm carnis voluptates; quapropter *Chiliaſtæ*,idèſt *Millenarij* ſunt appellati.

4 Not. *ex Beatiſſ. P. vbiſ*; quòd *beatitudo eſt omnium rerum appetendarum plenitudo*, ſeu vt docet *Boet. lib.3. de Conſol. proſ.2. Eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*; quapropter *Fūd.Doct.in Opuſc.in cap.Cùm Marthæ de Celebr. Miſſ.fol.8.col.4.*ait: *Non ergo eſſet beatitudo ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, niſi haberet in ſe nedum ſufficientiam, ſed etiam plenitudinem,& redundantiam omnium bonorum; propterea dixit Chriſtus Dominus Act.20.Beatius eſt dare,quàm accipere*. Idem habet etiam *in 2. diſt.1.p.2.q.2.art.4.dub.1.lit.*Hæc deſinitio communiter accipitur etiam *ab ipſis Gentilibus*; nam *Cicero*,qui ſectam *Academicorum* ſecutus eſt,*in 2.Tuſcul.*ait:*Beatitudo eſt bonorū omnium ſecretis omnibus malis cumulata complexio*; quam definitionem *ex Platone* deſumpſit;*Et Ariſt.1.Eth.c.7.* ait:*Felicitas eſt ſufficiens bonum;ſufficiens autem id eſſe ſtatuimus,quod ſi ſolum relinquatur, ſufficientem,atque amabilem vitam, & nullius rei indigam facit*.

5 Ex his habetur. 1. beatitudinem formaliter importare quietem totalem ipſius appetitus intellectualis;cùm enim importet perfectam aggregationem, ſeu cumulum omnium bonorum; & cùm in acquiſitione bonitatis quieſcat appetitus;quia *habito fine ceſſat motus*; ceſſatio autē motus eſt formaliter quies; & cùm poſt acquiſitionem omnis boni nullum aliud bonum appetendum ſuperſit; aliter non eſſet acquiſitio omnis boni; ideo beatitudo obiectiua importat formaliter quietem perfectam.

6 Habetur 2. beatitudinem importare ſatietatem ipſius appetitus; nam cùm vltra omne bonum non ſit aliud bonum; ideo neque vltra appetitum ad omne bonum poteſt dari appetitus ad aliud bonum; & ideo appetitus per acquiſitionem omnis boni plenè,& perfectè ſatiatur.

7 Dices. Chriſtus Dominus fuit perfectè beatus; & tamen eius appetitus non fuit perfectè ſatiatus; & animæ beatorum ſunt verè beatæ & tamen appetunt vnionem ad corpus, & ſalutē aliorum;ergo ſatietas plena non eſt de eſſentia beatitudinis.

Reſp.ad 1.Chriſtum Dominum fuiſſe perfectè beatum ſecundùm partem ſuperiorem, ſcilicet rationalem; non verò ſecundùm partem inferiorem,ſeu ſenſitiuam, quia ſimul fuit beatus, & viator; non potuit autem ſic eſſe,niſi ſecundū diuerſas rationes,ſeu potentias. Neque hoc aliquam repugnantiam innoluit; quia beatitudo eſt eſſentialiter aliquod ſpiritale, & ideo formaliter reſpicit potentias ſpiritales; & materialiter potentias materiales,quatenus ſcilicet cum potentijs ſpiritalibus coniunguntur, & in illas redundat;potuit ergo in illas non redundare in Chriſto Domino,etianſi coniungerentur cum potentijs ſpiritualibus; & hoc non obſtante ſaluatur beatitudo formalis; quia potentiæ ſpirituales perfectè fruebātur ſūmo bono ſpiritali; ad quod fruendum non erat neceſſe, vt concurrerent potentiæ ſenſitiuæ;vt patet in inſpirationibus Diuinis à Deo immiſſis in mentes iuſtorum in via, & non acceptis per ſenſum. Ad 2.dicitur, quòd licèt *plures Recentiores* ſentire videantur beatitudinem, ſeu viſionem beatam nullo modo poſſe augeri;vt diximus *q.6.de Ang.ar.1.§.2.n.8;& 9*; *alij* verò per illam non ſatiari omnem appetitū innatum,ſed tantùm elicitum; vt *noſter Gibb. hic diſp.4.dub.1.n.8;& 9*; attamen dicendum *cum Fūd.Doct.in Opuſc.in Cap.Marthæ de Celeb.Miſſ. part.3.per totam*; quòd quanuis beatitudo eſſentialis non poſſit augeri,neque intenſiuè, neque extenſiuè;& ideo appetitus innatus, & elicitus ad beatitudinem eſſentialem ſit plenè, & perfectè ſatiatus; nihilominus beatitudo accidentalis poteſt augeri tam intenſiuè,quàm extenſiuè;quia numerus beatorum poteſt creſcere vſque ad diē Iudicij, ex quorum ſocietate conſurgit gaudium accidentale; vnde obſeruat *Fund. Doct*; quòd *in Secreta S. Leonis Papæ* habebatur *in antiquis codicibus: Annue nobis Domine,vt animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio*; quæ verba fuerunt mutata,ne rudes deciperentur non intelligentes ſēſum illorum verborum eſſe, quòd ſcilicet *animæ* B.Leonis augeretur præmium, aut gaudium accidentale, quatenus nobis ad Cœlum euolantibus ex noſtro conſortio nouum gaudium perciperet.Habetur etiam *Luc.15*;vbi dicitur. *Ita dico vobis; gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*; vbi illud verbum *erit* explicat aliquod futurum, quod Angeli ſancti non habebūt, niſi cùm ponetur pœnitētia peccatoris. Tum quia certum eſt beatos nūc determinatè ignorare *diem Iudicij*; quem tamen ſcient,& videbunt in Diuina eſſentia, cùm aduenerit;ergo eorum viſio poteſt accidentaliter creſcere. Neque hoc officit eſſentiæ beatitudinis; quia variato eo,quod merè accidentaliter aduenit rei,non variatur eſſentia rei; aliter non accidentaliter,ſed eſſentialiter ei adueniret; quòd autem viſio creaturarum in Diuina eſſentia merè accidentaliter adueniat,manifeſtum eſt; quia, viſo Deo,quanuis nulla videretur creatura, adhuc videns eſſet perfectè beatus. De ratione ergo beatitudinis eſt, quòd ſatietur appetitus ſiue innatus, ſiue elicitus quoad obiectum primariū eſſentiale,quod eſt Diuina eſſentia; non autem quoad obiectum accidentale ſecundarium,quod eſt creatura.

8 Habetur 3. obiectum beatificans non eſſe propter aliud, ſed omnia eſſe propter ipſum; quia cùm debeat vltimatè ſatiare, & quietare appetitum;ideo nequit eſſe propter aliud;nam

quod

quod eſt propter alid, non terminat vltimatè; quia poſt illud adhuc remanet aliud, quod terminat appetitum; & ideo nō eſt vltimum. Præterea omne medium eſt propter vltimum; ſed omne illud, quod non eſt vltimum, neque primum, eſt medium, quia eſt inter duo extrema, quæ ſunt primum, & vltimum; ergo omne illud, quod non eſt vltimum, neque primum, eſt propter vltimū; & ideo obiectum beatificans, quia eſt vltimum, non eſt propter aliud, ſed omnia ſunt propter ipſum. *His not.*

9 Vnica concl. Obiectum beatificum, ſeu beatitudo obiectiua eſt ſolus Deus.

Prob.1.*ex Gen.15. Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Ex quo ſic arguit *Fund.Doct.in Opuſc.de Diuina Influent.in beatos.* Merces, quæ per merita acquiritur, eſt noſtra beatitudo obiectiua; de ratione enim beatitudinis eſt quies, *vt ſup.* dictum eſt, merces autem eſt quies laborum; ſed Deus eſt merces noſtrorum meritorum, vt habet *Scriptura*; ergo Deus eſt noſtra beatitudo obiectiua.

10 Prob.2. *ex Beatiſſ.P. lib. 8. de Trin. c.3;* vbi docet: *Bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc, & illud, & vide ipſum bonum, ſi potes; ita Deum videbis non alio bono bonum, ſed omnis boni bonum.* Ex quo ſic arguit *Fund. Doct. vbiſup.4. via.* Illud eſt obiectum beatificans naturam intellectualem, quod poteſt plenè, & perfectè ſatiare eius appetitum, & replere eius capacitatem; ſed ſolus Deus eſt huiuſmodi; ergo ſolus Deus eſt obiectum beatificans creaturam intellectualem. Ma.patet ex dictis; nam de ratione beatitudinis eſt ſatietas; quādiu enim appetitus non eſt ſatiatus, & repletus, manet deſiderium, deſiderium autem eſt de bono non poſſeſſo, & non poſſidere bonum eſt miſeria; ſicut illud poſſidere eſt felicitas; ergo obiectum beatificum eſt illud, quod poteſt plenè, & perfectè ſatiare appetitum, & replere capacitatem. Prob.mi. Voluntas creata poteſt appetere omne bonum, & eſt capax illud poſſidēdi; habet enim pro obiecto bonum, *vt ſic*, ſub quo continetur omne bonum particulare; ſicuti intellectus habet pro obiecto omne verum, nec eius capacitas repletur, niſi per coniunctionem cū omni vero; cùm enim intelligit aliquod verum particulare, eſt capax intelligere aliud verum; at verò cùm intelligit omne verum, nullū aliud verum poteſt intelligere; ita à pari; ſed ſolus Deus eſt omne bonum, quia eſt omne ens, & omne verum; & quælibet creatura eſt bonum particulare; eſt enim particula bonitatis Diuinæ; ſicuti eſt ens particulare, quia eſt particula entitatis Dei; non enim eſt omne ens; nam v.g. canis non eſt equus &c; ergo ſolus Deus eſt obiectum beatificans.

11 Dices. Quando beatus intelligit Deum, intelligit etiam creaturam per cognitionem naturalem; ergo falſum eſt, quòd omne verum totaliter expleat capacitatem intellectus, & ſic de voluntate.

Reſp.diſt.ant. Intelligit etiam creaturā, tāquam aliud ens diuerſum ab eſſe Dei, neg; eſſe enim creaturæ eſt eſſe Dei, tanquam idem ens, ac Deus, diuerſo modo habēs eſſe, idēſt habens eſſe extra Deum modo limitato, conc. *Vid. in 1. ſent.to.1.de Emin.Dei art.4.*

12 Prob.3.*ex eod.ibid.* Obiectū beatificās eſt illud, quod poteſt immediatè vniri cum appetitu rationali; ſed ſolus Deus poteſt immediatè vniri cum appetitu rationali; ergo ſolus Deus eſt obiectū beatificans. Prob.ma. Obiectū beatificans debet replere capacitatē appetitus; aliter ſi nō expleat, non ſatiat, nec beatificat; ſed quod replet capacitatem alicuius, vnitur cum illo; nam aqua nequit replere capacitatem vaſis, niſi vniatur cū illo; ergo obiectum beatificans eſt illud, quod poteſt immediatè vniri cum appetitu rationali. Prob.mi. Solus Deus poteſt illabi intellectui, & volūtati creaturæ; obiecta enim creata vniuntur ſolū ſecūdū ſpecies vel infuſas, vt in Angelis; vel acceptas à rebus, vt in nobis; ergo ſolus Deus poteſt immediatè vniri cum appetitu rationali.

13 Conf.*ex eod.* Vnio obiecti cum appetitu ſecundùm ſpeciem non eſt ſatiatiua, nec quietatiua; nam ſpecies bonitatis exiſtens in intellectu cauſat motum in voluntate, quo voluntas tendit ad quærendam poſſeſſionem rei in ſe ipſa, in qua ſolùm quietatur; tum quia vnio obiecti ſecundū ſpeciem intelligibilem eſt vnio ſecundùm ſpem, non ſecundùm rem; *ſpes autem affligit animam*; quia dicit carentiam boni, quod voluntas amat; & afflictio beatitudini opponitur; ergo ſola vnio obiecti ſecundùm rem cum appetitu poteſt illū beatificare; at ſolus Deus poteſt vniri voluntati creatæ ſecundùm rem; quia cetera obiecta vniūtur ſolùm ſecundùm ſpeciem intelligibilem, vt patet; ergo ſolus Deus eſt obiectum beatificans, ſeu beatitudo obiectiua.

14 Prob.4.*ex eod.* Obiectum beatificans eſſentialiter importat perfectam quietem; ſed ſolus Deus eſt noſtra quies perfecta; ergo ſolus Deus eſt obiectum nos beatificans. Ma.patet ex dictis. Prob.mi. Solus Deus eſt immobilis; omnes enim creaturæ ſunt mobiles, quia ſicut tranſierunt ad eſſe; ſic poſſunt tranſire ad non eſſe; tum quia ſunt media ad Deum; omne autem mediū eſt mobile; aliter non conduceret ad finem, ſed ſiſteret in ſe ipſo; & non fineret voluntatem vlteriùs progredi; ſed quies dicit immobilitatem; quies enim opponitur motui, ſicut opponitur immobilitas; ergo ſolus Deus eſt noſtra quies.

15 Obijc.1. Homo non habet appetitum naturalem innatum, vel elicitum ad viſionem beatam, vt dictum eſt *in 1.ſent.de Inuiſib.q.1. art.5;* ergo poteſt adęquatè ſatiari per aliquod bonum particulare, quod non ſit omne bonum; nam appetitus poteſt ſatiari per id, quod eſt terminus naturalis illius, & ſic dicendum de quiete; quies enim reſpondet motui; & ideo poteſt quieſcere in illo, ad quod poteſt naturaliter moueri. 2. Ex

co,

eo, quòd appetitus rationalis habeat pro obiecto bonum,*vt ſic*,ſolùm infertur,quòd poſſit tendere in omne bonum particulare diſiunctiuè, idêſt modò in hoc,modò in illud; & ideo dicitur tendere in bonum vniuerſale per prædicationē, non per cauſalitatem;ergo non ſequitur, quòd ſolùm ſatietur ab omni bono actu continente omnem bonitatem; vt eſt Deus optimus maximus.

Omiſſa reſponſione *Godoy, & omnium Thomiſtarum*; quæ quia adæquatè non ſoluit, ideo trahit plures replicas;reſp.neg.conſ.nam licèt nō detur appetitus innatus, vel elicitus naturalis,datur tamen capacitas,ſeu aptitudo naturalis remota,vt diximus *ibid.n.3*;quę capacitas eleuata per gratiā,& charitatē infuſā nequit ſatiari, niſi per omne bonùm in eſſendo,quod eſt Deus. Ad 2.neg.ant;nam ex eo, quòd per nullum bonum particulare ſatietur, & in nullo determinatè quieſcat, quia ſemper de vno poteſt ire in aliud, optimè infertur ſatiari ſolùm ab omni bono,& in illo quieſcere.

16 Obijc.2. Appetitus hominis eſt finitus: ergo poteſt ſatiari,& quieſcere in aliquo finito: nam capacitas finita explctur per aliquod finitum; replebile enim, & repletiuum commenſurantur,& adæquantur.

Reſp.diſt.ant. Appetitus hominis eſt finitus categorematicè,cōc; ſincategorematicè,neg; ſicut autem infinitum continuum ſincategorematicum non euacuatur per diuiſiones finitas, ſed tantùm per infinitas; ita appetitus infinitus ſincategorematicè, qui ita appetit bonum particulare, vt ſemper aliud poſſit in infinitum appetere,non ſatiatur,& adæquatur,niſi per bonum infinitum,non tamen modo infinito;quia modus infinitus nequit competere, niſi rei infinitæ; ſed modo finito,qui competit rei actu finitæ, & ſincategorematicè infinitæ;vnde ſicuti ſi vas ita caperet aquam finitam, vt ſimul poſſet capere maiorem in infinitum, capacitas illius non adæquaretur,nec repleretur per aquam finitam; ita appetitus licèt ſit finitus ſecundùm entitatem;attamen quia ita appetit bonum particulare, vt ſimul poſſit appetere maius in infinitum; quia poteſt ſemper appetere plura per modum vnius in infinitum; ideo non ſatiatur, nec repletur adæquatè,niſi à bono infinito.

17 Obijc.3.Ad adæquandam capacitatem intellectus non requiritur, quòd ei proponatur omne verum;aliter intellectus beati videret omnes creaturas poſſibiles; ergo ad ſatiandam capacitatem voluntatis non requiritur, quòd ei proponatur omne bonum.

Reſp.diſt.ant.Non requiritur,quòd ei proponatur omne verum per eſſentiam, quod eſt Deus,neg;per participationem, tranſeat; quamuis enim ad adæquandum intellectum requiratur omne verum; attamen quia intellectus illud verum non comprehendit; ideo nequit cognoſcere omne id,quod eminenter continet; quamuis nihil minus ipſo poſſit eum adæquare.

A R T. II.

An Beatitudo obiectiua importet formaliter Deum,vt vnum, & trinum?

1 SVpp.1.tanquam certum *apud omnes* à beatis de facto videri Deum, vt vnum, & trinum; quia vident Deum intuitiuè, vt eſt in ſe iuxta illud *Apoſt.1.Cor.13. Nunc per ſpeculum in ænigmate;tunc autem facie ad faciem*; & illud *1.Io.3.Videbimus eum,ſicuti eſt*; in ſe autem eſt vnus,& trinus;ideo videtur,vt vnus, & trinus.

2 Supp.2. non ſolùm de facto,ſed etiam de poſſibili hoc verificari *in noſtra Schola*; vt diximus *in 1.ſent.to.1.de Inuiſib. q.4. art.2.* Hoc tamen non obſtante quærimus, an ſuppoſito per impoſſibile, quòd videretur eſſentia ſine perſonis,vel vna perſona ſine alia,ſic videns eſſet perfectè,& plenè beatus; ex hac enim ſuppoſitione colligitur,quidnam primariò, & formaliter importet obiectum beatificans,& quid ſecundariò, ac materialiter.

3 Prima ſententia vult, quòd ſuppoſito à beatis videri Deum,vt vnum,non vt trinum,adhuc eſſet perfectè beatus; atque adeo perſonas Diuinas non pertinere ad obiectum formale ſpecificatiuum Beatitudinis. *Ita Scot;Baſſol; Mayr; Rad; & alij Scotiſtæ*; quibus accedunt *Mol; Sua;Med; & alij* docentes relationes non dicere perfectionem; quāuis plurimi *ex ipſis* aſſerant oppoſitū; vt videre eſt *apud Godoy hic diſp.2.§.2.*

4 Secunda ſententia docet beatitudinem obiectiuam importare formaliter, & primariò Deum,vt vnum, & trinum ita, quòd ſuppoſito, quòd aliquis videret Deum,vt vnum,non vt trinum, ille non eſſet plenè, & perfectè beatus. *Ita Fund.Doct.in Opuſc. de Diuin. Influent. in beatos c. 2; & omnes illius diſcipuli*. Conſentit etiam *D.Tho;& Thomiſtæ*, quos refert,& ſequitur *Godoy vbiſ.§.1; Vaſq; Monteſin; Lorca; & alij*.

5 Not;quòd non eſt *hic* ſermo de beatitudine inadæquata,& imperfecta ita,vt ſenſus ſit,an ſuppoſito,quòd aliquis videret Deum, vt vnum, non vt trinum,eſſet ſaltem imperfectè, & inadæquatè beatus; de hoc enim nullum poteſt eſſe dubium;quia loquendo de beatitudine imperfecta,inchoata, & inadæquata poteſt haberi etiam in via per Fidem; vt habetur *Matt. 5*; ſed ſermo eſt de beatitudine perfecta, & adæquata ita,vt ſi aliquis videret eſſentiam ſine perſonis,eſſet perfectè, & adæquatè beatus eo modo, ac ſi videret eſſentiam cum perſonis.Igitur.

6 Vnica concl.Videns,& amans eſſentiam ſine perſonis, vel vnam perſonam ſine alia non eſſet plenè, & perfectè beatus.

Prob.1.*ex Io.vbiſ.*Deus,vt eſt in ſe,eſt obiectum nos beatificans; dicitur enim, quòd per viſionem beatam *videbimus eum,ſicuti eſt*; nam viſio

ſio in alio, quæ eſt abſtractiua, non eſt beatifica, vt patet; & ideo Deus, vt eſt in alio cognoſcibilis, & amabilis; idèſt per ſpeciem, non eſt obiectū plenè, & perfectè beatificans; ſed Deus, vt eſt in ſe, eſt vnus, & trinus, vt docet Fides; ergo obiectum plenè, & perfectè beatificans eſt Deus, vt vnus, & trinus; & ideo videns, & amans Deum, vt vnum, ſine perſonis, vel vnam perſonam ſine alia non eſſet plenè, & perfectè beatus.

7 Dices; quòd videns, & amans Deum, vt vnum, videret Deum, vt eſt in ſe, idèſt non per ſpeciem, non tamen videret Deum adæquatè, idèſt ſecundùm omnia, quæ ſunt in Deo.

Sed contra eſt. Videns, & amans Deum, vt eſt in ſe adæquatè, eſt plenè, & perfectè beatus; ergo videns, & amans Deum, vt eſt in ſe inadæquatè, eſſet tantùm ſemiplenè, & imperfectè beatus; beatitudo enim formalis commenſuratur cū beatitudine obiectiua; vnde ſicut obiectum beatificans, vt eſt in ſe ipſo adæquatè, totum perceptum per viſionem, & amorem eſt cauſa beatitudinis formalis perfectæ, & adæquatæ; ita obiectū beatificum, vt eſt in ſe, inadæquatè perceptum eſt cauſa beatitudinis imperfectæ, & inadæquatæ.

8 Prob.2. *à Fund. Doct. ex Io. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtū*; ſuper quod *Beatiſſ. P. tract.* 105. ait: *Ordo verborum eſt, vt Te, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum cognoſcant ſolum verum Deum; conſequēter enim & Spiritus S. intelligitur, quia Spiritus eſt Patris, & Filÿ, tanquam charitas ſubſtantialis, & conſubſtantialis amborum*. Ex quo ſic. Vita æterna eſt vita perfectè beata; ſed videns, & amans eſſentiam ſine perſonis, aut vnā perſonam ſine alia non habet perfectè vitam æternam; ergo nõ habet vitam perfectè beatam. Prob. ma. Vita æterna cõſiſtit in viſione, & amore beatifico ipſius Dei; vita enim in actu ſecundo conſiſtit in operatione; vt dicitur *in lib. de an*; & vita æterna conſiſtit in operationibus permanētibus; viſio autem, & amor beatificus ſunt operationes permanentes, & indeſtruibiles; ergo vita æterna eſt vita beata; tum quia communiter *à Scripturis, & SS. PP.* nomine vitæ æternæ intelligitur vita beata. Mi. expreſsè habetur *in textu allato*; vita enim æterna conſiſtit in cognitione clara, ad quam neceſſariò ſequitur amor perfectus ipſius Patris, & Filij, & Spiritus vtriuſque, qui eſt Spiritus S, ergo videns, & amans eſſentiam ſine perſonis, & vnam perſonam ſine alia non habet vitam æternam ex teſtimonio ipſius Chriſti Domini.

9 Prob.3. *ab eod. ibid.* Viſio eſſentialiter requiſita ad perfectam beatitudinem eſt illa, quæ correſpondet Fidei, quam habemus in via ita, vt actus videndi reſpondeat actui credendi; habetur enim *pſ. 76. Sicut audiuimus, ſic vidimus in Ciuitate Domini virtutum*; ſed in via non ſufficit Fides vnitatis Dei; aut vnius perſonæ ſine alia; vnde *Ariani, Sabelliani, & alÿ hæretici* credentes tantùm vnam, vel alteram perſonam omnes damnati ſunt; neceſſarium enim eſt ad ſalutē credere myſterium Trinitatis; ergo in patria non ſufficit ad beatitudinem viſio vnitatis eſſentiæ, non autem Diuinarum perſonarum; aut vnius perſonæ ſine alia.

10 Dices. Ex hoc ſequeretur etiam humanitatem Chriſti pertinere ad obiectum noſtræ beatitudinis; dicitur enim *Io. vbi ſ. Et quem miſiſti, Dominum Ieſum Chriſtum*; & vlteriùs neceſſarium eſſe quoque ad ſalutem credere Incarnationem, & paſſionem Ieſu Chriſti; ſed hoc nequit intelligi niſi de obiecto ſecundario; quia creaturæ pertinent ad obiectum ſecundarium viſionis beatæ; ergo idem dicendum eſt de perſonis Diuinis.

Reſp. *Fund. Doct. ibid.* diſt. ſeq. ma. Sequeretur etiam humanitatē Chriſti pertinere ad obiectum noſtræ beatitudinis, tanquam cõditionem, *ſine qua non*, conc; habetur enim *Io. 10. Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſaluabitur*; tanquā obiectum principale, neg. Ponit ergo *Euangeliſta* nedum rationem formalem beatitudinis obiectiuæ, ſed etiam conditionem neceſſariò requiſitam ad illam conſequendam, vt adęquatè illam explicet. Creaturæ verò repræsētatæ in Diuina eſſentia non ſunt conditio, ſed tantùm obiectum ſecūdariū, ſine quo poteſt ſaluari perfecta ratio beatitudinis obiectiuæ.

11 Prob.4. Opera ad extra ſunt totius Trinitatis; ſed beatificare eſt opus ad extra; ergo eſt totius Trinitatis. *Vid. to. 1. vbi ſ.*

12 Prob.5. Obiectum adæquatè beatificans eſt cumulus omnium perfectionum; vt dictum eſt *in ſup. art*; ſed eſſentia ſine perſonalitatibus non eſt cumulus omnium perfectionum; quia relationes dicunt perfectionem relatiuam, quam non dicit eſſentia; vt probatum eſt *in 1. ſent. to. 2. de Trin. q. 5. art 6*; ergo eſſentia ſine perſonis non eſt obiectum adæquatè beatificans. *Vid. ibid. alias rationes*.

13 Prob.6. Id, quod maximè pertinet ad rationē obiecti beatifici, eſt amor obiectiuè ſumptus; per ipſum enim voluntas maximè beatur, & iucundatur; ſed videns, & amans eſſentiam ſine perſonis, aut vnam perſonam ſine alia non videret, & amaret amorem, quo Pater diligit Filium, & quo Filius diligit Spiritum S; aliter videret, & amaret ipſas perſonas Diuinas; & quanuis iſte amor ſit perſonalis, eſt tamen amor verus, realis, infinitus, & infinitè amabilis; quia per ipſum producitur vera perſona Diuina, quæ eſt Spiritus S; neque enim dici poteſt, quòd amor eſſentialis ſit melior amore notionali; cùm ſit vnus, & idem amor; vt diximus *de Trin. q. 2. art. 4*; ergo videns, & amans eſſentiam ſine perſonis, aut vnam perſonam ſine alia non eſſet perfectè beatus. *Vid. alias rationes de Trin. q. 5. vbi ſ.*

14 Tandem de ratione obiecti plenè, & perfectè beatificantis eſt, quòd capacitas cuiuſcun-

que potentiæ ſatietur tota,quanta eſt; beatitudo enim importat eſſentialiter ſatietatem,& quietē, vt dictum eſt *in ſup. art*; aliter ſi capacitas alicuius potentiæ non ſatiaretur,& quieſceret, habēs illam potentiam non eſſet plenè,& perfectè beatus; poſſet enim ampliùs beari per ſatietatem illius potentiæ;ſed videns eſſentiam ſine perſonis, vel vnam perſonam ſine alia non haberet capacitatem ſuarum potentiarum perfectè, & plenè ſatiatam;quia capacitas intellectus poſſet extendi etiam ad videndas alias perſonas;& capacitas voluntatis ad illas amandas; ergo non eſſet perfectè beatus. Tum quia perſonæ Diuinæ pertinēt ad obiectum primarium ſpecificatiuum viſionis beatæ, & amoris beatifici,tanquam aliquid inadæquatum,& veluti partiale; vt dictum eſt *to.1. de Viſ.q.4.ar.1;& to.2.de Scient.Dei q.1.ar.3,& de volunt.q.3.art.*1;ergo non videns omnes perſonas Diuinas non eſſet perfectè, & adæquatè beatus;ſicut enim neſciens omnia obiecta partialia Philoſophiæ v.g.pertinentia ad obiectum primarium, non eſſet perfectè philoſophus; ita à pari.

15 Obiectiones ſolutæ ſunt *in 1.ſent. locis cit. vbiſ*, attamen maioris commoditatis cauſa, aliquas principaliores *hic* afferemus.

16 Obijc.1. Pater in illo ſigno priori, antequam generet Filium,eſt perfectè beatus; quia nullam perfectionem recipit à Filio; implicat enim Patrem aliquid recipere à Filio; ſed in illo priori videt eſſentiam,non Filium,aut Spiritū S; quia Filius,& Spiritus S. non ſunt; ergo videns eſſentiam ſine perſonis eſſet perfectè beatus. 2. Pater etiam præciſo Filio ideo eſt perfectus ſimpliciter; quia habet in ſe naturam Diuinam,quæ continet eminenter etiam ipſam filiationem, & ſpirationem paſſiuam; ergo eadem ratione eſt perfectè beatus.

Reſp.ad 1.neg.ſupp.ma;nullum enim datur ſignum rationis prius, *in quo* ſit Pater; & non ſit Filius;vt diximus *to.2.de Trin.q.2.art.*8;& quanuis non recipiat efficienter à Filio aliquam perfectionem,tanquam à producente;attamen perficitur eius intellectus per cognitionem Filij, & Spiritus S. obiectiuè concurrentium ad ſpecificandam illam cognitionem elicitam actiuè ab ipſo Patre,non à Filio,aut à Spiritu S; & ſic dicitur de amore,qui eſt perfectio voluntatis Patris, & qui ſpecificatur ab omni bonitate,cùm ſit infinitus ſimpliciter;& ideo etiam à bonitate relatiua Filij; & Spiritus S.obiectiuè, non effectiuè cōcurrente ad producendum amorem Patris. Pręterea neg. mi; nam tres Diuinæ perſonæ pro quocunque ſigno, etiam rationis ſunt ſimul; vt dicitur *in Symb.D.Athan.Nihil maius,aut minus; nihil prius,aut poſterius*; vnde ſicuti non eſt admittenda in Patre maioritas, aut realis,aut rationis, & in Filio minoritas;ita dicendum de prioritate, & poſterioritate; æquè enim excluduntur *in Symb.* Ad 2.neg.ant; nam Pater præciſo Filio,& Spiritu S.eſſet ſine ſapientia,& ſine charitate;Filius enim eſt Sapientia Patris,& Spiritus ſanctus eſt charitas vtriuſque; vt docet *Apoſt; & ex illo Beatiſſ.P.lib.6.de Trin.c.*8;ſed ſapientia,& charitas ſunt duæ maximæ,& principales perfectiones naturæ intellectualis; quia ſunt actus intellectus, & voluntatis, quæ ſunt potentiæ, in quibus ſubiectantur aliæ virtutes; ergo Pater præciſo Filio, & Spiritu S. non eſſet perfectus ſimpliciter. Præterea falſum eſt eſſentiam continere eminenter filiationem, & ſpirationem paſſiuam; quia illud continetur eminenter, non formaliter, idèſt ſecundùm ſuam formam, quod in conceptu formali importat imperfectionem, vt creatura;filiatio autem, & ſpiratio paſſiua nullam important formaliter imperfectionem,aliter Filius,& Spiritus S. formaliter eſſent imperfecti; ſicuti eſt imperfecta creatura in ſe ipſa, idèſt in ſua forma; ideo filiatio, & ſpiratio paſſiua non continentur eminenter in Diuina eſſentia.

17 Obijc.2. Natura Diuina adæquatè beatificat etiam non viſa aliqua perfectione ſibi intrinſeca; ergo quanuis relationes Diuinę dicant perfectionē; attamen natura Diuina poteſt beatificare etiam illis non viſis.Prob.ant.Continentia actiua creaturarum poſſibilium in particulari veluti indiuidualiter ſumpta eſt perfectio intrinſeca naturæ Diuinæ;ſicut continentia veluti ſpecifica omnium poſſibilium in communi eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; vt diximus *tom. 1. q. de Emin. art.*5; ſed continentia actiua alicuius particularis velut indiuidualiter ſumpta non videtur; aliter viderentur omnes creaturæ poſſibiles in particulari; quod negauimus *de Inuiſib. q. 5. art.*1; ſicuti enim nequit videri continentia actiua omnium poſſibilium in communi,quin videātur omnia poſſibilia ſub aliqua ratione communi,& confuſa; ita nequit videri continentia actiua poſſibilium in particulari,quin videantur ipſa poſſibilia in particulari, & diſtinctè; ergo natura Diuina perfectè beatificat etiam non viſa aliqua perfectione ſibi intrinſeca.

Reſp. diſt.ant. Non viſa aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici,neg;perfectio enim ſimpliciter ſimplex pertinet ad obiectum primariū beatitudinis;non viſa perfectione ſimplici, quæ pertinet ad obiectum ſecundarium, conc. Ad prob. diſt.ma. eodem modo. Continentia actiua alicuius poſſibilis particularis, prout diſtinguitur à continentia actiua alterius particularis, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, neg; ſic enim non eſt in Deo formaliter;quia in Deo eſt, vt identificata formaliſſimè cum alia continentia actiua, quia integrant vnum attributum;& ideo ſi non eſt in Deo formaliter, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, neque attributū ſe ſola; aliter tot eſſent attributa, & perfectiones ſimpliciter ſimplices, quot ſunt creaturæ, quod eſt falſum; nam vel beati non viderent omnia, quæ ſunt formaliter in Deo;vel eorum viſio eſſet infinita; vtrunque

au-

autem falſum eſt. Continentia actiua alicuius particularis, prout identificata cum alia continẽtia actiua alterius particularis, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex,conc; & hoc modo videtur;& ſicuti videtur per modum vnius perfectionis ſimpliciter ſimplicis; ita ſufficit, quòd creaturæ videantur per modum vnius entis creabilis, non per modum plurium inter ſe diſtinctorum. Continẽtia igitur actiua alicuius poſſibilis eſt in Deo formaliter ſimul ſumpta cum omni alia continẽtia; ſic enim integrãt vnam continẽtiam formalẽ ſpecificam. Sicut ad hoc,vt quis videat potentiã generatiuã eſſe in homine, non eſt neceſſe,quòd videat potentias actiuas generatiuas veluti partiales,inadæquatas,& indiuiduales correſpondẽtes pluribus indiuiduis humanis, quæ poſſunt generari ab illa potentia generatiua;ſed ſufficit, quòd videat vnam potentiam ſpecificè reſpiciẽtem plura per modum vnius ſpecificatiui formalis;ita à pari.

18 Obijc.3. Obiectum beatificans eſt omne bonum; ſed eſſentia ſine perſonis eſt obiectum bonum; ergo eſſentia ſine perſonis eſt obiectum beatificans. Prob.ma. Omne verum totaliter explet capacitatem intellectus, & eſt obiectũ adæquatum illius; ergo omne bonum explet capacitatem voluntatis, & eſt obiectum adæquatum illius; & ideo eſt obiectum beatificans, de cuius ratione eſt explere capacitatem, & appetitum voluntatis. Prob.mi. Eſſentia Diuina ſine perſonis eſt omne eſſe,quia eſt eſſe omnium creaturarum; ergo eſt omne bonum, quod ſequitur ad omne eſſe. 2.Voluntas creata perfectè repletur, & ſatiatur per bonitatem infinitam; infinitum enim perfectè replet finitum; ſed eſſentia Diuina ſine perſonis eſt infinita;ergo eſſentia Diuina ſine perſonis perfectè ſatiat volũtatem creatam.

Reſp.ad 1. diſt. ma. Eſt omne bonum abſolutum,& relatiuum,conc; nam obiectum beatificum eſt omne bonum, vt eſt in ſe; in ſe autem eſt bonum abſolutum,& relatiuum;eſt omne bonum abſolutum tantùm, neg. Ad prob.diſt.eodẽ modo. Omne verum abſolutum,& relatiuum eſt obiectum totaliter explens capacitatem intellectus,conc; omne verum abſolutum tantùm, neg; nam intellectus cognoſcens omne verum abſolutum poteſt etiam cognoſcere verum relatiuũ; & ideo non eſt perfectè expletus per verum abſolutum tantùm; ideò à pari de voluntate. Vel dicitur,quòd quamuis admittatur relationes non dicere perfectionem diſtinctam à perfectione eſſentiæ;attamen falſum eſt,quòd relationes eſſentialiter non inuoluant perfectionem eſſentiæ, ſicuti inuoluunt eius entitatem; non enim habent aliud eſſe,quàm eſſe eſſentiæ,vt docet *Fũd.Doct*; ergo ſi voluntas non ſatiatur, niſi per omne bonũm, optimè ſequitur, quòd ſatiatur etiam per ipſas relationes, quæ important bonitatem eſſẽtiæ, non quidem abſolutè; ſed relatiuè ſumptæ. Ad 2. diſt.ma. Voluntas ſatiatur per bonitatem infinitam abſolutè,& relatiuè ſumptam,conc;abſolutè tantùm,neg;cùm enim fruitur bonitate infinita abſoluta,adhuc remanet capacitas ad fructũ bonitate relatiua;ſicut diximus de intellectu.

19 Obijc.4.Relationes non ſunt de conceptu formali obiecti primarij ipſius beatitudinis; ergo ſine viſione illorum poteſt haberi beatitudo. Prob.ant.1.Relationes in eſſe entis non ſunt de conceptu formali conſtitutiuo eſſentiæ Diuinæ; ergo neque in eſſe obiecti, ſeu in eſſe intelligibili; nam eſſe intelligibile ſequitur ad eſſe entis. 2. Illud eſt obiectum primarium,quod attingitur ratione ſui,& eſt ratio attingendi cetera; ſed ſola eſſentia intelligitur ratione ſui, & eſt ratio intelligendi relationes;ergo relationes non ſunt de conceptu formali obiecti primarij ipſius beatitudinis. 3. Obiectum primarium beatitudinis eſt Diuina eſſentia, vt habet rationem vltimi finis; quia ratio vltimi finis habet formaliter ſatiare,& quietare appetitum; ſed relationes non pertinent formaliter ad rationem vltimi finis; quia non pertinẽt formaliter ad rationem primi principij creaturarum; aliter ex creaturis poſſet cognoſci Trinitas perſonarum; ergo relationes non pertinent formaliter ad obiectum primariũ beatitudinis. 4. Si per impoſſibile non eſſent relationes, tunc Deus, vt vnus;eſſet ſufficiens ad nos beatificandum, quia adhuc Deus eſſet ſummum bonum, & poſſet poſſideri, prout eſt in ſe ipſo; ergo relationes non ſunt de conceptu primario beatitudinis.

Reſp.neg.ant.Ad 1.prob. diſt.ant. Relationes in eſſe entis non ſunt de conſtitutiuo formali phyſico eſſentiæ Diuinæ, neg; metaphyſico, conc.Cùm autem obiectũ beatitudinis ſit Deus, vt eſt in ſe ipſo; & Deus,vt eſt in ſe ipſo, phyſicè accipiatur; nam Deus metaphyſicè acceptus eſt Deus,vt concipitur à nobis, ideo relationes pertinent ad obiectum primariũ beatitudinis. Tum quia conſtitutiuum metaphyſicum eſt obiectum præciſiuè,abſtractiuè,& inadæquatè acceptum; obiectum autem beatitudinis non eſt Diuina eſſentia præciſiuè, abſtractiuè, & inadæquatè concepta,ſed quiditatiuè,in ſe ipſa,adæquatè; Diuina autem eſſentia quiditatiuè,adæquatè,& prout eſt in ſe ipſa, includit etiã relationes; quæ propterea pertinent ad obiectum primarium beatitudinis.Ad 2.dicitur, quòd ſi arg. valeret, concluderet ſolum conſtitutiuum vltimum inadæquatè ſumptum eſſe obiectum primarium beatitudinis;quia ſolum conſtitutiuum vltimum attingitur ratione ſui,& eſt ratio attingendi cetera; & ideo attributa non pertinerent ad obiectum primariũ beatitudinis;& cùm ratio ſummi boni, & ſummi veri ſint attributa, vt diximus *to.* 1; ideo neque ratio ſummi boni, & ſummi veri pertinerent ad obiectum primarium beatitudinis; quod eſt manifeſtè falſum; beatitudo enim formalis, cùm ſit actus intellectus,vel voluntatis,vt *inf.* habet pro obiecto formali ſummum verum, vel ſummum bo-

bonum.Ad 3.diſt.ma. Obiectum primarium beatitudinis eſt Diuina eſſentia, vt habet rationem vltimi finis, prout eſt in ſe ipſa adæquatè, conc; ſed in hoc ſenſu neg. mi; prout à nobis ſumitur inadæquatè,neg,& in hoc ſenſu conc. mi; ad cuius prob.dicitur relationes pertinere ad rationẽ primi principij effectiui creaturarum, quia Pater producit creaturas per Filium, vt habetur *Io.1;* & ſe diffundit ad extra per Spiritum S; & ideo omnes tres Perſonæ verè operantur ad extra; vt habetur *Gen.1. Faciamus hominem &c;* operãtur tamen ſimul;dicitur enim *Io. 5. Pater vſque modò operatur,& ego operor;* & ideo opera Trinitatis dicuntur indiuiſa.Cùm autem inſtatur Perſonas Diuinas operari ad extra, vt ſunt vnum in eſſentia;dicitur illam particulam,*vt*,reduplicare principium formale *quo* proximum agendi eſſe Diuinam eſſentiam; quæ, prout in tribus perſonis,eſt principium agendi; ipſas autem perſonas eſſe principium *quod*,& in hoc diſtinguitur actio ad extra ab actione ad intra; quòd eſſentia ſolũ, prout eſt in Patre, eſt principium formale *quo* generationis Filij; & ſolùm prout eſt in Patre, & Filio,eſt principium *quo* ſpirationis Spiritus S; at verò prout eſt in tribus perſonis,eſt principiũ formale *quo* productionis creaturarum; & ideo omnes tres perſonæ ſunt principium *quod* productiuum creaturarum; non autem omnes ſunt principium *quod* generationis Filij,& ſpirationis Spiritus S; aliter Filius generaret ſe ipſum; & Spiritus S. ſe ipſum ſpiraret; & ratio eſt; quia principium *quod* formaliter cõſtituitur per principium formale *quo*, quod eſt veluti forma conſtituens principium *quod*; vnde cùm Diuina eſſentia,vt exiſtens in tribus perſonis,ſit principiũ formale *quo* productionis creaturarum, non autem omnium perſonarum Diuinarum; ideo omnes tres perſonæ Diuinæ ſunt principium *quod* creaturarum, non autem omnium perſonarum Diuinarum.Nec ex hoc ſequitur poſſe per creaturas cognoſci Trinitatem perſonarum;quia per effectus inadæquatos,& analogicos,vt ſunt creaturæ, non cognoſcitur cauſa, niſi *quoad an eſt*, non autem *quoad quid eſt*; & ideo cognoſcitur ſolùm Deum exiſtere;an autem Deitas exiſtat in tribus, nequit cognoſci, quia non poteſt cognoſci,quomodò exiſtat. Ad 4.vel neg.ant; quia nũc Deus non eſſet ſummum bonum relatiuè,ſed tãtùm abſolutè. Vel diſt. Eſſet ſufficiens ad nos beatificandum ea beatitudine,qua de facto nunc beatificamur,neg;alia beatitudine,tranſeat.Sicut enim eſſet ſufficiens ad nos creandum, ſed non eo modo,quo nũc nos creat;ſcilicet per Filium; dicitur enim *Io.1.Omnia per ipſum facta ſunt*;ita à pari.

20 Iſtæ omnes obiectiones, & plures aliæ videantur ſolutæ *to.1. de Viſ. beata; & tom.2.de Scient;& Vol.vbiſ.*

QVÆSTIO II.

De Beatitudine formali.

DIſcuſſis ijs, quæ ſpectant ad obiectum formale beatitudinis, ſequitur inquirendum de actibus, quibus formaliter beatificamur; & quibus tendimus, conſequimur, & poſſidemus obiectum nos beatificans. Iſtos autem actus, vel iſtum actum vocamus beatitudinem formalem.

ART. I.

An noſtra beatitudo formalis conſiſtat in aliquo increato?

1 BEatitudinem obiectiuam eſſe Deum in ratione ſummi boni, ſeu vltimi finis,iam oſtenſum eſt *in ſup.q;*& *inf.* magis declarabitur, cùm *de fruitione* agemus. Creaturam autem tendere in bonum, aut finem per actum voluntatis manifeſtum eſt; quia actus eſt id, quo potentia coniungitur cum ſuo obiecto; & ideo cùm bonum,aut finis ſit obiectum voluntatis,cõſequenter infertur creaturam ſolùm per actum voluntatis coniungi cum Deo in ratione ſummi boni, aut vltimi finis. Quia tamen voluntas de ſe eſt potentia cæca, & ideo nequit tendere in aliquod obiectum bonum, niſi eius bonitas oſtẽdatur ab intellectu,qui eſt potentia videns; ideo ad hoc,vt voluntas coniungatur cum Deo in ratione ſummi boni, aut vltimi finis; neceſſe eſt, quòd intellectus coniungatur priùs cum Deo in ratione ſummi veri. Ex quo deducimus noſtram beatitudinem formalem non poſſe eſſe, niſi actus intellectus,& voluntatis; an autem ambo formaliter importentur ex æquo; an verò vnum præſuppoſitiuè, aut materialiter, aliud verò formaliter, & per ſe, *inf.* videbimus. Quærimus igitur *in præſenti art;* an Deus poſſit per ſuum intelligere, & velle Diuinum increatum immediatè, & per ſe facere, vt noſter intellectus intelligat, & voluntas amet Deum in ratione ſummi veri, & ſummi boni clarè viſi; quòd idem eſt, ac,an Deus poſſit ſupplere noſtros actus immanentes, quibus conſequimur æternam beatitudinem?

2 Prima ſententia fuit noſtram beatitudinem formalem non ſolùm de poſſibili, ſed de facto eſſe aliquod increatum; imò impoſſibile eſſe, quòd per viſionem creatam videatur Deus in ratione ſummi veri, & per amorem creatum diligatur in ratione ſummi boni clarè viſi. Hanc ſententiam defenderunt publicè *aliqui Theologi Pariſienſes*,vt refert *noſter Greg. in 2.diſt.7. q.2; imò D.Bon.in 3.diſt.14.art.1*.ait placuiſſe *aliquibus etiam ſui temporis*. Eam ſecuti ſunt *Ripa, & Hugo de S. Vict. to. 3. de Sapientia animæ Chriſti fol.37*; pro quo videri poteſt etiã *Caiet.3.p.art.1. q.9.*

q.9. Noſter autem Luſit. lib.4. de Beat. q.1.art.2. §. 3. conatur eam liberare à cenſuris, quibus *ab Auctoribus* paſſim notatur; & arguendi gratia nititur ſoluere omnes contradictiones de poſſibili aſſerens, quòd eius impoſſibilitas nequit euidenter oſtendi, & conuinci; quanuis eam de facto non teneat.

3 Noſtra ſententia docet noſtram beatitudinem formalem nec de facto, nec de poſſibili poſſe eſſe aliquid increatum. *Ita Fund. Doct. Quodl.3.q.19;& in 2.ſent.diſt.11. q.2. art.1. ad 2;& diſt.1.p.2.art.3.ad 4;Greg.vbiſ.*Conſentiunt *Thomiſtæ*, & nouiter Godoy *hic diſp. 3. §. 1; & omnes Neoterici*.

4 Not; quòd in creaturis ſex reperiuntur; ſcilicet eſſentia, eſſe, proprietates, ſeu virtutes vitales,habitus,ſpecies,& actus,ſeu operatio. Ex his autē non poteſt Deus ſupplere eſſentiā;quia cùm eſſentia ſit formaliſſimè ipſa res,ideo nequit facere, quòd res ſit ſine ſua eſſentia,quia nequit facere,quòd res ſit ſine ſe ipſa. Neq; poteſt ſupplere virtutes,ſeu proprietates, & habitus, qui ſunt principia actuum vitalium; idèſt facere aliquem actum proprium alicuius virtutis ſine ipſa virtute; quia in hoc diſtinguitur agens naturale à violento; quòd naturale agit per virtutem ſibi intrinſecè inhærentem; violentum autem agit per virtutem extrinſecè exiſtentem in alio;ſi autem Deus faceret,quòd creatura ageret ſine virtute,efficeret, quòd ageret violentè; & ſic non ageret vitaliter;quia agere vitaliter eſt ſe mouere ab intrinſeco per principium ſibi inhærens; quod autem agit violentè, mouetur tantùm ab extrinſeco per virtutem in alio exiſtentem. *Vid. to.1.de Inuiſib.q.2.art.2.* Neque poteſt ſupplere actus vitales; quia iſti eſſentialiter oriuntur à principijs intrinſecè afficientibus eſſentiam creaturæ;vt patebit.Remanet ergo ſolùm, quòd poſſit ſupplere eſſe; propter quod in Incarnatione Verbum Diuinum per propriam exiſtentiam ſubſtentat naturam creatam;& ratio eſt; quia eſſe accidit eſſentiæ creatæ;& dependet à Deo in genere cauſæ efficientis; & ita depeudet à creatura.*Quidquid autem efficit Deus cum cauſis ſecundis in genere cauſæ efficientis,poteſt efficere ſe ſolo*;at verò eſſentia, virtutes, & proprietates eſſentialiter conueniunt creaturæ,eſſentia quidem in primo modo dicendi per ſe; proprietates autem in ſecundo modo; habitus verò ita ſe habēt, vt ab illis eſſentialiter dependeat actus vitalis; & ideo nequit facere actum ſine habitu; neque per ſuum actum Diuinū facrre, quòd agat creatura; quia nequit efficere ſuum actum Diuinum dependere efficienter à creatura; neque recipi formaliter in creatura,eique inhærere. *Hoc ſupp.*

5 Vnica concl. Impoſſibile eſt noſtram beatitudinem formalem conſiſtere in aliquo actu Diuino increato.

Prob.1.*ex 6.Syn.act.3*;vbi ex verbis *Leonis Papæ* habetur *impoſſibile eſſe operationem increatam naturæ creatæ conuenire poſſe*; & ex verbis *Agathonis in epiſt. Synod*; quæ refertur pariter *in eadem 6.Syn. act.4;Non poſſe in Chriſto vnam eſſe operationem vtrique naturæ; quia impoſſibile eſt propriam operationem vnius fieri operationem alterius.* Deinde. *Nec enim potuit Angelica natura Diuinam habere voluntatem,aut humanam;neque humana natura voluntatem Dei,vel Angeli.* De hac duplici voluntate Chriſti Domini loquens *Beatiſſ.P.in pſ.32.*ait:*Quantùm enim Deus diſtat ab homine;tantùm voluntas Dei à voluntate hominis.*Et paulò poſt:*Pater,inquit,ſi fieri poteſt,tranſeat à me calix iſte. Hæc humana voluntas erat proprium aliquid, & tanquam priuatum volens.* Ex qnibus ſic.Implicat, quòd intellectus, & voluntas creata operentur per actus increatos intellectus,& voluntatis Diuinæ; ſed noſtra beatitudo formalis conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis;ergo implicat,quòd noſtra beatitudo formalis cōſiſtat in actibus increatis intellectus, & voluntatis Diuinæ.Prob.ma.Ita ſe habet eſsētia Dei ad eſſentiam hominis;ſicut actus intellectus, & voluntatis Dei ad actus intellectus, & voluntatis hominis; eodem enim modo diſtinguitur eſsētia Dei ab eſsētia hominis; ſicut actus intellectus, & voluntatis Dei ab actibus intellectus,& voluntatis hominis,qui pariter importāt ſuam eſſentiam, & quiditatem,quanuis accidentalem; tum quia ſicut eſſentia Dei eſt ſpecificatiuum,& conſtitutiuum ipſius, & comparatur ad eſſentiā hominis,tanquā ad ſpecificatiuū,& conſtitutiuū hominis;quælibet enim res conſtituitur in tali ſpecie per ſuam eſſentiam; ita actus intellectus,& voluutatis Dei ſunt conſtitutiui,& ſpecificatiui intellectus,& voluntatis Diuinæ,& cōparantur ad actus intellectus, & voluntatis hominis, tanquam ad ſpecificatiua, & conſtitutiua intellectus,& voluntatis humanæ; ſed implicat, quòd homo ſit homo per eſſentiam Dei ſine humanitate,quæ eſt eſſentia hominis; aliter cùm res ſit formaliſſimè ſua eſſentia, ſi homo conſtitueretur in eſſe hominis per eſſentiam Dei, homo eſſet formaliſſimè Deus; ſicut ſi canis conſtitueretur formaliter per eſſentiam hominis, canis eſſet formaliſſimè homo;ergo implicat,quòd intellectus, & voluntas hominis operentur per actus increatos intellectus,& voluntatis Diuinæ. Mi. patet ex dictis;nam noſtra beatitudo formalis conſiſtit in eo,quo tendimus,& conſequimur Deum,tanquam ſummum bonum,& vltimum finem;ſed ſolùm per actus intellectus,& voluntatis tendimus,& conſequimur Deum, tanquam ſummum bonum,& vltimum finem; ergo noſtra beatitudo formalis conſiſtit in actibus intellectus,& voluntatis.

6 Conf.Nequit Deus ſupplere formam ſpecificantem aliquam rē,ſiue illa forma ſit ſubſtantialis,ſiue accidentalis,ſubſtātialis quidem; quia poſſet facere hominem ſine anima rationali, quod eſt abſurdum; accidentalis verò;quia poſ-

ſet

ſet facere album ſine albedine; à qua eſſentialiter conſtituitur album; quamuis enim poſſit ſe ſolo producere hominem ſine alterius hominis conſortio; aut albedinē ſine aliqua alia albedine, quia ſe ſolo poteſt producere nouam albedinē; quapropter dicitur *poſſe Deum ſe ſolo, quidquid poteſt ſimul cum cauſis ſecundis in genere cauſæ efficientis*; attamen hoc non verificatur in genere cauſæ formalis; quia Deus nequit ſubſtituere ſuā eſſentiam loco formæ creatæ, vt per illam conſtituatur res creata; & ſit forma creata, quia implicat eſſētiam increatam eſſe creatam; tum quia cùm res creata non diſtinguatur à ſuo ſpecificatiuo formali, vt homo à rationalitate, creatura non diſtingueretur à Deo; at verò cùm in genere cauſæ efficientis producat res per actionem tranſeuntem receptā in creatura, & ideo realiter diſtinctam à Deo; ideo non poteſt ſuam actionē ſubſtituere, vt ſit creatura, & ſit loco actionis creatæ abſque eo, quòd ſequatur allatum inconueniēs. *Vid.* alias rationes allatas *to. 1. de Simplic. art. 4. n. 4. & ſeq.*; ſed actus intellectus, & voluntatis ſunt formæ informantes, & ſpecificantes illas potentias, quælibet enim potentia ſpecificatur ab actu; vnde intellectus conſtituitur in ſpecie talis intelligibilis v.g. quòd intelligat Angelum, per intellectionem Angeli; tū quia actus determinat potentiam; ſicut forma materiam; ergo Deus nequit ſupplere actus intellectus, & voluntatis creatæ efficiendo, quòd intellectus, & voluntas creata operentur per intellectionem, & volitionem Dei increatam. Tum quia hoc eſt diſcrimen inter cauſam formalem, & efficientem; quòd illa cauſat exhibēdo propriam entitatem; iſta verò per actionem tranſeuntem producendo effectum; Deus autem nequit exhibere ſuam eſſentiam, vt ſit eſſentia creaturæ; & vt ſit accidens, poteſt tamen per actionem tranſeuntem producere vtrūque; ergo nequit ſupplere actus intellectus, & voluntatis, qui ſe habent, vt cauſæ formales conſtituentes intellectum intelligentem, & voluntatem volentem; ſicut albedo conſtituit parietem album.

7 Dices. Diuina eſſentia in intellectu beatorum ſupplet ſpeciem, quæ eſt forma intelligibilis; ergo ratio allata non tenet.

Reſp. neg. ant; nam obiectum non ſupplet vicem ſpeciei; ſed è contra ſpecies ſupplet vicē obiecti; quia eſt illius vicaria; vnde Vicarius dicitur ſupplere vicem Epiſcopi; non autem Epiſcopus vicem Vicarij, cùm agit id, quod ex ſuo munere agere debet; idcirco Diuina eſſentia illabitur menti beatorum, vt habet repræſentare ſe ipſam; quia hoc eſt proprium munus ipſius. Præterea dicitur, quòd cùm merè efficienter ſe habeat, vt diximus *to. 1. de Inuiſib. q. 3. art. 3. n. 4*; quia vnitur, tanquam maſculus, intellectui, qui ſe habet, vt fœmella, phyſicè producendo in ipſo intellectu actionem, vt qualitas eſt; ex qua prodit proles, quæ eſt intellectio; ideo Diuina eſſētia poteſt ſubire munus ſpeciei; at verò actus vitales vniuntur tanquam ſpecificatiui, & tanquam formæ exhibentes ſuas entitates, & nihil in illo producendo; adeoque purè inhærendo, & informando; propter quod Diuina eſſentia nequit habere rationem actus vitalis.

8 Prob. 2. *ex Fund. Doct. Quodl. 3. vbi ſ.* De ratione actionis vitalis, vt actio vitalis eſt reduplicatiuè, eſt, quòd effectiuè oriatur ab illa potētia, quæ agit per illam; in tantùm enim principiū dicitur agere; in quantùm à ſe ipſo emittit actionem, qua mediante operatur; vnde quia lignum non emittit à ſe ipſo actionem calefactiuam efficienter, quamuis illam paſſiuè recipiat; non dicitur ſe ipſum efficienter calefacere, ſed tantùm paſſiuè calefieri ab igne; propter quod actio dependet à ſuo principio in genere cauſæ efficientis; ſed implicat intellectionem, & volitionem Dei increatam effectiuè oriri, produci, & dependere ab intellectu, & voluntate creata, hoc enim eſt proprium creaturæ, prout contradiſtinguitur à Deo, ideoque Deo repugnat; ergo implicat creaturam intelligere, & velle per intellectionem, & volitionem Dei increatam; & ideo implicat noſtram beatitudinem formalem, quæ conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis, conſiſtere in aliquo increato.

9 Conf. In hoc diſtinguitur actiuè agere à paſſiuè agi, quòd actiuè agere eſt producere actionem, per quam productionem ſolùm dicitur actiuè agere; paſſiuè autem agi eſt recipere actionem, per quam receptionem ſolùm dicitur agi; ſed intellectus creatus nequit producere intellectionem increatam; ſicut nec voluntas volitionem; quia repugnat aliquod increatum produci à creatura; ergo intellectus creatus nequit intelligere per intellectionē increatam; & ideo per illam nequit tendere in Deum; & ſic dicendum de voluntate; & per conſequens noſtra beatitudo formalis, quæ conſiſtit in actuali tendentia intellectus, & voluntatis noſtræ in Deum ſub ratione ſummi veri, & ſummi boni, nequit conſiſtere in aliquo increato.

10 Prob. 3. Noſtra beatitudo formalis eſt eſſentialiter vita beata in actu ſecundo; ſed noſtra vita beata in actu ſecundo nequit conſiſtere in aliquo actu Dei increato; ergo noſtra beatitudo formalis nequit conſiſtere in aliquo actu Dei increato. Ma. eſt *Beatiſ. P. lib. 1. de Trin. c. 14*; vbi docet: *Hæc vita æterna eſt illa viſio, quæ non pertinet ad malos*; & deinde: *Quæ eſt autem vita æterna, niſi illa viſio, quæ non conceditur impijs?* & communiter conceditur; nam vt *ſup.* dictum eſt, noſtra beatitudo formalis eſt, qua conſequimur Deum in ratione ſummi veri, & ſummi boni, & ideo eſt operatio actualis intellectus, & voluntatis; operatio autem intellectus, & voluntatis eſt vita in actu ſecundo; quia vita in actu ſecundo conſiſtit in actuali operatione. Prob. mi. Noſtra vita in actu ſecundo eſt operatio, ad quā

ab

ab intrinſeco nos mouemus;nam viuẽs eſt illud, quod ſe mouet ab intrinſeco;& in hoc diſtinguitur à non viuente,quod mouetur tantùm ab extrinſeco;ſed operatio,ad quam ab intrinſeco nos mouemus, eſt à nobis efficienter producta;ſicut operatio,qua mouemur ab extrinſecò,eſt efficieter producta ab aliquo extrinſeco,& in nobis tãtùm paſſiuè recepta; ergo noſtra vita beata in actu ſecundo nequit conſiſtere in actu Dei increato,qui nequit eſſe à nobis efficienter productus;aliter non eſſet increatus. Tum quia actio creaturæ nequit eſſe præſtantior ſuo principio; ſed eſt ignobilior principio radicali, quod eſt ſubſtantia;actio autem eſt accidens; atqui Diuina eſſentia non poteſt non eſſe præſtantior creatura;& repugnat eſſe illa ignobiliorem;ergo nequit eſſe actio creaturæ.

11 Tandem ſi noſtra beatitudo formalis de facto conſiſteret in aliquo increato, ſequeretur naturam humanam Chriſti Domini habere formaliter operationem naturæ Diuinæ; ac propterea vnam eſſe vtriuſque naturæ operationem, qua vtraque natura eſſet formaliter beata; cuius oppoſitum eſt definitum *in 6.Syn. cont. Sergium, ceteroſque Monothelitas*; & ſi poſſet ſaltem de poſſibili hoc fieri, non decreuiſſet *Synodus* hoc eſſe impoſſibile; vt patet ex verbis ſuperiùs allatis; ergo nec de facto, nec de poſſibili noſtra beatitudo formalis poteſt conſiſtere in aliquo increato.

12 Obijc.1.*Ex Magno P.Aug.lib.1.de Trin. c.14.*prope finem habetur de Viſione beata: *Sola eſt ſummum bonum noſtrum, cuius adipiſcendi cauſa præcipimur agere, quidquid rectè agimus*; ſed viſio creata non eſt ſummũ bonum, quia ſũmum bonũ eſt actus, qui eſt increatus; ergo noſtra beatitudo formalis cõſiſtit in aliquo increato.Præterea *ibid.*dicitur: *Viſionem, qua beatus eſt Deus,eſſe illam,qua apparet mundis corde*; ſed viſio,qua beatus eſt Deus,eſt increata; ergo viſio beatorum eſt aliquod increatum. Ratione autẽ prob.1.Beatitudo formalis eſt vltimus finis creaturæ; ſed ratio vltimi finis nequit conuenire creaturæ; ſecus illa creatura, quæ eſſet vltimus finis,non haberet finem; ergo beatitudo formalis nequit cõſiſtere,niſi in aliquo increato. 2.Si beatitudo formalis conſiſteret in operatione creata, eſſet aliquod accidens; ſed hoc eſt falſum;aliter eſſet quid imperfectius natura beatificabili, quæ eſt ſubſtantia; ergo non conſiſtit in aliquo creato.3.Actio creata eſt finita; ergo per ipſam nequit videri Deus,qui eſt infinitus.4.Diuina eſſẽtia vnitur intellectui beato per modum ſpeciei; ſed viſio eſt ſpecies; & beatitudo formalis eſt viſio Dei; ergo beatitudo formalis conſiſtit in Diuina eſſentia,quæ eſt increata.

Reſp.*Beatiſſ.Patrem* appellare viſionem ſummum bonum in genere,ſcilicet maximum,& excellentius bonum inter omnia bona creata; non autem ſummum bonum ſimpliciter in omni genere,ſicut eſt Deus. Vel eam appellat ſummũ bonum,vt *quo*,quatenus viſio eſt id,quo ſummũ bonum videtur,& poſſidetur. *Ad aliam auctoritatem* dicitur *ibid.*non inueniri; ſed ſolùm, quòd *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Vnde etianſi haberet ea verba, facerent ſenſum;quòd habebimus viſionem ſimilem viſioni, qua beatus eſt Deus.Ad 1.rationem diſt.ma. Eſt vltimus finis *quo*,conc;& in hoc ſenſu neg.mi;& ad prob.inſertam dicitur,quòd vltimus finis *quo* habet vltimum finem *qui*. Eſt vltimus finis *qui*, neg.Ad 2.neg.mi.Ad prob.dicitur, quòd cùm creatura nequeat eſſe ſummum bonum, & vltimus finis per ſubſtantiam,quia nequit eſſe Deus, neceſſe eſt, vt ſit per accidens; quod eſt imperfectius natura in eſſe entitatiuo, ſed perfectius ratione ordinis. Ad 3. diſt. conſ. Nequit videri Deus per actum finitum modo finito,neg; modo infinito,conc.*Vid.Fund.Doct. in 1.diſt.17.princ. 1.q.1.ad vlt*; nam ſi quis videret finitè lineam infinitam, non eſſet neceſſaria viſio infinita, ſed ſatis eſſet finita;ita à pari.Ad 3.neg. mi; vt enim ſæpius diximus *ex Magno P. Aug*; ex ſpecie, & intellectu gignitur intellectio, quaſi proles ex parentibus; ſicut autem proles genita non eſt parens,ex quo gignitur; ita viſio, quæ gignitur ex ſpecie,non eſt ipſa ſpecies, ſed ab illa realiter differt.

13 Obijc. 2. Ideo ſubſiſtentia Verbi Diuini potuit ſupplere effectum ſubſiſtentiæ creatæ, ac ſubſiſtentem conſtituere naturam humanã Chriſti Domini; quia continet eminenter ſubſiſtentiã creatam;& ideo poteſt præſtare effectum formalem illius; ſicut anima rationalis, quia continet virtualiter animam vegetatiuam, & ſenſitiuam, poteſt illarum effectus præſtare; ſed etiam intellectio Diuina continet eminenter intellectionẽ creatam;& volitio volitionem;ideo nanque ſubſiſtentia Diuina cõtinet eminenter ſubſiſtentiam creatam, quia eſt omnis ſubſiſtentia; ita intellectio Diuina,cùm ſit omnis intellectio,nõ enim minùs infinita eſt intellectio,ac ſit ſubſiſtentia, eminenter intellectionem creatam continet; ergo intellectio Diuina poteſt ſupplere effectum intellectionis creatæ; & volitio volitionis;atqui intellectio clara Dei, & volitio ipſius clarè viſi reddit formaliter beatam naturam creatam; ergo ſaltem de poſſibili intellectio, & volitio Diuina poſſunt illam beare; atque adeo noſtra beatitudo formalis poteſt conſiſtere in aliquo increato.

Omiſſa reſponſione communi reſp. iuxta doctrinam ſuperiùs allatam neg.cauſalem; aliter cùm etiam eſſentia Dei,vtpotè infinita, cõtineat eminenter eſſentiam creaturæ, ſi valeret hæc ratio,poſſet Deus per ſuam eſſentiam ſupplere eſſentiam creaturæ; & cùm eſſentia rei ſit formaliter ipſa res,poſſet facere,quòd ſua eſſentia eſſet formaliter creatura,quod eſt blaſphæmum.Ideo igitur poteſt Deus ſupplere effectum formalem

ſub-

ſubſiſtentiæ creatæ per ſuam ſubſiſtentiam Diuinam, quia ſubſiſtentia creata non eſt actus eſſentialiter dependens in fieri, & produci à creatura ab intrinſeco;ſicut eſt intellectio, & volitio, quæ ſunt actus vitales, & vt tales, eſſentialiter petunt produci ab ipſo viuente ab intrinſeco,vt dictum eſt; nam ſubſiſtentia ſolùm ab efficiente producitur,& ideo merè extrinſecè ſe habet, & ab extrinſeco aduenit; & licèt ſubſiſtentia poſſit etiam efficienter produci à creatura; attamen poteſt eſſe à ſolo Deo; qui poteſt efficere ſe ſolo, quidquid efficit ſimul cum cauſis ſecundis creatis. *Sed de hoc in tract. de Incarn.*

14 Obijc. 3. Diuina eſſentia vnitur intellectui beato per modum ſpeciei; ergo poteſt vniri per modum intellectionis; nam ſicut intellectio vnitur intellectui per modum actus ſecundi; ita ſpecies vnitur per modum actus primi; quia cõſtituit intellectum in actu primo potentem videre Deum; ſed non minùs eſt de ratione actus primi vitalis, quàm de ratione actus ſecundi eſſe intrinſecum viuenti;& tamen hoc non obſtante Diuina eſſentia vnitur ſine informatione, ac dependentia; ergo & poterit vniri per modum actus ſecundi. 2. Diuina eſſentia vnitur intellectui beato in ratione verbi; ſed verbum vel eſt idem cum intellectione, vt volunt *plures Recentiores*;quia intelligere eſt fieri rem intellectam, & per verbum fit res intellecta; vel de ratione verbi eſt, quòd producatur vitaliter per intellectionem, aut ſaltem exprimatur; & ideo ſicut poteſt produci vitaliter, & exprimi ſine vlla imperfectione;ita poteſt produci, & exprimi intellectio Diuina;ergo Diuina eſsẽtia poteſt vniri intellectui beato in ratione actualis intellectionis.

Reſp.ad 1.neg. conſ. Ad prob. neg. 2.pars ma;nam Diuina eſſentia nequit eſſe actus primus intellectionis creatæ; quia actus primus, & ſecundus ſunt idem, vt *alibi* diximus. In noſtra ergo ſententia dicitur Diuinam eſſentiam effectiuè producere in intellectu beato entitatem cognitionis,vt qualitas eſt,per quam qualitatem conſtituitur proximè potens intelligere; & per quam actualiter intelligit tendendo in Deum; & ideo eadem entitas cognitionis conſiderata, vt qualitas eſt; & vt actio eſt, habet rationem actus primi,& ſecundi;quiꝗ propterea non diſtinguuntur; quia duo accidentia eiuſdem ſpeciei nequeunt eſſe in eodem ſubiecto. Ad 2. neg. 1. pars mi;& ad prob.infert. dicitur, quòd per cognitionem res fit intellecta formaliter, tanquam per medium *quo*;per verbum autem res fit intellecta terminatiuè, tanquam per medium *in quo*. Ad 2.part.diſt.ant.De ratione verbi notionaliter ſumpti eſt, quòd vitaliter producatur per intellectionem, conc; ideo Verbum Diuinum producitur; de ratione verbi eſſentialiter ſumpti, neg; nam ſic habet ſolùm rationẽ puri termini actualiſſimi repræſentantis adęquatè obiectum cognitum.Vel de ratione verbi finiti diſtincti à ſpecie impreſſa eſt produci vitaliter, conc; tunc enim ſpecies impreſſa,quia eſt finita, nequit ſimul habere rationem ſpeciei expreſsæ; & ideo neceſſe eſt,quòd producatur verbum,in quo, tanquam in ſpeculo,intellectus videat rem intellectam. De ratione verbi infiniti, quod eſt idem, ac ſpecies impreſſa,neg.Sic quia Diuina eſſentia eſt infinita in ratione repræſentandi, poteſt ſimul eſſe ſpecies impreſſa, & verbum, quod eſt ſpecies expreſſa;& per conſequens nõ eſt neceſſe, quòd intellectus beatus producat vitaliter verbum. Vel neg. vniuerſaliter; nam per omnem cognitionem non producitur verbum; quia Filius, & Spiritus S.non producunt verbum, & tamen intelligunt;omne tamen cognoſcens debet elicere vitaliter intellectionem;vt *ſup.* dictum eſt; ideo non eſt eadem ratio de vtroque.

15 Inſt.Dictum eſt *to.1.de Inuiſib.q.3.ar.4. n.8.* beatos quodammodo exprimere Diuinam eſſentiam,vt habet rationem verbi, & hoc ſine vlla imperfectione; ergo Diuina eſſentia poteſt elici,vt habet rationem intellectionis abſque vllo imperfectionis defectu.

Reſp;quòd talis expreſſio non fit per actionẽ productiuam ipſius intellectus beati, vt *ibid.* dictum eſt; ſed ſolùm per conceptionem Diuinæ eſſentiæ in ipſo intellectu; qui ſimul capit Diuinam eſſentiam, vt habet ratione ſpeciei impreſſæ,& expreſsæ;concipere enim eſt idem,ac *ſimul capere*,ſeu *capere cum alio*; vnde intellectus beatus ex eo, quòd recipiat Diuinam eſſentiam ſecundùm vtramque rationem, dicitur illam exprimere;non tamen per actionem productiuam,quę imperfectionem in eſſentiam Diuinam transfunderet.

16 Obijc. 3. Natura Diuina vnitur naturæ humanæ in ratione formæ ſanctificantis; ſed ratio formæ ſanctificantis eſt conſtitutiuum naturæ Diuinæ, quod eſt intelligere actuale; ergo Diuina eſſentia vnitur, vt habet rationem intellectionis actualis; & hoc ſine vlla imperfectione. Ma. patet; quia Chriſtus Dominus eſt ſanctus etiam per Sanctitatem increatã, vt *ſuo loco* videbimus.Prob.mi. Per formam ſanctificantem *efficimur conſortes Diuinæ naturæ*;ſed conſortium Diuinæ naturæ non habetur,*niſi* per participationem conſtitutiui formalis ipſius naturæ; ergo ratio formæ ſanctificantis eſt conſtitutiuum formale Diuinæ naturæ.

Reſp.hoc arg.fuiſſe ſolutum *to. 1. de Subſſ. Dei q.2.art.6.§.2.n.10.* Igitur diſt.ma. Vnitur eo modo,quo eſt capax natura humana, conc; alio modo, neg. Ad mi. dicitur; quòd intellectio actualis,quæ eſt conſtitutiua Dei,habet ſimul rationem principij intellectiui; & quia ratio principij intellectionis,vt præciſa ab actuali intellectione,habet rationem imperfecti, & perfectibilis per actualem intellectionem; & aliunde creatura non eſt capax recipere naturam Diuinam ea perfectione,qua eſt in Deo,ideo illam recipit ſo-

ſolùm,vt habet rationem principij, non vt habet munus actionis. *Sed de hoc ſuo loco. Vid. vbiſ.*

17 Obijc.5. *Ex Mag.ſent.* Deus ſupplet habitum charitatis; quia per Spiritum ſanctum intrinſecè aſſiſtentem beati eliciunt actum charitatis; quam ſententiam defendit *Fund. Doct. in 1. ſent.diſt.17.princ.1.q.1; & 2;* ergo poteſt ſupplere etiam actum.

Reſp; quòd *Fund.Doct.* oſtendit ſolùm,quomodò poſset ſaluari ſententia *Mag.* ipſe tamen oppoſitam putat veriorem, nempe vltra aſſiſtentiã Spiritus S. requiri habitum charitatis. Quidquid tamen ſit de hoc,omiſso ant.neg.conſ;nam de ratione habitus, præſertim ſupernaturalis,nõ eſt oriri effectiuè à natura; vt patet de lumine gloriæ; de ratione autẽ actionis vitalis creatæ eſt effectiuè produci à creatura, quod repugnat Diuinæ eſsentiæ,vt dictum eſt.

18 Quæres;an ſaltem poſſit Deus ſupplere intellectionem,vt qualitas eſt?

Reſp. affirmatiuè *aliqui ex noſtris*, vt audiuimus *à noſtro Mag. Auguſtino Gaſii* noſtro in Phyſicis Diſciplinis Magiſtro fideliſſimo *Fund. Doct.* interprete,ac *inter Theologos* noſtri temporis *acutiſſimo, ac ſolidiſſimo*; quia intellectio, vt qualitas eſt,non pendet in fieri à creatura, ſed à ſolo Deo producitur, vt habet *Fund. Doct*, & ideo ſe habet, veluti ſubſiſtentia reſpectu naturę creatæ;propter quod ſicut poteſt iſtam ſupplere, ita dicendum de illa.Verùm quidquid ſit de hoc, dicimus,quòd ſi Deus ſuppleret intellectionem, vt qualitas eſt,non poſſet intellectus creatus per Diuinam eſſentiam formaliter intelligere, quia nõ poſſet effectiuè illam producere; nec illa poſſet ab intellectu pendere,effici,& cum eo in perfectione commenſurari. Quæ omnia magis patebunt ex *inſ.dicendis.*

ART. II.

An noſtra beatitudo formalis conſiſtat in illapſu?

ILlapſus propriè ſignificat intimam penetrationem, ſeu ingreſſum vnius rei in aliam exiſtendo intra terminos illius; ſicut autem duo ſunt termini rei,ſcilicet quantitatiui, & eſſentiales;ita duplex dici poteſt illapſus;vnus, quo aliqua res ingreditur quantitatem alterius; vt cùm vnum corpus penetrat aliud; vel Dęmones corpus ingrediũtur,alter verò,qua aliqua res ingreditur eſſentiam alterius. Primus illapſus vocatur quantitatiuus; ſecundus autem eſſentialis; *hic* agimus ſolũ de eſſentiali;qui ſolũ *à Theologis* antonomaſticè dicitur *illapſus*; nã illapſus quãtitatiuus vocatur *penetratio.* Vt autem meliùs percipiatur,in quo conſiſtat formaliter illapſus, quod maximè conducet ad intelligentiam,& deciſionẽ difficultatis propoſitæ, videndum eſt, an illapſus poſſit conuenire creaturæ?

§. 1.

An illapſus poſſit conuenire creaturæ?

1 NOt; quòd licèt ad illapſum requiratur contactus;quia impoſſibile eſt, quòd vna res ingrediatur in aliã, niſi illam contingat; attamen non omnis contactus eſt illapſus; nam contactus mediatus,quo vnum corpus v. g. tangit aliud mediante quantitate, quæ circundat ſubſtantiam, non eſt illapſus; non enim vnum corpus tangens aliud dicitur in illud illabi. Requiritur ergo cõtactus intimus immediatus, quo vna res ingreditur in aliam. Nec tamen ſufficit contactus immediatus, aut ingreſſus vnius rei in aliam. Ratio primi eſt; quia accidentia proprij alicuius eſſentiæ immediatè contingunt eſſentiã; nec tamen illam ingrediuntur;quapropter dicũtur eſſe extra eſſentiam,& definitionem rei;quia illam veluti circunſtant, eique adiacent, non tamen ingrediuntur intrinſecè; aliter pertinerent ad eſſentiam, & eſſent perfectiones eſſentiales, non accidentales; & ideo contactus immediatus ſine ingreſſu intimo non eſt illapſus. Ratio ſecũdi eſt; nam exiſtentia *in noſtra Schola* diſtinguente illam ab eſſentia contingit,& ingreditur eſsẽtiam;ſicut forma materiam;& tamen talis ingreſſus non eſt illapſus, ſed actuatio, & informatio, ſeu poſitio ſub eſſe actuali per intrinſecam informationem, & compoſitionem realem cum illa; illapſus autem non importat actuationem,informationem,aut compoſitionem; quia ex eo,quòd Deus illabatur in eſſentias creaturarum, illas nõ actuat per modum partis, neq; informat, & ideo non componit; compoſitio enim eſt ſolùm ex partibus.Illapſus ergo eſt contactus intimus,qua vna eſſentia diſparata ingreditur in eſſentiam alterius rei.Tandem quia contactus intimus eſt ratio operationis; nam *res in tantùm agit, in quantùm tangit ex Phil;* ideo illapſus, qui importat contactum intimum eſſentiæ,importat operationem aliquam factam in eſſentia; nõ quidem productiuam alicuius accidentis; quia accidens circunſtat eſſentiam, non autem eſt eſſentialiter intrinſecè in eſſentia, quia ſic pertineret ad eius definitionem eſſentialem; & ideo non eſſet accidens; nec productiuam ipſius eſſe; quia illapſus vnius rei in aliam ſupponit rem, in quam fit illapſus;ergo remanet, quòd importet actionem conſeruatiuam ipſius rei, in quam fit illapſus; de qua actione conſeruatiua loquitur *Beatiſſ. P. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 12;* quòd *ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret; & lib. 9. c. 15. Si Deus ſubtrahat operationem intimam, qua eam ſubſtituit, & facit, continuò tanquam extincta nulla remanebit.* Illapſus ergo ſic poteſt definiri: *Illapſus eſt contactus intimus, quo eſſentia vnius rei ingreditur intrinſecè in eſſentiam alterius rei ipſam conſeruando in eſſe.* Quòd autem res,in quam fit illapſus,debeat eſſe ſub perfecto dominio rei illabentis,hoc ſe habet de materiali,qua-

tenus ſcilicet res illabens eſt libera, & ideo poteſt conſeruare, & non conſeruare rem, in quam illabitur. Hæc omnia traduntur à *Fund.Doct.* ex doctrina *Magni P.Aug*; vt *inf.* patebit.

2 Vnica concl. Illapſus eſſentialis nequit conuenire creaturæ. *Ita Fund.Doct. in 2. diſt. 8. q. 2. art. 5; & de Cog.Ang.q.3; & 6, & ſæpe alibi, & omnes noſtri DD.*

Prob. 1. *ex Beatiſſ.P. lib.de Eccleſ. Dogmat. c.8.* docente: *Dæmones per energicam operationem non credimus ſubſtantialiter illabi animæ, ſed applicatione, & oppreſſione vniri. Illabi autem menti illi ſoli poſſibile eſt, qui creauit.* Ex quo ſic. Ei ſolũ, cui conuenit eſſentias creare, conuenit illabi in eſſentias rerum; ſed ſoli Deo, non creaturis, conuenit creare eſſentias creaturarũ; ergo ſoli Deo, non creaturis, conuenit illabi in eſſentias rerum. Mi. patet; nulla enim creatura poteſt eleuari ad creãdum; & ideo creare eſt proprium ſolius Dei. Prob. ma. Ei ſolùm conuenit illabi in eſſentias rerum, cui conuenit cõſeruare; quia illabi eſt eſſe *cauſam ſubſiſtendi omni creaturæ*; vt docet *Beatiſſ. P. lib.4.de Gen.c.12*; & vt ſuperiùs oſtenſum eſt; ſed conſeruare eſſentias rerum conuenit ſolũ ei, cui conuenit eas creare; nam conſeruatio eſſentiæ creatæ eſt continuata creatio; ſubdit enim *Magnus P.ibid. Proinde & quod Dominus ait Io. 5. Pater meus vſque nunc operatur; continuationẽ quandam operis eius, qua vniuerſam creaturam continet, atque adminiſtrat, oſtẽdit*; ergo ei ſolùm, cui conuenit creare, conuenit illabi in eſſentias rerum.

3 Vrgetur magis. Ei ſolùm conuenit illapſus, cui conuenit intimè tangere, & ingredi eſſentias rerum immediatè in illa aliquid intimè operando; ſed nulli creaturæ hoc poteſt competere: quia cùm intra eſſentiam non ſit, niſi ipſa exiſtẽtia; accidentia enim ſunt circa, non intra eſſentiam, vt dictum eſt; nulli autem creaturæ conuenit immediatè agere circa eſſe; tum quia ei conuenit immediatè agere circa eſſe, cui conuenit agere ex nihilo; nihilum enim eſt terminus *à quo* correſpondens ipſi eſſe, quod eſt terminus *ad quem*; & inter hos duos terminos clauditur creatio, quæ eſt productio rei ex nihilo; nulli autem creaturæ conuenit agere ex nihilo, quia creatura agit ex præſuppoſito ſubiecto; ideo nulli creaturæ conuenit immediatè agere circa eſſe; tum quia nulla ſubſtantia creata eſt immediatè operatiua, operatur enim mediantibus accidentibus; & ideo nequit immediatè agere circa eſſe intimè penetrando eſſentias; quia accidentia circunſtãt, non autem ingrediuntur eſſentias; tum quia eſſe eſt principaliſſimus, & primus effectus; eſt enim primum, per quod ponitur res à parte rei; & per quod ponuntur accidentia, quæ in illo fundãtur; & ideo ſolus Deus, qui eſt prima, & principaliſſima cauſa, poteſt in ipſum immediatè agere; tum quia ſi creatura poſſet immediatè agere in eſſe, non præſupponeret obiectum præexiſtens, quia poſſet dare eſſe rei, quæ illud non habet; ſicut quia ignis agit immediatè circa eſſe calidum; ideo illud non præſupponit in ligno, ſed in lignũ poteſt illud inducere; creatura autem eſſentialiter præſupponit ſubiectum præexiſtens, ſeu habens eſſe, quia cùm creatura eſſentialiter ſit cauſa ſecunda, præſupponit eſſentialiter effectum cauſæ primæ, & ideo ſupponit ſubiectum præexiſtens; vt diximus *q.2.de Creat.ar.3*; vbi videantur aliæ rationes hoc idem probantes; ex quibus ſequitur nulli creaturæ conuenire poſſe immediatè agere circa eſſe; ergo nulli creaturæ conuenire poteſt illapſus eſſentialis in eſſentiam alterius creaturæ.

4 Conf. 1. *ex Fũd.Doct.q.3.de eſſe, & eſſent.* Illapſus in eſſentiam eſt contactus immediatus eſſentiæ, vt eſſentia eſt; nam ſi contactus ſit mediatus, nõ eſt illapſus; etenim quia vnum corpus tangit ſubſtantiam alterius corporis mediante quantitate, non dicitur illabi in ſubſtantiam alterius; ſed nulla creatura poteſt immediatè contingere eſſentiam alterius creaturæ, vt eſſentia eſt; nam eſſentia eſt primus, & principaliſſimus effectus, qui nequit attingi, niſi à cauſa prima, & principaliſſima; eſſentia enim eſt id, quod eſt primò, & primò intelligitur in re; & ideo nihil ſupponit in ipſa re; quapropter attingere eſſentiam, vt eſſentia eſt, conuenit illi ſolùm, cui conuenit agere ex nullo præſuppoſito; tum quia eſſentia dicitur per ordinem eſſe; & ideo ad illud agens ſolùm poteſt immediatè attingere eſſentiam, vt eſſentia eſt, quod poteſt immediatè attingere eſſe, & illud immediatè inducere in eſſentiam; nulla autem creatura poteſt immediatè attingere ipſum eſſe; quia eſſe eſt primus, & principaliſſimus effectus; atque adeo nulla creatura poteſt immediatè contingere eſſentiam alterius creaturæ, vt eſſentia eſt; ergo illapſus eſsentialis, ſeu in eſſentiam nulli creaturæ poteſt competere.

5 Conf. 2. Illud dicitur illabi in eſsentiam alterius, quod facit ad conſeruationem illius in eſse, ne ruat in nihilum; ſed nulla creatura poteſt facere ad conſeruationem alterius in eſſe, ne ruat in nihilum; ergo nulla creatura poteſt illabi in eſſentiam alterius; & ideo illapſus nequit conuenire creaturæ. Ma. patet ex dictis; illapſus enim diſtinguitur à creatione rei; quòd creatio nihil ſupponit rei, illapſus autem ſupponit ipſam rem, aliter eſset illapſus in nihil; & cùm operetur circa eſse ipſius rei; nec operetur producendo ipſũ eſse, hoc enim competit creationi; ſequitur, quòd operetur conſeruationem ipſius rei in eſse, nihil enim aliud poteſt fieri circa ipſum eſſe intrinſecè conſideratum; in tantùm autem res conſeruatur in eſse, in quantùm ſeruatur, ne ruat in nihilum. Prob. mi. Omnis creatura eſsentialiter eſt ex nihilo; ergo nulla creatura poteſt efficere, ne altera ruat in nihilum; quia ſi poſset præſtare alteri, ne ruat in nihilum, à fortiori poſset ſibimetipſi idẽ præſtare; ſed hoc eſt falſum, aliter non indigeret

à Deo

à Deo conſeruari, regi, & manuteneri, ne in nihilum redeat, à quo per creationem extracta fuit; ergo nulla creatura poteſt facere ad conſeruationem alterius creaturæ, ne ruat in nihilum.

6 *Vid. alias rationes de Creat. vbi ſ.* quæ facillimè poſſunt accommodari ad probandam hanc concl.

7 Obije. 1. Quanuis illapſus per modum primi producentis, aut conſeruantis ipſum eſſe repugnet creaturæ, quia eſt proprius ſolius Dei; attamen ei non repugnat illapſus per modum producentis aliquam perfectionem accidentalē in ipſo eſſe; ergo allatæ rationes non probāt generaliter de omni illapſu. Prob. ant. Productio alicuius perfectionis accidentalis fundatæ in ipſo eſſe non eſſet prima, nec eſſet ex nihilo, quia ſupponeret ipſum eſſe; ergo creaturæ non repugnat illapſus per modum producentis aliquam perfectionem accidentalem in eſſe alterius creaturæ.

Reſp. neg. ſupp. 2. part. ant; nam productio accidentis non eſt per intimum ingreſſum in eſſentiā, quam ingreditur ſolum eſſe ſubſtantiale, quod eſt intrinſecè actuans ipſam eſſentiā, ſicut forma intrinſecè actuat materiam; & ideo intrinſecè illam ingreditur; forma autem accidentalis ſolùm circunſtat eſſentiam, & ideo ad illam eſſētialiter non ſpectat, nec eſt de definitione illius; quia illius terminos non ingreditur; illapſus autem eſt ingreſſus intra terminos eſſentiæ, non quidem, vt forma afficiens, & actuans; ſed vt cauſa efficiens conſeruans in eſſe; per quod patet probationem non eſſe ad rem.

8 Obijc. 2. Illapſus præſupponit ipſam eſſētiam ſub eſſe, præſupponit enim eſſentiam exiſtētem, vt dictum eſt; ergo eſſet ex præſuppoſito ſubiecto; ſed actio ex præſuppoſito ſubiecto non repugnat creaturæ; ergo neque illapſus.

Reſp. diſt. ant. Illapſus præſupponit eſſentiā ſub eſſe præſuppoſitione reali ita, vt illapſus tendat in aliquam rem ſeparatam realiter ab eſſe, neg; tendit enim formaliter, & immediatè in ipſum eſſe illud conſeruando; præſuppoſitione rationis, conc; nam ſicut eſſe creatum, & conſeruatum eſt idem realiter ſecundùm diuerſas rationes, quarum vna eſt prior altera; ita creatio, & conſeruatio eſt idem ſecundum diuerſam conſiderationem, quarum vna ſequitur ad aliam; quapropter conſeruatio in eſſe definitur *continuata creatio*.

9 Obijc. 3. Poteſt vnum corpus in aliud illabi abſque eo, quòd aliquid operetur circa conſeruationem illius; ergo poteſt vna eſſentia in aliam illabi abſque eo, quòd aliquid operetur circa conſeruationem illius; nam ſi aliquid operaretur, maximè propter contactum; ſed vnum corpus illapſum in aliud contingit illud, & tamen non operatur; ergo allata ratio eſt nulla.

Reſp. neg. conſ. Ad prob. infert. diſt. ma. Maximè propter contactum eſſentialem, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam vnum corpus non contingit immediatè eſſentiam alterius, ſed ſolùm cōtingit localiter, ſeu ſitualiter; ad hoc autem non eſt neceſſaria operatio; quia eſſe in loco dicit quietem, non motum. At verò contactus eſſētialis vel eſt circa eſſe eſſentiam, vt dictum eſt, & ſic importat actuationem, & informationem illius, quæ eſt cauſalitas propria cauſæ formalis, vt dicitur *in 2. Phyſ.* quapropter omnes proprietates actuant, & informant eſſentiam; vel eſt per intimum ingreſſum in illam abſque informatione, & actuatione; & ſic importat effectum cauſæ efficientis; & in hoc ſenſu contactus eſt cauſa operationis. Maximè propter contactum localem, aut actuatiuum, neg, & in hoc ſenſu conc. mi; & neg. conſ.

10 Obijc. 4. Plures Angeli ſaltem diuinitus poſſunt eſſe in eodem loco; imò plures Angeli ſunt in eodem corpore oppreſſo ſimul cum anima rationali; ſed hoc nequit eſſe ſine contactu eſſentiali, & illapſu; ergo illapſus non repugnat. 2. Angelus eſt in corpore tangendo corpus, vt quā tum; ergo corpus, vt quantum, tangit Angelū eſſentialiter, quia impoſſibile eſt, quòd tangens non tangatur; Angelus autem nequit tangi, niſi eſſentialiter, cùm careat quantitate; & ideo non repugnat cōtactus eſſētialis. 3. Quando punctus tangit in puncto, tunc illum ingreditur, quia tangit totum, cùm non habeat partes; ergo eſt in eſſentia illius.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct.* neg. mi; nam plures Angeli ſunt in eadem quantitate corporis, quam tangunt, non autem in eſſentia; anima autem eſt in eſſentia materiæ ipſam informando. Neque implicat, quòd in eadem quantitate, quę formaliter eſt locus, cùm ſit ſuperficies, ſint plures ſpiritus, vt diximus *q. 2. de loc. Ang. art. 6*; quia ad hoc ſufficit cōtactus localis, at verò ad eſſendum in eſſentia requiritur contactus eſſentialis, qui repugnat, vt dictum eſt. Ad 2. neg. conſ. Ad prob. diſt. Si tangēs ſit quātum, conc; ſecus, neg. Ad 3. neg. ant; punctus enim v. g; qui eſt in corpore ſphærico tangit punctum, qui eſt in plano, nec tamen ingreditur planum, aliter intimè coniungeretur cum illo; propterea impropriè dicitur punctum tangere punctum, ſed potiùs quantum tangit aliud quantum in pūcto, & ſicut pars quanti, in qua eſt ille punctus, non ingreditur partem alterius quanti, in qua eſt alius punctus; ita neque punctus punctum ingreditur; ingrederetur tamen, ſi vterque punctus eſſet præciſus à quantitate.

§. 2.

Reſoluitur Articulus.

11 Prima ſententia vult noſtram beatitudinem formalem conſiſtere in illapſu Diuinæ eſſentiæ in animam per gratiam conſummatam; quo illapſu Diuina eſſentia ita penetrat, & cōiungitur cum anima; vt nihil aliud in anima videatur, niſi quædam Diuinæ diſpoſi-

tiones; ſicuti in ferro candenti nihil aliud, niſi ignis videtur; & hic illapſus licèt priùs fiat in anima; attamen redundat poſtea in potentias; quia anima inflammatur illo ardore, & illuſtratur ea luce, & poſtea eadem lux illuſtrat intellectũ, vt clarè videat Deum; & ardor inflammat volũtatem, vt feruenter amet. *Ita Henr. Quodl. 13. q. 10; & 11;* & quanuis *Vaſq; & aliqui ex noſtris* ipſum defendant aſſerentes, quòd *ibid. q. 11.* apertè aſſerit noſtram beatitudinem conſiſtere in actibus intellectus, & voluntatis; attamen videndum eſt; an dicat conſiſtere in huiuſmodi actibus conſecutiuè, an verò formaliter; cùm ex verbis allatis videatur illam ponere conſecutiuè tantùm dicens lucem, & ardorem poſteriùs redundare in potentias. Verùm quidquid ſit de eius mente, de qua nolumus diſputare; aliorum enim labor eſſe debet.

12 Secunda ſententia docet noſtram beatitudinem formalem, quanuis præſupponat illapſum, non conſiſtere tamen in illo formaliter. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 1. p. 2. q. 1. art. 3. ad 4; & diſt. 11. q. 2. art. 1. ad 2;* vbi expreſsè docet noſtram beatitudinem formalem conſiſtere in operatione à nobis elicita; & ex his, quæ docet *locis cit. in ſup. §; & Quodlib. 3. q. 19.* manifeſtè colligi poteſt. Hæc ſententia eſt communis *Thomiſtis, Scotiſtis, & omnibus alijs Theologis*, ideo breuiter eſt reijcienda, parum enim, vel nihil habet diſſidij.

13 Vnica concl. Illapſus præſupponitur ad noſtram beatitudinem formalem; non tamen in eo cõſiſtit formaliter noſtra beatitudo formalis.

Prob. 1. pars concl. Noſtra beatitudo formalis eſt de Deo, vt eſt ſummum bonum præſens, & poſſeſſum, de quo ſolùm datur fruitio, vt *inf;* ſed Deus non eſt nobis præſens, & à nobis poſſeſſum, niſi per illapſum, per quem fit intimè nobis præſens; ergo ad noſtram beatitudinem formalem requiritur neceſſariò illapſus. Tum quia Deus nequit à beatis clarè videri, & amari, niſi ſit perfectè præſens, & intimè vnitus mentibus ipſorum; ad cognitionem enim intuitiuam rei in ſe ipſa requiritur præſentia, & vnio obiecti eum intellectu, vt *alibi* dictum eſt; & idem dicendum de amore rei in ſe ipſa; ſed Deus non eſt perfectè præſens, & intimè vnitus mentibus beatorum, niſi quatenus in illas illabitur; quia illapſus eſt perfectior prǽſentia, & intimior vnio, vt dictum eſt; ergo ad noſtram beatitudinem formalem, quæ conſiſtit in viſione, & amore Dei clarè viſi, neceſſariò requiritur illapſus. Tandem ad hoc, vt creatura operetur in ordine naturæ, neceſſarius eſt Dei illapſus naturalis in illam; ad operationem enim creaturæ neceſſaria eſt ſubſiſtentia; *quia operationes ſunt ſubſiſtentium; ratio* autem *ſubſiſtendi creaturæ* eſt intimus Dei illapſus; vt *ſup.* dictum eſt *ex Beatiſ. P;* ergo ad noſtrã beatitudinem formalem, quæ conſiſtit in operatione ſupernaturali, vt *inf,* neceſsarius eſt illapſus Dei, vt eſt Auctor gratię; ita enim ſe habet Deus, vt Auctor gratiæ, ad res in ordine ſupernaturali; ſicut ſe habet, vt Auctor naturæ, ad res in ordine naturali.

14 Prob. 2. pars concl. 1. *ex Beatiſs. P. lib. de Moribus Eccl. c. 3;* vbi docet: *Beatus neque ille dici poteſt, qui non amat, quod habet, etiãſi optimũ ſit; & lib. 14. de Ciu. Dei c. 25. Vita beata, ſi non amatur, non habetur.* Ex quibus ſic. Per ſimplicem illapſum Dei, vt eſt Auctor gratiæ conſummatæ, in creaturas, non redduntur creaturæ formaliter amantes; quia creatura non eſt formaliter amãs, niſi per amorem, qui eſt actio vitalis elicita ab ipſa creatura; illapſus autem non eſt actio elicita à creatura, vt patet; quia illapſus eſt actio Dei in creaturam; actio autem elicita à creatura eſt actio creaturæ in Deum; ſed noſtra beatitudo formalis eſt id, quo reddimur amantes Dei, vt ſummè bonus eſt; eſt enim actus, quo fruimur ſummo bono, & fruitio non eſt ſine amore; ergo noſtra beatitudo formalis non conſiſtit formaliter in illapſu Dei in creaturas.

15 Conf. 1. Noſtra beatitudo formalis conſiſtit formaliter in actu, quo poſſidemus Deum, vt eſt ſummum bonum; ſed illapſus Dei in nos non eſt huiuſmodi; quia per illapſum potiùs Deus poſſidet nos; nam illapſus eſt actio, qua Deus tendit in nos; quàm nos poſſideamus Deũ; quia non poſſidemus Deum, niſi per actionem, qua tendimus in Deum; ergo noſtra beatitudo formalis non conſiſtit formaliter in illapſu.

16 Conf. 2. Noſtra beatitudo formalis formaliter conſiſtit in fruitione ſummi boni; ſed fruitio eſt actus noſtræ voluntatis tendentis in vltimum finem clarè viſum; ſicut vſus eſt actus voluntatis tendentis circa media; ergo noſtra beatitudo formalis formaliter non conſiſtit in illapſu, qui non eſt actus noſtræ voluntatis, vt patet conſideranti.

17 Prob. 2. *ex illo pſ. 16. Satiabor, eum apparuerit gloria eius; & ex illo 1. Io. 1. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt;* ex quibus ſic. Noſtra beatitudo formalis formaliter conſiſtit in viſione, & amore Dei, vt docet *Scriptura;* & habetur *in Extrauag. Benedicti apud Caſtrum heres. 6.* definiente *animas Sanctorum ante diem Iudicij videre Deum, ipſoque frui, & tali viſione; & fruitione beatas conſtitui,* ſed viſio, & amor Dei non conſiſtunt formaliter in illapſu Dei in nos; quia viſio, & amor Dei præſupponunt vnionem Dei cum noſtro intellecto; *ex obiecto* enim, & *potentia pariter notitia;* ergo noſtra beatitudo formalis formaliter non conſiſtit in illapſu.

18 Prob. 3. Ita ſe habet Deus, vt Auctor naturæ, ad creaturas conſideratas in ordine naturæ, ſicut ſe habet, vt Auctor gratiæ, in ordine ſupernaturali; ſed illapſus Dei, vt eſt Auctor naturæ, in creaturas non beatificat illas formaliter in ordine naturali; aliter etiam Dœmones eſſent naturaliter beati; & ſic etiam plantæ, & omnia

ſen-

ſenſibilia, quia in illa illabitur Deus ea conſeruando per ſuam vniuerſalem præſentiam; & tamen iſta ſunt beatitudinis etiam naturalis incapacia; ergo illapſus Dei, vt eſt Auctor gratiæ cōſummatæ, in creaturas ſpirituales non beatificat illas formaliter; & ideo in hoc illapſu nequit formaliter conſiſtere noſtra beatitudo formalis; quæ eſt illa, per quam formaliter beatificamur.

19 Tandem prob. rationibus adducendis *in ſeq. art*; vbi oſtendemus noſtram beatitudinem formalem conſiſtere in operatione à nobis elicita; ſed illapſus non eſt operatio à nobis elicita; ergo in illo non conſiſtit formaliter noſtra beatitudo formalis.

20 Obijc. 1. Noſtra beatitudo formalis cōſiſtit in vnione perfectiſſima cum Deo; ſed hæc habetur per illapſum; quia per illapſum vniuntur anima, & potentiæ cum Deo; per amorem autem, & cognitionem vniuntur ſolùm potentiæ; ergo noſtra beatitudo formalis conſiſtit in illapſu.

Reſp. diſt. ma. Conſiſtit in vnione perfectiſſima, qua vltimatè cōiungimur Deo, & ipſo fruimur, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam per illapſum nec coniungimur vltimatè; remanet enim coniunctio per potentias, quæ eſt poſterior illapſu; nec fruimur Deo; quia fruitio eſt actus volūtatis. Qua vltimatè non coniungimur, nec fruimur, neg. Præterea omiſſa ma. neg. mi. Ad prob. dicitur; quòd ſi per potentias cōiungimur Deo, neceſſe eſt etiam coniungi per animam, quia potentiæ coniunguntur animæ; & ideo impoſſibile eſt coniungi potentias, & animam non coniungi; vnde hæc nō eſt vnio minor, & imperfectior, ſed æqualis, licèt præpoſtera.

21 Obijc. 2. Beatitudo formalis eſt gratia conſummata; ergo conſiſtit in illapſu; nam gratia ſanctificans, quæ eſt ſemen gratiæ conſummatæ, ſubiectatur immediatè in anima; & ideo etiam beatitudo formalis, quæ eſt gratia ſanctificans conſummata, debet ſubiectari immediatè in anima; ſed ſubiectio immediata beatitudinis formalis in anima habetur ſolùm per illapſum; quia habetur ſolùm per vnionem Dei ad animam, quæ vnio eſt illapſus; ergo beatitudo formalis conſiſtit in illapſu.

Reſp. neg. conſ. Ad prob. infert. neg. 2. pars ma; & ratio eſt; quia gratia conſummata eſt vltima perfectio ſatiatiua, & quietatiua potentiæ; ſed vltima perfectio ſatiatiua, & quietatiua potentiæ eſt actus ſecundus, ſeu actualis operatio illius; nam potentia ſatiatur ſolùm per ſuā actualem operationē, & in illa quieſcit; & vſquedum caret illa, ſemper inhiat ad illam; ergo gratia cōſummata debet ſubiectari immediatè in potentia, & mediatè in anima. At verò gratia ſanctificans eſt imperfecta participatio gratiæ conſummatæ, & ideo dicitur ſemen, quia ſemen non eſt perfectum in plātam; ergo datur ſolùm per modum principij radicalis, quod propterea non implicat ſubiectari immediatè in anima.

22 Obijc. 3. Beatitudo formalis per ſe, & principaliter conuenit animæ; & minùs principaliter potentijs; ergo immediatè ſubiectatur in anima, & ideo conſiſtit in illapſu.

Reſp. neg. conſ; nam etiam intelligere principaliter conuenit animæ, & inſtrumentaliter intellectui; quia anima intelligit per intellectum; & tamen ex hoc non ſequitur intellectionem immediatè ſubiectari in anima, ſed in intellectu; ita à pari.

23 Obijc. 4. Beatitudo formalis eſt ſummum bonum; ſed nulla res creata eſt ſummum bonū; ergo nequit cōſiſtere in aliqua re creata; & ideo conſiſtit in illapſu Diuinæ eſſentiæ in animam.

Reſp. diſt. ma. Eſt ſummum bonum in genere, idèſt eſt maius bonum inter bona creata; vel eſt ſummum bonum *quo*, idèſt quo conſequimur ſummum bonum ſimpliciter, conc; eſt ſummum bonum, *quod*, neg; & ſic diſt. minori neg. conſ.

24 Obijc. 5. Beatitudo hominis eſt optimum ipſius hominis; ſed operatio hominis non eſt optimum ipſius hominis; aliter accidens eſſet melius ſubſtantia; ergo beatitudo hominis non conſiſtit in operatione, & ideo nec in illapſu.

Reſp. *Fund. Doct. lib. 1. Met. q. 1*; quòd licèt bonum, & ens conuertantur; attamen aliquando contrariè dicuntur; nam aliquod dat entitatem ſimpliciter, & bonitatem ſecundùm quid; vt anima rationalis dat eſſe ſimpliciter homini; & tamen dat bonitatem ſecundùm quid, quia rationalitas non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; aliud verò dat entitatem ſecundùm quid, & bonitatē ſimpliciter; vt virtutes, quæ dant eſſe accidentale, & tamen ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. Diſt. igitur ma. Beatitudo hominis eſt optimum ipſius hominis in genere bonitatis formalis, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; in genere entitatis, neg.

ART. III.

An beatitudo formalis conſiſtat in operatione à nobis elicita?

1 Diuerſitas opinionum circa modum, quo in nobis producitur actus immanens, vt eſt noſtra beatitudo formalis, dedit locum huic difficultati; explicato igitur, quomodò in nobis generetur quicunque actus immanens, ſtatim patebit, quomodò producantur in nobis actus intellectus, & voluntatis, qui ſunt actus immanentes; & ideo, quomodò noſtra beatitudo formalis, quæ conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis, procedat à nobis, & à Deo. Et quanuis ex dictis ſuperiùs, & locis *inf.* afferēdis fusè explicatum ſit hoc; attamen breuiter eſt repetendum, & iam dictis aliquid addendum.

2 Prima ſententia vult intellectum beati ſolùm paſſiuè ſe habere ad viſionem beatam, & ideo ad beatitudinem, quæ propterea à ſolo Deo adæquatè cauſatur. Referuntur *Okam, Gabr; Maior*;

ior; Aliac; Baſſol; Paludan; Ric; Scot. apud Godoy hic dſp.4.§.2.n.7.

3 Secunda ſententia vult ſaltem de poſſibili hoc poſſe contingere,licèt de facto non ſit. *Ita Soncin; Val;Veg; Sal; noſter Luſit. apud eundem Godoy vbiſ.*

4 Tertia ſententia opinatur repugnare, quòd intellectus creatus cōſtituatur beatus per viſionem à ſe non elicitam. *Ita Capr; Sot; Ferr; Med;Mol;Vaſq;Sua; Monteſin; & alij apud eundem Maſtr.vbiſ; qui eos ſequitur.*

5 Noſtra tandem ſententia docet noſtram beatitudinem,vt qualitas eſt, efficienter à Deo produci; & vt actio vitalis eſt, produci ſolùm ab intellectu beato ſiue de facto, ſiue de poſſibili. *Ita Fund. Doct. locis cit.to.1.de Inuiſib.Dei q.1. art.6; & to. 2. de Scient. Dei q. 4. art. 1.* §.3; *& locis ibid. relatis.* Hanc ſententiam tenet *tota noſtra Schola; & eſt* doctrina SS. PP; vt vidimus *de Scient. vbiſ.*§.2.

6 In terminis reſoluta fuit *to. 1.de viſ. vbiſup*;& ex dictis *to. 2. loc. cit*; vbi fusè probatum eſt *ex Scripturis; SS.PP; & ex Philoſophis* omnes actus cauſæ ſecundæ produci à cauſa prima in cauſa ſecunda generaliſſimè loquendo,& ſpecialiter probatum eſt actus potentiarum immanentium produci ab obiectis in ipſis potētijs in genere cauſæ efficientis; vnde cum noſtra beatitudo formalis conſiſtat in actibus intellectus, & voluntatis,vt *in ſeq. art*; optimè infertur produci à Deo, qui eſt obiectum beatitudinis formalis,in genere cauſæ efficientis,vt qualitas eſt, & vt habet rationem actus primi,quo voluntas cōſtituitur proximè potens tendere in Deū, vt eſt ſummum bonum;& quo actualiter tēdit, ex quo deducitur eandem entitatem, prout habet rationem qualitatis, ſeu actus primi actuantis potentiam,produci efficienter à Deo; & vt habet rationem actus ſecundi,ſeu actualis tendentiæ,qua potentia tendit in obiectum,eſſe actiuè ab ipſa potentia.Hæc eſt conſtantiſſima, & fundatiſſima *Fund. Doct.* doctrina ſæpiſſimè ab ipſo allata.

7 Vnica concl. Noſtra beatitudo formalis, vt qualitas eſt, producitur à Deo in nobis; & vt actio eſt,effectiuè producitur à nobis; vnde nec purè paſſiuè,nec purè actiuè noſtra voluntas, & intellectus ſe habet ad illam;ſed ſimul paſſiuè illam recipiendo à Deo productam in nobis; & actiuè per illam in Deum tendendo.

Prob. 1. *ex Scripturis allatis to.2.vbiſup*;in quibus dicitur *Deum operari in nobis velle*. Ex quibus ſic.Amor Dei ſupernaturalis viæ producitur efficienter à Deo in nobis, & per ipſum actiuè tendimus in Deum amando,& idem dicitur de cognitione;ergo & amor, ac viſio patriæ, in quibus conſiſtit noſtra beatitudo formalis. Ant.probatū eſt *vbiſup.*tū *ex Apoſt.*docente *Deū operari in nobis velle*;tum *ex Epiſt. Iac.*docente: *Omne bonum de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*; tum *ex Io.* docente *dilectionem Dei ex Deo eſſe*;tum *ex SS.PP*;vt *ex Beatiſſ.P.* docente *opera noſtra bona eſſe dona Dei* à Deo nobis efficienter collata;tum *ex D.Ber.* docente *nos diligere Deum amore à Deo in nobis indito*; tum *ex Philoſophis communiter* aſſerentibus *cauſas ſecundas agere per actionem cauſæ primæ*, quia agunt per motum cauſarum à cauſa prima in cauſis ſecundis, & hoc eſſentialiter indiſpenſabiliter; ergo amor ſupernaturalis viæ producitur efficienter à Deo in nobis. Prob. conſ. 1. Ideo actus ſupernaturalis viæ,quo mouemur in Deum, producitur efficienter à Deo in nobis,quia eſſentialiter eſt actus cauſæ ſecundæ, quæ eſſentialiter petit moueri per motū cauſatū in ipſa à cauſa prima;ſed etiam amor ſupernaturalis patriç,quo actiuè tendimus in Deum clarè viſum, eſt actus cauſæ ſecundæ, quo mouetur à cauſa prima, & actiuè ſe mouet in finem;ergo effectiuè producitur à Deo in nobis.2. Id, quod eſt excellentius, potiori iure petit produci à cauſa excellentiſſima,quàm id,quod eſt minùs excellens; excellētia enim effectus arguit excellentiam cauſæ; ſed beatitudo formalis patriç eſt actus excellentior, quàm amor viæ;ergo ſi amor viæ exigit efficienter produci à Deo, qui eſt cauſa excellentiſſima,à fortiori dicendum eſt de amore patriæ.

8 Prob.2. *ex Beatiſſ. P. de Grat; & lib. arb. c.8*;vbi ex profeſſo pertractat hanc difficultatē; nam quærens,quomodò gloria ſit gratia iuxta illud *Rom.5.Gratia autem Dei vita æterna*; & ſimul ſit merces iuxta illud *Rom.4.Ei,qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam,ſed ſecūdùm debitum*, ait: *Si vita bona noſtra nihil aliud eſt,quàm Dei gratia,ſine dubio,& vita æterna, quæ bona vita redditur,Dei gratia eſt; & ipſa enim gratis datur;quia gratis data eſt illa,cui datur.Sed illa,cui datur,tantummodò gratia eſt; hæc autem,quæ illi datur,quoniā præmiū eius eſt,gratia eſt pro gratia tanquā merces pro iuſtitia.*Quod colligitur *ex Io.1. Nos omnes de plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia*. Ex quo ſic. Noſtra beatitudo formalis, quæ eſt idem, ac vita æterna in actu ſecundo,eſt gratia à Deo nobis collata,& per ipſam actiuè aſſequimur Deū; ſed gratia effectiuè producitur in nobis à Deo, quia Deus eſt Auctor gratiæ;ſicut natura effectiuè producitur à Deo,quia eſt Auctor naturæ;ergo noſtra beatitudo formalis effectiuè producitur à Deo in nobis,& per illam actiuè conſequimur Deum;& ideo,vt qualitas eſt, efficienter producitur à Deo; & vt actio vitalis eſt, actiuè producitur à nobis; nam actio vitalis eſſentialiter petit oriri ab ipſo viuente.

9 Conf. Actus meritorius viæ eſſentialiter eſt donum Dei diffuſum per Spiritum S. in cordibus noſtris miſericorditer à Deo inſpiratum, & ſimul eſt opus noſtrum actiuè à nobis elicitū; ſed noſtra beatitudo formalis patriæ eſt eiuſdē rationis cum actu meritorio eiuſdem, qui habetur in via;non enim differunt, niſi vt perfectum

ab

Digitized by Google

ab imperfecto iuxta *illud Apoſt. Cũ venerit, quod perfectum eſt*; tum quia ſicut actus meritorius viæ eſt amor Dei imperfectus; ita beatitudo formalis eſt amor perfectus, & conſummatus; ergo noſtra beatitudo formalis eſt ſimul donum Dei à Deo miſericorditer nobis infuſum, & ſimul opus noſtrum à nobis actiuè productum. Ma. patet ex dictis; & vlteriùs habetur manifeſtè *in Conc. Trid*, nam *ſeſſ.* 14. *c.*4. habetur, quòd contritio, imò etiam attritio eſt impulſus Spiritus S; impulſus autem Spiritus S. eſt effectiuè à Spiritu S; & ideo actus meritorius viæ eſt effectiuè à Deo. Præterea *ſeſſ.6. can.*4. decernitur noſtrum liberum arbitrium non eſſe *inanime quoddam*; & damnantur aſſerentes ipſum *nihil agere, merèque paſſiuè ſe habere*; & ideo actus infuſus eſt etiã à nobis actiuè elicitus. *Vid. aliæ rationes allatæ vbiſ.*

10 Obijc. *Vaſq.* Intellectio, & volitio ſunt qualitates, & operationes, quibus creatura tendit in obiectum cognitum, & volitum; ſed huiuſmodi tendentia nequit concipi ſine proprio conatu ipſius tendẽtis; ergo neceſſariò poſtulant eſſe ab ipſo tendente; & ideo nequeunt eſſe efficienter à Deo. 2. Impoſſibile eſt amorem, quo diligimus, à nobis non produci; ergo impoſſibile eſt cognitionem, qua cognoſcimus, à nobis nõ produci; eadem enim ratio eſt de vtroque. Prob. ant. De ratione amoris eſt, quòd ſit voluntarius; nihil enim magis propriè conuenit amori; ſed voluntarium procedit à principio intrinſeco volente; ergo amor, quo nos diligimus, procedit à nobis, & ideo nequit à Deo effectiuè produci.

Reſp. hæc nihil concludere; concedimus enim, quòd illi actus ſint à nobis actiuè eliciti; ſed vltra hoc dicimus eſſe à Deo effectiuè producti, & infuſi. Ad 1. igitur diſt. mi. Huiuſmodi tendentia nequit concipi ſine proprio conatu, vt actio eſt formaliter, ſeu vt actus ſecundus, conc; vt qualitas eſt, ſeu vt actus primus, neg. Vel nequit concipi ſine proprio conatu, & ſimul ſine efficientia ipſius Dei, cõc; ſolùm ſine proprio conatu, neg. Vel conc. totum; & neg. conſ. ſubillatũ; ex eo enim, quòd petat eſſe à nobis, non ſequitur, quòd non petat eſſe etiam à Deo, à quo magis dependet, quàm à nobis. Ad 2. dicitur, quòd *Apoſt.* docet Deum *operari in nobis velle*; velle autem eſt voluntarium æquè, ac amor; & *D. Ber.* ait nos diligere Deum *amore à Deo in nobis indito*. Conc. ergo totum arg; & neg. pariter conſ. ſubillatum ob eandem rationem; arg. enim probat Deum non poſſe producere, vel ſupplere noſtros actus vitales, quatenus actiones vitales ſunt, quod concedimus; hęc namque eſt 2. pars noſtræ concl; ex hoc autem non infertur à Deo effectiuè non produci.

11 Ex hoc eruitur noſtram beatitudinem formalem non poſſe conſiſtere in aliqua operatione paſſiuè ſolùm recepta in creatura; & hoc nec etiam diuinitus. 1. Quia noſtra beatitudo formalis eſſentialiter conſiſtit in operatione, qua coniungimur Deo in ratione ſummi boni, ſeu vltimi finis, & in ratione ſummi veri clarè viſi; ſed hæc operatio eſt actus voluntatis, & intellectus noſtri; quæ eſſentialiter exigit actiuè elici à nobis, nam actus intellectus, & voluntatis ſunt vitales, qui eſſentialiter petunt oriri actiuè ab ipſo viuente; in hoc enim diſtinguitur viuẽs, quod ſe mouet ab intrinſeco per ſuam actionẽ, à non viuente, quod mouetur tantùm extrinſecè ab alio; ergo noſtra beatitudo formalis neque etiam de poſſibili poteſt cõſiſtere in aliqua operatione à nobis non elicita. 2. Noſtra beatitudo formalis eſſentialiter conſiſtit in perfectiſſimo amore, quo diligimus Deũ clarè viſũ; ſed amor, quo diligimus, eſt voluntarius; & voluntarium eſt illud, quod eſt actiuè à principio intrinſeco; in hoc enim diſtinguitur à violento, & inuoluntario; ergo noſtra beatitudo formalis eſſentialiter conſiſtit in operatione à nobis elicita; & ideo nec etiam de poſſibili poteſt conſiſtere in aliqua operatione paſſiuè tantùm in nobis recepta. 3. Noſtra beatitudo formalis eſt eſſentialiter vita in actu ſecundo, quo viuimus vita ſupernaturali; ſed vita in actu ſecundo eſſentialiter eſt operatio actiuè à nobis elicita; quia talis operatio eſt à principio intrinſecè ſe mouente, quod eſt vita radicalis; ergo nequit de poſſibili conſiſtere in aliqua operatione paſſiuè recepta; quia quæ eſſentialiter ſunt talia, neque etiam de potentia Dei poſſunt immutari; nam eſſentiæ rerum ſunt ſimpliciter inuariabiles, ſicuti numeri. 4. Vel illa operatio paſſiuè recepta eſſet actus intellectus, & voluntatis, vel non? Si primum; vel eſſet actus intellectus, & voluntatis Dei; & hoc non, vt dictum eſt *art.* 1; vel eſſet actus intellectus, & voluntatis alterius creaturæ, & hoc non; quia actus immanens vnius creaturæ ita eſſentialiter dependet ab illa, vt nequeat poni, & recipi in alia; eſt enim eſſentialiter immanens; immanens autẽ non eſſet, ſi poſſet poni extra illam; in hoc enim diſtinguitur actio immanens à tranſeunte; quòd ſicuti implicat actionem tranſeuntem non tranſire, ſed immanere; implicat enim aliquod efficienter producere ſe ipſum; aliter illa actio non eſſet tranſiens, ſed immanens; ita implicat actionem immanentem tranſire ad aliud ſubiectum; ſecus non eſſet immanens, ſed tranſiens. Si ſecũdum; ergo in illo non conſiſteret noſtra beatitudo formalis, quæ conſiſtit ſolùm in operatione, qua conſequimur Deum in ratione ſummi boni, & vltimi finis clarè viſi; ſicut autẽ implicat, quòd potentia alia ab intellectu, & voluntate habeat pro obiecto bonum, & verum; ſic enim daretur confuſio obiectorum, & per conſequens potentiarum, quæ trahunt ſuam ſpecificationem, & diſtinctionem ab obiectis; ita implicat, quòd actus alius ab actu intellectus, & voluntatis ſit conſecutio Dei in ratione ſummi boni, ſeu vltimi finis; & in ratione ſummi veri; potẽtia enim, actus, & ob-

& obiectum ſeruant or dinē eſſentialem inter ſe; quia babent rationem ſpecificatiui, & ſpecificati. 5. Si beatitudo formalis creaturæ conſiſteret in actu intellectus,& voluntatis paſſiuè tantùm recepto in creatura, creatura per illum non intelligeret,& vellet; quia ex eo,quòd intellectio, & volitio paſſiuè terminetur ad aliquod, illud non dicitur intelligens, & volens, ſed tantùm paſſiuè intellectum, & volitum; vnde ſi intellectio,& volitio paſſiuè tantùm reciperetur in pariete,paries non diceretur intelligens,& volens, ſed paſſiuè intellectus,& volitus;& ratio eſt;quia actio, prout paſſiuè recepta in aliquo ſubiecto, non denominat illud ſubiectum agens, ſed patiens,vt calor,prout paſſiuè receptus in ligno, nō denominat lignum calefaciens,ſed calefactum;& ideo actio ſolùm, prout eſt actiuè ab aliquo, denominat illud agens; atque adeo actio intellectiua,& volitiua, prout paſſiuè recipiuntur in aliquo ſubiecto,non denominant illud intelligens, & volens; ſed ſolùm prout effectiuè ab ipſo eliciūtur;ergo creatura per illam operationem non intelligeret, & amaret Deum; & ideo non eſſet beata;quia impoſſibilis eſt beatitudo ſine amore,& amor ſine cognitione; vt *ſup. ex Magno P.* dicebamus;ergo remanet, quòd Deus per illum actum paſſiuè receptum in creatura intelligeret, & amaret ipſam creaturam. Tunc ſic. Vel ille actus eſſet increatus, vel non? Non primum; vt dictum eſt *art.* 1. Si ſecundum;ergo Deus intelligeret,& vellet per intellectionem,& volitionem creatam; quod eſt magis abſurdum, quàm quòd creatura intelligat, & amet per intellectionem, & amorem increatū. *Vid.art.* 1; *& inf. in ſeq.art.*

12 Obijc. 1. *Vaſq.* Impoſſibile eſt, quòd ille actus producatur à Deo,vt qualitas eſt,non & vt actio eſt;nā ille actus ſimul eſt qualitas, & actio; ergo per illum intellectus, & voluntas redderetur formaliter intelligens; ſicut ex eo, quòd calor producatur in ligno,lignum redditur formaliter calidum.

Reſp. *Fund.Doct.* neg. ant; licèt enim ille actus, vt qualitas eſt, & vt actio eſt,non diſtinguantur realiter entitatiuè; quia actio ſuper illā entitatem non dicit, niſi reſpectum ad paſſum; attamen poteſt produci ſecundùm vnam rationem,non ſecundùm aliam. Nec ex eo, quòd illa qualitas producatur in intellectu,ſequitur,quòd producatur,vt actio;ſicut ex eo,quòd calor producatur in ligno,redditur vtiq; lignū calidū,non tamē redditur actiuè calefaciēs, niſi per reſpectū ad aliud paſſiuum;ita à pari. Sicut ergo idem calor, vt qualitas eſt, reddit ſubiectum potens calefacere;vt paſſiuè receptum,dicitur paſſio, & vt dicit reſpectum ad aliud, tanquam ad paſſiuum, dicitur actio;ita intellectio,vt qualitas,reddit intellectum actu potentem intelligere; vt paſſiuè terminata,reddit obiectum intellectum;& vt dicit reſpectum ad obiectum, tanquam ad terminū intellectum,dicitur actio; ergo ſicuti poteſt produci calor in ligno abſque eo,quòd reddatur lignum calefaciens; quia nullus poteſt eſſe reſpectus ad calefactibile; ita poteſt produci intellectio,vt qualitas, abſque eo,quòd producatur,vt actio.

13 Obijc. 2. *Godoy.* In tantùm intellectio debet à Deo produci,vt qualitas eſt;quia idem nequit agere efficienter in ſe ipſum;vt docet *Fund. Doct,* ſed hæc ratio nulla eſt; quia licèt idem nequeat agere phyſicè in ſe ipſū; quia motus phyſicus eſt actus imperfectus,& ideo ſubiectum nequit illum præcontinere nec formaliter,nec eminentialiter; aliter ille motus non eſſet actus imperfecti,ſed perfecti; at verò intellectio eſt motus intentionalis,& eſt actus perfecti; ideo intellectus poteſt illam eminentialiter præcontinere; ergo intellectio beata non producitur à Deo.

Reſp.neg.mi. Ad prob. dicitur, quòd intellectio nedum habet eſſe intentionale, ſed etiam habet verum eſſe reale; quia eſt verum accidens reale, quod in ratione accidentis conuenit cum omni alia qualitate reali ſpirituali; ſicut eſt ipſe intellectus,& voluntas, quæ ſunt veræ qualitates accidentales informātes animam; vltra quod habent etiam intentionaliter operari; ergo quāuis intellectio,prout eſt motus, ſeu tendentia intentionalis in obiectum, præcontineatur ab intellectu,quia continetur,vt qualitas eſt,& ab ipſo efficiatur,vt actio eſt,attamen prout eſt verum accidens reale informans,& actuans potentiam, non præcontinetur ab ipſa; aliter non eſſet potētia purè paſſiua reſpectu illius,ſed actiua; quia *omne agens in tantùm agit;in quantùm actu eſt ſecundùm illam formam,ſecundùm quam agit.* Prætерea licèt intellectus,prout præcisè tendit in obiectum,non dicatur realiter accidentaliter mutari,quia per illam tendentiam non acquirit aliquam realem accidentalem entitatem, ſed tantū modum,ſeu relationem ad obiectum; attamen prout acquirit entitatem realem accidentalem intellectionis,verè,& realiter mutatur; quia trāſit de priuatione illius entitatis ad illam entitatem;ſed quod realiter tranſit de non eſſe ad aliquod eſſe illud paſſiuè recipiendo, non præcontinet illud eſſe eminentialiter; quia quod continet aliud eminentialiter,continet illud actu perfectiori modo,quàm ſi contineret formaliter; nā modus eminentialis eſt modus altior, & modus altior eſt perfectior; quod autem continet aliud perfectiori modo, non poteſt tranſire ad continendum illud imperfectiori modo;aliter per talem tranſitum imperficeretur, quia tranſiret ad modum imperfectiorem; ſic Deus, quia eminentialiter continet omnes perfectiones ſimplices,nequit tranſire ad illas continendas formaliter; ergo intellectus, qui verè, & realiter tranſit ad entitatem realem intellectionis,non præcontinet eminentialiter illam. Præterea vel illa præcontinentia eminentialis eſſet merè paſſiua,vt eſt præcontinentia formæ in potentia materiæ; & ſic

non

non poſſet efficiẽter producere entitatem intellectionis in ſe ipſa, quia paſſiuo, vt paſſiuum eſt, repugnat efficienter agere; nam efficienter agere eſt ſolùm actu exiſtentium; vnde præcontinentia eminentialis, quæ ſufficit ad agendum efficiẽter, debet eſſe actualis, non potentialis; aliter materia poſſet efficienter producere formam in ſe ipſa. Vel eſſet actiua; vt eſt præcontinentia creaturæ in Deo; & ſic neque poſſet producere illam rem in ſe ipſa; vt patet de intellectu Diuino, qui, quia præcontinet eminentialiter, idèſt ſecundùm eſſe altius, & perfectius, omnes intellectiones creatas, nequit illas formaliter producere in ſe ipſo. Et quoniam *Aduerſarij* nomine continẽtiæ *eminentialis* intelligunt continentiam virtualem, quæ conuenit creaturæ; cui tamen non conuenit continentia eminentialis; vt diximus *tom. 1. de Emin. Dei art.* 1; ideo dicendum eſt, quòd ſicut Sol, quia continet ſecundùm gradum perfectiorẽ calorem virtualiter in ſe ipſo, ideo nequit illum actiuè producere in ſe ipſo ſecundùm eſſe formale; & ſic dicendum de pipere; & de anima rationali reſpectu animæ ſenſitiuæ, & vegetatiuę; ergo ruit allata ſolutio. *Cetera vid. to.* 1; *&* 2. *vbiſ.*

14 Obijc. 3. cont. 2. part. concl. Poteſt Deus ſe ſolo producere viſionem beatam in intellectu creato; ergo ſaltem de poſſibili noſtra beatitudo formalis conſiſtit in operatione merè paſſiuè recepta. Prob. ant. 1. Quia quidquid poteſt ſimul cũ cauſis ſecundis, poteſt ſe ſolo. 2. Ideo poteſt ſe ſolo producere calorem, quia continet eminenter calorem; ſed continet eminenter etiam omnẽ viſionem beatã; ergo ſe ſolo poteſt illã producere. 3. Non minùs dependet intellectus ab anima, tanquam à principio dimanatiuo, quàm intellectio ab intellectu, tanquam à principio effectiuo; ſed ſe ſolo poteſt producere intellectum; ergo & intellectionem. 4. Non minùs pendet verbum ab actione vitali, quàm actio vitalis à principio vitali; ſed poteſt verbum produci ſine intellectione vitali; ergo & intellectio vitalis ſine principio intellectiuo vitali.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. diſt. de cauſis ſecundis efficientibus, conc; formalibus, neg. vt dictum eſt *art.* 1. Ad 2. dicitur, quòd licèt Deus poſſit ſe ſolo producere calorem, vt qualitas eſt; non tamen poteſt facere, vt ſubiectum calidum actiuè calefaciat abſque eo, quòd eliciat actionẽ calefactiuam; quia agens conſtituitur formaliter agens per actionem actiuè elicitam ab ipſo; ſicut patiens conſtituitur formaliter tale per operationem paſſiuè receptã; ita à pari. Ad 3. neg. ma; nam actio eſſentialiter ſe habet per ordinem ad agens elicitiuè; intellectus verò ſe habet ſolùm per reſultantiam ab anima; quatenus ſcilicet propter eſſentialem cõnexionem nequit produci anima, quin producatur intellectus; & ideo ſicut intellectus nequit produci ſine hac connexione, quia eſt eſſentialis; ita actio nequit produci ſine elicitione ab agente, quia eſt illi eſſentialis. Ad 4; quidquid ſit de mi; neg. ma; nam actio non conſtituitur eſſentialiter per verbum, quia verbum eſt terminus tantùm extrinſecus actioni; & ideo poteſt dari actio ſine verbo, quoties obiectum eſt præſens; at verò agens eſſentialiter conſtituitur in eſſe agentis per actionem; ergo licèt poſſit intelligi actio intellectiua ſine verbo; non tamen poteſt intelligi agens ſine actione.

15 Obijc. 4. Quoties aliquod, quod eſt imperfectius, petit à ſolo Deo produci; tunc à fortiori id petit, quod eſt perfectius; ſed habitus luminis, quod eſt imperfectius viſione, quia lumen eſt potentia, & viſio eſt vltima actualitas potentiæ, petit à ſolo Deo produci; ergo & viſio. 2. Si viſio eſſet effectiuè ab intellectu beati, beatus poſſet deſiſtere à viſione beata; quia viſio beata quantùm ad electionem ſubderetur imperio ipſius voluntatis; ſed conſ. eſt falſum; quia viſio eſt eſſentialiter inamiſſibilis; ergo & ant. 3. Sequeretur, quòd perfectior intellectus cum æquali lumine eliceret perfectiorem viſionem. 4. Sequeretur beatum ſe ipſum efficienter beatificare; quod pariter eſt abſurdum; quia beatitudo eſt gratia Dei.

Reſp. ad 1. neg. ma; nam materia eſt imperfectior forma, & tamen materia petit à ſolo Deo produci, non tamen forma. Ad 2. neg. ma; nam licèt viſio ſit maximè voluntaria, quia fit cùm maxima complacentia; attamen quia eſt de obiecto ſummè bono, in quo nulla eſt ratio mali; ideo ab illo nequit ſe auertere, vt *inf.* videbimus. Ad 3. neg. ſeq, vt diximus *to. 1. de Inuiſib*; intellectus enim ſe habet tantummodò remotè, & radicaliter; imò neg. ſupp; vt *ibid.* dicebamus; nam perfectio intellectus eſt lumen; & ideo ille intellectus eſt perfectior, qui habet maius lumen, in perfectione autẽ entitatiua omnis intellectus eſt æquè perfectus præciſo lumine. Ad 4. diſt. ſeq. Beatus ſe ipſum efficienter formaliter beatificaret in genere cauſæ formalis, conc; in genere cauſæ efficientis extrinſecæ, neg, habetur enim 1. *Io.* 3. *Omnis, qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe*; ſicut ergo poteſt quis aliquo modo ſanctificare ſe in hac vita; ita poteſt in alia aliquo modo beatificare ſe; quatenus aliquo modo concurrit actiuè ad ſuam beatitudinem; ſicut *hìc* cõcurrit actiuè ad ſuam ſanctitatem; quæ eſt imperfecta participatio illius beatitudinis. Ceterùm abſolutè loquendo hæc propoſitio non debet concedi; quia abſolutè loquendo appellat cauſam principalem noſtræ beatitudinis, quæ eſt ſolus Deus. *Vid. art.* 1 *. huius q.*

A R T. IV.

An beatitudo formalis conſiſtat in actu voluntatis?

1 STatuto noſtram beatitudinem formalem conſiſtere in aliqua operatione à nobis elicita, procedimus ad inquirendum, cuius potentiæ ſit iſta operatio? Certum eſt autem

hanc operationem nõ eſſe actionem alicuius potentiæ ſenſitiuæ, quia cùm noſtra beatitudo formalis ſit operatio, qua tendimus in Deum, qui eſt ſummè ſpiritualis; ideo talis operatio nequit eſſe actus potentiæ ſenſitiuæ,quæ nequit tendere in obiecta ſpiritualia. Cùm igitur potentiæ tendentes in obiecta ſpiritualia non ſint, niſi duæ, ſcilicet intellectus,& voluntas; ideo quæritur,an conſiſtar in actu intellectus, aut voluntatis?

2 Certum 1. eſt ad noſtrã beatitudinem formalem requiri vtrũque actum indiſpenſabiliter, tanquam integrantes perfectum ſtatum beatitudinis. Dubiũ igitur eſt,an requiratur vtrunq; formaliter ſecundùm conceptum formalem beatitudinis; vel vnum ſolùm formaliter, alterum verò tantùm vel præſuppoſitiuè, vel conſecutiuè. 2. Certum eſt quantùm ad hoc nihil *ex Scriptura* determinatè haberi; aliquando enim vocat noſtram beatitudinem *viſionem* Dei, vt *Io.17. Hæc eſt vita æterna,vt cognoſcant te &c*; & *pſ.16. Satiabor,cũ apparuerit gloria tua*; quapropter *Magnus P. Aug.* ait,quòd *viſio beata eſt tota merces*; aliquando autem vocat *gaudium*, quod eſt actus voluntatis;vt *Matt.25. Intra in gaudium Domini tui,& Io.15. Vt gaudium veſtrum ſit plenum*; cũ enim iſta duo eſſentialiter coniunguntur; ideo noſtra beatitudo poteſt nomine vtriuſque explicari.

3 Prima ſententia vult noſtram beatitudinẽ formalem ſumptam ſecundùm ſuam rationem formalem præciſiuè conſiſtere in vtroque actu intellectus,& voluntatis ex æquo. *Ita D Bon;Ric; Gabr;Marſ;Hugo de S.Vict,Henriquez,Corduba, Sal;Val,Sua,apud Vaſq*;inter quos tamen eſt aliqua diſſenſio circa actum voluntatis; an ſcilicet ſit delectatio,vel amor amicitiæ &c.

4 Secunda ſententia vult conſiſtere in actu intellectus formaliter adæquatè, actum verò voluntatis ſolùm conſecutiuè, & accidentaliter ſe habere. *Ita D.Thomas cum ſuis,Caiet;Conr;Med; Alu;Martinez,Ferr,Capr; Hiſpal; Dur;Sot;Gonet cum ſuo Mag. Godoy*; qui ait vniuerſam Theologorum Scholam hanc ſententiam *cum Angelico Doct.* tenere;quaſi *Alen.Patriarcha Theologorum* cognomento dictus,qui fuit *D.Bon;& D.Thomæ Mag;D.Bon; Fund.Doct; Scot; & alij celeberrimi DD.* allati pro prima ſententia, & afferendi pro noſtra non ſint Theologi. His adhærent *Cur; Mõteſin; Becc; Lorca, & Vaſq.*

5 Noſtra tandem ſententia docet conſiſtere in actu voluntatis præſupponente actum intellectus. Sed diuiſa eſt; *aliqui* enim volunt conſiſtere in actu amoris amicitiæ; *ita Scot.cum ſuis. Alij* verò in amore ſimplicis beneuolentiæ, quo amatur Deus,quia eſt ſummè bonus in ſe, & propter ſe;actum verò amicitiæ, quo volumus Deo omne bonum; & actum concupiſcentiæ, quo amamus omne bonum nobis, importari ſolùm ex conſequenti. *Ita Fund.Doct. Quodl.3.q.19; & in 2.Sent.diſt.11.q.2.art.1. ad 2, & ſæpe alibi; & in Opuſc.de Diuin.Influent.in Beatos c.2; & in Cant. c.1;Thom.Argent.in 4.diſt.58.q.3. art.2. concl.2.* Refertur etiam *noſter Greg. Arim. à noſtro Gibb; & excepto noſtro Gibb.apud quem noſter Cornejus tota noſtra Schola. Ita noſter Conſon. omniũ Theologorum huius ſæculi facilè Princeps, Fulgentius à Iudice; Illuſtriſſimi Præſules Philipp. Vicecomes; Hier.Valuaſorius Epiſcopus Piſaurenſis; Angelus Rocca Põtificij Sacrarij Præfectus,Fund.Doctoris diligentiſſimus Reuiſor, Nicolaus Oliua Epiſcopus Cortonẽſis profundiſſimus Theologus*, & tres,quos audiuimus, *Præceptores, Aug. Gaſti Alexandrinus, Auguſtinus Curti Mediolanen; & Illuſtriſſ. F. Dominicus Valuaſorius olim Generalis, nunc Epiſcopus Grauinenſis*, cuius ſummo in Religionem zelo, & in nos amore noſtra qualiacunque ſtudia fouentur,& continuantur, necnon *alij* ſupremæ notæ *DD.* nulli alij ſecundi,quos nonniſi lunga recenſeret catalogus.

6 Vnica concl. Noſtra beatitudo formalis conſiſtit formaliter in amore ſimplicis beneuolentiæ,& ſolùm præſuppoſitiuè in viſione beata.

Prob. 1. *ex Beatiſſ.P. lib.de Morib. Eccleſiæ c.3*; vbi docet: *Beatus neque ille dici poteſt,qui nõ amat,quod habet; etianſi optimum ſit; & lib.14.de Ciu.Dei c.25. Vita beata ſi non amatur,non habetur.* Super quod *Fund.Doct.de Diuin.influentia in Beatos c.2.* ait: *Videre,quod non delectat,magis eſt ad pœnam, & miſeriam, quàm ad gloriam, & felicitatem.* Ex quo ſic. In illo conſiſtit formaliter eſſentia, ſeu ratio formalis eſſentialis cuiuslibet rei,quo circunſcripto, & poſitis quibuſcunque alijs non habetur eſſentia rei; ſed circunſcripto amore Dei, vt ſummum bonum eſt; & poſita viſione clara ipſius Dei non habetur noſtra beatitudo formalis; ergo noſtra beatitudo formalis conſiſtit formaliter in amore Dei. Ma.patet;quia eſſentia rei eſt illa, ſine qua res nec poteſt eſſe, nec intelligi. Mi.eſt in terminis *Beatiſſ.P*;& prob. Bonum in intellectu non poſſeſſum à voluntate excruciat voluntatem, quia relinquit voluntatẽ priuatã ipſa bonitate, quæ ab ipſa nõ poſſidetur, ſed ſolùm ab intellectu; ſicuti enim intellectus non poſſidet ſummam veritatem,niſi per viſionẽ illius, ita voluntas non poſſidet ſummam bonitatem,niſi per amorem;ergo circunſcripto amore, & poſita viſione non habetur noſtra beatitudo formalis.

7 Conf. Ex eo, quòd aliquod bonum ſenſibile primò poſſideatur ab aliquo ſenſu, non dicitur ſatiare appetitum alterius ſenſus,v.g.quanuis cibus in ratione tangibilis primò poſſidetur à tactu, non tamen dicitur ſatiare guſtum, niſi quando poſſidetur ab ipſo in ratione guſtabilis, ſed potiùs guſtum excruciát, cùm ab illo non poſſidetur;ergo à pari quanuis ſummum bonum primò poſſideatur ab intellectu in ratione ſummi veri;attamen non beat appetitum intellectualẽ, nempe voluntatem, quæ eſt veluti guſtus ſpiritualis, ſed potiùs illam excruciat, vſquedum ab

illa

illa poſſideatur in ratione ſummi boni.

8 Prob.2. In illo actu ſolùm, quo formaliter tendimus in ſummum bonum, ſeu vltimum finē, qui eſt noſtra beatitudo obiectiua, formaliter cōſiſtit noſtra beatitudo formalis; ſed ſolus actus ſummi amoris eſt ille, quo tendimus formaliter in ſummum bonum, ſeu vltimum finem, qui eſt noſtra beatitudo obiectiua; ergo in ſolo actu sūmi amoris conſiſtit formaliter noſtra beatitudo formalis. Prob. ma. Noſtra beatitudo formalis formaliter conſiſtit in ſolo actu, qui ſpecificatur à beatitudine obiectiua, quæ eſt ſummum bonū, ſeu vltimus finis, vt diximus *q.1.art.1*; ſicut viſio formaliter conſiſtit in illo ſolo actu, qui ſpecificatur ab obiecto viſibili, & ſic de reliquis actibus aliarum potentiarum; nam potentiæ formaliter ſpecificantur ab actibus, & actus ab obiectis formalibus; vt dicitur *in 3. de an*; ſed actus ſolū, quo formaliter tendimus in ſummū bonū, ſeu vltimū finem, eſt actus ſpecificatus à beatitudine obiectiua; ergo in illo actu ſolùm, quo formaliter tēdimus in ſummum bonum, ſeu vltimum finem, formaliter conſiſtit noſtra beatitudo formalis. Prob.mi. Solus actus ſpecificatus à ſummo bono eſt ille, quo formaliter tendimus in ſummum bonum; ſicut ſolus actus ſpecificatus à bono, *vt ſic*, eſt ille, quo tendimus in bonum, *vt ſic*; quia quælibet potentia formaliter tendit in actum, à quo ſpecificatur; & per actum formaliter tendit in obiectum, quod formaliter ſpecificat eundem actum, vt eſt de ſe manifeſtum; ſed ſolus actus ſummi amoris eſt actus formaliter ſpecificatus à ſummo bono; ſicut enim amor, *vt ſic*, ſpecificatur à bono, *vt ſic*, ita ſummus amor à ſummo bono; ergo ſolus actus ſummi amoris eſt ille, quo formaliter in ſummum bonum, ſeu vltimum finem, qui eſt noſtra beatitudo obiectiua.

9 Prob.3. In illo ſolo actu, per quem expletur, ſatiatur, & quietatur noſter appetitus intellectualis, conſiſtit formaliter noſtra beatitudo formalis; ſed per ſolum actum amoris, non per actum viſionis Dei expletur, ſatiatur, & quietatur noſter appetitus intellectualis; ergo in ſolo actu amoris conſiſtit noſtra beatitudo formalis. Ma.patet; quia de ratione beatitudinis formalis eſt explere, ſatiare, & quietare appetitum intellectualem, vt diximus *q.1.art.1*. Prob.mi. Appetitus intellectualis non expletur, ſatiatur, & quietatur, niſi per actum, quem recipit in ſe ipſo formaliter; quomodò enim vas poteſt expleri ab aqua, quam non recipit in ſe ipſo; ſed appetitus intellectualis recipit in ſe ipſo ſolum actum amoris, non viſionis; quia ita repugnat actum intellectus recipi in voluntate; & actum voluntatis in intellectu; ſicut repugnat voluntatem videre, & intellectum amare; aliter daretur ſumma confuſio potentiarum, actuum, & obiectorum; ergo per ſolum actum amoris, non viſionis, expletur, ſatiatur, & quietatur noſter appetitus intellectualis, qui eſt voluntas.

10 Prob.4. Beatitudo formalis in vniuerſū, qua quilibet appetit eſſe beatum, eſt actus amoris formaliter; ergo beatitudo formalis ſpecifica ſupernaturalis eſt actus amoris formaliter. Prob. ant. Actus, quo quilibet appetit bonum, *vt ſic*, nō deſcendendo ad aliquod bonum particulare, eſt actus amoris formaliter; eſt enim appetitus boni, *vt ſic*, & nomine amoris nihil aliud intelligimus, niſi appetitum boni; ſicut actus, quo tendimus in verum, *vt ſic*, eſt actus intellectionis, quia nomine intellectionis nihil aliud formaliter intelligitur, quàm tendentia in verum; ſed beatitudo formalis in vniuerſum eſt actus, quo appetimus bonum, *vt ſic*; ergo beatitudo formalis in vniuerſum eſt actus amoris formaliter. Prob. conſ. Actus tendens circa aliquod obiectum particulare ſortitur eandem denominationem, quā habet actus, quo eadem potentia tendit in ſuum obiectum generaliter ſumptum, vt v.g. actus, quo oculus tendit in obiectum album, quod eſt obiectum particulare, vel ſpecificum contentum ſub colore, *vt ſic*, in quem oculus generaliter tendit, denominatur viſio, ſicut denominatur actus tendens in omnem colorem; & actus, quo intellectus tendit in aliquod ſpecificū, vel particulare, denominatur intellectio, ſicut denominatur actus, quo intellectus tendit in verum, *vt ſic*; ſed beatitudo formalis ſupernaturalis eſt actus, quo tendimus in ſummum bonum, quod eſt veluti differentia ſpecifica diuidens bonum, *vt ſic*; ergo beatitudo formalis ſupernaturalis ſortitur eandem denominationem, quam habet beatitudo formalis in vniuerſum; atqui beatitudo formalis in vniuerſum eſt actus amoris formaliter; ergo & noſtra beatitudo formalis ſupernaturalis, quæ eſt beatitudo formalis ſpecifica.

11 Prob.5. *ab oppoſito*. Noſtra beatitudo formalis eſt actus illius potentiæ, cuius eſt actus triſtitia, quæ beatitudini opponitur; *oppoſitorum enim eadem eſt ratio, & habent fieri circa idem*; quia habent eſſe in eodem ſubiecto; ſed triſtitia formaliter eſt actus voluntatis; quia triſtitia formaliter eſt de malo, à quo ſugit; & voluntas, quę formaliter tendit in bonum per modum proſecutionis, naturaliter ſe retrahit à malo per modum fugæ; ergo noſtra beatitudo formalis eſt actus voluntatis formaliter, quo proſequimur bonum; atqui nomine amoris intelligimus tendentiam in bonum per modum proſecutionis; ergo noſtra beatitudo formalis eſt actus amoris formaliter.

12 Prob.6. *ex Beatiſs.P.Aug.11.de Trin.c.6*; vbi docet: *Voluntas finis non eſt, niſi beatitudo; & Phil.1.Eth.c.8.* ait: *Felicitas eſt finis operationum perfectus, et ſe ſufficiens bonum*; ex quibus ſic. Noſtra beatitudo formalis eſt actus, quo formaliter tendimus in vltimum finem, ſeu in ſummum bonum; ſed actus, quo formaliter tendimus in vltimum finem, ſeu in ſummum bonum, eſt actus amoris, quia formaliter eſt actus voluntatis per

modum proſecutionis; ergo noſtra beatitudo formalis eſt actus amoris formaliter. Ma.patet; nam ſicut noſtra beatitudo obiectiua eſt Deus ſub ratione formali vltimi finis, ſeu ſummi boni; ita noſtra beatitudo formalis, quæ formaliter ſpecificatur à noſtra beatitudine obiectiua, eſt actus,quo formaliter tendimus in vltimum finẽ, ſeu in ſummum bonum.Prob.mi. Actus,quo tẽdimus in vltimum finem, ſeu in ſummum bonũ, ſpectat ad illam potentiam formaliter, quæ habet eligere media ad finem; ſed talis potentia eſt voluntas, & actus volũtatis per modum proſecutionis eſt amor; ergo actus, quo formaliter tendimus in vltimum finem,ſeu in ſummum bonum, eſt actus amoris formaliter.

13 Prob.7. euertendo rationem *Aduerſariorum*. In tantùm amor non eſt beatitudo formalis;in quantùm amor,*vt ſic*, & amor viæ præſcindit à poſſeſſione Dei in re; ſed etiam cognitio,*vt ſic*, & cognitio viæ habita per Fidem præſcindit à poſſeſſione Dei in re,ergo eadem ratione excludenda eſt etiam viſio beata. Sicut autẽ viſio patriæ habet poſſidere Deum in re in ratione ſummi veri; ita amor patriæ habet poſſidere Deum in ratione ſummi boni; quia ſicut viſio eſt intuitiua Dei in ſe; ita amor eſt poſſeſſiuus Dei in ſe.

14 Tandem prob. Noſtra beatitudo formalis conſiſtit formaliter in illo actu,in quo vltimatè quieſcimus; & ideo cõſiſtit in operatione perfectiſſima,quæ non eſt ampliùs ordinata ad operationem alterius potentiæ;nam per beatitudinẽ formalem acquirimus vltimum finem, in quo vltimatè acquieſcimus; aliter ſi in illo non eſſet quies,non eſſet vltimus; daretur enim motus ad vlteriorem finem,& cùm vltimus finis ſit ſummũ bonum,bonum autem, & perfectum conuertantur, ideo operatio, qua formaliter conſequimur vltimum finem,eſt perfectiſſima; ſed in ſolo actu amoris Dei eſt quies vltimata iuxta illud *Beatiſ. P. Inquietum eſt cor noſtrum,donec requieſcat in te*; nam infra voluntatem non datur alia potẽtia,ad quam poſſit fieri motus;ſicut infra intellectũ datur voluntas,ad quam fit motus ab intellectu; & actus amoris eſt operatio perfectiſſima, quia habet pro ſpecificatiuo formali omnem bonitatem, quæ eſt formaliter omnis perfectio; ex quo ſequitur actũ charitatis viæ eſſe perfectiorẽ actu Fidei; & ideo Seraphim,quia maiori ardent charitate,eſſe perfectiores Cherubim; ergo noſtra beatitudo formalis formaliter conſiſtit in actu amoris.

15 Prob.2.pars concl.Solus amor ſimplicis beneuolentiæ eſt perfectiſſimus; quia eſt amor ſummi boni,vt ſummum bonum eſt;amor autem concupiſcentiæ ordinatur ad illud, quod concupiſcimus ſummo bono, vel nobis, quod non poteſt eſſe ipſum ſummum bonum;aliter eſſet amor ſimplicis beneuolentiæ; & amor amicitiæ ordinatur ad perſonam, cui volumus aliquod bonũ; bonum autem,quod poſſumus velle Deo, non eſt omne bonum ob eandem rationem; & ideo amor concupiſcentiæ,& amicitiæ,qui non tendit in omne bonum,non eſt æquè perfectus,ac amor ſimplicis beneuolentiæ, quo amatur ſummum bonum,vt omne bonum eſt,ſed noſtra beatitudo formalis conſiſtit in operatione perfectiſſima; ergo conſiſtit formaliter in amore ſimplicis beneuolentiæ.

16 Quòd denique neceſſariò præſupponatur viſio beata,oſtenditur ſic.Ad amorem perfectiſſimum præſupponitur neceſſariò cognitio perfectiſsima; ſed noſtra beatitudo formalis eſt amor perfectiſſimus, & viſio beata eſt cognitio perfectiſsima; ergo ad noſtram beatitudinẽ formalem neceſſariò præſupponitur viſio beata. Proh.ma.Sicut ad amorem,*vt ſic*, præſupponitur cognitio,*vt ſic*,iuxta illud: *Nihil volitum,quin præcognitum*;ita ad amorem perfectiſsimum præſupponitur cognitio perfectiſsima; volũtas enim tantùm amat, quantùm bonitatis ſibi oſtenditur ab intellectu; & ideo tunc perfectiſsimè amat, quando perfectiſsimè oſtenditur bonitas, quod nequit fieri,niſi per cognitionem perfectiſsimã; ergo ad amorem perfectiſsimum præſupponitur cognitio perfectiſsima, & ideo noſtra beatitudo formalis importat præſuppoſitiuè viſionem beatam.

17 Obijc.1. *Godoy. Magnus P.Aug.lib.2. de lib. arb.c.16.* docet: *Illos beatiſſimos facit, quod ſcriptum eſt: Tunc autem facie ad faciem; & tunc cognoſcam,ſicut cognitus ſum; & Iren.ibi c.37.Vita æterna vnicuique euenit ei, quòd videt Deum; & Cyrill.3.cont.Iulian. Hominum felicitas habere ſummam contemplationem; & D.Hier. in pſ.* 83. *Magna felicitas eſt videre Deũ; & D.Bern. ſerm.* 5.*Aſſumpt. Hæc eſt merces, & hic eſt finis fructus noſtri laboris,viſio ſcilicet Dei*;ergo ex mente *SS. PP.*beatitudo formalis conſiſtit in viſione.

Reſp.quòd, vt *ſup.* dictum eſt,cùm viſio, & amor habeant connexionem eſſentialem,& cùm vterque actus ſpectet ad integritatem beatitudinis;ideo nomine vtriuſque *in Scripturis*, & à *SS.PP.*ſignificatur. Loquuntur ergo *SS.PP.* de beatitudine integraliter ſumpta; cùm autem loquuntur formaliter, docent eam conſiſtere in amore; vt patet ex doctrina tradita *ex Magno Patrum Patre Aug*;qui docet ſecluſo amore non eſſe beatitudinem;qui eſt proprius modus inueniendi rationem formalem alicuius rei; vt paſſim ſolent præſtare *Theologi,& Philoſophi*.

18 Obijc.2.*idem*. Beatitudo formalis conſiſtit in actu,quo primò aſſequimur Deum,qui eſt noſtra beatitudo obiectiua;ſed viſio beata eſt huiuſmodi;ergo conſiſtit in viſione beata.Prob.ma. Eſſentia cuiuslibet rei conſiſtit in eo, quod primò eſt, & intelligitur in re; ergo eſſentia beatitudinis formalis conſiſtit in actu,quo primò aſſequimur Deum, qui eſt obiectum beatificans. Prob.mi. Quamuis per amorem conſequamur

Deum

Deum,non tamen per eum primò conſequimur; quia conſecutio per amorem ſupponit conſecutionem per viſionem; ergo viſio beata eſt actus, quo primò conſequimur Deum, qui eſt obiectū beatificans. 2. Beatitudo formalis conſiſtit in perfectiſſima conſecutione Dei, quæ formaliter, vel eminenter continet omnem Dei aſſecutionē; ſed conſecutio per intellectum eſt huiuſmodi, non autem conſecutio per voluntatem; quia conſecutio per intellectum radicat conſecutionem per voluntatem,non è contra;ergo conſiſtit formaliter in conſecutione per intellectum, quæ eſt viſio beata. 3. In eo,quod habet diſtinguere ſtatum termini à ſtatu viæ, conſiſtit formaliter noſtra beatitudo; ſed viſio beata eſt huiuſmodi; nam ſi quis videret,& non diligeret Deum, eſſet extra ſtatum viæ;ſi autem diligeret, & non videret,eſſet in ſtatu viæ;ergo beatitudo formalis cōſiſtit in viſione beata.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Conſiſtit in actu,quo primò aſſequimur Deum in ratione vltimi finis, & ſummi boni,conc; & in hoc ſenſu neg.mi.Cōſiſtit in actu,quo primò aſſequimur Deum in ratione ſummi veri, neg. Ad prob. dicitur, quòd ſi arg.valeret, probaret actum voluntatis conſiſtere formaliter in actu viſionis, qui eſt prior volitione.Diſt.ergo ant.Eſſentia cuiuslibet rei conſiſtit in eo, quod primò eſt,& intelligitur in re ſiſtendo in ſpecie, & linea ipſius rei, conc; ſupra ſpeciem, & lineam ipſius rei, neg. Quanuis ergo viſio ſit prior amore;attamen quia per illam non attingitur Deus,vt vltimus finis,& ſummum bonum, ideo non ſpectat ad ſpeciem beatitudinis; ſed eſt aliquid ſupra talem ſpeciem;& ideo in illo nequit conſiſtere ratio formalis beatitudinis. Sic ad prob.mi.diſt.ant. Per amorem non conſequimur primò ipſum Deum in ratione vltimi finis,& ſummi boni,neg;in ratione veri, conc. Ad 2.neg.ma;nam conſecutio,quæ radicat omnem conſecutionem,non eſt perfectiſſima, quia non eſt vltima; ab vltimo enim ſumitur perfectio, quia vltimum dicit complementum rei,complementum autem importat ſummum actualitatis, vt patet de actu primo,& ſecundo.Beatitudo ergo conſiſtit in conſecutione ſummi boni,quæ eſt actus voluntatis. Ad 3.neg.ma; ſicut enim non valet: *In eo, in quo diſtinguitur Deus à creatura, conſiſtit eſſentia Dei*;nō valet,inquam; nam Deus diſtinguitur per infinitatem, & per omne aliud attributum Dei, & tamen eſſentia Dei non conſiſtit formaliter in aliquo attributo;ideo non valet hic modus arguendi. Ad mi.dicitur; quòd ſi quis amaret Deum charitate conſummata,& nō videret Deum,eſſet æquè extra ſtatum viæ;ſicut ſi quis videret,& non amaret;vnde hæc arg.parū roboris habent; ſunt enim meræ cōgruentiæ apparentes.

19 Obijc.3.*idem*.Si beatitudo conſiſteret in actu voluntatis, vel conſiſteret in actu deſiderij, vel delectationis, vel amoris ſpecialiter dicti? Non primum;quia deſiderium eſt de bono non poſſeſſo. Nec ſecundum; quia delectatio eſt de bono iam habito, & poſſeſſo. Neque tertium; quia amor ſpecialiter dictus præſcindit à poſſeſſione, & non poſſeſſione; nam in via datur amor ſimplicis beneuolentiæ, qui tamen eſt de Deo non poſſeſſo in re,ſed tantùm in ſpe; ergo beatitudo non conſiſtit in actu voluntatis; cùm conſiſtat in actu,quo poſſidetur Deus.

Reſp.conſiſtere in actu amoris conſummati ſpecialiter dicti ſimplicis beneuolētiæ.Ad improb.dicitur,quòd licèt amor ſpecialiter dictus, prout præſcindit ab amore viæ, & patriæ, præſcindat à poſſeſsione, & non poſſeſsione; ſicut cognitio Dei, vt eſt Auctor gratiæ, prout præſcindit à cognitione viæ,quæ habetur per Fidē; & à cognitione patriæ,quæ habetur per lumen gloriæ, præſcindat quoque à præſentia faciali,& abſentia ipſius Dei; attamen amor Dei conſummatus, & perfectus importat actualē poſſeſsionem, quia dicit actualem conſecutionem ipſius Dei in ratione ſummi boni; quæ conſecutio non habetur per viſioonem,aut per alium actum ipſius voluntatis. Sicut autem actus Fidei, qui ſtat loco viſionis, quæ illi ſuccedit, quia eſt imperfectus,præſcindit à poſſeſsione;non tamen per hoc præſcindit viſio beata, quæ eſt actus perfectus; ita amor ſimplicis beneuolentiæ, qui habetur in via,quia eſt imperfectus, præſcindit à poſſeſsione; non tamen per hoc præſcindit amor patriæ, qui eſt perfectiſsimus.

20 Et quidem quid importat iſta actualis poſſeſsio, quam dicit beatitudo, niſi actualem operationem elicitam à creatura, qua coniungitur cum ipſo Deo immediatè in ſe ipſo, non ſecundùm ſpeciem? At creatura nedum elicit actū viſionis,ſed etiam actum amoris;ergo per vtrūque actum poſsidet Deum immediatè in ſe ipſo; quia per vtrunque immediatè illi coniungitur. Verùm quia ſola poſſeſsio,aut coniunctio in ratione vltimi finis, ſeu ſummi boni reddit formaliter beatum;& hæc habetur per actum amoris,non viſionis, vt dictum eſt; ideo ſola poſſeſsio, quæ habetur per actum amoris,eſt de ratione formali beatitudinis.

21 Obijc.4.Si beatitudo conſiſteret in vltimo actu, ſequeretur, quòd conſiſteret in actu amoris amicitiæ, vel concupiſcentiæ, vel in actu delectationis, aut gaudij; non autē in actu amoris ſimplicis beneuolentiæ; illi enim actus ſunt poſteriores iſto; ſed conſ. non admittitur; ergo neque ant; & ideo si non conſiſtit in vltimo actu,quo Deus poſsidetur, dicendum eſt conſiſtere in actu,quo primò poſsidetur, & ſic in viſione.

Reſp.neg.ſeq;quanuis enim per illos actus beatus etiam coniungatur Deo ſecundùm alias rationes;attamen quia illi actus ſupponunt beatum iam coniunctum cum Deo in ratione ſummi boni, & vltimi finis per actum amoris ſimplicis

cis

Digitized by Google

cis beneuolentiæ,ideo ſupponunt rationem formalem beatitudinis, quæ consiſtit in ipſa coniũctione cum Deo in ratione ſummi boni, & vltimi finis;& per conſequens illi actus ſunt ſolùm proprietates beatitudinis,vt *inſ.* dicemus. Dicitur ergo beatitudo cõsiſtere in vltimo actu perfectiſsimo,quo vnimur cum Deo in ratione vltimi finis; non qui ſupponit Deum poſſeſſum in ratione vltimi finis;vt ſunt illi actus.

22 Obijc. 5. *Gonet.* Beatitudo eſt aſſecutio vltimi finis,ſed nullus actus voluntatis eſt huiuſmodi; ergo in nullo actu voluntatis eſt formaliter beatitudo.Prob.mi. 1. Omnis actus voluntatis eſt quoddam appetere;appetere autem eſt inclinari,& tendere, non autem conſequi rem appetitam; homo enim appetit diuitias, cibos, voluptates &c; quas nõ conſequitur,nisi mediantibus potentijs externis; ergo nullus actus voluntatis eſt aſſecutio. 2. Amor viæ eſt eiuſdem ſpeciei cum amore patriæ;ſed amor viæ non eſt aſſecutio Dei,vt eſt vltimus finis;aliter viator eſſet comprehenſor;ergo neque amor patriæ. 3. *Scriptura, Benedictus XII; & Cathechiſmus* aiunt beatitudinem sitam eſſe in visione, & fruitione, & nullam mentionem faciunt de amore simplicis beneuolentiæ; ergo per iſtum non conſequimur Deum.

Reſp.neg.mi. Ad 1. prob. dicitur, quòd ſi appetere eſt tendere in rem,conſequenter eſt illam conſequi; quòd autem illa res non vniatur immediatè cum voluntate, hoc prouenit, quia eſt corporalis,& ſenſibilis, & ideo nequit immediatè coniungi cum potentia ſpirituali; at verò Deus eſt ſummè immaterialis,& ideo poteſt immediatè vniri cum voluntate. Idem arg.penitus poteſt fieri de intellectu; & ideo probat nec etiã actum intellectus poſſe conſequi Deum; nam intellectus videns diuitias, cibos, voluptates &c. nequit illis immediatè vniri, vnitur enim ſolùm mediantibus potentijs ſenſibilibus; ergo intellectus non dicit aſſecutionem illarũ. Ad 2.retorq. eodem modo ſic. Actus viſionis eſt eiuſdem ſpeciei cum actu viæ,qui eſt actus Fidei;nam Theologia beatorum eſt eiuſdem rationis cum Theologia viatorum; habet enim idem obiectum formale,ſed actus Fidei non eſt aſſecutio Dei,aliter viator eſſet comprehenſor; ergo neque actus viſionis. Ex quo apparet, quàm facilè retorquetur *Gonet* ſuo arg; quo ait nos mirè torqueri. Igitur diſt.ma.Eſt eiuſdem ſpeciei,& perfectionis, neg; eſt eiuſdem ſpeciei,ſed diuerſæ perfectionis,cõc. Quia ergo actus viæ eſt imperfectus, ideo non poſſidet Deum,niſi in ſpe; at verò amor patriæ poſſidet in re,quia eſt perfectiſſimus; & idem dicitur de cognitione per Fidem, & per lumen gloriæ. Ad 3. dicitur, quòd ſi *Scripturæ* explicarent rationes formales rerum,nullus daretur locus ambigendi,nec laborandi in acquiſitione huius Diuinæ Scientiæ;& ideo tolleretur meritum, & præmium. Dicunt ergo *Scripturæ* requiri actũ intellectus,& voluntatis; quia dicunt consiſtere in fruitione, quæ eſt actus voluntatis; quomodò autem *Gonet* ex hoc deducat conſiſtere in ſolo actu intellectus, ex eius doctrina non apparet, ſed potiùs oppositum eius,quod intendit. Quòd autem beatitudo *in Scripturis* vocetur etiã amor, ſeu charitas, innumeri *textus* poſſunt afferri; vt *Cant.* 2. *Sponſa* deſcribens gloriæ dulcedinẽ aiebat: *Amore langueo;* & *Eccl.* 9. *Neſcio,an amore*, ſcilicet gloriæ *an odio*, ſcilicet gehenna, *dignus ſim*. Vocatur autem ſæpiùs visio, quia hæc eſt principium illius.

23 Obijc. 6. Ex eo, quòd intellectus trahat res ad ſe,facit ſibi res præſentes; & ex eo, quòd voluntas trahatur à rebus, non facit ſibi res præſentes,ſed tantùm eas quærit, vel ſupponit præſentes; atqui beatitudo importat præſentiã Dei; ergo conſiſtit in actu intellectus. 2. Pœna eſſentialis damnatorum consiſtit in carentia visionis Dei;ergo gloria consiſtit in visione Dei; quia oppositorũ eadem eſt ratio. Prob.ant, nam pueri,qui ſunt in Limbo, ex eo,quòd careant visione,quamuis habeant quoſcunque actus voluntatis,adhuc habent pœnam damni, quæ eſt pœna eſſentialis.

Reſp.ad 1.neg.mi;nam beatitudo ſupponit præſentiam Dei, quæ habetur per illapſum Dei in animas beatorum; vt diximus *art.* 2; importat autem formaliter tendentiam in Deum ſub ratione ſummi boni, ſeu vltimi finis, per quam tendentiam dicitur poſſidere Deum immobiliter,vt *inſ.* dicemus; cùm autem hæc tendentia sit actus voluntatis; ideo formaliter importat actũ voluntatis.Quòd autem intellectus trahat res ad ſe,& voluntas inclinetur ad res, hoc non facit, quòd vtraque hæc potentia non tendat in Deũ, eumq; poſſideat; intellectus quidem in ratione ſummi veri; & voluntas in ratione ſummi boni; imò potiùs ſequitur oppositum;nam ex eo,quòd voluntas trahatur à rebus,ſequitur, quòd trahatur à Deo,& ideo firmiùs,& ſtabiliùs vniatur cũ Deo, qui eſt ſimpliciter immobilis; at verò ex eo, quòd intellectus trahat Deũ ad ſe,ſequitur, quòd eius vnio non sit adeo perfecta, sicut vnio per voluntatem; quia perfectior eſt vnio, quæ fit in Deo,quàm quæ fit in intellectu creato. Ad 2. diſt.ant.Pœna eſſentialis conſiſtit in carentia *viſionis* Dei eſſentialiter integraliter, conc; eſſentialiter formaliter, ſubdiſt. Obiectiuè, quatenus talis carentia excruciat appetitum, conc; formaliter ſubiectiuè, neg. Ad prob. dicitur, quòd si pueri haberent actum amoris conſummati, eſſent beati formaliter,non integraliter. *Sed de hoc ſuo loco.*

24 Obijc. 7. *Vaſq.* Beatitudo conſiſtit in fine *quo* vltimo ſimpliciter; ſed nullus actus voluntatis poteſt eſſe finis *quo* vltimus; quia omnis actus voluntatis ordinatur ad conſecutionem Dei,quę eſt actus vltimus;ergo in nullo actu voluntatis poteſt conſiſtere. 2. Solus intellectus eſt

ap-

apprehenſiuus ſui obiecti; voluntas autem non eſt apprehenſiua; ergo ſolus intellectus eſt poſſeſſiuus; poſſeſſio enim eſt apprehenſio.

Reſp. ad 1. neg. mi.; & ſuppoſitum ſummi probationis; quia conſecutio Dei in ratione ſummi boni eſt formaliter actus ipſius voluntatis; & ideo ad illam non ordinatur, quia idem nequit ordinari ad ſe ipſum. Ad 2. neg. conſ. & prob; nam ex eo, quòd intellectus ſit apprehenſiuus Dei, Deus intrat in intellectum; at verò ex eo, quòd voluntas non ſit apprehenſiua, ſed inclinatiua, voluntas intrat in Deum, ideo dicitur *intra in gaudium Domini tui*, magis autem poſſidet Deum, qui intrat in ipſum ſe in ipſum transformando; quàm poſſideat intellectus, in quem intrat Deus, quem intellectus transformat in ſe ipſum. Ideo *Fund. Doct. Quodl. 5. q. 5.* docet nos magis perfectè vniri Deo per amorem; quia vnimur Deo in Deo; quàm per viſionem, quia vnimur Deo in nobis; Deus autem eſt ſummè vnus, & ſimpliciſſimus, & ideo vnio in Deo eſt perfectiſſima; tū quia viſio tantùm aſſimilat; aſſimilatio autem ſtat ſimul cum difformitate; amor autem transformat. *Vid. ibid.*

A R T. V.

Quomodò ſpectent ad beatitudinem delectatio, & gaudium?

1 Refertur *Aureolum* ſentire noſtram beatitudinem formalem non conſiſtere in viſione, nec in amore, ſed in delectatione; *alios* verò, quos retulimus *in ſup. art. n. 3*; velle conſiſtere æquè in viſione, amore, & delectatione.

2 Noſtra tamen ſententia docet delectationem, & gaudium eſſe proprietates beatitudinis. *Ita Fund. Doct. in 1. diſt. 1. princ. 1. q. 2. ad 2*; vbi ait fruitionem, quæ formaliter conſiſtit in delectatione, eſſe finis iam habiti. Hanc tenent communiter *omnes Scholaſtici præter allatos pro prima ſententia*.

3 Not; quòd delectatio non eſt pura paſſio facta ab obiecto in potentia. Eſt *cont. Scot. in 3. diſt. 15. q. 1; & in 4. diſt. 49. q. 7; Gabr; Okam. apud Vaſq. hic diſp. 14. c. 1*; traditur tamē *à Fund. Doct. Quodl. 4. q. 15; & vbiſ. q. 1*; cui adhęrent ferè *omnes Theologi exceptis Scotiſtis*. Ratio eſt. Actus, in quibus poteſt eſſe ratio meriti, & demeriti, actiuè eliciuntur à potentijs; nam ſi ad illos voluntas merè paſſiuè ſe habeat, nec ſunt meritorij, nec demeritorij, quia non ſunt voluntarij; ſed in delectatione, & triſtitia, quæ illi opponitur, poteſt eſſe ratio meriti, & demeriti; quia quis delectādo de opere bono meretur, & delectādo de peccato demeretur; ſicut triſtādo de peccato meretur, & de opere bono demeretur; ergo delectatio, & triſtitia nequit eſſe merè paſſiuè in voluntate; & ideo voluntas ad illas actiuè concurrit.

4 Inſt. *Scot.* 1. Si voluntas actiuè concurreret ad delectationem, & triſtitiam, eſſet in poteſtate noſtra non delectari, & triſtari; ſed hoc eſt falsū; quia quoties contingit aliquod contra noſtram voluntatem, non poſſumus nō triſtari; ergo actiuè non concurrit. 2. Si triſtitia eſſet actiuè à voluntate, vel eſſet ipſa volitio; & hoc non; nā non omnis volitio eſt triſtitia; tum quia nullus vult triſtari. Vel eſſet non velle; ſed non velle non eſt actio, ergo non eſt actiuè à voluntate.

Reſp. ad 1. neg. mi. loquendo de delectatione, & triſtitia, quæ ſunt ex deliberatione; nam motus primò primi non ſunt in noſtra poteſtate. Hinc dicimus homines æquales in ſuis operationibus nec nimia proſperitate extolli, aut delectari; nec nimia depreſſione triſtari; & Sancti etiā in terribilibus, exquiſitiſque tormentis non ſūt contriſtati. Ad 2. dicitur triſtitiam eſſe volitionem per modum fugæ; vnde licèt non omnis volitio ſit triſtitia; attamen triſtitia eſt aliqua volitio.

5 Not. 2; quòd licèt delectatio, & triſtitia reperiantur in potentia apprehenſiua ſenſitiua, ſimpliciter tamen reperiuntur in potentia appetitiua tam ſenſitiua, tum intellectiua. *Ita Fund. Doct. vbiſ.* Prob. *ex Beatiſſ. P. Aug. lib. 14. de Ciu. Dei c. 15*; vbi docet, quòd dolor alius eſt in carne, alter ex carne. Dolor in carne eſt ſenſatio, qua ſenſus ſtatus percipit læſionem factam in carne; ſi enim non eſſet ſenſatio, ſeu perceptio doloris, etianſi eſſet læſio, nullus eſſet dolor; quapropter corpus mortuum, etianſi diſcerpatur, non dolet; ſic montes non dolent, quanuis ſcindantur; dicitur autem dolor in carne; quia eſt in ſenſu tactus, qui eſt in ipſa carne, quæ læditur. Dolor ex carne eſt diſplicentia, ſeu diſſenſio, qua anima triſtatur de illa ſenſatione particulari, qua ſenſus tactus dolet de carnis læſione; & hic eſt in appetitu; dicitur autem dolor ex carne; quia diſplicentia appetitus orta eſt ex carne læſa; non tamen eſt in carne, quia appetitus non reſidet in illa carne læſa; ſed vel in anima, ſi ſit intellectualis, vel in corde, ſi ſit ſenſitiuus.

6 Ex hoc ſic arguitur. Triſtitia, ſeu dolor reperitur nedum in ſenſu apprehenſiuo, ſed etiā in appetitu, vt dictum eſt; ergo & delectatio, quę illi opponitur; *oppoſita* enim *habent fieri circa idem ſubiectum*.

7 Ex hac doctrina poteſt ſubtiliſſimè probari, quomodò ſpiritus torqueantur realiter ab igne; percipiunt enim Spiritus lęſionem factam ab igne eleuato ab omnipotentia Dei; & ſic dolent, & triſtantur.

8 Vnica concl. Delectatio, & gaudium ſunt proprietates beatitudinis formalis.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. in pſ. 9*; vbi ſuper illud: *In laqueo iſto, quèm abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum*: quem textum legunt 70. *In muſcipula iſta, quam occultauerunt, comprehenſus eſt pes eorum*, ait: *Locus autem anima non in ſpatio aliquo eſt, quod forma occupat corporis; ſed in de-*

le-

lectatione, quò ſe perueniſſe per amorem lætatur. Delectatio autem pernicioſa ſequitur cupiditatem, fructuoſa charitatem. Ex quo ſic. Delectatio, & gaudium ſunt de vltimo fine iam habito; quia, delectatio, & gaudium eſt lætitia de eo, quò per amorem iam peruenit, & ſequitur charitatem conſummatam, per quam conſequimur Deum in ratione ſummi boni, & vltimi finis; ſed amor conſummatus eſt noſtra beatitudo formalis, vt probatum eſt *in ſup. art*; ergo delectatio, & gaudium ſequuntur ad noſtram beatitudinem formalem; atqui illud, quod ſequitur ad aliud, & eſt inſeparabile ab ipſo, eſt proprietas illius; in hoc enim conſiſtit ratio proprietatis, quòd fluat ab illo, cuius eſt proprietas; & quòd ſit inſeparabilis ab illo, quia debet ei conuenire ſemper; ergo delectatio, & gaudium ſunt proprietates beatitudinis formalis.

9 Conf. Beatitudo formalis conſiſtit formaliter in illo actu, per quē primò poſſidetur Deus in ratione ſummi boni, ſeu vltimi finis, vt dictum eſt *in ſup. art*; ſed per delectationem, & gaudium non poſſidetur primò Deus in ratione vltimi finis, & ſummè boni; quia delectatio, & gaudium ſupponunt Deum in ratione ſummi boni poſſeſſum per amorem cōſummatum; ergo delectatio, & gaudium non ſunt ratio formalis noſtræ beatitudinis, ſed ſequuntur ad illam, tanquam quid poſterius; & ideo ſunt proprietates illius. *Vid. ſup. art.*

10 Obijc. 1. *In Scripturis* noſtra beatitudo frequenter vocatur gaudium; vt *Matt. 5; & Io. 15; & 16, & pſ. 15.* vocatur delectatio; dicitur enim: *Delectationes in dextera tua vſque in finem; & Beatiſſ. P. lib. 8. de Ciu. Dei c. 8.* ait: *Nemo tamen beatus eſt, qui eo, quod amat, non fruitur*; ergo noſtra felicitas conſiſtit in gaudio, ſeu delectatione; fruitio enim delectationem importat formaliter; vt docet *Fund. Doct. in 1. vbiſ.*

Reſp. ad 1. *Scripturas* loqui de beatitudine identicè, non formaliter; ideo modò illam appellant viſionem, modò amorem, modò gaudium, modò delectationem; vt ſic loquendo indicarētur omnia, quæ integrāt beatitudinem noſtram. Ita ad 2; manifeſtè nanque deſcribit *Magnus Pater* integritatem beatitudinis; ſubdit enim *ibid. Quiſquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque, & ſummum bonum amat, quis eum beatum, niſi miſerimus neget?* Quibus verbis docet nedum fruitionem, ſed etiam amorem ſummi boni requiri neceſſariò ad beatitudinem; quod nequit verificari, niſi de beatitudine integraliter ſumpta.

11 Obijc. 2. Beatitudo formalis conſiſtit in amore perfectiſſimo, vt dictum eſt *in ſup. art*; ſed amor perfectiſſimus includit fruitionem, & fruitio importat delectationem; ergo beatitudo formalis conſiſtit in delectatione. 2. Delectatio eſt poſterior amore; delectamur enim eo, quod amamus; ſed beatitudo formalis conſiſtit in vltima operatione, quia vltima operatio eſt perfectiſſima; ergo conſiſtit in fruitione. 3. Beatitudo formaliter conſiſtit in actu voluntatis; ſed delectatio eſt maximè de ratione voluntatis inter omnes actus illius, vt docet *Fund. Doct*; ergo maximè in delectatione conſiſtit.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Amor perfectiſſimus includit fruitionem identicè, materialiter, & conſecutiuè, conc; formaliter, & primariò, neg. Ad 2. diſt. pariter mi. Beatitudo formalis conſiſtit in vltima operatione, idèſt in operatione vltimæ potentiæ immanentis, conc; in vltima operatione vltimæ, & eiuſdem potentiæ, neg; nam per primam operationem vltimæ potentiæ conſequimur Deum in ratione vltimi finis; & ideo per illam beamur formaliter. Dicitur ergo conſiſtere in vltima operatione per ordinem ad operationes diuerſarum potentiarum; non verò per ordinem ad operationes eiuſdem potentiæ vltimæ. Vel dicitur conſiſtere in vltima operatione, qua conſequimur Deum in ratione vltimi finis, non verò in vltima operatione, quæ ſupponit Deum iam conſecutum, vt eſt delectatio. Ad 3. etiam diſt. mi. Delectatio eſt maximè de ratione voluntatis ita, vt ſit primus, & principalis actus illius, neg; ita, vt magis, & principaliùs ſpectet ad voluntatem, quàm ad ceteras potentias, conc. Si ergo beatitudo formalis conſiſtit in actu principali ipſius voluntatis, non in delectatione, quæ ſpectat etiam ad alias potentias, ſed in amore, qui ſpectat tantùm ad voluntatem, & eſt actus principalis illius, formaliter conſiſtit; ex quo magis roboratur noſtra concl.

12 Quæres 1; an delectatio diſtinguatur ab amore?

Reſp. diſtingui ſolùm virtualiter, ſicut paſſiones entis diſtinguuntur ab ente; nam cùm duo actus eiuſdem ſpeciei, & eiuſdē ordinis nequeāt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, vt *alibi* dictum eſt; ſi delectatio, & amor diſtinguerentur realiter, ſequeretur, quòd dum quis amaret, nō delectaretur; & dum delectaretur, nō amaret; quod eſt abſurdum. Tum quia ſicut potentia viſiua, dum delectatur de ſuo obiecto, non habet alium actum præter ipſam viſionem, ſed per ipſum actum viſionis perſeueranter tendentem delectatur; nam potentia viſiua nullum alium actum poteſt habere præter viſionem; nec duas habet ſimul viſiones; vnam per quam videat coloratum, alteram, per quam tendat in delectabile; quia cùm ratio delectabilis abſtrahat à ſēſibili, nequit ſpecificare actum potentiæ viſiuæ, quæ eſſentialiter determinata eſt ad coloratum ſenſibile; ergo à fortiori id præſtat voluntas, quæ eſt potentia perfectior. Tum quia ita ſe habet amor, & delectatio; ſicut creatio, & conſeruatio; nam ſicuti creatio formaliter facit creaturam poſſidere eſſe; & conſeruatio ſupponit eſſe ipſius creaturæ; ita amor formaliter facit creaturam poſſidere Deum; & delectatio ſupponit poſſeſſionem ipſius Dei; ſed creatio non diſtinguitur à realiter à conſecutio-

ne;

ne;quia *conſeruatio nihil al'ud eſt, quàm cõtinuata creatio*;ergo delectatio non diſtinguitur realiter ab amore, ſed ſolùm virtualiter, quatenus ad illum naturaliter ſequitur. Tum quia actus, per quem poſſidetur aliqua res,non diſtinguitur ab actu tendente in illam rem iam poſſeſſam ſub eadem ratione formali;quia formalis poſſeſſio,& duratio in tali poſſeſſione, quæ ſupponit initium poſſeſſionis,non diſtinguũtur:ſed amor, & delectatio ſic ſe habẽt;ergo non diſtinguũtur.

13 Quæres 2; quomodò ſe habeat amor amicitiæ,& amor concupiſcentiæ?

Reſp. eſſe proprietates amoris ſimplicis beneuolentiæ; in tantùm enim amatur amicabiliter perſona, cui volumus aliquod bonum, in quantùm illa perſona concipitur, vt bona in ſe, & propter ſe; & in tantùm cõcupiſcitur aliquod bonum alicui perſonæ, in quantùm amatur illa perſona in ſe,& propter ſe; ſed amor alicuius in ſe, & propter ſe eſt amor ſimplicis beneuolentiæ; ergo amor ſimplicis beneuolentiæ eſt radix amoris amicitiæ, & concupiſcentiæ. Quantùm autem ad diſtinctionem dicitur poſſe eſſe vnum, & eundem amorem virtualiter ſolùm multiplicem, quia eſt vna bonitas in ſe, & propter ſe, quæ eſt ratio huius triplicis amoris; quanuis aliquando poſſit reperiri actus amoris ſine aliquo ex his modis amandi, & ſine aliquo ex iſtis reſpectibus;ſicut vnus; & idem paries poteſt eſſe cum pluribus reſpectibus, & ſine illis.

14 Quæres 3; à qua virtute procedat delectatio?

Reſp.oriri à charitate,vt *ſup.*dictum eſt.Eſt *cont.Sua.hic diſp.9.ſect.3.n.12; & 3.p. q.7.art.4*; vbi quanuis fateatur delectationem ſequentem ex amore amicitiæ, & ſimplicis beneuolentiæ oriri à charitate; attamen ait delectationem ſequentem ad amorem concupiſcentiæ oriri à ſpe, quæ manet in patria;quia fuit in Chriſto,qui tamen fuit beatus.Improb.tamen.Spes non manet in patria; quia ſpes eſt de bono arduo futuro, hoc autem nequit eſſe in patria, vbi habetur omne bonum; & in Chriſto non fuit ſpes circa præmium eſſentiale,ſed tantùm circa accidentale,vt eſt glorificatio corporis,ſalus fidelium,&c; ergo delectatio concupiſcentiæ nequit procedere à ſpe. 2. Ab illo oritur delectatio ſequens ad amorem concupiſcentiæ,à quo oritur ipſe amor concupiſcentiæ, ab ipſo enim non diſtinguitur; ſed amor concupiſcentiæ in patria oritur à charitate; quæ eſt radix omnium bonorum; ergo, & ipſa delectatio. Obiectiones ſoluentur *in tract. de Spe*.

15 Quæres 4; quodnam ſit obiectum primarium delectationis?

Reſp; quòd vel delectatio eſt de Deo, vt ſũmè bonus eſt in ſe,& propter ſe;& ſic eius obiectum primarium,& immediatum eſt Deus, vt ſummè bonus; vel eſt de actibus creatis, quibus creatura conſequitur Deum;vt eſt viſio, & amor Dei;& tunc obiectum talis delectationis ſunt illi actus creati. Prima pars eſt cont. Dur. opinantem delectationem primo modo ſumptam habere pro obiecto immediato ipſam viſionem; & *cont. alios* aſſerentes ex viſione, & Deo conflari vnum obiectum totale talis delectationis. Prob. tamen. Quanuis cognitio prærequiratur, tanquam conditio generaliter ad omnem actum voluntatis,quia *nihil volitum, quin præcognitum*; attamen non ingreditur rationem formalem obiectiuam actus voluntatis; ſed delectatio eſt actus voluntatis beatorum; ergo quanuis viſio beata prærequiratur,tanquam conditio,attamen non ingreditur formaliter rationem formalem obiectiuam delectationis; & ideo nec totaliter, nec partialiter eſt obiectum primarium ipſius.2. Obiectum delectationis eſt idem, ac obiectum beatitudinis formalis; nam delectamur formaliter de eo, quod nos beat; ſed obiectum immediatum beatitudinis formalis eſt Deus, vt ſummum bonum; ergo & delectationis.

16 Dices.Illud eſt obiectum beati,quod eſt bonum proprium delectantis; ſed ſola viſio eſt obiectum proprium beati,quia Deus eſt bonum extrinſecum; ergo viſio eſt obiectum delectationis.2.Idem eſt obiectum ſpei in via, ac delectationis in patria;atqui obiectum ſpei nõ eſt Deus, ſed viſio beata:ergo & delectationis. 3. Obiectũ triſtitiæ damnatorum non eſt Deus;ergo neque delectationis beatorum; *oppoſitorum* enim *eadem eſt ratio*;vnde ſicuti damnati triſtantur de carentia viſionis;ita beati delectantur de ipſa viſione.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Quod eſt bonum proprium obiectiuè, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; ſubiectiuè, neg; & in hoc ſenſu conc. mi. Ad 2. neg. mi; ſi enim ſpes non haberet pro obiecto immediato Deum,non eſſet virtus Theologica. Ad 3.neg.ant;damnati enim primariò triſtantur de culpa,quæ eſt cauſa pœnæ; & quæ opponitur Deo,vt ſummè bonus; dicuntur enim *pœnitentiã agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*; vnde ſecundariò ſolum triſtantur de pœna. Vel dicitur,quòd triſtantur de carentia viſionis obiectiuè acceptæ; idèſt de carentia obiecti, quod per viſionem videtur;non autem de carentia viſionis formaliter ſumptæ.

ART. VI.

An ad amorem beatificum requiratur habitus charitatis?

1 RAtio dubitandi eſſe poteſt maximè in noſtra ſententia; vt enim dicebamus *to.2.de Scient.Dei q.4.art.1.§.2;& ſeq*; charitas actualis,ſeu amor Dei ſuper omnia,vt qualitas eſt, immediatè producitur à Deo in cordibus noſtris per Spiritum S; per quam qualitatẽ fœcundatur noſtra voluntas, & ſit potens per ipſam tendere in Deum vitaliter ipſum amando; in qua tendentia conſiſtit actio formalis ipſius voluntatis; vnde videtur non eſſe neceſſariũ ha-

habitum charitatis; qui non ob aliud requiritur, niſi vt voluntas per ipſum fiat potens elicere actum. Præterea ex hoc videtur verificari opinionem *Mag.* aſſerentis charitatem eſſe Spiritum S. intrinſecè aſſiſtentem, & mouentem corda noſtra ad amorem.

2 Hæc difficultas latè examinanda erit *in tract. de Charit*; vbi eam expendemus communiter ad habitum charitatis viæ, & patriæ; ideo nũc breuiter explicanda ſunt ea, quæ dici debent de charitate patriæ.

3 Sententia igitur communis docet in patria dari habitum charitatis. *Ita Fund. Doct. in* 1. *diſt.* 1. *princ.* 1. *q.* 2; *& diſt.* 17. *princ.* 1. *q.* 2; & communiter omnes *excepto Mag.*

4 Not; quòd, vt dicebamus *vbiſ. num.* 73; licèt habitus charitatis nõ ſit neceſſarius ad producendum actum amoris in nobis in genere cauſæ efficientis, prout qualitas eſt; ſic enim à ſolo Deo producitur *iuxta illud Apoſt. Deus enim operatur in nobis velle*; attamen poteſt eſſe neceſſarius ad eliciendum vitaliter ipſum actum amoris, prout actio vitalis eſt; præſertim ſi ille actus eliciatur neceſſariò, & indefectibiliter; cũ enim actus neceſſariò eliciti conueniant cum actibus naturaliter elicitis in hoc, quòd liberè non fiunt; & habitus ſit ad vnum determinatus, ideo ſe habet, velut natura; cùmque actus amoris beatifici ſit neceſſarius, vt *inf.* videbimus; ideo neceſſarius eſt habitus charitatis, per quem determinatur voluntas ad illum eliciendum inflexibiliter.

5 Vnica concl. Datur in patria habitus charitatis conſummatæ, qui eſt principium amoris beatifici.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. lib. de Morib. Eccl. c.* 12; vbi poſtquam *ſup. illud Apoſt. Rom.* 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*; dixerat per charitatem inſeparabiliter nos Deo coniungi, ſubdit: *Quod quantò fecerit inſtantiùs, atque ſtudioſiùs, tantò erit beatior, atque ſublimior, & illo ſolo dominante liberrimus, & lib. de Subſt. dilectionis, & amore c.* 4. Igitur *per amorem ſociata eſt Factori ſuo creatura rationalis, ſolumque eſt dilectionis vinculum, quod ligat vtroſque in idipſum, & tantò feliciùs, quantò fortiùs.* Ex quibus ſic arguitur. Perfectior eſt vnio potentiæ cum obiecto, quæ habetur per actum, & habitum; quàm quæ habetur ſolùm per actum; ſed beatitudo formalis eſt perfectiſſima vnio cum Deo, quæ habetur per charitatem; ergo beatitudo formalis habetur per actum, & habitum charitatis. Prob. ma. Fortior eſt vnio potentiæ cum obiecto, quæ habetur per habitum, & actum; quia potentia per habitum fortificatur, vt maiori conatu tendat in obiectũ; nam per habitum redditur pronior, & inclinatior in ſuum obiectum; & quò pronior, ac inclinatior eſt, eò fortiùs, ac vehementiùs tendit in illud; ſic enim lapis magis grauis, quia eſt inclinatior per maiorem grauitatem, velociùs tendit ad centrum; ſed fortior vnio eſt perfectior; ergo perfectior eſt vnio potentiæ cum obiecto, quæ habetur per habitum, & actum, quàm quæ habetur ſolùm per actum. Mi. patet; quia beatitudo formalis eſt vnio inſeparabilis beati cum Deo; vnio autem inſeparabilis eſt perfectiſſima vnio.

6 Dices hoc valere, quotieſcunque actus non eſt perfectiſſimus, vt eſt amor beatificus; tũc enim potentia per habitum roboratur ad eliciẽdum actum perfectum; quia ſecundùm ſe ipſam nequit in actum perfectum prodire; vt patet de actibus naturalibus.

Sed cont. eſt; & magis conf. allata ratio. Magis perfectè operatur potentia, quæ operatur per maiorem virtutem, perfectio enim operationis virtuoſæ menſuratur à perfectione virtutis; ſed maior eſt virtus potentiæ, quæ operatur per habitum perfectiſſimum, & per actum perfectiſſimum, quàm quæ operatur ſolùm per actũ perfectiſſimum; quia maior eſt virtus actualis, & habitualis ſimul, quàm actualis tantùm; ergo magis perfectè operatur potentia, quæ operatur per habitum, & actum etiam perfectiſſimũ, quã quæ operatur ſolùm per actum quantuncunque perfectum; atqui beatitudo eſt operatio perfectiſſima; ergo debet eſſe à potentia operante per actum, & habitum perfectiſſimum, qui eſt habitus charitatis.

7 Prob. 2. Actus perfectiſſimus ſecundùm totam ſuam ſpeciem importat omnia illa, quæ dicunt perfectionem ſimpliciter ſimplicem ſpectantem formaliter ad illam ſpeciem, alirer non eſſet actus perfectiſſimus ſecundùm totam ſuam ſpeciem, quia non abſorberet omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem ſpectantem formaliter ad illam ſpeciem; ſed amor beatificus eſt actus perfectiſſimus in linea volũtatis; ergo importat omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem pertinentem formaliter ad lineam, ſeu ſpeciem voluntatis; atqui habitus charitatis eſt perfectio ſimpliciter ſimplex ſpectans formaliter ad lineam voluntatis, quia in ſuo conceptu formali nullam dicit imperfectionem; etenim ſi aliquam diceret imperfectionem repugnantem ſtatui patriæ, vel eſſet, quia diceret Deum non poſſeſſum; vel quia ſequeretur ad cognitionem obſcuram; hæc autem non conueniunt habitui charitatis conſummatæ, qui eſt perfecta poſſeſſio ipſius Dei in ſe ipſo, & ſequitur ad viſionem clarã Dei; ergo habitus charitatis datur in beatis.

8 Prob. 3. Habitus charitatis datur in via; ergo & in patria. Prob. ant. præſcindendo ab eo, an ad omnem actum amoris Dei ſit neceſſarius ſemper habitus charitatis; vel ſolùm ſit neceſſarius ad actus perfectos, *de quo alibi*. Igitur *ex illo Rom.* 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*; ſic prob. Habitus eſt qualitas difficilè mobilis, aut omnino inſeparabilis à ſubiecto, in hoc enim habitus differt ab actu, qui citò tranſit à ſubiecto, quando non eſt coniunctus cum habitu, à

quo

quo ſolū firmiter retinetur in ſubiecto; ſed charitas *in Apoſt. Paulo* adhuc exiſtente in via fuit difficilè mobilis, quia non potuit ſeparari neque à fame, neque ab anguſtia, neque à morte, neque à perſecutione, neque à gladio &c; ergo habitus charitatis datur in via. Prob. cõſ. Si habitus charitatis non daretur in via, ſepararetur à viatore, quando ex hac vita decedit ad vitam beatorum; ſed hoc eſt *cont. Apoſt. ibid.* aſſerentem neque per mortem ſeparari à charitate, quam habebat in via; quod falſum eſſet, ſi ſepararetur à viatore, quando ex hac vita decedit; ergo habitus charitatis datur in patria. Tum quia illa ſolùm amittuntur in patria, quæ ita erant propria viæ, vt haberent oppoſitionem cum ſtatu patriæ; & ideo gratia non amittitur, ſed perficitur, & conſumatur; ſed habitus charitatis nullam habet oppoſitionem cum ſtatu patriæ; qualem habent Fides, quæ eſt de Deo obſcurè cognito; & ſpes, quæ eſt de Deo nondum habito; ergo habitus charitatis datur in patria.

9 Prob. 4. *à Fund. Doct.* Ad hoc, vt aliquis actus eliciatur ab aliqua potentia, debet illa potentia eſſe illi proportionata, quia improportio impedit actionem potentiæ; ſed voluntas beati ſine habitu charitatis nõ eſt proportionata actui amoris beatifici; ergo ad actum amoris beatifici requiritur habitus charitatis. Ma. patet; quia cùm obiectum ſit menſura potentiæ, & menſura debeat proportionari menſurato per adæquationẽ cum illo; ideo adhoc, vt aliquis actus eliciatur ab aliqua potentia, debet illa potentia eſſe illi proportionata; aliter non eſſet ratio, cur creatura non poſſet naturaliter videre Deum, noctua Solem, oculus ſpiritum &c. Prob. mi. Si voluntas beati ſine habitu charitatis eſſet proportionata actui amoris beatifici, maximè, quia per ipſum actum amoris à Deo efficienter productum in voluntate, vt qualitas eſt, conſtituitur ipſa voluntas in actu primo potens immediatè per ipſum tendere in Deum amando; vt dictum eſt *tom. 1. vbi*; ſed hoc quanuis poſſet concedi de amore viæ, qui, vtpotè citò tranſiens, poteſt habere modum diſpoſitionis, non autem modum habitus; attamen non valet de amore patriæ, qui, vtpotè ſtabilis, & inamiſſibiliter perſeuerans, debet habere modum habitus, & ideo nequit eſſe ſine habitu charitatis; ergo volũtas beati ſine habitu charitatis non eſt proportionata actui amoris beatifici. Tum quia vel illa entitas amoris beatifici conſiderata, vt qualitas eſt, ſemper manet in ſubiecto, vel non? Si primum; ergo habet rationẽ habitus; nam nomine habitus intelligimus aliquã qualitatem actuantem potentiam ſtabiliter, & conſtituentem proximè potentem progredi in actum; illa autem qualitas ſic ſe habet (quidquid ſit, an habitus debeat realiter diſtingui ab habitu; vel ſolùm debeat ſe habere per modum actus primi ſuauizantis potentiam ad operandum faciliter) ergo haberet rationem habitus. Si Secũdum; ergo non eſſet actus amoris beatifici; quia de ratione amoris beatifici eſt perpetuitas, & inamiſſibilitas; vt *ſup.* dictum eſt; & *inferiùs* magis explicabitur.

10 Obijc. 1. *Fund. Doct. vbi*, vt defendat opinionem *Mag.* aſſerentis habitum charitatis eſſe ipſum Spiritum ſanctum, reijcit tres rationes *D. Thomæ*, tanquam rectè non improbantes; quarum prima eſt. *Actus perfectus nequit egredi, niſi à potentia perfecta; ſicut enim eſſe ſe habet ad operari; ita potentia imperfecta ad perfectum operari; eſſe autem nequit operari ſine potentia ſuperaddita; & ideo potentia nequit perfectè operari ſine perfectione ſibi ſuperaddita; ſed perfectio potentiæ eſt habitus; ergo ſine habitu nequit perfectè operari; amor beatificus eſt operatio perfecta; ergo ſine habitu nequit eſſe amor beatificus.* Hanc, inquam, rationem reijcit aſſerens, quòd licèt ſpecies ſit perfectio intellectus; attamen intellectus beati in patria perficitur per Diuinam eſſentiam, per quã exit in actum perfectiſſimum; ergo à pari quanuis habitus charitatis ſit perfectio voluntatis; attamen perfici poteſt per Spiritum S; vt exeat in perfectiſſimum amorem; non enim minùs, ſed magis potens ad agendum eſt voluntas, quæ mouet ceteras potentias, vt agant. Tum quia ſicut gratia habitualis exiſtens in anima poteſt perficere intellectum; ita poteſt perficere voluntatẽ; ergo ruit ſecunda ratio.

Reſp. quòd *Fund. Doct.* aſſerit rationem *D. Tho.* ſub illa forma propoſitam non conuincere; nimis enim generaliter concludit; quia procedit de perfectione generaliter, quæ poteſt eſſe intrinſeca, & extrinſeca; & ſicut intellectus non poteſt operari ſine ſua perfectione; attamen illa perfectio poteſt eſſe extrinſeca; ita à pari. Aliter autem proponitur à nobis hæc ratio; quia aliud eſt dicere, quòd actus perfectiſſimus ſecundùm ſpeciem exigat omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem ſpectantem ad illam ſpeciem formaliter; & ideo quòd actus charitatis patriæ, qui eſt perfectiſſimus, exigat habitum charitatis, qui eſt perfectio ſimpliciter ſimplex ſpectans formaliter ad lineam voluntatis perfectè amantis; ſic enim nequit eſſe Deus, quia Deus nequit formaliter in genere cauſæ formalis ſpectare ad lineam voluntatis creatæ; quod namque hoc modo ſpectat ad voluntatem, eſt forma intrinſecè illam informans; quod nequit fieri à Deo, qui ſolùm in genere cauſæ efficientis extrinſecæ poteſt ad illam concurrere; ac propterea nequit habitum ſupplere, vt dictum eſt *art. 1.*

11 An autem hæc procedant etiam de potentia Dei abſoluta, quanuis *Fund. Doct. vbi*, defendendæ gratiæ opinionis *Mag.* aſſerat conuincere ſolùm de potentia ordinaria; attamen *in fine q.* inclinat ad aſſerendum procedere etiam de potentia abſoluta conformiter ad lumen gloriæ reſpectu intellectus; vt diximus *to. 1. de Inuiſib. q. 2. art. 2*; *et in hac q. art. 1*; *vbi vid. obiectiones*, &

& alias rationes, ob quas Deus nequit ſupplere vicem habitus.

A R T. VII.

An beati queant liberè ceſſare ab amore Dei?

1 SVpp. 1. de facto beatos nunquam deſtitutos ab amore Dei, ſiue hoc eis conueniat ab intrinſeco ex natura ipſius actus beatifici, ſiue ab extrinſeca Dei prouidentia perpetuante in ipsis amorem. *Eſt cont. Orig. lib. 3. Periarch. c. 1;* vbi dixit: *Beatos propter eorum demerita aliquando damnandos; & damnatos propter eorum merita beatificandos.* Habetur tamen *Io. 16. Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis; & Apoc. 21. Non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, nec vllus dolor.* Et *Mat. 25. Ibunt in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Et *Sap. 5. Iuſti autem iu perpetuum viuent.* Et *in Symb. Credo vitam æternam;* & tandem ſtatutum fuit cont. *Orig. in Conc. Lat. ſub Innoc. III. Omnes mortales reſurgent, vt recipiant ſecundùm merita ſua, vel cum diabolo pœnam perpetuam, vel cum Chriſto gloriam ſempiternam.* Hoc ſæpiſſimè docet *Beatiſſ. P,* & præcipuè *in lib. de Ciuit. Dei, vt lib. 6. c. vlt;* vbi ait: *Porro qui non dat felicitatem, vitam quomodò poſſit dare æternam? Eam quippe vitam æternam dicimus, vbi eſt ſine fine felicitas. Et lib. 21. c. 17; & de Hær. hær. 43; & ex illo Fũd. Doct. in 2. diſt. 4. art. 4. dub. 1. lit;* & ratio eſt; nam beatitudo eſt *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus excludens omnem miſeriam;* ſed poſſe desiſtere ab illa eſt maxima miſeria; quia poſſe ab illa desiſtere eſt poſſe ruere in miſeriã; ergo beati nunquam poſſunt desiſtere ab amore beatifico.

2 Supp. 2. hec etiam de poſſibili poſſe aliquem verè eſſe beatum; si eius beatitudo non eſſet æterna. Eſt *cont. Scot; Dur; Okam; Gabr; Mõteſin; & Gran. apud noſtrum Gibb. hic diſp. 6. dub. 1. n. 3;* & ratio eſt. De ratione veræ beatitudinis eſt perfectè ſatiare omnem appetitum; ſed beatitudo, quæ non eſſet perpetua, non ſatiaret omnẽ appetitum; beatus enim, qui non eſſet certus de perpetuitate ſuæ beatitudinis, poſſet appetere ipſam perpetuitatem, vt appetijt *Petrus* permanentiam *in Monte Thabor* illis verbis: *Domine bonum eſt nos hic eſſe: Faciamus hic tria tabernacula,* & ideo beatitudo, quę non eſſet perpetua, non ſatiaret omnem appetitum; ergo non eſſet vera beatitudo.

3 Dices beatitudinem non perpetuam eſſe conſecutionem formalem ſummi boni, & non tollere omnem anxietatem, vt patet in Chriſto Domino; ſed in caſu eſſet huiuſmodi; ergo eſſet vera beatitudo.

Reſp. Veram beatitudinem eſſe conſecutionem formalem ſummi boni ſatiatiuam omnis appetitus, & ideo ſublatiuam omnis anxietatis; Chriſtus Dominus autem non fuit beatus ſecũdùm partem inferiorem, & ideo ſecundùm illam potuit triſtari.

4 Inſt. *D. Paulus* in raptu fuit verè beatus, & tamen eius beatitudo non fuit permanẽs; ergo de ratione veræ beatitudinis nõ eſt perpetuitas.

Reſp. *D. Paulum* fuiſſe beatum ſolùm diſpoſitiuè; quia habuit beatitudinem per modum diſpoſitionis, non per modum habitus permanentis; diſpoſitio autem ad aliquam formam, quanuis ſit quædam participatio formæ, attamen nõ eſt verè, & propriè illa forma; & ideo *D. Paulus* non fuit beatus, niſi parriciparíuè imperfectè inchoatiuè; non autem perfectè formaliter, & finaliter; vera autem beatitudo eſt perfecta, formalis, & finalis.

5 Supp. 3. De ratione veræ beatitudinis eſſe cognoſcere perpetuitatem illius. *Eſt cont. Amicũ, & quoſdam alios.* Prob. *ex Beatiſſ. P. de Cor; & Grat. c. 10;* vbi loquens *de Adam* ait: *Beatitudinis plenitudinem, qua & ſancti Angeli ſunt beati, idẽſt vt cadere non poſſet vlteriùs, & hoc certiſſimè ſciret. Et lib. 11. de Ciuit. Dei c. 32. Angelos ſanctos in ſublimibus Cœli ſedibus de ſua ſuperna, & vera felicitate ſecuros eſſe nemo ambigat; & ibid. c. 11. Nõ minùs neſcientes error, quàm ſcientes timor nõ ſinit eſſe beatos. Et lib. 11. de Gen. ad lit. c. 18.* ait; *quòd ſi aliquis non ſit certus de ſua beatitudine, non eſt verè beatus; quia incertitudo eſt miſeria, & ſi falsò crederet eſſe permanſurum, & tamen non eſſet permanſurus, eſſet ſtultus; ſtultitia autem eſt pariter miſeria.* Et ratio eadem eſt; nam de ratione veræ beatitudinis eſt ita ſatiare, & quietare omnem apperitum, vt non poſſit ampliùs moueri ad aliquod appetendum; in hoc enim diſtinguitur vera beatitudo finalis ſimpliciter, de qua *hic* loquimur, à beatitudine viæ; quòd illic, cùm ſit in termino ſimpliciter vltimo, nequit ampliùs moueri ad tendendum in aliquod; iſta verò cùm ſit in via, ſemper eſt in motu; ſed ſi nõ cognoſceretur perperuitas beatitudinis, poſſet voluntas moueri ad appetendam cognitionem durationis illius boni, quo frueretur; ergo non eſſet perfectè beata.

6 Dices. Ad beatitudinem eſſentialem nulla requiritur creaturæ visio, quia creatura eſt tãtùm obiectum ſecundarium; ergo etiansi non cognoſceretur perpetuitas visionis, quæ eſt aliquod creatum, adhuc ſaluaretur vera beatitudo.

Reſp; quòd licèt ad beatitudinem obiectiuam non requiratur cognoſci aliquã creaturam, attamen ad beatitudinem formalem, de qua *hic* loquimur, eſſentialiter requiritur creatura, quæ per ipſam formaliter beatificatur, & requiritur visio, & amor beatificus, qui ſunt entia creata, & sicut ad beatitudinem eſſentialem obiectiuam requiritur cognoſcibilitas æternitatis in ſeipſa; ita ad beatitudinem formalem, q̃a formaliter eſt beata creatura, requiritur, quòd cognoſcatur eius æternitas.

7 Supp. 4. Non poſſe Deum intuitiuè videri,

ri,quin beatificè diligatur. Eſt *cont.Godoy hic diſp. 6.§.1.n.2.* Eſt tamen *Fũd.Doct. Quodl. 5. q.6; & Henr.Quodl.12.q.5*; & ratio eſt. Omne bonum nullam habens rationem mali, non poteſt non amari;ſed beati videntes intuitiuè Deum, vident omne bonum nullam habens rationem mali; ergo beati videntes Deum non poſſunt illum non amare. Tum quia ita ſe habet amor ad cognitionem,ſicut voluntas ad intellectum;& obiectum amabile ad obiectum cognoſcibile; hæc enim tria,potentia, actus, & obiectum,eundem ordinẽ ſeruant inter ſe;ſed voluntas eſſentialiter ſequitur ad intellectum ita, vt nequeat dari intellectus ſine voluntate;& obiectum, quod eſt omne cognoſcibile,eſſentialiter connectitur cum omni amabilitate; ergo amor Dei, vt eſt ſummum bonum, eſſentialiter connectitur cum viſione Dei, vt eſt ſummum verum; ſed quoties duo eſſentialiter connectuntur, nequit dari vnum ſine alio; ergo beati nequeũt Deum videre intuitiuè,quin illum beatificè ament.

8 Dices. Viſio præcedit amorem, & ab illo realiter diſtinguitur;ergo poteſt Deus concurrere cum intellectu ad viſionem abſque eo, quòd concurrat cum voluntate ad amorem, & ideo ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſunt beati Deum videre,quin Deum ament.

Reſp. neg.conſ; nam etiam intellectus præcedit voluntatem,& ab illa realiter diſtinguitur, & ſic omnis eſſentia præcedit ſuas paſſiones, à quibus realiter diſtinguitur; & tamen nequit Deus actiuè concurrere ad producendum vnum ſine alio propter eſſentialem connexionem, quã habent inter ſe. Illa igitur poſſunt à Deo ſeparatim effici, quæ diſtinguuntur realiter,& eſſentialiter non connectuntur. *His ſupp.*

9 Prima ſententia vult amorem beatificum non eſſe neceſſarium ab intrinſeco, & ex ſua natura, ſed liberum, & contingentem; perpetuari tamen ab extrinſeco,ſcilicet à Diuina Prouidentia illum perpetuò conſeruante. *Ita Scot.in 1.diſt. 1.p.4;Gabr;& Sal.* hanc opinionem probabilem putat.

10 Secunda ſententia docet amorem beatificum eſſe ex ſua natura intrinſecè neceſſarium, nedum quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium; & ideo beatũ nunquam poſſe deſiſtere ab actuali dilectione Dei. *Ita Fund. Doct. vbiſ,*& ſæpè alibi. *Arg,Greg,Gibb; & communiter omnes noſtri*. Conſentiunt *Thomiſtæ, & omnes alij communiter*.

11 Vnica concl. Amor beatificus eſt ab intrinſeco actus neceſſarius quoad ſpecificationẽ, & exercitium;quia eſt æternus; & ideo beati nequeunt deſiſtere ab amore Dei.

Prob 1.*ex Beatiſſ.P. lib. de Cog. veræ vitæ c.1;*vbi ſuper illud *Io. 17. Hæc eſt vita æterna,vt te ſolum verum Deum cognoſcant*, docet: *Vt Factorem ſuum verum Deum intelligat, intelligendo diligat,diligendo in eo,qui eſt æterna vita,æternaliter beatè viuat*. Ex quo ſic. Actus,per quem creatura æternaliter viuit in actu ſecundo,eſt neceſſarius intrinſecè quoad ſpecificationem, & exercitium; ſed amor beatificus eſt huiuſmodi; ergo eſt neceſſarius intrinſecè quoad ſpecificationem,& exercitium.Prob.ma.Obiectum ſpecificatiuum talis actus eſt neceſſarium ſpecificatiuè,& exercitè;eſt enim Deus,vt ſummum bonũ; ſummum autem bonum, in quo eſt omnis ratio boni, & nulla ratio mali,neceſſitat voluntatem ad tendendum in ſe ipſum exercitè; quia in tantùm quodlibet bonum creatum non neceſſitat voluntatem,in quantùm in ipſo eſt ratio boni ſimul,& ratio mali; & ideo ſecundùm vnam rationem poteſt tendere, & ſecundùm aliam non tendere;ac propter hoc tendit liberè libertate exercitij; quòd ſi in obiecto non ſit, niſi vnica ratio, quia in ipſo eſt omne bonum, cum quo nequit coniungi ratio mali, quæ eſt priuatio boni; & priuatio nequit coniungi cum forma, cuius eſt priuatio;tunc non poteſt voluntas tendere,& nõ tendere; quia in obiecto eſt ſolùm bonitas,quæ eſt ratio tendentiæ; non autem malitia, quæ eſt ratio non tendentiæ; voluntas enim,ſicut quælibet potentia, ſpecificatur à ſuo obiecto formali; & ideo ſi obiectum eſt neceſſariò determinatum ad ſolam rationem boni; etiam voluntas erit neceſſariò determinata ad actu tendendum in bonum; ergo ſi obiectum ſpecificatiuum actus, per quem creatura æternaliter viuit, eſt neceſſariò determinatum ad ſolam rationem boni;& voluntas per tale obiectum neceſſitatur ad tendendum in illud nedum ſpecificatiuè,ſed etiam exercitè, neceſſe eſt talem actum, per quem actu viuit voluntas tendendo in tale obiectum, eſſe neceſſarium ſpecificatiuè,& exercitè;implicat enim actũ liberum progredi à potentia neceſſaria in obiectum neceſſariũ; quia actus ſpecificatur ab obiecto,& ſpecificat potentiam. Mi.patet; quia vita beata in actu ſecundo conſiſtit in operatione elicita actualiter ab ipſa voluntate beati; vt probatum eſt *ar.5*;& ideo amor beatificus eſt actus, per quem creatura æternaliter viuit in actu ſecundo.

12 Prob.2.*ex eod.* Illud,quod eſt intrinſecè æternum,eſt neceſſarium exercitè;ſed amor beatificus eſt huiuſmodi;ergo eſt intrinſecè neceſſarius exercitè. Prob. ma. Quod eſt æternum,eſt immutabile; & quod eſt immutabile, eſt neceſſarium eſſe,æternitas enim fundatur in eſſe actuali exercitè;quia neceſſe eſt ſic eſſe, & non aliter; ſicut quod eſt temporaneũ, eſt mutabile, & quod eſt mutabile, eſt contingens, quia poteſt aliter eſſe;ergo quod eſt intrinſecè æternum,eſt neceſſarium exercitè.Mi.probata eſt *in tract. de Ang. q.15.ar.1*;nam illud eſt intrinſecè æternum æternitate participata,quod, licèt habeat principiũ, caret fine;amor autem beatificus eſt huiuſmodi, vt patet. Tum quia ſi non eſſet intrinſecè æternus,menſuraretur tempore, & ſic aliquando deſine-

tineret, aliter nulla menſura menſuraretur, & ſic eſſet immenſus; non enim intrinſecè poteſt menſurari æternitate imparticipata; præter autem æternitatem imparticipatam, æuum, & tempus non datur alia menſura. *Vid. vbiſ.*

13 Prob. 3. euertendo rationem oppoſitam. Si amor beatificus non eſſet neceſſarius ſpecificatiuè, & exercitè, maximè, quia voluntas illum liberè elicit; & ideo poteſt vel poſitiuè alium actum incompoſſibilem elicere, vel ſaltem omiſſiuè illum ſuſpendere; quia licèt ad hoc, vt poſitiuè eliciat actum oppoſitum, requiratur ratio mali, quod tamen falſum eſt; quia voluntas poteſt tendere in malum, vt malum, vt patet de peccante ex malitia; attamen ad puram omiſſionem boni, non requiritur ratio mali in obiecto; ſed hæc omnia falſa ſunt; ergo amor beatificus eſt neceſſarius ſpecificatiuè, & exercitè. Prob. 1. pars mi. 1. Voluntas non eſt libera, niſi erga eligibilitatem mediorum; quia ita vnum eligit, vel relinquit, vt aliud relinquat, vel eligat; electio enim definitur *ſelectio vnius præ alio*; circa finem autem non eſt libera; quapropter ait *Phil*; quòd voluntas tendit in finem, *vt natura*, ſcilicet, vt determinata ad vnum, & ideo neceſſariò; in media autem tendit, *vt potentia*, idèſt cum potentia ad oppoſitum; ſed per amorem beatificum tendit in finem ſimpliciter; ergo illum non eligit liberè. 2. Ille actus tantùm elicitur liberè à voluntate, qui eſt ad obiectum, in quo ſunt rationes oppoſitæ, vt dictum eſt; ſed rationes oppoſitæ, ad quas tendit actus voluntatis, ſunt bonum, & malum, quæ non ſunt in Deo, qui eſt omne bonum, ergo amor beatificus, quo voluntas tendit in Deum, non elicitur liberè. 3. In tantùm elicitur liberè, inquantùm non elicitur coactè, ſed ſpontè, & voluntariè, vt volunt *Aduerſarij*; ſed ſpontaneitas, & voluntarietas ſtant ſimul cum neceſſitate ſpecificationis, & exercitij, vt patet de Patre, & Filio in Diuinis, qui cum ſumma ſpontaneitate, & voluntarietate, & ideo cum ſũma complacentia ſpirant Spiritum S; & tamen licèt ſpirent liberè libertate complacentiæ, & ſpontaneitatis; attamen non ſpirant liberè libertate contingentiæ; quia non ita ſpirant, vt poſſint non ſpirare; aliter Spiritus ſanctus eſſet ens contingens, & ideo creatura; ergo licèt beati ament Deum ſummè ſpontaneè, voluntariè, ac ſummè complacenter, & ideo liberè libertate complacentiæ; attamen non tollitur ab amore ipſorum neceſſitas ſpecificationis, & exercitij. Prob. 2. pars mi. *Nemo reſpiciens ad malum operatur*; ergo voluntas beati cognoſcens malam eſſe deſiſtentiam ab amore beatifico nequit illã poſitiuè velle. Tum quia voluntas nequit poſitiuè nolle bonum in communi; quia nequit velle non eſſe beatam non ob aliam rationem, niſi quia priuatio boni in communi eſt manifeſtè mala, & nullam habet apparentiam boni; ergo voluntas non poteſt tendere in malum, vt malum. Tum quia voluntas eſſentialiter eſt ordinata ad bonũ; nam ordinatio eſſentialis voluntatis eſt ab Auctore naturæ, qui creauit, & ordinauit res creatas; Auctor autem naturæ nequit ordinare ad malum, quia ſummè bonus eſt; ergo non poteſt tendere, niſi in bonum; aliter tenderet extra ſuã ordinationem eſſentialem, quod repugnat; quia tamen ordinatur in bonum, vt cognitum ab intellectu; ideo ſi intellectus deficiat falsò concipiendo aliquod malum, vt bonum, voluntas poteſt deficere illud proſequendo ſub ratione boni apparentis; ergo voluntas nequit tendere in malum, vt malum. Ad illud de peccante ex malitia iam dictum eſt *q. 9. de Ang. art.* 1. §. 1. *n.* 10. Prob. 3. pars mi. Omiſſio eſt quædam fuga; ſed voluntas nequit fugere, niſi à malo cognito, vt malum eſt, & ſibi diſconueniens; ſicut nequit proſequi, niſi bonum, vt bonum eſt, ac ſibi conueniens; & in Deo nulla eſt ratio mali; ergo voluntas beati non eſt libera ad omittendum amorem beatificum, per quem tendit in Deum, vt ſummè bonum.

14 Conf. Ideo motus primò primi non ſunt liberi, ſed neceſſarij; quia proponitur obiectum tantùm ſub ratione boni, non ſub ratione mali; ſed Deus proponitur beatis ſub omni ratione boni, & ſub nulla ratione mali; ergo à fortiori amor beatificus eſt neceſſarius; nam ſi aliquod bonum particulare, quod non eſt omne bonum, cognitum ſub pura ratione boni habet neceſſitare voluntatem; à fortiori omne bonum, quod eſt ſummum, cognitum ſub pura ratione omnis boni habet neceſſitare voluntatem.

15 Prob. 4. Diuina eſſentia cognita, vt ſummè bona, habet neceſſitare voluntatem Diuinã; Deus enim nequit non amare ſeipſum; ergo multò magis habet neceſſitare voluntatem creatam; nam quod habet virtutem neceſſitandi potentiam infinitam, multò magis poteſt neceſſitare potentiam finitam; ſicuti eſt voluntas creata.

16 Tandem prob. Ideo voluntas Angeli neceſſitatur ad amandum ipſum Angelum; quia ſubſtantia Angeli eſt ſemper illi præſens propoſita ab intellectu ſub ratione boni, à qua nequit diuelli ipſa voluntas; quia nequit diuelli ab eſſẽtia, cuius eſt proprietas neceſſariò coniuncta; ſed Deus eſt magis intimus voluntati beatorum, quàm ſubſtantia Angeli voluntati eiuſdem; quia Deus eſt intimus per illapſum; voluntas autem eſt præſens ſuæ ſubſtantiæ per inhęrentiam, præſentia autem per illapſum eſt intimior præſentia per inhærentiam, quia inhærere alteri eſt circunſtare illi, illabi autem eſt intimè penetrare; ergo Deus neceſſitat voluntatem beatorum ſpecificatiuè, & exercitè.

17 Ex dictis patet beatos amare Deum liberè libertate à coactione, à peccato, & à miſeria, & libertate complacentiæ, ſpontaneitatis, ac voluntarietatis, quæ idem eſt, ac libertas neceſ-

ſaria,

ſaria, per quam dicit *Scot.* procedere Spiritum ſanctum;& Deum amare ſe ipſum.

18 Prob.1. *Beatiſs.P. in Enchir. c.* 105. ait: *Aut voluntas non eſt; aut libera dicenda eſt; & 5. de Trin.Si aliquod eſt voluntarium,non eſt neceſſarium;*ſed amor beatificus eſt voluntarius;ergo non eſt neceſſarius.

Reſp.*Godoy ex D.Tho.q.22. de Verit.art.5. ad 1. Magnum Patrem* loqui de libertate à coactione.

19 Sed licèt *loc.cit.de Trin.* loquatur de libertate à coactione; attamen *in Enchir.* expreſsè loquitur de libertate à peccato, quæ eſt libertas iuſtitiæ filiorum Dei,de qua loquitur *Apoſt.Rom.6.Cùm eſſetis ſerui peccato,liberi facti fuiſtis iuſtitiæ;& Io.7.Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Cùm hac tamen libertate ait ſimul ſtare neceſſitatem, qua beati non poſſunt non amare;docet enim:*Sic enim oportebat priùs hominem fieri,vt & bene velle poſſet,& malè &c. Poſtea verò ſic erit, vt malè velle non poſſit; nec ideo libero carebit arbitrio; multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſeruire peccato.Neque enim culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt,aut libera dicenda non eſt,qua beati eſſe ſic volumus, vt eſſe miſeri non ſolùm nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus.*Ex quibus patet *Scotum* omiſiſſe particulam *non*; ait enim *Beatiſſ. P. Aut libera dicenda non eſt*; & *Scotus*: *Aut libera dicenda eſt*; vt refertur à *Godoy*. Sic *in ſuppl.cont.Iul.lib.1.c.103.Beatiſſima eſt illa neceſſitas,qua neceſſe eſt feliciter viuere, & non mori, & in deterius mutari.Hac neceſſitate non premuntur ſancti,ſed fruuntur.* Ex quibus manifeſtè liquet *Magnum P.*eſſe *cont.Scotum*.

20 Obijc 2. Voluntas viatoris liberè libertate exercitij amat Deum; ergo etiam voluntas beati.Prob.conſ. 1. Voluntati viatoris proponitur diligendus Deus, vt ſummum bonum cognitum per Fidem; & hoc non obſtante ille amor eſt liber;ergo à pari. 2. Neceſſitas agendi debet prouenire ex aliquo intrinſeco ipſi principio agenti;ex eo enim prouenit, vt neceſſariò agat, ex quo prouenit, vt agat; agere autem prouenit ex principio intrinſeco, & ideo neceſſariò agere ex aliquo intrinſeco debet prouenire; ſed ex eo, quòd intellectus videat clarè Deum in patria, quem obſcurè videbat in via, nihil ponitur intrinſecè in ipſa voluntate,ſed eadem manet immutata, ac erat in via; ergo ſi in via erat libera ad amandum Deum libertate exercitij; idem dicendum in patria. 3. Diuerſitas applicationum patientis ad agens inducit ſolùm maiorem intẽſionem actionis,nõ autem neceſſitatem agendi; vt patet de diuerſa approximatione calefactibilium ad ignem;ſed Deum videri clarè, & obſcurè dicit ſolam diuerſitatem applicationis obiecti ad potentiam; ergo ex eo, quòd clarè videatur; non inducit neceſſitatem amoris in voluntatem.

Reſp.neg.conſ.Ad 1.prob.diſt.ant. Voluntati viatoris proponitur Deus,vt ſummum bonũ, ſub aperta viſione omnis bonitatis excludentis omnem rationem mali, neg; vt ſummum bonum ſub obſcura cognitione bonitatis includẽtis aliquam rationem mali phyſici,ſcilicet arduitatis, & difficultatis,quæ poteſt retrahere voluntatem ab amore,conc.Vel vt ſummum bonum cognitũ immediatè per ſe ipſum,vt tale,neg; cognitum per ſpeciem repræſentantem abſtractiuè ſummã bonitatem, & ideo imperfectè ſatiantem voluntatem,conc.Ad 2.neg.mi;nam ab obiecto cognito generatur in voluntate actus amoris,vt qualitas eſt;per quam actuatur voluntas,vt poſſit tendere in ipſum; vnde quia ſpecies repræſentatiua Dei repræſentat abſtractiuè, & ideo generat in voluntate actum imperfectum, qui tantùm imperfectè actuat voluntatem; ac propterea perfectè illam non ſatiat; at verò Deus per ſe ipſum immediatè cognitus, cùm ſit infinitè perfectus, generat in voluntate actum perfectum, quo illam ſatiat perfectè,vt non poſſit alium actum admittere;ſecus non eſſet perfectè ſatiata,& repleta.Et ſic ad 3.neg.mi;nam Deum videri clarè eſt Deum agere per ſe ipſum, vt obiectum,in volũtatem;& quia ipſe in ſe ipſo eſt perfectiſſimè bonus ſine vlla ratione mali; ideo producit in voluntate actum amoris perfectiſſimè illam replentem,& ſatiantem; at verò videri obſcurè eſt videri per ſpeciem creatam, quæ,vtpotè imperfectiſſima, repræſentat ſimul cum bonitate Dei plures arduitates, & ideo in illa generat actum imperfectum, per quem non ſatiatur omnino; & ideo remanet appetitus ad alia obiecta; propter quod poteſt actum amoris Dei abijcere.

21 Obijc.3.Carentia amoris beati perſeuerante viſione Dei poteſt inuoluere aliquam rationem boni; ergo poteſt voluntas liberè carere amore beato.Prob.ant.Amor beatus non eſt ſũmum,quia eſt creatura; ſed illud, quod non eſt ſummum bonum,dicit carentiam alicuius bonitatis,qua carere bonum eſt; ergo carentia amoris beati poteſt inuoluere aliquam rationem boni. 2. Carentia amoris beati non eſt ſummum malum;ſed ex eo,quòd non ſit ſummum malum, ſequitur inuoluere aliquam bonitatem;ergo carentia amoris beati inuoluit aliquam rationem boni. 3. Poteſt Deus præcipere beato, vt ceſſet ab amore beato;ergo tunc carentia amoris beati inuoluit aliquam rationem boni; quia bonum eſt implere præceptum Dei. 4. Si carentia amoris beati non inuolueret aliquam rationem boni; voluntas nedum neceſſitaretur ad amorem Dei,ſed etiam ad delectationem reflexam ſupra ſuum amorem;ſed conſ.eſt falſum;aliter neceſsitaretur ad amandam ſuam delectationem, & ſic ad delectandum de amore ſuæ delectationis; & ita in infinitum;ergo carentia amoris beati inuoluit aliquam rationem boni.

Reſp.neg.ant. Ad 1.prob.diſt. ma. Non eſt ſum-

ſummum bonum, *vt quo*, ſeu non eſt ſummum bonum in genere, quo poſſidetur ſummum bonum ſimpliciter, neq; non eſt ſummum bonum ſimpliciter, conc. Ad 2.neg. ma; ſicut enim amor beatificus eſt ſummum bonum eo modo, quo dictum eſt; ita eius carentia, quæ illi opponitur, ſummum malum dicitur eodem modo. Ad 3. neg.ant; Deus enim impoſſibilia nequit præcipere. Ad 4.neg.ſupp.ma; nam delectatio de amore beatifico nō eſt actus diſtinctus realiter ab amore beatifico; quia per ipſum amorem beatificum voluntas ſummè delectatur, vt *ſuperiùs* dictū eſt.

22 Obijc.4. Poteſt dari ignorantia in viſione beata; nō enim beatus comprehendit Deum; & ideo in Deo ſunt aliqua, quæ ignorantur à beato; ergo poteſt dari error, & defectus, qui ſit ſufficiens ad cauſandum defectum in voluntate, per quem voluntas auertatur à Deo.

Reſp.neg.conſ.nā vt diximus *to.1.de Subſt. Dei q.1.art.3*, neſcientia, & ignorantia importāt puram carentiam cognitionis; error autem importat cognitionem falſam poſitiuam; & ideo quamuis in beatis poſſit dari neſcientia alicuius ſpectantis ad obiectum ſecundarium; attamen nequit dari error; quia appetitus beati ita ſatiatur per cognitionem obiecti primarij, vt nullo modo moueatur ad appetendam cognitionem obiecti ſecundarij præſertim illius, quod non ſpectat ad eius ſtatum; propter quod ſcit Deum illud ei non reuelare; vnde quilibet eſt perfectè ſatius, & contentus eorum, quæ videt; adeoque non procedit ad iudicandum falsò de his, quæ ignorat. Vel diſt.ant. In viſione beata poteſt dari ignorantia eorum, quæ pertinent ad obiectum primarium, vel ſi pertineant ad obiectum, ſufficiunt ad inducendam malitiam in voluntatem, neg; eorum, quæ ſpectant ad obiectum ſecundarium, & non ſufficiunt ad inducendam malitiam in voluntatem, neg.

ART. VIII.

Quomodò beatitudo ſit inamiſſibilis?

1 Conſtat ex dictis *in ſup. art.* beatitudinem formalem eſſe æternam ab intrinſeco, adeoque eſſe inamiſſibilem, indeſtruibilem, & incorruptibilem intrinſecè loquendo ſecundùm curſum naturæ; quia reſpectu potentiæ Dei abſolutæ omnis res creata, ſicut liberè creatur, ita liberè poteſt annihilari; & ideo etiam noſtra beatitudo formalis, quæ eſt actus, ſeu operatio creata, eſt à Deo ſecundùm potentiam eius extraordinariam annihilabilis; hæc tamen annihilatio eſſet miraculoſa, quia eſſet ſupra ordinē naturæ. Quærimus ergo in præſenti, ſub qua ratione ſit inamiſſibilis? Omiſſa autem ſententia *Scoti*, & aliorum opinantium noſtram formalem beatitudinem eſſe intrinſecè amiſſibilem quocūque modo, & perpetuam ſolùm à prouidentia Dei ſic diſponente, de quo ſatis dictum fuit *in ſup. art.*

2 Prima ſententia diſtinguit beatitudinem formalem, prout habet rationem viſionis, ſeu operationis; & prout habet rationem beatitudinis; & vult beatitudinem primo modo conſideratam non eſſe intrinſecè inamiſſibilem; ſed ſolùm ſecundo modo. Refertur *Cur.q.5.art.4.dub. 1. §. 2.*

3 *Vaſq.* autem *hic diſp.21.c.2; & 3.* conformiter ad ea, quæ docuit de incorruptibilitate Angelorum, ait beatitudinem, vt viſio eſt, eſſe vtique incorruptibilem, quia incorruptibilitas dicitur ſolùm per ordinem ad cauſam creatam; non tamen eſſe indeſtruibilem intrinſecè, quia indeſtruibilitas ſumitur per ordinem ad potentiam Dei, à qua deſtrui poteſt. Beatitudo tamen, vt beatitudo eſt, formaliter importat perpetuitatem; vnde viſio, quæ aliquando eſſet deſtruenda, non eſſet quoad eſſentiam beatitudo.

4 Sed diſtinctio horum duorum nominum *incorruptibilitatis, & indeſtruibilitatis* non eſt admitēda; deſtructio enim ſumitur propriè, vt quid commune corruptioni, & annihilationi; quia nedum Deus dicitur deſtruere creaturam, quando illam in nihilum redigit; ſed etiam Architectus dicitur deſtruere domum, quando illam diſſoluit, licèt in nihilum eam non redigat. Et hic modus loquendi habetur etiam *in Scriptura*; vt *Matt. 26.* dixit Chriſtus Dominus loquens de templo corporis ſui: *Poſſum deſtruere templum hoc, & in tribus diebus illud reædificare*; Fides autem docet corpus Chriſti non fuiſſe annihilatū. Sic *Ierem; & Ezech.* propheticè deſcripſerunt deſtructionem *Ieruſalem*, quæ tamen non fuit annihilata. *Et exod.34.* præcepit Dominus *Moyſi: Aras eorū deſtrue*; & *Iudic.6.Gedeoni: Deſtrueſque aram Baal*; patet autem, quòd *Moyſes*, ſicut nulla alia creatura poteſt annihilare. Igitur omiſſa hac vocabulorum luſione.

5 Secunda ſententia vult non eſſe de eſſentia beatitudinis, vt eſt beatitudo actualis, durationem perpetuam. *Ita Godoy hic diſp.9.§.3*; vbi refert *Monteſin; & frequentiùs recentiores*, quorum nomina ſupprimit: *Eius tamen Diſcipulus Gonet hic diſp.6.art.2.§.De Fide &c.* in fine ait: *Thomiſtæ verò aſſerunt perpetuitatem ab intrinſeco conuenire beatitudini tam, vt viſio Dei eſt, quā vt eſt perfecta beatitudo.*

6 Noſtra tandem ſententia docet beatitudinem eſſe vtroque modo inamiſſibilem. *Ita Fund.Doct.loc.cit.in ſup.art, & alij ibid.laud*; quibus additur *Gonet vbiſ;* apud quem *Caiet; Corrad; Martinez; Aluar; Sua; & alij*.

7 Not; quòd aliud eſt aliquod eſſe de eſſentia, ſeu de ratione intrinſeca alicuius; & aliud eſſe rationem formalem veluti differentialem cōſtitutiuam illius. Illud eſt de eſſentia, ſeu de ratione intrinſeca alicuius rei, ſine quo illa res nequit poni in eſſe; vt vnitas, & finitas ſunt de intrinſeca ratione creaturæ; quæ abſque vnitate, & finitate nequeunt poni à parte rei, nō tamen vnitas,

tas,aut finitas eſt ratio formalis vltima differentialis conſtitutiua cuiuslibet creaturæ;quia quælibet creatura per ſuam rationem formalem differentialem differt à qualibet alia creatura; per vnitatem autem, & finitatem conuenit cum omni alia creatura.Illud eſt ratio formalis conſtitutiua alicuius,per quod illud primò conſtituitur, & diſtinguitur à ceteris; & quod eſt cauſa formalis ceterorum,quæ ſunt in illo. Quando dicimus inamiſſibilitatem,ſeu perpetuitatem eſſe de eſſentia beatitudinis, loquimur in primo ſenſu; non enim dicimus ipſam eſſe rationem formalē conſtitutiuam illius;ſed tantùm dicimus, quòd ita eſt ei neceſſaria,vt ponatur in eſſe, quòd ſine illa non haberetur vera beatitudo. Per hoc tolluntur æquiuocationes *Godoy*.

8 Vnica concl. Beatitudo formalis eſt intrinſecè inamiſſibilis,vt operatio eſt,& vt beatitudo eſt.

Prob.1.ex auctoritatibus allatis *in ſup.art.* ſic. Omne æternum eſt intrinſecè inamiſſibile; nam omne æternum menſuratur intrinſecè mēſura perpetuò durante; quia æternum vel eſt à ſe,vt eſt Deus,& ſic menſuratur æternitate, quæ eſt illi intrinſeca,& ſemper durat;vel eſt ab alio, vt eſt creatura,quæ nunquam deſinet eſſe; & ſic menſuratur æuo,quod pariter eſt mēſura intrinſeca,quæ non diſtinguitur ab eſſe ipſius; non enim datur vnum æuum, quod ſit menſura extrinſeca omnium æuiternorum,vt diximus *q.15. de Ang*; æuum autem perpetuò durat à parte poſt,vt *ibid.* dictum eſt,ſed noſtra beatitudo formalis eſt æterna,vt operatio,& vt beatitudo eſt; quia non eſt beatitudo formaliter, niſi vt operatio eſt;vt diximus *art.* 1;& ideo nequit eſſe æterna,vt beatitudo, & non vt operatio eſt; aliter ſi eſſet æterna,vt beatitudo, & non vt operatio, poſſet durare,vt beatitudo, & deſtrui,vt operatio;cùm autem eſſentia beatitudinis formaliter conſiſtat in operatione, beatitudo duraret ſine ſua eſſentia, quod eſt contradictorium; durans enim eſt eſſentia rei;& eſſe eſt id, quo eſſentia durat;ergo noſtra beatitudo formalis eſt intrinſecè inamiſſibilis,vt operatio,& vt beatitudo eſt.

9 Prob. 2. Ens neceſſarium ab intrinſeco, quod non habet intrinſecè principium machinans deſtructionem ſui eſſe, eſt ſuapte natura inamiſſibile:ſed noſtra beatitudo formalis eſt intrinſecè neceſſaria,vt operatio, & vt beatitudo eſt;nec habet intrinſecè aliquod principium machinans deſtructionem ſui eſſe; ergo ,vt operatio, & vt beatitudo, eſt ſuapte natura inamiſſibilis.Prob.ma.In tantùm enim corpora mixta ſublunaria,licèt ſint neceſſaria,ſunt intrinſecè amiſſibilia; in quantùm intrinſecè habent qualitates contrarias machinantes deſtructionem ſui eſſe; Cœlum verò, quia eſt ens neceſſarium carens qualitatibus contrarijs,ideo eſt intrinſecè incorruptibile, nec poteſt amittere eſſe; ergo ens intrinſecè neceſſarium, quod non habet principiū intrinſecè machinans deſtructionem ſui eſſe, eſt ſuapte natura inamiſſibile, & incorruptibile. Prob.mi.Illa tantùm operatio eſt intrinſecè cōtingens,quæ eſt ad obiectū,à quo poteſt ſe auertere, & in quod poteſt tendere; & obiectum, à quo poteſt ſe auertere, & in quod poteſt tendere,eſt illud, quod habet in ſe ipſo rationem mali,quæ eſt ratio auerſionis;& rationem boni,quæ eſt ratio conuerſionis;ſed noſtra beatitudo, ſiue vt operatio,ſiue vt beatitudo,habet pro obiecto Deum,vt ſummum bonum,in quo nulla eſt ratio mali;ergo noſtra beatitudo formalis,ſiue vt operatio,ſiue vt beatitudo,eſt intrinſecè neceſſaria; nec habet principium intrinſecè machinans deſtructionem ſui eſſe; quia hoc principium eſſet ſola ratio mali.*Vid.in ſup.ar.& q.1.de Ang.ar.4.*

10 Prob.3.Noſtra beatitudo formalis, ſiue vt operatio,ſiue vt beatitudo, eſt vltimus motus ſimpliciter, quo poſſumus moueri; ergo de ſua natura eſt inamiſſibilis; ergo ſiue vt operatio, ſiue vt beatitudo, eſt ſuapte natura inamiſſibilis. Patet ant; quia noſtra beatitudo formalis habet pro obiecto Deum ſub ratione vltimi finis ſimpliciter,& quælibet operatio ſpecificatur, & denominatur à ſuo obiecto formali, & ideo noſtra beatitudo formalis eſt vltimus motus,quo poſſumus moueri.Tum quia ſi non eſſet vltimus motus,iam non eſſet operatio perfectiſſimè perficiens potentiam, quia potentia poſſet perfici per motum, & operationem vlteriorem; nec eſſet totaliter ſatiatiua noſtri appetitus, qui poſſet per aliam operationem ſatiari; & ideo non eſſet beatitudo finalis; ergo noſtra beatitudo formalis, prout operatio perfectiſſima eſt,& prout beatitudo finalis, eſt vltimus motus ſimpliciter,quo nos poſſumus moueri.Prob.cōſ. Motus ſimpliciter vltimus,quo poſſumus moueri,eſt ſimpliciter inamiſſibilis;quia ſi poſſet amitti,iam poſſemus alium motum acquirere;moueremur enim de eſſe illius motus ad non eſſe; & potentia, quæ non eſt ſub aliquo motu, aliunde potens intrinſecè ſe mouere, poteſt motum elicere ex ſua natura;& ſi impediretur,hoc eſſet illi violentum, quia eſſet contra naturam illius; ſed noſtra beatitudo formalis eſt motus ſimpliciter vltimus, quo poſſumus moueri; ergo ſiue vt operatio, ſiue vt beatitudo,eſt ſuapte natura inamiſſibilis.

11 Prob.4. Si noſtra beatitudo formalis eſſet intrinſecè amiſſibilis,maximè,quia haber potentiam paſſiuam intrinſecam, per quam à Deo poteſt deſtrui;ſed hoc non ſufficit, vt dicatur intrinſecè amiſſibilis; quia etiam Cœli habent potentiam paſſiuam intrinſecam, per quam à Deo poſſunt corrumpi;& tamen propter hoc non dicuntur ex ſua natura intrinſecè corruptibiles; & ſic dicendum de anima rationali, & de Angelis; ergo eſt intrinſecè inamiſſibilis.*Vid.de Ang.vbi ſ.* vbi attulimus alias rationes,quæ hanc concl.pariter probant directè.

12. Conf. Quanuis poſſit Deus perpetuò conſeruare aliquod tempus corruptibile, non dicitur illud corpus ex ſua natura incorruptibile; ergo quanuis poſſit annihilare aliquod incorruptibile, dici non debet ex ſua natura corruptibile; & ideo quanuis noſtra beatitudo à Deo deſtrui poſsit; attamen non debet dici ex ſua natura amiſsibilis.

13 Obijc. 1. Ad hoc, vt viſio ſit intrinſecè amiſſibilis, ſufficit, quòd lumen gloriæ, & viſio non debeatur intrinſecè noſtro intellectui; & ſic dicendum de charitate, & amore reſpectu volũtatis; ſed nec lumen gloriæ, nec charitas nobis debetur; ergo viſio beata eſt intrinſecè amiſsibilis. 2. Ad hoc, vt beatus quietetur, ſufficit, quòd Deus decreuerit perpetuò conſeruare beatitudinem; ergo quanuis beatitudo ſit intrinſecè amiſsibilis, adhuc poteſt appetitum quietare; & ideo vt beatitudo eſt, non eſt intrinſecè inamiſsibilis.

Reſp. ad 1. neg. ma; ex eo enim, quòd intellectus recipiat intrinſecè lumen, per quod non poteſt non videre Deum; & non poſsit lumen abijcere, dicitur habere principium intrinſecum inamiſsibile, à quo oritur viſionis inamiſsibilitas; ergo viſio, quam habet, eſt ab intrinſeco inamiſsibilis; idèſt à lumine, quod eſt intrinſecum, & inamiſsibile; & licèt ſit indebitum ſtatui naturæ; eſt tamen debitum ſtatui beatitudinis. Ad 2. neg. ant; nam beatitudo non ſatiat perfectè ex eo præcisè, quòd talis actus perpetuò conſeruatur à Deo; nam poſſet Deus perpetuò conſeruare actum viæ, qui tamen perfectè non ſatiaret. Satiat ergo ſolùm ex eo, quòd eſt appetitus vltimi finis; & ex eo, quòd eſt talis, eſt ſimpliciter immobilis, vt dictum eſt.

14 Ex hoc roboratur magis noſtra concl. ſic. Illud dicitur intrinſecè inamiſſibile, quod habet principium intrinſecum illi ſubiecto, in quo eſt, quod principium nequit naturaliter tolli; vt corpora noſtra poſt reſurrectionem erunt intrinſecè incorruptibilia, quia habebunt intrinſecè dotem ſpiritualitatis, & incorruptibilitatis, quæ naturaliter tolli non poterit; ſed viſio beata habet principium intrinſecum ſubiecto, in quo eſt, ſcilicet lumen gloriæ, intrinſecè informans intellectum beati, quod nequit naturaliter tolli; ergo eſt intrinſecè inamiſſibilis. Ma. ampliùs explicatur; in hoc enim diſtinguitur inamiſſibile ab extrinſeco, quod habet principium ſolummodò extrinſecum ſuæ inamiſſibilitatis, ab inamiſſibili intrinſecè, quod habet principium intrinſecum inamiſſibilitatis.

15 Obijc. 2. Viſio beatifica habet potentiam intrinſecam, vt deſtruatur à Deo; eſt enim quid creatum; ergo nequit eſſe intrinſecè inamiſsibilis. Prob. ampliùs ant. Poteſt Deus ſuſpendere ſuum concurſum ad viſionem; liberè enim concurrit; & ideo poteſt non concurrere.

Reſp. diſt. ant. Habet potentiam intrinſecam obedientialem, vt deſtruatur à Deo agente ſupra ordinem, quem de facto dedit rebus, conc. per hoc tamen non ſequitur viſionem eſſe ex ſua natura intrinſecè amiſsibilem; ſicut licèt ignis habeat potentiam obedientialem intrinſecam, vt non calefaciat, vt contigit in fornace *Babylonica*; attamen non dicitur non eſſe ex ſua natura intrinſecè calefactiuum. Habet potentiam naturalem, vt deſtruatur à Deo, neg. Ad prob. eodem modo diſt. Poteſt Deus agens iuxta ordinem inditum rebus ſuſpendere ſuum concursũ, neg; iuxta alium ordinem, tranſeat; ſic enim nihil ſequitur, vt dictum eſt.

16 Obijc. 3. Principium effectiuum beatitudinis non eſt ab intrinſeco inamiſsibile; ergo neque ipſa beatitudo; principium enim, & actus ita ſe habẽt, vt vnum ſpecificet, & denominet aliud. Prob. ant. Principium effectiuum beatitudinis eſt intellectus eleuatus lumine gloriæ; ſed intellectus ſic eleuatus non petit ex ſua natura perpetuò conſeruari; aliter intellectus naturaliter exigeret lumen; ergo principium beatitudinis non eſt ex ſua natura inamiſsibile. Tum quia accidẽs menſurari debet ex natura ſubiecti; vnde ſi ſubiectum non exigit illud inamiſsibiliter, illud accidens nõ eſt inamiſsibile; vt gratia ideo eſt amiſſibilis à viatore; quia viator illam non exigit inamiſsibiliter. Tum quia intellectus non exigit lumen quoad fieri; ergo neque quoad conſeruari; vt lux Solis eſt ipſi debita quoad conſeruari, quia eſt illi debita quoad fieri.

Reſp. neg. ant; lumen enim gloriæ, quia ſe habet per modum habitus in termino vltimo ſimpliciter, ideo vnitur intellectui immobiliter; nam vltra vltimum terminum nõ datur ampliùs motus. Ad prob. neg. mi; & ad prob. inſert. neg. aſſumpt; aliud eſt enim, quòd intellectus ſeparatus non exigat naturaliter lumẽ gloriæ; ad quod nequit habere exigentiam naturalem, quia eſt ſupernaturale; & aliud, quòd intellectus coniunctus cum lumine gloriæ exigat conſeruari; ſic enim non eſt intellectus nudè ſumptus ſecundũ ſuam naturam, ſed eſt intellectus ſupernaturalizatus, cui poteſt competere exigentia conſeruationis in eſſe ſupernaturali, ſicut quanuis materia ſecundùm ſe ſumpta exigat appetere formã, quam non habet; attamen prout ſtat ſub forma Cœli, appetit ſolùm conſeruari ſub forma, quam habet. Ad 2. diſt. ant. Accidens menſuratur à natura ſubiecti, prout coniunctum cum illo, conc. prout ſeiunctum, neg; nam calor ſeparatus à ligno non menſuratur ab illo; intellectus autem quia coniungitur cum lumine perfectiſsimè, & vltimatè, ideo ſic coniunctus exigit inamiſsibilitatem; gratia autem viæ, quia non coniungitur perfectiſsimè, & vltimatè; ideo non exigitur inamiſsibiliter; ſicut calor, quia coniungitur ligno imperfectè, & non ſecundùm ſuum vltimum gradum perfectionis, ideo eſt amiſsibilis; at verò quia coniungitur igni perfectè, & ſecundùm ſuũ

vl-

vltimum gradum, ideo ignis nequit illum amittere. Ad 3. neg. conſ. & diſparitas eſt de Sole; quia lux eſt accidens naturale proprium Solis; ideo poteſt oriri à Sole, & poteſt eſſe ei debita quoad fieri; at verò lumen gloriæ eſt accidens ſupernaturale; & ideo nequit oriri ab aliquo ſubiecto naturali; & nequit eſſe debitum quod fieri; quia tamen informando intellectum ſupernaturalizat intrinſecè, ideo poteſt ei ſic ſupernaturalizato eſſe debita eius conſeruatio.

17 Obijc.4. Viſio communicata *D. Paulo* in raptu fuit eiuſdem rationis cum viſione patriæ; ſed illa fuit amiſsibilis; quia *D. Paulus* de facto illam amiſit; ergo viſio intrinſecè eſt amiſſibilis.

Reſp. diſt. mi. Fuit amiſsibilis per ordinem ad Deum agentem ſecundùm hunc ordinem rerum, neg; ſecundùm alium ordinem, conc; viſio autem dicitur inamiſsibilis tantùm ſecundùm hunc ordinem, non ſimpliciter ſecundùm quancunque Dei potentiam. Vel dicitur viſionem *D. Pauli* fuiſſe amiſsibilem, quia nõ fuit per modum vltimi actus vltimatè terminantis potentiam. Idem arg. poteſt fieri de gratia conſummata, & de gratia viæ; & eodem modo diſſoluitur.

18 Obijc.5. *Godoy*. Non eſt de eſſentia beatitudinis omne bonum pertinens ad ſtatum beati; ergo nec de illius eſſentia eſt perpetua duratio. Prob. ant. Beatitudo eſt viſio; ſed de eſſentia viſionis non eſt amor beatificus, qui pertinet ad ſtatum beati; ergo de eius eſſentia non eſt omne bonum pertinens ad ſtatum beati. 2. Non eſt de eſſentia beatitudinis, quòd ſatiet omnem appetitum beati, ſed ſolùm quòd ſatiet appetitum videndi, ergo non eſt de eius eſſentia, quòd excludat omnem anxietatem, quam poteſt habere de eius duratione perpetua. 3. Beatus ignorans perpetuitatem ſuæ beatitudinis eſſet quoad eſſentiam beatus; quia beatitudo eſſentialis conſiſtit in ſola viſione Dei; cetera autem ſe habent accidentaliter; ergo etiamſi perpetuitas exigatur ad ſatiandum appetitum beati; attamen non eſt de eius eſſentia.

Reſp. ad 1. Omiſſo ant. neg. conſ; quamuis enim non omne, quod coniungitur cum beatitudine formali, ſit de illius eſſentia; viſio enim non eſt de eſſentia amoris, aut è contra; attamen duratio eſt de eſſentia; quia duratio importat ipsũ eſſe actuale beatitudinis formalis, quo ablato aufertur ipſa beatitudo, vnde ſi actu non eſſet viſio, aut amor, non eſſet beatitudo; ita ſi non eſſet duratio, quæ idem eſt, ac eius eſſe actuale, non eſſet beatitudo; aliter eſſet ſine menſura, à qua non differt. Igitur licèt duratio non ſit conſtitutiuum formale beatitudinis; attamen materialiter eſſentialiter imbibitur in illa. Ad 2. retorquet. ſic arg. Eſt de eſſẽtia beatitudinis formalis, quòd ſatiet appetitum illius potentiæ, cuius eſt operatio vltima, & perfecta, ſiue hæc potentia ſit intellectus, ſiue voluntas; ſed non ſatiat, niſi immobiliter duret; ergo duratio immobilis eſt de eius eſſentia. Ad 3. neg. ant; ait enim *Beatiſſ. P. de Corr. & Grat. c. 10. & 11. & lib. 11. de Ciu. Dei c. 12.* non eſſe beatos, niſi ſciant ſe non eſſe caſuros. Ad prob. infert. dicitur beatitudinem finalem vltimam conſiſtere in viſione, vel in amore menſurato ab æuo; & ideo perpetuitatem materialiter intrinſecè ad illam ſe habere; ceteros verò actus cum illo connexos tantùm materialiter extrinſecè.

ART. IX.

An Beatus poſſit peccare?

1 MVnditiam cordis à peccato neceſſariam eſſe ad conſequẽdam beatitudinem docet Fides; nam *Matt.5.* habetur: *Beati Mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et hoc procedit nedum de peccato mortali, ſed etiam de veniali; nam beatitudo, vt docet *Fund. Doct. inf.* eſt vita æterna, & perfectiſſima ſalus; ſed peccatum mortale eſt mors animæ, ob hoc enim vocatur mortale; & veniale eſt morbus animæ; ergo repugnat ſimul eſſe peccatum ſiue mortale, ſiue veniale cũ beatitudine; implicat enim ſimul eſſe vitam, & mortem; morbum, & perfectiſſimam ſalutem. Igitur communis eſt ſententia beatos remanendo beatos non poſſe peccare, quia nequeunt coniungere peccatum cum beatitudine. Quæritur autem in præſenti, vnde oriatur, ſeu quænam ſit radix impeccabilitatis beatorum?

2 Prima ſententia vult beatos reddi impeccabiles ab extrinſeco, ſcilicet à voluntate Dei determinante eos ſtabilitet ad ſui amorem; intrinſecè tamen habere potentiam remotam ad peccandum, non autem proximam; quia potentia proxima importat nedum principia intrinſeca, ſed etiam remotionem omnis impedimenti ſiue intrinſeci, ſiue extrinſeci. *Ita Scot. in 1. diſt. 1. q. 4. & diſt. 49. q. 6. Gabr. in 1. diſt. 1. q. 7. Ok. 3. q. 1.* Refertur *noſter Greg. diſt. 7. q. 2.* vbi tamẽ de hac re nec verbũ habet; & probabilẽ reputat *Sal.* præcipuè ſecundùm alium ordinem, ſecundùm quem poteſt eſſe tam tenuis viſio, vt non confirmet in bono.

3 Secunda ſententia vult beatos eſſe ab intrinſeco impeccabiles, radicem autem impeccabilitatis eſſe ſolùm amorem beatificum, non viſionem beatificam ita, vt ſi tolleretur amor, poſſet beatus ſimul cum viſione coniungere peccatum. Refertur *Capr. Sot. apud Sua. & noſter Luſit. lib. 11. de Beat. q. 16. art. 5. §. 3. concl. 2. apud Godoy.*

4 Tertia ſententia vult radicem impeccabilitatis in beatis eſſe æquè viſionem, & amorem beatificum. Ita videntur ſentire *Thomiſtæ, & ferè omnes Recentiores.*

5 Noſtra tamen ſententia docet radicem formalem directam, & immediatam impeccabilitatis beatorum eſſe amorem beatificum, ſeu charitatem conſummatam; præſuppoſitiuè autem, indirectè, & mediatè eſſe viſionem beatam, ſeu gra-

gratiam conſummatam, & lumen gloriæ. *Ita Fund.Doct.in 2.diſt.7.q.1.art.1*; vbi docet volũtatem beati non poſſe peccare, quia tendit in omne bonum, in quo nulla eſt ratio mali; & nulla præcognoſcitur ratio mali; cognitio enim mali neceſſariò præſupponẽda eſt auerſioni à Deo, quia malum eſt obiectum auerſionis.

6 Not; quòd ſi nomine *potentiæ remotæ ad peccandum* intelligant *Aduerſarij* voluntatem, quæ conſiderata ſecundùm nudam ſuam entitatem eſt defectibilis, & vertibilis ad malum, non negamus hanc eſſe in beatis; quia voluntas non deſtruitur, ſed perficitur per actus beatificos. Si autem intelligant, quòd voluntas per beatitudinem non acquirit aliquid intrinſecè firmãs illam ſtabiliter in bonitate, & repugnans intrinſecè cum peccato ita, vt ſolùm firmetur in bono ab aliquo extrinſecè, & tota repugnantia cum peccato ſit cum aliquo extrinſeco, ſcilicet cum potentia Dei eam extrinſecè conſeruante mundam à peccato; hoc dicimus falſum eſſe; quia amor beatificus eſt intrinſecus ipſi voluntati, & directè pugnat cum peccato; & quia iſte amor immobiliter adhæret voluntati, ideo reddit ipsã intrinſecè impeccabilem, idèſt per ſe ipſum, qui eſt intrinſecus voluntati, & nequit ſimul eſſe cũ peccato formaliter propter oppoſitionem, quam habet ad illud. Inſuper quia ad peccatum, qui eſt defectus voluntatis, prærequiritur error, qui eſt defectus intellectus; & viſio beata nullum poteſt admittere errorem; ideo voluntas redditur præſuppoſitiuè impeccabilis per viſionem beatam.

7 Vnica concl. Beati nequeunt peccare, & eorum impeccabilitas oritur formaliter, & directè ex amore beatifico, ſeu charitate conſummata; præſuppoſitiuè autem, & radicaliter ex viſione beata, & lumine gloriæ.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. Aug. de Corr. & Grat. c. 10*; vbi loquens *de Adam* creato in iuſtitia originali ait: *In quo ſtatu recto, ac ſine vitio ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, perfectò ſine vllo mortis, & infelicitatis experimento acciperet illam merito huiuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua & Angeli ſancti ſunt beati; idèſt vt cadere non poſſet vlteriùs, & hoc certiſſimè ſciret.* Ex quo prob. 1. pars concl. ſic. Illud eſt ratio formalis immediata impeccabilitatis, quod formaliter immediatè opponitur peccabilitati; ſed ſolus amor cõſũmatus opponitur formaliter immediatè peccabilitati; ergo ſolus amor conſummatus eſt ratio formalis immediata impeccabilitatis. Prob. ma. Impeccabilitas dicit id, per quod formaliter excluditur peccabilitas; ſicut immutabilitas dicit id, per quod formaliter excluditur mutabilitas; dicit enim carentiam, ſeu negationem mutabilitatis; ſed id, per quod formaliter immediatè excluditur impeccabilitas, eſt illud, quod ei formaliter immediatè opponitur; oppoſita enim ſe ipſis immediatè ſe excludunt; ergò illud eſt ratio formalis immediata impeccabilitatis, quod formaliter immediatè opponitur peccabilitati. Prob. mi. Id, quod formaliter opponitur peccabilitati, eſt tendentia immobilis in bonum; peccabilitas enim dicit carẽtiam rectitudinis tendentis in bonum; oppoſitum autem immediatum carentiæ rectitudinis eſt ipſa actualis rectitudo; ſed ſolus amor conſummatus eſt tendentia immobilis in bonum; quia ſolus amor conſummatus habet pro obiecto formali ipſum bonum; viſio enim habet pro obiecto verum; ergo ſolus amor conſummatus opponitur immediatè peccabilitati.

8 Conf. 1. Ita ſe habet peccabilitas reſpectu rectitudinis; ſicut fallibilitas, ſeu errabilitas reſpectu veritatis, eodem enim modo opponuntur; ſed veritas formalis immobiliter hærens intellectui eſt ratio directa, & immediata infallibilitatis, ſeu inerrabilitatis; ergo rectitudo formalis immobiliter inhærens voluntati eſt ratio directa, & immediata impeccabilitatis; atqui rectitudo formalis immobiliter inhærens voluntati eſt ſtabilis tendentia in bonum, quæ nihil aliud eſt, niſi amor conſummatus; ergo amor conſummatus eſt ratio formalis immediata, & directa impeccabilitatis. Ma. patet; ſicut enim veritas, & falſitas ſunt oppoſita, quæ habent fieri circa intellectum; ita peccabilitas, & rectitudo ſunt oppoſita, quæ habent fieri circa voluntatem. Mi. etiam conſtat; nam vnum oppoſitum eſt forma, ſeu ratio formaliter excluſiua alterius.

9 Conf. 2. Per illud formaliter redditur voluntas impeccabilis, per quod formaliter tendit inflexibiliter in bonũ, & nequit à bono ſe auertere; nam ſicut poſſe peccare eſt poſſe ſe auertere à bono; ita non poſſe peccare eſt non poſſe ſe auertere à bono; ſed id, per quod beati formaliter tendunt in bonum inflexibiliter, & nequeunt ſe auertere à bono, eſt amor conſummatus, qui habet pro obiecto formali omne bonum, à quo nequit auerti, quia in illo nulla eſt ratio mali; quæ eſt ratio auerſionis; ergo per amorem conſummatum redditur voluntas beatorum formaliter, & directè impeccabilis.

10 Conf. 3. In hoc diſtinguitur impeccabilitas per naturam, quæ competit ſoli Deo, ab impeccabilitate per gratiam, quę poteſt communicari creaturæ; quòd ratio formalis illius eſt eſſe omne bonum per ſuam eſſentiam; & ideo nequit communicari creaturę, quia creatura nequit eſſe omne bonum per eſſentiam; iſta autem eſt immobiliter adhærere ſummo bono, nec poſſe ab illo deflecti; ſed adhærentia formalis ſummo bono immobiliter abſque eo, quòd poſſit deflecti, eſt ſolus amor conſummatus, qui ſolus eſt formalis tẽdentia in bonum ſub ratione formali boni; ergo ſolus amor conſummatus eſt ratio immediata impeccabilitatis.

11 Quòd autem etiam habitus charitatis ſit radix impeccabilitatis prob. vel ex eo, quòd habitus charitatis non diſtinguitur ab actu chari-

tatis

ratis conſummatæ,qui eſt immobilis à ſubiecto; vel ex eo, quòd ſicut habitus charitatis viæ reddit voluntatẽ impeccabilẽ in ſenſu cõpoſito iuxta illud *Apoſt.Quis me ſeparabit à charitate Chriſti &c*; à fortiori dicendum eſt de actu charitatis patriæ, qui eſt immobilis à ſubiecto. Vel ex eo, quòd habitus charitatis nequit eſſe ſimul cum peccato;vt *videb.in tract.de Grat.*

12 Prob.2.pars concl. Illa eſt vera beatitudo,quæ præſupponit cognitionem firmam,ſtabilem,& certiſſimam permanſionis æternæ in ſummo bono;ſed cum hac cognitione nequit coniũgi cognitio falſa, quæ requiritur ad poſſe peccare;implicat enim, quòd de eodem obiecto formali detur cognitio clara,euidens, infallibilis,& incerta, ineuidens, & fallibilis;ergo hæc cognitio euidens Dei eſt radix impeccabilitatis beatorum.Ma.eſt *Beatiſſ.P.vbiſ. Vid.in Suppl.contr. Iul.lib.1.c.102.& 103.*

13 Conf.1.Ad poſſe peccare neceſſariò præ requiritur poſſe errare in intellectu; quia nequit dari defectus in voluntate, vt eſt peccatum; niſi detur error in intellectu,vt diximus *q.9.de Ang. art.1.§.1*; voluntas enim eſt potentia cæca, quæ eſſentialiter ſequitur ductum intellectus; vnde ſi intellectus oſtendat bonum reale,voluntas illud ſequitur;ſin autem errando oſtendat bonum apparens,quod eſt malum;voluntas peccat in illud tendendo; ſed viſio beata eſſentialiter excludit errorem, quia eſt viſio ſummæ, & primæ veritatis,in qua nulla falſitas poteſt apparere;ſicut nequit apparere vlla malitia, quia eſt ſumma bonitas; ergo viſio beata excludit præſuppoſitiuè peccabilitatem.

14 Conf. 2. Ad peccabilitatem neceſſariò præſupponitur iudicium de aliqua bonitate non ordinata in Deum; ſed per viſionem beatam excluditur tale iudicium; quia per viſionem beatã videtur Deum eſſe præferendum omni bonitati creatæ; & omnem bonitatem eſſe ordinandam in Deum, tanquam in primum, & ſummum bonum; ergo per viſionem beatam excluditur peccabilitas præſuppoſitiuè. Ma.patet;quia peccatũ eſt actus inordinatus, quo creatura non ordinat bonum in Deum; & ſi intellectus non iudicet illud bonum non eſſe eligendum, voluntas illud nunquam eliget;quia electio ſupponit iudicium; vt *inf.*videbimus.

15 Tandem neceſſitas, & determinatio intellectus ad vnam partem contradictionis tantũ eſt cauſa neceſſitatis, & determinationis voluntatis ad illam præciſè; hinc motus primò primi dicuntur neceſſarij;cùm enim voluntas non poſſit ferri,niſi in id,quod cognoſcitur ab intellectu; ideo ſi intellectus cognoſcat præciſè bonitatem obiecti;non autem illud repræſentet ſub ratione boni,& mali; tunc voluntas nequit tendere, niſi in bonum,aliter tenderet in id,quod non eſt precognitũ; ſed viſio beata neceſſitat, & determinat intellectum ſolùm ad bonum; quia neceſſitat intellectum ad Deum,qui eſt omnis boni bonum nullam habens rationem mali; ergo viſio beata eſt cauſa neceſſitatis, & determinationis voluntatis ad bonum præciſè.Atqui neceſſitas ad bonum eſt impeccabilitas; ergo viſio beata eſt radix impeccabilitatis præſuppoſitiuè.

16 Quòd autem etiam lumen gloriæ ſit præſuppoſitiuè radix impeccabilitatis, probatur iiſdem rationibus, quæ probant hoc de viſione; quia lumen gloriæ nequit non repræſentare Deũ ſub omni ratione boni ſine vlla ratione mali; ergo neceſſitat intellectum ad repræſentandum Deum voluntati ſub præciſa ratione boni;& ideo eſt cauſa neceſſitatis illius ad bonum. Tum quia lumini gloriæ nequit ſubeſſe error, aut falſitas; ſi enim nequit ſubeſſe lumini Fidei,quod eſt obſcurum, & ænigmaticum; multò minùs poteſt ſubeſſe lumini gloriæ,quod eſt clarum,& faciale; ſed illud,quod nequit eſſe ratio erroris,aut falſitatis,nequit eſſe ratio peccabilitatis;ergo lumen gloriæ nequit eſſe ratio peccabilitatis,ſed impeccabilitatis;& ſic de reliquis.

17 Obijc.1.Ex eo,quòd actus charitatis patriæ ſit incompatibilis cum peccato,ſequitur tãtùm, quòd voluntas reddatur impeccabilis in ſenſu compoſito,non in ſenſu diuiſo;ſicut ex eo, quòd actus charitatis viæ ſit incompatibilis cum peccato, redditur voluntas impeccabilis ſolùm in ſenſu compoſito; ſed ex eo,quòd voluntas ſit impeccabilis ſolùm in ſenſu compoſito, adhuc habet potentiam intrinſecam ad peccandum; vt patet de voluntate iuſti viatoris; ergo voluntas beati eſt intrinſecè potens peccare.

Reſp.neg.ma. Ad prob.infert.dicitur,quòd ideo voluntas viatoris eſt impeccabilis ſolùm in ſenſu compoſito; quia charitas viæ non confirmat ſtabiliter, & immobiliter voluntatem viatoris,ſicut confirmat charitas patriæ; vnde voluntas viatoris eſt potens peccare in ſenſu diuiſo, quia poteſt diuidi,& ſeparari à charitate, quæ ei non adhæret immobiliter; at verò voluntas beati nequit ſeparari à charitate, quæ ei immobiliter conuenit, ideo nequit peccare in ſenſu diuiſo;quapropter neg.ſupp;ſi enim charitas ſeparetur à beato, non remanet ampliùs beatus, quia non eſt beatus,niſi per charitatem patriæ;& ſi fiat ſuppoſitio,quòd non remaneat beatus, tunc non eſt difficultas,quòd non poſſit peccare.

18 Obijc.2. Actus charitatis viæ poteſt eſſe intenſior actu charitatis patriæ;charitas enim viæ *Beatiſſ.Virginis Mariæ* fuit perfectior charitate cuiuslibet beati;& charitas *Pauli* charitate multorum beatorum; ſed hoc non obſtante charitas viæ fuit compatibilis ſaltem cum peccato veniali;ergo à fortiori charitas patriæ.

Reſp.admiſſa mi. (excepta *Beatiſſ.Virgine*) quæ nec mortaliter,nec venialiter potuit peccare,neg.conſ.& diſparitas eſt, quia charitas viæ, cùm ſit in motu,poteſt creſcere, & decreſcere, intendi,& remitti;at verò charitas patriæ, quia eſt

eſt in termino, nequit minui, vel augeri; aliter eſſet in motu, non in quiete.

19 Obijc. 3. cont. 2. part. concl. Non obſtante iudicio practico intellectus nedum in vniuerſali, ſed etiam in particulari de aliquo obiecto poteſt voluntas illud eligere, vel non eligere, quia voluntas eſt libera; vel ſaltem poteſt omittere actum illum, quem intellectus iudicat eſſe eliciendum; ergo non obſtante viſione beata poteſt voluntas peccare.

Reſp. diſt. ant. De aliquo obiecto, quod eſt omne bonum nullam habens rationem mali, & vt tale proponitur voluntati omnino determinatè, neg; quod non eſt omne bonum, ſed habet adiunctam aliquam rationem mali, & vt tale proponitur voluntati, quamuis intellectus iudicet eſſe proſequendum ſub ratione boni, non autem fugiendum ſub ratione mali, conc. Sic dicendum de omiſſione, quæ, cùm ſit quædam fuga, ideo formaliter reſpicit obiectum ſub ratione mali. Cùm autem dicitur, quòd voluntas eſt libera, diſt. Eſt libera reſpectu omnis boni, neg; reſpectu boni habentis annexam aliquam rationem mali, conc; Deus autem proponitur voluntati per viſionem beatam ſub omni ratione boni; ideo reſpectu illius voluntas non eſt libera. Vel conc. ant. de obiecto eligibili, quod eſt mediũ; & neg. de obiecto fruibili, quod eſt finis vltimus clarè cognitus.

20 Inſt. Quamuis Deus proponatur voluntati, vt ſummum bonum, poteſt tamen ei proponi aliquod obiectum ſenſibile peccaminoſum, quod intellectus iudicet eſſe ſequendum; ergo in tali caſu poſſet peccare.

Reſp. neg. ant; nam intellectus per viſionem beatam clarè oſtendit voluntati omnia referenda eſſe in Deum, in quem nequit referri obiectũ peccaminoſum; & ideo intellectus nequit illud proponere eſſe ſequendum; aliter duos actus cõtrarios ſimul haberet.

21 Obijc. 4. Bonum in communi neceſſitat voluntatem ſolùm quoad ſpecificationem, non quoad exercitium; quia ſi voluntas vult aliquod, neceſſe eſt, quòd illud velit ſub ratione boni; nõ tamen neceſſe eſt, quòd illud ſemper actu velit; ſed bonitas Diuina comparatur ad voluntatem beati, ſicut bonum in communi ad voluntatem viatoris; ergo non neceſſitat quoad exercitium voluntatem beati.

Reſp. diſt. mi. Bonitas Diuina comparatur ad voluntatem beati, ſicut bonum in communi præciſiuè ſumptum, conc; contractiuè ſumptum, neg. Sicut ergo bonum in communi præciſiuè acceptum ſecũdùm ſolam rationem boni neceſſitat voluntatem, quia hoc modo acceptum nullam inuoluit rationem mali; ita bonitas Diuina, quia nullam inuoluit rationem mali, ideo neceſſitat voluntatem beati. Cum hoc tamen ſtat diſcrimen; quia bonitas in communi contractiuè accepta coniungitur cum bonitate particulari, quæ dicit carentiam alterius bonitatis particularis, quæ carentia eſt ratio mali, ideo non neceſſitat voluntatem quoad exercitium; volũtas enim nequit habere exercitium, niſi in bonitatem cõtractam, vt *alibi* dictum eſt. At verò bonitas Diuina eſt omne bonum differentialiter acceptum, quod eſt ſpecificatiuum exercitij, & ideo neceſſitat etiam quoad exercitium; paritas ergo currit in primo ſenſu, non in ſecundo.

22 Obijc. 5. Si voluntas præſuppoſitiuè neceſſitaretur à viſione beata, ſequeretur, quòd nõ poſito amore Dei beatifico, non poſſet amare obiecta ſenſibilia non ordinando illa in Deum; ſed conſ. eſt falſum; quia ordinare bona ſenſibilia in Deum eſt actus charitatis, quem in tali caſu non haberet; ergo falſum eſt ant.

Reſp. neg. mi. Ad prob. inſert. dicitur in data hypotheſi nullo modo poſſe tendere in bona creata ſiue ordinando, ſiue non ordinando; non quidem ordinando; nam amans in ordine ad aliquod, multò magis amat illud; quia *propter quod vnunquodque tale, & illud magis*; vnde ſi propter Deum amaret bona creata, multò magis amaret Deum; & ſi Deum non amaret, nec bona ad illum ordinata amaret. Præterea non amaret nõ ordinando, quia per viſionem beatam determinatur ad amanda omnia per ordinem ad Deum. Imò dato, quòd poſſet amare bona creata abſque eo, quòd amaret Deum, neceſſariò illa amaret per ordinem ad Deum; ſic enim neceſſitaretur à viſione beata.

23 Obijc. 6. Poteſt Deus imponere præceptum beato de aliquo actu liberè exercendo ab ipſo beato, v. g. de cuſtodiendo hominem; ſed ſuppoſito tali præcepto poteſt beatus peccare, quia liber eſt ad implendum, vel tranſgrediendũ præceptum; ergo non obſtante viſione beata adhuc voluntas beati non eſt ad bonum neceſſitata.

Reſp hoc eſſe diſſoluendum *in tract. de Incarn*, vbi oſtendetur, quomodò ſaluatur libertas Chriſti Domini cum neceſſitate adimplendi præceptum orta ex eius impeccabilitate. Interim neg. mi. Ad prob. inſertam dicitur, quòd in tali caſu eſſet liber libertate actus, cum qua nequit componi priuatio ipſius; non tamen libertate potentiæ, quæ eſt indifferens ad actum cuſtodiæ, & oppoſitum; Deus enim infunderet actum volitionis obedientiæ; qui non tollit libertatem, ſed perficit; vt diximus *to. 2. de Scient. Dei q. 4. art. 1. §. 3; & 4; & ſeq*; cum quo actu, quia nequit componi eius priuatio, ideo non poſſet peccare; quãuis enim habeat potentiam præciſo illo actu ad non cuſtodiendum; attamen non habet potentiã ad coniungendam nolitionem cuſtodiæ cum volitione eiuſdem; præceptum autem componitur cum actu volititionis, ideo nequit componi cum nolitione, quia volitio, & nolitio eiuſdem nequeunt ſimul componi, vt dictum eſt. *Sed de hoc ſuo loco*.

ART.

ART. X.

An, & quæ inæqualitas ſit in beatis?

1 BEatos eſſe inæquales in gloria conſtat *ex Scripturis allatis to.1. de Inuiſib.q.2.art.6. n.2. vſque ad 6.* Ratio eſt; quia gloria datur tanquam merces ad menſuram meritorum, vt docent *Conc. ex Beatiſſ.P. ibid.laud;* ſed merita ſunt inæqualia; ergo & gloria; & ideo beatos differre in beatitudine certum eſt. Quæritur modò, an iſta differentia ſit ſpecifica, & eſſentialis; vel tantùm numerica, & accidentalis?

2 Prima ſententia vult viſiones beatas, quarũ vna terminatur ad Deũ ſimul, & aliquas creaturas numero, v.g. homines; & altera terminatur ad eundem Deum ſimul, & ad diuerſas ſpecie creaturas, v.g. Angelos, ſpecificè differre. *Ita Henric. 1.p.diſp.49.c.3; & diſp.5.n.42; & Alarc. tract.1. diſp.3.c.5.*

3 Secunda vult viſionem hominum diſtingui ſpecie à viſione Angelorum. Referuntur *Maior; Scot; Palud. Herix; & Alarc. apud Godoy. Ripalda* autem *lib. 2. de Ente ſupernat. diſp. 36. ſect. 3.* vult, quòd ſi actus vitalis non diſtinguatur ab actione potentiæ vitalis, viſio hominũ differt ſpecie à viſione Angelorum; ſi autem diſtinguatur, non eſt neceſſe, quòd ſpecie diſtinguatur, quanuis poſſit ſpecie diſtingui.

4 Noſtra tandem ſententia docet viſiones beatas hominum, & Angelorum non diſtingui eſſentialiter ſpecificè, ſed tantùm accidentaliter numericè penes maiorem, vel minorem intenſionem in eadem ſpecie; & ſic dicimus de amore beatifico; præſcindimus autem *hìc*, an beatitudo conſiſtat formaliter in viſione, vel in amore; quodcunque enim dicatur, dicimus non differre ſpecie, ſed ſolùm numero. *Ita Fund. Doct. in Opuſc. de Celebr. Miſſ. in cap. Cùm Martha p.3. per totam; & in 2. ſent. diſt. 11. q. 2. art. 1; & omnes noſtri cit. to. 1. vbiſ. Ita etiam Thomiſtæ, inter quos Godoy de Beat. diſp. 11; & omnes alÿ communiter.*

5 Aliqua *alibi* dicta *hìc* applicanda ſunt, ne propter malam eorum intelligentiam nobis cõtradicere videamur. Diximus *to.1.q.3.proem.art. 1.* vnitatem ſpecificam ſumi ab obiecto formali, ſeu à ratione formali *quæ* obiectiua, non autem à ratione *ſub qua*, quæ eſt lumen; *& de Inuiſib.q. 2.art.6.n.3.* lumen eſſe formam intellectus; forma autem dat eſſe ſpecificum, & ideo videtur, quòd vnitas ſpecifica intellectus habeatur à lumine, non ab obiecto formali; *& q.4.art.1.n.1.* intellectum Angeli, & hominis eſſe idem ſpecie; quanuis habeant lumen naturale ſpecie diuerſũ; quæ prima facie poſſunt videri implicatoria; adeoque *hìc* ſunt explananda.

9 Not; quòd quia *Phil.* comparat intellectũ materiæ dicens, quòd *ſicut materia eſt pura potẽtia paſſiua in genere entium; ita intellectus eſt pura potentia paſſiua in genere intelligibilium;* ideo cõformiter ad ea, quæ videmus in materia, diſcurrendum eſt de intellectu. Igitur ſi materia ſumatur ſecundùm ſe ipsã præciſa omni forma, eſt vna ſpecie negatiuè, quia non habet, per quod conſtituatur in pluribus ſpeciebus; & ideo materia ſublunarium, & cœleſtium eſt eiuſdem rationis. Si autẽ ſumatur, prout coniuncta cum vna forma v.g. ſublunari, tunc eſt phyſicè vna in genere corporum corruptibilium, & eſt in vnã ſpecie athoma; quia cùm forma det eſſe ſpecificum, ideo per illam materia conſtituitur in vna ſpecie phyſica, & ab illa recipit vnitatem ſpecificam. Tandem licèt per formam phyſicam conſtituatur in vna ſpecie in genere entis phyſicè accepti; attamen per illam non conſtituitur in aliqua ſpecie in eſſe intelligibili, quia materia nec per ſe ipſam, nec per formam materialem eſt intelligibilis; & ideo conſtituitur ſolùm in ſpecie in eſſe intelligibili per ſpeciem immaterialem intellectualem. Ita intellectus, ſi ſumatur ſecundùm ſuam entitatem præciſa omni forma intellectuali, eſt vnus ſpecie negatiuè in omni creatura intellectuali ſiue Angelica, ſiue humana. Si autem ſumatur cum lumine intellectuali, v.g. humano, quod habet depurare ſpecies à conditionibus materiæ, tunc conſtituitur in ſpecie phyſica determinata, quæ contradiſtinguitur ab intellectu Angelico habente aliud lumen diuerſum. Adhuc tamen eſt indifferens in eſſe intelligibili, quia etiam, prout informatus hoc lumine, non eſt determinatus ad intelligendum hoc, vel illud obiectum; quapropter diximus *q.3. proem. cit.* à lumine deſumi ſolùm vnitatem genericam, quod eſt intelligendum in eſſe intelligibili, non in eſſe phyſico; quia in eſſe phyſico eſt ſpecie determinatus; neque implicat aliquod determinatum ad ſpeciem phyſicam eſſe indifferens ad ſpeciem intelligibilem; vt dictum eſt. Tandem per ſpeciem intelligibilem, ſeu per ipſum obiectum, quando eſt actu intelligibile per ſe ipſum, & poteſt eſſe præſens intellectui, conſtituitur intellectus in aliqua ſpecie determinata in eſſe intelligibili, fit enim illud intelligibile, quod debet intelligere; docet nanque *Phil.* intellectum, vt intelligat, debere fieri rem intellectam. Hanc doctrinam innuimus *q.2. vbiſ.*

7 Ex his patet, quomodò intellectus Angeli, & hominis ſint vnum ſpecie, & quomodò ſpecie diſtinguantur, & quomodò ſpecificentur à lumine, & ab obiecto abſque vlla contradictione.

8 Vnica concl. Viſio, & amor beatus hominum, & Angelorum eſt eiuſdem ſpeciei athomæ; & differunt ſolùm accidentaliter numericè.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. lib. 12. de Ciu. Dei c. 9.* docente: *Nec tantùm hominum, ſed primitus, præcipuèque Angelorum bonum eſſe, quod ſcriptum eſt: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Hoc bonum, quibus commune eſt, habent & cum illo, cui adhærent, & inter ſe ſocietatem ſanctam, & ſunt vna Ciuitas Dei, eademque viuum ſacrificium eius, viuumque templum eius.* Ex quo ſic. Si beatitudo hominum, & Angelorum non eſſet eiuſdem ſpeciei

ciei athomæ, non eſſet illis communis, vna, & eadem; ſicut natura hominis, & equi non eſt vna, & eadem illis communis, quia ſpecie in illis diſtinguitur, quamuis conueniat in ratione naturæ, *vt ſic*, acceptæ; ergo beatitudo hominum, & Angelorum eſt eiuſdem ſpeciei athomæ.

9 Prob. 2. ratione *ab eod. ibid.* deſumpta. Vnitas ſpecifica actionis deſumitur ab obiecto formali ſpecificatiuo ipſius; ſed beatitudo hominum, & Angelorum habet idem obiectum formale ſpecificatiuum illius; ergo beatitudo hominum, & Angelorum eſt vna ſpecie. Prob. ma. 1. *ex Phil. 1. Poſt. t. 41.* dicente ſcientiam à ſuo obiecto formali trahere vnitatem, diſtinctionem, dignitatem, ordinem, & neceſſitatem; & ratio eſt; nam vnitas ſpecifica actionis habetur à ſpecificatiuo formali illius; vnitas enim eſt paſſio ſequens ad eſſe, & ideo vnitas ſpecifica habetur ab eſſe ſpecifico; eſſe autem ſpecificum habetur à ſpecificatiuo formali; quapropter dicitur, quod *idem eſt ſpecificatiuum, & diſtinctiuum*; quia quod dat eſſe ſpecificum, dat etiam vnitatem ſpecificam, per quam ſpecie diſtinguitur; vt rationalitas, quę dat eſſe ſpecificum omnibus hominibus, dat eis eſſe vnum ſpecie; ergo vnitas ſpecifica actionis habetur ab obiecto formali ſpecificatiuo illius. 2. Si vnitas ſpecifica actionis non haberetur ab obiecto formali ſpecificatiuo illius, iam obiectũ formale non eſſet ſpecificatiuum illius, & ſic nec eſſet obiectum formale, quia formale, & ſpecificatiuum idem eſt; nam forma eſt, quæ ſpecificat, & dat ſpeciem rei; ſed conſ. eſt contra communem vſum loquendi *Philoſophorum, & Theologorum*; ergo & ant. Præterea poſſet vnum, & idem obiectum formale attingi ab actionibus diuerſæ ſpeciei; nam illæ actiones haberent diuerſitatem ſpecificam ex ſe ipſis, nec confunderentur, quia ab obiecto non traherent vnitatem, quæ illas ſolùm poſſet confundere; & ſic poſſet auditio habere pro obiecto formali colorem, æquè, ac viſio; quod eſt inauditum. 3. Actio eſt relatiua ad obiectum formale, dicit enim relationem realem ſecundùm dici; relatiuum autem ſpecificatur à termino, & ab ipſo diſtinguitur; ergo actio recipit vnitatem ſpecificã ab obiecto formali, quod eſt terminus ipſius. Prob. mi. Obiectum formale beatitudinis hominum, & Angelorum eſt Deus, qui eſt ſummum bonum, cui adhærent per viſionem, & per amorem; ergo beatitudo hominum, & Angelorum habet idem obiectum formale ſpecificatiuum illius.

10 Prob. 3. Si beatitudo hominum, & Angelorũ differret ſpecie, vel eſſet ratione obiecti, vel ratione luminis, & gratiæ, vel ratione intellectus, & voluntatis; ſed neutrum dici poteſt; ergo neque primum. Ma. patet; nihil enim aliud concurrit ad beatitudinem formaliter, vt conſtat. Prob. mi. Non ratione obiecti formalis; quia idẽ Deus, vt ſummè bonus, eſt obiectum formaliter beatificans homines, & Angelos. Non ratione luminis; nam quamuis lumen naturale hominis, & Angeli ſpecie differant; attamen lumen gloriæ eſt idem ſpecie, quia eſt idem lumen Dei; de quo dicitur *in pſ. 35. In lumine tuo videbimus lumen*; ergo quia lumen naturale non concurrit ad viſionem beatam, ad quam concurrit ſolùm lumen ſupernaturale, ideo nequit ei dare diuerſitatem ſpecificam; ridiculum enim eſt, quod aliquod non concurrens ad aliquem effectum det ei ſpeciem, cùm dare ſit efficere, & efficere ſit concurrere; ſic enim concurreret, & non concurreret; & idem dicendum de gratia; quæ eſt participatio naturæ Diuinæ, vt Diuina eſt. Non ratione intellectus; quia intellectus ſecundùm ſuam entitatem præciſè ſumptus eſt vnus ſpecie negatiuè, vt dictum eſt; ergo ab eo nequit ſumi ratio diuerſitatis ſpecificę; & idẽ dicitur de voluntate, quæ ſequitur naturam intellectus, cui annectitur.

12 Conf. Si actio ex diuerſitate ſubiectorum, in quibus recipitur, & ex diuerſitate principiorum, à quibus elicitur, diuerſificaretur ſpecie, ſequeretur, quòd albedo recepta in pariete, & in lacte eſſet diuerſæ ſpeciei; quia paries, & lac differunt ſpecie; & ignis productus à calore Solis, & ab alio igne ſpecie diſtingueretur; ſed conſ. eſt falſum; quia vtraque albedo, & vterque ignis habent eandem definitionem, & ideo eandem eſſentiam, & ſpeciem; ergo falſum eſt & ant.

12 Prob. 4. adhuc magis efficaciter. Ab illo habetur vnitas ſpecifica, à quo habetur eſſe ſpecificum; ſed beatitudo formalis hominum, & Angelorum habet eſſe ſpecificum ſolùm ab obiecto formali, quod eſt vnum ſpecie, quia eſt Deus, qui eſt maximè vnus in natura; ergo beatitudo formalis hominum, & Angelorum eſt vna ſpecie. Prob. ma. Vnitas importat ipſum eſſe, ad quod ſequitur, tanquam paſſio virtualiter diſtincta; vt diximus *to. 1. de Vnit. Dei art. 1*; tum quia quod *dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*; vnitas autem ſequitur ad eſſe, cuius eſt paſſio; ergo ab illo habetur vnitas ſpecifica, à quo habetur eſſe ſpecificũ. Prob. mi. Intellectus non ponitur formaliter in ſpecie talis intelligibilis, niſi per ipſum intelligibile, vel per ſpeciem repræſentatiuam illius; v. g. intellectus non ponitur in ſpecie lapidis in eſſe intelligibili, idèſt non fit lapis in eſſe intelligibili (ſic enim ſolùm ponitur in ſpecie intelligibili; nam ſecundùm ſe eſt indifferẽs ad omne intelligibile, & ideo non eſt in aliqua ſpecie intelligibili determinatè) niſi per ſpeciẽ lapidis vnitam ipſi intellectui, & per ipſum lapidẽ, ſi lapis poſſet per ſe ipſum vniri intellectui; ſed beatitudo formalis hominum, & Angelorum eſt id, per quod intellectus hominum, & Angelorum ponitur in ſpecie intelligibilitatis Dei; nam per viſionem beatam intellectus fit videns Deum, & ſic ponitur in ſpecie intelligibilitatis Dei; ſicut per viſionem Angeli fit videns Angelum, & ſic ponitur

tur

tur in ſpecie intelligibilitatis Angeli &c; ad quas intelligibilitates prius erat indifferens; ergo beatitudo hominum, & Angelorum ponitur in ſpecie intelligibilitatis Dei per ipſum Deum, qui eſt obiectum formale illius. Tunc ſic. Poni ab aliquo in aliqua ſpecie eſt habere eſſe ſpecificum ab illo; ſed noſtra beatitudo, & Angelorum ponitur in ſpecie intelligibilitatis Dei ab ipſo Deo, qui eſt obiectum formale illius; ergo noſtra beatitudo, & Angelorum habet eſſe ſpecificum à ſuo obiecto formali, quod eſt Deus; atqui Deus eſt vnus ſpecie, quia eſt eadem ratio formalis ſummæ bonitatis ſpecificatiua noſtræ beatitudinis, & Angelorum; ergo noſtra beatitudo, & Angelorum eſt vna ſpecie. Eodem modo loquendũ eſt de voluntate in noſtra ſententia, quæ docet beatitudinem conſiſtere in amore; ſicut enim viſio intellectus ſpecificatur à ſummo vero, & per illud ponitur in eſſe intelligibilitatis Dei; ita amor voluntatis ſpecificatur à ſummo bono, & per illud ponitur in ſpecie volibilitatis Dei; vnde *cum Aduerſarijs* ſuſtinentibus beatitudinem conſiſtere in viſione loquendum eſt de actu intellectus; cum alijs verò docentibus conſiſtere in amore, loquendum eſt de actu voluntatis; ne iterum vocemus *hic* quæſtionem de conſtitutiuo beatitudinis.

13 Dices. Ex hoc ſequeretur etiam beatitudinem, qua formaliter beatus eſt Deus, eſſe eiuſdem ſpeciei cum noſtra.

Reſp. eſſe eiuſdem ſpeciei analogicæ; quia illa eſt infinita, hæc finita; propterea dicitur noſtram Theologiam imitari Theologiam beatorum, & Theologiam beatorum imitari Theologiam Dei; & beatos fieri Deum in eſſe intelligibili iuxta illud *pſ. Ego dixi: Dij eſtis &c.*

14 Vlteriùs probari ſolet ab inconuenientibus. Si beatitudo Angelorum differret ſpecie à beatitudine hominum, differret perfectione, quia differre ſpecie eſt differre perfectione, cùm ſpecies ſint, ſicuti numeri; ſed intellectus Angelorum eſt perfectior intellectu hominum; ſicut eſt perfectior eius natura; ergo beatitudo Angelorum eſſet perfectior beatitudine hominum eſſentialiter; & ideo nullus homo poſſet eſſe beatior Angelo; quia quæ ſunt eſſentialiter talia, nequeunt à Deo immutari; nam eſſentia formicæ nequit fieri perfectior eſſentia hominis; ſed hoc eſt falſum; quia *Beatiſſ. Virgo Maria* eſt beatior quolibet Angelo, cùm ſit exaltata in gradu gloriæ ſuper omnem Angelum, & plurimi alij Sancti aſſumuntur ad ordines Seraphim, Cherubim &c; & ideo fiunt ſuperiores in gloria Angelis inferioribus; ergo beatitudo hominum, & Angelorum non differunt ſpecie.

15 Præterea ſi intellectus perfectior variaret ſpeciem viſionis, ſequeretur, quòd natura concurreret ad augendam viſionem, quia transfunderet in illam exceſſum ſuper aliam viſionẽ; & ſic poſſet dari caſus, quòd habens minora meri- ta haberet maius præmium; nam viſio eſt præmium, & merces meritorum; quia poſſet dari intellectus perfectior vnius Angeli habentis minus meritum, quàm intellectus imperfectior vnius hominis habentis maius meritum; & ille haberet perfectiorem viſionem, quàm iſte; ſed hoc eſt inconueniens *Conc.* docentibus viſionem correſpondere meritis, non intellectui; ergo falſum eſt id, vnde ſequitur. *Vid. to. 1. de Inuiſib. q. 2. art. 6.*

16 Tandem prob. Si viſio beata hominum, & Angelorum differret ſpecie, vel eſſet, quia Angeli viderent intenſiùs Deum, quàm homines; vel quia Angeli viderent Deum, & plures creaturas, quàm homo? Si primum; ergo non differret ſpecie; nam maior, vel minor intenſio non variat ſpeciem; vt videmus in calore, qui eſt idẽ ſpecie, vt duo, & vt quatuor. Si ſecundum; ergo quoque non differret ſpecie; nam creaturæ ſunt obiectum ſecundarium, quod non habet ſpecificare; quia ſpecificatiuum *eſt id, quod primariò eſt, & intelligitur in re.* Præterea obiectum ſecundarium cognoſcitur ſolùm per rationem formalẽ obiectiuam formaliter exiſtẽtem in obiecto primario, aliter non eſſet ſecundarium, ſed primarium, quia cognoſceretur ratione ſui, non ratione alterius; ergo non eſt, niſi vna ratio formalis ſpecificatiua, per quam cognoſcitur obiectum primarium, & ſecundarium; ſed ab vna ratione formali ſpecificatiua non eſt, niſi vna ſpecies; ergo nulla eſſet in viſione differentia ſpecifica.

17 Remanet ergo beatitudinem noſtram, & Angelorum ſolo numero differre, quatenus eſt in diuerſis ſubiectis; vnitas enim numerica cuiuſlibet accidentis habetur à ſubiecto, in quo eſt; ſicut vnitas ſpecifica habetur ab obiecto. Et quatenus in illis ſubiectis eſt magis, vel minùs intenſa, quia magis, vel minùs videtur, & amatur Deus ob maius, vel minus lumen; & ob maiorem, vel minorem charitatis flãmam. Hoc docuit *Apoſt. 1. Cor. 15. Sicut ſtella differt à ſtella &c*; nam ſtella differt à ſtella, quia magis, vel minùs habet de lumine, & calore. Hoc ſtatuit *Eccleſia* cõtra *Iouinian*; vt diximus *to. 1. de Inuiſib. q. 2. vbiſ.* Tandem quia viſio correſpondet meritis, vt dictum eſt; merita autem differunt ſecundùm magis, & minùs in eadem ſpecie charitatis Dei; differentia autem ſecundùm magis, & minùs in eadem ſpecie eſt tantùm numerica, vt patet.

18 Obijc. 1. Ordo eſſentialis competens vni viſioni, & non alteri ponit diſtinctionẽ ſpecificã inter vtranque viſionem; ſed viſioni terminatæ ad Deum, & ad animalitatem v. g. competit ordo eſſentialis, qui non competit viſioni terminatæ ad Deum, non ad animalitatem; quia viſio terminata ad Deum, & ad animalitatem ſimul repræſentat vtrunque; viſio autem ſolius Dei non repræſentat vtrunque; ergo hæ duæ viſiones differũt ſpecificè. 2. Natura intellectiua, & ſimul volitiua eſſentialiter differt à natura tantùm in-

intellectiua, ſi eſſet poſſibilis; ergo à pari. 3. Viſio terminata ad eſſentiam tantùm eſſentialiter differt à viſione terminata ad eſſentiam, & relationes; ergo à pari.

Reſp. ad 1. neg. mi. nam ordo eſſentialis cõpetens viſioni deſumitur ſolùm ab obiecto ſpecificatiuo primario, quod eſt Deus; ab obiecto autem ſecundario, vt eſt animalitas, non deſumitur ordo eſſentialis, ſed tãtùm accidentalis, quia obiectum ſecundarium non attingitur per ſe, ſed per aliud, ſcilicet per obiectum primarium. Ad prob. infert. neg. quòd viſio repræſẽtet, hoc enim competit ſoli ſpeciei. Ad 2. neg. ant. nam eſſe volitiuum eſt accidentale, & ideo non facit diſtinctionem eſſentialem. Si autem ſermo ſit de eſſe volitiuo radicali, conc. ant. & neg. conſ. nam eſſe volitiuum radicale eſt eſſentiale; terminari autẽ ad obiectum ſecundarium accidit viſioni. Ad 3. neg. conſ. quia relationes Diuinæ pertinent ad obiectum primarium viſionis beatæ, vt diximus *to. 1. de Inuiſib. q. 4. art. 1*; & ideo variato obiecto primario variatur viſio eſsẽtialiter; at verò creaturæ ſunt obiectum ſecundarium, quo variato non variatur viſio.

19 Obijc. 2. Creaturæ terminant viſionem beatam, prout in ſe ipſis; ergo non cognoſcuntur ratione eſſentiæ, ſed ratione propriæ entitatis; & ideo ſunt obiectum primarium. 2. Inuariato obiecto formali ſtat adhuc diſtinctio ſpecifica ob ſolam diſtinctionem obiecti materialis; nam viſio terminata ad albedinem differt ſpecie à viſione terminata ad nigredinem, quanuis lux, quę eſt ratio formalis ſit eadem; ſic electio, & intentio differunt ſpecie, quanuis ratio terminandi, ſcilicet bonitas finis, ſit eadem; ſic latria, & dulia differunt ſpecie, quanuis Diuina excellentia, quę eſt ratio formalis vtriuſque, ſit eadem; idem dicendum de amore proximi, & Dei, qui habet pro obiecto formali Diuinam excellentiam; ergo à pari.

Reſp. ad 1. neg. ant; creaturæ enim per viſionem beatam videntur in Diuina eſſentia, tanquam per medium cognoſcendi, & ideo non videntur per ſe ipſas immediatè. Ad 2. neg. ant. Ad 1. prob. infert. dicitur, quòd lux eſt ratio *ſub qua*, quæ poteſt eſſe communis pluribus viſionibus ſpecie diſtinctis; diſtinctio autem ſpecifica habetur à ratione formali *qua*; vt dictum eſt *q. 3. proem. cit*; vnde cùm albedo, & nigredo ſint rationes formales *quæ* ſpecie diuerſæ, ideo poteſt eſſe diuerſa viſio. Hanc reſponſionem quomodò poſſint ſuſtinere *Thomiſtæ* aſſerentes vnitatem ſpecificã haberi à ratione *ſub qua*, *vid. q. 3. vbiſ.* Sic dicendum de electione, & intentione, quæ habent diuerſas rationes formales *quæ*, ſcilicet bonitas vtilis, & honeſta; quanuis ſit eadem ratio *ſub qua*, ſcilicet bonitas finis; idem contingit reſpectu aſſenſus principiorum, & concluſionũ. Ad aliud dicitur duliam reſpicere excellentiam Sanctorum formaliter, prout ordinatam ad Deũ; & ſic amor proximi bonitatem creaturæ, prout ordinatam ad bonitatem Dei; latriam verò immediatè formaliter reſpicere excellentiam Dei; & ſic amor Dei bonitatem ipſius. Aliud eſt ergo reſpicere vnum relatè ad aliud; vt in inſtantijs adductis; hoc enim poteſt eſſe per rationem exiſtentem in ſe ipſo relatam tamen ad aliud; vt Pater reſpicitur per ſe ipſum, relatè tamen ad Filium; & aliud non reſpici, niſi per aliud, & in alio, vt reſpiciuntur creaturæ per viſionem, quæ non reſpiciuntur per rationem exiſtentem in ſe ipſis.

20 Obijc. 3. Quæ differunt genere, differunt ſpecie; ſed viſio Angelica, & humana differunt genere, nam profluunt ab intellectibus dimanãtibus à naturis genere diuerſis; ergo differunt ſpecie. 2. Actus non minùs dicit ordinem ad ſuum obiectum formale, quàm ad ſuum principium elicitiuum; ſed principium elicitiuum viſionis Angelicæ differt genere à principio elicitiuo viſionis humanæ; ergo differt genere ab illa.

Reſp. ad 1. neg. mi. Ad prob. infert. dicitur intellectum Angelicum, & humanum differre genere, prout ſumũtur contractè ad lumina ſpecie diuerſa; non autem prout ſumuntur præcisè ſecundùm ſuam entitatem potentialem; quibus ſi detur lumen eiuſdem rationis, & ſpeciei, elicient viſionem eiuſdem ſpeciei; & ideo cùm viſio beata non ſit ab intellectu Angelico, & humano, prout informato lumine naturali, quod eſt diuerſæ ſpeciei in vtroque, ſed prout informato lumine gloriæ, quod eſt eiuſdem ſpeciei, ideo viſio elicita eſt eiuſdem ſpeciei; nam licèt corpus animatum, & corpus inanimatum differant genere, quatenus contrahuntur ad formas genere diuerſas; attamen corpus ſecundùm ſe præcisè ſumptum poteſt eſſe eiuſdem rationis cum alio corpore, ſi coniungatur cum duabus formis eiuſdem ſpeciei; quapropter corpus *Petri*, & corpus *Pauli* ſunt eiuſdem ſpeciei, quia per formam eiuſdem ſpeciei conſtituuntur in eadem ſpecie; ita quanuis intellectus, *vt ſic*, prout contrahitur ad lumen naturale Angelicum, & ad lumen naturale hominis, quæ differunt genere, differat genere; attamen ſi contrahatur per idem lumen gloriæ, quod eſt forma ipſius, eliciet viſionem eiuſdem ſpeciei. Ad 2. *diſt. ma.* Actus non minùs dicit ordinem ad ſuum obiectum formale, quàm ad ſuum principium elicitiuum eodem modo, neg; diuerſo modo, conc; nã ad ſuum obiectum formale dicit ordinem, tanquam ad ſuum ſpecificatiuum, & diſtinctiuum ſpecificum; & ad ſuum principium dicit ordinẽ, tanquam ſpecificatiuum, & diſtinctiuum illius; quia actus ſpecificatur à ſuo obiecto formali, & principium ſpecificatur à ſuo actu; ergo ſicut ab eodẽ obiecto formali nequit ſumi diuerſitas ſpecifica actus; aliter non eſſet ratio, quare ab eadẽ rationalitate non poſſet ſumi diuerſitas ſpecifica, & ſic homines differre ſpecię; ita ab eodem

actu

actu formali nequit ſumi diuerſitas ſpecifica principij.

21 Inſt.1. Implicat, quòd à naturis genericè diuerſis profluant proprietates conuenientes in ſpecie; ſed Angelus, & homo differunt genere; ergo implicat, quòd ab illis profluant intellectus conuenientes in ſpecie; atqui principia genere diuerſa nequeunt habere actiones eiuſdem ſpeciei, vt patet de calore, & frigore; ergo implicat intellectum Angeli, & hominis eſſe eiuſdem ſpeciei, & elicere viſionem eiuſdem ſpeciei.

Reſp. hoc fuiſſe ſolutum *to.* 1. *de Inuiſib. q.*4.*art.*1.*n.*1. Diſt. igitur ma. Si profluant ab illis naturis ſecundùm illam rationem, in qua differunt formaliter, conc. ſed in hoc ſenſu neg. mi; intellectus enim profluit à natura, vt intellectualis eſt, in quo conueniunt natura Angelica, & humana; ſi profluant ſecundùm rationem, in qua conueniunt, neg.

22 Inſt.2. Ex hoc ſequeretur eundem intellectum numero per diuerſa lumina poni in diuerſis ſpeciebus; ſed hoc implicat, quia quæ differunt genere, differunt ſpecie, & quæ differunt ſpecie, differunt numero; ergo nulla doctrina allata.

Reſp; quòd ſicut non implicat eandem materiam, quæ ſecundùm ſe eſt vna negatiuè, poni in diuerſis ſpeciebus, ita à pari de intellectu. Præterea non implicat eandem ſubſtantiam numero poni in diuerſis ſpeciebus accidentalibus; vt paries in ſpecie albi, quanti &c; ita à pari. Neg. igitur mi; quia vnitas numerica ſumitur à ſubiecto, in quo poſſunt eſſe plures rationes genericè, & ſpecificè diuerſæ.

23 Obije. 4. Actus ſupernaturalis Fidei eſt diuerſæ ſpeciei in Angelo, & in homine; quia in homine eſt per ſpecies acquiſitas, in Angelo per ſpecies infuſas; in homine dependet à phantaſmatibus, & fit cum diſcurſu; in Angelo nec dependet, nec fit cum diſcurſu; tum quia charitas, quæ eſt forma Fidei, eſt diuerſæ rationis; nam charitas in homine habet vim imperandi actiones materiales, quas nequit imperare in Angelo; ergo idem dicendum eſt de viſione, quæ Fidei ſuccedit.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur acquiſitionem, & infuſionem non diuerſificare actum, aut habitum ſpecie; vnde *Philoſophia* acquiſita, & infuſa non differrent ſpecie, quia haberent idem obiectum. Ad 2. dicitur dependentiam à phantaſmatibus ſe habere tantùm de materiali, & per accidens ratione ſubiecti, in quo eſt. Ad aliud dicitur, quòd Fides non diſcurrit; & ſi diſcurreret, hoc tantùm eſſet per accidens. Ad 3. neg. ant; nam quòd charitas in homine habeat vim imperandi actiones materiales, eſt, quia in homine coniungitur cum potentijs materialibus; quòd ſi coniungeretur etiam in Angelis, eãdem vim haberet in illis; ideoque hoc ſolùm materialiter, non formaliter ſe habet.

24 Quæres 1; an in homine, vel Angelo detur appetitus innatus, vel elicitus ad beatitudinem?

Reſp. hoc fuiſſe luculenter explicatum *to.* 1. *de Inuiſibilitate q.* 1. *art.*5.

25 Quæres 2; an poſſibilitas beatitudinis poſſit naturali ratione demonſtrari?

Reſp. hoc pariter fuiſſe diſcuſſũ *ibid. art.*2.

QVÆSTIO III.

De Beatitudine animæ, & corporis.

QVæ ſpectant ad beatitudinem obiectiuam, & formalem, prout formaliter conuenit naturæ intellectuali creatæ ſiue Angelicæ, ſiue humanæ ad gloriam aſſumptę, iam egimus; nunc diſcurrendum eſt de beatitudine veluti materialiter, ſeu de ſubiecto, cui conuenit beatitudo, quod eſt anima, & corpus.

ART. I.

An animæ Iuſtorum ſtatim poſt mortem conſequantur beatitudinem.

1 NOmine *animarum Iuſtorum* intelligimus animas decedentes ſine culpa, & ſine pœna pro culpis iam remiſſis ſubeunda.

2 Narrat *D. Cirillus Epiſcop. Ieroſolymitanus epiſt. ad Beatiſſ. P. Aug*; quæ eſt inter illius 206; poſt mortem *D. Hieronymi* quandam hæreſim, ſeu ſectam ortam fuiſſe *inter Græcos*, à quibus *in Latinos* deuenit, ſuſtinentes animas iuſtorum vſque ad vniuerſalis diem Iudicij viſione beata priuari; & animas damnatorum ſimiliter vſque ad Iudicij diem nulla pœna cruciari. Ratio autẽ eorum erat. Anima non meruit, nec peccauit, niſi cum corpore; ergo non recipit præmium, aut pœnam, niſi ſimul cum corpore; præmium enim, & pœna correſpondere debent operibus.

3 Aſſerebant pariter huius hæreſis ſectatores nullum eſſe Purgatorij locum, in quo animę, quæ nondum plenam de ſuis peccatis in hac vita patratis pœnitentiam egerunt, purgantur.

4 Tantus dolor creſcente hac hæreſi irruit in Catholicos, qui degebant Ieroſolymis, vbi hæc peſtis exorta graſſabatur, vt *S. eorum Epiſcopus Cirillus* conuocatis omnibus ſuis ſuffraganeis Epiſcopis, alijſque viris Catholicis ieiunium, & orationes publicas indixerit. Tribus tranſactis diebus ſubſequenti nocte apparuit *S. Hieronymus Euſebio Cremonenſi ſuo prædilecto Diſcipulo* mandans ei, vt nunciaret Cirillo, cunctiſque fratribus, quòd craſtina die *ad Præſepe* Do-

Domini, vbi corpus *eiuſdem Hieronymi* iacebat, conuenirent, illucque ducerent nedum catholicos, ſed & illius hæreſis ſectatores compellerẽt. Præterea tria hominum cadauera, quæ tunc temporis *in Vrbe Ieroſolyma* eadem nocte defuncta inhumata iacebant, ad locum, in quo iacebat *Hieronymi* corpus, iuſſit aſportari præcipiens *Euſebio*, vt in omnium adſtantium cõſpectu ſacco, quo *Hieronymus* viuens veſtiebatur, tangeret ea cadauera; quæ ſtatim poſt hunc contactum perfectè reſurgentia apertis oculis, omnibuſque oſtenſis vitæ ſignis animarum beatatũ gloriam, Purgatorij, & Inferni pœnas prædicarũnt; ſicque iſtam hæreſim extinxerunt. *Cirillo* autem percunctanti, vbi fuerant animæ ipſorum pro eo tempore ſeparationis à corpore; reſponderunt, quòd *B. Hieronymus* eas duxerat in Paradiſum, in Purgatorium, & in Infernum oſtendens eis, quæ *ibi* agerentur, vt ſua redientes ad corpora ea patefacerent vniuerſis; & in ſuis corporibus denuo viuendum eis fuiſſe, quouſque *Euſebius*, cui *idem S. Hieronymus* infra dies viginti mortem prædixerat, moreretur; & ſi pœnitentiã peccatorum eo tempore egiſſent, gloriam cum eo adepturos fuiſſe. Quod ita factum fuiſſe teſtatur *idem S. Cirillus*.

5 Hunc errorem innuit *Fund. Doct. in 2. diſt. 6. q. 2. ar. 2. §. Reſpondeo in fine* aſſerens deſumptũ fuiſſe *à Pythagoricis* aſſerentibus animas interfectorũ circumire ſepulcra, & expectare vindictas.

6 Hunc errorem fertur docuiſſe *Tertull. lib. 4. cont. Marcion. c. 34; & lib. de an. c. 7; Vigilant. apud D. Hier; Lactant. lib. 7. Diuin. Inſtit. c. 24; Euthim. in c. 23. Luc; Iuſtin; Irena; Orig; & alios apud Bellarmin. lib. 1. de Eccl. Triumphan. c. 1.* Deinde *Armenos, & Græcos*, vt patet *ex Cõc. Flor. ſeſſ. 1*; & tãdem *Hæreticos noſtri temporis Caluin. lib. 3. Inſtitut. c. 20. §. 20; Anabaptiſtas apud Alphon. de Caſtro* verbo *Beatitudo*; & *Luther apud Staphylum in Epitome trimembri p. 2.*

7 Concl. Catholica eſt. Animę Iuſtorum decedentes ſine culpa, & ſine pœna ſubeunda, & animæ purgatorij poſt debitam purgationem ſuorum delictorum ſtatim acquirunt beatitudinem. Hoc fatetur *Fund. Doct. vbiſ; & omnes communiter* poſt definitionem *Conciliorum inf. afferend.*

Prob. 1. *ex illo Epheſ. 4. Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem*; idèſt euexit in Cœlum animas iuſtorum, quas è limbo extraxerat; *& ex illo Apoc. 7. Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, ſunt ante thronum Dei; & Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiſo*; quod nequit intelligi de paradiſo terreſtri, nec cœleſti, quia in illis Chriſtus illa die non fuit; ſed intelligitur de viſione beata, quæ illi illa die ſtatim poſt mortem fuit cõmunicata; *& Bened. XII. extrauag*; quæ incipit: *Benedictus Deus; & ex Conc. Flor. ſeſſ. vlt. in lit. vnionis: Definimus iuſtorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel iiſdem exutæ corporibus purgatæ fuerint, in Cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & Vnum, ſicuti eſt; pro meritorum tamen diuerſitate alium alio clariùs, ſeu perfectiùs; & in Trid. ſeſſ. 25. in decret. de venerat. SS.*

8 Prob. 2. ex Beatiſſ. P. *in pſ. 116. Omnes iuſti, & ſancti, qui fruuntur Verbo Dei ſine lectione, ſiue literis; quod enim nobis per paginam ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt; & lib. Medit. c. 22. Felix anima, quæ terreno reſoluta corpore libera Cælum petit, ſecura eſt, & tranquilla; non timet hoſtẽ, neque mortem, habet enim præſentem, cernitque indeſinenter pulcherrimum Dominum; & c. 24. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulcritudine iam ſatiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti eſtis, de cuius beatiſſima viſione ſemper gaudetis; & lib. 2. Quæſt. Euang. c. 38. Sinus Abrahæ intelligitur ſecretum Patris, quo poſt paſſionem reſurgens* Chriſtus *aſſumptus eſt; vbi etiam ante reſurrectionem iuſtorũ animæ viuunt cum Deo*; quibus nihil clariùs.

9 Dices. *Magnus P. Aug. in Enchir. c. 109.* ait animas tempore interpoſito inter mortem, & reſurrectionem corporis cõtineri in abditis tabernaculis; idem habet *lib. 22. de Ciu. Dei c. 9; & 8. de Gen. ad lit. c. 5*; non autem definire de loco animarum; quod aſſerit etiam *lib. 12. c. 32*; ergo circa hoc dubitauit.

Reſp. nomine *abditi tabernaculi* intelligere locum pœnarum pro animabus decedentibus cum peccatis purgandis, vel æternaliter luendis; aut locum felicitatis pro animabus iuſtis; pro purgãdis autem docet multum iuuare ſacrificia, orationes &c; *vt in Enchir. loc. cit. In lib.* autem *de Gen.* dubitat ſolùm, an animæ moueantur localiter ad loca corporalia, an ſolùm moueantur illocaliter per tempora; vt diximus *q. 2. de Ang. art. 8*; non autem dubitat, an in illis locis videant, & fruantur Deo clarè viſo?

10 Prob. 2. ratione. Angeli ſancti ſtatim poſt viam acquiſierunt beatitudinem; habetur enim *Matt. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui in Cælis eſt*; non autem ait *videbunt*; ergo & animæ iuſtorum, quæ comparantur Angelis ſanctis, immediatè poſt viam conſequũntur beatitudinem.

11 Conf. Chriſtus Dominus *Matt. 18.* ait: *Niſi efficiamini, ſicut paruulus iſte, non intrabitis in Regnum Cælorum*; quod nequit itelligi, niſi de puritate paruuli; ergo animæ decedentes habentes puritatem paruuli ſtatim acquirunt beatitudinem nomine *Regni Cælorum* ſignificatam.

12 Dices. Animæ iuſtorum ante Aduẽtum Chriſti Domini non habuerunt beatitudinem in inſtanti ſuę deceſſionis; ergo nulla eſt ratio aſſignata.

Reſp. Chriſtum Dominum aperuiſſe nobis portas Cœlorum, quæ antea erant clauſæ; ideo

nul-

nullus ante ipſum acquiſiuit beatirudinem.Item ſua morte no bis vitam promeruit,& donauit; & ideo ante eius mortem nullus acquiſiuit beatitudinẽ,quæ eſt vita æterna. Igitur ratio valet ſuppoſita Chriſti Domini morte.

13 Prob.3. Animę poſt huius vitæ conſummationem ſtatim ſunt in termino; ſed termious animarum iuſtarũ eſt beatitudo; ergo ſtatim acquirunt beatitudioem.

14 Præterea dilatio mercedis non videtur congruere iuſtitiæ; quapropter *Leuit.*13. Deus præcepit:*Non morabitur apud te opus mercenarij vſque mane*; ſed gloria eſt merces operum animæ iuſtæ;vt habetur *Matt.* 5. *Merces veſtra copioſa eſt in Cœlis*; ergo ſtatim poſt operum conſummationem debet dari gloria; atqui opera conſummantur in morte;ergo ſtatim poſt mortẽ animæ iuſtæ acquirunt gloriam.

15 Tum quia animæ damnatæ ſtatim poſt mortem acquirunt pœnas Inferni;habetur eoim *Luc.* 16. *Mortuus eſt Diues,& ſepultus eſt in inferno*; ergo & animæ iuſtorum immediatè poſt mortem acquirunt gloriam.

16 Ad rationem autem *Græcorum* dicitur, quòd licèt anima meruerit,& demeruerit in corpore; quia tamen ipſa fuit cauſa principalis, & corpus fuit ſolùm inſtrumentum aoimæ;ideo ipſa ſtatim debet conſequi præmium,vel pœnam; quæ principaliter datur cauſæ principali, & ex conſequenti cauſæ inſtrumentali; ideoque priùs datur animæ,quàm corpori.

17 Obije.2.*ad Tim.*4.habetur:*In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex;& 1.Io.3.Cùm apparuerit,ſimilis ei erimus; & Io.XXII.* reouit hanc ſententiam teſte *Okam*. Tandem anima Chriſti Domini poſt ſeparationem à corpore immediatè non aſcendit in Cœlum; ergo neque animæ ooſtræ.

Reſp.ad 1.Dominum redditurum coronam publicè io die Iudicij,quam dederat priuatè poſt mortem immediatè ad manifeſtandam publicam gloriam Chriſti Iudicis.Ad 2.dicitur eodem mopo apparitionem Dei eſſe priuatam, quæ fit immediatè poſt mortẽ; & publicam Chriſti Domini in die Iudicij.Ad 3.ait. *Io.Villanus lib.*11.*hiſt. c.* 19. *Ioannem* retractaſſe ante mortem ſuam opinionem,quam habebat, vt priuatus Doctor, & talem retractationem haberi in *Conc. Binianis* factam Auenioni 3. *Nonas Decembris. Vid.noſtrũ Gibb.hic diſp.*7.*dub.*2.*n.*17.Ad 4.dicitur animam Chriſti Domini beatam ſemper fuiſſe; moratam autem fuiſſe reſurrectionem corporis;ſicut morantur etiam animæ iuſtorum.

18 Quæres; an poſt reſurrectiooem corporis anima clariùs Deum videbit?

Reſp.*aliqui* viſionem fore clariorem intenſiuè.*Ita Mag.in* 4.*diſt.*49; *D.Tho. in* 4.*q.*1.*art.*4; *D.Bon;ibid.art.*1.*q.*1; *Marſil.& alij*; & hoc probãt *ex Beatiſſ.P.*12.*de Gen.ad lit.c.*35;vbi ait animam ex appetitu ad corpus retardari, ne tota intenſione feratur in Deum.*Alij* verò dicunt fore clariorem extenſiuè. *Ita D.Tho.hic q.*4.*art.*5. *ad* 5;*Caiet;Sua; Vaſq; & alij apud noſtrum Gibb. hic dub.* 3. *n.* 2; nam viſio correſpondet lumini gloriæ;ſed idem lumen erit io anima ſine corpore,ac cum corpore;ergo eadem viſio intenſiuè.

19 Ceterùm dicendum,quòd ſi ly *intenſiuè, & extenſiuè* ſumatur obiectiuè, æquè intenſiuè, & extenſiuè videbit vnita,& ſeparata; quia vnita non videbit intenſiùs, non enim habebit maius lumen;nec extenſiùs,non enim plura videbit in obiecto,ſcilicet in Deo,quàm videbat ſeparata. Si autem ſumatur ſubiectiuè reſpectu ſubiecti,in quo eſt;tunc viſio neque clarior,neque intenſior erit,quia erit idem lumen; ſed erit maior,ſeu extenſior denominatiuè,quia totus homo videbit; vbi priùs non homo, ſed ſola anima videbit. Ad auctoritatem *Beatiſſ.P.* iam dictum eſt *to.* 1. *q.*2. 6. *n.* 16.

ART. II.

Quæ, & quot ſint dotes animæ beatæ?

1 HOc nomen *dos* dupliciter ſumitur.1. Latè pro omni dono ſiue naturali, ſiue ſupernaturali.2.Strictè pro dono,quo ſponſa dotatur, quando matrimonio iungitur alicui viro in ſubſteotationem, tum in ornatum ipſius ſponſæ. Sumitur *dos* in præſenti ſtrictè; cùm enim beatitudo ſit quoddam ſpirituale matrimonium animæ cum Chriſto, de quo dicitur *pſ.* 18. *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*; & de anima: *Veni ſponſa Chriſti*,ideo rectè aſſignantur *à Theologis* animæ dotes.

2 Ex hoc colligitur, quòd quanuis anima Chriſti Domini habeat dona excellentiſſima, ea tamen nõ habẽt rationẽ dotis; quia anima Chriſti Domini non eſt ſponſa ipſius; nam ſponſalitiũ propriè eſt inter duas perſonas;in Chriſto autem eſt vna perſona tantùm. Præterea neque Angelos eſſe ſponſas Chriſti,& ideo eorum dona non eſſe dotes;quia ſponſa,& ſponſus debent habere conuenientiam in natura, ſicut Chriſtus,& nos habemus diei tameo creaturas Angelicas ſponſas Dei,quarenus in eſſe intelligibili fiunt Deus; & in hoc ſenſu eſſe dotes in illis.

3 Neque officit, quòd iſtæ dotes conferantur animæ à Deo, qui eſt Pater ſponſi;nam dos aliquando confertur à Patre ſponſæ; aliquando ab ipſo ſponſo;vt dicitur *Exod.*22.*de Sichem* augeore dotem *Dinæ* filiæ *Iacob*;aliquando à Patre ipſius ſponſi.Tum quia dicitur,quòd Pater ſpõſi eſt ſola prima perſooa;Pater autem ſponſæ sũt omnes tres perſonæ Diuinæ, à quibus iungitur anima Chriſto Domino. Hæc communiter dicũtur.

4 Communis ſententia docet tres eſſe animæ dotes,ſcilicet viſio,comprehenſio,& fruitio, ſeu delectatio. Sed diuiſa eſt; nam *aliqui* volunt has dotes eſſe ipſas actuales operationes; *vt*

Vaſq;

Vaſq;Sot;Martinez,Monteſin. Alÿ eſſe ipſos habitus elicitiuos illarum operationum; *vt Godoy, Gonet,noſter Gibb;Salm;Io.à S.Tho;& alÿ*.

5 Ceterùm *iſti Auctores* multùm ſe implicant;nam dicunt 1. operationes non ſunt dotes, quia dos eſt quid præuium diſponens ad matrimonium. Sed quomodò delectatio, aut habitus charitatis poteſt eſſe dos; cùm ſupponat viſionē, in qua volunt conſiſtere noſtram beatitudinem formalē,quæ eſt matrimonium animæ cum Deo; præſertim cùm habitus charitatis, quatenus eſt principium delectationis, ſupponat amorem,cuius eſt paſſio; quia delectatio non eſt, niſi de eo, quod amatur?

6 Dicunt 2. dotem in patria debere correſpondere alicui virtuti Theologicæ in via. At quomodò poſtea dicunt lumen gloriæ eſſe dotē, cùm lumen gloriæ correſpondeat Diuinæ reuelationi obſcuræ,quam habemus in via;& Diuina reuelatio obſcura non eſt habitus Fidei, ſed lumen,ſeu ratio *ſub qua*, vt volunt *iÿdem*? Tum quia *ex Scripturis* conſtat Fidei correſpondere viſionem,non lumen.

7 Dicunt 3.dotes eſſe viſionem, comprehēſionem,& delectationem; & poſtea volunt non eſſe operationes, cùm tamen ſi iſta tria abſoluātur à conceptu operationis,non ſint ampliùs iſta, ſed eorum principia.Vnde in rigore cogi poſſūt ad negandum hæc tria formaliter eſſe dotes animæ, quia formaliter diſtinguuntur à lumine, & ab habitu charitatis.

8 Dicunt 4.actum charitatis non eſſe dotē, quia eſt eiuſdem rationis cum charitate viæ.Sed quomodò poſtea dicunt habitum charitatis eſſe dotem, cùm pariter ſit eiuſdem ſpeciei cum habitu charitatis viæ;quia iſti habitus non differūt, niſi penes eſſe perfectum, & imperfectum iuxta illud *Apoſt. Cùm venerit,quod perfectum eſt,euacuabitur,quod ex parte eſt? Vid.Godoy*. His itaque,& alijs ambagibus omiſſis.

9 Vnica concl.Dantur animæ dotes,& ſunt tres,ſcilicet comprehenſio,ſeu poſſeſſio, viſio,& amor conſummatus, non quidem acceptæ pro eorum habitibus, ſed pro ipſis actibus, vt qualitates ſunt, non vt actiones vitales ſunt. Hanc concl. ſuſtinemus conformiter ad doctrinam *Fund.Doct.* ſæpiùs traditam; & præcipuè *to.1.de Inuiſib.q.1.art.6;& to.2.de Scient.q.4. art.1.§.3; & in hoc tract.q.2.art.3.*

10 Prob.1.pars concl; quòd ſcilicet dentur animæ dotes,*ex Beatiſſ.P.lib.19.de Ciu.Dei c.10*; vbi loquens generaliter de dotibus animæ, & corporis ait: *Ibi enim erunt naturæ munera,hoc eſt, quæ naturæ noſtræ ab omnium naturarū Creatore donantur,non ſolùm bona,verumetiam ſempiterna,non ſolùm in animo,qui ſanabitur per Sapientiam,verumetiam in corpore, quod reſurrectione renouabitur.*Ratio autem eſt.Anima coniungitur Chriſto in beatitudine per modum ſponſæ cum ſponſo,vt patet *ex Scripturis* ſuperiùs allatis,ſed dona,quæ tribuuntur ſponſæ,cùm ingreditur domum ſponſi, vocantur dotes propriè loquendo; ergo dona, quæ tribuuntur animæ, cùm ingreditur gloriam,dotes propriè dicuntur.

11 Conf.Dotes tribuūtur ſponſabus,vt per illas feliciter viuant in vnione inſolubili cum ſponſis; ſed animæ noſtræ tribuuntur dona, per quæ beatè viuit in vnione ſempiterna cum Chriſto;tribuitur enim actus viſionis, & amoris conſummati,qui ſunt actus vitales, in quibus vita in actu ſecundo conſiſtit;ergo dantur animæ dotes.

12 Prob.2.pars concl. *ex eod. Sanctiſſ.P.lib. 22.de Ciu.Dei c.30. in fine*; vbi enumerans dotes animæ docet: *Ibi vacabimus,& videbimus,videbimus,& amabimus, & laudabimus. Vacare* autē idem eſt, ac *incumbere*, ſeu inniti ſtabiliter; aut poſſidere, ſeu prendere, & firmiter tenere, per quod explicatur *comprehenſio*; *videre* explicat *viſionem*, & *amare amorem*; tandem *laudare* importat delectationem, quæ eſt in eodem amore; laudamus enim bonitatem, quam amamus. Ex quibus ſic. Ad rationem dotis animæ beatæ tria requiruntur; ſcilicet vt ſolùm detur in patria; quia dos non confertur ſponſæ,niſi cùm ingreditur domum ſponſi, quòd terminetur ad ſolum ſponſum,quia dos datur ad coniungendam ſponſam cum ſponſo; & quòd reſpondeat alicui ex virtutibus Theologicis in via; quia virtutes Theologicæ ſunt ſponſalia, quibus promittitur beatitudo,quæ eſt matrimonium ſpirituale,iuxta illud *Oſeæ 20.Sponſabo te mihi in Fide*; ſed poſſeſſio,ſeu comprehenſio, viſio, & amor beatificus ſunt huiuſmodi;quia poſſeſſio Dei confertur animæ,cùm gloriam ingreditur; terminatur ad ipſū Deum; & reſpondet ſpei, quam excludit,quia ſpes dicit bonum futurū,ideo non præſens; *viſio* pariter ei confertur, cùm gloriā acquirit; & terminatur ad Deum, qui eſt eius obiectum formale,& reſpōdet Fidei iuxta illud: *Sicut audiuimus, ſic vidimus*; & amor beatificus ei pariter tribuitur,cùm gloriam ingreditur;terminatur ad Deū, vt ſummum bonum; & reſpondet charitati viæ, quæ eſt deſiderium de bono abſenti, quod deſiderium per ipſum excluditur,quia per ipſum ſatiatur;ergo poſſeſſio,viſio, & amor beatificus ſūt dotes animæ.

13 Conf.Illa dona, quibus anima inſolubiliter iungitur Deo, viuit cum illo, & ſuſtentatur vita beata illius,ſunt dotes ipſius ducta ſimilitudine dotis,quæ confertur ſponſæ terrenæ, vt dictum eſt,ſed poſſeſſio, viſio, & amor beatus ſunt huiuſmodi, quia per poſſeſſionem anima iungitur Deo inſolubiliter,per viſionem, & amorem viuit cum illo, quia viſio, & amor ſunt vita in actu ſecundo, cùm ſint operationes animæ beatæ;& ſuſtentatur vita beata, quæ non ſubſtentatur,niſi per operationem beatam;ergo poſſeſſio, viſio,& amor beatus ſunt dotes animæ beatæ.

14 Prob. 3. pars concl. Actus beatifici, vt ſunt qualitates, diſponunt animam ad vnionem cum

cũ Deo per actus vitales beatos; qualitas enim, vt qualitas eſt,habet diſponere;& ſũt dona ipſius Dei,quia infunduntur à Deo nihil cooperante ipſa anima; & mediantibus illis vnimur eum Deo;viuimus eum illo;ſubſtentamur in vita beata;& reſpondent tribus virtutibus Theologicis; ergo poſſeſſio,viſio,& amor beatificus, vt qualitates sũt,ſunt dotes animæ. Præterea lumen gloriæ, & habitus charitatis nõ correſpõdẽt virtutibus viæ, nec immediatè cũ illis cõiũgimur Deo, quia non coniungimur,niſi mediantibus actibus, quibus tendimus in ipſum; nec viuimus in actu ſecundo, quia vita in actu ſecundo eſt ſola operatio; ſicut habitus Theologici, prout habitus ſunt,non ſunt ſponſalia,quibus promittitur vita, quia vita beata nõ promittitur,niſi operibus elicitis ab habitibus Theologicis;nã *Fides ſine operibus mortua eſt*;ergo poſſeſſio,viſio,& amor beatificus,prout qualitates ſunt,nõ prout important habitus,à quibus eliciuntur,ſunt dotes animæ.

15 Conf. Quanuis poſſeſſio, viſio, & amor beatus,vt qualitates ſunt, habeant rationem habitus, quia habent rationem actus primi immobiliter adhærentis ſubiecto; attamen malè dicitur, quod per illos ſignificetur lumen gloriæ, & habitus charitatis,quia ſignificarentur dotes per aliquod conſecutiuè ſe habens ad illas realiter diſtinctum ab illis; ergo poſſeſſio,viſio,& amor beatificus non ſunt dotes, prout important lumen gloriæ,& habitum charitatis.

16 Quæres; an comprehenſio, ſeu poſſeſſio ſpectet ad intellectum,ſeu voluntatem?

Reſp. ſpectare ad voluntatem. Eſt *contra Godoy,& alios Thomiſtas.* Prob. Comprehenſio ſpectat ad illam potẽtiam,ad quam ſpectat ſpes, cui correſpondet,& quam excludit;ſed ſpes ſpectat ad voluntatem;ergo & comprehenſio.

17 Inſt. *Godoy* comprehenſionem ſpectare ad illam potentiam, quæ primò habet poſſidere Deum;ſed hæc eſt intellectus;ergo ſpectat ad intellectum.

Sed contra eſt; nam comprehenſio ſpectat ad illam potentiam,quæ primò habet poſſidere Deum formaliter in ratione ſummi boni; quia reſpondet ſpei, quæ reſpicit Deum ſub ratione formali boni ardui; ſed hæc eſt voluntas, quia intellectus poſſidet Deum ſub ratione ſummi veri intelligibilis;in hoc enim diſtinguuntur iſtæ duæ potentiæ; ergo ſpectat ad voluntatem,non ad intellectum.

18 Obijc.1.*Godoy*.Amor Dei non conuenit ſolùm in patria;ergo non eſt dos animæ.

Si dicatur amorem Dei conſummatum conuenire ſolùm in patria, & ideo eſſe dotem.

19 Inſt.Ad hoc,vt ſit dos, debet eſſe diuerſæ ſpeciei; ſed amor conſummatus, & viæ non ſunt diuerſæ ſpeciei;ergo non eſt dos.

Reſp.ad inſt.neg.ma; vt *ſup.* dictum eſt; aliter neque habitus charitatis,vt *ſup.* dictum eſt, eſſet dos,vt affirmat *Godoy*. Præterea ſicut dos in ſponſalibus promittitur; & in actuali matrimonio datur; & ideo debet propter hanc rationem reſpondere ſponſalibus;ita dotes in patria debẽt reſpondere virtutibus in via,quibus promittitur beatitudo patriæ;& ideo ſicut amor viæ eſt amor in ſpe,qui eſt dos in promiſſione;ita amor patriæ eſt amor in re,qui eſt dos actu tributa.

20 Obijc. 2. *idem.* Operationes ſunt ipſa actualis vnio cum Deo; ergo comprehenſio, viſio, & amor non ſunt dotes, quæ ſunt aliquod præuium diſponens ad talem vnionem. 2. Dotes ſunt dona tributa ſponſæ; ſed operationes non ſunt dona, quia donis nihil cooperamur; operationes autem ſunt à nobis,ergo non ſunt dotes.

Reſp.ad 1.diſt.ant.Operationes,vt actiones vitales ſunt,conc; vt qualitates, neg; & ſic ad 2; nam operationes,vt qualitates,donantur nobis à Deo, & nihil cooperamur, quia omnino gratis tribuuntur; quanuis, vt actiones vitales, ſint à nobis.

ART. III.

An, & quæ ſint dotes corporis glorioſi?

1 Diximus *in ſup.art.cum Beatiſſ.P.* dari in beatis dotes animæ,& corporis; & ratio peti poteſt ex ijs, quæ videmus in naturalibus;cùm enim nedum bona animi,quibus dotata eſt ſponſa, ſed etiam bona corporis ad dotẽ pertinere dicantur; ideo à pari dicendum de anima beata ornata, vt ſponſa Deo.

2 Vnica concl.Dotes corporis glorioſi ſunt quatuor;ſcilicet impaſſibilitas,ſeu incorruptibilitas,claritas,agilitas,& ſubtilitas, ſeu ſpiritualitas,& ſunt qualitates,quæ redundant ab anima in corpus.*Ita Fund.Doct. diſt.29.q.1.art.3.dub. 1.lat;& communiter omnes.*

Prob.*ex Apoſt.1.Cor.15. Seminatur in corruptione,ſurget in incorruptione*,ſcilicet impaſſibilitate; *ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*, ſeu in charitate; *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute*,ſeu in agilitate; *ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpiritale*, ſeu ſubtile; vt explicant *communiter SS.PP;& DD.* Rationem huius tradit *Beatiſſ.P.lib.13.de Ciu.Dei c.20.*dicẽs: *Sicut enim ſpiritus carni ſeruiens non incongruè carnalis,ita caro ſpiritui ſeruiens rectè appellatur ſpiritalis,non quia in ſpiritum conuertatur, ſicut nonnulli putant ex eo,quod ſcriptum eſt:Seminatur corpus animale,reſurget corpus ſpiritale; ſed quia ſumma,& mirabili obtemperandi facilitate ſubdatur vſque ad implendam immortalitatis indiſſolubilis ſecuriſſimam voluntatem omni moleſtiæ ſenſu, omni corruptibilitate,& tarditate detracta. Non ſolùm enim non erit tale,quale nunc eſt, in quauis optima valetudine,ſed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum; qui licèt morituri non eſſent, niſi peccaſſent, alimentis tamen,vt homines,vtebantur nondum ſpiritalia, ſed adhuc corporalia geſtantes.* Idem habet *lib.22.c.21.* Notat autem *Viues in Com.ibid. Origenem in lib.Periar-*

riarchon ſenſiſſe corpus mutandum eſſe in ſpiritum.Ex quibus ſic. Vita ſpiritus importat ſecum impaſſibilitatem,claritatem,agilitatem, & ſubtilitatem;ſed corpus poſt reſurrectionem viuet vita ſpiritus;ergo importabit ſecum impaſſibilitatem,claritatem, agilitatem, & ſubtilitatem. Ma. patet; in hoc enim ſpiritus diſtinguitur à corpore,quod eſt paſſibile,& corruptibile; obſcurum, & denſum;graue,& craſſum. Prob.mi. Anima, quando eſt in hoc corpore mortali,ideo viuit vita corporis, quia non conſeruatur in corpore, niſi mediantibus alimentis, quibus nutritur, & alitur vita corporis; ſed corpus poſt reſurrectionem nõ conſeruabitur alimentis,quibus nutriatur;ergo viuet vita ſpiritus.

3 Conf.Anima ex eo, quòd in hoc ſtatu viuat vita corporis,patitur dolores corporis; obſcuratur,& velatur à denſitate corporis; aggrauatur ab eius grauitate iuxta illud *Apoſt.Corpus, quod corrumpitur,aggrauat animam*; ne agiliter feratur, quò vult; & impeditur ab eius craſſitie, ne pertranſeat per loca quantumuis minima; ergo è contra quia poſt reſurrectionem corpus viuet vita animæ, ab illa trahet impaſſibilitatem, claritatem, agilitatem,& ſubtilitatem.

4 Prob.2.Ad hoc,vt anima ſit perfectè beata,debet eſſe impaſſibilis,clara, agilis, & ſubtilis ſimpliciter, idẽſt nedum ſecundùm ſe, ſed etiam ſecundùm omne illud,cum quo coniungitur;ſed ſi corpus, cum quo cõiungetur poſt reſurrectionem,non haberet impaſſibilitatem, claritatem, agilitatem,& ſubtilitatem,anima nõ eſſet impaſſibilis, clara, agilis, & ſubtilis ſimpliciter ſecundùm ſe,& ſecundùm omnia,cum quibus coniungitur; ergo corpus poſt reſurrectionem habebit impaſſibilitatem,claritatem,agilitatem, & ſubtilitatem. Ma. patet; quia perfecta beatitudo excludit omnem dolorem,& moleſtiam, quæ oritur à paſſibilitate ſiue in ſe ipſa,ſiue in alio; nam dolor licèt in alio verè affligit animam; vt patet in hac vita;inſuper excludit obſcuritatem;quia, vt notat *Fund.Doct.vbi ſ.ſecundùm Eſaiam*,gloria dicitur quaſi *clara*; item excludit pondus, & craſſitiem,quæ impediunt operationes,redduntque moleſtas,& difficiles.Mi.etiam conſtat; ideo nanque anima in hoc ſtatu non eſt perfectè beata, quia coniungitur corpori miſerijs obnoxio; ergo idem dicendum eſſet poſt reſurrectionem.

5 Prob. 2. pars concl. *ex eodem Beatiſſ. P. lib.*11 *de Ciu.c.*10.docente:*Sed & ſi ſit corpus incorruptibile, quale Sanctis in reſurrectione promittitur, habet quidem ipſius incorruptionis inamiſſibilem qualitatem,ſed manente ſubſtantia corporali non eſt hoc,quod ipſa incorruptio; nam illa etiam per ſingulas partes corporis tota eſt,nec alibi maior,alibi minor,neque enim vlla pars eſt incorruptior,quàm altera; corpus verò ipſum maius eſt in toto, quàm in parte; & cùm alia pars eſt in eo amplior,alia minor,non ea,quæ amplior, eſt incorruptior,quàm ea,quæ minor.*Ex quo ſic. Si dotes non eſſent qualitates ſupernaturales diſtinctæ realiter à corpore,prædicarentur affirmatiuè eodem modo,ac corpus; quia quod non diſtinguitur realiter ab aliquo,realiter affirmatur de illo; nam non diſtingui eſt affirmari, ſicut diſtingui eſt negari,quia diſtinctio eſt negatio, & indiſtinctio eſt affirmatio;quæ autem affirmantur realiter ad inuicem, eodem modo prædicantur, quia affirmatio eſt prædicatio,ſed dotes non prædicantur eodem modo,quo prædicatur corpus; nam corpus eſt maius qualibet ſua parte; non eſt autem incorruptibilius,aut clarius,agilius,aut ſubtilius, quàm vna pars illius; ergo dotes ſunt qualitates ſupernaturales (ſunt enim ex gratia Dei) à corpore realiter diſtinctæ. Tum quia anima ad hoc, vt informet amiſſibiliter corpus, exigit qualitates in corpore diſpoſitiuas ad corruptionem;ergo ad hoc, vt informet illud inamiſſibiliter, vt præſtabit poſt reſurrectionem, exigit qualitates diſponentes corpus ad incorruptionem, & ideo dotes,quæ hoc præſtant, ſunt qualitates. Tum quia claritas, & lux procul dubio eſt qualitas; ergo & ceteræ dotes. Tum quia,vt arguit *lib.*22. *c.*11; ſicut ad hoc, vt vapor corporeus naturaliter feratur ſurſum,neceſſe eſt, vt ei imprimatur forma leuitatis,aliter moueretur violentè; quia in motu violento nulla vis imprimitur paſſo; ita ad hoc,vt corpus glorioſum naturaliter feratur, quocunque vult, neceſſe eſt, vt ei imprimatur qualitas intrinſeca,aliter moueretur violentè,& ſic pateretur moleſtiam laboris,quem experimur in motu violento; & ideo non eſſet perfectè beatum.

6 Prob.3.pars *ex eod.Beatiſſ.P. epiſt.* 56. *ad Dioſc.Tam potenti natura fecit Deus animam, vt ex pleniſſima eius beatitudine redundet in inferiorem eius naturam,quæ eſt corpus, plenitudo ſanitatis,& incorruptionis vigor*. Ex quo ſic.Ex anima,prout eſt forma naturalis, redundant in corpus qualitates ordinis naturalis, vt ſunt potentiæ ſenſitiuæ,quæ reſident in organis corporeis; ergo ex anima ſupernaturalizata per gratiam conſummatam redundant in corpus qualitates ordinis ſupernaturalis. Tum quia ſi dotes non redundarent ab anima in corpus,maximè, quia Deus illas producit, & ideo nequeunt fluere ab anima;vt vult *Sua.3.p.q.45.act.2;& diſp.48;* qui vult emanare tantùm moraliter;ſed hoc non obſtat;quanuis enim proprietates naturales animæ producantur à Deo;nã qui dat formã,dat conſequentia ad illam;attamen dicuntur reſultare, & emanare ab illa, quatenus poſita anima propter naturalem connexionem ponuntur etiam proprietates;ergo dotes glorioſę redundant ab anima in corpus.

7 Obijc. Vel illa qualitas ſupernaturalis eſſet ſpiritualis,vel materialis? Non primum; quia ſpirituale nequit recipi in materiali, quia *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*;materiale autem recipit modo extenſo,quomo-

modò nequit recipi ſpirituale. Non ſecundum; quia ſpirituale nequit cauſare rem materialem; ergo dotes non ſunt qualitates.

Reſp. totum arg. falſum eſſe; nam anima noſtra eſt ſpiritualis, & tamen recipitur in corpore; & ad illam reſultant in corpore qualitates ſenſibiles, vt dictum eſt. Dicimus ergo illas qualitates eſſe materiales; quę poſſunt reſultare ad beatitndinem formalem, quæ eſt ſpiritualis; non enim eſt neceſſe, quòd per influxum phyſicum producantur ab illa, ſed ſolùm quòd propter naturalem connexionem producantur poſita illa.

8 Quæres 1; in quo conſiſtat impaſſibilitas?

Reſp. *cum Beatiſſ. P. vbiſ.* oriri ex dominio animæ ſupra corpus; ſicut enim ex dominio corporis ſuper animam oritur paſſio ipſius animæ patientis dolores corporis; ita ex dominio animę ſupra corpus oritur impaſſibilitas corporis. Tũ quia ſicut ex perfecta ſubiectione animę ad Deũ, quæ fit per gratiam conſummatam, anima, quæ ſecundùm ſe eſt peccabilis, fit impeccabilis; ita ex perfecta ſubiectione corporis ad animam, quę ſubiectio fit per qualitatem impaſſibilitatis, corpus, quod ſecundùm ſe eſt paſſibile, fit impaſſibile.

9 An autem in corpore glorioſo maneant primæ quatuor qualitates contrariæ, quæ ſunt radix corruptionis?

Omiſſa ſententia *Scoti, & Dur.* opinaotium corpus glorioſum eſſe paſſibile ab intrinſeco, & ideo habere qualitates contrarias; & eſſe impaſſibile tantùm ab extrinſeco, quia Deus impedit actionem corruptiuam; omiſſa, inquam, hac opinione, quæ conuincitur ex eo, quòd impaſſibilitas ſit qualitas intrinſeca, per quam intrinſecè corpus impaſſibile redditur; vel dicendum *cum Thomiſtis, & noſtro Gibb.* remanere primas qualitates, ſed ſine pugna; quia beatus gaudet perfectiſſima pace; & ideo per dotem impaſſibilitatis ſopitur diſcordia inter qualitates contrarias. Vel dicendum *cum alijs* non remanere formaliter, ſed tantùm virtualiter, vt in Cœlo; nam qualitates contrariæ ſunt eſſentialiter ad inuicem ſibi malignantes, & machinantes deſtructionem totius; per impaſſibilitatem autem tollitur omnis radix deſtructionis corporis. Tum quia qualitates contrariæ ſolùm ſunt neceſſariæ ad vitam corporis, quæ conſeruatur per nutritionem, quæ non fit, niſi per corruptionem alimenti, & generationem nouæ ſubſtantiæ; corpus autem glorioſũ viuit vita animæ, vt dictũ eſt; & ideo nõ indiget qualitatibus cõtrarijs. Nec neceſſe eſt, quòd corpus reſurgat cum omnibus perfectionibus accidentalibus, nam certum eſt actus nutritionis, augmentationis, generationis, comeſtionis &c. eſſe perfectiones accidentales corporis; quia ſunt actiones illius, & omnis actio eſt perfectio potentiæ; & tamen certum eſt corpus non reſurrecturum cum his actionibus; quia cùm ſint neceſſariæ ſolùm ad viuendum vita corporis, ideo non debent aſſumi pro illo ſtatu, in quo corpus viuet vita animę; ita à pari; & hoc eſt magis conſonum Philoſophiæ docenti Cœlos eſſe incorruptibiles ab intrinſeco, quia carent qualitatibus contrarijs.

10 Impaſſibilitas igitur *eſt dos excluſiua omnis corruptionis, & paſſionis læſiuæ.* Dicitur *paſſionis læſiuæ*, nam licèt corpora damnatorum ſint incorruptibilia, non tamen habent dotem impaſſibilitatis, quia ſunt capacia paſſionis læſiuæ; item hoc dicitur, quia dos impaſſibilitatis nõ excludit paſſionem perfectiuam; qualis eſt receptio actionum ſenſitiuarum, quæ perficiunt ipſum corpus.

11 Quæres 2; in quo conſiſtat claritas?

Reſp. *cum Beatiſſ. P. lib. 22. de Ciu. c. vlt.* docente: *Omnes illi, qui nunc latent, corporalis harmoniæ numeri, tunc non latebunt intrinſecùs, & extrinſecùs*; & *cum Fund. Doct. vbiſ.* claritatem eſſe quandam qualitatem lucidam luci Solis æqualem, vt habetur *Matt.* 13; & ideo intrinſecè, & extrinſecè illuminantem; quidquid dicat *Tannerus cum Scot. & Dur.* Sol enim lucet intrinſecè, & extrinſecè, quia diaphanus eſt; & quamuis corpora glorioſa retinebunt proprium colorem, quia facit ad perfectionem ipſorum; attamen ille color non erit opacus, ſed diaphanus; vt patet de luce lapidũ pretioſorũ, vt ſmaragdus præter diaphaneitatẽ habet colorẽ viridẽ, qui nõ impedit eius diaphaneitatem intrinſecã. Hæc autem diaphaneitas non tollet denſitatem, quia opponitur opacitati, non denſitati, cui opponitur raritas; vt patet de luce Solis. Erũt ergo corpora glorioſa intrinſecè clara, vt poſſint oculi illa penetrare, & delectari in viſione omnium partium tam harmonicè conſtituentium fabricam corporis humani.

12 An verò illa claritas ſit ſupernaturalis?

Reſp. *cum noſtris Argent. Luſit. Gibb.* eſſe ſupernaturalem, quidquid dicant *Io. à S. Tho. & Gonet*; nam profluet à viſione ſupernaturali; tum quia erit ſupra vires, & exigentiã totius naturæ.

13 Dices. Claritas corporis glorioſi videtur naturaliter ab oculis corporis non glorificati; vt patet *de Diſcipulis in transfiguratione Domini*; ergo non eſt ſupernaturalis.

Reſp. illam claritatem fuiſſe temperatam oculis *Diſcipulorum*; quia non immutauit eorum oculos, quantùm poterat immutare; vnde ſolùm ſecundùm aliquid apparuit, ſecundùm quod non ſuperabat vim viſiuam naturalem; & tamen *Diſcipuli* non valentes illam ſubſtinere ceciderunt. *Vid. Beatiſſ. P. lib. 13. de Ciu. c. 8.*

14 Quæres 3; in quo conſiſtat agilitas?

Reſp. *cum Beatiſſ. P. lib. 13. de Ciu. Dei c. 18.* conſiſtere in qualitate corpori impreſſa, per quã corpus ſubijcitur animæ, & obedit per ordinem ad motum localem ſine vlla defatigatione, & labore, aut reſiſtentia ad tendendum breuiſſimo tempore, quocunque illa voluerit.

15 An verò agilitas tollat pondus, & grauitatem à corpore?

Reſp. *Beatiſſ.P.ibid.* negatiuè; ſed illam ſibi ſubijcit, vt faciliter moueatur; ſicut enim per artem humanam effectum eſt, vt metalla non obſtante magna ponderoſitate quibuſdam modis, & figuris fabricata poſſint aquis ſuperuatare; & ſicut homo ſanus agilior eſt ad mouendum ſuũ corpus, quantunuis graue, quàm homo gracilis; nec ille ſentit pondus, quantùm iſte; ita anima beata non obſtante pondere ſui corporis poteſt agiliter illud mouere; & cùm ſit perfectiſſimè ſana ſalute ſupernaturali non ſentit pondus, nec laboris moleſtiam.

16 Per hanc dotem tamen corpus nequit moueri in inſtanti; quia neque ipſa anima, neque Angelus poteſt in inſtanti moueri; vt diximus *q.3.de Ang. art.4*; ergo multò minùs poteſt mouere corpus.

17 Quæres 4; in quo conſiſtat ſubtilitas?

Reſp. *cum Fund.Doct.in 2.diſt.8.q.2.art.4. in reſol.dub.1.lat.§.Prima via* conſiſtere in quadam qualitate, per quam excluditur craſſities, & poteſt corpus pertranſire loca quantunuis anguſta, imò & penetrare alia corpora non glorificata; quia decens non eſt vnum corpus glorioſum aliud penetrare.

18 Eſt contra *Gonet, noſtrum Gibb; apud quē alij Recentes*; qui confundunt ſubtilitatem cum claritate, & agilitate dicentes primum effectum ſubtilitatis eſſe reddere corpus liberum à concretione terrenæ labis; hoc autem præſtari à claritate manifeſtum eſt; corpus enim maculatum non eſt perfectè clarum, & lucidum, quia maculæ reſultantes ex fæcibus terrenis obſcuritatem important. Addunt dotem ſubtilitatis habere ſubiectare corpus ſpiritui, vt motori ipſius; at hoc conuenire agilitati, quę eſt in ordine ad motum, quis rationabiliter poſſet negare?

19 Prob. vlteriùs. Dos ſubtilitatis importat qualitatem, per quam corpora æquabuntur ſpiritibus; & ideo vocatur *ſpiritualitas*; ſed ſpiritus ita carent craſſitie, vt poſſint pertranſire loca quantunuis minima, imò & penetrare corpora; ergo dos ſubtilitatis importat qualitatem excluſiuam craſſitiei, per quam corpora poſſunt pertranſire loca quãtunuis minima, imò & penetrare corpora. Mi. eſt certa; & ma. habetur *ex Apoſt.* docente. *Reſurget corpus ſpiritale*; quod explicãt *SS.PP*; & *DD.* de ſubtilitate, quæ erit æqualis ſubtilitati ſpirituum; aliter non poſſet dici *ſpiritalis*.

20 Conf. Dicere, quòd penetratio debeatur moraliter doti ſubtilitatis, quatenus Deus virtute Diuina tenetur concurrere ad penetrationem ad beneplacitum animæ beatæ, eſt dicere; quòd anima beata poſſit cogere Deum ad patrandum miraculum toties, quoties voluerit; ſed hoc videtur repugnans illi ordini ſupremo ſtatus beatifici, ſupra quem non eſt alius ordo altior, & ideo in illo nihil miraculosè fit, & omnia miraculosè fiunt, quia omnia fiunt ſupra naturam; ergo dos ſubtilitatis importat penetrationem corporis.

21 Tandem prob; & ſimul euertitur ratio *Aduerſariorum*. Ideo ſubtilitas non importat penetrabilitatem, quia impenetrabilitas eſt paſſio quantitatis, quam non tollit à corpore ſubtilitas; ſed etiã corruptibilitas, opacitas, & pondus ſunt paſſiones ipſius corporis; quas non tollunt impaſſibilitas, claritas, & agilitas; quia corruptibilitas dicit accidentia contraria, quæ manent in corpore, vt vult *Gibb*; opacitas dicit quãtitatem molis, & pondus grauitatem; quæ licèt non tollantur, attamen ita ſubiectantur animæ beatæ, vt poſsit in corpora infundere impaſsibilitatem, claritatem, & agilitatem; ergo licèt ſubtilitas non tollat impenetrabilitatem à corpore; attamen impenetrabilitas ita ſubijcitur animæ, vt ipſa non obſtante poſsit efficere corpus penetrabile; non enim minùs opponitur impenetrabilitas penetrationi, quàm corruptibilitas incorruptioni; & opacitas diaphaneitati, ac tarditas ponderis agilitati.

Ad arg. ergo dicitur non implicare, quòd aliquod corpus ſit naturaliter impenetrabile, & per aliquam qualitatem ſupernaturalem fiat penetrabile; ſicut non implicat aliquod corpus naturaliter agile difficulter per aliquam qualitatem ſupernaturalem fieri agile faciliter.

22 Collig. has dotes non eſſe in corporibus damnatis, quia oriuntur à beatitudine, quæ in illis non eſt; imò torquentur à doloribus, & ideo non ſunt impaſsibiles, quanuis ſint incorruptibiles; torquentur horroribus, & ideo non habent claritatem; cruciantur pondere, & craſsitie; & ideo carẽt agilitate, & ſubtilitate; & ſiqua ex iſtis eis conuenire videatur, hoc eſt ad pœnam, non ad gloriam; & ideo non eſt dos gloriæ.

ART. IV.

Quid, & Quot ſint Aureolæ?

1 QVoad 1. aduertit *Fund. Doct. in 2. diſt.40.q.1. art.2*; quòd in patria datur duplex gaudium; aliud eſſentiale, quod eſt de bono increato, quod eſt Deus; & aliud accidentale, quod eſt de bono creato excellentiſſimo, & priuilegiato inter alia bona. Gaudium eſſentiale vocatur *Aurea*, ſeu *corona aurea* iuxta illud: *Corona aurea ſuper caput eius*. Gaudium accidentale dicitur *Aureola*, idèſt corona parua, & diminuta; ſicut enim Deus eſt ſummum bonum, & bonitas creata eſt parua, & diminuta; ita gaudium de Deo vocatur *Aurea*, idèſt corona maxima; & gaudium de bono creato vocatur *Aureola*, ſeu corona parua.

2 Definitur ergo Aureola *præmium accidẽtale priuilegiatum alicui inſigni victoriæ habitæ in hoc Mundo correſpondens*.

3 Quoad 2. triplex communiter admittitur

Au-

Aureola iuxta triplex opus inſigne, & heroicum habens priuilegium ſuper omnia alia opera; ſcilicet Martyriū, Virginitas, & Doctoratus; adeoque Eccleſia vtitur *palma* ad ſignificandam Aureolam Martyris, Lilio ad ſignificandam Aureolam Virginis; & Fulgore ad indicandam Aureolam Doctoris.

4 Vnica concl. Dantur Aureolæ in Beatis; quæ ſunt triplicis ſpeciei iuxta triplex opus egregium patratum à Sanctis in hac vita; ſcilicet Martyrium, Virginitatem, & Doctoratum.

5 Prob. 1. *ex Scripturis*; nam *Apoc.* 7. dicitur de Martyribus: *Amicti Stolis albis, & palmæ in manibus eorum*; & *c.* 14. de Virginibus: *Habentes nomen Agni, & nomen Patris eius ſcriptum in frōtibus ſuis*; & *Dan.* 12. de Doctoribus: *Qui docti fuerint, fulgebunt, quaſi ſplendor Firmamenti, & ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*; ſed præter iſtos nulla alia Aureola deſcribitur; ergo tres tantū ſunt Aureolæ.

6 Prob. 2. *ex Beatiſſ. P. epiſt.* 205. *ad Cirill. Ieroſol*; vbi poſtquam narraſſet, quòd cū quadam die inciperet epiſtolam *ad D. Hier*; eiuſque ſalutationem ſcripſiſſet; glorioſa *illius* anima eodem die defuncta ei apparuit, & pluribus horis cum eo locuta fuit circa gloriæ myſteria, de quibus eum interrogare per illam epiſtolam deſtinauerat; & poſtquam audiſſet *à Beato Seuero D. Martini Diſcipulo*, & à tribus eius ſocijs viſā fuiſſe eodem die animam illam aſcendentem in Cœlum iucundiſſimorum concentuum canticis comitatam, à Chriſto Domino, à Beatiſſ. Virgine, Angelis, Apoſtolis, Martyribus, & omnibus alijs Sanctis honorificentiſſimè exceptam; ait ſe meditanti, quanta eſſet gloria *D. Hieronymi*; an æqualis Apoſtolis, & *D. Io. Baptiſtæ*, quo nō ſurrexit maior inter Sanctos; id Dominū poſt quatuor dies in viſione aperuiſſe. Media igitur nocte ſomno correptus fuit *Beatiſſ. Pater*, ſtatinque affuit maxima Angelorū multitudo, inter quos duo erant viri fulgentes plus Sole infinito ita vniformes, vt nulla in eis videretur differentia, niſi quia vnus tria ſerta aurea ferebat in capite, alter verò duo tantùm; & primus, qui poſtea dixit ſe eſſe *D. Io. Baptiſtam*, ei dixit: *Hic certè meus ſocius, quem vides, Hieronymus ipſe eſt, qui ſicuti æqualis mibi in vita ſanctitate fuit, ita & per omnia in gloria æqualis eſt*, idèſt in gloria eſſentiali *&c. Sertum verò tertium, quod plus illo fero; Aureola Martyrij eſt, quo vitam finiui corporis. Qui etſi in Mundo labores plurimos, & ærumnas, afflictiones, verbera, contumelias, & hominum opprobia, & deriſiones, & cetera valde grauia, quæ ita pacificè pertulit, & ita gaudenter propter Deū, vt infirmitatibus exultaret, & verus martyr extiterit, & præmia martyrij non amiſerit; tamen quia gladio vitam non finiuit, Aureolam, quæ in ſignum datur martyrij, talis non habet. Serta verò duo alia, quæ habemus, Aureolæ ſunt, quæ ſolùm Virginibus, & Doctoribus dantur, vt ab alijs diſcernantur*; ergo nedum *ex Scripturis*, ſed etiam ex reuelationibus priuatis tres tantùm ſunt Aureolæ.

7 Prob. 3. *ex Fund. Doct. vbiſ.* Opera egregia, & excellenria ſunt tantùm triplicis generis; ſed Aureolæ tot ſunt, quot ſunt opera egregia, & excellentia; ergo Aureolæ ſunt tantùm tres. Prob. ma. Tot ſunt opera egregia, & excellentia, quot ſunt vires animæ, à quibus proficiſcuntur; & quot ſunt hoſtes, de quibus reportatur victoria; Aureola enim datur, tanquam præmium inſignis victoriæ; ſed vires animæ ſunt tantùm tres, alia enim eſt iraſcibilis, qua tēdimus in arduū, & aggredimur terribile, & quia terribilius omniū terribilium eſt mors *iuxta Phil.* 3. *Eth. c.* 6; ideo opus egregium, & excellens iraſcibilis eſt voluntaria ſuſceptio mortis pro Chriſti Fide, vt fecerunt ſancti Martyres. Alia concupiſcibilis, qua tendimus in puritatem vitæ illam conſeruando ab omni inquinamento carnis, vt faciunt Virgines. Alia rationalis, qua docemus, & inſtruimus alios in rebus Diuinis; ſic hoſtes perfectè ſubiugati ſunt tres; ſcilicet Mundus, de quo triumphāt martyres; caro, de qua triumphant Virgines; & Dœmon, de quo triumphant Doctores confutādo falſas illius doctrinas; & inſpirando veram intelligētiam legis Diuinæ; ergo opera egregia, & excellentia ſunt tantùm triplicis generis. Mi. patet; nam Aureolæ non tribuuntur quibuſcunque operibus, ſed tantùm excellentibus, vt dictum eſt.

8 Quæres, quot conditiones requirantur ad verum, & formale martyrium?

Reſp. tres conditiones requiri. Prima eſt mors ſecuta, vel naturaliter ſecutura, ſi à Deo impedita non fuiſſet; vnde licèt vulnera non ſint mortalia, aut afflictiones corporis non ſufficiant ad ſtatim inferendam mortem; ſi tamen continuentur vſque ad mortem, ſufficiunt ad verum martyrium; quapropter Eccleſia declarat Martyres eos, qui à tyrānis in carceribus, vel in exilium pulſi ærumnis confecti ſunt. Quòd ſi tales afflictiones non continuentur vſque ad mortem, non ſufficiunt ad verum martyrium, vt patet de de *D. Athanaſio*, & *noſtro D. Fulgentio*. Præterea iſtæ afflictiones debent eſſe à viſibili perſecutore; quia ſi inuiſibiliter fiant, non ſufficiunt ad verum martyrium; quapropter *Beatiſſ. Virgo*, licèt ipſius animam pertranſierit gladius acutiſſimus tempore paſſionis, quia tamen tale vulnus non fuit viſibile factum viſibiliter à perſecutore; ideo non fuit martyr formaliter, ſed eminenter, quia eius dolor, & paſſio ſuperauit omnium martyrū tormenta, & paſſiones; dolor enim animi maior, quia profundior, eſt omni dolore corporis.

9 Secunda cōditio eſt; quòd merè paſſiuè ſuſcipiatur mors pro confeſſione Fidei, vel pro aliqua virtute relata ad Fidem, & impugnata ab hominibus; quapropter milites Chriſtiani, qui glorioſè nunc pugnant contra Turcas in Hunga-

ricoRegno pro Fidei dilatatione,quãuis ad Martyrij dignitatem accedãt;attamen rigorosè Martyres nõ ſunt, quia martyrium ſubitur merè paſſiuè ſuſtinendo,& patiendo; non armis pugnando,vt habetur 2.*Cor*.10. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia,ſed ſpiritualia*.

10 Tertia conditio eſt in adultis voluntas ſaltem virtualis ſubeundi mortem pro Fide,vnde ſi quis etiam in odium Fidei occideretur ab Infideli ex improuiſo, & ille non cogitaret de morte,non eſſet verè martyr; Innocentes tamen ſunt veri martyres, quia erãt incapaces propriæ voluntatis,& ſicut non requiritur voluntas propria ad ſubeundum baptiſmum fluminis, ita non requiritur voluntas propria ad ſubeundum martyrium,quod eſt baptiſmus ſanguinis.

11 Quæres 2;quænam conditiones requirãtur ad veram Virginitatem?

Reſp. requiri perpetuam carnis incorruptionem immunem à quacunque delectatione venerea proueniente ex voluntaria ſeminis effuſione; & votum, vel ſaltem propoſitum hanc incorruptionem ſeruandi vſque ad mortem propter Deum; vnde requiritur incorruptio carnalis, & mentalis,& quanuis carnalis amittatur ex aliqua violentia, vel ex aliqua infirmitate, quia tamen illa amiſſio non eſt voluntaria,ideo ſeruatur virtus moralis Virginitatis, quanuis non ſaluetur incorruptio phyſica, & naturalis. E contra verò ſi quis habeat incorruptionem carnis, habeat tamen propoſitum nubendi, ſi moriatur incorruptus cum tali propoſito,nõ recipit Aureolam Virginitatis.Hæc autem eſt differentia inter incorruptionem carnis,& mẽtis;quòd iſta poteſt reparari,quia omnis virtus poteſt recuperari,illa autem nequit reparari ſaltem ſecundùm hunc ordinem rerum,an autem poſſit Deus de potentia abſoluta de corrupta virginem efficere, *vid. to.*1.*de Omnipot.Dei art*.5.

12 Quæres 3;quæ conditiones requirantur ad Doctoratum?

Reſp.requiri,quòd doceantur res Diuinæ, non propter gloriam temporalem,aut lucrum, aut propter aliquod aliud motiuum humanum, ſed propter meram Dei gloriam, & propter cõſeruationem,& dilatationem Fidei, ſiue ſcribendo,vel docendo,vel concionando, vel inſtruẽdo in Fide,& in rebus Diuinis, etianſi iſti non ſint Prelati,quibus hoc competit ex officio, aut Doctoratus laurea inter nos inſigniti.

13 Quæres 4;in quo ſubiectentur Aureolæ?

Reſp.ſubiectari in anima; ſunt enim qualitates ſpirituales expreſſiuæ victoriæ reportatæ in hac vita; ſeu ſunt gaudium accidẽtale de operibus egregijs, quibus triunpharunt de ſuis hoſtibus, vt dictum eſt *ſup.ex Fund.Doct*.gaudium autem ſubiectatur in voluntate, quæ eſt vna ex potentijs animæ; per redundantiam tamen deriuare etiam in corpus ornando illam partem corporis, quæ fuit principale inſtrumentum illius victoriæ.

14 Quæres 5; an Aureolæ ſint in Chriſto Domino?

Reſp.negatiuè; quia Aureola eſt quędam gloria diminuta; in Chriſto Domino autem eſt gloria ſecundùm omnem plenitudinem, & ideo in illo eſt *Aurea* omni Aureola excellentior, & pretioſior.

15 Quæres 6;an Angeli habeant Aureolas?

Reſp.negatiuè; quanuis enim ſint puriſſimi ab omni labe mẽtis;attamen quia ſunt incapaces corruptionis,ideo nõ habẽt Virginitatẽ,quę dicit incorruptionem carnis; & quanuis illuminent, inſtruant,& doceant alios Angelos inferiores,& homines,& vincant Dœmones tentatores; attamen non habent Aureolã Doctoratus; quia non confertur, niſi operibus meritorijs, quæ fiunt cũ labore; Aureola enim eſt præmium accidentale, quod reſpondet merito; & merces, quæ reſpondet labori;Angeli autem non ſunt in ſtatu merẽdi,nec ſunt capaces laboris.

16 Quæres 7; quænam Aureola ex his tribus ſit excellentior?

Reſp; quòd quanuis Virginitas ob diuturnitatem,& periculum ſit excellentior martyrio, propter quod *aliqui SS.PP*. eam videantur præferre martyrio, & ſic Aureola Doctoratus ob paſſiones ſeſiſibiles, quæ ſunt vincendæ, & ob Dœmonum ſuggeſtiones ſit maior; attamen ob pugnæ difficultatem, cui formaliter reſpondet Aureola,martyrij Aureola eſt dignior;quapropter ait *Beatiſſ.P.lib.de S.Virginit. c.46. Nemo tamen,quantùm puto,auſus fuerit Virginitatem præferre martyrio*; deinde Aureola dignior eſt Virginitas;& tandem Doctoratus.

ART. V.

De fructibus Beatitudinis.

1 NOn loquimur de fructibus Spiritus S; quos enumerat *Apoſt.ad Galat*.5;qui ſunt duodecim, nempe *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, lunganimitas, manſuetudo, Fides, modeſtia, cõtinẽtia, & caſtitas*; hæc enim ferè omnia ſunt propria ſtatus viæ, vt conſideranti poteſt patere. Neque de fructibus charitatis,quos conſtat eſſe bona opera, quæ à charitate,tanquam à radice, procedunt. Sed loquimur de fructibus, qui acquiruntur ſolùm in patria à beatis.

2 Fructus ergo beatitudinis definiri poteſt *bonum accidentale enaſcens multiplicatum in beatis,cùm gloriam acquirunt,propter aliquod bonum creatum dimiſſum,& contemptum in terra, dum erãt in via;ad quod bonum ſequitur in beatis gaudium accidentale*. Sumitur autem metaphora à grano tritici, quod ſi dimittatur in terra, enaſcitur multiplicatum; ſic qui ſæcularia contemnit propter Deum, *centuplum accipiet*; vt habetur *Matt*.19;ſuper quod *vid.D. Hier*.

3 Vnica concl. Præter Aureolas dantur fructus Beatitudinis,qui vocantur etiam *Euangelici*

eo,quia in Euangelio tradũtur; & sũt tres: idèſt fructus Coniugatorum,Viduarum, & Virginum.

Prob.1.pars concl. *ex Matt. 13;* vbi habetur: *Semen cecidit in terram bonam,& aliud dedit fructum cẽteſimum,aliud trigeſimum;* ſuper quod *Beatiſſ.P.lib.de S.Virginit. c.45.* docet: *Sed quidquid ſignificet fœcunditatis illa diuerſitas, viderint,qui hoc meliùs,quàm nos intelligunt; ſiue virginalis vita in centeno fructu ſit, in ſexageno vidualis,in triceno autem coniugalis;ſiue centena fertilitas martyrio imputetur, ſexagena continentiæ, & tricena connubio:ſiue virginitas accedente martyrio centenum fructum impleat;ſola verò in ſexageno ſit; coniugati autem tricenum ferentes ad ſexagenum perueniant,ſi martyres fuerint,* vbi inter alias expoſitiones ponit primam allatam in cõcl; vt patet; ergo fructus beatitudinis dãtur in beatis. Quòd autem diſtinguantur ab Aureolis, deducitur ex eo, quòd iſti conueniunt coniugatis, & viduis, quæ nec Martyres, nec virgines, nec Doctores ſunt; & ideo eis non conueniunt Aureolæ,ſed fructus ſolummodò.

4 Prob. 2. pars, Fructus in eo ſenſu,quo *hic* accipitur,eſt donum ſpirituale redditum pro dimiſſione, & contemptu alicuius boni carnalis; quapropter *D.Hier.in Matt.c.19.*ait: *Qui carnalia pro Saluatore dimiſerit,ſpiritualia recipiet,quæ comparatione,& merito ſui ita erunt, quaſi ſi paruo numero centenarius numerus comparetur;* ſed dimiſſio, & contemptus alicuius boni carnalis eſt continentia formaliter;nam vel eſt continentia ſimpliciter ab omni inquinamento carnis, & ſic eſt virginitas; vel tantùm ſecundùm quid; & hoc dupliciter:vel ab inquinamento carnis tantùm illicito,& prohibito, non tamen à copula licita,& conceſſa,& ſic eſt coniugium;vel ab omni inquinamento ſolùm pro tempore pręſenti, & futuro, nõ tamen à copula carnis licita pro tempore pręterito; & ſic eſt viduitas; ergo fructus beatitudinis ſunt tres, ſcilicet Virginitatis, Viduitatis,& Coniugij.

5 Collig.fructus beatitudinis ſpeciali ratione conuenire continentiæ propter rationem allatã.

ART. VI.

De Reſurrectione corporis quæſita.

1 QVæres 1; qualis futura ſit caro poſt reſurrectionem?

Reſp.*Beatiſſ.P.in pſ.62.*carnem futuram eſſe incorruptibilem,ſine aliqua alteratione indefectibilem, ſine fatigatione agilem, ſine morbo perfectè ſanam,ſine cibo perfectè ſatiatam, compotem cuiuſcunque delectationis honeſtæ,& cuiuſcunque doloris expertem. *Vid. lib. 1.Confeſſ.*

2 Quęres 2; an caro vnius hominis comeſta ab altero homine reſurget in corpore comedente,vel in comeſto?

Reſp.*Fund. Doct. Quodl.5.q.27.* reſurrecturam in corpore comeſto;Deum autem reproducturum alteram carnem loco illius in corpore comedẽte; quia illa caro propriè ſpectat ad corpus comeſtum, cùm in illo inceperit; non autem ad corpus comedens,quod veluti mutuò illam accepit.*Vid.Beatiſſ.P.lib.22.de Ciu.Dei c.20.*

3 Quęres 3; quomodò corpora reſurgent ſpiritalia?

Reſp.*Beatiſſ.P.lib.13. de Ciu.Dei c.20.* fore ſpiritalia,non quia corpus conuertendum ſit in ſpiritum; ſed quia ita ſubdetur, & vnietur ſpiritui indiſſolubiliter, vt ex hac vnione inſolubili contracturum ſit immortalitatem propriam ipſius ſpiritus;& ideo viuet vita ſpiritus.

4 Quæres 4; an corpora reſurgent cum ſuis defectibus naturalibus, vel contractis ex aliquo accidente?

Reſp.*Beatiſs.P.lib.22.de Ciu. Dei c.20.* negatiuè,nam nulla deformitas erit in eis,quæ eſſet obiectum triſtitiæ; ſed elegans pulcritudo,quæ erit obiectum lætitiæ.

5 Quęres 5; an cicatrices remanebunt in corporibus Martyrum?

Reſp. *ibid.* corpora Martyrum reſurrectura cum omnibus membris integris; quia dicitur *Luc.21.Capillus capitis veſtri non peribit.* Signa tamen cicatricũ apparebunt,quę erunt tam ſplẽdida, vt non deformitatem, ſed pulcritudinem ſint pręſelatura; erunt enim indicia virtutis, & ideo venuſtatẽ propriã illius virtutis oſtendent.

6 Quæres 6;an reſurgent cum vitijs?

Reſp.*in Enchir. c.90.* negatiuè; nam uitia actualia ſunt deformitates, quarum nulla erit in corpore glorioſo; & vitia habitualia non erunt; quia tunc corpus erit perfectè ſubditum ſpiritui ei indiſſolubiliter obtemperans, & ideo nulla erit concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum,ſed ſumma obedientia, & pax concordiſſima.

7 Quæres 7;an æqualis ſtatura,& figura erit in omnibus corporibus?

Reſp.*lib.22.c.14.& 15.*corpora futura eſſe cum eadem figura,& ſtatura,quam vel habuerũt in ætate plenitudinis ſuæ vitæ, ſi mortui ſint ſenes;vel habitura erant, ſi ad illam perueniſſent, antequam morerentur. Notat autem *ibid. c. 4;* quòd plenitudo ætatis eſt triginta annos circiter vſque ad triginta tres,uſque ad quos uolunt aliqui doctiſſimi Viri durare iuuentutem; & poſt quos uita incipit decreſcere.Vnde corpora erũt inæqualis ſtaturæ; non enim omnia corpora in plenitudine ſuæ ætatis habuerunt,uel habitura erant eandem ſtaturam.

8 Quęres 8;an fœminę reſurgent in ſexu fœmineo,& uiri in uirili?

Reſp.*ibid.c.17.* affirmatiuè;quia fœmina,& vir ab initio creati fuerunt; & ideo debuerunt ſic reformari.Tum quia fęmina,& vir fuerunt inſignia Chriſti,& Eccleſię,vt docet *Apoſt.Ephe ſ.4;* & ideo remanere debent in Eccleſia triunphãte, quæ non debet carere ſuis inſignibus, quæ ſpectabunt ad gloriam; cuius participes nos facere miſericordia Dei infinita dignetur. Amen.

DE

DE ACTIBVS HVMANIS.

ACtionum humanarum tantus eſt valor, vt æternitatis ſit pretium; & quanuis breuiſſimo fiant, ac menſurentur temporis ſpatio, merces tamen eis debita nullis præfinitur durationum limitibus. Ea illarum dignitas eſt, ſi charitate formentur; vt nihil minus Deo carum ſit præmium; ſed æqua pariter indignitas, ſi praua intentione vitiētur, vt nihil lenius æternitate pœnarum eis debeatur. Viæ ſunt, quibus tendimus ad vitam nulla morte extinguendam; ſed per ipſas quoque à vita obliquantes exorbitamus ad mortem nulla vita finiendã. Media ſunt, quibus iungimur Deo, ſi in Deum dirigantur, ſed per ipſa etiã à Deo per immenſum chaos ſeiungimur, ſi à Deo deordinent. Tanquam lineæ, quæ ad centrum beatæ quietis nos ducunt, ſi rectæ efformentur; ſed ſi curuæ declinent ad vitia, ad circunferentiam dolorum nos deferunt. Felicitatis, & infelicitatis horoſcopi, quorum momento gloria, vel pœnarum æternitas appenditur; quorum auſpicio vel æternus bonorum oriens, vel perpetuus malorum occaſus ſine ambiguitate prædicitur. Biuia ſalutis, ac damnationis ſemita ad vtranque exitu perducit amphibio. Sicuti nanque (vt fert *Adagium*) *eadem via, qua Thebis itur Athenas, Athenis Thebas reditur*, ſi conuerſio in auerſionem mutetur; ita eadem actione, ſi per amorem conuertamur in Deum, cumulum omnium bonorum conſequimur; ſi verò ab ipſo ad mundi auertamur illecebras, ad omnium exitum malorum deuehimur. Accidentia ſunt, ſed ſine ipſis hominis ſubſtantia deperditur; corrumpuntur, ſed ſunt vitæ incorruptibilis ſemita, quæ ſine corruptione non vegetat. Mirabilis earum copia, ceu graphicè diſcriminata florum varietas, hominis animum eleganter exornat; aut ſtellarum differentium ad inſtar multiformi ſpecioſitate condecorat. Sed ſi eis rectitudinis debitæ ordo deficiat, nullus decor, aut venuſtas, ſed turpitudo apparet vndequaque deformis. Aptiſſimum huius rei exemplar ab arte Pictoria licet mutuare; quæ paruulis effoſſis canalibus pulcherrimi hominis effigiem pingit in plano; & in obliquitatibus concauitatum reſpicientibus latera teterrimi imaginem monſtri; tunc ſi recto inſpiciatur diametro, facies humana; ſi per obliquum, monſtruoſa conſpicitur. Ita actio humana ad ſuum ordinata principium hominem refert ceteris creaturis venuſtate, ac dignitate præſtantem; ſin autem ab illo ad obliqua vertatur, non hominis, ſed laruæ horribile ſpectrum oſtendit. Quemadmodum ergo colores faciem corporis formant; ita actiones animæ vultum effingunt. Illi admiratione dignum, ſi ſint rectè diſpoſiti, reddunt corpus, auerſione autem ſi malè, iſtæ laudem animæ merentur, ſi rectè; opprobrium verò, ſi peruersè ſint ordinatæ. De iſtis itaque eſt nobis agendum, vt eos doceamur ſuum dirigere in finem; ne in hoc ſæculo vitæ laudabilis, & in alio beatiſſimæ pretio fraudemur, & præmio.

QVÆSTIO I.

De actibus humanis in communi, ſeu voluntario, & inuoluntario.

QVanuis omnes actus, qui fiunt ab homine, actus humani rectè queant vocari; quia omnis effectus denominationem ſuæ cauſæ ſortitur; attamen quia aliqui actus hominis fiunt modo communi homini, & brutis, ſcilicet neceſſariò, & determinatè ad vnum; alij verò fiunt modo conueniente ipſi homini, prout diſtinguitur à brutis, ſcilicet liberè; quomodò fieri nequeũt à brutis, in quibus libertas non reperitur; ideo actus, qui fiunt ab homine, diſtingui ſolent in actus hominis, & actus humanos; & nomine *actus hominis* ſignificantur actus neceſſarij, qui in modo agendi communicant cum brutis; & nomine *actus humani* ſignificantur actus liberi, qui fiunt ex deliberatione, & habent modum agendi diuerſum à modo agendi, qui conuenit brutis. Quia autem libertas formaliter reſidet in voluntate; ideo nomine *actus humani* ſignificantur actus voluntatis ſiue eliciti, ſiue imperati; vtrique enim dependent in fieri à voluntate. Quoniam autem actus voluntatis generaliter conueniunt in ratione voluntarij; & ſpecificè differunt ſecundùm proprias eorum rationes; cùmque à generibus ad ſpecies ſit procedendum; ideo priùs agendum eſt de voluntario, & inuoluntario; deinde de differentijs eorum ſpecificis.

ART. I.

Quid, & quotuplex ſit voluntarium?

1 DVo proponũtur *in titulo*; quæ *diſtinctis* §. ſunt explicanda; proponuntur autem *in eodem art*; quia diuiſio datur ad venandam definitionem; *& vbi vnũ propter aliud, vtrobique vnum tantùm*.

§. 1.

Quid ſit voluntarium.

1 NOt; quòd non ſumitur *hìc* voluntarium, prout diſtinguitur à coacto, ſeu violento; ſic enim idem eſt, ac naturale; & importat ſolùm inclinationem in aliquod, quod ſuapte natura ei competit; ſic terra germinat, la-

pis

pis ſuapte natura tendit deorſum;& in hoc ſenſu voluntarium dicitur metaphoricè. Sumitur ergo,prout aliquo modo ſupponit cognitionem; cùm enim voluntas ſit quædam inclinatio, ſeu appetitus eſſentialiter ſequens ad formam apprehenſam;ideo voluntarium,quod dicitur à volunrate, ex ſua ratione importat tendentiam in aliquod obiectum ſequentem aliquam cognitionem.Hæc etiam eſt latiſſima acceptio uoluntarij; ſicut enim cognitio, prout præſcindit à cognitione intellectiua,& ſenſitiua,eſt cognitio latiſſimè ſumpta;nam ſtrictè ſumpta dicitur ſolùm de intellectione;ita uoluntarium ſequens ad cognitionem pręſcindentem à cognitione intellectiua, & ſenſitiua latiſsimè dicitur;& idem eſt,ac ſpontaneum; quod conuenit etiam brutis; ut docet *Beatiſſ.P.lib.7.de Gen.ad lit.c.16.*docente:*Sed iſte motus non eſt ſpontaneus,qualis ille,qui ſenſui copulatur;& Phil.3.Eth.c.1.*

3 In hac acceptione definitur *voluntarium illud,quod eſt à principio intrinſeco ſuppoſita cognitione*. Hæc definitio accipitur communiter uno excepto *Almaino apud Vaſq;* tradente definitionem uoluntarij liberi; & deducitur ex illa,quam tradit *Phil.3.Eth.c.1.*dicens: *Voluntarium eſt id, cuius principium eſt in ipſo agente cognoſcente particularia* (uel *ſingula*, ut *alij* legunt) *in quibus eſt actio;* hæc enim definitio competit ſolùm uoluntario perfecto (quidquid dicat *quidam Recēs ex noſtris*)quod ſequitur cognitionem perfectā; tum quia *Ariſt.ibid.*definit uoluntarium dignum laude,& uituperio, quod non eſt,niſi uoluntariū liberum,& ideo perfectum; tum quia pueri, & bruta non cognoſcunt ſingula circunſtantia ſuas actiones,aliter non carerent uſu rationis,aut ratione;ſed haberent inquiſitionem,iudicium,conſultationem &c.Conficitur ergo definitio uoluntarij genericè ſumpti detrahendo illas particulas *ſingula*,uel *particularia,in quibus eſt actio*.

4 Explicatur autē hęc definitio. Dicitur. 1. *Quod eſt à principio;*quo denotatur uoluntarium formaliter importare actionem,de cuius ratione eſt eſſe à principio;quapropter generatio Filij in Diuinis non eſt voluntaria,vt inquit *Fund.Doct;* quia non eſt actio elicita,vel imperata à voluntate Patris, quanuis voluntas Patris maximè ſibi de illa complaceat; nam complacentia non cauſat id,circa quod verſatur,ſed diſparatè ſe habet ad illius productionem; vnde licèt ipſa complacentia, quia eſt actus elicitus à voluntate, ſit voluntaria; attamen obiectum illius non eſt voluntarium,quia non eſt effectus illius; & ideo obiectum dicitur voluntariè uolitum, non autem uoluntarium. Per hoc reijcitur diuiſio,qua *Sua.* diuidit uoluntarium, vt obiectum, & vt actus; & euertitur etiam doctrina aſſerentium voluntariū propriè competere ſolùm actibus imperatis,non elicitis eo,quia potiùs dicendi ſint voluntas,quā voluntarij. Euertitur, inquam; nam ex eo, quòd actus elicitus dicatur voluntas, non ſequitur, quòd propriè non ſit actus uoluntatis; ergo neque quòd propriè non ſit voluntarius.Imò cùm actus elicitus tantùm translatiuè dicatur uoluntas; transfertur enim nomen cauſæ ad ſignificandum ipſum effectum, cùm uoluntarium dicatur ſolùm de actu uoluntatis;ideo propriè de illo dicitur,de quo impropriè dicitur uoluntas.

5 Actio igitur, in qua formaliter conſiſtit voluntarium,uel eſt elicita,uel imperata, uel poſitiua,uel priuatiua, ut eſt omiſſio actionis ponēdæ;uel formalis,uel imputatiua,aut interpretatiua;ut cùm quis urgente præcepto audiendi Miſſam ſciens omittit; tunc illa omiſſio imputatur ad culpam, ac ſi poſitiuè uoluiſſet non audire Miſſam.

6 Dicitur 2. *A principio intrinſeco*; ut diſtinguatur à uiolento,& à coacto,quod eſt à principio extrinſeco,ut *inf.*

7 Dicitur 3. *Suppoſita cognitione*; ut diſtinguatur ab actione naturali,quę licèt habeat principium intrinſecum,attamen non eſt uoluntaria, quia non ſequitur ad cognitionem; ut patet de nutritione, augmentatione, & generatione in plantis: Dixi *in plantis*; quia in homine poſſunt eſſe actiones aliquo modo imperatæ à uolūtate, & ideo uoluntariæ. Præterea per hoc indicatur voluntarium conſiſtere in actione elicita à principio appetitiuo, de cuius ratione ſolū eſt ſequi formam apprehenſam.

8 An autem ad rationem uoluntarij requiratur eſſentialiter,quòd illa actio ſit uolita, contentio fuit inter *Sua;& Vaſq;*nam *Sua.* opinatus fuit, quòd omne uoluntarium ſit uolitum; quia actio,in qua conſiſtit uoluntarium, poteſt conſiderari,ut qualitas;& ut actio,ſeu ut dependens à voluntate;nam illa qualitas eſt actio,in quantùm dependet à uoluntate; unde,ut qualitas,eſt uolūtaria;& ut dependens,eſt uolita. Addit,quòd illa actio nedum elicitur à uoluntate,ſed etiam recipitur in uoluntate,redditque illam actu uolentē; adeoque ut elicitur,eſt uolūtaria;& ut recipitur, eſt uolita per quandam uirtualem reflexionem ſupra ſe ipſam; non enim poteſt uoluntas uelle aliquod obiectum, quin virtualiter ipſam uolitionem uelit in ſe ipſa recipere.

9 Si ei inſtetur de actibus per modum fugę; reſp.illos eſſe nolitiones formales mali,à quo fugit;eſſe tamen uolitiones uirtuales ſui; tum quia licèt iſti actus explicentur negatiuè,ſunt tamen actus poſitiui.

10 *Vaſq.*verò aſſerit,quòd licèt actus imperatus ſit ſimul uoluntarius,& uolitus; non tamen verificatur de actu elicito.1.Quia falſum eſt productionem uolitionis eſſe uolitionem formaliter; ergo falſum eſt illam actionem, ut qualitas eſt, eſſe uolitam per ſuam productionem.3.Quia uolitum eſt,quod obijcitur uoluntati, ut appetatur; vnde ſi Deus infunderet in uoluntatem aliquam actionem,ut qualitas,non haberet rationem uoluntarij,quia non eſſet à principio intrinſeco,ſed ex-

Digitized by Google

extrinſeco. 4. In actibus fugæ falſum eſt; nam aliud eſt uelle non peccaſſe; aliud uerò nolle peccaſſe.

11 Sed iſtæ duæ opiniones continent multa, quæ *in noſtra Schola* ſubſtineri nõ poſſunt. 1. Falſum eſt, quod dicit *Sua*; ipſam actionem, vt qualitas eſt, produci à voluntate; nam, vt diximus *q.2. de Beat. art.3*; ſecundum hanc rationẽ ab obiecto ſolùm producitur. 2. Falſum eſt illam actionem, vt eſt qualitas recepta, eſſe volitam; nã voluntas reſpectu voliti actiuè ſe habet, in tantũ enim vult aliquid, in quantùm actiuè tendit in illud, ergo paſſiuè recipiendo non dicitur velle, quanuis poſſit per alium actum velle ipſam receptionem, ſed tunc ipſa receptio ſe habebit, vt obiectum imperatum, & ideo habebit rationem voliti.

12 Sic etiam falſum eſt 1; quod dicit *Vaſq*; actum elicitum non poſſe habere rationem voliti; quia poteſt quis intendere amorem Dei; tunc ille actus, prout intentus à voluntate, habet rationem voliti; & prout elicitus, habet rationem voluntarij. 2. Falſum eſt productionem amoris non eſſe ipſum amorem; quanuis enim actus, vt qualitas, & vt actio, importet duas rationes, ſeu reſpectus ad plures cauſas; attamen eadem entitas eſt realiter cum diuerſo reſpectu. 3. Falſum eſt actionem infuſam à Deo non habere rationẽ voluntarij, prout elicitur à voluntate, quanuis nõ prout infunditur; & ſic falſum eſt actionem infuſam, vt qualitas eſt, non poſſe eſſe à principio intrinſeco, vt actio vitalis eſt. Vt igitur appareat, quid ſit dicendum.

13 Vnica concl. Optimè definitur voluntarium generaliter ſumptum per *eſſe à principio intrinſeco ſuppoſita cognitione*; & requiritur ad rationem illius, quòd ſit volitũ, vt *quo*, vel vt *quod*, non autem ſemper, vt *quod*. 1. Pars concl. ſatis explicata, & probata eſt.

Prob. 2. pars. Eſſe volitum, vt *quo*, eſt eſſe id, quo voluntas vult aliquod obiectum; ſed de ratione voluntarij eſt eſſe id, quo voluntas vult aliquod obiectum; ergo de ratione voluntarij eſt eſſe volitum, vt *quo*. Prob. ma. Eſſe productum, vt *quo*, eſt eſſe id, quo aliquid producitur; vt calor eſt id, quo ignis producitur in ligno; ergo eſſe volitum, vt *quo*, eſt eſſe id, quo voluntas vult aliquod obiectum; & hoc patet ex explicatione terminorum. Prob. mi. Actio volũtaris eſt id, quo voluntas vult aliquod obiectum; ſed voluntariũ eſt actio voluntatis, vt *ſup.* dictum eſt; ergo voluntarium eſt id, quo voluntas vult aliquod obiectum.

14 Explic. magis. Voluntarium vel eſt actus elicitus, vel imperatus; ſed actus elicitus eſt volitus, vt *quo*, & imperatus eſt volitus, vt *quod*; quia actus elicitus eſt id, quo volumus aliquod obiectum; & actus imperatus eſt obiectum volitum ab ipſa voluntate per actum elicitum; vterque autem ex his actibus eſt à volũtate, quæ eſt principium intrinſecum vtriuſq; ſupponendo cognitionem; ergo de ratione voluntarij eſt eſſe volitum, vt *quo*, ſi ſit actus elicitus; vel volitum, vt *quod*, ſi ſit actus imperatus.

15 Prob. 3. pars concl. 1. Ad rationem voluntarij ſufficit, vt ſit à principio ſuppoſita cognitione, vt dicitur in eius definitione; aliter eius definitio eſſet inadæquata, & diminuta, & ſic non eſſet bona; quod eſt redarguere *omnes Philoſophos, & Theologos communiter*; hæc enim definitio traditur ab omnibus; ergo ad rationem voluntarij non requiritur, quòd ſemper ſit volitum, vt *quod*; nam illud non pertinet ad rationẽ alicuius rei, quod non pertinet ad eſſentiam illius; & illud non pertinet ad eſſentiam, quod nõ pertinet ad definitionem, cùm definitio ſit oratio explicans eſſentiam rei; imò ſit ipſa eſſentia rei explicata. Quod autem non pertinet ad eſſentiã rei, accidentaliter ad illam ſe habet; & ideo ſi eſſe volitum, vt *quod*, non pertinet ad eſſentiam voluntarij, *vt ſic*, accidentaliter ſe habet ad illud.

16 Conf. Eſſe volitum, vt *quod*, pertinet ad rationem voluntarij imperati, vt dictum eſt; ergo accidentaliter ſe habet ad rationem voluntarij, *vt ſic*; quia voluntarium imperatum eſt differentia diuidens voluntarium, *vt ſic*; differentia autẽ accidit generi per modum qualis, quia prædicatur *in quale quid*, vt dicitur *in Logica*; ſicut rationalitas non pertinet ad rationem formalem animalitatis, *vt ſic*; aliter non poſſet reperiri animalitas in aliquo, in quo non eſſet rationalitas; & ſic rationalitas eſſet in cane, equo &c; quapropter dicitur *in Logica* genus non includere in ſuo conceptu formali differentias.

17 Prob. 2. euertendo fundamentum *Sua*. In tantùm omne voluntarium eſt volitum, in quantùm omnis actus elicitus etiam directus, & immediatus eſt volitus per virtualem reflexionem; ſed hoc etiam admiſſo nõ habetur intentum; ergo non omne volũtarium eſt volitum. Prob. *mi.* Illa virtualis reflexio eſt voluntaria, quia eſt à voluntate; eſt enim actus virtualis ipſius voluntatis, vt patet; & tamen non eſt volita per aliam reflexionem virtualem, & ſic in infinitum; ergo non omne voluntarium eſt volitum.

18 Reijcitur tãdẽ rationibus allatis *n.* 11; quæ oſtẽdunt ſententiã *Sua.* inniti falſo fundamento.

19 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Definitiõ allata conuenit alijs à definito; ergo non eſt bona. Prob. ant. 1. Omnis cognitio etiam indeliberata eſt à principio intrinſeco cum cognitione, cùm ipſa ſit cognitio; & tamen non eſt volũtaria, quia ad illam non concurrit voluntas. 2. Aſſenſus cõcluſionis eſt à principio intrinſeco, & ſupponit cognitionem præuiam principiorum; & tamen non eſt voluntarius, ſuppoſito, quòd non ſit imperatus à voluntate. Et ſi dicatur aſſenſum ſupponere cognitionem principiorum, non autem cognitionem ſui; voluntarium verò ſupponere cognitionem ſui. Contra eſt. Iudicium ſupponit præ-

præuiam cognitionem ſui, & tamen non eſt voluntarium; ergo nulla reſponſio.

Reſp.neg.ant. Ad 1.prob. diſt. ant. Omnis cognitio etiam indeliberata eſt à principio intrinſeco per modum appetitus, & inclinationis, ſicut eſt voluntarium, neg; nam appetitus, & inclinatio ſupponit, & ſequitur formam apprehẽſam, non autem eſt apprehenſiua ipſius formæ; quia de ſe eſt potentia cœca, & ideo nequit apprehendere. Eſt à principio intrinſeco per modum apprehenſionis, conc; Et ſic ad 2; & ad replicam.

20 Obijc.2.Occiſio inimici facta *à Sorte* me volente, & gaudente eſt mihi voluntaria, & tamen non eſt effectiuè à me, quia mea voluntas non influit in illã effectiuè, ergo falſum eſt, quòd voluntarium ſit à principio intrinſeco. Prob.ant. Illa occiſio imputatur mihi ad peccatum; ergo eſt mihi voluntaria; nam vt docet *Beatiſſ.P.lib.3. de lib.arb.c.8; Non eſt peccatum, niſi ſit voluntariũ. 2.D.Dam.lib.2.de Fid.c.*24.ait eum, qui incidenter inuenit theſaurum, ſponte quidem incidiſſe, quia libenter incidit, non tamen ex electione; ergo ad rationem ſpontanei, ſeu voluntarij non requiritur, quòd ſit à principio intrinſeco.

Reſp.ad 1.diſt.ant. Si mea voluntas conſuluit, vel aliquo alio modo moraliter influxit in occiſionem, conc; ſi nullo modo influxit, neg; eſt enim tantùm volita, non voluntaria. Ad prob. dicitur, quòd ille actus gaudij, & volitionis eſt peccaminoſus, & ideo mihi voluntarius; vnde ille actus eſt mihi peccatum; occiſio autem eſt obiectum peccati, non autem mihi formaliter peccatum; nam ſi non gauderem poſita tali occiſione, non peccarem. Ad 2.dicitur eodem modo *ly* ſpõte cadere ſupra gaudium inuentionis theſauri, quæ eſt voluntaria, non autem ſupra ipſam inuẽtionem, quæ vtique eſt volita, non tamen voluntaria, quia non eſt ex electione.

21 Obijc.3.Actus fugæ circa malum non eſt voluntarius, quia malum eſt contra voluntatem; & tamen ille actus eſt intrinſecè à voluntate. 2. Dolor de malo in damnatis eſt ab ipſorum voluntate, & tamen non eſt voluntarius; quia talis dolor pertinet ad pęnam ſenſus; pęna autem infligitur contra voluntatem; ergo non definitur rectè voluntarium.

Reſp.ad 1.neg.aſſumpt; aliud enim eſt malum eſſe contra voluntatem; & aliud actum fugę à malo eſſe contra voluntatem; quia malum eſt obiectum talis actus; & actus fugę eſt receſſus à malo; receſſus autem à malo eſt bonus, & ideo voluntarius; ſicut receſſus à bono eſt malus, & ideo voluntas nequit recedere à bono, vt bonum eſt, ſed ſolùm prout habet rationem mali adiunctam. Ad 2. dicitur actum doloris, & triſtitiæ ſpectare ad pęnam ſenſus, quatenus inuoluntariè infligitur damnatis; non quatenus ab ipſis voluntariè elicitur, quia eliciunt actum doloris, quatenus nollent illis pęnis cruciari; vnde ſimiles actus ſunt mixti ex voluntario, & inuoluntario; ſicut volitio, qua quis metu naufragij proijcit merces in mare, eſt voluntaria, quatenus vult vitam ſeruare; & inuoluntaria, quatenus nollet merces amittere, vt *inferiùs* dicemus.

§. 2.

Quotuplex ſit voluntarium?

22 Voluntarium generaliter ſumptum diuiditur. 1.in perfectum, & imperfectum. *Ita Fund.Doct.in 2.diſt.25.q.1.art.2. ad 3*; vbi obſeruat, quòd *Phil.3.Eth.c.1*; poſtquã dixit, quòd pueri, & animalia bruta non operantur voluntariè, ſubdit, quòd pueri & alia animalia voluntariè communicant. *In quo* (infert *B. Doct.*) *planè datur intelligere, quòd nõ voluntariè agunt; licèt videantur de voluntario aliquid participare.* Ratio huius eſt; quia cùm voluntarium ſit inclinatio ſequens formam apprehenſam; ſicut duplex eſt apprehenſio, ſcilicet intellectiua, & ſenſitiua; ita duplex eſt inclinatio ſequens duplicem apprehenſionem, nempe intellectiua, quæ dicitur voluntas, à qua, tanquam à perfectiori, & nobiliori, ſumitur denominatio voluntarij; & ſenſitiua, quæ dicitur appetitus ſẽſitiuus; ſed apprehenſio ſenſitiua eſt imperfecta; & intellectiua eſt perfecta; ergo voluntariũ aliud eſt imperfectum, aliud perfectum. Tum quia illud, quod de aliquo dicitur ſimpliciter, eſt perfectius, quàm illud, quod dicitur ſolùm ſecundũ quid; vt patet de calore, qui dicitur ſimpliciter de igne, & ideo habet eſſe perfectius in illo; & de aqua, de qua dicitur ſecundùm quid, ſeu participatiuè, & ideo habet eſſe imperfectè in illa; ſed voluntarium *ex Phil.* non dicitur ſimpliciter de pueris, & brutis, ſed tantùm communicatiuè, participatiuè, & ſecundùm quid; ergo voluntarium in pueris, & brutis habet eſſe imperfectè; in naturis verò habentibus vſum rationis habet eſſe perfectè.

23 Quæres; an hæc diuiſio ſit eadem, ac illa, qua ſcilicet diuiditur *à pluribus Recentibus etiã ex noſtris* volũtariũ in improprium, & proprium ita, vt volũtarium imperfectum ſit improprium, & ideo ſolùm impropriè competat pueris, brutis, & amentibus?

Reſp.negatiuè; voluntarium enim, licèt imperfectè competat pueris, & brutis, attamen propriè illis competit; ſicuti licèt apprehenſio imperfectè illis competat; attamen propriè illis competit apprehendere; & ideo illis propriè cõpetit appetitus ſenſitiuus, quamuis hic appetitus ſit imperfectus reſpectu appetitus intellectualis; & ſic voluntarium, quod importat actionem appetitus ſequentem apprehenſionem, eodem modo dicitur, quo dicitur actio appetitus; ſed hæc dicitur propriè de brutis, & pueris, alijſque rationis vſu carentibus; ergo & voluntarium. 2. Licèt ens dicatur imperfectè, participatiuè, & ſecundùm quid de accidente; attamen propriè di-

citur,non metaphoricè;ſic calor de aqua &c;ergo à pari. 3. Si voluntarium non diceretur propriè de pueris,& brutis, maximè, quia voluntariè agere eſt ſe determinare, & ſe mouere ab intrinſeco cum poteſtate ad oppoſitum; & ideo agere volūtariè eſt agere ex electione, hæc enim eſt ratio *Aduerſariorum*;ſed hoc verificatur ſolū de voluntario libero, non de omni voluntario propriè dicto;aliter Deus, & Beati non amarent maximè voluntariè Diuinam eſſentiam propriè loquendo,quod eſt falſum,vt *inf.*videbimus; ergo nulla eſt ratio *Aduerſariorum* negandi pueris, & brutis rationem voluntarij propriè dicti, licèt imperfecti.4.Actionibus puerorum,& brutorum competit definitio voluntarij; ergo propriè ſunt voluntariæ;pratis enim,quæ impropriè dicuntur ridentia, non conuenit definitio riſus. Tandem conf.ex auctoritate *Beatiſſ.P.lib.5. de Ciu. Dei c.9*; vbi ait:*Iam verò cauſæ voluntariæ, aut Dei ſunt,aut Angelorum, aut hominum, aut quoruncunque animalium; ſi tamen appellandæ ſunt voluntates animalium rationis expertium motus illi, quibus aliqua faciunt ſecundùm naturam ſuam, cùm quid boni, maliue vel appetunt, vel euitant.*Et paulò poſt.*Per hoc colligitur non eſſe cauſas efficientes omnium,quæ fiunt,niſi voluntarias illius naturæ, ſcilicet quæ ſpiritus vitæ eſt; nam & aer iſte, ſiue ventus dicitur ſpiritus; ſed quoniam corpus eſt,non eſt ſpiritus vitæ.* Ex quibus patet voluntarium propriè reperiri in viuentibus rationis vſu carentibus,quanuis illæ actiones,ſeu motus vitales nequeant dici volitiones; arguitur autem ſic.Illa actio dicitur voluntaria, qua tenditur in bonum, malumque vitatur, & habet modum eleuatum ſupra corpus; quanuis enim ventus dicatur ſpiritus; attamen quia corpus eſt,non eſt ſpiritus vitæ, & ideo nequit habere actionem vitalem;ſed actiones animalium carentium vſu rationis tēdunt in bonum, & malum euitant,habentque modum eleuatum ſupra corpus,quia fiunt ſine materia,quanuis non ſine conditionibus materiæ; ergo propriè ſunt volūtariæ.Sed hæc magis *inf.*patebunt, cùm de Deo, & beatis agemus.

24 Dices.Voluntas non eſt in brutis;ſed voluntarium dicitur à voluntate; ergo voluntariū non eſt in brutis.

Reſp. diſt. ma. Voluntas non eſt in brutis, prout eſt appetitus inclinans in bonum,neg.ma; & in hoc ſenſu conc. mi. Prout eſt ſpiritualis, conc;ſed neg.mi; nam voluntarium dicitur à voluntate,prout eſt inclinatio in bonum,vt *ſup.* dictum eſt; denominatur autem ab inclinatione perfectiori,quanuis hæc inclinatio perfectior nō reperiatur in omni voluntario, & ideo non omne voluntarium eſt perfectum, ſed imperfectum. Vel meliùs diſt.mi. Voluntarium dicitur à volūtate,tanquam à principaliori analogante, vt accidens dicitur ens à ſubſtantia, quæ eſt principale analogans,conc; tanquam à forma ſpeciali nō analogante ad plura, neg. Sicut ergo accidens eſt propriè ens, & tamen dicitur ens à ſubſtantia;ita à pari.

25 Collig. voluntarium duplex eſſe in homine,aliud imperfectū in parte ſenſitiua, & hoc vniuocè dici de homine,& brutis; ſicuti vniuocè dicitur animal ſenſitiuum, ad quod ſequitur appetitus ſenſitiuus, in quo fundatur voluntarium imperfectum;nec differunt, niſi materialiter extrinſecè,quia ſcilicet appetitus ſenſitiuus in homine poteſt dirigi à ratione, & imperari à volūtate, & propter hoc fieri voluntarium imperatū perfectum; non ſic autem appetitus in brutis. Eſt *cont.Gonet.*Prob.Perfectum, & imperfectum non dicūtur vniuocè,ſed analogicè; homo enim non eſt magis animal,quàm canis; nec Petrus eſt magis homo,aut magis perfectè homo, quàm Paulus;ſubſtantia autem eſt magis ens,quàm accidens;quia hæc analogicè dicitur; illa verò vniuocè; ſed voluntarium magis perfectè competit homini,quàm brutis, quia magis perfecta ei cōpetit cognitio,quæ eſt intellectiua; ergo analogicè dicitur. 2. Vniuoca habent eandem definitionem;ſed appetitus intellectualis, & ſenſitiuus non habent eandem definitionem; quia volitio, & ſenſatio diuersè definiuntur; ergo non ſunt vniuoca. 3. Euertitur ratio *Gonet.* In tantùm voluntarium vniuocè conuenit homini,& brutis;in quantùm animalitas, ad quam conſequitur ratio cognoſcitiui,& appetitiui,conuenit vniuocè homini,& brutis;ſed hoc eſt falſum; nam licèt hoc verificetur de ratione cognoſcitiua, & appetitiua ſenſitiua; falſum tamen eſt de ratione cognoſcitiua, & appetitiua intellectiua; iſtæ enim ſunt paſſiones ſequentes ad animam rationalem, & non ad animalitatem; ergo falſum eſt id, quod ſequitur. Tum quia licèt animal poſſit fieri rationale,& irrationale,attamen appetitus ſenſitiuus ſequens ad animalitatem nequit fieri intellectiuus; cùm ab illo realiter diſtinguatur; ergo non eſt eadem ratio de vtroque.

26 Diuiditur 2.voluntarium perfectum in neceſſarium,& liberum.*Ita Fund.Doct. in 2.diſt. 25.q.1.art.3.dub.2.lat.§.Sed dices*;vbi habet: *Poteſt ergo voluntas neceſſitari à motu, ſed non violentari,vel cogi,& cùm neceſſitatur,magis voluntariè mouetur; quia nihil eſt ibi de eo,quod eſt inuitum,vel inuoluntarium;nam in finem magis voluntariè mouetur, quàm in quodcunque aliud, propter quod voluntas dicitur eſſe ipſius finis; & ibid. art.6. dub.1.lat.§.Sed dices, quòd voluntas neceſſitatur à Fine &c*; ſubdit aliam rationem dicens: *Imò voluntas plus voluntariè mouetur in finem, quàm in ea, quæ ſunt ad finem;quia adeo voluntas mouetur in finem, vt finem velit propter ſe ipſum; ſed non voluntariè mouetur in ea, quæ ſunt ad finem, cùm moueatur in ea propter finem. Non obſtante ergo,quòd de neceſſitate moueatur in finem,plus voluntariò mouetur in finem, quàm in ea,quæ ſunt ad finem.* Quibus expreſsè docet ratio-

tionem voluntarij perfecti nedum conuenire voluntario neceſſario, ſed perfectius eſſe voluntarium neceſſarium,quàm liberum. *Ita etiam noſter Gibb.hic diſp.8.dub.3; Cornejus, & communiter noſtra Schola excepto quodam in M.S.* ſequẽte *ipſum Vaſq.Ita etiam Caiet; Med;Gonet,& alij Thomiſtæ;*quibus accedunt *Sua; Gran; Monteſin. Eſt cont.Vaſq;Sal;Lorc;Ouied; apud quos Almain; Conr;& alij;*& refertur etiam *Scot;*qui vult actum beatificum eſſe liberum, quia libertas conſtituitur per excluſionem coactionis,aut violentiæ; & ideo diuerſo ex capite *Scot.* affirmat voluntariũ eſſe idem,quod liberum; nam negat voluntariũ neceſſarium,& ideo affirmat omne voluntarium eſſe liberum; illi verò aſſerunt voluntarium perfectum eſſe idem, ac liberum libertate indifferẽtiæ ita,vt voluntarium neceſſarium, vt eſt amor beatificus,& proceſſio ſpiritus S; non ſint perfectè,ſed imperfectè voluntaria.

27 Prob.1. *ex Beatiſſ. P. in Suppl. cont. Iul. lib.1.c.103;*vbi docet:*Imò ſi neceſſitas dicenda eſt: qua neceſſe eſt aliquid vel eſſe,vel fieri,beatiſſima iſta omnino neceſſitas,qua neceſſe eſt feliciter viuere;& in eadem vita neceſſe eſt non mori,neceſſe eſt in deteriùs non mutari.Hac neceſſitate non premũtur Sancti,ſed fruuntur;nobis autem futura,non præſens.*Ex quo ſic.Nihil eſt nobis magis voluntarium,quàm velle feliciter viuere,non mori, & non mutari in deterius; quia illud eſt magis voluntarium,quod magis volumus,& amamus;voluntarium enim dicitur à volendo,& amando;ſicut inuoluntarium dicitur à nolendo, & odiendo;& ideo illud, quod magis volumus, & amamus,magis eſt nobis voluntarium; nihil autem magis volumus,& amamus quàm vitam felicem mortis neſciam, & à calamitatibus immunem; quia nullum eſt maius bonum à nobis magis appetibile;ſed volitio, qua volumus feliciter viuere,non mori, & non mutari in deterius, eſt neceſſaria; hoc enim naturaliter omnes appetunt; ergo voluntarium neceſſarium eſt magis perfectum, quàm voluntarium liberum.

28 Conf.1.Perfectio voluntarij habetur ab obiecto volito,vel ab influxu appetitus volitiui, vel à perfectione cognitionis præſuppoſitæ; ſed obiectum volitionis neceſſariæ eſt magis perfectum, quàm obiectum volitionis liberæ;& volũtas magis influit in volitionem neceſſariam habentem pro obiecto ſummum bonum, & cognitio eſt magis perfecta; ergo volitio neceſſaria eſt magis voluntaria, quàm volitio libera; & ideo voluntarium neceſſarium eſt perfectius, quàm voluntarium liberum.Prob.ma.Ad voluntarium non concurrit,niſi obiectum, vt ſpecificatiuum formale ipſius; actus enim, in quo diximus formaliter conſiſtere voluntarium, ſpecificatur à ſuo obiecto formali;& cõcurrit potentia,vt principium productiuum illius;& tandem cognitio, vt aliquod præſuppoſitum, cum quo commenſuratur volitio; illud enim, quod magis cognoſcimus eſſe bonum, magis volumus; nihil aliud autem concurrit ad voluntarium, vt patet; ergo ex iſtis deriuare debet ſuam perfectionẽ. Prob. mi. Obiectum volitionis beatæ eſt magis perfectum,quia eſt ſummum bonum, quod eſt infinitè perfectius quolibet bono particulari; & in illud fortiùs tendit, & fluit voluntas, quia ab eo fortiùs rapitur,& ſuauiùs fertur;fluxus enim, & tendentia voluntatis commenſuratur cum bonitate obiecti; & tandem viſio beata præſuppoſita ad talem volitionem eſt perfectiſſima inter omnes cognitiones; quia magis perfectum eſt eius obiectum; ergo obiectum volitionis neceſſariæ eſt magis perfectum;voluntas magis influit, & cognitio præſuppoſita eſt perfectior.

29 Conf.2. *à Fund.Doct.vbiſ.* Illud eſt magis perfectè voluntarium, quod habet minus de coacto, inuito, & inuoluntario, quod opponitur voluntario;ſicut illud eſt magis lucidũ,quod habet minus de tenebris;ſed volitio beata habet minus de coacto,inuito,& inuoluntario; quia eius obiectum eſt ſummè bonum nullam habẽs rationem malitiæ,circa quam ſolùm eſt coactio, & inuoluntarietas; volitio autem libera creata habet annexum inuitum,& inuoluntarium iuxta illud *Apoſt. Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum,hoc facio,*quod eſt ſignum, & effectus captiuitatis peccati,qua tenebamur; facere autem,quod nolumus,eſt inuoluntariè agere;vt habet *Beatiſſ.P.vbiſ.c.99;*ergo volitio beata eſt magis perfectè voluntaria; & ideo voluntarium neceſſarium eſt perfectius voluntarium, quàm voluntarium liberum, quod habet pro obiecto aliquod habens admixtam rationem mali; ſicut enim volumus id, quod apprehendimus, vt bonum; ita nolumus id,quod cognoſcimus,vt malum.

30 Conf.3. *ab eod.* Liberum eſt voluntariũ perfectum; ergo neceſſarium eſt voluntarium magis perfectum. Ant. admittitur. Prob. conſ. *Propter quod vnunquodque tale, & illud magis*; ſed propter voluntarium neceſſarium voluntarium liberum eſt perfectum; nam voluntarium liberum eſt circa media, circa quæ ſolùm datur electio libera;& media ſunt propter finem; circa quem eſt voluntarium neceſſarium; nam voluntas tendit in finem,vt natura, & ideo neceſſariò; ergo voluntarium neceſſarium eſt magis perfectum,quàm voluntarium liberum.

31 Vrgetur magis. Illud dicitur perfectiùs voluntarium, quod uoluntas magis,& principaliùs vult,quàm illud,quod voluntas minùs principaliter vult;quia maius,& principale habet eſſe magis perfectum, quàm minùs principale;ſed voluntas vult magis principaliter uoluntarium neceſſarium,quàm liberum; quia illud vult magis principaliter, quod vult ratione ſui, quàm illud,quod vult ratione alterius;uoluntas autem vult finem ratione ſui,& media ratione finis; uolitio autem finis eſt neceſſaria, & uolitio medio-

rum libera; ergo uoluntarium neceſſarium eſt magis perfectum, quàm uoluntarium liberum.

32 Præterea illud eſt magis uoluntarium, in quod fortiùs inclinatur uoluntas; & in illud fortiùs inclinatur, à quo nunquam poteſt diuelli; quia in illud, à quo nunquam poteſt diuelli, inclinatur conatu omnino tenaci, & ideo magis forti; ſed uoluntas in amorem neceſſarium beatũ inclinatur fortiùs, & ab illo nunquam poteſt diuelli; diuellitur autem ab amore libero; ergo amor neceſſarius eſt magis uoluntarius, quàm liber. Prob. ma; nam uoluntarium eſt illud, quod eſt à principio intrinſeco per inclinationem; & ideo quod eſt à principio intrinſeco fortiùs inclinante, habet perfectiorem rationem uoluntarij. Prob. mi; nã ſi interrogaretur quilibet, an uellit potiùs, & fortiùs inclinet in felicitatem ſine vlla miſeria, nec præſenti, nec futura; an uerò uelit aliquam felicitatem cum aliqua miſeria; procul dubio primum reſponderet, non ſecundum; ſed uolitio felicitatis ſine miſeria eſt neceſſaria; ergo uoluntas fortiùs inclinat in amorem neceſſarium, quàm in liberum.

33 Item. Voluntarium formaliter conſiſtit in actione uoluntatis; ergo uoluntarium perfectius conſiſtit in actione perfectiori uoluntatis; atqui uolitio neceſſaria beata eſt perfectior qualibet actione libera; ergo neceſſarium voluntarium eſt perfectius, quàm liberum.

34 Vlteriùs. Amor, quo Deus amat ſe ipsũ, & quo producit Spiritum S; & quo beati amant Deum, non eſt imperfectior, ſed perfectior amore, quo creatura diligit bonum creatũ; ſed amor in eo, quòd amor formaliter, eſt uolũtarius; quia uoluntarium formaliter conſiſtit in actione uoluntatis, & amor formaliter eſt actio uoluntatis; ergo amor, quo Deus amat ſe ipſum, & quo producit Spiritum S; & quo beati amant Deum, eſt perfectiùs uoluntarius amore, quo creatura diligit bonum particulare; atqui ille eſt neceſſarius, & iſte eſt liber; ergo uoluntarium neceſſarium eſt perfectius, quàm liberum.

35 Deinde illud eſt magis perfectè uoluntarium, quod fit cum maiori complacentia, magis libenter, & delectabiliter; ſed amor beatus eſt huiuſmodi; excedit enim complacentiam, libentiam, & delectabilitatem cuiuslibet amoris liberi habiti à creatura in uia; ergo amor beatus, qui eſt neceſſarius, eſt magis perfectè uoluntarius, quàm amor liber.

36 Noſter *Gibb.* ait contrarium non eſſe tolerabile *poſt bullam B. Pij V; & Greg. XIII*; qua inter alias propoſitiones *Michaelis Baij* damnantur iſtæ: *Quod voluntariè fit, etianſi neceſſitate fiat, liberum eſt, & ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*; ex quibus patet aliquod volũtarium non eſſe liberum, & ideo liberum non conuerti cum uoluntario.

37 Sed ſicut iſtæ duæ propoſitiones non intendebant, niſi quòd non daretur in homine libertas indifferentiæ; ita damnatio illarum aſſerit tantùm libertatem indifferentiæ; & ideo ex illis hoc tantùm poteſt deduci.

38 Obijc. 1. *In Scripturis* voluntarium ſumitur, prout idem eſt, ac liberum; vt *pſ. 33. Voluntariè ſacrificabo tibi; & Iac. 1. Voluntariè genuit nos; & noſter Beatiſſ. P. vbi ſ. Peccatum adeo eſt voluntarium, vt ſi nõ ſit voluntarium, non ſit peccatum*; ergo uoluntarium perfectum idem eſt, ac liberum, & ideo malè diuiditur uoluntarium in liberum, & neceſſarium.

Reſp. neg. conſ. peccat enim fallacia antecedentis; ut ſi quis diceret; *Homo eſt animal; ergo animal idem eſt cum homine; & ideo rectè non diuiditur animal in hominem, & brutum.* Voluntarium igitur competit actionibus liberis, ſed non per hoc ſequitur, quòd non competat etiam neceſſarijs; quia genericè ſe habet ad omnes actiones uoluntatis; vnde nedum voluntariè ſacrificamus Deo in via, ſed etiam in patria, in qua erimus *viuum ſacrificium, viuumque templum eius*; nedũ voluntariè Deus genuit nos, tãquam filios adoptiuos, ſed etiam voluntariè produxit Spiritum S. ſibi conſubſtantialem in natura &c.

39 Obijc. 2. *Fund. Doct. in 2. diſt. 25. q. 1. art. 4.* docet tendere in finem non eſſe actum propriè humanum, quia actus humanus à propria, & perfecta ratione voluntarij dicitur talis; hoc autem non eſſet, niſi voluntarium perfectum idem eſſet, ac liberum. Item *diſt. 41. q. 2. art. 1.* ait: *Sciendum, quòd voluntarium oportet dici omne, quod eſt in poteſtate noſtra; & quia in poteſtate noſtra eſt uelle, & non velle; quia voluntas noſtra eſt domina ſui actus, quia poteſt velle, & non velle, ideo volũtarium dicitur non ſolùm, quod eſt voluntariè volitum, ſed etiam quod eſt voluntariè non volitum.* Rationem autem affert *diſt. 20. vbi ſ.* Voluntariè agere importat ſe mouere ab intrinſeco determinando ſe ad vnum relicto oppoſito; ſed beati non ſe determinant ab intrinſeco cum potentia ad oppoſitũ; ergo non agũt voluntariè perfectè.

Reſp. ad 1. *Fund. Doct. ibid.* probare ſolùm actus dici humanos; quia ſunt à libero arbitrio & à voluntate, quia ſunt uoluntatis; voluntas enim, & liberum arbitrium idem eſt, vt habet §. *Poſſumus autem in fine*; ex hoc autem nõ eruitur omne voluntarium eſſe actum humanum, prout actus humanus importat libertatem; nam voluntarium dicitur à voluntate, quæ principaliter tẽdit in finem; actus humanus verò dicitur à libero arbitrio, quod tendit in media; voluntas autem tendit in finem neceſſariò, vt docet *ibid.* ergo eruitur potiùs oppoſitum. Ad 2. dicitur loqui tãtùm de voluntario libero aſſerens hoc reperiri nedum in volitione, quæ eſt actus affirmatiuè explicatus, ſed etiam in nolitione, quę eſt actus poſitiuus negatiuè explicatus. Ad rationem diſt. ma. Voluntariè liberè agere conſiſtit in ſe determinare ab intrinſeco cum poteſtate ad oppoſitũ, conc; voluntariè neceſſariò, neg.

Obijc.

40 Obijc.3. Modus operandi liberè eſt perfectior modo operandi neceſſariò; nam modus operandi neceſſariò conuenit brutis, modus autem operandi liberè conuenit ſoli naturæ intellectuali, ergo ratio voluntarij eſt perfectior in modo operandi liberè, quàm in modo operandi neceſſariò.

Reſp.diſt.ant. Modus operandi liberè circa bonitatem vtilem, conc; circa bonitatem ſummè fruibilem,neg;nam amor viæ, quia eſt liberè circa Deum, qui eſt ſummè fruibilis, eſt imperfectus; amor verò patriæ, qui eſt neceſſarius, eſt perfectus, & conſummatus. Ideo ergo modus operandi liberè circa bonitatem vtilem eſt perfectior,quia dicit rationem,& vſum rationis; modus autem operandi neceſſariò dicit carentiam rationis,vt in brutis;vel carentiam vſus rationis, vt in pueris; modus autem operandi per rationẽ eſt perfectior modo operandi materialiter ſine ratione.At verò modus operandi neceſſariò circa bonitatem fruibilem importat perfectiſſimam cognitionem,ideo eſt modus operandi perfectiſſimus;& per hoc patet ad prob.inſert; diſt.enim. Modus operandi neceſſariò ſine ratione circa bonitatem vtilem, conc; modus operandi neceſſariò per cognitionem perfectiſſimam circa bonitatem ſummè fruibilem,neg.

41 Obijc.4. Voluntarium liberum magis eſt ab intrinſeco,& ex perfectiori cognitione finis, quàm voluntarium neceſſarium; ergo eſt magis perfectè voluntarium.Prob.ant. Voluntas liberè agens mouet ſe ipſam ab intrinſeco; at verò neceſſariò agens mouetur ab Auctore naturæ; & potiùs agitur,quàm agat; & cùm liberè agit, cognitio proponit ei obiectum,& influit in illam;at verò neceſſariò agens, non eſt neceſſe, quòd ei proponatur obiectum,à quo moueatur.

Reſp.neg.ant.Ad prob.dicitur, quòd licèt voluntas neceſſariò agens moueatur à Deo,quia voluntas creata non eſt primum mouens, ideo indiget moueri à primo mouente; attamen ab intrinſeco mouet ſe ipſam magis, quàm cùm liberè agit;quia neceſſariò agens ſe mouet inflexibiliter, & ſecundùm totam latitudinem ſuæ virtutis actiuæ; quod non præſtat, cùm liberè agit; quia tunc tendit flexibiliter,poteſt enim flecti in aliam partem,& ceſſare ab illa tendentia;nec penitus adæquatur eius virtus per illam tendentiã; & ideo quanuis agatur, agit tamen magis, quàm cùm agit liberè.Inanimata verò neceſſariò agentia potiùs aguntur,quàm agant,quia non habent in ſe ipſis principium actiuum ſui motus;at verò voluntas, quanuis neceſſariò agatur, attamen actiuè agit, quia habet in ſe principium actiuum ſui motus. Nec minor requiritur cognitio, ſed maior ad actionem neceſſariam voluntatis; quia volitio commenſuratur cum cognitione; vnde qui magis cognoſcit bonum, magis amat; ergo qui ſummè amat, ſummè cognoſcit; ſicut enim neceſſaria eſt cognitio ad volitionem; ita maior cognitio ad maiorem volitionem.

42 Inſt.Quanuis in brutis uoluntarium ſit à principio intrinſeco, attamen eſt imperfectum, quia eſt neceſſarium,quod dicendum eſt etiam de motibus indeliberatis primò primis,qui fiunt ab homine;ergo voluntarium neceſſarium non eſt ita perfectum,ſicuti liberum.

Reſp.diſt.ant.Eſt imperfectum, quia eſt neceſſarium circa bonitatem vtilẽ, & ſupponit cognitionem imperfectam,conc;quia eſt neceſſariũ tantùm,neg;& ſic diſt. conſ. Voluntarium neceſſarium circa bonitatem vtilem ſupponens cognitionem imperfectam,conc;voluntarium neceſſarium circa bonitatem fruibilem ſupponens cognitionem perfectiſſimam,neg.

43 Diuiditur 3. voluntarium in elicitum,& imperatum. Elicitum eſt actus productus immediatè ab ipſa volũtate. Imperatum eſt actus productus ab alia potentia ſubiecta voluntati ex imperio tamen ipſius voluntatis;vel poteſt eſſe etiã actus elicitus ab ipſa voluntate, & ab ipſa imperatus; nam voluntas poteſt etiam ſibi imperare ſuos actus; vnde in tali caſu talis actus eſt ſimul elicitus,& imperatus.

44 Diuiditur 4.in formale,virtuale,& habituale. Formale eſt ipſe actus actualiter exiſtens in voluntate; vt cùm quis actu vult celebrare. Virtuale eſt actus præteritus, non tamen retractatus, ſed virtualiter permanens in aliquo effectu imperato; vt cùm quis volens celebrare pergit ad Sacrarium,& diſtrahitur in itinere ab actu volitionis,induit tamen ſe veſtibus ſacris;&c;tũc illa volitio virtualiter durat in illa tendentia, indutione veſtium &c,quæ ordinantur ad celebrãdum.Habituale eſt quædam conſuetudo inducta à frequentatione talis actus abſque eo,quòd duret actus præteritus,ſed ſit interruptus; v.g. quis intendit cras celebrare;& poſtea interrumpit hãc intentionem per alios actus diſparatos, v. g. per intentionem ſtudij,comeſtionis,ludi,&c; quæ nõ ordinantur ad celebrandum;& poſtea adueniente die craſtina nihil cogitans de celebratione celebrat.

45 Diuiditur 5.in phyſicum,& morale.Phyſicum eſt actus à voluntate realiter procedens. Morale eſt actus perſeuerans in obligatione cõtracta;vt in uotis,& contractibus.In hoc autem differt voluntarium morale à virtuali; quòd morale,etianſi retractetur,adhuc perſeuerat in iudicio prudentum;vt ſi quis retractet matrimoniũ, attamen non diſſoluitur,niſi per mortem;virtuale autem per retractationem deſinit eſſe.

46 Diuiditur 6.in expreſſum,& interpretatiuum,ſeu imputatiuũ. Expreſſum eſt illud,quod à voluntate poſitiuè intenditur; interpretatiuũ, ſeu imputatiuum eſt illud,quod poſitiuè non intenditur,ſed prudentum iudicio, aut iuris, ac legum tenore ita imputatur, ac ſi voluntas illum intendiſſet;vt cùm quis nihil cogitans de audiẽda Miſſa in die feſto, illam omittit, talis omiſſio

cenſetur voluntaria. Not.tamen voluntarium interpretatiuum nõ ſufficere in caſibus iuriſdictionis; vt cùm prudenter iudicatur Epiſcopum daturum alicui licentiam audiendi confeſſiones, nõ ſufficit, vt illas actu audiat.

47 Diuiditur 7. in voluntarium voluntate propria, quod ab ipſo immediatè elicitur; & voluntarium voluntate aliena, vt cùm per mandatarium, vel per procuratorem aliquis conſentit alicui negotio.

48 Diuiditur 8. in voluntarium in ſe, quod in ſe ipſo eſt volitum; & voluntarium in alio, quod eſt volitum in ſua cauſa, ad quam illud ſequitur.

49 Diuiditur 9. in voluntarium directum, quod poſitiuè à voluntate intenditur ſiue mediatè, ſiue immediatè; & voluntarium indirectum, vt cùm quis intendit aliquod, vel omittit, aut non impedit, ad quod ſequitur aliud, cenſetur indirectè velle id, quod ſequitur; v.g. nauta intendens ludum, vel omittens gubernare nauim, aut non impediens ſubmerſionem indirectè cenſetur velle ſubmerſionem.

50 Collig; quòd licèt *ab aliquibus* voluntarium directum confundatur cum voluntario in ſe, explicito, phyſico, formali; & voluntarium indirectum cum voluntario in alio, implicito, virtuali, morali, & interpretatiuo; attamen diſtinguuntur, vt ex dictis poteſt patere.

51 Quæres; an iſtæ diuiſiones ſint generis in ſpecies, vel ſubiecti in accidentia?

Reſp. *noſter Gibb. hic diſp.8. dub.3. num.15;* quòd ſi loquamur de voluntario ſecundùm rationẽ voluntarij, ſunt diuiſiones generis in ſpecies; ſi autem ſermo ſit de actu, qui ſubſternitur denominationi *voluntarij*, ſunt diuiſiones ſubiecti in accidentia; quia idem actus ſpecie poteſt eſſe voluntarius neceſſarius, & liber; vt idẽ amor Dei in uia, & in patria.

ART. II.

Quodnam ſit principium formale voluntarij liberi, & quibus conueniat?

1 VOluntatem poſſe conſiderari, vt naturam, & vt potentiam ad utrunlibet diximus *to.2. de Vol. Dei q.2. art.1. §.1. n.13;* cùm enim uoluntas ſit quædam res, ſeu quiditas accidentalis, & omnis quiditas ordinata ad operationem ſit quædam natura, quæ definitur *principium operandi*; ideo uoluntas habet rationem naturæ; & quoniam natura eſt ad unum determinata; ideo uoluntas, vt natura, eſt ad unum determinata; quapropter principium, à quo eſt noluntarium perfectum neceſſarium, eſt uoluntas. Præterea quia uoluntas eſt domina ſuorum actuum, quos habet in ſua poteſtate; ideo ut potentia, eſt indifferens ad illos ponendos, uel non ponẽdos; in hoc enim conſiſtit dominium; vnde principiũ voluntarij liberi eſt eadem uoluntas, ut eſt potẽtia indifferens ad utrunlibet, quæ potentia *communiter* dicitur liberum arbitrium. Quæritur ergo, quid importet formaliter liberum arbitrium; & quibus conueniat? Igitur quoad 1.

§. 1.

Quid importet formaliter liberum arbitrium?

2 DE uarijs ſpeciebus libertatis diſcurrimus *to.2. vbiſ;* & ſufficienter diſſoluimus ea, quæ in præſenti poſſent difficultatẽ ingerere, ideo hìc ſolùm ad formam ea redigimus.

3 Supp. *ex Fund. Doct. in 2. diſt.24. q.1. ar.1.* liberum arbitrium, quod translatiuè dictum eſt à liberis arbitris, ut *ibid.* dictum eſt, non conſiſtere in aliquo actu, paſſione, uel habitu, ſed radicaliter in intellectu, & formaliter in uoluntate. Primum prob. *cont Heruæum* putantem liberum arbitrium conſiſtere in actibus intellectus, & uolũtatis præcedentibus deliberationem. *SS. PP; & DD.* nomine liberi arbitrij intelligunt potentiã, à qua exeunt actus liberi; ut colligi poteſt præcipuè *ex Beatiſſ. P. in tribus lib. de Lib. Arb; & lib.2. cont. Felic. c.4.* vbi docet: *Habet vnuſquiſque in ſua poteſtate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere, quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala*; vbi liberum arbitrium comparat arbori, à qua procedunt bonæ, uel malæ operationes; ergo liberum arbitrium non conſiſtit in actu. Tum quia, ut arguit *Fund. Doct. vbiſ;* communiſſimus conceptus, quem formant ſapientes de libero arbitrio, ſignificat aliquod permanens inſitum naturæ rationali, cùm definiatur *poteſtas, ſeu facultas, qua quis eſt ſui iuris, & ſui gratia habens ſub dominio ſuos actus*; ergo nequit conſiſtere in ipſis actibus, poteſtas enim, & facultas permanens non eſt actus, qui eſt tranſiens. Secundum prob. *ab eod. Fund. Doct. ibid.* Paſſio habet eſſe tantùm in parte ſenſitiua; ſed liberum arbitrium nequit eſſe in parte ſenſitiua, quia liberum arbitrium conuenit Deo, & Angelis, & eſt proprietas naturæ intellectualis; tum quia arbitrium dicit conuerſionem ſupra ſuos actus, in quos habet dominium; pars autem ſenſitiua nequit eſſe conuerſiua ſupra ſe ipſam, quia conuerſio fit ſolùm per Immaterialitatem; ergo nequit conſiſtere in paſſione. Tertium prob. cont. *Albert, & D. Bon.* Liberum arbitriũ eſt in nobis à natura; eſt enim proprietas naturæ intellectualis iuxta illud *Eccl.15. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illũ in manu conſilij ſui, adiecit mandata, & præcepta ſua; ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te; & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*; ſed habitus non eſt proprietas indita à natura, quia uel acquiritur, uel infunditur; ergo arbitrium non eſt habitus. Tum quia habitus eſt determinatus ad bonum, uel ad malum, non autem indifferens ad vtrunque; ut patet de habitu uirtuoſo, & uitioſo; ergo arbitrium non eſt habitus. Quartũ prob.

ex

ex Fund.Doct.Quodl.4.q.21. Radix cauſalis proxima liberi arbitrij eſt radix conuerſionis, & reflexionis ſupra ſuos actus; in tantùm enim liberũ arbitrium habet dominium ſuorum actuum, in quantùm poteſt uelle illos ponere, uel nolle; & etiam poſitos ſuſpendere; hoc autem eſt conuertere, & reflectere ſupra ſuos actus, vt patet; ſed intellectus eſt prima radix formalis conuerſionis, & reflexionis ſupra ſuos actus; nam radix remota eſt immaterialitas, materia enim impedit conuerſionem; quia ita immergit formam, vt nõ poſſit eleuare ſe ſupra ſe ipſam; immaterialitas autem ſubſtantialis nequit actu ſe conuertere; quia conuerſio eſt operatio, & nulla ſubſtantia eſt immediatè operatiua; & ideo intellectus, qui immediatè fluit ab immaterialitate, tanquam à radice proxima, eſt radix proxima conuerſionis ipſius voluntatis; ergo intellectus eſt proxima radix liberi arbitrij. Tum quia radix proxima liberi arbitrij eſt illa, quæ proponit volũtati obiectum ſub ratione proſecutionis, & fugæ; nam liberum arbitrium habet poſſe tendere in obiectũ proſequendo, vel fugiendo; ſed potentia ſic proponens eſt intellectus; ergo intellectus eſt radix proxima liberi arbitrij. Tum quia radix proxima eſt illa, ad quam immediatè ſequitur liberum arbitrium; ſed hæc eſt intellectus; quia cùm liberum arbitrium ſit potentia cæca, eſſentialiter ſequitur potentiam videntem, quæ eſt intellectus, à quo manuducitur; ergo radix proxima liberi arbitrij eſt intellectus. Vltimum prob. *cont.Dur.* opinantem liberum arbitrium principaliter conſiſtere in intellectu. Liberum arbitrium formaliter conſiſtit in potentia electiua vnius præ alio, vt patet; ſed potentia electiua formaliter conſiſtit in voluntate; quia electio eſt actus voluntatis formaliter, vt *inf.* videbimus; ergo liberum arbitrium formaliter conſiſtit in volũtate. Tum quia non conſiſtit in intellectu, neque in alia potentia ſenſitiua, neque in aliquo habitu, aut actu, vt *ſup.* viſum eſt; ergo à ſufficienti enumeratione conſiſtit in voluntate. Tum quia conſiſtit in potentia habente dominium ſuorum actuum; in hoc enim conſiſtit formaliter libertas; ſed hæc eſt voluntas; ergo formaliter conſiſtit in voluntate. *His ſupp.*

4 Quæritur, an principium voluntarij liberi meritorij, uel demeritorij importet ſolam libertatem à coactione; uel libertatem indifferentiæ, ſeu à neceſſitate?

5 Diximus *to.2.vbiſ.n.20.* indifferentiam ad bonum, & malum non pertinere eſſentialiter ad libertatem, ſed tantùm accidentaliter ratione ſubiecti exiſtentis in via non videntis clarè Diuinam eſſentiam; nam præter ea, quæ dicta ſunt *ibid.* docet *Beatiſſ.P.in Suppl.cont.Iul.lib.1.c.100.* *Liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, idèſt bonum, & malum? Liber Deus non eſt, qui malum non poteſt velle; de quo etiam ipſe dixiſti, verumque dixiſti: Deus eſſe, niſi iuſtus, non poteſt. Siccine Deũ laudas, vt ei auferas libertatem?* & *c.102.* *Ergo nec in Deo eſt arbitrij libertas, quia malum facere non poteſt; ſicut negare ſe ipſum non poteſt?* Quod & de Chriſto Domino dici debet, cuius actiones erant liberæ, quia meritoriæ, & tamen peccare non poterat, quia erat impeccabilis; ergo optimè ſaluatur ratio formalis libertatis abſque eo, quòd habeat annexam indifferentiam ad bonum, & malum; quæ propterea accidentaliter ſe habet. *Hoc not.*

6 Vnica concl. Ad rationem arbitrij creati non ſufficit libertas à coactione, ſed requiritur libertas à neceſſitate, ſeu indifferentiæ ad agendum, vel non agendum. Eſt *cont.Stoicos* admittẽtes fatalem neceſſitatem in omnibus vi ſyderum inductam; *cont.Manichæos* dicentes omnia eſſe à principio bono, uel à malo; *cont.Caluin.* putantem gratiam efficacem inducere neceſſitatẽ; *Luther.* aſſerentem arbitrium amiſſum fuiſſe per peccatum, & ideo eſſe titulum ſine re; *Michaelem Baium* aſſerentem: *Quod voluntariè fit, etſi neceſſitate fiat, liberè tamen fit; & ſola violentia repugnat libertati hominis naturalis*; & *Ianſen. lib. 6. de Grat.Chriſti*; quem ſecutus eſt *Vincent.Lenis in Theriaca de lib.arb.lib.2.c.6*; *Maced.circa propoſit. Ianſen. art. 4*; *Cæſar Vanin*; *Roſende*; & *cont. Guillelm.Gibiuſum de libert.Dei, & creaturæ c.3*; vbi ait libertatem conſiſtere in eminentia naturæ creatæ ſupra naturam corpoream præſcindẽdo ab indifferentia; & *alios*. Traditur tamen *à Fund.Doct.in 2.diſt.24.q.1.art.1. §.Viſo*; vbi ait: *Imò cùm liberum arbitrium ſit principium omniũ operationum, quæ fiunt à nobis liberè, & quæ ſunt in poteſtate noſtra &c*; & *diſt.25.q.1.art.1. §.Reſpondeo: Nihil aliud eſt liberum arbitrium, quàm id, per quod volumus ea, quæ ſunt ad finem, propter finem. Deus ergo vt vult ſe ipſum, & bonitatem ſuam, tanquam finem, eſt in eo voluntas; ſed vt vult alia à ſe, tanquam ea, quæ ſunt ad finem, propter ſe ipſum, tanquam propter finem, eſt in eo liberum arbitrium*; quod repetit *art.3.dub.1.lat. §.Prima via*; & *diſt.41.q.2.art.1.§.Reſpondeo: Voluntas noſtra eſt domina ſui actus, quia poteſt velle, & non velle*; & *in ead. diſt.25.q.1.art.5. dub.1.lat.§.Tertia via. Libertas ergo voluntatis conſiſtit in eo, quòd ad vniuerſale bonum, quod neceſſitat ipſam, liberè ordinat particularia bona, quæ non neceſſitant eam.* Hoc docuit etiam *D.Tho*; & *omnes Thomiſtæ apud Gonet hic diſp.2.art.2*; & *3*; *Salm.hic tract.11.diſp.1.dub.1*; & *alij*.

7 Hæc concl. eſt de Fide; definita enim fuit *à Pio V*; *Greg.XIII*; & *Vrb.VIII. in Conſtitut. cont.Michaelem Baium*; & *ab Innoc.X*; & *Alex VII*; & *in Conc.Trid.ſeſſ.6.can.4*; & *5*.

8 Prob.1. *ex Beatiſſ. P. lib.3. de lib. arb. c.1.* docente: *Motus, quo huc, atque illuc voluntas cõuertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus, cùm ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cùm ad inferiora detorquet, quaſi quendam cardinem voluntatis*; & *de Nat*; & *grat.c.5. Liberi arbitrij nos condidit Deus*;

nec

nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas eſt,nec damnatio,nec corona eſt,& lib.de Spir, & lit.c.31. Hoc quiſque habere in poteſtate dicitur, quod ſi vult,facit; ſi non vult, non facit.

9 Ex his arguitur 1. Dominiũ formale ſuorum actuum importat eſſentialiter libertatem indifferentiæ,ſeu à neceſſitate,idèſt excludentem neceſſitatem,& determinationem ad unum; ſed liberum arbitrium formaliter importat dominiũ ſuorum actuum; ergo liberum arbitrium formaliter importat libertatem indifferentiæ, ſeu à neceſſitate. Prob.ma. Dominium formaliter importat poteſtatem ponendi,& non ponendi illud,ſuper quod cadit tale dominium;ideo nanque animalia irrationalia,ut habet *Fund.Doct. in 2. diſt. 25.art.2.§.Poſſe autem ex Beatiſſ.P.lib.9. de Gen. ad lit.c.*14.non habent dominium ſuorum actuũ; quia præſente concupiſcibili non poſſunt non concupiſcere; & ideo non habent poteſtatem ad non ponendum actum concupiſcentiæ; quanuis enim ex inſtinctu naturali poſſint tendere in hoc, vel in illud concupiſcibile;attamen præſente aliquo cõcupiſcibili ita determinãtur, & neceſſitãtur ab illo,ut non habeant dominium ſuper actũ tendentiæ in illud,quia non habent poteſtatem ad non ponendum talẽ actum; ergo dominium formale ſuorum actuum eſſentialiter importat libertatem indifferentiæ excludentem neceſſitatem,ac determinationem ad unum. Mi. communiter admittitur,nam ut diximus *to.2. art.2. §.2*; liberum arbitrium formaliter cõſtituitur per dominium ſuorum actuum;dicitur enim liberum eo,quia liberum eſt ad ponendos,uel non ponẽdos ſuos actus.

10 Conf.1.Si liberum arbitrium formaliter conſiſteret in libertate à coactione excludente libertatem indifferentiæ, ſequeretur nedum, quòd Deus æquè liberè ſpiraret Spiritum Sanctum,ac produceret creaturas; & ideo uel Spiritus Sanctus ęquè contingenter ſpiraretur,ac producitur creatura; uel creatura æquè neceſſariò produceretur, ac Spiritus Sanctus;neceſſitas autem, & contingentia effectus deriuatur à neceſſitate, & contingentia principij productiui; ſed etiam ſequeretur, quòd beati æquè liberè amarent Deum in patria,ac in uia; & quòd animalia irrationalia æquè liberè operarentur, ac homo; imò ſi libertas indifferentiæ eſſet imperfectio accidentalis libertatis,ſequeretur, quòd animalia, quæ gaudent libertate à coactione, ſiue ſpontaneitatis; non enim agunt inuita, uel coacta, ſed ſpontaneè,& uoluntariè,vt dictum eſt *in ſup.art*; & aliunde non habent libertatem indifferentiæ, haberent magis perfectum liberum arbitrium, quàm homo, qui vltra libertatem à coactione, habet libertatẽ indifferẽtiæ,quę per *Aduerſarios* eſt imperfectior libertate à coactione; ſed hæc omnia ſunt falſa,ut patet;ergo & id,unde ſequũtur.Prob. ma; nã Deus, beati, & bruta nõ agunt coactè;ergo liberè libertate à coactione.

11 Conf.2.Si libertas indifferentię non ſpectaret eſſentialiter ad conſtitutionem formalem liberi arbitrij, ſed eſſet perfectio accidentalis illius,libertas indifferentiæ non eſſet ponenda in Deo,in quo nulla ponitur imperfectio;ſed conſ. eſt falſum;ergo & ant.Prob.mi.Deus ita produxit creaturas,ut potuerit eas non producere; ſed libertas indifferentiæ eſt, qua ita producitur aliquis effectus,ut potuerit non produci; ergo in Deo eſt libertas indifferentiæ, non quidem potentialis, ſed actualis, idèſt non per excluſionem actus, ſed per coniunctionem cum actu, uel cum oppoſito. Tum quia ſi in Deo eſſet ſola libertas à coactione, Deus ita eſſet determinatus, & neceſſitatus ad producendas creaturas, vt non potuiſſet illas non producere; hoc enim importat libertas à coactione; aliter ſi potuiſſet non producere,eſſet in eo libertas indifferentiæ, quæ eſt poteſtas ad producendum,vel non producendũ; ergo in Deo eſt libertas indifferentiæ.

12 Prob. 2. Liberum arbitrium formaliter reſpicit media; nam circa finem neceſſitatur voluntas;& ſi circa aliquem finem ſit libera,hoc eſt, quia talis finis eſt intermedius, & ideo habet rationem medij;quapropter voluntas circa bonum particulare eſt libera,vt docet *Fund.Doct*;quia bonum particulare eſt medium conducens ad finem in communi,quod eſt bonum,*vt ſic*; ſed circa media datur electio, quæ eſt in poteſtate voluntatis ad poni, & non poni; id enim, quod neceſſariò ponitur,non dicitur eligi;ergo liberum arbitrium formaliter importat libertatem indifferentiæ.

13 Prob. 3. *Caluinus*, *& eius ſocij*, ſicut *Baius*, *& Ianſenius* non negarunt libertatem à coactione; & tamen damnati ſunt tanquam oppreſſores libertatis liberi arbitrij;ergo liberum arbitrium vltra libertatem à coactione importat libertatem indifferentiæ; nam damnati ſunt, quia dixerunt voluntatem neceſſitari ad ſuos actus; ergo huius oppoſitum, ſcilicet libertas à neceſſitate, quæ eſt libertas indifferentiæ,ſtatutum eſt,tanquam dogma Fidei.

14 Prob. 4. Si liberum arbitrium non importaret formaliter libertatem indifferentiæ, ſequeretur, quòd actus ab illo deſcendentes non poſſent prohiberi,vel præcipi,& regulari per cõſilia,& per virtutes;& ſic nec puniri,aut præmiari;fruſtra enim prohibetur, præcipitur, & conſulitur id, quod neceſſariò fit, & determinatè ad unum;ideoque brutis,qui agunt determinatè ad unum,licèt ſpontaneè,& voluntariè,non dantur præcepta,prohibitiones,conſilia,virtutes;neque eorum opera, quanuis mala;v.g. occiſio innocẽtis,merentur vituperationem, & pœnam; ſicut merentur opera facta ab homine; v.g. occidente eundem innocentem; & ſic non daretur laus, & præmium; ſed hæc ſunt falſa, & abſurda; ergo & id, ex quo ſequuntur.

Obijc.

15 Obijc.1. *Janſ.* Actus purè ſpontanei ſũt in noſtra poteſtate; ergo liberum arbitrium cõſiſtit in ſola libertate à coactione. Prob. ant. *ex Magno P.Aug.* docente *lib.2.de lib. arb. c.3. Illud eſſe in noſtra poteſtate,quod,cùm volumus,facimus;* ſed facimus actus ſpontaneos, cùm uolumus; ergo ſunt in noſtra poteſtate.*Et lib. 5. de Ciuit. Dei c.9; & 10.* diſputans *cont.Ciceronem*, quomodò præſcientiæ infallibilitas non tollat libertatem noſtram, aſſerit liberum arbitrium componi, & cohærere cum libera neceſſitate. 3. *Lib.3.de lib.arb.c.4.*ait *Beatiſſ.P.* Deum punire homines, quos infallibiliter præuidet peccaturos; quia eius præſcientia non cogit ad peccandum; & ſæpe *alibi* docet uoluntatem non cogi ad peccãdum,ſi enim cogitur neceſſitate aliquid facere,non vult,neque peccat.

Reſp.neg.ant. Ad 1.prob.dicitur illud eſſe in noſtra poteſtate,quod facimus,cùm volumus, & ita uolumus, ut habeamus potentiam ad oppoſitum, ut *idem N. Beatiſſ. P.* explicat *de Spir; lit.vbiſup;*quapropter omnis alia explicatio,tanquam ſpuria, & ab eius mente aliena habenda eſt;unde neg.eſt mi.Ad 2.dicitur *Beatiſ.P.*docere libertatem creatam optimè componi cum neceſſitate infallibilitatis præſcientiæ Diuinæ; non autem libertatem creatam importare formaliter neceſſitatem;ſicut enim licèt mutabilitas creaturæ cohæreat cum immutabilitate Dei;attamen non infertur, quòd creatura ſecundùm ſe ipſam ſit immutabilis;ita ex eo, quòd libertas creata cohæreat cum infallibilitate præſcientiæ Dei, non infertur,quòd libertas creata ſit neceſſaria in ſe ipſa.*Vid.to.2.de Prouid. art. 1; & q.2. de Præd. art.4.* Ad 3. dicitur, quòd ideo homines peccant,& digni ſunt pœna, quia Deus non cogit eos ad peccandum, & aliunde non neceſſitãtur,cùm uoluntas nequeat neceſſitari,niſi ab omni,& puro bono;nullũ autẽm obiectum peccaminoſum eſt omne, & purũ bonum. Supponit ergo *Beatiſſ.P.*voluntatẽ à bono creato nõ neceſſitari, quod eſt certiſſimum,quia nullum bonum creatũ eſt omne,& purum bonũ;& aliunde ex eo, quòd Deus non cogat ad peccandum, optimè infert homines liberè peccare, & pœnam mereri.

16 Obijc.2. *idem*. In Deo eſt formaliter libertas ſine indifferentia;nam ex eo, quòd ſemel uoluit,nequit ampliùs ſe retractare; ergo indifferentia non pertinet ad rationem formalem libertatis.

Reſp.neg.ant.Ad prob.infert. dicitur aliud eſſe, quòd Deus ob ſuam immutabilitatem non poſſit nolle,quod ſemel voluit;& aliud, quòd in ipſo non ſit libertas indifferentiæ pro eo tunc, quo aliquid voluit; ita enim voluit, vt potuerit pro illo tunc nolle,quod voluit.

17 Inſt. Si ad ſaluandam libertatem indifferentiæ ſufficeret ita ſemel ſe determinaſſe ad uolendum aliquid,vt potuerit ſe determinare ad illud nolendum, ſequeretur beatos habere libertatem indifferentiæ; quia ita ſe determinarũt ad amorem beatificum, vt potuerint ſe ad oppoſitum determinare; ſed conſ.eſt falſum; ergo & ant.Prob. ſeq. Amor, quem habent beati in patria,eſt ille idem numero, quem habuerunt in uia;ſed ad amorem uiæ ita ſe determinarunt, ut potuiſſent ſe determinare ad oppoſitum; ergo idem dicendum de amore patriæ.

Reſp.neg.ſeq;& eius prob.infert.Ad aliam diſt.ma.Eſt ille idem diuerſo modo elicitus,cõc; eodem modo,neg; ſicut enim motus uoluntatis, qui fit ſine indifferentia rationis, & dicitur primò primus,eſt neceſſarius, & ſi fiat præſuppoſita indifferentia rationis,eſt liber;& tamen eſt idem motus numero diuerſo modo elicitus; ita à pari.

18 Obijc. 3. Chriſtus in adimplendo præcepto mortis fuit liber, quia meruit noſtram redemptionem, & tamen non habuit indifferentiã ad non obediendum; ergo indifferentia non requiritur ad libertatem.2.Chriſtus fuit liber etiã ad non peccandum,quia non peccando meruit, & tamen non habuit indifferentiam ad peccandum,& non peccandum;ergo idem,quod priùs.

Reſp. hoc diſſolutum fuiſſe *q. 2. de Beat. ar.9.n.23.*Diſt.igitur 2.pars ant.Non habuit indifferentiam potentiæ ſeiunctam ab actu obedientiæ,conc; coniunctam cum actu obedientiæ, neg;ſicut enim cùm quis actu uult aliquod obiectum,quod poterat nolle,habet potentiam, quæ ſecundùm ſe præciſè ſumpta eſt indifferens,coniunctam cum actu uolitionis,cum quo nequit ſimul componere actum nolitionis oppoſitæ; ita Chriſtus Dominus habuit potentiam, quæ ſecũdùm ſe præciſè accepta erat indifferens ad obediendũ, uel non obediendũ,quia tamen erat cõiuncta cum uolitione obedientiæ,ideo cum illa non potuit componere inobedientiam.Ad 2.dicitur eodem modo, quòd fuit liber ad non peccandum, non tamen fuit liber ad peccandum, quia non potuit coniungere peccatum cum actu obedientiæ.*Sed de hoc ſuo loco.Vid.to.2.de Scient. Dei q.4.art.1.§.3;& 4.*

19 Obijc. 4. Si libertas conſiſteret in indifferentia,ſequeretur, quòd gratia efficax ex diametro repugnaret libertati, quia gratia efficax extrahit libertatem ab indifferentia,& facit eam determinatè uelle; ſed hoc lædit ſenſum pietatis Chriſtianæ;ergo & id,ũde ſequitur.2.Sequeretur cõcupiſcentiã,& omnes habitus ſiue virtuoſos,ſiue vitioſos lædere libertatem,quia ſemper inclinãt uoluntatem in unam partem potiùs,quàm in aliã.3.Sequeretur,quòd meritũ bonũ,& demeritum eo eſſet minus,quo quis haberet habitus fixiùs radicatos in anima;nam meritum, & demeritum menſurantur cum libertate; ſed hoc eſt abſurdum;ergo & primum.

Reſp. ad 1. neg.ſeq. Ad prob.infert.diſt. Gratia efficax extrahit libertatem ab indifferentia,tanquam actus perfectiuus ipſius; ſicut forma extrahit materiam à ſua indifferentia, tanquam

actus perficiens ipſam, conc; tanquam aliquid præuiũ ad actum, loquẽdo de gratia actuali, neg; nã *in noſtra Schola* gratia actualis eſt ipſe actus infuſus gratis à Deo; & ideo ſicut actus, quanuis determinet indifferentiam voluntatis, vt perfectio ipſius; attamen nec ei repugnat, nec eam lædit, ſed perficit, & actuat; ita à pari. Ad 2. neg. pariter aſſumptum; ſicut enim diſpoſitiones inclinant materiam magis ad vnam formam, quàm ad aliam, & non dicuntur repugnare illius indifferentiæ, ſed eã perficere, quia inclinant ipſam ad actum, qui eſt eius perfectio; ſic habitus voluntatis diſponunt, & inclinant libertatem ad actum, qui eſt eius perfectio; & ideo nõ lædunt, ſed perficiunt libertatẽ. Ad 3. neg. pariter ſeq. Ad prob. dicitur, quòd licèt ad meritum, & demeritum requiratur libertas, tanquam conditio; attamen menſura meriti eſt charitas; & demeriti eſt malitia obiecti, & finis; ideo creſcente charitate, & malitia creſcit meritum, & demeritum ſuppoſita tamen libertate, quæ non tollitur per habitus fixiores, vt dictum eſt. *Sed de hoc ſuo loco*.

20. Obijc. 5. Actus perfectè voluntarij, quanuis ad vnum determinati, ſunt perfectè liberi; ergo libertas non importat indifferentiam. Prob. ant. 1. In hoc diſtinguitur actus naturalis ab actu libero, quòd actus naturalis fit ſine præuio iudicio rationis; actus verò liber fit ex præuio iudicio rationis; ſed actus perfectè voluntarij, quanuis determinati, fiunt ex prẹuio iudicio rationis; ergo ſunt perfectè liberi. 2. Ille actus eſt liber, ad quem voluntas ſe mouet; ſed voluntas ſe mouet ad omnem actum voluntarium, quia actus volũtarius eſt vitalis; & actus vitalis eſt à principio intrinſeco ſe actiuè mouente ad illum; ergo omnis actus voluntarius, quanuis determinatus, eſt liber. 3. Omnis actus humanus eſt liber; ſed amor beatus eſt actus humanus; eſt enim actus perfectiſſimus hominis, & ideo nequit conuenire cum actionibus brutorum; ſic enim nimis deijceretur, & eſſet imperfectiſſimus; ergo eſt liber.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. diſt. ma. Actus liber fit ex præuio iudicio rationis indifferenti, conc; ſed neg. mi; fit ex præuio iudicio rationis determinato, neg; & ſic conc. mi. Ad 2. diſt. ma. eodem modo. Ille actus eſt liber, ad quem volũtas ſe mouet ſub indifferentia iudicij rationis, vt *inf. n.* 21; *&* 22; conc; ſub determinato iudicio, neg; aliter cùm omne viuens intrinſecè ſe moueat ad ſuos actus, habet enim principiũ intrinſecum motus, eſſet liberum. Ad 3. neg. mi; neque enim deijcitur viſio, & amor beatus dicendo eſſe actum neceſſarium; quia talis neceſſitas prouenit ex ſumma perfectione; nam prouenit ex eo, quòd tendat in omne bonum; in quo differt ab actibus neceſſarijs brutorum, qui non tendunt in omne bonum, ſed in aliquod bonum particulare minimum; & ideo iſti ſunt imperfectiſſimi. Sicut enim ſumma neceſſitas, quam habet Deus, eſſendi omne bonum, eſt ſumma perfectio, quia importat omnem perfectionem; ita ſumma neceſſitas operandi circa omne bonum eſt ſumma perfectio, quia tendit in omnem perfectionem; nam *operari ſequitur ad eſſe*; ergo à pari neceſſitas eſſendi aliquod bonum determinatè, ad quam ſequitur neceſſitas operandi circa aliquod bonum determinatè, eſt imperfectio, ſeu perfectio diminuta reſpectu neceſſitatis eſſendi, & operandi circa omne bonum; & ideo viſio, & amor beatus neceſſariò tendendo circa omne bonum ſunt ſummè perfecti comparatiuè ad actus neceſſarios, & liberos tendentes circa aliquod bonum determinatum habens admixtam aliquam rationem mali; nam perfectio, & imperfectio actus habetur ab obiecto; & modus operandi eſt perfectus, & imperfectus ex modo eſſendi illius actus.

§. 2.

Quibus conueniat liberum arbitrium?

21 DIximus bruta, pueros, amentes, alioſque carentes vſu rationis, nec non & ipſos beatos in amore beato liberè non agere; quia non agunt ſub indifferentia vſus rationis. Rationem huius tradit *Fund. Doct. in 2. diſt. 25. q. 1. art. 5. dub. 1. lat. §. Tertia via; & lib. 8. Phyſ. t. c. 9. dubit.* 1; *&* 2; quæ poteſt ad hanc formam reduci. Sola forma vniuerſalis, & indifferẽs eſt ratio formalis, per quam agens liberè agit; ſed bruta, pueri, amentes, & beati beatificè amãdo non agunt per formam vniuerſalem; ergo nõ agunt liberè. Prob. ma; quæ fundatur ſuper illud principium: *Omne agens agit ſecundùm illam formam, ſecundùm quam eſt in actu, & quæ eſt illi ratio agendi*; vt homo per animam rationalem; & per formas accidentales, quę ſunt intellectus, voluntas &c; prob. autem ſic. In hoc diſtinguitur agens liberum ab agente neceſſario, quòd illud poteſt in hoc, & oppoſitum huius, & eſt potens tendere in vtrunque; iſtud autem ita eſt determinatum ad vnum, vt non poſſit in oppoſitum; v.g. ideo ignis non eſt liber ad calefaciendum; & frigefaciendum, quia forma, per quam agit, nempe calor, non eſt ratio producendi eſſe calidum, & eſſe frigidum; homo autem eſt liber ad quærendum calorem, vel frigus; quia bonitas, quæ eſt illi ratio agendi, vt apprehenſa ab intellectu, eſt ratio volendi bonitatem caloris, vel frigoris, & vt talis ab intellectu repræſentatur voluntati; ſed agens, quod poteſt in hoc, & in oppoſitum huius, agit per formam communem vtrique, & ideo ſecundùm ſe indifferentem ad hoc, & oppoſitum in particulari; nam omne cõmune, & vniuerſale eſt indifferens ad illa particularia, quibus eſt commune, vt patet; aliter non eſſet commune, ſed particulare; ergo ſola forma vniuerſalis, & indifferens eſt ratio formalis, per quam agens liberè agit. Prob. mi. Bruta agunt per bonitatem apprehenſam per ſenſus, ſenſus autem eſt particularium, quia ſpecies ſenſibiles, licèt abſtrahant à materia, attamen non abſtrahunt à conditionibus materiæ; & ideo bonitas

ab illis apprehenſa, quę eſt illis ratio agendi, non eſt vniuerſalis huic, & oppoſito, ſed determinata ad hoc, vel ad oppoſitum; ſic pueri, & amentes, qui non habent vſum rationis, non habent, niſi vſum ſenſuum, & ideo habent agere ſolùm per ſenſus, ac propterea per ſpecies particulares; ſic beati amantes Deum agunt per ipſam Diuinam eſſentiam cognitam ſub ratione omnis boni determinatè, non autem ſub ratione communi ad bonitatem Diuinam, & oppoſitum illius; ergo forma, quæ eſt ratio agendi brutis, pueris, aliiſq; non habentibus vſum rationis, nec non beatis in amore beatifico, eſt particularis, & determinata ad vnum, non vniuerſalis, & indifferens.

22 Ex hoc deducitur, quomodò ad actionē liberam neceſſariò prærequiratur iudicium indifferens rationis; quod ſic oſtenditur. Ad actionem liberam neceſſariò prærequiritur forma vniuerſalis, vt dictum eſt; ſed vniuerſalitas habetur ab intellectu, qui tantùm habet concipere res abſtractas à materia, & à conditionibus materiæ; ergo ad actionem liberam neceſſariò prærequiritur vniuerſalitas facta ab intellectu in ipſa bonitate repræſentata voluntati; ſed vniuerſalitas bonitatis fit per iudicium indifferens; quatenus intellectus iudicat talem bonitatem eſſe proſequibilem, & non proſequibilē; ſic enim eſt communis conuerſioni, & auerſioni ab illa; ergo prærequiritur iudicium indifferens rationis, ſeu intellectus. *Hoc ſupp.*

23 Quæritur in præſenti, an homini habenti vſum rationis conueniat liberum arbitrium nedum in ſtatu innocentiæ, ſed etiam in ſtatu culpæ; & dubium eſt de libertate indifferentiæ; nam de libertate à coactione nulla eſt difficultas; ſicut nec de libertate à peccato; nam per peccatum homo factus eſt ſeruus peccati, & amiſit libertatem, qua poterat ſeruire iuſtitiæ, ſi in illa manſiſſet; nec ad hanc libertatē, quæ eſt libertas Filiorum Dei, reparamur, niſi per Chriſtum Dominum, qui *captiuam duxit captiuitatem*, à qua nos liberauit. Igitur.

24 Prima ſententia fuit *Stoicorum, Aſtrologorum, & Manichæorum*, qui, vt refert *Beatiſſ. P.* libertatem penitus negabant; primi quidem attribuendo omnes noſtros actus Fato; ſecundi ſyderum influxibus; & poſtremi animæ malæ, de quibus *vid. to. 2. q. 3. de Scient. Dei art. 3.*

25 Secūda fuit *Caluini* negantis libertatem actibus ſupernaturalibus; volebat enim noſtram libertatem à Diuina gratia efficaciter præmotā neceſſitari ad eliciendos actus ſupernaturales, & ad illos merè paſſiuè ſe habere; quæ ſententia dānata fuit *in Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4.* his verbis: *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari &c; neque poſſe diſſentiri, ſi velit &c. anathema ſit; & ab Innoc. X.* damnante propoſitionem illam *Ianſenij: Interiori gratiæ Dei nunquam reſiſtitur.*

26 Tertia eſt *Lutheranorum* concedentium libertatem in ſtatu innocentiæ, ſed illam negantium in ſtatu culpæ; volebant enim libertatem penitus extinctam fuiſſe per peccatum. Hæc pariter damnata fuit *à Trid. vbiſ. can. 5. Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatū amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe ſine titulo, imò titulum ſine re &c. anathema ſit.*

27 Sententia tamen catholica docet in homine ſiue in ſtatu innocentiæ, ſiue in ſtatu culpæ eſſe liberum arbitrium, quanuis in ſtatu innocētiæ eſſet forte, & robuſtum; & in ſtatu culpæ imbecillum, & infirmum. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 25. per totam; & cōmuniter omnes DD;* inter quos fusè *Io. Roffen. cont. 7. art. Luth.*

28 Vnica concl. Homo fuit conditus cum libero arbitrio forti, & robuſto; quod per peccatum non fuit extinctum, ſed debilitatum.

Prob. 1. pars concl. *ab aliquibus, inter quos Gonet, ex illo Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram;* quod *SS. PP.* ad libertatem indifferentiæ acceptam in prima hominis cōditione referunt, *vt Tertull; Dam; Bern; Marius Vict, & Nouarien.* Sed quia *hæretici* auctoritatem *SS. PP.* non magnifaciunt; ideo vt cōtra illos probetur, hoc relicto.

29 Prob. ex illo pariter *Gen. 1*; quod immediatè ſequitur. *Vt præſit piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & beſtijs, vniuerſæque terræ* &c. Et paulò poſt: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ſubjcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Ex quibus ſic. Vbi reperitur formaliter dominium, & ſubiectio ad illud, ibi reperitur formaliter liberum arbitriū; quia liberum arbitrium formaliter conſtituitur per dominium; ſed homini in ſtatu innocentiæ dederat Deus dominium aliarum creaturarum; ergo ei dederat liberum arbitrium.

30 Si dicatur liberum arbitrium conſtitui formaliter per dominium ſuorum actuum, non autem per dominium aliorum à ſe.

Contra eſt; nam *ibid. c. 2.* habetur, quòd Deus poſuit hominem in medio Paradiſi: *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas; in quocunque enim die ex eo comedes, morte morieris.* Ex quo ſic. Præceptum, & prohibitio non cadunt, niſi ſuper ea, quæ ſunt in noſtra poteſtate ad poni, vel non poni; & his ſolùm indicitur præmium, vel pœna; ſed Deus præcepit, & prohibuit *Adæ*, ne vellet comedere pomum ſub pęna mortis; ergo volitio comeſtionis erat in poteſtate *Adæ* ad poni, vel non poni; at id, quod eſt ſub poteſtate ad poni, vel non poni, eſt ſub dominio illius; & aliunde volitio, & comeſtio erant actus proprij ipſius *Adæ*; ergo *Adam* habebat dominium nedum aliorum à ſe, ſed etiam ſuorum actuum. Tum quia idem eſt dominium aliorum à ſe, & ſuorum actuum, imò dominium aliorum à ſe præſupponit dominium ſuorum actuū;

bruta enim, quæ non habent dominium ſuorum actuum, neque habent dominium aliorum à ſe; ergo ſi Deus dedit homini dominium aliorum à ſe,dedit etiam dominium ſuorum actuum.

31 Præterea *Eccli.*15.habetur: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit in manu conſilij ſui,adiecit mandata,& præcepta ſua,ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te &c.* Sed homo ab initio conſtitutus eſt in ſtatu innocentiæ; ergo in ſtatu innocentiæ habuit poſſe velle ſeruare mandata,& habuit nolle,vt de facto noluit,& per conſequens habuit liberum arbitrium,quod conſiſtit in poſſe velle,& nolle.

32 Prob. 2. pars concl. *ex Gen.* 4; vbi dixit Dominus ad Cain: *Cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris,recipies,ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit,ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Ex quo ſic. *Cain* erat in ſtatu culpæ, & tamen agere poterat bene,vel malè,& habebat dominium in ſuum appetitum tum rationalem,tum ſenſitiuum; ergo homo in ſtatu culpæ habet liberum arbitriū.

33 Præterea *Eccli.* 31. dicitur de iuſtis in ſtatu culpæ: *Qui potuit tranſgredi,& non eſt tranſgreſſus:facere mala,& non fecit*; ſed poteſtas ad tranſgrediendum,& non tranſgrediendum; ad faciendum, & non faciendum malum eſt liberū arbitrium;ergo in ſtatu culpæ datur liberum arbitrium. Tum quia in ſtatu culpæ dantur præcepta,prohibitiones,& conſilia;ſed hæc non dantur, niſi vbi eſt libertas ad faciendum,vel non faciendum;ergo datur liberum arbitrium.

34 Prob.3.pars concl.ex illo *Luc.*10;vbi ille homo deſcēdēs *ab Ieruſalē in Ierico* nō mortuus, ſed vulneratus dicitur, qui fuit typus hominis peccatoris habentis per peccatum vulneratū, nō extinctum fuiſſe liberū arbitrium; *& Conc. Trid. ſeſſ.6.c.*1.ſtatuit liberum arbitrium extenuatum, non extinctum. *Et Beatiſſ.P.de Cor;& Grat. c.*12. *Ita factum eſt,vt voluntas hominis inualida, & imbecilla in bono adhuc perſeueraret per virtutē Dei;cùm & voluntas primi hominis fortis;& ſana in bono ampliori non perſeuerauerit.* Et paulò poſt: *Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet; infirmis ſeruauit, vt ipſo donante inuictiſſimè,quod bonum eſt, vellent. Et lib.*1. *cont. duas epiſt. Pelag. c.* 2. *Quis noſtrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum,ſed illa,quæ in Paradiſo fuit,habendi plenā cum immortalitate iuſtitiam. Et epiſt.* 105. *Quod enim putant auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adiutorio Dei hominem habere conſenſerint,non intelligunt ſe non firmare humanum arbitrium,ſed impellere, vt per inania feratur,non in Domino,tanquam in petra ſtabili collocetur.Vid.lib.de Grat; & de lib. arb;& de Cor;& Grat*; vbi innumeris *teſtimonijs Diuinarum Scripturarum* probat hanc veritatem.

35 Prob.1. ratione. Liberum arbitrium eſt potentia naturalis eſſentialiter colligata cum intellectu; ſed homo per peccatum non amiſit intellectum, quanuis eius intellectus remanſerit vulneratus vulnere ignorantiæ;ergo neque amiſit liberum arbitrium; quanuis remanſerit vulneratū,læſū, & infirmatum vulnere peccati. Ma. patet; quia nomine liberi arbitrij intelligimus voluntatem,prout habentem dominium ſuorum actuum;voluntas autem eſt potentia eſſentialiter colligata cū intellectu. Mi.ſuadetur ex labore nimio,quem ſubire cogimur in acquiſitione ſcientiarum, quibus ſanatur vulnus ignorantiæ noſtri intellectus. Quòd autem hoc vulnus contractum ſit per peccatum,colligitur ex 1.*Gen*; vbi dicitur Deum creaſſe omnia perfecta,& valde bona; homo autem cum ignorantia naſcens eſt valde imperfectus; ergo non fuit creatus ignorans, ſed ſciens; non potuit autem priuari ſcientia, niſi ob culpam;quia hæc priuatio eſt pœna,quæ ſupponit culpam;ergo per peccatum intellectus hominis fuit vulneratus vulnere ignorantiæ; & ſic voluntas fuit vulnerata vulnere concupiſcentiæ, fomitis peccati &c.

36 Prob.2. Si libertas non eſſet in homine ante, & poſt peccatum, vel eſſet, quia nō poſſet componi cum præſcientia, & prouidentia Dei; vel cum gratia efficaci ratione infallibilitatis illius,& fallibilitatis arbitrij; ſed hoc eſt falſum,vt probatum eſt *to.2.de Scient.Dei q.3.art.3;& q.4. art.*1;ergo nulla eſt ratio *Aduerſariorum*.

37 Obijc.1. *Apoſt.*1.*Cor.*12. *Deus operatur omnia in omnibus;& 2.Cor.3.Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis,quaſi ex nobis;ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.Et Prouerb.*23.*Cor Regis in manu Domini;et pſ.*104.*Indurauit cor Pharaonis.Et Ezechiel.*36. *Auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*; ergo liberum arbitrium nihil operatur,& ideo eſt extinctum.

Reſp.has auctoritates nihil aliud concludere, niſi quòd Deus eſt primum mouens noſtras voluntates; ex hoc tamen non infertur noſtras voluntates actiuè non agere; ſicuti ex eo, quòd Deus ſit primum efficiens, non ſequitur, quòd creaturæ non habeant ſuam efficientiam; quapropter *Noſter Beatiſſ. P. lib. de Corr; & Grat. c.*2.ſuper illud *Rom.*8. *Quicunque ſunt filij Dei, ſpiritu Dei aguntur,*ait: *Aguntur,vt agant,non vt ipſi nihil agant.Vid.in Enchir.c.*64; *& ſerm.*43.*de Verb.Domini;& ſerm.*13. *de Verbis Apoſt*; *& lib. de pugna animæ per totum*.

38 Obijc.2. *Magnus P.Aug.epiſt,*107.ait: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus; & in Enchir.c.*30: *Libero arbitrio malè vtens homo & ſe perdidit,& ipſum; & de Perfect. Inſt. c.*4. *Victa enim vitio, in quod cecidit,voluntate,caruit libertate natura*; ergo libertas per peccatum extincta eſt.

Reſp.*N.Beatiſſ.P.*loqui de libertate filiorū Dei ad ſeruiendum iuſtitiæ, quæ eſt gratia Dei, quam per peccatum amiſimus. Ita ſe explicat

lib.2.cont.duas epiſt.Pelagian. c.2. vbiſ.n.33; de qua loquitur *in Suppl.cont.Iul. lib.1.c.99.ſup.illud Apoſt. Cùm eſſetis ſerui peccati, liberi facti fuiſtis iuſtitiæ*.

39 Obijc.3.*Idem Magnus Doctor* ait in natura lapſa eſſe neceſſitatem peccandi ortam ex peccato;& *lib.de Perf.Iuſt.c.5. Quia peccauit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccandi dura neceſſitas*;quod ſæpe repetit *cont.Pelag; & Iul*, ſed neceſſitas extinguit libertatem, quia tollit indifferentiam,quæ eſt de ratione libertatis, vt dictum eſt;ergo in ſtatu culpæ extinctum eſt liberum arbitrium.

Reſp. eſſe neceſſitatem peccandi præciſa gratia; quia peccator ſine gratia nequit à peccato reſurgere,& vitare peccata;non autem eſt neceſſitas abſolutè, idèſt etiam ſuppóſita gratia; quia voluntas per peccatum ſauciata ſanatur per gratiam,& poteſt bene operari;& tamen liberè, quia poteſt gratiam abijcere, & illi reſiſtere; & ideo manet libertas.

40 Obijc.4.*Idem Magnus Doctor* impugnat acerrimè libertatem illam bifrõtem, quam vocamus indifferẽtiæ,arguens *cont.Pelagianos*;& eam vocat nidum, ac fundamentum *hæreſis Pelagianæ*;ergo ex hoc clarè deducitur non remanſiſſe, niſi libertatem à coactione.

Reſp. impugnare libertatem bifrõtem ex ſe ipſa viribus naturæ æquè potentem ad bonum, & malum,vt docebant *Pelagiani*; docet autem contra ipſos libertatem *ad malum ſibi ſufficere, ad bonum autem,niſi adiuuetur ab omnipotenti bono;vt de Corr;& Grat.c.11*;quod eſt maximè aduertendum; nam peccare cùm ſit deficere, & natura creata ſit ex nihilo, ideo poteſt ex ſe ipſa deficere,& tendere in nihilum;at cùm facere bonum ſit ſupra vires naturæ, & natura non poſſit ſuis viribus in id,quod eſt ſupra ſuas vires; ideo nequit facere bonum,niſi adiuuetur à gratia;vnde licèt in nobis ſit libertas ad bonum,& ad malum;attamen non eſt æqualiter ad vtrunque.

41 Quæres; an actus liberi dicantur liberi per aliquid intrinſecum, vel per extrinſecam cõnotationem potentiæ?

Reſp.*illos*,qui non diſtinguunt libertatem actus à libertate potentiæ;vt *Mol;Vaſq;Sua;Sal;Arriag;Ouied.apud noſtrum Gibb*;velle actus dici liberos per indifferentiam, quæ exiſtit in libertate,ſeu voluntate; vnde in actibus denominatio liberi eſt tantùm extrinſeca,non intrinſeca.

42 Sed oppoſita ſententia eſt verior;ſi enim non daretur libertas actus, non appareret, quomodò poſſet admitti libertas in Deo,in quo nulla potentialitas poteſt admitti? Ergo actus ſecũdùm ſe ipſum intrinſecè importat libertatem. 2. Actus liber ſecundùm ſuam entitatem diſtinguitur ab actu neceſſario in eo,quòd liber poteſt eſſe,& non eſſe;& ita eſt,vt potuerit non eſſe;& in creatura ita eſt,vt poſſit deſinere eſſe; actus verò neceſſarius ita eſt, vt non potuerit non eſſe; ſed illud, per quod diſtinguitur actus liber à neceſſario,eſt in ipſo actu,eſt enim entitas ipſius actus, & non eſt quid neceſſarium; ergo eſt quid liberum; & ideo actus liber importat intrinſecè libertatem. 3.Libertas actus dicitur per oppoſitionem ad libertatem potentiæ;actus enim opponitur potentiæ;ſed libertas potentiæ dicitur ex eo, quòd poſſit facere hoc,& oppoſitum huius;ergo libertas actus dicitur ex eo, quòd eius entitas intrinſecè dicat potentialitatem ad poni,vel non poni.4.Ita ſe habet actus liber reſpectu liberi arbitrij; ſicut actus intellectionis reſpectu intellectus; ſed actus intellectionis non denominatur ſolùm extrinſecè,ſed intrinſecè; ergo & actus liber.5.Denominatio extrinſeca eſt ſolùm à forma extrinſeca, vt paries denominatur viſus à viſione,quæ non eſt in ipſo pariete,ſed extra parietẽ; ſed actus liber eſt intrinſecè in ipſa potentia libera,cuius eſt actus; ergo non denominatur extrinſecè liber; ſicut ſi viſio eſſet intrinſeca parieti, paries non denominaretur extrinſecè viſus, aut videns.

43 Quanuis ergo actus liber dicat reſpectũ ad liberum arbitrium, quia omnis actus reſpicit ſuam potentiam; attamen non denominatur extrinſecè liber,ſed intrinſecè. *Vid. noſter Gibb.hic diſp.9.dub.4.*

44 Hæc tamen vera ſunt ſolùm de actibus elicitis,non de imperatis aliarum potentiarum; qui,vt patet,denominantur ſolùm per ordinem ad actus ipſius voluntatis.

A R T. III.

An queat dari pura omiſſio libera ſine omni actu?

1 ADeo variè pertractatur hæc difficultas, vt non ſit facilè reducere *Auctores* ad punctum, in quo ſita ſit inter eos controuerſia; nam *Iuniores Thomiſtæ*, quibus iungitur *noſter Gibb*; illam reducunt ad hoc; an ad puram omiſſionem requiratur pręceptum,ſeu obligatio faciendi,vt videre eſt *apud Gonet hic diſp.1. art.3*; vnde *iſti* potiùs ſupponunt difficultatem, quàm reſoluant. *Alij* dicunt dari puram omiſſionem præſupponentem actum noſtræ cognitionis ſine præcepto, ſeu obligatione faciendi id,quod omittitur, vt *quidam ex noſtris;apud quem plures*. *Alij* agunt ſolùm de omiſſione volũtaria ſupponente præceptum præſcindendo ab eo, quòd ſit culpabilis, vel inculpabilis, & tamen poſito præcepto faciendi, ſi omittatur, talis omiſſio eſt culpabilis.Vt igitur ad aliquem ſtatum firmum reducatur, & in tanta modorum dicendi ambiguitate diſtinctè procedamus.

2 Not; quòd omiſſio eſt non poſitio actus; ſicuti cõmiſſio eſt poſitio actus; vnde quærere, an poſſit dari omiſſio libera ſine omni actu, eſt quærere,an poſſit dari aliqua non poſitio omnis actus,quæ ſit voluntaria, & libera, veluti in actu ſecundo.

3 Omiſſio autem omnis actus poteſt eſſe. 1. Prout eſt non poſitio actus pertinentis tantùm ad voluntatem vel elicitiuè, vel imperatiuè. 2. Prout eſt non poſitio omnis actus pertinẽtis etiã ad intellectum non imperati à voluntate ita, vt voluntas non determinetur ab aliquo actu imperato, vel elicito, aut pro eodem inſtãti, aut etiam antecedenter; aut ab actu ipſius intellectus, in cuius virtute cenſeatur determinata volũtas ſaltem virtualiter. Difficultas procedit in ſecundo ſenſu, in quo agitatur *ab antiquis*, vt videre eſt *apud Fund. Doct. inf*; quamuis *à Recentioribus* ad alium ſenſum fuerit diſtracta.

4 Quòd requiratur præceptum ad hoc, vt omiſſio ſit voluntaria, & imputetur, tanquã actus interpretatiuus, ſeu imputatiuus, rectè prob. ex eo; quòd omiſsio nequit cenſeri voluntaria in actu ſecundo, niſi voluntas cenſeatur determinata ad illam omiſſionem; quandiu enim eſt indifferens, & indeterminata, non cenſetur omittens in actu ſecundo; ſed nullum determinatiuum intrinſecum intrinſecè afficiens, aut extrinſecè adhærens reperitur; quia determinatiuum intrinſecũ eſſet actus ipſius voluntatis, vel quo vellet illam omiſsionem, vel quo vellet aliquod incompoſſibile cum omiſſione; vt cùm quis vellet ſtudium, vel ludum, cum quo eſt incompoſſibilis auditio Miſſæ; & extrinſecè adhærens eſſet actus intellectus; ſine quibus omnibus ſupponitur eſſe volũtas; ergo à ſolo præcepto extrinſecè ſe habente poteſt reddi determinata. Mi. ſupp; & *inf.* probab. Ma. ampliùs ſuadetur. Si nõ requireretur aliquod determinatiuum, non eſſet ratio, cur potiùs hæc omiſſio, quàm innumeræ alię omiſſiones aliorum actuum cenſerentur voluntariæ, & attribuerẽtur ipſi voluntati; ideo enim illæ non cenſentur voluntariæ, quia nullum eſt determinatiuum volũtatis ad illas; ergo ad hoc, vt hæc potiùs omiſſio, quàm aliæ, ſit uoluntaria, requiritur aliquod determinatiuum uoluntatis potiùs ad hanc, quàm ad illas.

5 Reſp. *aliquis* alias omiſsiones non cenſeri voluntarias, quia etiamſi ſint multa, quorum habemus ſpecies, & ſcimus in habitu, ſiue in actu primo; attamen illa non cogitamus in actu ſecũdo; & ideo volũtas non determinatur per actualem cogitationem ad illas; ſicut determinatur ad iſtam; requiritur autẽ actualis cogitatio ad hoc, vt aliqua omiſſio cenſeatur uolũtaria; quia obiectum non cognitum non mouet uoluntatem.

Sed contra eſt; & ſimul euertitur alius modus explicandi hanc difficultatem. Ad hoc, ut uoluntas cenſeatur voluntariè omittens, ſufficit, quòd ſicuti ipſa voluntas eſt potens non omittere, & tamen omittit, ita intellectus ſit potens cogitare, & tamen actu non cogitet, ſed omittat cõgitare; vnde *Phil. 3. Eth. apud Fund. Doct.* ait: *Negligentiam eſſe puniendam, quantùm ad facere, & quantùm ad ſcire*; cùm quis negligit ſcire, quod debet; vel negligit facere, quod debet; non enim eſt minùs culpabilis negligentia ex parte intellectus, quàm ex parte uoluntatis; aliter ignorantia craſſa, qua quis negligit ſcire, quod poteſt ſcire, excuſaret à peccato; & ſic poſſet quis non cogitare de auditione Miſſæ in die feſto, & omittere auditionem, & hoc ſufficeret ad non peccandũ, quod nullus diceret. 2. Ad puram omiſſionem requiritur excluſio omnis actus formalis tum voluntatis, tum intellectus, vt dictum eſt; ergo uoluntas nequit determinari à cognitione intellectus, quæ actu non eſt; aliter poſſet determinari à fortiori ab actu uoluntatis, qui actu non eſt, ſed poſſet eſſe. 3. Si requireretur cognitio ad hoc, vt obiectum cognitum determinet uoluntatem, iam obiectum produceret in ipſa voluntate actum, vt qualitas eſt; ſic enim obiectum determinat uoluntatem, vt ſæpiſſimè diximus, & *inf.* iterum dicemus; ergo uoluntas non eſſet ſine omni actu.

6 Dices 1. Præceptum non includitur in ratione uoluntarij; ergo non ſpectat ad eſſentiam illius. 2. Præceptum non facit omiſſionem eſſe in noſtra poteſtate; ergo nõ efficit illã eſſe uoluntariam. 3. Actus eſt uoluntarius, licèt non adſit pręceptum; ergo & omiſſio; *oppoſitorum enim eſt eadem ratio*. 4. Præceptum faciendi mouet potiùs ad actum, quàm ad omiſſionem actus; ergo nihil facit ad omiſsionem. 5. Præceptum ſupponit actus, & omiſſiones eſſe uoluntarias; quia de rebus naturalibus non datur præceptum; ergo ratio uoluntarij non conſiſtit in præcepto. 6. Vt omiſſio ſit uoluntaria non requiritur obligatio omittendi, aliter nulla omiſſio eſſet mala, quia omnis omiſſio uoluntaria eſſet præcepta; ergo neque requiritur præceptum obligans ad faciẽdum; nam obligatio omittendi magis uidetur mouere uoluntatem ad omittendum, quàm moueat obligatio faciendi; quæ potiùs mouet ad nõ omittendum. 7. Omiſsio ſequẽs uoluntatem poſitiuam omittendi eſt uoluntaria etiam ſine præcepto; ergo & omiſſio pura; voluntas enim purè omittens cenſetur interpretatiuè determinata.

Sed hæc leuia ſunt. Ad 1. dicitur, quòd neque cognitio ſpectat ad eſſentiam omiſſionis uoluntatis, & tamen ſufficit ad determinandam uoluntatem, vt dicit *iſte Recens*. Quamuis ergo præceptum non ſit de intrinſeca ratione eſſentiali omiſsionis, eſt tamen cauſa efficiens moralis, vel conditio, ob quam voluntas omittens cenſetur interpretatiuè determinata in actu ſecundo ad omiſſionem. Ad 2. eodem modo diſt. conſ. Præceptum non efficit omiſsionem eſſe voluntariam formaliter, conc; non enim eſt conſtitutiuum formale voluntarij; non eſt cauſa, aut conditio, ob quam omiſsio cenſeatur eſſe exercitè in actu ſecundo, neg; ſic enim approximatio non conſtituit formaliter actionem, & tamen eſt conditio, qua actio ponitur in exercitio actus ſecundi. Ad 3. neg. conſ; actus enim ex ſe ipſo determinat voluntatem; omiſſio autem, quia nihil eſt, nequit determinare. Ad prob. inſert. dicitur oppoſitionẽ

eſse

eſſe ean dem rationem genericam, & diuerſam rationem differentialem, aliter non eſſent oppoſita; ergo quia actus poſitiuus ſecundùm ſuam rationem differentialem opponitur actui, non habet illam determinare, & ideo requiritur determinatiuum extrinſecum. Omiſſio itaque, & actus ſolùm in ratione generica voluntarij conueniũt. Ad 4. neg. ſupp; voluntas enim purè omittens nõ mouetur; nam ſi moueretur, moueretur per aliquem actum receptum in ſe ipſa, quia motus eſt *actus entis*, vt dicitur in eius definitione; & ſic nõ eſſet purè omittens. Diſt. igitur conſ. Nihil facit phyſicè producendo, conc; moraliter determinãdo, neg. Ad 5. diſt. ant. Præceptũ ſupponit actiones voluntarias in actu ſignato, & in potentia, conc; in actu exercito, neg; & diſt. conſ. Ratio voluntarij nõ cõſiſtit formaliter in præcepto, conc; non enim præceptum eſt voluntarium omitteri, ſed carentia actus eſt voluntaria ex præcepto; non conſiſtit cauſaliter moraliter, neg. Ad 6. dicitur, ſicuti ad 4; eadem enim obiectio eſt. Ad 7. neg. conſ. ſicut ad 3; voluntas enim nequit cenſeri interpretatiuè determinata, niſi adſit aliquod determinatiuum extrinſecum, quod nequit eſſe, niſi præceptum.

7 Suppoſito ergo ad omiſſionem voluntariam requiri præceptum, ſeu obligatio faciendi actum, qui omittitur; per quod præceptum omiſſio redditur culpabilis, notanda eſt diuiſio, quam tradidimus *art*. 1. §. a; voluntarij in formale, & interpretatiuum, ſeu imputatiuum; nam cùm volũtarium conſiſtat in actione, vt *ibid.* diximus; ſicut diuiditur voluntarium; ita actus diuiditur in formalem, & interpretatiuum, ſeu imputatiuum. Actus formalis voluntatis eſt ille, qui poſitiuè elicitur ab ipſa; actus interpretatiuus, ſeu imputatiuus eſt ille, qui non elicitur ab ipſa, ſed ei imputatur, ac ſi ab illa fuiſſet poſitiuè elicitus; vnde qui potens, & negligens omittit Miſſam in die feſto, talis omiſſio imputatur ei interpretatiuè, ac ſi ille poſitiuè voluiſſet omittere Miſſam.

8 Prima ſententia vult non poſſe dari purã omiſſionem voluntariam ſine aliquo actu formali. *Ita Vaſq; Conr; Med, Caiet; Lorca*. Tribuitur etiam *Mag; D.Bon; Henr; Capr, & alijs*.

Secunda ſententia docet poſſe dari puram omiſſionem ſine omni actu formali, non tamen ſine actu interpretatiuo, ſeu imputatiuo. *Ita Fund.Doct.in* 2.*diſt*.35. *q*.1.*art*.2. Et licèt *quidã ex noſtris* aſſerat ipſum admittere puram omiſſionem ſolùm in caſu, quo quis non cogitat de præcepto, & ſic neque vult, neque nõ vult adimplere præceptum; in quo caſu talis omiſſio non eſt voluntaria, ſed neceſſaria; quia voluntas non fertur in incognitũ; iſte tamen nõ attigit mentem *Fund.Doct*; qui loquitur de omiſſione peccaminoſa, & ideo voluntaria; ait enim §. *Tertij verò*: *Poteſt quis peccare omittendo, quod debet, nihil cogitando de hoc, quod debet, nec volendo illud, nec contrarium*. Cùm autem dicitur, quòd voluntas non fertur in incognitum, diſt; non fertur poſitiuè; conc; omiſsiuè, neg; ſicut enim omittens non fertur poſitiuè in carentiam actus, ſed tantùm imputatiuè, quia ei imputatur, ac ſi poſitiuè tenderet; quia eſt in eius poteſtate tendere; ita non fertur poſitiuè in carentiam cognitam, ſed tantũ imputatiuè, quia ei imputatur omiſsio, ac ſi illam cognoſcerer, quia eſt in eius poteſtate illam cognoſcere; poteſt enim præcipere intellectui, vt illam cognoſcat. *Ita etiam Argent.in* 2.*diſt*.26.*q*.1. *art*.1; *et omnes alij ex noſtris*. Cõſentiunt *D.Tho. cum ſuis Diſcipulis; Dur, Ric; Okam; Sua; Sal; Val; Auerſ, & omnes alij communiùs*.

9 Vnica concl. Poteſt dari in creatura pura omiſſio voluntaria ſine omni actu formali; non tamen ſine actu interpretatiuo, ſeu imputatiuo.

Prob. 1. pars concl. *ex N.Beatiſſ.P. de Spir; & lit.c.*31; vbi docet: *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod, ſi vult facit, ſi non vult, non facit; et lib. de decem Chordis c.*3. *Si non faciẽdo, quod iubet, vt faciatis, aduerſarij eius eſtis; non dicendo, quod iubet, vt dicamus, aduerſarij eius remanebimus*. Ex quibus ſic. Noſtra voluntas non ſolùm exercer ſuam libertatem faciendo, quod eſt præceptum per actum poſitiuum, ſed etiam illud purè non faciendo per ſuſpenſionem omnis actus; ſed purè non faciendo per ſuſpenſionem omnis actus hàbet puram omiſſionem voluntariam ſine omni actu formali; ergo dari poteſt pura omiſſio voluntaria ſine omni actu. Prob. ma. Libertas cõtradictionis eſſentialiter conſiſtit in poſse ponere, & non ponere omnem actum nedum elicitum ab ipſa, ſed etiam præſuppoſitum, & quocunque modo concurrentem ad illam; omnis enim actus concurrens præſuppoſitiuè ad actum liberum elicitum eſt in poteſtate voluntatis; quia libertas contradictionis conſiſtit in poſitione, & carentia actus; vnde ſi voluntas habet poteſtatem ponendi, & non ponendi per imperium omnem actum concurrentem ad actum elicitum; nullus enim actus neceſsarius concurrit ad actum liberum elicitum neceſſariò, ab illo nanque neceſsitaretur; & ſicuti ad actum neceſſarium nullus actus liber eſſentialiter concurrit; ſecus ſi concurrerer actus liber, ſecundùm quod concurreret actus liber, ille actus liber diceretur; ita ſi ad actum liberum concurreret aliquis actus neceſſarius, ſecundùm quod concurreret actus neceſſarius, ille actus neceſſarius diceretur; ſed in creatura datur libertas contradictionis; ergo in creatura eſt poteſtas non faciendi actum per ſuſpenſionem omnis actus.

10 Conf. In hoc diſtinguitur potentia libera eſſentialiter defectiua à potentia naturali neceſſaria, quòd illa poteſt æquè exercere ſuam cauſalitatem nedum poſitiuè ponendo omnes actus, qui ab illa dependent, ſed etiam priuatiuè nullum ponendo omnino actum, qui ab illa dependet, & eſt in eius poteſtate; iſta verò

ſolùm poſitiuè exercet ſuam cauſalitatem ſupra ſuos actus, quam nequit pro ſuo libito ſuſpendere; nam potentia neceſsaria eſt ad vnum determinata; potentia autem libera eſt ad vtrunque, ſcilicet ad actum, & priuationem actus; ſed libertas creaturæ eſt potentia libera eſſentialiter defectiua; in hoc enim differt à libertate Dei, quæ nequit deficere ab actu, cùm ſit ſumme perfecta; ergo poteſt æquè exercere ſuam cauſalitatem nedum poſitiuè ponendo omnes actus, qui ab illa dependent, ſed etiam priuatiuè nullum ponẽdo actum, qui ab illa dependet, & eſt in eius poteſtate; cognitio autem, & aduertentia actualis pendet ab illa, quia ſubiacet eius imperio, & ſic de omni alio actu ſimul concurrente ad actum elicitum; ideo poteſt priuatiuè exercere ſuam cauſalitatem ſuper omnem actum; atqui exercitium priuatiuum omnis actus eſt omiſsio libera ſine omni actu; ſicut exercitium poſitiuum omnis actus eſt commiſsio libera omnis actus; ergo poteſt libertas creata habere omiſsionem liberam ſine omni actu.

11 Prob.2.*ex Fund.Doct.* Ita ſe habet volũtas defectiua reſpectu actus defectibilis; ſicut actus liber Dei indefectibilis reſpectu mali, quod eſt defectus; nam ſicut voluntas defectiua conſtituitur per ordinem ad actum defectibilẽ, in quẽ poteſt tendere, & non tendere; ita actus liber indefectibilis conſtituitur per ordinẽ ad defectum, in quem nequit tendere; ſed actus liber Dei merè omiſsiuè ſe habet reſpectu mali; quia ſi Deus vellet malum, eſſet Auctor illius, & peccator volente Deo fieret deterior; & ſi illud nollet, nunquam fieret; quia voluntas Dei, cùm ſit omnipotens, ſemper impletur; ergo voluntas defectiua poteſt purè omiſsiuè ſe habere.

12 Prob.3.*ex eod.* Omiſsio peccaminoſa eſt voluntaria; quia *non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium*, vt docet *Beatiſſ. P*; ſed poteſt dari pura omiſsio peccaminoſa; quia cùm intellectus negligit, cùm poteſt, cogitare id, quod debet ex præcepto, & illud omittit velle, tunc voluntas peccat; aliter ignorantia craſsa excuſaret à peccato; ergo poteſt dari pura omiſsio voluntaria.

13 Prob.4. Si non poſset dari pura omiſsio, maximè, quia propter continuas propoſitiones factas ab intellectu, voluntas ſemper habet aliquem actum, vt dicunt *Aduerſarij*; ſed hoc eſt falsũ; quia ſi intellectus ſemper proponeret voluntati aliquod obiectum, illud ageret in voluntatem producendo entitatem volitionis, vt qualitas eſt, actuantem ipſam voluntatem; & ſic nunquam voluntas ſuſpenderet actum, & ideo non daretur libertas contradictionis; obiectum enim propoſitum voluntati ab intellectu illam mouet, & inclinat in ſui amorem, quod nequit eſſe, niſi producendo in illa pondus, per quod ſolùm inclinatur; pondus autem eſt amor, vt docet *Beatiſſ.P.lib.1.Confeſſ*, vt *inf.* videbimus; tum quia propoſito quocunque obiecto naturali voluntas eſt libera ad tẽdendũ in illud, quia nõ neceſſitatur, niſi à sũmo, & puro bono; tũ quia ſicut volũtas poteſt liberè deſiſtere à ſuo actu; ita poteſt præcipere intellectui, vt deſiſtat ab omni cognitione actuali; intellectus enim ſubiacet illius imperio; ergo ruit ratio *Aduerſariorum*. Tum quia voluntas, quanuis non poſſit pro multo tempore manere ſuſpenſa ab omni operatione, poteſt tamen pro aliqua breui morula, vt fatetur *Vaſq*; ſed pro illa morula poſſet eſſe præceptum faciẽdi; ergo illa omiſſio pro illa breui morula eſſet voluntaria, quia eſſet peccaminoſa.

14 Prob. 2. pars concl. Voluntarium conſiſtit in aliqua actione, vt diximus *art.* 1. §.1; ergo nequit dari omiſſio voluntaria, niſi detur aliquis actus; ſed poteſt eſſe ſine actu formali, vt dictum eſt, ergo nequit eſſe ſine actu imputatiuo. Tum quia voluntas per omiſſionem voluntariam extrahitur à ſua indifferentia; ſed extractio voluntatis ab indifferentia non fit, niſi per aliquem actum, qui poteſt non eſſe formalis; ergo erit imputatiuus. Tum quia actus imputatiuus eſt ille, qui imputátur voluntati, ac ſi verè ab illa poſitiuè elicitus fuiſſet, cùm tamen verè ab illa elicitus non ſit; ſed omiſſio voluntaria ita imputatur voluntati, ac ſi ab illa poſitiuè fuiſset nolita per actum elicitum; nam propter illam punitur; ergo omiſsio voluntaria importat actum imputatiuũ. Sic prob. alijs rationibus, quibus *Aduerſarij* conantur improbare 1.part.concl; vt *inf.*

15 Obijc. 1. *Magnus P. Aug*; vt habetur *in lit.apud Mag*; definit peccatum, quòd ſit *factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei*; ſed factum, dictum, & concupitum importat aliquẽ actum, vt patet; ergo peccatum importat aliquẽ actum; atqui omiſſio voluntaria vrgente præcepto eſt peccatũ; ergo omiſſio voluntaria importat aliquem actũ; & ideo nequit eſſe ſine omni actu.

Reſp. *Fund.Doct*, quòd *Gloſ. in Rom.7.* ait, quòd operari, & non operari ſunt partes eius, quod eſt operari; idèſt quòd omiſſio operationis poteſt vocari operatio in obliquo, cùm ſit obliquitas illius, ſeu priuatio illius, ſic intelligendus eſt *N.Beatiſſ.P.* Vel dicitur, quòd peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum formale, vel interpretatiuum, ſeu impuratiuum, quia imputatur, tanquam factum, vel dictum, vel cõcupitum. Tandem *alij* volunt *ibid.* definiri ſolùm peccatũ commiſſionis, non omiſſionis.

16 Obijc. 2. Omiſſio voluntaria moraliter bona importat aliquem actum; ergo omiſſio voluntaria moraliter mala importat aliquem actum.

Reſp. *quidam ex noſtris* poſſe dari omiſſionem voluntariã moraliter ſine omni actu. 1. Quia omiſſio actus mali eſt bona; nam carere malo bonum eſt; ergo poteſt dari pura omiſſio moraliter bona. 2. Velle honeſtatem eſt bonum; ergo non velle inhoneſtatem eſt bonum. 3. Honeſtas, & laudabilitas nõ ſolùm eſt in proſecutione vir-

tu-

tutis,ſed etiam in pura omiſſione actus vitioſi;nã omiſſio actus vitioſi eſt æquiualenter, & interpretatiuè nolitio eiuſdem. 4.*Eccli*. 31. habetur: *Beatus vir,qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus;facere mala,& non fecit*,& illud: *Declina à malo, & fac bonum*, non enim *hic* intelligitur actus poſitiuus; aliter præceptum negatiuũ euaderet affirmatiuum, imò confunderetur cum affirmatiuo.5.Omne voluntarium liberum conforme legi Diuinæ eſt moraliter bonum; ſicut difforme eſt malũ; ſed pura omiſſio actus mali v. g. odij proximi eſt conformis legi Diuinæ præcipientis: *Non habebis odio inimicum tuum*; ergo eſt moraliter bona.

17 Sed hoc eſt *cont.Fund.Doct. hic ad 2; & cont.* ſententiam communiter admiſſam. Ad arg. ergo neg.conſ; & diſparitas eſt; *quia bonum ex integra cauſa,malum ex quocunque defectu*; integra autẽ cauſa boni eſt agere,vt debemus,quando debemus,& quomodò debemus;& ſi vnum eſt iſtis deficiat,deficit ratio boni;at verò ad malum ſufficit ceſſare ab actu, & ideo poteſt dari pura omiſſio, quæ eſt ceſſatio ab actu, moraliter mala, non autem moraliter bona. Tum quia ad voluntarium meritorium requiritur, quòd ſit formatum charitate, idèſt amore Dei ſuper omnia,qui eſt arbor, à quo deſcendunt fructus meritorum,vt docet *Beatiſſ.P.de Grat.Chriſti c.* 18; & 19,dicens: *Radix omnium bonorum eſt charitas*,quæ eſt amor Dei;& *de Spir;& lit.c.14. Non enim actus eſt bonus, qui de charitatis radice non venit*, & traditur *ab Apoſt.1.Cor.* 12; & 13; vbi poſtquã enumerauit multa opera bona ait: *Charitatem autem non habeam,nihil mihi prodeſt*; ergo ſi opera poſitiuè bona ſine amore Dei non ſunt meritoria,à fortiori idem dicendum eſt de pura omiſſione,quæ excludit actum amoris Dei. Tum quia volũtas purè omittẽs eſt volũtas purè otioſa; otioſus enim eſt ille,qui nihil agit; ſed otioſitas nequit eſſe moraliter bona;ergo neque pura omiſſio. Tum quia omiſſio pura dicit priuationem rectitudinis debitæ, quæ eſt formalis tẽdentia in bonũ;ergo niſi omiſſio mali dirigatur in bonum,remanet priuata bonitate,& ideo mala. Tum quia ſi pura omiſſio eſſet meritoria, ſequeretur,quòd gloria redderetur nedum operibus bonis,ſed etiam non operibus; quia omiſſiones ſunt non operæ; conſ.eſt abſurdum; ergo & ant.Tum quia ſeruus inutilis, qui nullum lucrum de talento reportauit, à Deo fuit reprobatus; & tamen *ibi* non fit mentio, quòd egerit opera mala; ergo per ſolam omiſſionẽ boni homo punitur,& ideo eſt mala.Tum quia voluntarium moraliter bonum importat formalem tendentiam, ſeu proſecutionem actualẽ boni,à quo ſpecificatur; ſicut voluntarium moraliter malũ eſſentialiter importat fugam à bono;nã cùm bonum conſiſtat in poſitiuo,ſicut malum in negatiuo, quia eſt non ens;ideo bonum importat quid poſitiuum, & per conſequens actus bonus dicit poſitiuam tendentiam in actum bonum, quæ eſt actus poſitiuus; quanuis malum poſſit conſiſtere in pura priuatione boni.Ex hoc habetur alia ſolutio *arg*; nam meritum,& demeritum, ſeu bonum,& malum dicuntur per oppoſitionem eo, quia meritum, & bonum dicit quid poſitiuum eſſentialiter; importat enim ens,cuius eſt actio; vnde actus bonus eſſentialiter importat entitatẽ actualem,idèſt entitatem actu,actualiter,& exercitè poſitam; & ideo non ſufficit actus imputatiuus,qui verè non eſt, imputatur tamen,ac ſi eſſet;at verò actus malus, quia conſiſtit in priuatiuo, ideo non importat eſſentialiter aliquem actum formalem poſitiuum, ſed ſolùm imputatiuum.

18 Ad 1.autem diſt. ant. Pura omiſſio mali eſt bona inchoatiuè,& inadæquatè, trãſeat.integraliter,& perfectè,neg.Vel neg.ant; nam pura omiſſio mali inuoluit otioſitatem, quæ eſt mala, vt dictum eſt. Ad 2. diſt. conſ. Non velle purè omiſſiuè inhoneſtatem eſt bonum ſimpliciter, neg; quia non velle inhoneſtatem purè omiſſiuè inuoluit otioſitatem, vt dictum eſt; commiſſiuè, conc; quapropter ſeruus piger reprobatus eſt; quia manſit otioſus. Ad 3.neg.ant. Ad prob. inſert.dicitur, quòd actus bonus non conſtituitur per actum imputatiuum,vt dictum eſt. Ad 4. dicitur,quòd ſecundus textus explicat primum; nam per illa verba *fac bonum* explicatur, quòd non ſufficit purè omittere malum, nec purè trãſgredi,aut non facere; nec per hoc præceptũ negatiuum,& affirmatiuum confunduntur,quanuis ſe comitentur ad inuicem; cùm enim affirmatiuè dicitur *vnum cole Deũ*; inuoluitur hoc aliud *plures non cole Deos*. Ad 5. diſt.ma. Voluntarium liberum poſitiuè conforme legi Diuinæ eſt moraliter bonum, conc;priuatiuè,neg.

19 Obijc.3. Omne malum eſt in aliquo bono,vt docet *Magnus P. Aug*. quia omne malum eſt in aliqua natura, & natura,in quantùm natura eſt,bona eſt;ſed omiſſio voluntaria ſtante præcepto eſt mala;ergo fundatur in aliquo bono; & ideo in aliquo actu poſitiuo. 2. Peccatum adæquatè diuiditur in originale,& actuale;ſed omiſſio voluntaria non eſt peccatum originale; ergo eſt peccatum actuale; & ideo eſſentialiter inuoluit actum, à quo denominatur actualis.

Reſp.*Fund.Doct.*Omiſſionem voluntariam fundari in ipſa voluntate priuata rectitudine debita;non autem in actu bono; ideo neg. 2. pars conſ. Ad 2.diſt. ma. Diuiditur in originale, & actuale,quod ſubdiuiditur in formale, & virtuale,conc;ſecus,neg.

20 Obijc.4. Voluntarium eſt *illud, quod eſt à principio intrinſeco*; ſed illud,quod eſt à principio intrinſeco,eſt actus;ergo voluntarium neceſſariò includit actum.2. Voluntarium conſiſtit in actu ſecundo,ſeu in operatione;ergo idem,quod priùs.3.Voluntas voluntariè omittens eſt extra-

ctâ à ſua indifferentia, & cenſetur determinata in actu ſecundo,& exercitè;ſed non extrahitur à ſua indifferentia,nec determinatur,niſi per actũ, quia *actus eſt,qui determinat ex Phil*; ergo volũtas voluntariè omittẽs neceſſariò includit actũ. Tum quia voluntas nequit intelligi voluntariè determinata,niſi ei aliquid addatur; ſed illud, quod additur,eſt actus;ergo nequit intelligi voluntariè determinata ad omittendum, niſi per actum.

Reſp.ad 1.diſt. ma. Voluntarium eſt illud, quod eſt è principio intrinſeco vel poſitiuè, vel imputatiuè,conc;poſitiuè tantùm,neg;nam volũtaria eſt nedum poſitio,ſed etiam omiſſio actus; & omiſſio actus dicitur actus imputatiuus;& eodem modo diſt.mi.Ad 2.pariter diſt.ant. Voluntarium conſiſtit in actu ſecundo,ſeu in operatione vel poſitiua,vel priuatiua, conc;poſitiua tantùm, neg. Et ſic ad 3. dicitur extrahi ab indifferentia, & determinari omiſſiuè per actum imputatiuum; & eodẽ modo ad aliud dicitur ei addi actum imputatiuum,vel formalẽ; vnde iſtæ omnes difficultates eadem reſponſione ſoluuntur.

21 Inſt.Actus imputatiuus non eſt verè elicitus à voluntate,ſed ſolùm ei attributus ab exiſtimatione prudentum;ergo non eſt verè voluntarius.

Reſp.diſt. ant. Non eſt verè elicitus phyſicè,conc;moraliter,neg;nam licèt mors ſecuta ex conſilio alicuius non ſit phyſicè cauſata à conſulente per verum influxum phyſicum; eſt tamen verus effectus moralis per verum influxũ moralem cauſatus; ita quanuis actus imputatiuus non ſit verus moralis formalis phyſicè elicitus à voluntate;eſt tamen verus actus moralis.

22 Obijc. 5. Pura omiſſio non eſt volita; ergo nec voluntaria; nam voluntarium eſt volitum.Prob.ant.Si eſſet volita,vel per ſe ipſam;vel ratione alicuius actus poſitiui? Non primum; quia omiſſio non eſt bona;ergo nequit eſſe volita per ſe ipſam; cùm ſolùm bonum ſit volibile per ſe ipſum. Non ſecundum; nam ſi inuoluit actum poſitiuum,iam nõ eſt pura omiſſio. 2.Omne voluntarium vel eſt voluntarium per ſe,& directè,& ſic includit actum; vel indirectè, & in alio,vt in cauſa, & ſic inuoluit actum præcedentem;ergo nulla eſt pura omiſſio.

Reſp.ad 1.neg. ant: nam vt diximus *art. 1. §.1*;non eſt neceſſe,quòd voluntarium ſit volitũ, vt *quod*.Vel diſt.Non eſt volita imputatiuè,neg; formaliter elicitiuè,conc. Ad prob. dicitur eſſe volitam per ſe ipſam imputatiuè.Ad improb.eodem modo diſt.ant. Omiſſio non eſt bona imputatiuè,neg; ſicut enim eſt volita, ita eſt bona; & ideo ſicut imputatur voluntati,tanquam volita, vt *quo*,ita imputatur,vt bona; cenſetur enim voluntas illam velle,tanquam bona mapparẽter.Ad 2.eodem modo dicitur omiſſionem eſſe voluntariam per ſe,& directè imputatiuè.

23 Obijc. 6. Si daretur pura omiſſio culpabilis,daretur aliquod peccatum actuale, cui non correſponderet pœna ſenſus; quæ correſpondet conuerſioni ad creaturam;ſicut pęna damni correſpondet auerſioni à Deo;vt docet *Fund. Doct. in 2.diſt.23.q.2.art.1. §.Secunda via*;nam in pura omiſſione non datur conuerſio ad creaturam, quia talis conuerſio eſt actus poſitiuus elicitus, quo voluntas tendit in creaturam; ſed conſ. eſt falſum;ergo & ant. 2. Peccatum omiſſionis multiplicatum deſtruit virtutem acquiſitam, & generat habitum vitioſum; ſed hæc deſtructio nequit fieri,niſi per actus oppoſitos; ergo nulla datur pura omiſſio.3.Omiſſio actus externi ſemper eſt coniuncta cum aliquo actu externo; vt v.g. omiſſio audiendi miſſam coniungitur cum actu externo ludi,vel ſtudij; ergo ſemper includit aliquem actum.4.Non poteſt dari voluntariũ abſque aliquo motiuo; non enim appetitus poteſt tendere in aliquod obiectum,niſi ab illo moueatur,vt *infr*,neque poteſt recedere ab illo, niſi oppoſitum ei magis placeat;ſed in pura omiſſione ſine omni actu non poteſt aſsignari aliquod motiuum; quia motiuum voluntatis producit in illa actum, vt qualitas eſt; ergo non datur pura omiſſio.

Reſp.ad 1.neg. ſeq. Ad prob.infert.dicitur conuerſionem aliam eſſe formalem poſitiuam, aliam moralem imputatiuam; quia omittens aliquem actum bonum cenſetur, ac ſi poſitiuè vellet proprium commodum; & ideo cenſetur conuertere ſe ad ſe ipſum. Ad 2. dicitur, quòd ſicuti lux deſtruitur à tenebris, ita actus virtuoſus tollitur ab omiſſione illius; ex frequenti autem deſtructione actus tollitur habitus,ſicut ex frequẽti poſitione illius ponitur;vnde ex omiſſione deſtruitur habitus indirectè ſolùm. Tum quia ex omiſſione frequenti redditur voluntas pigra, & pigritia cauſat difficultatem in agendo; difficultas autem tollit facilitatem, in qua conſiſtit habitus.Vel eadem reſp.diſt.mi. Deſtructio nequit fieri,niſi per actus oppoſitos poſitiuos,vel imputatiuos,& priuatiuos, vt dictum eſt de tenebris reſpectu lucis,conc;poſitiuos tantùm, neg.Idem dicendum de generatione habitus vitioſi; nam cùm frequens omiſſio reddat pigram, & difficilem potentiam ad exercenda opera virtutis;ideo facilior eſt ad inclinandum in vitia; ex quorum frequentatione poſtea gignitur habitus vitioſus; vnde omiſsio peccaminoſa ſolùm indirectè generat habitum vitioſum, quanuis generet directè habitualem quandam facilitatem ad omittẽdum. Ad 3.reſp. *Fund.Doct.* neg.ant; quanuis enim hoc contingat,vt plurimùm; nõ tamen neceſſariò, & ſemper contingit, vt probant rationes allatæ. Ad 4.diſt. mi. In pura omiſſione nequit aſſignari motiuum poſitiuum, vel imputatiuum,neg;poſitiuum tantùm,conc.

14 Obijc.7.Voluntarium eſt à principio intrinſeco cum cognitione; ergo ſaltem includit actum cognitionis.

Reſp;

Reſp; quòd ſicuti voluntarium poſitiuum formale eſt poſitiuè à principio intrinſeco cum cognitione formali;ita voluntarium imputatiuũ, vt eſt pura omiſsio,eſt ſolùm imputatiuè à principio intrinſeco cũ cognitione imputatiua ; quatenus intellectus poteſt aduertere, & tamen actu non aduertit ; aliter ignorantia craſſa excuſatet à culpa,vt *ſup.* dictum eſt.

25 Obijc.8. Nequit voluntas in actu ſecundo voluntariè determinari, niſi intrinſecè mutetur;ſed mutatio non fit,niſi per actum ; ergo non datur omiſſio ſiue omni actu.Tum quia voluntarium dicit determinationem voluntatis ; ſed determinatio eſt actus; ergo omiſſio voluntaria dicit actum.

Reſp.eodem modo diſt.ma.Niſi intrinſecè mutetur vel phyſicè per actum poſitiuum ; vel moraliter per actum imputatiuum,conc; phyſicè tantùm,neg;& ſic diſt.mi; nam ſicuti actus poſitiuus immutat voluntatem phyſicè;ita actus imputatiuus immutat moraliter. Ad aliam diſt. mi. Determinatio eſt actus phyſicus , vel imputatiuus,conc;phyſicus tãtùm,neg.Ex quo patet omnes obiectiones hac vnica reſponſione diſsolui.

A R T. IV.

An euentus orti ex omiſſione ſint voluntarij?

1 SErmo eſt de euentibus ortis ſiue ex pura omiſsione ſuppoſito præcepto, ſeu obligatione non omittendi eo modo, quo diximus *in ſup.art*; ſiue de omiſsione includente aliquem actum. Quæritur autem *de euentibus ortis ex omiſſione* ; non quòd omiſſio ſit cauſa poſitiua euentus;eſt enim priuatio, quæ nequit eſſe cauſa poſitiua alicuius effectus; ſed quia omiſſio eſt occaſio, ad quam ſequitur aliquis effectus ſiue poſitiuus(quidquid dicat *noſt. Gibb.*)vt omiſſio gubernationis nauis , ad quam ſequitur ſubmerſio nauis,quæ eſt effectus poſitiuus, vt patet; ſiue negatiuus; vt omiſſio breuiarij, ad quam ſequitur omiſsio recitationis officij . Dicitur inſuper *de euentibus ortis*;quia de euentibus,qui non ſequuntur ex omiſsione, nec coniunguntur cum illa,ſed omnino diſparatè , & accidentaliter ſe habent ad illam,patet non eſſe voluntarios; non enim cognoſcuntur , aut poſſunt cognoſci ab omittente; voluntarium autẽ vel eſt cum cognitione actuali , vel ſaltem cum cognitione potentiali,quæ ſcilicet poteſt haberi ab omittente;vnde ſi quis omittat ire ad Eccleſiam ad audiendã miſſam , & ex tali omiſsione ſequatur omiſsio ſubueniendi inopi fame pereunti in illa via;quia mors inopis merè accidentaliter , & fortuitò cõiungitur cum omiſsione audiẽdi miſſam, nec cognoſcitur,aut cognoſci poteſt ab omittẽte, ideo non dicitur omittenti voluntaria;quòd ſi cognoſceretur,aut cognoſci poſſet,tunc cenſeretur voluntaria omittenti,qui tenetur ex præcepto charitatis ſubuenire calamitatibus proximi ; vt eſt mors,quæ eſt ſumma inter omnes calamitates.

2 Vnica concl. Euentus orti ex pura omiſſione voluntaria ſunt voluntarij omittenti,dummodò omittens habeat obligationem non omittendi;euentus autem orti ex omiſsione includẽte aliquem actum poſitiuum poſſunt eſſe voluntarij , quamuis nullum adſit præceptum de non omittẽdo;ſemper tamen requiritur, quòd omittens non habeat ignorantiam inuincibilem illorum euentuum;ſed debet actu illos cognoſcere , vel ſaltem poſſe cognoſcere.Hæc concl.deducitur,& prob.ex dictis *in ſup. art.*

3 Prob. 1. pars. Ad hoc, vt ipſa omiſsio ſit voluntaria,ſufficit,quòd ſit in poteſtate voluntatis illam ponere; quòd intellectus ſit potens cognoſcere obligationem non ponendi illam ; & quòd adſit præceptum;ergo ad hoc , vt euentus neceſſariò, & per ſe connexi cum omiſsione ſint voluntarij , ſufficit , quòd ſint in poteſtate omittentis ; quòd intellectus ſit potens cognoſcere obligationem non ponendi illos ; & quòd adſit præceptum;eadem enim eſt ratio de omiſsione , ac de euentibus ſequentibus ad omiſsionem ; quando tam omiſsio , quàm euentus ſunt in poteſtate libera voluntatis , & voluntas cenſetur imputatiuè ad illos determinata ; in hoc nanque conſiſtit ratio voluntarij.

4 Conf.Qui voluntariè interpretatiuè cenſetur velle aliquid,ad quod neceſſariò, & per ſe ſequitur aliud , cenſetur voluntariè velle vtrunque;vnde qui voluntariè omittit in die feſto exire è domo, cenſetur volũtariè omittere auditionem miſſæ, aliter omiſsio auditionis miſſæ non eſſet culpabilis, quia nihil eſt culpabile , niſi ſit voluntarium;ſed qui habet puram omiſsionem , ad quam neceſſariò ſequitur aliquis euentus,cẽſetur voluntariè interpretatiuè velle aliquid , ad quod neceſſariò ſequitur aliud ; *hic* enim loquimur de pura omiſsione, ad quam per ſe neceſſariò ſequitur aliquis euentus,vt dictum eſt ; ergo cenſetur voluntariè velle vtrunque .

5 Si autem non adeſſet præceptum,ſeu obligatio non omittendi , illa omiſsio non eſſet voluntaria,vt dictum eſt *in ſup. art*; quia non daretur aliquod determinatiuum,per quod voluntas cenſeretur determinata exercitè ad omittendũ ; ergo multò minùs euentus orti ex illa omiſsione eſſent voluntarij , quia voluntas immediatiùs ſe habet ad illam omiſsionẽ, quàm ad illos euẽtus,qui ſequuntur ad omiſsionem; & ideo ſi illa omiſsio non cenſetur voluntaria , multò minùs illi euentus ; nam *propter quod vnunquodque tale,& illud magis* ; vnde ſicuti ratione omiſſionis cenſentur ſolùm voluntarij illi euentus;ita ſi illa omiſsio non ſit voluntaria,multò minùs illi euẽtus . Tum quia ideo omiſsio præciſo præcepto non eſt voluntaria, quia voluntas non habet , à quo moraliter determinetur;ſed præciſo præcepto non habet, per quod determinetur ad euẽtus ſecutos ad omiſsionem purã;nam ſi haberet aliquid,maximè ipſa omiſſionẽ;ipſa autem omiſsio

nequit eſſe determinatiuum, quia per illam voluntas non cenſetur determinata, vt dictum eſt; ergo illi euentus præciſo præcepto non ſunt voluntarij. *Vid.in ſup.art.*

6 Prob.2. pars concl. Voluntas per actum poſitiuum, quo vult aliquam omiſsionem, ſufficienter determinatur ad illam omiſsionem, *actus enim eſt, qui determinat*; ergo præciſo præcepto euentus orti ex aliqua omiſsione includente aliquem actum poſitiuum cenſentur voluntarij, vnde ſi quis velit poſitiuè non habere libros, volſitariè omittit legere.

7 Conf.In tantùm requiritur præceptum, in quantùm voluntas aliunde non eſt determinata; ſed in caſu voluntas eſt determinata per illum actum poſitiuum, quo vult illam omiſsionē, ad quam ſequuntur illi euentus; ergo non requiritur præceptum.

8 Prob.3. pars. Ignorantia inuincibilis excuſat à peccato; ergo ignorātia inuincibilis euētuum tollit rationem voluntarij; implicat enim, quòd aliquod ſit voluntarium defectuoſum, & non ſit peccatum; quòd ſi ignorantia inuincibilis tollit rationem voluntarij in euentibus peccaminoſis, ob eandem rationem tollit rationē voluntarij in alijs euentibus, qui non ſunt peccaminoſi. Ant.probab. *inf.*

9 Conf.Voluntarium eſt neceſſariò cum cognitione vel actuali, vel potentiali; ſed ignorantia inuincibilis excludit cognitionem actualem, & potentialem; quia quod non excludit cognitionem actualem, non ignoratur; & quod non excludit cognitionem potentialem, non ignoratur inuincibiliter; ergo ignorantia inuincibilis tollit rationem voluntarij. *Sed de hoc inf.*

10 Obijc.1. Si euentus orti ex aliqua omiſſione eſſent voluntarij omittenti, ſequeretur, quòd Deus liberè omittens dare auxilia ad non cadendum in peccatum, quod ſequitur ex omiſſione auxiliorum, eſſet cauſa moralis peccati, quia cenſeretur interpretatiuè velle peccatum, quod propterea Deo imputaretur; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp.neg.ſeq; nam Deus non habet aliquā obligationem dandi auxilia, quia nequit adſtringi ab aliquo præcepto, quod non reſpicit, niſi ſubditum.

11 Inſt.1.Miles exiſtens in naui, ad quem non ſpectat ex officio impedire ſubmerſionem nauis, ſi tamen poſſit, & omittat, cenſetur moraliter velle ſubmerſionem nauis; ergo quanuis Deus non obligetur ad impediēdum peccatum; attamen quia poteſt impedire, & omittit, cenſeretur moraliter velle peccatū. 2.Ad hoc, vt euētus ſit voluntarius, ſufficit, quòd omiſſio includat aliquem actum poſitiuum, per quod determinatur voluntas omiſſionem, vt dictum eſt; ſed omiſſio, qua Deus omittit dare auxilia, includit actum poſitiuum, quo Deus vult non dare auxilia, quia voluntas Dei nequit manere ſuſpenſa ab omni actu; ergo peccatum ortū ex hac omiſſione cenſetur Deo voluntarium.

Reſp.ad 1. militem exiſtentem in naui, etſi nō obligetur ex officio, obligatur tamen ex præcepto charitatis, quo adſtringitur ad tuendam propriam vitam, & proximi; vnde cùm omittit ſciens, & volens, aut potens ſcire, & velle, cenſetur voluntariè omittere. Homo ergo ex præcepto charitatis, vel ex præcepto iuſtitiæ, vel ex officio, vt Prælati, tenetur impedire peccata; Deus autem nulla ex his obligationibus adſtringitur, quia nulli ſubditur legi; cui ſubditur homo, quia ſubditur legi Dei, quæ his tribus præceptis ipſū ligat; lex enim dicitur *à ligando*. Ad 2. dicitur, quòd peccatum ortum ex omiſſione auxiliorum non connectitur neceſſariò, ſed omnino contingenter, ac liberè cum omiſſione auxiliorum; quia Deus omittens dare auxilia creaturæ non neceſſitat ipſam ad peccandum, ſed relinquit ipſam in ſua libertate cum auxilijs ſufficientibus, quibus poteſt bene vti, & rogare Deum, vt ei concedat auxilia ad non peccandum, & ſic non peccare; at verò creatura poſitiuè volens aliquid dicitur determinata ad id, quod neceſſariò ſequitur ad illā omiſſionem; vnde ſicuti ea, quæ merè contingenter, & diſparatè ſe habent ad omiſſionem creaturæ, non dicuntur illi voluntaria; quia non ſequūtur neceſsariò; ita à pari. Propter hoc omiſſio Dei dicitur pura permiſſio, quæ indifferenter ſe habet ad omiſſionem, & non omiſſionem creaturæ; cùm enim Deus permittit peccare, ſimul dat auxilia ad non peccandum; & ideo indifferenter ſe habet ad peccatum, & non peccatū; quapropter peccatum Deo non imputatur. Ad arg. ergo diſt.ma. Ad hoc, vt euentus ſit voluntarius, ſufficit, quòd omiſſio includat aliquem actum poſitiuum, per quod volūtas determinetur ad omiſſionem; & ille euentus neceſſariò oriatur ab illa omiſſione, conc; ſed in hoc ſenſu neg. mi; & ille euentus contingenter ſe habeat ad illam omiſſionem, neg.Igitur euentus peccaminoſi imputātur voluntati creatæ omittenti, quia ab illa determinatè deſcendunt, tanquam à cauſa moraliter determinata; Deo autem non tribuuntur nec phyſicè, nec interpretatiuè, quia Deus denegando auxilia, licèt cognoſcat voluntatem creatam infallibiliter peccaturam, adhuc tamen linquit voluntatem creatam cum auxilijs ſufficientibus, quibus poteſt non peccare, & ideo pro eo tunc eſt indifferens ad peccandum; quia poteſt non peccare.

12 Repl. Deus nedum omittit ipſa auxilia, ſed etiam ipſa peccata; ergo nedum denegatio auxiliorum, ſed etiam ipſa peccata ſunt Deo voluntaria.

Reſp.diſt.2.part.ant. Omittit ipſa peccata determinando ipſam voluntatem ad illa patranda, neg; ſineudo ipſa eſſe in poteſtate voluntatis, vt ab ipſa patrentur, vel non patrentur pro eius libito, conc; voluntarium autem eſt determinatio

ad

ad vnum; & ideo peccata ſic permiſſa non ſunt De o voluntaria,quia non ſunt determinata.

13 Obijc. 2. Mors fuit voluntaria Chriſto Domino, etianſi habuerit præceptum non moriendi; ergo præceptum de non ponendo euentum non eſt neceſſarium,vt ille euentus ſit voluntarius; cùm ſtet præcepum de ponendo oppoſitum,& tamen euentus ſit voluntarius.

Reſp.Mortem Chriſti Domini fuiſſe voluntariam, quia Chriſtus Dominus poſitiuè illam voluit.Præterea præceptū ſufficit ad hoc, vt nedum omiſſio,ſed etiam commiſſio ſit voluntaria; quia per præceptum moraliter imputatur commiſſio, & omiſſio voluntati.

14 Obijc.3. Voluntariè frigeſit, qui non accedit ad ignem; & voluntariè moritur,qui non accipit medicinam,cùm poſſit,& tamen nullum adeſt præceptum;ergo non requiritur præceptū, vt euentus ortus ex omiſſione ſit voluntarius.

Reſp.diſt.2.part.ant.Et tamen nullum adeſt præceptum morale,conc;præceptum naturæ,neg; natura enim obligat ad ea omnia, quæ conducūt ad conſeruationem vitæ, quapropter ad iſta omnia datur lex naturæ, quæ hæc præcipit; ſicut ad alia datur lex humana,vel Diuina.

QVÆSTIO II.

De Inuoluntario.

SEquitur agendum de inuoluntario;& hoc ob duplicem rationem. 1. Quoniam inuoluntarietas reperitur in actibus humanis,vt patebit.2.Quia magis conſtabunt ea,quæ pertinent ad voluntarium; vnunquodque enim per ſuum oppoſitum magis manifeſtatur.

ART. I.

Quid,& quotuplex ſit inuoluntarium?

1 NOn loquimur de inuoluntario negatiuè ſumpto,prout importat negationem actionis voluntariæ ſine aptitudine ad illam habendam; etenim in hoc ſenſu omnes res inanimatæ, & vegetabiles dicuntur inuoluntariè agere.Neque ſermo eſt de inuoluntario priuatiuè accepto, prout importat carentiam actionis elicitæ cum aptitudine tamen ad illam eliciendā; nam in hoc ſenſu idem eſt inuoluntarium,ac non voluntarium. Loquimur ergo de inuoluntario contrariè ſumpto, prout eſt actio immediatè oppoſita voluntario,quæ ſit contra internum impetum voluntatis.

2 Not; quòd licèt neceſſitas *apud Græcos*,& quandoque etiam *apud Latinos*, vt diximus *in ſup.q.ex Beatiſſ.P*; accipiatur, prout eſt idem, ac violentia,vis,& coactio; attamen propriè loquēdo non ſignificat idem; quia Beati neceſſariò vident Deum; & res cognitione carentes neceſſariò agunt; nullus tamen diceret eas violenter, coactè,aut inuitè agere;agunt enim per motum deſcendentem ab intrinſeco, præcipuè res animatæ;vel ſaltem non agunt contra internum impetum; vnde neceſſitas cōmunior eſt, quàm violentia.

3 Præterea violentia communior eſt, quàm coactio,inuitum,& inuoluntarium;nam violentia competit etiam rebus cognitione carentibus, vt cùm lapis ſurſum proijcitur;coactio autem,inuitum, & inuoluntarium conueniunt ſolùm operātibus per cognitionem.

4 Rurſus eſſe inuitum, & coactum eſt communius inuoluntario;nam eſſe inuitum,& coactū opponitur ſpontaneo,quod conuenit etiam brutis, vt diximus *in ſup. q*; inuoluntarium autem propriiſſimè ſumptum,vt ſumitur *hic*,denominatur à voluntate, quæ conuenit ſolùm naturæ intellectuali; ideoque conuenit ſolùm rebus intellectualibus;quodnam autem inuoluntarium conuertatur cum violento, *vid. inf. art.2.nu.18; & art.6.num.13.*

5 Quoniam igitur inuoluntarium actuale formale eſt inuitum,coactum,& violentum; nam genus, & id, quod eſt commune,prædicatur de ſpecie,non tamen è contra; ideo videndum,quid ſit violentum, de quo eſt aliqua controuerſia *inter Theologos*; imò aliqua contra quandam *Fund.Doct.* doctrinam malè ſapida murmuratio. Explicatio autem violenti valde cōfert ad intelligentiam inuoluntarij.

§. 1.

Quid ſit violentum?

6 VIolentum communiter definitur *ex Ar.3.Eth.c.1.*eſſe illud;*cuius principium eſt ab extra non conferente vim paſſo*. Hanc definitionem dupliciter accipi poſſe docet *Fūd. Doct.Quodl.6.q.14;& in 1. diſt.17.p.1.princ.1. q.2;& 5.Phyſ.t.58.dub.1.* Primò ita, vt illud nomen *paſſo* ſit caſus datiuus,& faciat ſēſum; quòd principium extrinſecum nullam tribuat vim, ſeu virtutem ipſi paſſo ad eliciendum talem motum violentum;quapropter motus vaporum ſurſum non eſt violentus; quia Sol tribuit eis calorem intrinſecè,per quem ſurſum mouentur.Secundò ita, vt illud nomen *paſſo* ſit ablatiuus abſolutus; & faciat ſenſum,quòd paſſum nihil omnine cooperetur tali motui, ac proinde nullum omnino habeat principium,aut virtutem intrinſecā productiuam talis motus.

7 Si hæc definitio accipiatur primo modo, explicat motum violentum, qui competit rebus naturalibus inanimatis;nam motus violentus nō differt à motu naturali per hoc, quod eſt *à principio extrinſeco*;quia motus lapidis ſurſum eſt ab extrinſeco,ſcilicet à manu impellente; & motus lapidis deorſum eſt pariter ab extrinſeco,nempe à ge-

à generante;& tamen ille eſt violentus,quia manus nullam imprimit lapidi virtutem ad tendendum ſurſum;iſte autem eſt naturalis; quia generans imprimit ei grauitatem,quæ eſt principium tendendi deorſum. Differunt ergo iſti duo motus eo,quia principium extrinſecum non cōfert, vel confert ipſi paſſo vim,ſeu virtutem ad tendēdum deorſum; & ideo definitio ſumpta in hoc ſenſu magis explicat motum violentum conuenientem rebus naturalibus cognitione carentibus. Si autem ſumatur in ſecundo ſenſu, magis explicat violentum conueniens agentibus per voluntatem;quamuis enim obiectum tribuat vim voluntati ad aliquem motum; quia producit in ipſa actum, vt qualitas eſt, qui actus eſt quoddā pondus, quo voluntas inclinatur ad aliquē motum;uoluntas enim hoc modo actuatur ab obiecto,vt *inf*;attamen per hoc non fit,ut talis motus ſit uoluntarius,& non uiolentus; quia ſi ipſa uoluntas non cooperetur tali motui, imò reſiſtat; adhuc enim producta tali qualitate, quæ eſt quoddam pondus, ſeu grauitas, poteſt non tendere,ſeu reſiſtere; talis motus eſt uoluntati uiolentus; v. g. delectabilis alicuius obiecti proſpectus cauſet in uoluntate actum, ut qualitas eſt, quo inclinetur ad ſe mouendum prope ad illud obiectum;reſiſtat uoluntas,& nolit accedere;ſpiret ualidiſſimus uentus, & deferat hominem ad tale obiectum ſemper reſiſtente, ac repugnante voluntate; talis motus eſt violentus. Hoc exemplum innuit *Phil. vbiſ*; & ideo allata definitio ſumpta in ſecundo ſenſu magis explicat definitionem violenti conuenientis naturæ intellectuali.

8 Sed contra hanc ſubtilem,& veram huius definitionis intelligentiam inſurgit *quidam ex noſtris*. 1. In hac definitione: *Cuius principium eſt ab extra non conferente vim paſſo*: iuxta constructionem grammaticalem *ly paſſo* nequit eſſe, niſi caſus ablatiuus; quia ipſum participium *conferēte*, quod certè eſt ablatiui caſus, non poteſt concordare,niſi cum *ly paſſo*, tanquam adiectiuum cum ſubſtantiuo; non enim eſt aliud nomen, aut verbum,à quo requiratur, vt caſus ablatiuus; ergo ſaluis regulis grammaticæ non poteſt ſubſtineri ille duplex ſenſus. 2. Quod grauius eſt. Cùm dicit volūtatem cooperari ſemper ad ſuos actus elicitos, ideoque non poſſe quoad illos violentari, vel intelligit, quòd actus elicitus ſēper producitur ab ipſa voluntate; at hoc eſt contra id, quod docet *in 2. diſt.* 25; vbi ait voluntatem non actuare ſe ipſam,ſeu non producere, ſed tantùm recipere actum ſuum. Vel intelligit voluntatem cooperari,quia per actum ſuum monetur,& tendit in obiectum; at etiam lapis ſurſum proiectus per talem motum tendit ſurſum; ergo per hoc probat nullum dari motum uiolentum. 3. Diſtinctio illa de duplici constructione gratis aſſumitur;& facit definitionem *Phil.* æquiuocam; ergo non eſt admittenda. 4. Repugnat menti *Phil*; cuius definitio iuxta uerſionem *Lambini* eſt: *Violētum id eſſe videtur,cuius principium eſt extra, cū id,cui vis infertur, nihil operæ conferat*; & iuxta verſionem *Argyrophili*: *Cuius principium eſt foris, in quod nihil is,qui agit, aut patitur, confert.* Imò idem *Phil. inf.* ſubdit: *Quænam violenta ſunt dicēda? An ſimpliciter,& propriè, cùm cauſa in eis eſt, quæ ſunt extra;& is,qui agit,nihil operæ ad actionem confert*. Sic etiam docet *Niſſen; ſeu Nemeſ. lib. 5. Philoſophiæ c. 1. Cuius principium exteriùs eſt,nihil conferente per proprium motum eo, qui cū paſſus eſt*;& eodem modo loquitur *D. Dam. lib. 2. de Fid. c. 24.* Tandem ille duplex ſenſus in idem recidit;nam dum agens confert uim paſſo, tunc ille motus eſt cooperante eodem paſſo; ergo nō erat neceſſe excitare conſiderationem illius duplicis conſtructionis.

Reſp. hæc dicta eſſe non veritatis,ſed animi cauſa. Ad 1;quod eſt puerile, à pueris reſponſionem quæramus. Præpoſitio *ab* poſita in definitione uiolenti,cuius caſus eſt? Citò reſpondent: *Ablatiui*. Sed cui nomini inſeruit? Reſpondent: *Extra*;quod ſumitur pro nomine indeclinabili; vt cùm dicitur: *A mane*;ſic dicitur etiam *ab intra*; & *ad extra*,ac *ad intra* in accuſatiuo;non enim poteſt deſeruire *paſſo*; quia faceret ſeoſum ineptum, & falſum; & ideo reſpondentes deſeruire *paſſo*,ſtatim ferulæ ſubijcerentur *à Pedagogo*; ergo illud *ab extra* facit ſenſum *ab aliquo exiſtente extra*, cum quo poteſt concordare participiū *conferente*, cui poſtea competit caſus datiuus; ergo illa diſtinctio eſt iuxta grammaticæ leges. Præterea arguens debebat attendere *tantum Doctorem*,quo (teſte *Aldo Manutio* in grammaticæ regulis ſummè uerſato) in Rethoticæ arte verſatior non fuit; ut deducitur tum ex oratione *Ludouico Pulcro* ab ipſo habita,tum ex præclariſſimis *in libros Rethoricorum* commentarijs editis ita, ut non ſit credibile præcepta grammaticæ eminētiſſimè non calluiſſe; licèt enim aliquando aliquibus verbis claritatis gratiæ minùs politioribus,ut *ipſa* fatetur,utatur; nunquam tamen artis præceptis abutitur. Ad 2;quod leuius eſt;dicitur,quòd *loc. cit.* ait actum uoluntatis,ut qualitas eſt,non produci efficienter à voluntate, produci tamen ab illa,ut actio eſt; & ideo uoluntatē non ſe habere merè paſſiuè recipiēdo actum; hoc enim eſt *cont. Conc. Trid*; ſed etiam actiuè illum producendo. Ad 3. dicitur illam diſtinctionem omnino gratis, & ſine fundamento impugnari. Ad aliud dicitur, quòd cùm definitio tradita *ab Ar.* conueniat genericè motui inanimatorum, & voluntate præditorum; qui motus ſunt diuerſæ ſpeciei; & *cùm in generibus lateant æquiuocationes*;de neceſſitate debet eſſe æquiuoca; ideoque aliter illam explicans perperam explicat. Ad 4. dicitur,quòd nedum *Argyrophilus*, ſed etiam *Felicianus* interpres aſſerentes: *Nedum qui agit,ſed etiam qui patitur*; iſtam diſtinctionem innuere. Sed *Leonardus Aretinus* interpres teſtatur mul-

tis

Digitized by Google

tos fuiſſe errores in illis verſionibus ob prauam acceptionem verborum *Gracorum*;& ideo ipſum illos emendaſſe;ait autem iſte *c.2.Cuius principiũ ab extra tale exiſtit,in quo agens,vel patiens nihil confert*.Ptęterea *Fund.Doct.*fuit vnicus interpres à Deo datus ad intelligendos libros *Ariſtotelis*, vt teſtatur *noſter Paulus Venetus*; fuit enim inſigniter inſtructus *lingua Graca*, vt *alibi* oſtendimus;ergo quidquid ſit *de alijs interpretibus*,ſtandum eſt *Fund.Doct.*;tanquam fideliori,& doctiori.Ad aliud dicitur *Phil.* loqui de violentia illata naturis liberis; loquitur enim de violentia, quæ tollit laudem, & vituperium; & ideo non loquitur genericè,vt primo loco. Ad vlt.iam dictum eſt poſſe obiectum conferre vim voluntati, & tamen voluntatem non tendere in obiectum;ergo conferre vim voluntati non eſt idem,ac voluntatem conferre vim actionl.

9 Sed adhuc dubitatur;an ſufficiat ad rationem violenti paſſum non conferre vim negatiuè ita,vt merè negatiuè ſe habeat ad illum motum; vel vlteriùs requiratur non coferre vim contrariè ita, vt ſit contra inclinationem naturalem ipſius paſſi, adeoque contra impetum naturalem ipſius?

10 Reſp. *Fund.Doct.paſſim in Phyſ; & in 2. diſt.7.q.1.art.2.§.Diſtinguimus* requiri, quòd ſit contra inclinationem naturalem ipſius rei; & ratio eſt. Quælibet tes habet inclinationem ſequētem ad ſuam naturam; ergo illud ſolùm dicitur violentum cuilibet rei, quod eſt contra inclinationem naturalem ipſius; nam quod eſt iuxta inclinationem naturalem, eſt ipſi naturale. Tum quia *Phil.* ſæpe vocat uiolentum, *quod eſt contra naturam*.Tum quia *idem Phil.3.Eth.c.3.*ait: *Qui violenter,& iniuitè faciunt, moleſtè;qui verò propter delectationem,cum voluptate*; ſed agere moleſtè eſt agere contra internum impetum, ſeu contra inclinationem naturalem,qui enim merè paſſiuè ſe habet ad aliquod, non ſentit moleſtiam, aut dolorem ex illo; ergo violentum eſt contra inclinationem, & impetum naturalem ipſius rei. Tandem *Beatiſſ.P. lib.6. de Gen. ad lit.c.6.* docet violentum eſſe *vi impellente*;ſed impulſio non fit, niſi contra imperum naturalem rei impulſæ;ergo violentia eſt contra naturalem impetum tei.Sed pro maiori explicatione.

11 Dubitatur vlteriùs; an ad rationem violenti requiratur eſſe contra inclinationem,& impetum naturalem actiuum actiuè reſiſtentem illi motui,vel etiam contra inclinationem paſſiuam?

Reſp.*cum* Fund.*Doct.* 2.*Phyſ.t.6.dub.*4; & *lib.7.t.6.dub.*1.8;& 9. ſufficere ad motum uiolētum, quòd ſit contra inclinationem naturalem proximam, ſeu contr• proximam diſpoſitionem ad motum contrarium,quæ inclinatio naturalis, ſeu diſpoſitio proxima ſe habet per modũ principij paſſiui proximè repugnãtis tali motui;& ratio eſt. Motus violentus debet eſſe contra impetum internum, vt dictum eſt; ſed impetus internus nequit eſſe ſine aliquali conatu, & reſiſtentia,quæ non poteſt eſſe, niſi quia ſubiectum proximè diſpoſitum ad aliam formam naturaliter inclinat ad illã; aliter nullus daretur motus violentus in re materiali, ſi ſufficeret principiũ paſſiuum remotum, quia materia ſecundùm ſe eſt principium receptiuum paſſiuum omnis motus; nam poſita ſub forma leuis recipit motum ſurſũ; poſita ſub forma grauis recipit motum deorſum &c; ergo ad rationem motus violenti requiritur principium paſſiuum proximè diſpoſitum,ſeu inclinatio proxima naturalis ad motum contrariũ.

12 Quòd autē non requiratur ſemper principium actiuum actiuè agens in principium extrinſecum compulſiuum, prob.ex eo, quòd lapis v.g.nullam habet actionem in manum impellentis, ſicut frigus habet actionem in calorem; ſed ſolùm habet formam grauitatis, quæ inclinat ipſum lapidem deorſum, & ratione cuius inclinationis lapis dicitur reſiſtere motui impellentis; ergo non ſemper tequiritur principium actiuum actiuè agens in principium extrinſecum compulſiuum. Quòd ſi nomine principij actiui intelligatur ſubiectum habens aliquam actualem diſpoſitionem,quæ illud inclinat ad motum oppoſitum; tunc quæſtio erit de nomine,non de re, & in hoc ſenſu poteſt concedi.

13 Piob.2.*ex eod.Fund.Doct.* Materia,quæ eſt principium paſſiuum, habet rationem naturæ per ordinem ad formam, ſeu prout eſt proximè diſpoſita ad aliquam formam in particulari;nam præciſa tali diſpoſitione proxima habet meram capacitatem omnis formæ, & ideo omnis motus ſequentis ad omnem formam; non tamen habet conatum, aut impetum actiuum ad aliquam formam,aut motum in particulari ſequentem ad talem formam; quia materia ſecundùm ſe præciſè ſumpta nullius eſt actiuitatis; & ideo non conatur,aut propendet actiuè in aliquam formam; in tantùm enim materia ligni v.g.inclinatur ad formam ignis,in quantùm eſt diſpoſita per calorem, & per alia accidentia ipſam inclinantia ad formã ignis; præciſis autem talibus diſpoſitionibus, & omnibus alijs diſponentibus ad alias formas,materia remaneret ſolummodò capax omnium formarum, non autem eſſet proximè inclinata ad aliquam formam in particulari; ſed ſi illi daretur quælibet forma,illam reciperet ſine reſiſtentia, aut impetu contrario;& ideo ſi moueretur motu proprio illius formæ,moueretur naturaliter;quia per illam formam inclinaretur ad talem motum proprium illius formæ;ergo ſi materia moueatur alio motu diuerſo ab illo, ad quem inclinatur à diſpoſitione,quam habet,mouetur violentè;quia mouetur contra eius naturalem inclinationem, quam habet ad illum motum, qui competit formæ, ad quem ėſt diſpoſita; & ideo ad rationem motus violenti non requiritur neceſſariò impetus actiuus ſubiecti in agens extrinſecum, ſed ſufficit principium paſſiuum contrariè diſpoſitũ.

Obijc.

14 Obijc.*Vaſq*.putans non ſufficere impetũ paſſiuum.1. Si ſufficeret impetus paſſiuus,ſequeretur tenebras eſſe aeri violentas,quia aer habet naturalem inclinationem ad lucem. 2. Sequeretur Cœlum violentè quieſcere,quia habet paſſiuam inclinationem ad motum.3.Sequeretur materiam informatam ab vna forma eſſe in ſtatu violento reſpectu alterius formæ,haberet enim proximam diſpoſitionem, & per ipſam naturalẽ inclinationem ad illam. 4.Sequeretur naturam humanam Chriſti Domini eſſe ſemper in ſtatu violento, quia habet naturalem inclinationẽ ad propriam perſonalitatem, qua caret; imò ſequeretur quamlibet creaturam ſpiritualem per gratiam moueri violentè. 5. Ex *Phil.* 4. *Phyſ. t.* 67. habetur *omnem motum, aut vi fieri, aut natura*; ſed principium paſſiuum nequit habere rationẽ naturæ;quia natura eſt *principium motus,& quietis eius, in quo eſt*; eſſe autem principium motus, & quietis eius, in quo eſt; conuenit ſoli cauſæ efficienti,quæ ab *eod.Phil.* definitur *id,vnde eſt principium mutationis,& quietis*;ergo quod fit contra principium paſſiuum,non eſt violentũ, quia non fit contra naturam;& ideo requiritur, quòd fiat contra principium actiuum. Tum quia principium motus non dicitur id, in quo recipitur motus, ſed id, à quo prouenit actiuè; quapropter *Phil.2.Phyſ.t.3.* poſt allatam definitionẽ naturæ aſſerit artificialia non eſſe naturalia, quia non habent in ſe ipſis principium ſuæ effectionis, & tamen paſſiuè recipiunt motum factum ab artifice; ergo propter eandem rationem principiũ paſſiuum non eſt natura.Tandem quia *idem Phil.* 5.*Met.* habet, quòd materia metaphoricè ſolùm dicitur natura.

Reſp.ad 1.neg.ſeq; nam ad lucem non datur diſpoſitio in aere; & ideo aer eſt naturaliter æquè diſpoſitus ad lucem, & tenebras; ſic videmus in pariete non dari diſpoſitionem ad lucem, ſed poſita luce ſtatim illuminari, & ablata ſtatim obſcureſcere.Ad 2.dicitur *cum Sũd.Doct.Quodl.* 1.*q.*3;quòd Cœlum habet naturalem inclinationem ad motum circularem,quatenus ei applicatur Intelligentia motrix, quæ eſt quaſi forma illius;ablata tamen Intelligentia motrice, vt in fine Mundi,naturaliter quieſcet,quia non habebit ampliùs illam inclinationem. Ad 3.diſt.ſeq. Materia habens diſpoſitionem proximam ad aliam formam eſſet in ſtatu violento,ſi impediretur acquiſitio illius formæ, conc; ſi non impediretur, neg;nam in eo inſtanti,in quo habet vltimam diſpoſitionem, reſultat forma; vnde nunquam eſt aſſignabile aliquod inſtans,in quo ſit in ſtatu violento; ſic lignum eo ipſo,quòd habet calorem,vt octo,ſtatim habet formã ignis,quia calor,vt octo, eſt proprietas inſeparabilis ab igne, & ideo habetur ſimul cum forma ignis. Ad 4.neg.ſeq;nam natura humana Chriſti Domini per potentiam obedientialem eleuatam per gratiam habet maiorem inclinationem ad perſonalitatem Diuinã, quæ eminenter eſt omnis perſonalitas creata, & quę magis perfectè perficit ipſam; quàm ad propriam perſonalitatem; & ideo per gratiam vnionis ita ſatiatur eius appetitus, vt non remaneat ampliùs inclinatio proxima ad perſonalitatem creatam. Idem dicitur de accidentibus Euchariſticis, qui habent exiſtentiam à Deo perfectiùs, quàm à ſubſtantia. Ad aliud dicitur eodem modo creaturam moueri à Deo ſuauiter,non violentè, quia recipit gratiam intrinſecè,per quam ſummè voluntariè ſe mouet in Deum. Ad 5.neg.mi.Ad prob.inſert.dicitur principium analogicè dici de principio actiuo,& paſſiuo;& ideo cauſa efficiens bene definitur per rationem principij, nõ tamen per hoc tollitur, quin natura ſit principium etiã paſſiuum.Imò ſequeretur formam non eſſe naturam, quia forma non eſt cauſa efficiens, ſed formalis ſuorum motuum; *Ariſt.* autem docet expreſsè formam habere rationẽ naturæ. Ad aliud dicitur entia naturalia non habere inclinationẽ naturalem ad recipiendam talem figurã, & ideo artificialia non ſunt naturalia. Ad vlt.dicitur materiam dici naturam metaphoricè comparatiuè ad formam,non autem abſolutè; ſicut cauſa finalis dicitur cauſa agens per influxum metaphoricum, & intentionalem comparatiuè ad cauſam efficientem;quia non agit cum motu externo, ſicut agit cauſa efficiens;abſolutè tamen eſt cauſa realis phyſica; aliter non eſſent quatuor cauſæ. *Sed de hoc in Phyſ.*

15 Collig. ex dictis non dari motum neutrum;quia omnis motus vel eſt iuxta inclinationem naturæ,& ſic eſt naturalis; vel eſt contra talem inclinationem,& ſic eſt violentus.

16 Bene itaque definitur,& explicatur violentum per hoc,quòd ſit contra internum impetum actiuum,vel paſſiuum ipſius ſubiecti eo modo,quo dictum eſt.

§. 2.

Expeditur Articulus.

17 VNica concl. Inuoluntarium definitur;ſcilicet:Inuoluntarium *eſt illud,quod eſt à principio extrinſeco nullam vim cõferente voluntate,ſed potiùs per actum cõtrarium repugnante illi motui.* Hæc concl. patet ex dictis; ſicuti enim ſi non daretur in creatura contrarius impetus,aut inclinatio, motus ei non eſſet violẽtus,ſed potiùs non naturalis; ita ſi voluntas non repugnaret per actum contrarium, ſed merè negatiuè ſe haberet, illud non eſſet ei inuoluntarium,ſed potiùs non voluntarium. Rurſus ſicuti violentum eſt contra naturalem inclinationem rei propendentis ad motum contrarium; ita inuoluntarium eſt contra ipſam voluntatem, quæ eſt inclinatio ſequens formam intellectualem,& habens propenſionem ad actum contrarium actui inuoluntario;ergo inuoluntarium definitur eodem modo, ac violentum ſaluato diſcrimine intercedente inter vtrunque.

Quoad

18 Quoad 2; quod quæritur *in titulo*, inuoluntarium diuiditur. 1. in inuoluntarium ſimpliciter,& inuoluntarium ſecundùm quid. Inuoluntarium ſimpliciter eſt illud, quod nullam habet admixtam rationem voluntarij;inuoluntariũ verò ſecundùm quid eſt illud, quod habet admixtam aliquam rationem voluntarij; & vocari ſolet inuoluntarium mixtum. Exemplum primi eſt; quãdo quis omnino inuitus trahitur ad carcerem; exemplum ſecundi; quando quis metu naufragij proijcit merces in mare; ita enim proijcit, vt nollet eas proijcere, quia nollet deperdere; & ideo ex hoc capite inuoluntaria eſt ei proiectio,attamen voluntariè proijcit, quia vult vitam ſeruare.Ratio huius diuiſionis eſt.Sicut ſe habet violentum,ita inuoluntarium, vt dictum eſt; ſed violentum aliud eſt ſimpliciter tale; vt quando lapis proijcitur ſurſum; aliud eſt ſecundùm quid, ſeu mixtum cum motu naturali; vt quando animal mouetur progreſſiuo; quatenus enim ille motus eſt à principio intrinſeco, eſt naturalis,& quatenus interna grauitas reſiſtit tali motui,eſt violentus;ergo inuoluntarium aliud eſt ſimpliciter,aliud eſt ſecundum quid.

19 Not. tamen; quòd ſicut motus progreſſiuus eſt ſimpliciter naturalis, quia eſt à principio intrinſeco, & ſolùm ſecundùm quid violentus, quatenus eſt contra inclinationem grauitatis,ita inuoluntarium ſecundùm quid eſt ſimpliciter voluntarium propter eandem rationem.

20 Not.2;quòd ad hoc,vt contrarius impetus cauſet inuoluntarium ſecundùm quid, debet diminuere ipſum actum voluntarium,& efficere, quòd voluntas non feratur toto conatu in effectum;nam ſi non diminuat voluntarium, nõ cauſat inuoluntarium; vt ſi frigiditas non diminuat calorem,non cauſat tepiditatem,quæ eſt mixta ex frigore,& calore; ergo ſi contrarius impetus non diminuat voluntarium, non cauſat inuoluntarium ſecundùm quid, quod eſt mixtum ex voluntario,& inuoluntario. Hinc voluntas Dei efficax damnandi aliquos homines non cauſat in Deo inuoluntarium, quia non diminuit voluntatem generalem ſaluandi omnes. Sic Christus Dominus,& Sancti Martyres non ſubierũt mortem inuoluntariè etiam ſecundùm quid; quia metus, & diſplicentia mortis non diminuit voluntatem efficacem ſubeundi mortem.

21 Diuiditur 2.Inuoluntarium in maius, & minus. Inuoluntarium maius eſt, quando eſt in voluntate contrarius impetus maior, & efficax; minus verò eſt, quando contrarius impetus eſt minor,& inefficax; inuoluntarium enim menſuratur ab impetu contrario; ſicut voluntarium menſuratur ab actu complacentiæ ſibi conueniente.

22 Diuiditur 3. inuoluntarium in inuoluntarium propriè,& perfectè,& inuoluntarium impropriè,& imperfectè.Inuoluntarium propriè,& perfectè eſt illud, quod eſt contra internum impetum ſupponentem cognitionem perfectam; & reperitur ſolùm in natura intellectuali habente vſum rationis. Inuoluntarium impropriè, & imperfectè eſt illud, quod eſt contra internum impetum neceſſarium ſupponentem tantùm aliquam cognitionem imperfectam ſine indifferentia iudicij; & reperitur in brutis,pueris, amentibus,freneticis, alijſque carentibus vſu rationis; vt diximus de voluntario; ſicut enim locuti ſumus de voluntario, ita loquendum eſt de inuoluntario, quod ei opponitur; nam *oppoſitorum eſt eadem ratio*. Quapropter

23 Diuiditur 4. inuoluntarium perfectum in liberum,quod eſt contra internum impetum ſupponentem cognitionem perfectã ſub indifferentia iudicij;& inuoluntarium neceſſariũ, quod eſt contra internum impetum ſupponentem cognitionem perfectã ſub determinatione ad vnũ; vt in damnatis, qui nollent malum apprehẽſum ſub omni ratione mali,à quo neceſſitantur,& tamen coguntur illud pati.

24 Diuiditur 5.in inuoluntarium per ſe, & in alio.Inuoluntarium per ſe eſt illud, quod eſt immediatè contra internum impetum voluntatis;vt cùm quis nollet mortem, quę tamen ei per vim inferretur. Inuoluntarium in alio eſt illud, quod eſt contra internum impetum mediante alio;vt cùm quis nollet iter habere, nec incommoda,quæ ſunt annexa itineri;& tamen cogeretur ad iter habendum;tunc iter eſſet ei inuoluntarium per ſe;incommoda autem annexa itineri, quæ cogeretur ſufferre,eſſent ei inuoluntaria in alio,nempe in itinere.

25 Diuiditur 6. inuoluntarium in inuoluntarium formale,& interpretatiuum. Inuoluntarium formale eſt illud, quod eſt contra internũ impetum actualem,& formalem; inuoluntarium autem interpretatiuum eſt illud,quod eſt contra actum imputatiuum,qui cenſetur contrarius impetus interpretatiuè.

26 Diuiditur 7.in inuolũtariũ phyſicũ,& morale;phyſicũ eſt illud,quod eſt cõtra impetũ phyſicũ cõtrariũ;inuoluntarium autem morale eſt illud,quod eſt contra internum impetum moralẽ; vt aliquis contractus per vim extortus, quanuis ſit phyſicè voluntarius,cenſetur tamen, & iudicatur ex lege,tanquam inuoluntarius, & vt talis, poteſt reſcindi,& inualidari; vt patet in contractibus matrimonij,& profeſſionis Religionis.

27 Et ſic dicendum de inuoluntario elicito, & imperato,directo,& indirecto; alijſque ſpeciebus,quæ traditæ ſunt de voluntario *quæſt*. 1. *art*. 1. §. 2.

ART. II.

An voluntas creata à Deo poſſit cogi?

1 SVpp. 1; quòd quemadmodum diximus *in ſup.art*; repugnat principium purè paſſiuum,vt eſt materia, pati violentiam ab aliquo agente; quia principium purè paſſiuum eſt

eſt indifferens ad omnem formã, & ideo ad omnem motum, qui ſequitur ad quanlibet formã; ita principium actiuum,vt actiuum; ſcilicet prout eliciens ſuam actionem, nequit violentiam pati;quia illud patitur violentiam,quod non cõfert vim,ſeu non influit in actionem; ſed principium eliciens ſuam actionem confert vim, ſeu influit in illam;elicere enim actionem eſt conferre vim ad illã, niſi velimus vocabulis ludere;ergo principium actiuum, vt actiuum, nequit violentiam pati.

2 Supp.2.nullam creaturam neceſſariò agẽtem poſſe pati violentiam à Deo,quomodocunque moueatur.Eſt *cõt.Vaſq;1.2.diſp.26.c.4; Sua. diſp.2.de Viol.ſect.3;Sal,Val,Gran; Lorc; Arriag; Tanner; & alios* putantes Deum poſſe violentare creaturas ſecundùm quid agendo contra particulares inclinationes earum; vt quando diuiſit aquas maris rubri *Exod.* 14; & quando ignis in fornace *Babylonis* non combuſſit tres pueros *Dan.3*.Eſt quoque cont. *Med,& Monteſin.* aſſerentes, quòd licèt Deus, vt agens vniuerſale, per ordinem ad bonum Vniuerſi, non poſſit inferre violentiam;attamen vt agens particulare, operando propter finem particularem poteſt creaturis violentiam inferre agendo contra naturales earum inclinationes.

3 Traditur tamen *à Fund.Doct.in 1.diſt.42. princ.2.q.2.ad* 4;vbi docet: *Dicendum, quòd licèt Deus aliqua faciat,quæ natura facere nequit; non tamen propriè facit contra naturam,ſed præter, & ſupra naturam; diſtinguuntur enim duo genera rationum,quas Deus naturæ indidit, ſcilicet obedientiales; & Auctor naturæ nunquam facit contra naturã,quia nunquã facit contra rationes obediẽtiales ipſi naturæ inditas, licèt videatur aliquo modo agere cõtra ſeminales.*Idem repetit pluribus alijs in locis,præſertim *in 2.diſt.28.q.1.art.2.per omnia dub.lat*; quæ doctrina deſũpta eſt *ex Beatiſſ.P*;vt mox videbimus. Hanc ſententiam tenet *communiter noſtra Schola;& Thomiſtica*, quibus accedunt *Salm,Philipp.à SS.Trin,Gabr.à S.Vincent; Cornejo apud noſtrum Gibb.hìc diſp.10. dub. 2. num.4.*

4 Prob.autem 1. *ex Sap.16. Hos autem iterum,vt nutrirentur iuſti, ignis etiam ſuæ virtutis oblitus eſt; creatura enim ſibi Factori deſeruiens exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt,& Eſth.13.Non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere volũtati.*Quapropter *Beatiſſ.P.lib.26.cont.Fauſt. c.3;Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit; id enim erit cuicunque naturæ naturale,quod ille fecerit, à quo eſt omnis numerus,& naturæ ordo. Et in ſent. decerpt. ſent. 283.Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit &c;Nobis ergo videntur cõtra naturam inſolita, quibus aliter naturæ curſus innotuit;non autem Deo,cùm hoc eſt natura, quod ipſe fecerit;& lib.9.de Gen.ad lit.c.18.Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eaſque implet non eo opere prouidentiæ, quo naturas ſubſtituit,vt ſint,ſed illo,quo eas adminiſtrat, vt voluerit,quas,vt voluit,condidit;& lib.4.c.32. An forte nos ſicut ea ſecundùm motus eorum naturales nunc experimur, ita etiam cùm primitus inſtituta ſunt,cogitare debemus,ſed ſecundùm mirabilem,atque ineffabilem virtutem ſapiẽtiæ Dei, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter &c. Ex illis inſitis rationibus veniat, quas tanquam ſeminaliter ſparſit Deus in actu condendi.*Ex quibus ſic.1.Maior eſt inclinatio in omni creatura ad obediendum Deo volẽti,& agenti,quàm ad obediendum alteri creaturæ in illam agenti; nam omnis creatura naturaliter magis ſubditur Deo, quàm alteri creaturæ, quia magis ab illo dependet in fieri, & conſeruari;& ideo magis inclinatur in illum, quia magis inclinatur in id,à quo magis conſeruatur; ſed ex eo, quòd creatura naturaliter inclinatur ad obediendum agenti creato, non patitur violentiam ab ipſo,quia violentia eſt contra inclinationem naturalem;ergo multò minùs patitur violẽtiam à Deo. 2. Actio, qua violentè mouetur aliquod,non eſt illi ſuauis,quia ſuauitas eſt ſine reſiſtentia; ſed omnis actio Dei erga creaturam eſt ſuauis, quia Deus omnia attingit, & diſponit fortiter,& ſuauiter;ergo nulla actio, qua Deus mouet creaturam, eſt violenta. 3.Si actio difformis ad curſum naturalem, quem Deus dedit rebus,vt fiant,& moueantur, eſſet eis violenta; ſequeretur,quòd actio,qua Deus produxit res in principio temporis,fuiſſet violenta; ſed conſ.eſt abſurdum;ergo & ant.Prob.ſeq.Actio,qua Deus produxit res in principio temporis,eſt difformis actioni, qua Deus adminiſtrat res in temporis progreſſu;quia hæc ita eſt, vt per illam plãtæ naſcantur ex ſemine,vt aqueo creſcãt humore, vt non niſi,cùm grandeſcunt,fructus producant; vt aues oriantur ex ouis;animalia per diuerſa temporum ſpatia ad ſtatum adoleſcant perfecta; illa verò ita fuit,vt ſine ſemine, ſine alimento, ſine fœtu, & ſine tempore facta ſint omnia in perfecta magnitudine; ergo ſi actio difformis actioni,qua Deus agit ſecundùm curſum vſitatum, quem dedit rebus,eſſet violẽta,ſequeretur actionem,qua Deus produxit omnia in principio tẽporis, eſſe violentam. Prob.mi. Nulla maior abſurditas reperiri poteſt, quàm aſſerere actionẽ, qua Deus creauit naturas rerum, & dedit rebus ſuos motus naturales eis conuenientes, & proprios eſſe rebus violentam; nam actio violenta non dat rebus naturam,aut motus, & inclinationes naturales;aliter non eſſet violẽta,quia quod dat vim paſſo,naturale,non violentum ei eſt. 4. Vbi non eſt reſiſtentia ex parte paſſi, ibi non eſt violentia,vt dictum eſt *in ſup.art*; ſed nulla creatura poteſt reſiſtere actioni Dei efficaciter volẽti,& agenti;aliter non omnia,quæ vellet,faceret;

cr-

ergo nulla creatura poſſet pati violentiã à Deo.
5. Si creatura poſſet pati violentiam à Deo, maximè, quia Deus poſſet agere, vt agens particulare, contra inclinationem particularem creaturæ, vt aſſerunt *Aduerſarÿ*; ſed hoc eſt falſum; repugnat enim Deo agere, vt agens particulare, cùm ſit eſſentialiter agens vniuerſaliſſimum; ſicut repugnat creaturæ agere, vt agens vniuerſaliſſimum, quia eſt eſſentialiter agens particulare; tum quia Deo repugnat non agere ſub ratione vniuerſaliſſima entis, quia hæc eſt ratio formalis ſpecificatiua potentiæ Dei; implicat autem quãlibet potentiam agere extra ſuum ſpecificatiuũ formale; & ideo quanuis Deus producat tẽ particularem, illam tamen producit ſub ratione vniuer ſaliſſima entis; ergo creatura nequit pati violentiam à Deo.

5 Dices. Potentia obediẽtialis nõ dicit aliquã inclinationem poſitiuam, ſed ſimplicem non repugnantiam ad fieri, quod Deo placet; ergo nulla eſt ratio adducta.

Reſp. neg. ant; nam ſicuti inclinatio naturalis eſt potentia, qua res ſubduntur actioni agentis naturalis; ita potentia obedientialis eſt inclinatio, qua ſubduntur agenti vniuerſali. Præterea potentia obedientialis dicit non repugnantiam ex parte paſſi; ergo actio reſpiciens potentiam obedientialem nequit eſſe violenta, quia violentum dicit repugnantiam, & reſiſtentiam paſſi.

6 Quæritur, an idem dicendum ſit de creaturis liberè agentibus; an ſcilicet poſſint violẽtari à Deo in ſuis actionibus liberis ſiue elicitis, ſiue ſaltem imperatis.

7 Prima ſententia vult voluntatem in actibus elicitis poſſe à Deo violentari. *Ita Angeſius in Mor. c. 3.*

8 Communis tamen ſententia docet Deũ non poſſe cogere voluntatem in actibus ab ipſa elicitis, bene tamen in actibus aliarum potentiarum ab ipſa imperatis. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 25. q. 1. art. 3. dub. 1 lat*; vbi in reſp. *ad arg.* ait *ex D. Anſ. Ligari poteſt homo inuitus, quia nolens poteſt ligari; torqueri inuitus quia nolens poteſt torqueri; occidi inuitus, quia nolens poteſt occidi; ſed velle non poteſt inuitus; quia nolens non poteſt velle.* Idem docet *Argent. ibid. q. 1. art. 4; Gibb. vbi ſ. dub. 3; & omnes noſtri; & communiter omnes alÿ.*

9 Vnica concl. Voluntas creata nequit cogi à Deo ad eliciendos ſuos actus, ſed tantùm poteſt cogi quantùm ad actus imperatos aliarum potentiarum.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſſ. P. lib. 5. de Ciu. Dei c. 10*; vbi docet: *Sunt igitur noſtræ voluntates, & ipſæ faciunt, quidquid volendo facimus, quod non fieret, ſi nollemus.* Et inf. *Quo circa nullo modo cogimur*; & *lib. de duab. Animab. c. 10. Omnis inuitus faciens cogitur; omnis, qui volens facit, non cogitur.* Ex quibus ſic. Illud ſolùm dicitur cogi, quod non eſt principium intrinſecum illius motus, ad quẽ cogitur; ſed voluntas creata eſt principium intrinſecum ſuorum actuum elicitorum; ergo voluntas creata nequit cogi quoad actus elicitos. Ma. conſtat; quia coactio, ſicut violentia eſt à principio extrinſeco paſſo non conferente vim, ſeu non influente in actionẽ, ſed potiùs reſiſtente. Mi. etiam eſt clara; actus enim elicitus eſt ille, qui producitur ab ipſa voluntate. Tum quia actus elicitus eſt iuxta internum impetum voluntatis; eſt enim pondus, quo voluntas fertur in obiectum; ſicut grauitas in lapide eſt põdus, quo fertur ad cẽtrum; ergo nequit eſſe actus coactus, qui eſt contra internum impetum; aliter impetus impetum faceret in ſe ipſum, quod repugnat; & ſic grauitas poſſet impetum facere in ſe ipſam, ne tenderet deorſum.

10 Conf. 1. Vel illi actus eſſent naturales, vel ſupernaturales? Si primum; ergo nequeunt eſſe coacti; quia voluntas ad omnes actus naturales habet inclinationem naturalem. Si ſecundum; ergo pariter nequeunt eſſe coacti; quia ad actus ſupernaturales habet potentiam obedientialem; ſicut autem per potentiam naturalem voluntas actiuè tendit in actus naturales, & per hoc nequit eſſe coacta, quia coactum actiuè non elicit motum violentum, qui eſt tantùm ab extrinſeco; ſic per potentiam obedientialem actuatam per gratiam actiuè tendit in actus ſupernaturales; & per hoc excludit coactionem, quæ nequit ſtare cum actiuo concurſu ſubiecti.

11 Conf 2. Si voluntas poſſet cogi, maximè, quia poſſet elicere volitionem, quam nollet, aut è contra; in hoc enim ſolùm poteſt conſiſtere coactio ipſius voluntatis; nam ſi eliciat volitionem, quam vult, aut è contra, non cogitur, ſed voluntariè vult, vt patet; ſed hoc repugnat, quia repugnat eſſe ſimul volentem, & nolentem idem obiectum; aliter conſtitueretur nolens per volitionem, & è contra; ergo nequit cogi quoad actus elicitos.

12 Tandem omnis actus elicitus à voluntate eſt ſimpliciter voluntarius, quia eſt à principio intrinſeco cum cognitione; ergo nequit eſſe ſimpliciter inuoluntarius; implicat enim idem ſimul eſſe ſimpliciter voluntarium, & inuoluntarium; atqui actus coactus eſt ſimpliciter inuoluntarius; ergo implicat actum elicitum à voluntate eſſe ſimpliciter coactum; & ideo voluntatem cogi quoad actus elicitos.

13 Diximus *ſimpliciter voluntarium, & inuoluntarium*; hic enim loquimur de coactione ſimpliciter, non autem ſecũdùm quid; nam quòd voluntas poſſit elicere actum ſimpliciter voluntarium, & ſecundùm quid inuoluntarium; vt eſt volitio mercatoris proijciendi merces in mare ad ſaluandam vitam, non repugnat, vt *inf.* videbimus.

14 Prob. 2. pars concl. Actus aliarum potẽtiarum non eliciuntur ab ipſa voluntate, ſed tantùm imperantur; ſed quæ imperãtur ab vno, poſſunt impediri, ne fiant, ab alio potentiori; ergo vo-

volũtas poteſt cogi quoad actus imperatos aliarum potentiarum. Tum quia voluntas damnatorum cogitur ad ſubſtinenda tormenta, quæ nollet ſubſtinere; & illa tormenta effectiuè ſunt tantùm ab extrinſeco, & voluntas illa nollet pati; ergo poteſt cogi quoad paſſiones ab extrinſeco allatas. Tũ quia poteſt quis nolle pedes mouere ad aliquem locum;& tamen illuc poteſt per vim transferri ab aliquo maioribus viribus prædito;& ſic de alijs.

15 Obijc.1.cont.1. part. concl. *Magnus P. Aug.epiſt.204. ad Donatum* docet homines cogendos eſſe ad meliora;ſed hoc non eſſet,niſi voluntas cogi poſſet quoad actus elicitos; nam ſi nollet opera exteriora,ad quæ cogeretur, non haberet meritum,& ſic non cogeretur ad meliora,quæ nequeunt eſſe,niſi opera meritoria; ergo voluntas cogi poteſt quoad actus elicitos.

Reſp. *Beatiſſ. P.* docere homines cogi debere ad opera externa meliora, vt ex illis conuertatur voluntas, & reducatur ad bonam frugem, non autem quòd poſſit cogi quoad actus elicitos.

16 Obijc.2. Voluntas poteſt à Deo neceſſitari,vt patet in amore beatifico; ergo poteſt cogi;nam dum neceſſitatur,fit contra internum impetum liberum proprium voluntatis,& ideo cogitur. 2.Quanuis actus elicitus non ſit contra inclinationem actualem voluntatis, eſt tamen contra inclinationem habitualem; vt patet de peccato,quod eſt contra inclinationem habitualem amandi Deum; ſed hoc ſufficit ad coactionẽ; ergo voluntas poteſt cogi. 3. Sequeretur, quòd nec etiam intellectus, & aliæ potentiæ cogi poſſent ad eliciendos ſuos actus,quilibet enim actus eſſet vitaliter à ſua potentia. 4. Poteſt Deus voluntatem inclinatam in odium inclinare in amorem;ergo faceret contra internum impetũ illius; & ideo cogeret.

Reſp.ad 1.neg. conſ; nam cogere importat actum non eſſe ab intrinſeco;neceſſitare autem poteſt competere etiam actui ab intrinſeco elicito. Ad prob. inſerr. dicitur impetum voluntatis eſſe in bonum;quòd autem ſit liberè,vel neceſſariò,dicit tantùm modum impetus, qui erga ſummum bonum eſt neceſſariò,erga bonum particulare admixtum malo eſt liberè; vnde neceſſitas non opponitur impetui, ſed modo impetus. Ad 2. diſt.ma. Actus elicitus eſt contra inclinationẽ actualem,vel habitualem partialem,& inadęquatam,conc;ſed neg.mi; nam ex eo, quòd amor ſit contra inclinationem inadæquatam,quam habet voluntas in odium; attamen amor non cogit voluntatem.Eſt contra inclinationem actualem,vel habitualem adæquatam,neg.Ad 3.diſt.ſeq. Aliæ potentiæ non poſſent cogi quoad ſuos actus abſolutè, vel per ordinem ad ipſas potentias,conc; vnde aliæ potentiæ non coguntur, quanuis neceſſitentur;ſed violentia infertur voluntati quãtùm ad actus illarum. Ad 4.diſt.conſ.eodem modo. Faceret contra internum impetum adæquatum, neg;inadæquatum,conc.

17 Inſt. Manente actu odij in voluntate poteſt Deus ſimul infundere amorem;quia contraria in gradu remiſſo poſſunt eſſe ſimul;ergo voluntas tunc pateretur violentiam.

Reſp.neg. ant; nam licèt contraria poſitiua in gradu remiſſo poſſint eſſe ſimul in diuerſis partibus eiuſdem ſubiecti quantitatiuè extenſi; non tamen in eodem ſubiecto indiuiſibili, vt eſt voluntas. Vel neg.conſ;dato enim,quòd in eadẽ voluntate poſſet eſſe ſimul amor, & odium eiuſdem obiecti,neutrum eſſet illi violentum, quia voluntas eſt potentia inclinans ad vtrũque; ſicut ſi grauitas, & leuitas eſſent ſimul in eodem corpore,eidẽ eſſet naturalis motus ſurſum, & deorſum; vnde odium eſſet contra impetum inadæquatum tantùm,vt patet.

18 Obijc.3. Poteſt dari actus inuoluntarius ex ignorantia inuincibili antecedente, vt *inf*; ergo etiam violentus; nam actus inuoluntarius ex ignorantia antecedente eſt contra internum impetum, & ideo violentus; tum quia non magis pugnat inuoluntarium, quàm violentum cum voluntate.

Reſp. diſt.ant. Poteſt dari actus inuoluntarius ſecundùm omnem rationem, ſeu nullo modo procedens à voluntate;ſicut eſt violentum, neg;ſecundùm aliquam rationem tantùm,volitus tamen ſecundùm aliam;vt eſt actus inuoluntarius procedens ex ignorantia inuincibili, conc; actus enim,quo quis occidit Patrem putans inuincibiliter eſſe hoſtem,verè elicitur à voluntate,quanuis non eliciatur,qua occiſio Patris eſt,ideo non eſt coactus, ſed inuoluntarius. *Sed de hoc inf.art. 6.num.12.*

19 Obijc.4.Deus poteſt infundere voluntati odium eiuſdemmet voluntatis; ſed tale odium eſt contra naturalem inclinationem uoluntatis; ergo poteſt illam cogere.

Reſp. neg. mi; nam odium non eſt,niſi de malo; vnde Deus poteſt infundere actum odij in voluntatem,ut malam per peccatum; uoluntas autem naturaliter inclinatur in fugam à malo, & ideo in fugam ſui ipſius cognitæ,ut malæ.

20 Obijc.5.cont.2.part.concl.Voluntas habet potentiam obedientialem reſpectu Dei, etiã quoad actus aliarum potentiarum; ſed potentia obedientialis ſufficit ad euadendam uiolentiam; ergo nequit cogi etiam quoad actus aliarum potentiarum.

Reſp.diſt.mi.Potentia obedientialis proximè mota à Deo ſufficit ad euadendam uiolentiã, conc;ſed in hoc ſenſu neg.ma;ſupponitur enim voluntatem non moueri à Deo quoad actus aliarum potentiarum, ſed potiùs moueri in oppoſitum; ſi enim moueretur, moueretur per actum ſuum à Deo cauſatum in illa, & ſic non cogeretur.Potentia obedientialis remota, neg.

A R T. III.

Afferuntur aliquot quæſita.

1 QVæres 1; an uoluntas poſſit pati uiolētiam ſaltem in priuatione ſuorum actuum; ut ſi Deus ſuſpenderet ſuū concurſum ad actum, in quem inclinat uoluntas?

Reſp. negatiuè. Eſt *cont. noſtrum Gibb; Angeſt; Vaſq; Almain; Lorc; Val; Monteſin; Salm; Sal; Hurtad; Ouied; & alios.* Ratio eſt; quia uoluntas nedum inclinat naturaliter in actum, ſed etiam in priuationem illius; utrunque enim eſt in eius poteſtate ſecundùm ſe præcisè accepta, q uia naturaliter inclinat in utrunque. Hinc ſi Deus priuaret uoluntatem beati concurſu ad amorem beatificum, uoluntas naturaliter quieſceret, & naturaliter ſubeſſet illi priuationi. Tnm quia uoluntas non inclinat in amorem beatum, niſi ſub concurſu Dei; hoc enim eſt de ratione cauſæ ſecundæ; ergo illo ſubtracto non inclinaret. Tum quia omnis cauſa creata naturaliter habet, quòd agat, vt mota à cauſa prima, & ſimul cum illa; ergo præciſa tali motione, & ſimultaneo concurſu naturaliter non inclinat ad agere; ſed eſt veluti quoddam inſtrumentum inanime ſine ſpiritu illā mouente ad agendum. Tum quia voluntas habet potentiam obedientialem, qua ſubijcitur voluntati Dei; ſed potentia obedientialis ſufficit ad ſaluandam violentiam, vt *ſup.* dictum eſt; ergo voluntas nequit cogi à Deo etiam ad ceſſandum à ſuis actibus.

2 Obijc. *Gibb.* Volūtas poteſt à Deo impediri, ne exeat in actū beatificū, ad quem nō exitū ipſa non influeret, ſed potiùs reſiſteret; ergo poteſt violentari. 2. Voluntas beati ita eſt determinata ad amorem Dei; ſicut ignis ad comburendum; ſed Deus ſuſpendendo ſuum concurſum debitū igni inferret ei violentiam; ergo à pari.

Reſp. ad 1; quòd voluntas ſecundùm ſe prçcisè accepta eſt potentia tantùm remotè, & radicaliter inclinans in amorem beatificum, ad quem non inclinat proximè, niſi per gratiam præuiam, & ſimultaneam; vnde ablata gratia præuia, & ſimultanea actu non reſiſteret; ſed proximè inclinaret in carentiam illius; quia ſecundùm ſe ſine vllo addito poteſt illo carere; vnde neg. ant. Ad 2. dicitur *hunc Auctorem* ſibi contradicere; nam *dub.* 2. docet creaturas non poſſe violentari à Deo; quia in ipſis eſt potentia obedientialis ad parendum Deo. Igitur falſa eſt ma; quia voluntas beati determinatur ſolùm per gratiam; ſecundùm ſe autem eſt indifferens ad vtrunque; ignis autem ſecundùm ſe eſt determinatus ad comburendum. Item falſa eſt mi; vt diximus *ſuperiùs cū eodem noſtro Gibb.*

3 Quæres 2; an voluntas poſſit pati violentiam quoad ſuos actus, quos elicit ſimul, & imperat; vt v. g. quando vult amare Deum ſuper omnia; an poſſit violentari quoad amorem Dei?

Reſp. negatiuè; & prob. ijſdem rationibus; nam in tantùm nequit pati violentiam in actibus tantùm eliciris, non imperatis; in quantùm habet naturalem inclinationem, & eliciuntur ab ipſa voluntate; & in tantùm nequit cogi quantùm ad ceſſationem ab illis; in quantùm voluntas eſt potentia ſecundùm ſe naturaliter potens ad hoc, & ad oppoſitum, ſcilicet ad actum, & ad oppoſitum illius; ſed etiam eſt potentia habens naturalem inclinationem ad ſuos actus imperatos, & eſt ſecundùm ſe ad illos, ac ad oppoſitum illorum; ergo cogi non poteſt. Tum quia naturaliter habet tendere ſub concurſu Dei; ergo ſi Deus non cōcurrat ad illos imperandos, naturaliter inclinat in oppoſitum. Tum quia naturaliter agit, vt mota; & ſic de reliquis.

4 Quæres 3; an actus aliarum potentiarum poſſint eſſe violenti nedum voluntati, ſed etiam ipſis potentijs, à quibus eliciuntur?

Reſp. negatiuè. Eſt *cont. noſtrum Gibb; apud quem Scot; Capr; Dur; Med; Sal; Val; Salm; & alij.* Ratio eſt. Illud eſt ſimpliciter violentum, quod eſt tantùm à principio extrinſeco nullo modo influēte principio intrinſeco, quod per illos mouetur; ſed illi actus eſſent à ſuis potentijs intrinſecè, quæ per illos mouerentur in ſua obiecta; ergo non eſſent violenti illis potentijs.

5 Dices. 1. Quanuis illi actus eſſent à potentijs intrinſecis; attamen non eſsēt à principio intrinſeco applicatiuo, nempe à voluntate, cui naturaliter ſubijciuntur; & eſſent contra inclinationem naturalem ſuarum potentiarum, quæ inclinantur ad moueri à voluntate; ergo eſſent violenti etiam ſuis potentijs.

Reſp; quòd ſicuti quia non eſſent à principio intrinſeco applicatiuo, cui naturaliter ſubijciuntur, eſſent violenti illi principio, non enim eſſent ab illo principio; ita quia eſſent eliciti à ſuis potentijs intrinſecis, non eſſent illis violenti; & ſic ſuæ potentiæ nedum inclinantur ad moueri à uoluntate, ſed etiam ad quoſcunque actus, quos poſſunt elicere; imò magis inclinantur ad ſuos actus, quàm ad ſubijci voluntati maximè poſt rebellionē factā per peccatū originale; hinc actus intellectus indeliberati, & motus ſenſuū ſine aduertentia ſunt naturales ſuis potentijs, quāuis non ſint voluntarij, & ex imperio voluntatis.

6 Dices 2. Denominatio violenti, & naturalis penſanda eſt ex inclinatione fortioris; ſed fortior eſt inclinatio, quam habent potentiæ ſubditæ imperio voluntatis, ad illi obediendum, quàm inclinatio naturalis ad ſua obiecta; ergo actus violenti uoluntati eſſent etiam uiolenti ipſis potentijs. Prob. ma. Ideo creatura nequit cogi à Deo, quia potentia obedientialis eſt inclinatio fortior, quàm naturalis; ergo denominatio violenti, & naturalis penſanda eſt ex inclinatione fortiori. Prob. mi. Si aqua impediretur ab aſcendendo ad impediendum vacuum; aut manus ad defenſionem totius, pateretur violentiam, quia inclinatio ad impediēdum vacunm, & ad defen-

den-

dendum totum eſt ad bonum vniuerſale; ſed *in*clinatio, quam habenr potentiæ ad obediendum voluntati, eſt ad bonum vniuerſale; ergo eſt fortior. Præterea in appetitu ſenſitiuo poſſunt eſſe duo actus contrarij, vnus efficax, alter inefficax; videmus enim canem appetere cibum, & tamen metu flagelli fugam capere; ergo tunc patitur violentiam, quanuis actus fugæ eliciatur ab ipſo.

Reſp. neg. ma; nam denominatio violenti ſimpliciter petenda eſt ex eius definitione, quæ eſt *i*llius eſſentia, ſeu forma; definitio autem eſt non eſſe à principio intrinſeco influente; ergo quando eſt à principio intrinſeco, non eſt violẽtum; quanuis poſſit dici violentum ſecundùm quid; quatenus non eſt iuxta, ſed contra aliquam inclinationem; non tamen eſt uiolentum ſimpliciter, quia non eſt contra omnem inclinationem, & influxum. Ad prob. dicitur, quòd ſicut inclinatio ſimpliciter tollit violentiam ſimpliciter; ita maior inclinatio magis tollit violentiam; non tamen maior inclinatio facit illud, quod eſt iuxta minorem inclinationem, eſſe violentum; aliter omnes motus naturales creaturarum eſſent ipſis violenti; quia in creaturis eſt potentia obedientialis ad motus oppoſitos, quæ eſt fortior inclinatio; ita quanuis concedatur potentias habere maiorem inclinationem ad obediendum voluntati, quàm ad tendendum in ſua obiecta; attamen non ſequitur, quòd tendentia in ſua obiecta ſit illis violenta, quia eſt contra inclinationem volũtatis. Ad 2. neg. conſ; quanuis enim actus fugæ minuatur ab appetitu cibi; attamen non eſt ei violentus, ſed naturalis, quia verè elicitur intrinſecè à cane. Eſt ergo minùs ſpontaneus; ſicut *inf.* dicemus de actu proijcientis merces in mare metu naufragij; qui minuitur à deſiderio retinendi merces, & eſt inuoluntarius ſecundùm quid, non tamen eſt uiolentus ſimpliciter.

7 Collig. ex dictis uiolentiam in natura intellectuali cauſare inuoluntariũ ſimpliciter; nam violentia dicit eſſe tantùm à principio extrinſeco contra internum impetum voluntatis; hoc autem eſt inuoluntarium ſimpliciter, vt patet.

8 Dices. Virgo, quæ violatur renitente voluntate, exteriùs tamen non reſiſtente, quantùm poteſt, violentiam patitur; & tamen voluntariè violatur, quia peccat, & omne peccatum eſt uoluntarium; ergo uiolentia non cauſat inuoluntarium ſimpliciter.

Reſp. neg. 1. part. ant; nam exteriùs non reſiſtendo, quantùm poteſt, cenſetur interpretatiuè velle uiolari; & ideo moraliter uolũtariè vult; quod ſufficit ad tollendam uiolentiam.

ART. IV.

An metus cauſet inuoluntarium?

1 Metus *ex Fund. Doct. lib. 1. de Regim. Princ. p. 3. c. 1.* eſt paſſio appetitus iraſcibilis, quæ opponitur audaciæ; nam cùm iraſcibilis ſit circa malum, ſicut concupiſcibilis eſt circa bonum; ſi ſit circa malum aggrediendo illud, eſt audacia; ſin autem circà malum fugiendo, eſt metus, ſeu timor. Et hoc conformiter *ad Beatiſſ. P. lib. 83. qq. q. 33*; vbi agit de metu docens *nullum metum eſſe, niſi futuri, & imminentis mali; neceſſe eſt autem, vt qui metuit aliquid, fugiat*; quapropter ſubdit *Fund. Doct*; quòd metus in hoc diſtinguitur à triſtitia, quæ eſt mali præſentis; metus autem mali futuri. Igitur metus definitur *paſſio iraſcibilis, qua fugimus malum futurum, & imminẽs*; quæ definitio traditur *à Phil. 2. Reth. c. 5.* ferè ſimilibus verbis.

2 Duplex autem eſt metus; alter cadens in conſtantem Virum; alter verò cadens in Virum inconſtantem. Cadens in conſtantem virum eſt ille, qui adeo graui innititur motiuo, vt illi cedere non deroget conſtãtiæ, & fortitudini viri prudentis. Motiuum autem vel eſt ex parte metuentis, qui non leuiter, ſed valde probabiliter iudicat tale malum imminere; vel ex parte obiecti incutientis metum; vt cùm minitans malum poteſt, & ſolet illud exequi; & aliunde euitari non poteſt. Cadens in virum inconſtantem eſt, qui leuibus, inanibus, & futilibus innititur coniecturis; de quo dicitur *pſ. 13. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Hìc* agimus de vtroque.

3 Tandem metus dupliciter poteſt concurrere ad actum voluntatis, vel antecedentet influendo in illum; vt cùm quis ex metu naufragij proijcit merces in mare, quas nollet proijcere: vel concomitanter; vt Chriſtus Dominus, & SS. Martyres ſubierunt mortem cum metu naturali ipſius mortis, quæ omnibus eſt metuenda. Metus primo modo minuit voluntarium, quia in illum influit; ſecundo modo non minuit, quia in illum non influit; vnde voluntas cum metu concomitante ita fortiter ſubit malum, ac ſi eſſet ſine metu. *Hìc* agimus ſolùm de metu antecedente.

4 Vnica concl. Quæ fiunt ex metu, ſunt voluntaria ſimpliciter, & ſecundùm quid inuoluntaria. *Ita communiter Theologi, & Phil. 3. Eth. c.* 1; *& Fund. Doct. in 2. diſt. 25. q. 1. art. 5.*

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. lib. de ſpir; & lit. c. 31*; vbi docet: *Si ſubtiliùs aduertamus, etiam, quod quiſque inuitus facere cogitur, voluntate facit. Sed quia mauult aliud, ideo inuitus, hoc eſt nolens, facere dicitur. Malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens euitare, vel à ſe remouere, facit, quod cogitur. Nam ſi tanta voluntas eſt, vt malit hoc nõ facere, quàm illud non pati, cogenti procul dubio reſiſtit, nec facit; ac per hoc ſi facit, non quidem plena, & libera voluntate, ſed tamen non facit, niſi voluntate.* Ex quo ſic. Illi affectus, qui fiunt ex metu, verè fiunt à voluntate cum cognitione, imò liberè, non quidem tanta voluntate, & libertate, quanta fierent, ſi nullus eſſet metus; ita enim fiũt, vt poſſent non fieri; quia poſſet quis potiùs mortem ſubire, quàm illos facere; nam proijciens merces in mare poſſet potiùs naufragium ſubire, quàm illas proijcere; ſed illud, quod eſt à vo-

lun-

luntate,& libertate, non quidem tanta, quanta eſſet, ſi non adeſſet talis conditio, eſt voluntariū ſimpliciter,& ſecundùm quid inuolūtarium;quia ſimpliciter eſt à voluntate impetum contrarium agente,ſupponente tamen conatum contrarium; vnde voluntas agens ſuperando conatum contrarium magis, & fortiùs agit, quàm prout contrariè reſiſtens ; imò ſuperando conatum agit effectum;reſiſtendo autem non agit effectum; quapropter dicitur,quòd *actio inuita plus habet de voluntario,quàm de inuoluntario*;ergo quæ fiunt ex metu,ſunt ſimpliciter voluntaria, & inuoluntaria ſecundùm quid.

5 Conf. Quæ fiunt ex metu, fiunt cum quadam diſplicentia ita tamen, vt voluntas faciendi ſuperet voluntatem non faciendi,& ideo voluntas faciendi eſt efficax,voluntas verò non faciendi eſt inefficax; ſed illud, quod voluntariè fit efficaciter cum voluntate inefficaci illud non faciēdi,eſt voluntarium ſimpliciter, & ſecundū quid inuoluntarium,quia voluntarium ſimpliciter deſumitur ab eo, quod habet eſſe à voluntate ſimpliciter;& illud habet eſſe à volūtate ſimpliciter, quod efficaciter ab illa fit ; eſſe enim habetur ab efficientia principij;inuoluntarium verò ſecundū quid deſumitur ab eo,quod minuit voluntarium ſimpliciter;hoc autem eſt voluntas inefficax non non faciendi,quæ efficit,vt voluntas non feratur in actum voluntarium toto conatu, & tota complacentia;hinc docet *Beatiſſ. P. lib.8.Conf.c.8;& 9.Animus aliquando imperat ſibi, vt velit, & tamen non vult,quia non plenè imperat;quia non totus aſſurgit*;ergo quæ fiunt ex metu, ſunt voluntaria ſimpliciter,& ſecundùm quid inuoluntaria.

6 Explic.magis. Quia *Aethiops* habet nigredinem corporis ſuperantem albedinem, nigredo enim habet maius eſſe extenſiuè in corpore,quā albedo,quæ reperitur ſolùm in vna parte corporis,nempe in dentibus;ideo denominatur ſimpliciter niger,& albus ſecundùm quid; illa enim albedo diminuit aliqualiter nigredinem,quia facit nigredinem non extendi ad omnem partem corporis;ergo quia illa,quæ fiunt ex metu,quatenus efficaciter fiunt, ſimpliciter habent eſſe à voluntate;& quatenus fiunt cum voluntate non faciendi,efficitur,vt voluntas non applicet ſe totam toto ſuo conatu ad illa facienda ; voluntas tamen faciendi ſuperat voluntatem non faciendi ; ideo ſunt voluntaria ſimpliciter , & ſecundùm quid inuoluntaria.

7 Vrgetur magis.Si vna voluntas efficaciter vellet,& faceret aliquid, quod voluntas alterius hominis non vellet fieri ; tunc ille effectus diceretur ſimpliciter voluntarius voluntati volenti, & facienti ; ac ſimpliciter inuoluntarius reſpectu alterius voluntatis ſimpliciter nolentis; quia illa voluntas ſimpliciter nollet illum effectum ; ſed eadem voluntas poteſt velle, & nolle eundem effectum; eſt enim potentia ad vtrunque , ita tamen,vt ipſum velit efficaciter,& nolit inefficaciter,vt diximus *de Fine art. 3. num.5*; & effectus quatenus efficaciter fit , dicitur voluntarius ſimpliciter,quatenus autem inefficaciter eſt volitus, dicitur inuoluntarius ſecundùm quid ; quia tunc ſolùm eſt inuoluntarius ſimpliciter , quando efficaciter fit ; ergo voluntas poteſt ſimul uelle aliquid uoluntariè ſimpliciter , & inuoluntariè ſecundùm quid. Atqui uoluntas cùm vult aliquid ex metu,efficaciter illud vult,quia de facto illud facit;& inefficaciter illud non uult, quia non deſiſtit à factione illius; ergo illud,quod fit ex metu,eſt uoluntarium ſimpliciter, & inuoluntarium ſecundùm quid.

8 Collig.ex dictis metum non tollere uolūtariū,ſed illud tātùm minuere; quia non obſcurat totaliter uſum rationis ; ſinit enim intellectū cognoſcere utrunque oppoſitum;nam proijciens merces in mare ex timore naufragij cognoſcit amiſſionem mercium,& uitæ ſaluationem.

9 Obijc.1.Si metus cauſaret inuoluntarium ſecundùm quid, ſequeretur, quòd obſeruantia legis ex metu gehennę eſſet inuoluntaria,& ideo mala,ac uitioſa ; quod eſt contra *Conc. Trid. ſeſſ. 14.c.4;& 15.de Sacram. Pœnit.* docente deteſtationem peccati excludere affectum peccati,& eſſe donum,ac impulſum Spiritus Sancti. Sic metus mortis in Chriſto Domino,& SS. martyribus effeciſſet, ut mortem inuoluntariè ſubijſſent; & ſic habuiſſent cum uoluntate moriendi coniunctam uoluntatem non moriendi ; ſed hoc eſt falſum;ergo & ant.

Reſp.omiſſis uarijs modis dicendi *Recentiorum* neg.ſupp.ma.; nam obſeruantia legis ex metu gehennæ non eſt inuoluntaria ſecundū quid,ſed ſimpliciter uoluntaria ; quia metus gehennæ non habet annexam nolitionem obſeruantiæ legis,etiam inefficacem,imò habet cauſare uolitionem eo, quia non eſt coniunctus cum voluntate peccandi ; ſicut metus naufragij ideo cauſat inuoluntarium ſecundùm quid , quia eſt coniunctus cū uoluntate inefficaci ſeruandi merces.Ita metus mortis in Chriſto Domino, & SS. Martyribus non cauſat inuoluntarium ſecundū quid, quia non eſt coniunctus cum uoluntate nō moriendi;& ideo metus in Chriſto Domino non dicitur antecedens,ſed ſubſequens, vel cōcomitans uoluntatem abſolutam moriendi ; patet autem, quòd inuoluntarium debet cauſari à uoluntate habente impetum,ſeu inclinationem ad oppoſitum illius,quod fit, & quod dicitur inuoluntarium. Metus ergo tunc ſolùm cauſat inuoluntarium ſecundùm quid, quando eſt coniunctus cum uoluntate faciendi oppoſitum illius , quod fit ; quod cùm non contingat in caſibus allatis , ideo non cauſat inuoluntarium.

10 Inſt.Implicat eundum actum eſſe uoluntarium, & inuoluntarium ; nam ratio uoluntarij opponitur inuoluntario ; ſic repugnat uoluntatē non faciendi eſſe ſimul cum uoluntate faciendi ; ergo nulla reſponſio.

Reſp.diſt. 1.part. ant. Secundùm diuerſas rationes,neg; ſecundùm eandem rationem,conc; nam motus progreſſiuus, prout eſt à viuente, eſt voluntarius,& naturalis;& ratione grauitatis eſt violentus;ſic eadem actio,prout eſt à uoluntate, eſt uoluntaria, & prout eſt cum diſplicentia, eſt inuoluntaria. Ad aliud dicitur uoluntatẽ ineſficacem non faciendi nihil aliud eſſe, quàm diſplicentiam, quam habet uoluntas in faciendo; & ideo non eſſe actum à voluntate faciendi ſimul coniunctum cum illo in voluntate; implicat enim uoluntatem habere ſimul duos actus oppoſitos;ſed eſſe actum virtualem, qui cenſetur durare in voluntate ratione actus formalis, quem antea habebat,non faciendi illud, quod facit ex metu; patet enim diſplicentiam, & complacentiam cõiungi cum actionibus voluntatis.

11 Obijc.2. Quod non eſt volitum ratione ſui, ſed ſolùm ratione circunſtantiæ,non eſt uoluntarium ſimpliciter; ſed actio facta ex metu non eſt volita ratione ſui, ſed tantùm ratione naufragij; ergo metus cauſat inuoluntarium ſimpliciter. 2. Sicut ſe habet naturale ad naturam; ita voluntarium ad voluntatem; ſed quod repugnat naturæ, non eſt naturale ſimpliciter; ergo quod repugnat voluntati, vt actio facta ex metu,non eſt ſimpliciter voluntarium.

Reſp. ad 1. neg. ma; nam licèt quis velit furari centum aureos, quod non vellet,ſi eſſent ſolùm nonaginta nouem, non ſequitur furtum centum aureorum eſſe inuoluntarium ſimpliciter. Præterea dicitur naufragium non eſſe circunſtantiam, ſed obiectum mouens voluntatem ad proijciendas merces in mare. Ad 2. diſt.ma. Quantùm ad denominationem, conc; quantùm ad determinationem, neg; nam quia natura eſt ad vnum determinata, ideo quòd illi repugnat, non eſt naturale; at verò voluntas, quia eſt ad oppoſitum, ideo quod illi repugnat ſecundùm vnam rationem, ſeu actum, poteſt eſſe voluntarium ſecundùm aliam rationem.

12 Obijc. 3. Metus leuis cauſat inuoluntarium ſecundùm quid; ergo metus grauis cadens in virum conſtantem cauſat inuoluntarium ſimpliciter.

Reſp.neg. conſ; inuoluntarium enim ſuſcipit magis, & minus; & ideo ſicut metus leuis cauſat minus voluntarium ſecundùm quid; ita grauis maius inuoluntarium.

13 Obijc.4. Quæ fiunt ex metu cadente in virum conſtantem, non ſunt valida, ſed irrita, vt ſunt profeſſiones, matrimonia, aliique contractus, qui cenſentur inualidi in vtroque foro;ergo nõ ſunt ſimpliciter voluntaria;quæ enim ſunt voluntaria, valida ſunt.

Reſp. neg. conſ. Ad prob.inſert. dicitur illos contractus ſolos eſſe validos, qui ſunt voluntarij ſecundùm omnem rationem,& ſunt omnino immunes à coactione, & metu. Hoc autem vel eſt intelligendum de iure naturali, quia eſt contra æquitatem naturalem, quòd quis percipiat commodum ex iniquitate, vi, & fraude; vt *ex c. dudum de Vſuris; & c. Sicut tuis* §. *Quanuis de Simonia*; vel de iure poſitiuo, vt conſtat *ex c.Locum; & ex c. Veniens de Sponſalibus*; & ex titulo *De ijs, quæ vi, metuſue cauſa fiunt*. Promiſſiones autem ex timore iuſtè incuſſo ad faciendum aliquod, quod facere tenemur; & promiſſiones factæ Deo ex metu, vt in caſu naufragij &c; ſunt validæ, ut tenet cõmuniſſima ſententia.

14 Obijc. 5. Si actus dicerẽtur inuoluntarij, quia non fiunt ex toto conatu uoluntatis,ſequeretur pauciſſimos actus eſſe uolũtarios, quia pauciſſimi fiunt ex toto conatu; conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp.actus fieri ex toto conatu intelligi dupliciter. 1. Negatiuè ita, ut neget conatum ad oppoſitum; & in hoc ſenſu locuti ſumus *ſuperius*. 2. Poſitiuè ita, ut dicat totam intenſionem actus, quam poteſt habere à uoluntate. Diſt. igitur ma. Quia non fiunt ex toto conatu poſitiuè, conc. ſeq; ſed non eſt ad rem; negatiuè, neg; multi enim ſunt actus, qui fiunt ſine diſplicentia; quanuis non fiant cum tota intenſione.

15 Quæres; an metus grauis excuſet à peccato?

Reſp. non excuſare; dummodò non perturbet rationem, & euertat penitus libertatem. Verum tamen eſt, quòd in aliquibus caſibus, in quibus poteſt eſſe metus grauis periculi vitæ, lex, ſiue ſit naturalis, ſiue poſitiua, tam Diuina, quàm humana non obligat; non enim quis tenetur reddere gladium apud ſe depoſitum volenti illum occidere; quanuis lex naturæ obliget ad reddendam rem alienam, à qua tamen lege diſpenſamur *per Epicheiam*. Sic *Iſraelitæ* expoliarunt *Aegyptios &c*; & *Dauid 1.Reg. 21. Comedit panem propoſitionis, ne fame periret*; qui tamen erant laicis prohibitus iure Diuino; quod à fortiori dicendum eſt de iure humano.

ART. V.

An concupiſcentia cauſet, vel minuat inuolũtarium?

1 Dictum eſt metum,qui ſpectat ad iraſcibilem,cauſare ſolùm inuoluntarium ſecundùm quid,& ideo ſolùm minuere voluntarium;nunc quærendum eſt de altero appetitu ſenſitiuo,qui eſt concupiſcentia;nec reſtringimus difficultatem ad aliquam paſſionem ſpecialem fundatam in ipſa; vt reſtrinximus ad ſolum metũ *in ſup. art*; ſed loquimur de omni paſſione fundata in appetitu concupiſcibili verſante circa bonum ſenſibile; paſſiones autem principales ſpectantes ad concupiſcibilem ſunt ſex, vt docet *Fund. Doct. De Regim. Princ. lib.1.p.3. c.1*;ſcilicet amor,odium,deſiderium,abominatio,

de-

delectatio,& triſtitia; quarum tres verſantur circa bonum,nempe amor, deſiderium, & delectatio.Diximus *principales* , quia dantur vltra iſtas etiam aliæ ad iſtas redactæ;vt habet *ibid.c.9.*

2 Concupiſcentia duplex eſt; alia antecedens,quæ præcedit actum voluntatis, & concurrit ad illum,tanquam cauſa illius;vt cùm viſo aliquo obiecto delectabili accenditur deſiderium, & inflammat voluntatem ad illud quærendum. Alia conſequens, quæ ſubſequitur ad actum voluntatis,quæ aliquando tanto feruore tendit in aliquod obiectum,vt excitet paſſiones ſenſitiuas ad tendendum in illud,& licèt paſſiones ſic excitatæ poſſint iterum mouere voluntatem ad tendendum feruentiùs in illud; attamen prout ſic mouent, ſunt antecedentes reſpectu nouæ tendentiæ,non conſequentes.*Hic* loquimur de concupiſcentia antecedēte, quæ ſola eſt cauſa actionis voluntariæ,quia concurrit ad illam,tanquam principium motiuum voluntatis;non autem de concupiſcentia conſequente, quæ eſt effectus illius.

3 Not.autem,quòd aliud eſt minuere, vel augere voluntarium,& aliud cauſare inuoluntarium. Augere voluntarium eſt concurrere, tanquam principium mouens,& inflammans voluntatem ad tendendum intenſiùs in obiectum; & minuere eſt cauſare defectum in aliquo ex principijs concurrentibus ad actionem voluntariam, quæ ſunt intellectus,& voluntas. Augere autem, & minuere voluntarium poteſt intelligi vel de volūtario libero,vel de neceſſario. At verò cauſare inuoluntarium eſt facere, quòd voluntas tēdat cōtra internum impetum;patet autem, quòd augere,vel minuere voluntarium non eſt facere, quòd voluntas tendat contra internum impetū, ſed ſolùm quòd magis, vel minùs voluntariè tēdat; & ideo non eſt cauſare inuoluntarium, atque adeo minuere voluntarium eſt facere aliquo modo non volūtarium negatiuè, idèſt quòd voluntas non adeo voluntariè tendat; non autem contratiè, idèſt quòd voluntas tendat per impetum contrarium.

4 Prima ſententia vult concupiſcentiam cauſare aliquo modo inuoluntarium. Refertur *Angeſt.in Mor.c.3.*

5 Secunda ſententia vult concupiſcentiam antecedentem minuere voluntarium. *Ita Vaſq; Lorc; Monteſin; Conr; & alij.*

6 Tertia tandem ſententia docet concupiſcentiam non cauſare inuoluntarium per ſe, nec minuere voluntarium imperfectum, imò potiùs illud augere, ſed tantùm minuere voluntarium liberum.Primum traditur *à Fund.Doct.in 2.diſt. 24.p.2.q.1.art.2.ad 3*;vbi ait:*Voluntarium eſt dupliciter,perfectè,& imperfectè; primi autem motus ſenſualitatis ſunt voluntarij ſaltem imperfectè*; quòd ſi motus appetitus ſenſitiui ſunt voluntarij imperfectè,cauſabunt voluntariū imperfectè. Secundum traditur *ab eodem ibid. diſt.25. qu.1. art.5.dub.1.lat.* §.*Secunda via*;vbi docet: *Nihil eſt liberi arbitrij,niſi quod habet rationem, & intellectum;quod ergo deuiat à ratione, deuiat à libertate,& quia malum eſt quid à ratione deuians, oportet,quòd deuiet à libertate*. Hæc ſententia ſic explicata à nullo videtur negabilis; vnde putamus eſſe quæſtionem de nomine, æquiuocantes in hoc nomine *voluntarij*. Idem docet *noſter Gibb,& omnes noſtri Auctores; Thomiſtæ, inter quos Gonet hic diſp.1.art.6; Auerſ.q.7.ſect.13.* Ita etiam intelligendi ſunt *Auctores* relati pro 2. ſent.

7 Diximus autem *concupiſcentiam non cauſare inuoluntarium per ſe*;nam, vt docet *Fund. Doct.in ead.diſt.25.q.1.art.5. in fine corp*; poteſt contingere, vt aliquis ex concupiſcentia velit fornicari; tamen propter conſcientiæ remorſum velit cum aliqua repugnātia, propter quam aliquid habeat innoluntarij; verùm hoc non cauſatur per ſe à concupiſcentia, quia poteſt etiam dari fornicatio ſine tali remorſu.

8 Vnica concl. Concupiſcentia auget volūtarium imperfectum,quod eſt commune pueris, & brutis;minuit autem voluntarium perfectum ſiue liberum,ſiue neceſſarium; non tamen cauſat per ſe innoluntarium,quanuis cauſet non voluntarium liberum.

Prob.1.pars concl.*ex Beatiſſ. P. in pſ. 118. conc.8.verſus finem* docente:*Sæpe enim quid agēdum ſit,videmus; nec agimus, quia non delectat, vt agamus,& concupiſcimus,vt delectet*. Ex quo ſic.Quo maior eſt delectatio,eo intenſior eſt tēdentia voluntatis in obiectum; ſicut quo minor eſt delectatio,eo remiſſior eſt tendentia,ſed concupiſcentia auget delectationem voluntatis; ergo auget tendentiam voluntatis in obiectum;atqui voluntarium conſiſtit in actuali tendentia voluntatis,quia conſiſtit in ipſius actione, quæ eſt tendentia ad obiectum; ergo concupiſcentia auget voluntarium.Prob.ma. Quo delectabilius eſt obiectum, eo intenſiùs fertur voluntas, hinc voluntas beata intenſiſſimè fertur,quia proponitur ei obiectum ſummè delectabile clarè viſum; ergo quo maior eſt delectatio, eo intenſior eſt tendentia voluntatis;nam delectatio ſpecificatur ab obiecto delectabili; & ideo quod dicitur de illo,dicitur de iſta. Prob. mi. Magis delectatur voluntas,quæ delectatur in ſe ipſa,& in alijs potentijs,quàm illa, quæ delectatur ſolùm in ſe ipſa,quia delectando etiam in potentijs extendit ſuam delectationem etiam ad alias potentias; & ideo illa delectatio ſaltem extenſiuè eſt maior; ſed concupiſcentia facit, vt voluntas delectetur in ſe ipſa,& in alijs potentijs;quia facit, vt volūtas feratur in obiectum ſenſibile, quo delectatur appetitus ſenſitiuus; ergo concupiſcentia auget delectationem voluntatis.

9 Dices. Si hoc arg. valeret, concluderet animam beati ſeparatam à corpore minùs delectari, quàm coniunctam cum corpore; ſed hoc

videtur falſum;aliter non eſſet perfectè beata; ergo nihil concludit.

Reſp. animam ſeparatam minùs delectari extenſiuè, non intenſiuè; quia cùm fruatur bono infinito, *quod eſt omnis boni bonum*; vt loquitur *Beatiſſ.P*; ideo nequit in corpore habere maiorē delectationem intenſiuè; at verò hæc obiecta creata ſenſibilia, cùm ſint bona particularia, & determinata;habent bonitatem ſenſibilem, quæ eſt diſtincta à bonitate intelligibili; ergo apprehenſa per intellectum, & per ſenſus magis delectant,quàm apprehenſa tantùm per intellectum. *Et ex hoc.*

10 Prob.2.eadem pars.Quò magis aliquod obiectum apprehenditur bonum, eo fortiùs voluntas fertur in illud; ſed concupiſcentia efficit, vt obiectum ſenſibile apprehendatur magis, vt bonum; ergo concupiſcentia efficit, vt voluntas fortiùs tendat in illud; atqui voluntas non tendit fortiùs in aliquod obiectum, niſi per maiorē conatum,& impetum, & tendentia cum maiori conatu, & impetu habet magis de voluntario, quia eſt actio intenſior voluntatis, & voluntariū conſiſtit in actione, atque actio intenſior eſt magis voluntaria; ergo concupiſcentia auget volūtarium.Prob.ma.Bonum non mouet voluntatē, niſi quatenus apprehenſum; atque adeo quia Deus clarè apprehenditur à beatis, & obſcurè à nobis; ideo à beatis ſummè amatur, & à nobis remiſsè; ergo quo magis aliquod obiectum apprehenditur,vt bonum, eo fortiùs voluntas tendit in illud.Prob.mi.Illud magis apprehenditur, vt bonum,quod apprehenditur per intellectum, & ſimul per ſenſus,quàm illud, quòd ſolùm apprehenditur per intellectum; nam cognitio ſenſitiua eſt magis euidens, quia tendit in rem exiſtentem,& præſentem.cognitio autem intellectiua non habet euidentiam,niſi à ſenſibus, *cùm omnis noſtra cognitio in hoc ſtatu habeat ortum à ſenſu*; ſed concupiſcentia efficit, vt obiectum repræſentetur voluntati per ſenſus;ergo efficit, vt obiectum apprehendatur,vt magis bonum.Tum quia concupiſcentia aliquando offuſcat rationē, eamque totaliter abſorbet; nec ſinit intellectum repræſentare illud voluntati ſub ratione boni, & mali indifferenter; ſed facit ſolùm,vt repræſentet ſub ratione boni; ſed illud, quod repræſentatur ſolùm ſub ratione boni,magis repræſentatur, vt bonum; quàm illud, quod repræſentatur ſimul ſub ratione boni, & mali; quia malum diminuit bonum,cuius eſt priuatio; ergo concupiſcentia magis repræſentat,vt bonum;& ideo fortiùs trahit voluntatem per illud bonum;quæ propterea magis voluntariè tendit in illud.

11 Ex hoc habetur probatio 2. part. concl; nam concupiſcentia ita opprimit intellectum, vt non ſinat eum repræſentare obiectum voluntati ſub indifferentia ad bonum,& malum; ſed hoc eſt diminuere voluntarium liberum; quia libertas ſequitur ad intellectum;& actio libera ſequitur ad cognitionem indifferentem ad bonum, & malum,ac eum illa commenſuratur; & ideo quo cognitio intellectus eſt minùs indifferens, actio voluntatis eſt minùs libera; quapropter motus primò primi non ſunt liberi,quia ſequuntur cognitionem determinatam ad vnum;vnde dicitur intellectus radix libertatis, ergo concupiſcentia minuit voluntarium.

12 Conf.1.*ex Beatiſſ.P. in pſ.64*; vbi ſuper illud 1.*ad Cor.15.Abſorpta eſt mors victoria tua*, ait:*Concupiſcentia carnis ſequentes duxit nos, poſtea retinentes traxit nos.* Ex quo ſic. Ducere, & trahere nolentem eſt minuere libertatem illius; quia etſi non auferat libertatem,quia ductus, & tractus poteſt reſiſtere;attamen vim infert libertati,& diminuit vires illius ad tendendum in oppoſitum;ſed concupiſcentia ducit, & trahit voluntatem; ergo minuit libertatem in illius actione.

13 Conf. 2. Concupiſcentia minuit peccatum,quia peccatum ex paſſione eſt minoris grauitatis,quàm illud,quod fit ſine paſſione tentante,& trahente; ergo minuit rationem voluntarij liberi; cùm enim libertas ſit conditio requiſita ad meritum,& demeritum; vbi eſt maior libertas,ibi eſt maius demeritum; ergo è contra vbi eſt minus demeritum,ibi eſt minor libertas.Quapropter *N.Beatiſſ.P; & ex illo Fund. Doct.* ſæpe docent peccatum Angelorum fuiſſe maius peccato *Adæ*, quia in illis non ſunt appetitus ſenſitiui,quibus *in Adam*, & in omni homine ligatur libertas;& ideo in illis fuit maior libertas, quæ non fuit ligata ſenſibus. Inſuper docent peccatū *Adæ* fuiſſe maius,quàm peccata poſterorū; quia in ſtatu innocentiæ habuit ſenſus perfectè ſubiectos; in ſtatu autem culpæ ſenſus rebelles vim inferunt libertati.

14 Quòd autem minuat etiam voluntarium perfectum neceſſarium,eodem modo deducitur; nam voluntarium perfectum neceſſarium eſt cū perfecta cognitione; vt patet de amore beatifico,& de amore naturali, quo Angelus diligit ſe ipſum;ſed concupiſcentia minuit cognitionem, vt patet ex dictis;ergo minuit voluntarium perfectum neceſſarium.

15 Prob.3.pars.Illud cauſat inuoluntarium ſecundùm quid,quod formaliter reſpicit malū, quod non vult voluntas; nam circa malum datur nolitio,ſicut volitio eſt circa bonum; ſed cōcupiſcentia ſecundùm ſe non reſpicit malum, quia reſpicit formaliter bonum ſenſibile, à quo ſpecificatur; & tantùm per accidens reſpicit malum,ſcilicet ratione metus adiuncti,qui formaliter reſpicit malum,à quo fugit; ergo concupiſcentia ſecundùm ſe non cauſat inuoluntarium, ſed tantùm per accidens.

16 Conf. Concupiſcentia ſecundùm ſe reſpicit formaliter ſolas voluptates ſenſuales; imò tollit acerbitates ab obiectis,in quæ fertur, ne illa timere,& fugere cogatur;hinc videmus con-

cupiſcentes patienter ſufferre omnia tormenta; & pœnalitates omnes ſubire abſque metu; imò illas amare, tanquam delectabiles vtiliter, illas enim concipiũt, vt conducentes ad voluptatem, quam anhelant; amor enim concupiſcentiæ ita ſupponit voluntatem, vt non relinquat eam aliquid odiſſe, & ideo tollit omnem impetum cõtra ſe ipſum; ſolum nanque odium eſt impetus contra amorem; ergo concupiſcentia ſecundùm ſe ipſam non cauſat inuoluntarium; inuoluntarium enim eſt contra internum impetum voluntatis.

17 Præterea illud ſecundùm ſe cauſat inuoluntarium, quod cauſat actum diſplicentem voluntati; nam ideo metus naufragij cauſat inuoluntarium, quia cauſat proiectionem merciũ, quæ diſplicet proijcienti; ſed concupiſcentia ſecundùm ſe non cauſat actum diſplicentem voluntati, cauſat enim actum amoris, qui maximè illi placet; ergo concupiſcentia ſecundùm ſe non cauſat inuoluntarium.

18 Tandem quòd cauſet non voluntarium liberum, prob. ex eo, quòd minuat voluntarium liberum; ſed ex eo, quòd minuat voluntarium lirum, cauſat non voluntarium liberum; quia voluntarium liberum nequit minui, niſi per ſuum oppoſitum priuatiuum, vel contrarium; non minuitur autem per oppoſitum contrarium, aliter minueretur per inuoluntarium, quod ei contrariè opponitur; quod tamen eſt falſum, vt dictum eſt; ergo concupiſcentia cauſat non voluntarium liberum.

19 Aduert. tamen, quòd non cauſat non voluntarium liberum ſimpliciter, aliter actus cõcupiſcentiæ non eſſet punibilis; quia ſolus actus liber eſt dignus præmio, vel pœna; ſed cauſat actum non voluntarium liberũ ſecundùm quid; quia vt docet *Beatiſſ.P.vbiſ*; voluntas, vt domina, habet libertatem domandi, & frænandi concupiſcentiam, ne exeat in ſuum actum; vnde ſi exeat in actum, liberè exit; quia liberè non impeditur; ergo remanet, quòd cauſet ſolùm non voluntarium liberum ſecundùm quid, quia minùs eſt dignus pœna peccans ex concupiſcentia, quàm peccans ex ſola malitia voluntatis.

20 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. In brutis nõ eſt voluntarium perfectum; quia carent cognitione perfecta; ſed concupiſcentia minuit cognitionem, vt dictum eſt; ergo minuit voluntarium perfectum. 2. Peccata commiſſa ex maiori concupiſcentia ſunt minoris grauitatis, non ob aliã rationem, niſi quia ſunt minùs voluntaria ratione minoris cognitionis. 3. Quod eſt ex concupiſcentia, eſt minùs à principio intrinſeco; quia eſt etiam ab appetitu ſenſitiuo trahente voluntatem. 4. Cõcupiſcentia minuit voluntariũ liberũ; ergo & neceſſarium; nam voluntarium liberum, & voluntarium neceſſarium ſunt duæ ſpecies voluntarij, *vt ſic*; ſed non poteſt augeri, vel minui differẽtia, quin augeatur, vel minuatur genus; ergo concupiſcentia minuit voluntarium.

Reſp. ad 1. neg. ſupp; non enim dicimus cõcupiſcentiam augere, voluntarium perfectum, liberum, vel neceſſarium, ſed tantùm voluntarium imperfectum commune pueris, & brutis; minuere tamen voluntarium perfectum ſiue neceſſarium, ſiue liberum, & ſic *ad* 2; *&* 3; procedunt enim de voluntario libero, quod nos concedimus. Ad 4. omiſſa reſponſione cõmuni diſt. conſ. Minùs voluntarium liberum, conc; imperfectum, neg. Ad prob. dicitur, quòd licèt liberum, & neceſſarium ſint ſpecies voluntarij in communi, & non poſſit augeri ſpecies, niſi aucto genere, prout reperitur contractum ad illam ſpeciem; attamen falſum eſt, quòd aucta ſpecie debeat augeri genus, prout contractum ad aliam ſpeciem; quia poteſt augeri linea, quæ eſt ſpecies quantitatis, & per conſequens ipſa quantitas, prout contracta ad lineam; non tamen ex hoc ſequitur, quòd debeat augeri quantitas, prout eſt in ſuperficie, vel corpore; ita poteſt augeri voluntariũ imperfectum, & voluntarium in communi, prout eſt contractum ad voluntarium imperfectũ, abſque eo, quòd augeatur voluntarium perfectũ, quod eſt altera ſpecies diuidens voluntarium, *vt ſic*.

21 Obijc. 2. cont. 3. part. concl. Concupiſcẽtia cauſat diſplicentiam, & triſtitiam; quia *omne animal poſt coitum triſtatur*; ergo cauſat inuoluntarium; quia triſtitia cauſat inuoluntarium.

Reſp. diſt. ant. Cauſat diſplicentiam, & triſtitiam per ſe, neg; ratione fœditatis culpæ, conc; nam per ſe cauſat voluptatem. Vel dicitur diſplicentiam, & triſtitiam ſubſequi ad actum concupiſcentiæ; & ideo ipſum non reddere inuolũtarium; quia cauſa cauſans inuoluntariũ debet ipſum præcedere, nõ ſubſequi, vt ſupra dictum eſt.

22 Quæres an concupiſcentia excuſet à peccato?

Reſp. excuſare ſecundum quid, idèſt à grauitate peccati, non autem ſimpliciter; quia volũtas adiuta per gratiam poteſt illam frænare, *vt ſup.* diximus.

ART. VI.

An ignorantia cauſet inuoluntarium?

1 IGnorantia, vt docet *Fund. Doct. in 2. diſt. 22. q. 2. art.* 4; triplex eſt; alia antecedens, quæ dicitur etiam inuincibilis, & inculpabilis; & *eſt illa, quæ eſt quodammodò cauſa actus, tanquam omnino remouens prohibens*; vt docet *ibid. art. 3. dub. 1. lat. §. Dicemus ergo*; *&* §. *Neſcientia ergo*; ex eo enim, quòd ignorantia remoueat ſcientiam omnino à voluntate etiam adhibita quacunque diligentia poſſibili, quæ ſcientia impediret ſimpliciter illum actum, dicitur illum cauſare; ſicut enim ſi quis remoueat trabem ſubſtinentem domum dicitur cauſare ruinã domus, ita ex eo, quòd ignorantia remoueat à voluntatem cognitionem alicuius rei, quæ impediret poſitionem illius, dicitur cauſare illam rem, vt

cùm miles in bello confligens cum hoſte occidit proprium patrem putans eſſe hoſtem; ignorantia, quæ adhibita quacunque diligentia poſſibili remouet cognitionem patris, & ſinit cognitionẽ inimici, dicitur cauſa occiſionis patris, tanquam remouens prohibens; quia remouet ſcientiam, quæ ſi haberetur, impediret occiſionem patris; nā ſi cognoſceret eſſe hoſtẽ, nullo modo occideret.

2 Alia concomitans, *qua neque eſt cauſa actus, tanquam prohibens; neque eſt effectus*; non enim mouet hominem ad agendum, neque remouet prohibens talem actionem, quia ſi haberetur cognitio illius rei, adhuc fieret, imò libentiùs fieret; vt v.g. cùm quis occidit inimicum putans eſſe feram adhibita omni debita diligentia; occiſio inimici dicitur eſſe ab ignorantia concomitante, quia ita fit ignoranter, vt fieret, imò fortè libentiùs, etiāſi cognoſceretur eſſe inimicum. Igitur non eſt cauſa actus, tanquam prohibens ſcientiam; neque eſt effectus, quia occidens non vult talem ignorantiam, ſupponitur enim adhibita omnis diligentia.

3 Alia ſubſequens, *qua eſt effectus ipſius actus, vel poſitiuè, vel omiſſiuè*; poſitiuè quidem, vt cùm per actum poſitiuum vult habere talem ignorantiam, quia illi placet, vt liberiùs operetur ſine vlla diſplicentia, & hæc dicitur ignorantia affectata, de qua habetur *Iob. 21. Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus*; *& pſ. 35. noluit intelligere, vt bene ageret*; omiſſiuè autem, quando non vult laborare, & adhibere diligentiam, vt cognoſcat; & hæc dicitur ignorantia neglecta, ſeu ſupina, aut craſſa; ſicut enim homo craſſus ſupinè extenſus difficultatem ſentit in ſurgendo, ita ſic ignorans difficultatem ſentit in quærendo cognitionem; ideo negligit illā quærere; attamen ſi non haberet talem ignorantiam, nō operaretur; & in hoc diſtinguitur ab ignorātia voluntate concomitante. *Vid. vbiſ. art. 4. Hoc ſupp*; quod communiter dicitur.

4 Not; quòd in effectu cauſato ex ignorantia ſunt duæ rationes; vna, in quam poſitiuè tendit voluntas, quia illam cognoſcit, & ad illam omninò diſparatè ſe habet ignorantia; altera, in quam præciſiuè non tendit voluntas, quia illam non cognoſcit; & hanc ignorantia dicitur cauſare, tanquam remouens prohibens; v.g. cùm quis occidit patrem in bello putans eſſe hoſtem; illa occiſio ſimpliciter conſiderata eſt poſitiuè volita à voluntate, prout falsò apprehenſa ab intellectu repræſentante illum hominem, tanquam hoſtem voluntati; at verò illa occiſio, quatenus eſt occiſio patris reduplicatiuè, dicitur eſſe ex ignorantia. Quærimus *hic* ſolùm de effectu ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam ignoratur; non autem ſimpliciter, aut ſecūdùm aliam rationem, quæ falsò apprehenditur.

5 Vnica concl. Ignorantia antecedens cauſat inuoluntarium ſimpliciter; conſequens verò ſecundùm quid; concomitās autem cauſat tantū non voluntarium negatiuè. *Ita Fund. Doct. vbiſ. & communiter omnes*.

Prob. 1. pars concl. 1. *cõt. Sal. hic diſp. 4. ſect. 2. n. 11. ex Beatiſſ. P. epiſt. 105.* docente: *In illis, qui non audierunt, neque potuerunt audire, pœna peccati eſt non credere, non autem peccatum; & lib. 3. de lib. arb. c. 15. Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod agnoſcis.* Idem habet *ibid. c. 22; & tract. 89. in Io. ſuper illud: Si non veniſſem, & locutus non fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Ex quo ſic. Ignorantia antecedens in re peccaminoſa excuſat à peccato ſimpliciter; ergo cauſat inuoluntarium ſimpliciter. Prob. ant. 1. *ex allatis textibus*. 2. Si ignorantia antecedens non excuſaret à peccato, infidelitas negatiua eſſet peccatum; quod eſt contra verba Chriſti Domini *Io. vbiſ*; tum quia hæc eſt propoſitio *68. Baij* damnata ab Eccleſia, tū quia motus primò primi, & actiones puerorum, quæ procedunt ex ignorantia, quæ antecedit vſum rationis, eſſent peccata; ſed hæc ſunt abſurda; ergo & id, vnde ſequuntur. Prob. conſ. Illud excuſat à peccato ſimpliciter, quod eſt inuoluntarium ſimpliciter; ſicut illud excuſat à peccato ſecundùm quid, quod eſt inuoluntarium ſecundùm quid; vt diximus de concupiſcentia *in ſup. art*; peccatum enim eſſentialiter conſiſtit in eſſe voluntarij iuxta illud tam celebre teſtimonium *N. Beatiſſ. P. Non eſt peccatū, niſi voluntarium*; ſed ignorantia antecedens excuſat à peccato ſimpliciter; ergo cauſat inuoluntarium ſimpliciter.

6 Conf. Illud dicitur inuoluntarium ſimpliciter, quod nullo modo eſt volitum à voluntate, & eſt contra naturalem inclinationem ipſius; in hoc enim conſiſtit inuoluntarium; ſed effectus procedens ab ignorantia antecedente nullo modo eſt volitus, quia nullo modo eſt cognitus, ſed eſt contra naturalem inclinationem voluntatis, cuius ſignum eſt, quòd ſi ille effectus cognoſceretur, non fieret à voluntate; vnde quanuis volūtas non habeat actu impetum contrarium naturalem formalem, actualem, phyſicum; attamen cenſetur habere impetum contrarium imputatiuum, virtualem, moralem; quod ſufficit ad reddendum inuoluntarium ſimpliciter illum effectum, ſicut ſufficit ad excuſandum à peccato; nam quemadmodum actus imputatiuus moralis in omiſſionibus ſuppoſito præcepto ſufficit ad reddendam voluntariam, & ideo peccaminoſam illā omiſſionem; ita impetus contrarius imputatiuus contrarius ſufficit ad reddendum inuoluntarium ſimpliciter effectum procedentem ab ignorantia antecedente; ergo ignorantia antecedens cauſat inuoluntarium ſimpliciter.

7 Tum quia de ratione voluntarij eſt, quòd fiat cum cognitione; ſed effectus factus ex ignorantia antecedente eſt ſine cognitione; ergo non eſt ſimpliciter voluntarius; atqui voluntas nullo mo-

modo vult illum,imò fit contra naturalem inclinationem illius; ergo eſt ſimpliciter inuoluntarius.

8 Prob. 2. pars. Illud eſt inuoluntarium ſecundùm quid, quod fit contra inclinationem inefficacem voluntatis;vt diximus *in ſup.art*; ſed effectus procedens ex ignorantia conſequente eſt huiuſmodi;quia fit ex ignorantia,quam volūtas nollet habere, & tamen ponit effectū, quia non vult laborare,vt ignorantiam expellat, quā poteſt expellere; ergo effectus procedens ex ignorantia conſequente eſt inuoluntarius ſecundùm quid.

9 Conf. 1. Qui negligit facere id, quod debet, & poteſt, cenſetur ſimpliciter voluntariè illud omittere;vt diximus *q.1.de Vol.art.3*; & qui omittit contra aliqualem internum impetum inefficacem voluntatis,cenſetur voluntariè ſecūdùm quid omittere; vt dictum eſt *in duobus ſup. art*; ſed voluntas agens ex ignorantia conſequēte negligit facere id,quod debet,& poteſt; & illud omittit contra aliqualem impetum inefficacem; ergo ponit effectum voluntarium ſimpliciter,& ſecundùm quid inuoluntarium.

10 Conf.2. Qui vult cauſam, cenſetur ſaltē virtualiter velle effectum; ſed operans ex ignorantia conſequente vult illam ignorantiam, ad quam ſequitur effectus, vel poſitiuè per actum formalem; quatenus vult liberiùs peccare ſine remorſu;vel virtualiter per actum imputatiuum, quatenus non vult eam depellere; ergo operans ex ignorantia conſequente cenſetur ſaltem virtualiter velle effectum ex illa ſecutum; & ideo talis effectus eſt voluntarius ſimpliciter; quia tamen nollet operari,ſi talem ignorantiam non haberet,ideo operatur contra internum impetum; ergo operatur inuoluntariè ſecundùm quid.

11 Prob.3.pars.Quod eſt ſine cognitione, non eſt voluntarium; & quod non eſt contra internum impetum,non eſt inuoluntarium; ſed effectus ex ignorantia concomitante eſt ſine cognitione etiam virtuali, quia fit adhibita omni diligentia; & non eſt contra internum impetum, quia ſi cognoſceretur,libentiùs fieret; & cùm cognoſcitur, ex inclinatione fit; ergo effectus ex ignorantia concomitante nec eſt voluntarius, nec inuoluntarius; atqui quod eſt huiuſmodi,eſt non voluntarius negatiuè, vt patet;ergo ignorātia concomitans cauſat non voluntarium negatiuè.

12 Obijc. 1. Inuoluntarium ſimpliciter eſt coactum; ſed effectus ex ignorantia antecedente non eſt ex coactione; ergo non eſt inuoluntarius ſimpliciter.

Reſp.hoc ſolutum fuiſſe *ſuperiùs art.2.n.18.* Diſt. autem ma. Inuoluntarium ſimpliciter, formale,phyſicum, poſitiuum eſt coactum, conc; inuoluntarium ſimpliciter,virtuale,imputatiuum, morale, neg; nam coactio dicit actum ab extra prouenientem cum impetu naturali phyſico, actuali,contrario; impetus autem naturalis poſitiuus phyſicus contrarius voluntatis eſt volitio naturalis ipſius voluntatis, quæ nequit eſſe, niſi cum cognitione actuali formali; & ideo non eſt ex ignorantia illius, contra quod fit impetus; at verò inuoluntarium ſimpliciter ex ignorantia antecedente eſt ſine cognitione actuali formali; quia eſt ex ignorantia, & ideo eſt ſine impetu formali contrario; ergo inuoluntarium ſimpliciter ex ignorantia antecedente non eſt idem, ac coactum. Quòd autem ad rationem coacti requiratur impetus contrarius poſitiuus, probatur ex eo, quòd ſi ſufficeret impetus interpretatiuus contrarius,ſequeretur etiam effectum prouenientem ex ignorantia neglecta eſſe coactum;& ideo non deputaretur ad culpam, quod communiter eſt falſum;tum ob alias rationes allatas *ar.1.§.1.*

13 Coactū igitur eſt idem, ac inuoluntariū ſimpliciter phyſicum,actuale, formale, poſitiuū; & quod ſecundùm nullam rationem eſt poſitiuè volitum à voluntate,idêſt ab illa nullo modo dependens;non autem eſt idem,ac voluntarium interpretatiuum nullam habens inclinationē contrariam poſitiuam actualem; & actiuè influens in ipſum effectum, non quidem ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam dicitur inuoluntarium ſimpliciter,ſed ſecundùm aliam rationem,ſecundùm quam eſt ſimpliciter voluntariū. Ratio autem,quare coactum ſecundùm nullam rationem debet eſſe voluntarium,allata eſt *art.2*;nam coactum debet eſſe adæquatè,idêſt ſecundùm omnes rationes,contra impetum naturalem ipſius volūtatis;nam debet eſſe totaliter ab extrinſeco nullam vim conferente paſſo; propter quod ſi voluntas ſecundùm aliquam rationē conferat vim, tollitur ratio coactionis,& violentiæ.

14 Dices. Poteſt ſupponi in ipſa voluntate naturalis impetus contrarius poſitiuus; poteſt enim quis dicere *volo occidere feram, non hominem*;ergo ſaltem in tali caſu occiſio eſſet coacta.

Reſp.neg.ant.nam ſi dubitatiuè cogitet pro eo tunc poſſe eſſe hominem, non feram, debet abſtinere; tunc enim tollitur ignorantia antecedens,quia ſuppoſita cognitione opinatiua,& dubitatiua non poteſt procedere in actum ſine periculo peccati;& tunc peccaret, quia ſe exponeret periculo peccandi;nam *qui amat periculum, peribit in illo*;idêſt peccabit.

15 Obijc.2.Ignorantia eſt cauſa actus,vt remouens prohibens; ergo potiùs eſt cauſa voluntarij, quàm inuoluntarij; nam qui ignorat præceptum ieiunij,vult comedere carnes, ideoque vult comedere, quia ignorat; & per conſequens ignorantia eſt cauſa comeſtionis.

Reſp.neg.cōſ. Ad prob.infert.dicitur,quòd cauſa comeſtionis eſt appetitus complacens eſu carnium actiuè influens in illum; ignorantia autē ſe habet tantùm,vt remouens ſcientiam,quæ impediret comeſtionem,quatenus vetitam; vnde in illa comeſtione ſunt duæ rationes; vna,quatenus ſim-

ſim-

ſimpliciter comeſtio delectabilis eſt, & hæc eſt voluntaria, quia eſt ab appetitu voluntatis inclinante in illam; altera, quatenus vetita, & hæc eſt ab ignorantia remouente ſcientiam, quæ illã impediret.

16 Inſt.Implicat actum voluntatis eſſe inuoluntariam ſimpliciter; quia actus voluntarius eſt idem, ac actus voluntatis.

Reſp.diſt.aſſumpt.Implicat actum voluntatis eſſe inuoluntarium ſimpliciter ſecundùm omnem rationem, idèſt nullo modo procedere à voluntate, conc; ſecundùm aliquam rationem, neg; nã hoc aduerbiũ *ſimpliciter* aliquando ſumitur, prout eſt idem, ac ſecũdùm omnem rationem in omni genere; quandoque autem in vno genere tantùm.

17 Obijc.3. cont.2.part.concl. Ignorantia conſequens remouet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, non fieret id, quod fit; ergo cauſat inuoluntariũ ſimpliciter; nam in tantùm ignorantia antecedẽs cauſat inuoluntarium ſimpliciter, in quantùm nõ fieret id, quod fit, ſi non adeſſet talis ignorantia. 2.Ratio, quare ignorantia conſequens cauſat inuoluntarium ſecundùm quid, eſt, quia operans ita eſt diſpoſitus, vt ſi adeſſet ſcientia, non operaretur; ſed hoc non facit inuoluntarium ſecundũ quid; nam ſicuti quanuis operans ex ignorantia concomitante ſit ita diſpoſitus, vt ſi adeſſet ſciẽtia, adhuc operaretur, imò libẽtiùs; attamen hoc non ſufficit ad cauſandum voluntarium ſimpliciter; ita ab oppoſito quanuis operans ſit ita diſpoſitus, vt ſi adeſſet ſcientia, non operaretur; attamen non ſufficit ad cauſandum inuoluntarium ſecundùm quid.

Reſp.ad 1.neg.conſ.Ad prob.dicitur, quòd ignorantia antecedẽs cauſat inuoluntarium ſimpliciter, quia remouet omnem ſcientiã actualem, & virtualem potentialem; per nullam enim diligentiam poſſibilem poteſt habere ſcientiam illius, quod fit. At ignorantia conſequens poteſt adhibita diligentia habere ſciẽtiam; & ideo quia omittit illam quærere, virtualiter cenſetur nolle vti ſcientia; ideo antecedens cauſat inuoluntariũ ſimpliciter, conſequens verò non; nam ad rationem voluntarij requiritur ſcientia, ſine qua non ſtat voluntarium; & ſicuti voluntarium aliud eſt formale, aliud imputatiuum; ita dicendum eſt de ſcientia. Ad 2.neg.mi. Ad prob.dicitur operantẽ ex ignorantia concomitante non cauſare voluntarium ſimpliciter, quia nulla adeſt ſcientia adhibita omni diligentia; ſcientia autem neceſſariò requiritur ad voluntarium; quia *nil volitum, quin præcognitum*.

18 Obijc.4.cont.3.part.concl. Inter voluntarium, & inuoluntarium non datur medium in ſubiecto capaci vtriuſque; ſicut quia animal eſt capax viſionis, & cæcitatis, non datur animal, quod non ſit videns, aut cæcum; ergo ignorantia concomitans cauſat voluntarium, vel inuoluntarium.

Reſp.neg.ant; nam ſicut vidẽs poteſt etiam negatiuè ſe habere circa aliquod obiectum remotum, & abſconditum, ac propterea dicitur illud negatiuè non videre; quia actiuè non influit in illud; ita à pari.

19 Obijc.5. Ignorantia inuincibilis non excuſat hominem à peccato; ergo non cauſat inuoluntarium ſimpliciter; inuoluntarium enim tantummodò à peccato poteſt excuſare. Prob. ant; nam id docet *noſter Greg.in 2.diſt.28.q.9. art.3. ad 5;& ad 3.princ.*

Reſp.neg.ant.Ad prob.dicendum, quòd licèt *quidam ex noſtris* id concedat *de noſtro Greg*; attamen omnino gratis, ac ſine vllo fundamento; nec locus bene citatur; quia *illa diſt.* non habet, niſi *duas quæſtiones*, & ſolùm *q.1.tres articulos* habet; quia *quæſtio 2. duos tantùm articulos* continet; & *ad 5.art. 3. q.1.* nihil omnino habet circa hãc rẽ; ſicut nec *ad 2.princ.* Solũ ergo *ad 3.* habet hęc verba: *Reſpondeo, quòd non omnis impotentia bene agendi excuſat hominem à peccato; ſicut nec ignorantia, quæ eſt pœna peccati, excuſat hominem à peccato, ſi nõ agat, quod debet, aut agat, quod non debet.* Et ſubdit non excuſari à peccato, quia impotẽtia ad bene agendũ eſt effectus peccati originalis. Arguitur igitur ſic. 1.*Gregorius* nõ loquitur expreſsè de ignorantia inuincibili; ergo gratis, & ſine vllo fundamento fit Auctor huius opinionis, quæ damnata eſt *in Baio*; nam non licet *aliquem Doctorem*, præſertim tam grauem, in doctrina PP. sũmè verſatũ, ſubtiliſſima intelligẽtia pręditum, ac tot, tantiſque Viris magnis sũmè probatum in aliquo cauſare, niſi manifeſtè conſtet de eius mente; aliter animoſitatis (vt modeſtiùs loquamur) cenſuram ſubeundi periculum eſt. 2.Si aliqua ratione poſſet hoc deduci de eius mente, maximè, quia aſſerit ignorantiam non excuſare à peccato eo, quia eſt pœna peccati originalis; & ideo nec etiam ignorantia inuincibilis, quæ procul dubio eſt pœna peccati *originalis*, excuſat; ſed ex verbis ipſius non deducitur; imò potiùs deducitur oppoſitum; nam aſſerit, quòd *non omnis impotentia excuſat*; & poſtea paritatem facit de ignorantia ſubdens: *Sicut nec ignorantia*; atqui omnis impotentia eſt effectus, ſicut omnis ignorantia, peccati originalis; & tamen ſi nõ omnis impotentia excuſat; ſequitur, quòd aliqua impotẽtia excuſet; hæc enim propoſitio illi æquipollet; vt patet *ex Summulis*; ergo licèt omnis ignorantia etiam inuincibilis ſit effectus peccati originalis; attamen non omnis ignorantia excuſat, ſed aliqua tantùm, quæ nequit eſſe, niſi inuincibilis; ergo ex hoc non deducitur, quòd poſſit apertè pronunciari auctor propoſitionis *Baianæ*. 3.*ibid.* in fine ait, quòd hoc patebit magis *in ſeq. q*; ſed in fine *2.q.* reſpondens ad arg.in contrariũ ait: *Sic etiam dicebatur in ſolutione tertij argumenti principalis præcedentis quæſtionis*; ex quibus verbis apparet referre ſe ipſum, ac ſe congruenter explicare; vnde quælibet alia explicatio, tanquam

quam ſpuria,& comentitia,reijcienda eſt. Aſſerit ergo, quòd ſi voluntas non poteſt vitare peccatum,voluntas *Adæ*, in quo omnes peccauimus, hoc fecit; vnde hæc impotentia nobis deputatur ad culpam in alio commiſſam congruentiſſimè ad doctrinam *Beatiſſ.P.*;vt ſuo loco videbimus. Poſt hæc ſubdit: *Et vlteriùs dicendum, quòd propter huiuſmodi neceſſitatem non ſit,quin illud peccatum ſit voluntarium,quoniam adhuc à ſciente,& non coacto committitur;quæ ſufficiunt ad rationem voluntarij*:Ergo ſi peccatum,quod committitur,eſt à ſciente,non eſt ex ignorantia inuincibili; repugnat enim ignorantem eſſe ſimul ſciẽtem;& ideo quod eſt ab ignorantia inuincibili iuxta hũc celeberrimum, ac ſapientiſſimum Auctorem, quo nullus ſcripſit ſubtiliùs,non eſt voluntarium,nec peccatum.4.Quia *ibid.*nihil aliud intendit,quàm refellere *Pelagianos* aſſerentes viribus naturalibus nos poſſe facere bonum, & hoc probantes ex eo,quòd non peccaremus. Reſpondet autem hanc impotentiam eſſe effectum, & pœnam peccati originalis; quod in nos traducitur, quia voluntariè *in Adam* peccauimus; & ideo peccatum originale nobis imputatur ad culpã à nobis verè *in Adam* commiſſam; propter quod impotentia, ignorantia, & aliæ pœnalitates conſequentes ad ipſum peccatum,noſtra culpa, ſcilicet originali, in nos deriuarunt; & per conſequens etiam peccata ex illis procedentia ad culpam referuntur; dummodò tamen aliunde ſint in nobis conditiones requiſitæ ad merendum, & demerendum;inter quas eſt cognitio, & libertas; patet enim in pueris, alijſque ratione carentibus culpam eſſe non poſſe,vt fatetur *idem Gregorius ſæpiſſimè*,ergo ex hoc deducitur ipſum *loc.cit.*loqui de ignorantia vincibili, quæ importat cognitionem virtualem, ſeu poſſibilem habitu; & ideo infertur potiùs oppoſitum calumniæ ei leuiter impictæ,& ſic manifeſtè vindicatur puritas eius doctrinæ; ſed de hoc forſan latiùs alibi.

20 Collig.ex dictis contractus, & vota,quæ fiunt ex ignorantia ſubſtantiæ ipſius rei, circa quam fiunt,eſſe inualida, & inuita; vnde ſi quis contraheret matrimonium cum *Liuia* putans eſſe *Iuliam*, matrimonium eſſet inualidum, etianſi adſit copula; quia non copula, ſed conſenſus facit matrimonium. Hinc *Iacob*, quia conſenſit *in Rachelem*,non *in Liam*,quanuis *Liam* corruperit; attamen non contraxit pro eo tunc matrimoniũ *cum Lia*; ſed per conſenſum ſubſequentem; miſericordia enim motus,ne maneret corrupta,poſtea in illam conſenſit. Habetur 22. *q.* 1; vbi ait *Gratian. Fecit Iacob coniugem Liæ, non conſenſus præcedens copulam,qui non fuit,ſed ſubſequens*.

21 Ignorantia verò conditionum circunſtãtium ſubſtantiam rei contractæ, ſi pertineant ad ſubſtantiam rei, inualidant contractum; vnde ſi quis emeret equum ad iterandum,qui eſſet inutilis,contractus eſſet nullus; & ſi quis contraheret cum ſerua putans eſſe liberam, nullum eſſet matrimonium. At ſi ſint accidentales; vt ſi quis emeret equum album putans eſſe nigrum, non inualidat contractum. Sic ſi quis contrahat cum paupere putans eſſe diuitem, vel cùm corrupta putans eſſe virginem. Habetur 29. *q.*1; vbi ait *Gratian. Error perſonæ, & materiæ excludit conſenſum,non verò cum fortunæ,aut qualitatis.* Hoc tamen intelligendum eſt, dummodò non adſit voluntas actualis, vel virtualis, aut conditio, vel pactum; vt ſi quis habens equum album intẽderet, & pactum iniret de emptione alterius equi albi,vt illos pares faceret pro curru; tunc ſi non tradatur equus albus,contractus eſt nullus.

22 Hinc habetur communis regula; quòd ignorantia, quæ dat cauſam principalem actui, inualidat contractum; ignorantia verò, quæ dat cauſam tantùm accidentalem, non inualidat; aliter ignorantia conditionum accidentalium inualidaret contractum.

QVÆSTIO III.

De motione voluntatis ad ſuos actus.

ANtequam agamus de actibus voluntatis creatæ in ſpeciali, agendum eſt de motione ipſius voluntatis ad illos; motio enim eſt quid commune omnibus actibus; quia voluntas per omnem actum mouetur; quoniam autem primum mouens omnium creaturarum eſt Deus, ideo.

ART. I.

An, & quomodò voluntas creata moueatur à Deo?

1 AN, & quomodò voluntas moueatur à Deo per actus ſupernaturales,ſatis dictum fuit *to.2.de Scient.Dei q.4.art.1;* & *de Vol.q.5.art.2*; ſcilicet moueri per actum bonum à Deo diuinitus inſpiratum,& diffuſum in cordibus noſtris. Nec auctoritates, & rationes, quas congerit *Gonet hic diſp.6.art.2.* ad probandam ſuam prædeterminationem phyſicam in ſenſu *Recentiorum*, prout nempe dicit auxilium, ſeu qualitatem præuiam diſtinctam realiter ab actu productiuam ipſius actus, aliquid obtinent; auctoritates enim nec leuiter indigitant hoc, ſed potiùs noſtram ſententiam; & rationes probantes cauſam ſecundam neceſſariò debere à Deo, qui eſt cauſa prima,præmoueri,probant quoque noſtram aſſertionem;nam cauſa mouens aliquod mobile non mouet,niſi cauſando motum in mobili; non autem cauſando aliquam qualitatem præuiam diſtinctam à motu productiuam ipſius motus,vt patet in his naturalibus;nam ſic mouet tantùm mediatè; ſed Deus mouet omnem

cau-

cauſam ſecundam ſiue neceſſariam, ſiue liberam; nam mouet in eo, quòd eſt cauſa ſecunda, & mouet immediatè, vt fatentur *Thomiſtæ cont. Dur*; ergo mouet producẽdo in illis motum, quo mouetur creatura, non autem producendo aliquod præuium ad motum; atqui motus, quo mouetur voluntas, eſt actus ipſius; quia *motus eſt actus entis in potentia*; ergo Deus mouet volũtatem producẽdo in ea actum bonum; ex quo patet ex eorum rationibus probari noſtram, improbarique eorum ſententiam. Tum quia ita Deus præmouet, vt Auctor gratiæ in ordine gratiæ, ſicut in ordine naturæ, vt Auctor naturæ; ſed in ordine naturæ non præmouet cauſando aliquam qualitatem præuiam productiuam motus; nam ſic ageret mediantibus diſpoſitionibus; neque eſt aſſignabilis talis qualitas præuia; ergo neque in ordine gratiæ; & ſic de alijs rationibus; quas *vid. de Scient. Dei vbiſ.*

2 Si dicatur illum motum, vt eſt qualitas à Deo producta, determinare voluntatem, antequam determinẽt ſe, & ideo Deum prædeterminare voluntatem creatam.

Sed contra eſt; nam nomine prædeterminationis non intelligunt *Recentiores* ipſum actum infuſum præuiũ reſpectu Dei, & poſteriùs elicitum à creatura; in hoc enim ſenſu conceditur prædeterminatio à nobis, quomodò locutus eſt *D. Dion*; *& D. Tho*; ſed intelligunt qualitatem præuiam realiter diſtinctam ab actu productiuã illius; & in hoc ſenſu prædeterminationem reijcimus. *Hoc ſupp.*

3 Quærimus in præſenti ſolùm de actu libero naturali; an, & quomodò producatur à Deo in voluntate creata?

Thomiſtæ, inter quos *Gonet de Volunt. Dei diſp. 5. art. 7. §. 2*; ſentiunt voluntatem moueri à Deo ad actus naturales liberos per prædeterminationem phyſicam; ſed non explicant, an per iſtam prædeterminationem cauſet Deus in volũtate aliquam qualitatem præuiam productiuam ipſius actus liberi; ſicuti dicunt de voluntate per ordinem ad actus liberos ſupernaturales; vnde vix poteſt intelligi eorum ſententia; ſi enim dicũt pro priori naturæ produci à Deo in voluntate ipſum actum naturalem liberum; & pro poſteriori produci à voluntate creata, incidunt in noſtrã ſententiam; nec poſſunt faciliter ſoluere paritatẽ de actu ſupernaturali, cur non producatur eodẽ modo? Si autem dicãt produci aliquam qualitatem naturalem præuiam ad actum, per quam conſtituitur voluntas actu proximè potens agere; ergo voluntas ad actus naturales eſt tantùm potens radicaliter, ſicut ad actus ſupernaturales; & ideo non habet vires proximas ad vllum actum; quod eſt contra modum loquendi *SS. PP*; *& etiam ipſorum Thomiſtarum, & omnium*.

4 *Alij* volunt actus liberos produci ab ipſa voluntate cum ſolo concurſu Dei; at hæc ſententia quoque rem non explicat, ſed cõfundit; nam vel ſermo eſt de concurſu ſimultaneo; & ſic non explicatur, quomodò Deus ſit cauſa prima vniuerſaliſſimè mouens omnes cauſas ſecundas; per concursũ enim ſimultaneum fit motus in effectũ, non in cauſam coagentem; vt patet de duobus hominibus deferentibus idem pondus; non enim vnus homo mouet alium, ſed ambo ſimul mouẽt idem pondus; Deus autem, vtpotè cauſa prima vniuerſaliſſimè mouens, mouet omne mobile, ſecus non eſſet vniuerſaliſſimum mouens; & ideo mouet omnem cauſam ſecundam, quæ eſt mobilis. Igitur pro eo tunc, quo mouet cauſam ſecundam, quia Deus ſe habet, vt cauſa actiuè mouens; & cauſa ſecunda ſe habet, vt poſitiuè mota à Deo; & cauſa ſaltem pro priori originis intelligitur antecedere effectum; ideo non ſufficit concurſus ſimultaneus, qui non antecedit, ſed ſimul eſt; ergo neceſſariò requiritur cõcurſus prẹuius.

5 Vel eſt ſermo de concurſu præuio; & hoc dupliciter; nam vel hic concurſus explicatur per modum indifferentis; & hoc dici nequit, quia vltra ea, quæ diximus *to. 2. de Scient. Dei q. 4. art. 5*; vel iſte concurſus eſſet ſola voluntas Dei parata ad concurrendum ad quenlibet actum, quem elicitura eſt voluntas creata, & hoc nõ ſufficit; quia per ſolam voluntatem Dei paratam ad concurrendum non mouetur voluntas creata; quia voluntas Dei parata non dicit aliquam actionem ad extra, per quam ſolam mouetur volũtas creata; tum quia nomine concurſus præuij Dei intelligitur actio Dei ad extra, qua Deus agit in creaturas; actio autẽ ad extra, qua Deus agit in creaturas, aliquid producit in creatura; ergo per concurſum præuium nequit intelligi ſola voluntas Dei parata ad concurrendum cum creatura. Vel eſt aliqua actio ad extra producens aliquid in voluntate pro aliquo priori naturæ, pro quo voluntas creata nòn agit, & quo voluntas mouetur ad eliciendum actum; & ſic erit aliquid intrinſecè productum in voluntate; quia res non mouetur per motum extrinſecè productum in alia re; eſt autem aſſignandum, quid ſit hæc entitas intrinſecè producta in volũtate; nam vel eſt qualitas præuia determinans voluntatem ad agendum; omne enim receptum intrinſecè in voluntate illam informat, quia omne determinans eſt actus, & actus informat potentiam, & ideo ſe habebit per modum conſtituentis voluntatem in actu primo potentem agere; quia *potentia in tantùm agit, in quantùm actu eſt*; & ſic nõ eſt aliquid indifferens, quia indifferens non determinat, ſed determinatur; atque adeo inciditur in opinionẽ *Thomiſtarum*. Vel eſt ipſe actus, qui, prout qualitas eſt, pro aliquo priori producitur à Deo, vt à cauſa prima, in noſtra voluntate; & ſic dicentes coguntur fateri noſtram ſententiam; vt mox patebit.

6 Vel tandem hic cõcurſus paſſiuè acceptus explicatur per modum alicuius entitatis determinatæ; & ſic ſequitur idem, quòd priùs dictũ eſt.

Vni-

7 Vnica concl. Voluntas creata mouetur à Deo ad actus liberos ordinis naturæ per productionem ipſorum actuum, vt ſunt qualitates informantes per modum actus primi, & conſtituẽtes ipſam in actu primo proximè potentem agere in ordine naturæ. *Ita Fūd.Doct.& omnes alij citati pro noſtra ſententia to.2. de Scient. Dei q.4. art.1.§.1.*

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.lib.9.de Gen.ad lit.c.19.* docente. *Super hunc autem motum, curſumque rerum naturalem poteſtas Creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quàm eorum quaſi ſeminales rationes habẽt; non tamen id, quod in eis poſuit, vt de his fieri, vel abſque ipſo poſſit.* Et inferiùs. *Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eaſque implet, non illo opere prouidentiæ, quo naturas ſubſtituit, vt ſint, ſed illo, quo eas adminiſtrat, vt voluerit, quas, vt voluit, condidit. Ibi eſt, & gratia, per quam ſalui fiunt peccatores.* Ex quibus ſic. In hoc diſtinguitur actio naturalis ab actione ſupernaturali, quòd illa producitur à Deo ſecūdùm virtutẽ ſeminalem inditam rebus per ordinem ad agendum ſecundùm curſum naturæ; iſta verò producitur à Deo ſecūdùm potentiam obedientialem inditam rebus per ordinem ad agendum ſupra ordinem naturæ; ſed actio libera volūtatis creatæ eſt actio naturalis; ergo producitur à Deo in volūtate creata ſecundùm virtutem ſeminalem per ordinem ad agendum ſecundùm curſum naturæ. Ma. expreſsè habetur in verbis allatis, & iiſdem prob; nam Deus eſt agens vniuerſaliſſimum nedum in ordine gratiæ, ſed etiam in ordine naturæ; ſed quatenus eſt agens in ordine gratiæ, producit actionem ſupernaturalem in voluntate; implicat enim, quòd aliquid fiat abſque illo, aliter non eſſet agens vniuerſaliſſimum; & nō fiat ab illo, vt à cauſa prima; ergo & quatenus eſt agens in ordine naturæ.

8 Conf. Si actus liber naturalis non produceretur à Deo in voluntate, vt qualitas eſt, maximè, quia non diſtingueretur ab actu ſupernaturali; vel quia non eliceretur naturaliter à voluntate creata; ſed neutrum dici poteſt. Non primū; quia actus naturalis, & ſupernaturalis conueniūt in hoc, quòd ambo creantur à Deo; & differunt, quòd ſupernaturalis producitur à Deo in volūtate creata ſecundùm potentiam obediẽtialem; naturalis verò ſecundùm virtutem naturalem ſeminalem. Non ſecundum; quia non implicat plures cauſas ſubordinatas elicere eandem numero actionem, vt per eundem motum productum à prima rota horologij in ſecūda rota producitur motus à ſecunda rota in tertia rota; ergo nulla eſt ratio contrariè opinandi.

9 Conf. magis, & ſimul euertitur alia inſtātia, quæ poteſt fieri ex dictis. Si actus liber naturalis nō produceretur à Deo in volūtate creata, maximè, quia voluntas creata non poſſet ſuis viribus naturalibus elicere actum naturalem, ſed neceſſariò deberet à Deo in illa produci; & ideo non eſſet actus naturalis, ſed ſupernaturalis; quia eſſet donum Dei diuinitus ab ipſo inſpiratum; ſed hoc eſt falſum; ergo & ant. Prob. mi. Ad hoc, vt aliqua actio ſit naturalis, ſufficit, quòd producatur à Deo ſecundùm virtutem ſeminalem naturalem ſubijcientem ſibi paſſum, per ordinem ad quod reſultat actio, vt dictum eſt *in Hexam. art.11. n.18*; ſed actio libera naturalis producitur in voluntate creata habente virtutem ſeminalem naturalem, per quam ſibi ſubijcit omne obiectum naturale, in quod poteſt liberè naturaliter tendere; ergo eſt naturalis. Neque obſtat, quòd ſit donum ex eo, quòd producatur in nobis à Deo; nam ſicut ea, quę producūtur in nobis à Deo in ordine ſupernaturali, ſunt dona gratię; ita ea, quæ in nobis producuntur à Deo in ordine naturali, ſunt dona in ordine naturæ, quæ vocantur dona creationis; omnino enim gratis ea, quæ habemus, Deus nobis donauit.

10 Vrgetur, & magis explicatur hæc ratio. Actio tranſiens propria creaturæ cōſiſtit in hoc, quòd creatura habeat virtutẽ naturalem à Deo ſibi inditam, cui ſubijcitur proprium paſſiuum, quo poſito iuxta proprium actiuum, ſeu iuxta habens virtutem ſeminalem, reſultat ipſa actio in ipſo paſſiuo; quæ propterea dicitur ab agente naturali per ſuam præſentiam educi de potentia paſſiua ipſius paſſi; non reſultaret autem in ipſo paſſiuo, niſi effectiuè produceretur in illo ab Auctore naturæ; quia *ab illo ſunt omnia*; ergo actio immanens naturalis propria creaturæ eſt illa, quæ ad præſentiam virtutis naturalis ſeminalis poſitæ iuxta proprium obiectum paſſiuum ei ſubiectum ab Auctore naturæ ſecundùm curſum, & ordinem rerum reſultat in ipſa potentia; non autem in obiecto; in hoc enim diſtinguitur actio immanens à tranſeunte, quòd immanens recipitur in potentia actiua; tranſiens verò in termino paſſiuè attacto; atqui actus liber naturalis creatus eſt actio naturalis propria voluntatis creatæ; ergo effectiuè producitur à Deo in uoluntate creata.

11 Prob.2. Illud, quod mouet, vt motum, mouet per motum cauſatum in illo à principali mouente; vt patet de inſtrumento, quod mouet per motum cauſatum in illo à manu artificis; & de ſecunda rota mouente tertiam per motum cauſatum in illa à prima rota; ſed creatura mouet, vt mota à Deo, quia eſt ſecundum mouens, & ſecundum mouēs mouetur à primo mouente; aliter non eſſet ſecundum, ſed primum; nam primum mouens eſt illud, à quo incipit motus, & tranſit ad ſecundum; vnde ſi motus, quo mouetur creatura, non inciperet à Deo; iam nō Deus, ſed creatura eſſet primum mouens; ergo creatura mouet per motum cauſatum in illa à principali mouente; principale autem mouens eſt primum mouens; & ideo agit per motum cauſatum

à Deo in illa. Atqui motus, quo ſe mouet creatura, eſt actio ipſius; quia *motus eſt actus entis in potentia*; ergo creatura agit per actionem cauſatam à Deo in illa.

12 *Vid.* alias rationes allatas *de Scient. Dei vbiſ.* vbi ſoluuntur obiectiones, quæ fiunt contra hanc ſolidiſſimam, & ſubtiliſſimam veritatẽ; quæ magis declarabitur *in ſeq. art.*

ART. II.

An voluntas moueatur ab obiecto?

1 HAec quoq; difficultas, ſicut præcedens, ſufficienter diſcuſſa fuit *to. 2. de Scient. q. 4. art. 1. §. 3.*; & ſolutæ rationes oppoſitę. Breuiter ergo ad formam redigemus, quę ad maiorem explicationem eorum, quæ dicta ſunt *in ſup. art.* conducunt.

2 Vt autem clariùs procedamus euitantes confuſionem *Recentiorum*, qui confundunt obiectum cum intellectu; & tamen diuerſiſſima ratio eſt de vtroque, vt patebit; quauis obiectum non præſentetur voluntati, & agat in illam, niſi prout cognitum per intellectum; attamen quia cognitio ſe habet ſolùm, vt conditio, ad hoc, vt bonitas obiecti moueat voluntatem; ideo quærimus *hic* ſolùm de obiecto, locuturi *in ſeq.* de intellectu.

3 Voluntatem moueri ab obiecto omnes fatentur; difficultas eſt autem de modo, quo moueatur.

4 Prima ſententia vult moueri ſolùm in genere cauſæ finalis, & formalis extrinſecæ determinantis indifferentiam voluntatis ad amandum potiùs hoc bonum, quàm aliud. *Ita ex noſtris Gibb. hic diſp. 12. dub. vlt. n. 9; apud quem Scot. in 2. diſt. 25. q. 1. §. Dico; Capr. ibid. diſt. 24. q. 1. art. 3. ad 8; Ferrar. 3. cont. Gent. c. 89. & 5. cont. Gẽt. c. 44; Sua. in Met. diſp. 18. ſect. 7. n. 49; Vaſq; Val; Io. à S. Tho; Amic; Arriag; Gonet, apud quem Ban.* Idem ſentiunt *alij quamplures.*

5 Noſtra ſententia docet voluntatem moueri ab obiecto nedum moraliter alliciente, ſed etiam phyſicè in genere cauſæ efficientis producentre in ipſa voluntate actum volitionis, vt qualitas eſt; quem poſtea voluntas producit, vt actio eſt, dum per ipſum tendit actiuè in ſuum obiectũ. *Ita Fund. Doct. locis cit. vbiſ; Argent. ibid; Paulus Venet; Corneius apud Gibb; & tota noſtra Schola.* Ex cæteris idem docent *Caiet. 1. p. q. 27. art. 3; & q. 80. art. 2; Conr; Tolet. 2. de an. quæſt. 12; Sueſſan. de ſenſu agente, Thien; & alij; pro cuius deciſ.*

6 Not. non repugnare plures cauſas ſubordinatas concurrere ad productionem eiuſdem effectus ſecundùm diuerſas rationes producibilitatis in ipſo effectu repertas, à quibus diuerſæ cauſæ ſpecificantur. Hoc ab vllo Philoſopho rationabiliter non poſſe negari cenſendum eſt, nã *Sol, & homo generant hominem*; Sol, tanquã cauſa vniuerſalis concurrens ad generationem omnium hominum, ſed nedum hominum, verumetiam animalium, ac vegetabilium; quapropter dicimus Solem efficere, vt ſegetes flaueſcant ad meſſem; & vuæ matureſcant ad vindemiam; homo autem, tanquam cauſa ſpecialis ſolius hominis productiua. Non implicat ergo, quòd Deus, tanquam cauſa vniuerſaliſſima; & obiectum, tanquam cauſa efficiens extrinſeca, & voluntas, tanquam cauſa efficietis vitalis intrinſeca ſub diuerſa ratione producant ipſum actum voluntatis; voluntas enim ſubijcitur ſuo obiecto, tanquã proprio actiuo extrinſeco; à quo recipit ſpeciẽ; & Deo, tanquam vniuerſaliſſimo agenti, à quo recipit eſſe, & agere.

7 Neque ex eo, quòd Deus poſſit ſe ſolo efficienter producere in voluntate actum volitionis, quia Deus poteſt ſe ſolo producere, quidquid efficit ſimul cum ſecũdis efficiẽtibus, arguitur, quòd obiectum illum non producat efficienter; nam vt diximus *q. 1. in Hexam. art. 10. n. 12*; actio Dei duplex eſt; alia, qua res produxit ex nihilo, & ad hanc ſolus Deus concurrit, vt cùm produxit plantas in principio temporis, alia, qua adminiſtrat in tempore materiam iam creatam, aſſumendo eam, tanquã inſtrumẽtum, quo vtitur ad ipſã propagandam nouis fœtibus, non quidẽ ex indigentia ad agendum, ſed ex communicatione efficientiæ rebus conceſſæ, ſecundùm quã dicitur res peragere motus ſuos, vt *ex Beatiſſ. P. ibid.* oſtendimus; ſic Deus ſimul cum planta producit aliam plantam in tempore, & ita de alijs plantis, ceteriſque rebus, quæ ſucceſſiuè decedẽtibus alijs naſcuntur; vt nouis ſemper productionibus intercũtium repatet defectum, earumque ſpeciem conſeruet.

8 Ita à pari dicendum de voluntate creata per ordinem ad ſuas actiones ſeruatis tamen ſeruandis; Deus enim licèt in principio temporis produxerit voluntatem cum prima volitione, quia eã produxit perfectam; quapropter dicitur *Gen. 1 Vidit cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona*; attamen in tempore ſimul cum obiecto ipſius voluntatis, tanquam cum inſtrumento, cuĩ communicauit vim agendi (omnis enim creatura eſt, veluti inſtrumentum Dei, quia agit in virtute Dei à Deo recepta) producit actum volitionis in ipſa, per quem determinatur ad volendum hoc potiùs obiectum, quàm aliud; ab indifferenti enim, vt indifferens eſt, nequit exire actio determinata; vt dictum eſt *to. 2. vbiſ.*

9 Itaque hic ordo reperitur in actione voluntatis. 1. Deus, vt cauſa principalis efficiẽs, mouet obiectum, tanquam inſtrumentum ad agendum. 2. Obiectum præſentatum voluntati ab intellectu, quod eſt proprium actiuum, ſubijcit voluntatem ſibi, tanquam proprium paſſiuum; & Deus producit in illa entitatem volitionis, vt eſt qualitas illam determinans ad agẽdum; ſicut dixi-

ximus *in ſup.art*; ignis enim præſente combuſtibili, quod eſt proprium paſſiuum à Deo illi ſubiectum in Mundi primordijs, cùm benedicens rebus dedit eis virtutem, *vt creſcerent, & multiplicarentur ſuper terram*, dicitur agere in lignum, quatenus ad eius præſentiam inſtrumentaliter aſſumptam à Deo ad agendum Deus producit in ligno formam ignis; & in hoc ſenſu creatura dicitur inſtrumentum Dei. 4. Voluntas, vtpotè potentia reflexiua ſupra ſuos actus, eandem entitatem actionis reflectit in ipſum obiectum, tanquam in proprium paſſiuum terminans illius actionem. Neque implicat, quòd duæ cauſæ ad inuicem agant; nam *Phil.* ait, quòd *omne agens agendo repatitur*; quatenus autem cauſa repatitur, effectus agit in illam. Tum quia actio voluntatis non eſt in ordine phyſico; nō enim per volitionem producit aliquod eſſe phyſicum in obiecto, in quod tendit volendo; ſed eſt tantùm in ordine intellectuali per modum grammaticalis tendentiæ, vt dici ſolet; patet autem, quòd filius productus à Patre, quanuis non poſſit producere ipſum Patrem; attamen poteſt agere in illum, ſeu reflectere ſe in illum intelligendo ipſum, & volendo. Tum quia licèt duæ cauſæ in eodem genere nequeant ad inuicē agere ſubſtantialiter producēdo ſe ad inuicē ſub eſſe ſubſtātiali; quia id, quod producit ſubſtātialiter aliud, debet eſſe exiſtens; nam *actiones ſunt exiſtentium*; *& agens agit, in quantū actu eſt*; & id, quod ſubſtātialiter, producitur, debet non eſſe actu; nā productio eſt trāſitus de nō eſſe ad eſſe; attamen etiam in eodē genere poſſunt agere accidentaliter ad inuicem; quia vna poteſt in alia qualitatem, quam non habet, producere; ſufficit enim, quòd ſubſtantia vnius non habeat qualitatem alterius; quapropter aer calidus agit in aquam educendo ab illa calorem; & aqua in aerem inducendo frigiditatē in illum. Sed obiectum, & voluntas agunt accidentaliter producendo volitionem, quæ eſt accidens; ergo poſſunt ad inuicem agere.

10 Tandem ex eo, quòd Deus moueat obiectum, tanquam inſtrumentum ſuum ex ſua liberalitate aſſumptum ad agendum, dicitur præuiè agere in illud; & ex eo, quòd ſimul cum inſtrumento moueat voluntatem ad agendum, dicitur ſimultaneè quidem agere cum obiecto, ſed præuiè agere in voluntatem; & quatenus ſimul agit cum voluntate, dicitur ſimultaneè agere cū illa. Per hoc clarè, & ſolidè explicatur concurſus Dei præuius, & ſimultaneus. *His peractis*.

11 Vnica concl. Obiectum mouet voluntatem efficienter producendo in illa entitatem phyſicam actus, vt qualitas eſt, per quam voluntas conſtituitur in actu primo potens agere; & per quam actiuè tendit, & reflectit ſe in obiectū.

Prob. 1 *ex Beatiſſ. P. allato in ſup. art; & locis ibid. cit*; & generaliter loquens de omni actu voluntatis *lib. 83. qq. q. 8.* ait. *Ex diuerſis viſis diuerſus appetitus animarum eſt*. Ex quibus ſic. Illa res effectiuè agit in aliam, cui Deus inſeruit virtutem ſeminalem, & potentiam obedientialem, vt ad illius præſentiam faciat actus naturales, & ſupernaturales; ſed obiectū eſt res, ad cuius præſentiam Deus producit in voluntate actum volitionis; ergo obiectum effectiuè producit in voluntate actum volitionis. Maior ſatis explicata, & probata eſt; ideo enim ignis effectiuè concurrit ad comburrendum lignum, quia ad illius præſentiam Deus, tanquam Auctor vniuerſalis omnium rerum, producit actionem combuſtiuam in ligno. Prob. mi. Illa eſt res, ad cuius præſentiam Deus producit actionem in voluntate, quæ determinat voluntatem ad talem ſpeciem actionis; ſicut ideo ignis eſt res, ad cuius præſentiam Deus producit actionem combuſtiuam in ligno, quæ eſt eiuſdem ſpeciei cum actione cōbuſtiua; quapropter dicitur agens aſſimilare ſibi paſſum, aſſimilatione quidē ſpecifica, ſi ſit agens vniuocum; aſſimilatione verò generica, ſi ſit æquiuocū; quia *in generibus latent æquiuocationes*; vt docet *Phil*, ſed obiectum eſt illud, quod determinat volūtatem ad talem ſpeciem volitionis; nam voluntas de ſe eſt indifferens ad volendū quodlibet obiectum; & non determinatur ad talem volitionem, v.g. ad volendam ſanitatem, niſi ab ipſa ſanitate apprehenſa, & ſibi repræſentata ab intellectu; ergo obiectum eſt res, ad cuius præſentiam producit Deus in voluntate actum volitionis, & ideo effectiuè concurrit ad productionem illius.

12 Conf. In hoc diſtinguitur efficiens eductiuum, vt eſt creatura, ab efficiente creatiuo, vt eſt Deus; quod illud ad ſuam præſentiam educit formam, quæ erat in potentia paſſiua ſubiecti; efficiens autem creatiuum illam producit ex nihilo; ſed ad præſentiam obiecti educitur actus volitionis de potentia voluntatis, ad quem voluntas, antequam ei præſentaretur obiectum, erat in potentia purè paſſiua; non enim actu latebat in ipſa, aliter contineret actu omnes ſuos actus, & ſic non eſſet indifferens, ſed determinata ad illos; ergo obiectum eſt efficiens eductiuū actus ipſius voluntatis.

13 Prob. 2. Quodlibet obiectum repræſentatum voluntati ab intellectu ſub ratione boni cauſat in voluntate pondus, per quod illam inclinat in ſe ipſum; ſed pondus volūtatis eſt amor ipſius *iuxta illud N. Beatiſſ. Patris*: *Amor meus pondus meum; illuc feror, quocunque feror*; amor autem eſt actus voluntatis, vt patet; ergo obiectū cauſat efficienter in voluntate actū ipſius. Prob. ma; nam voluntas trahitur à rebus obiectis; nequit autem trahi, niſi per pondus cauſatum in ipſa ab ipſis rebus, quia hæc tractio eſt per modum inclinationis naturalis, & nomine ponderis naturalis nihil aliud intelligimus, niſi inclinationem, ſeu motum naturalem; ergo obiectum cauſat in voluntate pondus, per quod voluntatem inclinat in ſe ipſum. Tum quia nequit aliter ex-

plicari, quomodò obiectum trahat voluntatem ad ſe.

14 Prob. 3. Si obiectum non produceret phyſicè in volũtate entitatem volitionis, ſequeretur, quòd voluntas ſe ſola illam produceret; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. ſeq. Quotieſcunque aliqua duo concurrunt ad aliquam actionem, ſi alterum illorum effectiuè nõ influat, remanet, quòd vnum ſolùm effectiuè illam producat; ergo voluntas per ſe ſolam produceret ſuam volitionem. Tum quia in tantùm requiritur vnio ad actionem, in quantùm vnum illorum actiuè ſe habet producendo actionem in alio; alterum verò paſſiuè recipiendo actionem productam ab alio; ſed ſi obiectum non produceret efficienter in voluntate actionem illius, vnum non ſe haberet actiuè, & aliud paſſiuè, quia obiectum non recipit in ſe ipſo actionem voluntatis, nec voluntas producit in obiecto volitionem in ipſo receptam; ergo non eſſet neceſſaria vnio obiecti cum voluntate; & ideo ſe ſola produceret volitionem. Mi. conſtat; nam voluntas nequit velle, niſi ei repræſentetur obiectum ab intellectu; tum quia ſicuti *ex intellectu, & obiecto paritur notitia*, vt docet *Beatiſ. P.*; ita ex obiecto, & voluntate paritur amor; ſunt enim iſtæ duæ potentiæ æquè immanentes, & ideo eodem modo de vtraque loquendum eſt.

15 Dices hoc valere de actionibus tranſeũtibus, non autem de actionibus immanentibus, inter quas eſt actio voluntatis.

Reſp. vnionem obiecti cum intellectu requiri ad productionem intellectionis, etianſi intellectio ſit actio immanens; ergo vniuerſaliter concluditur de omnibus actionibus.

16 Prob. 4. Voluntas ſpecificatur ab obiecto; omnis enim potentia ſpecificatur ab obiecto, vt communiter dicitur; ſed omne ſpecificatum actuatur à ſuo ſpecificatiuo formali; quia ſpecificari eſt à forma, quę eſt actus, & à forma habetur actuatio; vnde animalitas in homine ſpecificatur à rationalitate, à qua contrahitur, & actuatur; ergo voluntas actuatur ab obiecto. Aliter nequit oſtendi, quomodò potentia ſpecificetur ab obiecto, & ideo ſententia negans principium communiter admiſſum cogitur negare.

Videantur aliæ rationes *vbiſ; & de Beat. q. 2. art. 3*; ac locis ibidem *cit*; vbi afferuntur obiectiones, & earum ſolutiones.

ART. III.

An, & quomodò voluntas moueatur ab intellectu?

1 PRæſentem pariter difficultatem eadẽ perplexitate pertractant *Recentes*. *Alij* nanque dicunt intellectum mouere voluntatem, quia ei proponit obiectum; nõ enim obiectum mouet voluntatem, niſi quatenus apprehẽſum; vnde eſſe apprehenſum, & eſſe bonum integrant vnum principium efficienter mouens voluntatem. Et fortè obliti ſunt *hic* illius, quod docent *in phyſicis*; ſcilicet quòd eſſe cognitum, ſeu apprehenſum eſt tantùm conditin requiſita ad finalizandum; tum quia non ſolùm bonum, ſed aliquod commune bono, & vero eſſet obiectum adæquatum mouens voluntatem; quia obiectum eſt illud, quod mouet, & ſpecificat potentiam, & ideo voluntas eſſet vniuerſalior intellectu, & bonum non eſſet eius obiectum adæquatum.

2 *Alij* dicunt intellectum mouere voluntatem in genere cauſæ finalis allicientis. Sed hoc ijſdem rationibus improb, illud enim, quod finalizat, & allicit voluntatem, eſt bonitas apprehenſa, non autem ipſa apprehenſio; quòd autem requiratur apprehenſio, hoc dicit ſolam conditionem; conditionem autem non concurrere effectiuè, manifeſtum eſt. Tum quia bonum, quod appetitur propter ſe, & finis non eſſent idem; quia etiam cognitio finalizaret, & ideo haberet rationem cauſæ finalis.

3 Tandem omnes miſcent hanc difficultatẽ cum præcedente; hanc enim probant per illam; ex quo nunquam poteſt diſtinctè deduci; an intellectus per ſe acceptus habeat aliquo modo mouere voluntatem alia motione ſaltem virtualiter diſtincta ab illa, qua ipſam mouet mediante obiecto? Et hic eſt ſenſus, in quo nobis videtur agitanda pręſens controuerſia. Igitur.

4 Vnica concl. Intellectus mouet voluntatẽ non ſolùm moraliter, idèſt conſulendo, ſed etiã phyſicè applicando obiectum; non autem phyſicè influendo.

5 Prob. 1. pars concl. Intellectus eſt cõſiliarius voluntatis; ergo illam moraliter mouet per modum conſulentis. Ant. communiter admittitur; nam conſilium eſt actus intellectus; & ideo pertinet ad intellectum conſiliari; ſicut electio eſt actus voluntatis. Conſ. rectè infertur; nam cõſulens homicidium cenſetur cauſa moralis mouens moraliter homicidã ad occiſionem; & ideo iuſtè punitur, quod non fieret iuſtè, ſi non eſſet aliquo modo cauſa illius; non enim fit reus, niſi quia illud cauſat; non eſt autem cauſa phyſica, vt patet, ideo remanet, quòd ſit tantùm cauſa moralis; ergo ex eo, quòd intellectus conſulat voluntatem ad ſe mouendum in aliquod obiectũ, moraliter illam mouet.

6 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ. P. Aug. tract. 26. in Io.* vbi docet: *Ramum viridem oſtendis oui, & trahis illum, nuces puero demonſtrantur, et trahitur; & quia quò currit, trahitur, amando trahitur, cordis curriculo trahitur*. Ex quo ſic. Intellectus applicat voluntati obiectum, à quo volũtas phyſicè mouetur, vt dictum eſt *in ſup. art.*; ergo intellectus phyſicè mouet voluntatem per modum applicantis actiuè. Prob. conſ. Voluntas non poteſt tendere in obiectum, niſi illud ſibi applicetur, & fiat præſens per intellectum, quia *nil volitum, quin præcognitum*; ergo intellectus applicat obiectum voluntati; nam applicare eſt idem

ac facere ptæſens alicui ; vt cùm quis præſentat ignem ſtupæ. Prob. conſ. Illud dicitur phyſicè concurrere actiuè pet modum applicantis, quod præſentat actiuum ſuo proprio paſſiuo ; vt cùm quis applicat ignem ſtupæ, dicitur actiuè comburere ſtupam ; ſed intellectus applicat obiectū voluntati, à quo phyſicè mouetur ; ergo actiuè mouet voluntatem per modum applicantis.

7 Conſ. Quod mouet cauſam, mouet effectum ab illa cauſatum, etianſi actiuè non influat in effectum, niſi per ipſam cauſam ; vt quanuis mouens ignem ad lignum non influat in ipſum lignum aliquod, per quod combutatur, attamen dicitur phyſicè lignum comburere, non immediatè, ſed mediatè; ſed intellectus mouet obiectū illud applicando voluutati ; & obiectum mouet voluntatem ; ergo intellectus phyſicè mouet voluntatem.

8 Obijc.1. *Vaſq.* Si intellectus concurreret ad mouendam voluntatem, vel concurreret, vt inſtrumentum, vel vt cauſa principalis? Non primum ; quia inſtrumentum eſt inferioris ordinis, quàm ſit cauſa principalis ; intellectus autem eſt eiuſdem ordinis cum voluntate, cùm ſit ordinis ſpiritualis. Non ſecundum ; quia variata intellectione ſecundùm clatum, & obſcurum variaretur volitio; nam cauſæ diuerſæ ſecundùm naturā diuerſum producunt effectum ; ergo intellectus nullo modo mouet voluntatem.

Reſp. diſt.2.part. ma. Vt cauſa principalis applicans, conc; ſpecificans, neg. Ad ptob. dicitur, quòd variata cauſa ptincipali ſpecificante, à qua habetur ſpecies effectus, variatur effectus ſpecie; non autem variata cauſa applicante, à qua non habetur ſpecies effectus; nā ſiue applicetur ignis ſtupæ ab homine, ſiue ab equo, idem ignis ſpecie, imò numero producitur.

9 Obijc. 2. Voluntas per ſe ipſam ſolùm eſt potens producere ſuos actus ; ergo non indiget moueri ab intellectu. Prob. ant. Voluntas cum habitu charitatis eſt ſufficiens ptoducere actum dilectionis Dei; nam habitus charitatis datur ad ſimplicitet, non ad faciliùs, & quod datur ad ſimplicitet, non indiget aliquo alio ad producendū; aliter non eſſet ad ſimpliciter.

Reſp. diſt. ant. Voluntas per ſe ipſam ſolùm eſt potens producere actum, vt qualitas eſt, neg; vt actio eſt, conc. Ad prob. diſt. eodem modo. Voluntas per habitum charitatis eſt potens producere dilectionem Dei, vt qualitas eſt, neg; vt actio vitalis eſt, conc. An autem ad quenlibet actum dilectionis Dei ſit neceſſarius habitus charitatis; *alibi* examinatur.

10 Obijc.3.*Gonet.* Si intellectus moueret voluntatem, maximè moueret, vt principium *quo*; ſicut ſpecies mouet intellectum ; ſed hoc eſt falſum, quia principium *quo* debet eſſe ratio formalis intrinſeca principio *quod*; intellectus autē non eſt intrinſecus voluntati; ergo intellectus nō mouet voluntatem. 2. Duæ potentiæ non poſſunt ad inuicem ſe mouere in eodem genere cauſæ ; ſic enim quęlibet eſſet cauſa, & cauſatum; ſed voluntas actiuè mouet intellectum; ergo intellectus non mouet voluntatem.

Reſp. ad 1. neg. ma; intellectus enim mouet voluntatem, vt principium *quod* extrinſecè applicans, non vt ratio formalis intrinſeca. Ad 2. diſt. ant. Duæ potentiæ non poſſunt ad inuicem ſe mouere productiuè ita, vt vna aliam producat, conc; applicatiuè, neg; maximè quando ſunt diuerſæ ſpeciei, & agunt ſub diuerſa ratione, vt ſunt intellectus, & voluntas; nam intellectus mouet voluntatem oſtendendo ei obiectum, à quo cauſatur actus in voluntate, vt qualitas eſt; & voluntas mouet intellectum per dominium, quod habet in illum.

11 Obijc.4. Intellectus non inclinat voluntatem in bonum, ſed tantùm oſtendit; ergo illam non mouet, niſi in genere cauſæ finalis. Prob. ant. Voluntas de ſe eſt inclinatio in bonum; ergo nō indiget ab alio inclinari. Prob. conſ. Mouere per ſolam oſtenſiouē ad ſummum eſt mouere per allicientiam ; ſed mouere per allicientiam eſt mouere ſolùm moraliter, & in genere cauſæ finalis ; ergo intellectus mouet voluntatem ſolùm in genere cauſæ finalis. 2. Propoſito bono, & ablata omni efficientia intellectus, adhuc voluntas poteſt tendere in illud; quia quælibet potentia apta nata eſt tendere in ſuum obiectum ſibi præſens ; ergo intellectus non mouet efficienter voluntatem.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Intellectus non inclinat formaliter voluntatem in bonum, conc; applicatiuè efficienter, neg; nam applicat bonum voluntati, à quo efficienter producitur in voluntate pondus, per quod poſtea voluntas formaliter tendit in bonum. Ad prob. diſt. ant. Voluntas eſt inclinatio potentialis, idèſt eſt potentia apta nata tendere per ſuum actum in bonum, conc; eſt inclinatio actualis, neg; aliter voluntas creata non diſtingueretur à ſuo actu ; quod eſt falſum *apud omnes*. Ad 2. dicitur, quòd efficientia intellectus conſiſtit in ipſa propoſitione, ſeu applicatione boni; vnde ant. interimit ſe ipſum.

12 Obijc.5. cont. aliam part. concl. Verbum Diuinum actiuè producit Spiritum S; ergo cognitio non ſolùm applicatiuè, ſed etiam productiuè mouet voluntatem. 2. *Beatiſſ. P. Aug.* pluries *in lib. de Trin.* habet amorem procedere à notitia, vnde vocat ipſum prolem notitiæ; ergo idem, quod priùs.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Verbum Diuinum, quatenus Verbum, & ſub ratione formali præciſa ipſius Verbi, neg; ſic enim ſolùm habet eſſe terminum expreſſiuum cognitionis Patris. Verbum Diuinum, quatenus perſona habens voluntatem, conc. Ad 2. dicitur ſæpe hoc nomen *notitiam* ſumi obiectiuè pro re notificata, & ſic idem eſt, ac obiectum. Si autem ſumatur formaliter pro ipſa cognitione, dicitur amorem procedere, tanquam

pro-

prolem notitiæ applicatiuè, non efficienter productiuè; vt dictum eſt.

13 Quæres 1; an intellectus agens, & phantaſmata materialia moueant voluntatem?

Reſp. intellectum agentem remotè mouere voluntatem, quatenus illuſtrat obiectum, vel ſpeciem repræſentatiuam obiecti, quam tranſmittit in intellectum poſſibilem, à quo poſtea proponitur voluntati. Phantaſmata autem magis remotè mouent, quatenus aſſumuntur, vt inſtrumenta eleuata ab intellectu agente ad producendam ſpeciem intelligibilem; & quatenus ad præſentiam illorum ſpecies intelligibilis confortatur, & illuſtratur magis ad repræſentandam bonitatem obiecti; iſtæ enim potentiæ ita mirabiliter connectuntur, vt vna iuuet operationem alterius.

14 Dices *cum Scot.* Si phantaſma concurreret ad mouendam voluntatem, ageret, vt cauſa æquiuoca, quia eſt diuerſæ rationis; eſt enim corporale; & volũtas ſpiritualis; ſed conſ. eſt falſum; quia cauſa æquiuoca eſt nobilior ſuo effectu; ergo falſum eſt ant.

Reſp. diſt. ma. Ageret, vt cauſa æquiuoca inſtrumentalis, conc; ſed in hoc ſenſu neg. mi; vt cauſa æquiuoca principalis, neg.

15 Quæres 2; an volũtas poſſit moueri abſq; præcedente intellectus cognitione?

Reſp. negatiuè. Eſt *cont. D. Bon. apud Vaſq. hic q. 9. diſp. 35. c. 1.* opinantem aliquando voluntatem ſe mouere ad bonum abſque præuia cognitione; *& cont. noſtrum Argent.* putantem probabiliter hoc ſaltem de potentia Dei fieri poſſe. Prob. tamen *ex Beatiſſ. P. Aug. lib. 10. de Trin. c. 1; & ſeq;* vbi fusè hanc difficultatem declarat docens, quòd licèt poſſimus amare ſcire ea, quæ neſcimus, ex quo videtur, quòd voluntas poſſit ferri in incognitum; attamen ille amor naſcitur ex cognitione eorum, quam habemus in genere; ex qua procedimus ad illa dignoſcenda in ſpecie; poſtea concludit: *Firmiſſimè nouimus, niſi nota amari non poſſe.* 2. Prob. ex illo communiſſimo axiomate: *Nihil volitum, quin præcognitum.* 3. Ratione. Voluntas eſt inclinatio eſſentialiter ſequẽs formam apprehenſam, quia eſt inclinatio ſpiritualis; in hoc enim diſtinguitur formaliter ab inclinatione naturali, quæ ſequitur formam naturalem, vt inclinatio lapidis deorſum; ergo eſſentialiter ſupponit cognitionem; & ideo nec etiam diuinitus poteſt ferri in incognitum; quia quæ ſunt eſſentialia, nequeunt à Deo immutari.

16 Obiectiones autem ſoluuntur *cum eodem Beatiſſ. P.*; quòd non eſt neceſſe ſupponi cognitionem perfectam, ſed ſufficere imperfectam, & genericam.

ART. IV.

An voluntas moueatur ab appetitu ſenſitiuo?

1 Loquimur de vtroque appetitu, ſcilicet iraſcibili, qui reſpicit bonum arduum; & concupiſcibili, qui reſpicit bonum abſolutè ſumptum; vt habet *Fund. Doct. lib. 1. de Regim. Princ. p. 2. c. 2; & p. 3. c. 1.* Dupliciter autẽ poteſt intelligi, quòd appetitus moueat voluntatem, ſcilicet mediatè mouendo intellectum, & mediante intellectu voluntatem; & immediatè per ſe ipſum mouendo ipſam voluntatem propter naturalem connexionem, quam habet cum illo. Inquiritur igitur, an, & quomodò appetitus ſenſitiuus moueat voluntatem?

2 Præterea appetitum mouere voluntatem mediante cognitione intellectiua poteſt eſſe ita, vt inuariata cognitione æſtimatiua, quæ dicitur iudicium practicum ſenſitiuum varietur ſolùm iudicium rationis, & ſic moueatur voluntas; aut poſſe voluntatem moueri per ſolum iudicium ſenſitiuum abſque eo, quòd præcedat iudicium rationis; vt volunt *aliqui*, quos ſuppreſſo nomine refert *Vaſq. hic diſp. 37. q. 9. c. 2.* Vel neceſſariò requiratur tam iudicium ſenſitiuum, quàm intellectiuum?

3 Vnica concl. Appetitus ſenſitiuus mouet voluntatem tantùm inſtrumentaliter indirectè; quatenus mouet phantaſmata materialia, quæ ab intellectu agente eleuantur inſtrumentaliter ad producendam ſpeciem intelligibilem, quæ poſtea ab intellectu poſſibili præſentatur voluntati, & cauſat in illa actum amoris, vt qualitas eſt; aliquando autem mouet ſub iudicio indifferenti rationis, vt in actibus deliberatis; aliquando verò magno impetu abſorbente iudicium rationis, vt in motibus primò primis. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 17. q. 2. art. 1. §. Quinta, & ſeptima via;* vbi ait *ex Phil. 3. Eth. 1. c. 57. Aliquando vnus appetitus mouet alium deliberatione, aliquando impetu.* Idem habet *diſt. 43. q. 2. art. 1;* vbi docet, quòd paſſio aliquando inſurgit cum tanta violentia, vt moueat voluntatem ad peccandum. Hanc concl. putamus communem; vt teſtatur *noſter Gibb. hic diſp. 13. dub. 1.*

4 Prob. 1. *ex Apoſt. Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Super quod *Beatiſſ. P. lib. 1. ad Simplic. q. 1.* ait: *Sentit enim ſe ſeruum dominantis cupiditatis, quæ prohibetur, & ſe rectè prohiberi cognoſcit, & tamen facit.* Et paulò poſt. *Profectò trahitur ad malè operandum concupiſcentia dominante, atque fallente dulcedine peccati prohibiti; quamuis ex parte notitia legis hoc improbet.* Ex quibus ſic. In tantùm appetitus ſenſitiuus mouet voluntatem ad peccandum, in quantùm dulcedine peccati fallit mentem, vt perſuadeat voluntati illud bonum delectabile eſſe ſequendum, quamuis cognoſcat eſſe contra legem Dei exiſtentem in mente; ergo appetitus ſenſitiuus tantùm inſtrumentaliter indirectè, mediante ſcilicet cognitione mouet voluntatem. Prob. ant. In tantùm concupiſcentia mouet voluntatem ad peccandum, in quantùm facit, vt mens non repræſentet determinatè voluntati legem Dei, qua prohibetur

pec-

peccatum, ſed ſub iudicio indifferenti rationis repræſentet illud eſſe delectabile,& ideo faciendum;& contra legem Dei,& ideo non faciendũ; tunc enim voluntas, vtpotè domina, relinquit ſecundum,& ſequitur primũ, vt docet *Fund.Doct*; aliter ſi determinatè repræſentaret, illa actus non eſſet liber, & ideo non eſſet peccatum; ergo in tantùm appetitus ſenſitiuus mouet voluntatem ad peccandum, in quantùm dulcedine peccati fallit mentem, vt perſuadeat voluntati illud bonum delectabile eſſe ſequẽdum, quanuis cognoſcat eſſe contra legem Dei exiſtentem in mente. Prob.conſ. Appetitus ſenſitiuus nequit mouere intellectum, niſi præſentando ei phantaſmata materialia, quæ illuſtrata ab intellectu agente eleuantur inſtrumentaliter ad cauſandam ſpeciẽ immaterialem in intellectu; à qua poſtea mouetur voluntas, vt dictum eſt *in ſup.art*; ergo tantũ inſtrumentaliter indirectè mouet voluntatem.

5 Conſ.1. Voluntas eſſentialiter eſt appetitus ſequens formam intellectualem ſpiritualem; in hoc enim diſtinguitur ab appetitu ſenſitiuo, qui ſequitur formam apprehenſam ſenſitiuam; forma autem ſpiritualis eſt indifferens ad hoc,& ad oppoſitum huius, quia eſt vniuerſalis; noſter enim intellectus intelligit per ſpecies vniuerſales; quapropter talis forma repræſentatur voluntati ſub indifferentia, quæ eſt radix libertatis; ſed appetitus ſenſitiuus non eſt forma intellectualis ſpiritualis, nec apprehendit per ſpecies vniuerſales, quia *ſentire eſt particularium*, vt docet *Phil*; ſenſus enim apprehendit per phantaſmata materialia, quæ ſunt affecta conditionibus indiuiduãtibus; ergo appetitus ſenſitiuus nequit directè mouere voluntatem; & ideo tantùm inſtrumentaliter indirectè.

6 Conſ.2. Voluntas non mouetur, niſi per actum cauſatum in ipſa à mouente; quia motus voluntatis eſt actus ipſius, qui eſt tendentia ad obiectum, & tendentia eſt idem, ac motus; ſed actus voluntatis non cauſatur, niſi ab obiecto, vt diximus *art.* 2; ergo non cauſatur ab appetitu ſenſitiuo, niſi mediante phantaſmate materiali, quod repræſentat obiectum ſenſibile; ſed phantaſma materiale directè agit inſtrumentaliter in intellectum, non autem in voluntatem, quia phãtaſma ordinatur directè ad intelligendum; omne enim repræſentatiuum ſpectat directè ad potentiam cognoſcitiuam; ergo appetitus ſenſitiuus mouet tantùm indirectè voluntatem.

7 Prob. 2.pars concl. Appetitus ſenſitiuus aliquando agit tanto impetu in intellectum, vt abſorbeat penitus rectum iudiciũ ipſius; & ideo illum determinet ad repræſentandum ſolùm bonum delectabile eſſe ſequendum; aliquando verò non agit cum tanto impetu,& ideo ſinit intellectum cogitare etiam oppoſitum, & repræſentare voluntati non eſſe faciendum, quia eſt contra legem Dei; ergo aliquando mouet ſub indifferentia, aliquando verò ſub determinatione rationis.

8 Obijc.1.*Fund.Doct.vbi ſup.* ait appetitum ſenſitiuum mouere voluntatem deliberatione,& impetu;& dat exemplum de duplici rota fixa in eodem ſtipite; ſed vna tota mouet aliam immediatè; ergo quanuis appetitus ſenſitiuus, prout mouens deliberatiuè voluntatem, agat mediante intellectu; attamen prout impetum facit in illam, mouet immediatè.

Reſp. illum *textum* intelligi, quòd appetitus ſenſitiuus aliquando agit remiſsè ita, vt ſinat intellectum proponere ſub iudicio indifferenti rationis,& tunc voluntas deliberat; aliquando verò agit cum tanto impetu, vt determinet rationẽ ad vnum, & non ſinat voluntatem deliberare. Iſtum autem impetũ poteſt appetitus ſenſitiuus facere in voluntatem modo, quo dictum eſt; quia appetitus,& voluntas figuntur in eadem anima; ſicut duæ rotæ in eodem ſtipite. Quòd hæc ſit eius ſententia colligitur *ex diſt. 26. q.2. art.3.§. Dicemus enim*; vbi explicat, quòd impetus facti in voluntate ſunt actus cauſati à Deo, & ab obiectis.

9 Obijc.2. Experientia docet, quòd ſtatim, ac paſſio inſurgit in appetitu ſenſitiuo, tangitur voluntas,& conſentit; imò ipſa voluntas dat vim tali paſſioni; ſed hæc repentina motio non videtur poſſe fieri mediante intellectu; ergo fit immediatè. 2. Experimur, quòd voluntas aliquando diu tangitur à paſſione, & impugnatur adhuc proponente intellectu contrarium eſſe faciendũ; ergo tunc nequit moueri mediante intellectu, qui illam potiùs mouet in contrarium.

Reſp.ad 1.neg.mi; potentiæ enim ſpirituales, cùm careant mole, non indigent tanto tempore, vt moueantur; talis tamen motus non fit in inſtanti; quia fit ſucceſſione plurium operationũ; quauuis videatur fieri in inſtanti, quia fit breuiſſimo tempore. Ad 2.neg.conſ; quanuis enim intellectus conſulat voluntatem contrarium eſſe faciendum; attamen quia paſſio ſenſitiua vrget intellectum,& mediante intellectu voluntatem, quod prouenit ex eo, quòd voluntas non repreſſerit efficaciter paſſionem; ideo volũtas trahitur, & inclinatur potiùs ad obediendum paſſioni, quàm rationi; intellectus tamen proponit vtrunque faciendum; quanuis conſulat potiùs faciendum eſſe id, quod eſt conforme rationi.

10 Obijc.3. Si appetitus ſenſitiuus non moueret voluntatẽ, niſi mediante intellectu, ſequeretur, quòd non poſſet dari malitia in voluntate, niſi præcedat error in intellectu; ſed conſ.eſt falſum; aliter non daretur peccatum ex malitia; ergo appetitus ſenſitiuus immediatè mouet volũtatem. 2. Sequeretur habitum continentiæ eſſe ponendum in intellectu ad rectificandum iudicium rationis, non in uoluntate, ut communiter ponitur.

Reſp.ad 1.neg.mi; ut diximus *q.9.de Angel. art.1.§.1.n.*10; nam peccatum ex malitia importat ſcientiam in uniuerſali, & ignorantiam, ſeu

cæcitatem in particulari. Ad 2.neg.aſſumpt;ideo enim continentia ponitur in uoluntate; quia quanuis intellectus proponat uoluntati aliquod obiectum ſub ratione boni, & mali; attamen uoluntas pro ſuo libito poteſt eligere illud, & poteſt præcipere intellectui, ut cogitet tantùm de bonitate delectabili; & ideo ad fręnandam uolũtatem ponitur in ipſa uirtus continentiæ.

11 Obijc.4.Si appetitus ſenſitiuus moueret voluntatem medianre intellectu, uoluntas ſemper moueretur à iudicio erroneo deriuato à paſſione in intellectu; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp.neg.ſeq; quanuis enim paſſio moueat intellectum ad proponendum uoluntati bonum delectabile; attamen quando penitus non cõturbatur, & abſorbetur ratio, tunc intellectus proponit uoluntati illud obiectum, quatenus delectabile,& quatenus prohibitum, & in hoc caſu voluntas non mouetur à iudicio erroneo intellectus. Cùm autem voluntas præcipit intellectui, vt cogitet ſolùm de delectabilitate, non autem de prohibitione; & ex alia parte vrget paſſio inflammata;tunc excæcatur intellectus, & in illum deriuat iudicium erroneum.

12 Quæres;an quando paſſio excæcat intellectum,perturbat,& euertit vſum rationis,volũtas peccet?

Reſp.affirmatiuè; nam vt docet *Fund.Doct. vbi ſ.ex Beatiſſ.P;* erat in libertate voluntatis reprimere, & fręnare paſſionem iuxta illud *Gen. 4. Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius;* quòd quia omittit facere,cenſetur liberè cõſentire paſſioni,& ideo peccare.

ART. V.

An voluntas moueat ſe ipſam?

1 EXplicandum eſt priùs, quid ſit volũtatem ſe mouere;ex hoc enim depẽdet reſolutio eorum, quæ dicenda ſunt.

2 Non loquimur autem *hic* de motu, quo voluntas mouetur paſſiuè; ſic enim mouetur ab obiecto,vt *ſup.* dictum eſt;ſed loquimur de motu, quo actiuè ſe mouet; certum eſt enim ſecundùm Fidem,vt habetur *in Conc.Trid.ſup.art.2;* voluntatem non ſe habere merè paſſiuè, ſed actiuè; & nos *ibid.* diximus voluntatem actiuè producere ſuos actus,vt ſunt actiones vitales.

3 Neque loquimur de motu actiuè ſumpto, prout dicit ſimplicem tendentiam actiuam in obiectum; in hoc enim conueniunt omnes potẽtiæ vitales,quæ actiuè tendunt per ſuos actus in ſua obiecta. Sed loquimur de motu proprio ipſius voluntatis, quo mouet ſe ipſam potiùs ad hoc, quàm ad oppoſitum huius; qui motus conuenit ſoli volnntati, cui ſoli conuenit formaliter libertas; vnde in hoc ſenſu ceteræ potentiæ non ſe mouent.Explicandum igitur eſt, in quo conſiſtat motus propriè competens ſoli voluntati, prout libera eſt; nam prout natura, ſe mouet, ſicut aliæ potentiæ. Igitur:

4 Voluntatem ſe mouere eſt determinare ſe cum poteſtate ad oppoſitum. *Ita Fund. Doct. in 2.diſt.25.q.1.art.3.dub.2.lat; & art.6.dub.1; & Quodl.3.q.16.* Determinare autem ſe ad aliquem actum cum poteſtate ad oppoſitum non importat aliquem actum, ſeu entitatem actualẽ diſtinctam ab actu,ſeu ab entitate actus,ad quem ſe determinat; ſed tantùm importat conſenſum ipſius voluntatis,ſeu non contradicentiam ipſius voluntatis ad illum actum cum diſſenſu, ſeu deſiſtentiam ab actu oppoſito;nam ſe determinare ad aliquem actum eſt poſitiuè tendere per illum actum in obiectum; tendere autem poſitiuè nequit eſſe ſimul cum non tendentia oppoſita;quia oppoſita ſimul eſſe nequeũt; vnde *D.Ambr.apud Fund.Doct.* deſcribens determinationem,ſeu cõſenſum voluntatis explicat illum per non cõtradicentiam ad illum, cum poteſtate tamen ad cõtradicendum aiens:*Conſentire eſt tacere, cùm poſſit redarguere.* Inſuper tendentia in obiectum nõ dicit,niſi ipſum actum, qui formaliter eſt ipſa tẽdentia; ergo voluntatem ſe mouere eſt determinare ſe cum poteſtate ad oppoſitum,idèſt conſẽtire vni ſine contradictione, quæ illi opponitur, & cum deſiſtentia ab oppoſito.

5 Conf. In hoc diſtinguitur actus neceſſarius ab actu libero, qui conuenit ſoli voluntati, prout diſtinguitur ab alijs potentijs neceſſarijs; quòd actus neceſſarius ita eſt ad vnum, vt non potuerit eſſe ad oppoſitum; actus verò liber ita eſt ad vnum, vt potuerit eſſe ad oppoſitum; & ideo potentia libera ſe mouens ad vnam partem determinatè conſequenter relinquit oppoſitum, quod nequit coniungere cum propoſito, quod ſequitur;ſed actus, quo voluntas ſe mouet motu illi proprio,prout diſtinguitur à motu aliarũ potentiarum,eſt liber;ergo actus,quo ſe mouet voluntas motu illi proprio, conſiſtit in determinatione ad vnam partem cum relictione, ſeu deſiſtentia ab oppoſito.

6 Aduert. tamen, quòd actus,quo ſe mouet voluntas,poteſt eſſe, vel poſitiuus, vel imputatiuus; & hoc dicitur propter omiſſionem voluntariam; vt diximus *q.1.de Voluntario.*

7 Inſuper deſiſtentia ab actu poteſt eſſe vel ab actu iam poſito ita,vt ſupponatur voluntatem in illo actu ſtetiſſe;vel ab actu,qui poterat poni; vtroque autem modo poteſt voluntas deſiſtere; & ad actu ſe mouere requiritur deſiſtentia vno, vel altero modo diſiunctiuè tamen, non coniunctiuè.

8 Dices. Si voluntas ſe mouens determinaret ſe ipſam,actuaret ſe;quia *actus, eſt qui determinat;* & ideo determinare eſt actuare; ſed volũtas non actuat ſe ipſam, quia actuatur ab obiecto; ergo ſe mouere non conſiſtit in ſe determinare.2.Ait *Fund.Doct.lat.dub. vbi ſ;* quòd volũtas deſiſtendo ab actu oppoſito dat vim obiecto,vt ipſam actuet; & ideo actuat ſe ſaltem indirectè.

Reſp.

Reſp.ad 2.neg.ma.Ad prob.inſert.diſt.Determinare producēdo entitatem actus eſt actuare,conc;producendo nouam referentiam entitatis habitæ ad aliquod obiectum determinatè eſt actuare ſe,neg. Ad 2.dicitur voluntatem deſiſtēdo ab oppoſito dare vim obiecto, quatenus ei non reſiſtit, ſed ſinit,vt agat tota ſua virtute in ipſam;nam qui non reſiſtit contrario, ſed ſinit ſe trahi,dicitur dare manus cōtrario, vt trahat maiori vi;ita ſe habet voluntas;vt *ex contextu Fūd. Doctoris* colligitur, non autem dat vim obiecto poſitiuè influendo in illud vim tractiuam ipſius voluntatis. *His ſupp.*

9 Quæritur in præſenti, an voluntas liberè ſe moueat nedum in media,quæ ſunt ad finem, ſed etiam in ipſum finem?

10 Non loquimur autem de ultimo fine, qui eſt ſummum bonum excludens omnem rationem mali; nam de hoc ſatis diximus *de Beat. q.2.art.7*; nec de fine particulari includente rationem mali admixtam bonitati; cùm enim finis particularis ſit finis intermedius; & finis intermedius habeat ueram rationem medij; ideo ſi uoluntas liberè ſe mouet in media, liberè etiam ſe mouet finem intermedium. Quòd autem finis particularis ſit finis intermedius, colligitur ex eo,quòd ordinatur in finem in uniuerſum; nam quis appetit ſanitatem,quia appetit eſſe ſelicem; ſe licitas autem eſt bonum,*vt ſic*,ſeu in vniuersū. Igitur ſermo eſt de fine in vniuerſum, quod eſt felicitas,*vt ſic*,præſcindens ab omni ratione mali. Quanuis autē plura dicta ſint *tract. de ult. fine art.2.§.2*;attamē maioris claritatis gratia ad formā redigenda ſunt;& vt diſtinctiùs procedamus.

11 Dupliciter poteſt voluntas ſe mouere ad finem. 1.Quantùm ad ſpecificationem ita, vt propoſito bono,*vt ſic*, ab intellectu poſſit in illū non tendere per modum proſecutionis, ſed ab illo ſe auertere per modum fugæ proſequendo malum,quod opponitur bono. 2. Quantùm ad exercitium ita, vt nunquam poſſit deſiſtere ab actu amoris boni,*vt ſic*, ſicut beati nūquam poſſunt deſiſtere ab actu amoris ſummi boni ſemel habiti. *Hìc* loquimur ſolùm in primo ſenlu.

12 Prima ſententia vult voluntatem nedum liberè ſe mouere in media,ſed etiam in finem,qui habet rationem boni,*vt ſic*.Ita *Scot*;quem ſequūtur *omnes Scotiſtæ* aſſerentes voluntatem poſſe tendere in malum,vt malum.

13 Noſtra ſententia docet voluntatem liberè ſe ſolùm mouere in media; in finem autem neceſſariò tendere quantùm ad ſpecificationem, non quantùm ad exercitium. *Ita Fund. Doct. in 2.diſt.25.q.1.art.6.dub.1.lat;* & *in 1.diſt.7.p.1.q.3;& diſt.10.princ.1.q.1; & Quodl.2.q.4; & Quodl.3.q.6;& ſæpe alibi, Argent.in 1.diſt.1.q.1; & omnes noſtri*.Ita *etiam D.Tho.1.2.q.1.ar.1;& 1.p.q.8.art.1,& communiter Thomiſtæ, Dur.in 2.diſt.27.q.1;& diſt.49.q.3;& ferè omnes alij communiter*.

14 Vnica concl. Voluntas non ſe mouet liberè in finem, ſed tantùm in ea, quæ ſunt ad finem.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.epiſt.2.*docente:*Si verè beati eſſe volumus,quod nolle non poſſumus.& innumeris ferè in locis* docet amorem felicitatis, *vt ſic*,eſſe in nobis à natura modo naturali,& determinato,*vt lib.13. de Trin.c.3. in fine; & de Nat. & Grat.c.46;& 49;& lib.10.Confeſſ.c.22; 23; & 24;& lib.4.de Ciuit. Dei c.23*; vbi ait: *Nullus inuenitur,qui nolit eſſe felicem*. Arguitur autem ſic *cum Fund.Doct.*Voluntas tendit in finem, vt natura;& in media, vt libertas; ergo neceſſitatur à fine quoad ſpecificationem, & ſolùm in media ſe mouet liberè. Prob.ant.Omnis natura,vt natura, eſt determinata ad aliquem finem; quia natura, vt natura,eſt ad vnum determinata,hinc naturale idem eſt,ac neceſſarium;ſed voluntas eſt quædam natura;quia eſt quædam res phyſicè bona; & omnis res phyſicè bona à Deo producta natura eſt; quapropter dicitur Deus Auctor naturæ; quia omnis res à Deo producta eſt quædam natura,cùm à Deo nata ſit; ergo natura,vt natura, eſt determinata ad aliquem finem;& ideo tendit in finem,vt natura,non vt libertas; quia libertas habet indifferentiam ad tendendum in hoc,& in oppoſitum huius; natura autem eſt ad vnum determinata.In media autē tendit,vt libertas; quia ita eligit vnum,vt aliud relinquat,& è contra.

15 Conſ. *ex eod. Fund. Doct. diſt.27. art.6. dub.1.lat.vbiſ.* Finis vltimus in vniuerſum proponitur voluntati,vt vnus,idèſt ſub vna, & præciſa ratione boni; media verò proponuntur voluntati,vt plura, quarum aliqua videntur bona, quatenus conducunt ad cōſecutionem finis; alia verò vidētur mala,quatenus auertunt à fine; ſed in illud, quod eſt determinatum ad vnum, volūtas tendit,vt natura,ſic enim natura definitur; & in illud,quod eſt indifferens ad plura, voluntas tendit,vt libertas; quia libertas à neceſſitate de qua *hic* loquimur, eſt ad hoc, & ad oppoſitum huius, & ideo ad plura, ſeu ad plures actiones oppoſitas;ergo voluntas tendit in finem, vt natura,& in media,vt libertas,& ideo liberè ſe mouet tantùm in media,non in finem.

16 Vrgetur magis. Vna,& eadem ſimpliciſſima ratio obiectiua nequit ſpecificare actus oppoſitos, vt v.g. ratio diſgregatiua viſus nequit ſpecificare nigredinem,& albedinem, quæ contrariè opponuntur; ſed libertas eſſentialiter eſt circa obiectum, quod poteſt ſpecificare duos actus contrariè oppoſitos;quia poteſt ſpecificare actum volitionis,& actum nolitionis;ergo libertas nequit eſſe circa obiectum habens vnam, & eandem ſimpliciſſimam rationem obiectiuam; atqui bonum, *vt ſic*, habet vnam, & eandem rationem formalem ſimpliciſſimam obiectiuam; quia habet præcisè rationem boni ſine vlla ratione mali; ergo non poteſt ſpecificare libertatem, quæ eſſentialiter inuoluit duos actus ſpe-

ſpecificè oppoſitos. Ma. patet; aliter eſſentiæ rerū conſiſterēt in oppoſitione; & ideo eſſent amphibiæ, & nulla de eis poſſet haberi determinata ueritas, certitudo, & ſcientia. Mi. etiam cōſtat; quia libertas eſſentialiter eſt ad hoc, & oppoſitum huius, & ideo eſt ad actus oppoſitos. Media autē, quia ſunt plura, plures etiam habent rationes; & ideo poſſunt plures actus ſpecificare, ac eſſe obiectum libertatis.

17 Prob. 2. *ex eod. diſt. 25. q. 1. art. 3. dub. 1. lat. Ex Phil. 3. Eth.* habetur: *Quilibet de neceſſitate vult eſſe beatus; quia nullus vult eſſe miſer*; ſed beatitudo, de qua loquitur *Phil*; eſt beatitudo naturalis in vniuerſum; quia non agnouit beatitudinem ſupernaturalem; ergo quilibet neceſſariò tendit in beatitudinem in vniuerſum; atqui hæc eſt finis vltimus; ergo voluntas non ſe mouet liberè in finem vltimum.

18 Prob. 3. *Ita ſe habet finis in practicis, ſicut principium in ſpeculatiuis*; vt habet *Phil. 2. de An. t. c. 49. & 2. Met. t. 3. & 6. Eth. c. 3*; ſed intellectus neceſſariò aſſentitur principijs; quia principia *ſunt illa, quæ à nullo negari poſſunt*; ergo voluntas neceſſariò tendit in finem ita, vt non poſſit non tendere; & ideo non ſe mouet liberè in finem.

19 Dices *ex Scot. in 1. diſt. 1. q. 4. §. Pro opinione* paritatem non valere; aliter ſicuti intellectus neceſſariò aſſentitur cōcluſionibus propter principia, ita voluntas neceſſariò eligeret media propter finem, & ſic voluntas nec etiam in media liberè ſe moueret.

Reſp. *Fund. Doct. ibid.* concluſiones determinatè, & neceſſariò contineri in principijs; quia intellectus intelligit res, vt ſunt in ſe ipſo; & quia in ipſo nō ſunt, niſi prout vniuerſales, & vniuerſalia ſunt neceſſaria; ſicut particularia ſunt contingentia; ideo intellectus cogitur ad aſſentiendum concluſionibus; quia ſunt neceſſariæ, & determinatæ in ſuis principijs; at verò voluntas, cū appetat res, prout ſunt in ſe ipſis; quia *intellectus trahit res ad ſe, & voluntas trahitur à rebus*; intellectus autem in ſe ipſo eſt potentia vniuerſalis; & res in ſe ipſis ſunt particulares, & contingentes; contingentia autem non oritur neceſſariò ex principio neceſſario; ideo voluntas liberè tendit in media, & neceſſariò in finem. Igitur intellectus neceſſitatur ad aſſentiendum concluſionibus; quia concluſiones determinantur ad vnicam veritatem à principijs; inducunt enim neceſſitatem, prout ſunt in intellectu, quia inducunt vniuerſalitatem, ratione cuius inferuntur; at verò voluntas non neceſſitatur ad media; quia media non determinantur à fine; nam potio conducens ad ſanitatem habet rationem vtilis, & proſequibilis; & habet etiam coniunctam rationem amaritudinis, à qua voluntas poteſt ſe auertere; non enim trahuntur ad voluntatem, à qua ſolùm poſſent ſumere vniuerſalitatem, ſed eliguntur in ſe ipſis; in ſe ipſis autem habent conditiones indiuiduantes, quæ ſunt contingentes, & ideo ad oppoſitum.

20 Prob. 4. Circa finem eſt quies; quia *habito fine ceſſat motus*; & circa media eſt motus; quia per illa mouemur ad finem; ergo uoluntas nequit ſe mouere ad finem; nam illud, ad quod uoluntas poteſt ſe liberè mouere, debet eſſe mobile; & ideo debet eſſe ſubiectum receptiuum motus; finis autem nequit eſſe mobilis; quia in ipſo non eſſet quies; ergo debet eſſe immobilis; ſed omne immobile eſt neceſſarium; ſicut omne mobile eſt contingens; ergo finis nequit eſſe obiectum actus liberi, ſeu contingentis.

21 Tandem. Potentia ſpecificatur ab actu, & actus ab obiecto; ergo potentia nequit liberè ſe mouere per actum liberum ad obiectum omnino neceſſarium; nam ſicut obiectum contingēs nequit ſpecificare actum neceſſarium; ita obiectū neceſſarium nequit ſpecificare actum liberum; ſed ultimus finis in uniuerſum eſt obiectum neceſſarium; quia proponitur uoluntati ſub determinata ratione bonitatis; nam proponitur abſq; ulla malitia; neque proponitur, ut indifferens ad bonitatem, & malitiam; ergo nequit ſpecificare libertatem indifferentiæ, de qua loquimur; quæ propterea nequit ad illum ſe mouere. *Vid. de Voluntar. art. 2.*

22 Obijc. 1. Poteſt uoluntas uelle ſanitatē, ut poſſit fortiùs inſeruire Deo; & nolle ſanitatē; quatenus eſt inductiua hominis in peccarum; ſed ſanitas eſt finis; ergo poteſt liberè mouere ſe in finem.

Reſp. diſt. mi. Sanitas eſt finis intermedius habens rationem boni, & mali, conc; finis ultimus, neg.

23 Obijc. 2. *Scot.* Voluntas non habet libertatem ab intellectu; ipſa enim eſt formaliter libera, & ab ipſa libertatem participant omnes aliæ potentiæ; ergo quanuis intellectus proponat uoluntati felicitatem, *vt ſic*, tantùm ſub ratione boni; attamen uoluntas liberè tendit in illam. 2. Actus intellectus eſt in poteſtate volūtatis; quia ſubditur illius imperio; ergo multò magis actus voluntatis eſt in poteſtate ipſius voluntatis; ſed ex eo, quòd actus intellectus ſit in poteſtate voluntatis, voluntas liberè ad illum ſe mouet; nam libertas conſiſtit in eſſe in poteſtate voluntatis; ergo ex eo, quòd actus voluntatis erga felicitatem in communi ſit in poteſtate voluntatis, voluntas liberè ſe mouet ad illum.

Reſp. ad 1. neg. conſ; quanuis enim voluntas non habeat libertatem ab intellectu; quia tamen eſt potentia eſſentialiter ſequens intellectū; nam *nihil volitum, quin præcognitum*; ideo nequit ferri in vtranque partem, niſi vtraque pars ſibi præſentetur ab intellectu; ergo ſi proponatur tantùm vna pars, in vnam tantùm determinatè poteſt ferri; ſecus tenderet in aliam non cogitam; & ſic tenderet in incognitum. Ita ad 2. dicitur, quòd eſt in poteſtate voluntatis ponere,

vel

vel non ponere actum circa aliquod obiectum, ſi tamen præſupponatur cognitio obiecti ſecundũ vtranque rationem,ob quam poni, vel non poni poteſt,hoc nanque importat eſſentialiter voluntas,quæ eſt appetitus eſſentialiter ſequens formam apprehenſam.

24 Obijc.*3.idem*.Agens neceſſarium neceſſariò remouet prohibens,ſi poteſt;ſicut enim neceſſariò ponit effectum;ita remouet illud, quod repugnat effectui;ſed voluntas non remouet neceſſariò non conſiderationem vltimi finis, quæ ſola poteſt impedire amorem illius; nõ enim neceſſitat intellectum ad ſemper conſiderandum vlrimum finem; ergo non amat neceſſariò vltimum finem. 2. Quod mouetur neceſſariò ad aliquod, ab illo nequit diuelli,niſi violentè, vt patet de lapide,qui ſolùm violentè auellitur à loco deorſum;ſed voluntas liberè ſe auellit ab vltimo fine in vniuerſum; ergo non mouetur in illum neceſſariò,ſed liberè.

Reſp.ad 1. diſt.ma. Agens neceſſarium neceſſitate ſpecificationis, & exercitij,conc; tunc enim debet remouere omne impediens actuale exercitium actus. Agens neceſſariò neceſſitate tantùm ſpecificationis, non exercitij, neg; nam tunc debet ſolùm efficere,vt potentia non poſſit tendere in oppoſitum; non autem quòd nõ poſſit ipſum actum non conſeruare; ſic enim ageret neceſſariò neceſſitate exercitij. Eodem modo ad 2.

25 Obijc.4.Voluntas,& natura habent modos agendi oppoſitos, quorum vuus non reducitur in alium, nec ambo in tertium; quia natura operatur ad vnum determinata ab alio; voluntas verò determinat ſe; ergo ſicut natura nequit operari ſe determinando; ita voluntas nequit agere,vt determinata ad vnum.2.Eadem eſt potẽtia;quæ fertur in finem,& media; ſed in media fertur liberè;ergo & in finem.

Reſp.neg.ſupp. ma; nam eadem voluntas habet rationem potentię;& quia eſt quędam res, habet etiam rationem naturæ,vr dictum eſt;vnde voluntas, & natura in eodem ſubiecto non diuidunt res,ſed rationes diuerſas eiuſdem rei. Ad 2.diſt.ma.Eadem eſt potentia,quæ fertur in finẽ, & media ſecundùm diuerſam rationem,conc; ſic idem intellectus fertur in principia naturaliter ſine diſcurſu,& in concluſiones cum diſcurſu;ſecundùm eandem rationem,neg;& ideo voluntas fertur in finem neceſſariò, & liberè in media.

ART. VI.

An voluntas ſe moueat ad primum velle?

1 DVplex eſt primum velle ipſius hominis;aliud eſt primum ſimpliciter ita; vt ante illud nullum aliud penitus homo habuerit;ſic eſt velle,quòd elicit homo primò perueniens ad vſum rationis.Aliud eſt primum tantùm ſecundùm quid,ſcilicet in aliquo particulari negotio,quod poteſt ſuſcipere homo poſt vſũ rationis; quod licèt ſupponat primum velle habitum in principio vſus rationis, imò ſupponat multas volitiones habitas circa alia negoria; attamen eſt primum velle in illo negotio; vt cùm homo incipit cogitare de bello, primum velle, quo ſe determinat ad volendum bellum, dicitur primum in negotio belli.

2 Prima ſententia opinatur voluntatem moueri à Deo nedum quoad velle,quod eſt primum ſimpliciter in tota vita,ſed etiam quod eſt primum in quolibet particulari negotio. *Ita plures ex Thomiſtis*, vt teſtatur *noſter Gibb*; qui illos ſequitur *hic diſp. 13. dub.2*; *Lorca hìc diſp. 14*; *Auerſ. qu. 9. ſect. 1; & 4; apud quem Med; & alij*.

3 Secunda ſententia vult voluntatem moueri à Deo ſolùm quoad velle ſimpliciter primum in tota vita; quoad primum autem in aliquo particulari negotio, ſi ſit bonum moueri à Deo,ſi autem ſit malum,non moueri à Deo, ſed à ſe ipſa. *Ita Gonet hìc diſp.5.art.2*;qui nullum pro ſua ſententia refert Auctorem.Idem videtur docere *Vaſq.hìc q.9.art.6.diſp.39.c.2*;qui tamen *c.3.n.11*.explicat, quòd voluntas in primo velle cuiuslibet negotij non dicitur mouere ſe, quia non vult per aliquam volitionem præuiam, ſicut cùm eligit media dicitur illa velle per volitionẽ finis.Tribuitur etiam *Funct.Doct.in 2.diſt.3.p.2. q.1.art.2*;ſed falsò,vt *inf.*

4 Tertia tandem ſententia docet,quòd licèt voluntas creata non ſe mouerit ad primum actũ volitionis productum à Deo ſimul cum ipſa in primo inſtanti creationis; attamen poteſt ſe mouere ad omnes alios actus, ſiue cùm primo peruenit ad vſum rationis; ſiue cùm incipit aliquod negotium particulare. *Ita Fund.Doct.vbiſ.* docens; quòd prima intellectio, & prima volitio, quam habuerũt Angeli,& *Adam*,fuerunt eis naturales,quia Deus illas in eis creauit; adeoque cum illis naræ ſunt non minùs, ac eorum natura; attamen quia intellectus eorum poterat ſe poſtea conuertere ſuper alias ſpecies rerum,& eorum voluntas illas res velle, vel nolle; ideo aliæ volitiones ſubſequenres ad primam fuerunt liberæ;inquit ergo *ibid.§.Ad primum ergo: Quia ergo hoc non habuit à ſe,nec ad hoc ſe ipſum mouit, non potuit in hoc in eſſe peccatum*; & *§.Tota ergo: Illam tamen intellectionem primam non ex intentione voluntatis, ſed ex vnione ſubſtantiæ Angeli ad intellectum intelligimus factam eſſe; & ex hoc conſecuta eſt complacentia ſecundùm talem intellectionem; qua complacentia ſubſecuta potuit Angelus ſe mouere ad aliud, ſicut voluit, & art.3.ſeq. In prima ergo intellectione Angelus non peccauit; & poſtea quia ex hoc ſuper aliquid aliud ſpecialiter ſe conuertit illud inordinatè appetendo,ideo tũc peccauit.*Ex quibus manifeſtè conſtat, *Fund. Doctorem* expreſsè docere voluntatem creatam ſuppoſito vſu rationis indifferenris ſolùm ad illam volitionem non ſe mouere liberè,quæ ſimul

creata eſt cum ipſa;& ideo ad omnes alias ſubſequentes etiam diſparatas pertinentes ad diuerſum negotium (patet enim intellectum Angelorum,& *Adæ* potuiſſe ſe conuertere ad ſpecies diſparatas pertinentes ad diuerſa negotia) liberè ſe mouiſſe. Ex hoc patet perperam ei tribui ſecundam ſententiam.Hanc ſententiam ſequuntur *omnes DD.allati* (paucis exceptis) *qu.9. de Ang. ar.2.n.6*,& quoad 2.partem,de qua hic eſt quæſtio,*Scot.cum ſuis ibid.cit.n.4*.

5 Ad tollendam confuſionem not. nos *hic* non loqui de motu,quo paſſiuè mouetur voluntas ab agente in illa producente actum,vt qualitas eſt; patet enim in hoc ſenſu voluntatem ad nullum actum ſe mouere liberè; quia nullum actum,vt qualitas eſt, poteſt producere in ſe ipſa,ſed tantùm paſſiuè ad illum ſe habet, libertas autem ſolùm importatur per actiuè agere. Loquimur ergo de motu, quo voluntas iam actuata efficienter ab obiecto, vel agente extrinſeco liberè ſe mouet producēdo eundē actum,vt actio vitalis eſt,qua tendit in obiectum.In prima ergo rerum conditione voluntas creata non ſe mouit ad primam volitionem, neque vt qualitas erat, neque vt actio vitalis; quia voluntas condita fuit à Deo recta,& bona;vt habetur *Gen.1.Vidit cuncta,quæ fecerat,& erant valde bona*.Cùm autem rectitudo voluntatis conſiſtat in actione, qua vitaliter tendit in obiectum bonum; ideo voluntas fuit creata nedum cum actu, vt qualitas,ſed etiam cum actu,vt actio uitalis erat. At uerò *ex Scripturis* non habetur uoluntatem hominis,cùm primò peruenit ad uſum rationis,uel cùm primò applicat ad diuerſum negotium, à Deo rectam formari,& bonam;quia in primo inſtanti uſus rationis, & cùm applicat ad diuerſum negotium,poteſt ſequi obiectum malum, & peccare;ideo non eſt eadem ratio,nec eodem modo philoſophandum eſt de uoluntate in utroque ſtatu accepta.

6 Præterea not,quòd cùm in omni actione, qua uolumus aliquod bonum particulare, includatur uolitio boni in uniuerſū, quia ratio boni, *vt ſic*,eſt ratio formalis uolendi tale bonum,ſicut ratio ueri,*vt ſic*,eſt ratio intelligendi tale uerum particulare, quapropter in omni uolitione ſemper intendimus ultimum finem, ut diximus *de ult.fin. art.2. §.2*; cùmque uoluntas ad ultimum finem non ſe moueat liberè,ſed neceſſariò,ut dictum eſt *in ſup.art*; ratio autem volendi bonum, *vt ſic*,eſt prior ratione uolendi tale bonum, cùm ſit ratio, propter quam uolumus tale bonum; ideo ſi conſideretur uolitio, prout fertur in bonum,*vt ſic*,non eſt liberè à uoluntate,quia illam non præcedit alia uolitio,nec etiam uirtualis, & in hoc ſenſu *Fūd.Doct*;& *D.Tho. hic art.6.ad 3. cum D.Anſ.* aſſerunt primam uolitionem non eſſe liberam.At uerò ſi conſideretur,quatenus terminatur ad tale bonum, quia ſupponit uirtualiter ſe ipſam,ut eſt uolitio boni,*vt ſic*, ideo eſt liberè à uoluntate. Hoc maximè notandum eſt.

7 Vnica concl. Voluntas ad omnem volitionem,quæ ſimul cum ipſa concreata non eſt,& ſupponit vſum rationis indifferentis; & prout actio vitalis eſt,liberè ſe mouet, ſiue ſit prima volitio vſus rationis, ſiue ſit prima alicuius negotij.Diximus, quæ *ſupponit vſum rationis indifferentis* propter motus primò primos,quę ex defectu indifferentiæ rationis non ſunt liberè à voluntate.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.in ſuppl.cont.Iul. lib.1. c.105*.docentes:*Cùm igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata,quæ committuntur non neceſſitate,ſed voluntate, quæ tantummodò peccata ſunt*,quod ſæpe repetit, & eſt doctrina eius communiſſima.Ex quo ſic. Ad illam volitionem liberè ſe mouet voluntas,quæ poteſt eſſe peccatum, quia peccatum non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium liberum,libertas enim eſſētialiter requiritur ad peccatum; ſed prima volitio vſus rationis,& qua incipitur aliquid negotium,poteſt eſſe peccatum; quia puer perueniens ad vſum rationis poteſt peccare;& quis poteſt incipere nouiter cogitare de idololatrando; ergo voluntas liberè ſe mouet ad primam volitionem vſus rationis,& negotij nouiter voliti.

8 Conf.1.Datur præceptum obligans puerum ad ſe cōuertendum in Deum ſaltem,vt Auctorem naturalem, in primo inſtanti vſus rationis,vt docēt Thomiſtæ,prout videri poteſt *apud Gonet de Reprob.diſp.5. art.6.§.3*; ſed ſolus actus liber, ad quem liberè ſe mouet voluntas, cadit ſub præcepto;illa enim ſolùm præcipiuntur,quæ poſſunt fieri,& non fieri; fruſtra nanque daretur præceptum de eo,quod non poteſt non eſſe; ergo ad primam volitionem uſus rationis uoluntas liberè ſe mouet etiam *ex doctrina Thomiſtarū*; & ideo multò magis ad primā volitionem alterius negotij nouiter uoliti.

9 Conf.2.Si ad primam uolitionem uſus rationis voluntas liberè non ſe moueret, maximè, quia primus actus naturæ producitur ab Auctore naturæ in ipſa natura; ſed hoc ſolùm verificatur de inclinatione vniuerſali in bonum, *vt ſic*; Deus enim, vt Auctor uniuerſalis, dedit rebus inclinationem uniuerſalem in bonum; ut docet *D.Tho.vbiſ*;ergo ad primam uolitionem uſus rationis,quatenus tendit circa bonum particulare, liberè ſe mouet voluntas.

10 Prob.2.Applicatio ad primam cognitionem vſus rationis, vel noui negotij poteſt eſſe peccatum;quia in primo vſu rationis poteſt præſentari voluntati obiectum peccaminoſum; & nouum negotium, cui incumbit voluntas,poteſt eſſe malum moraliter; ſed applicatio ad peccatū nequit eſſe à Deo;quanuis enim entitas ſubſtrata peccato phyſicè producatur à Deo,vt ab Auctore naturæ vniuerſaliſſimè agente; attamen determinatio voluntatis ad obiectum malum, qua voluntas per illam entitatem phyſicè acceptam de-

determinatè ſe applicat malitiæ morali, nequit eſſe à Deo; aliter Deus eſſet Auctor peccati; ergo eſt à voluntate creata liberè ad illam ſe mouente; nam ſi aliqua eſſet ratio, ob quam voluntas liberè non ſe moueret ad illam applicationem, maximè, quia deficeret vſus rationis, ſeu indifferentia iudicij, vt contingit in motibus primò primis; ſed hoc eſt falsũ; quia in prima volitione primi vſus rationis iã ſupponitur perfectus vſus rationis, ſeu indifferẽtia iudicij; & negotiũ nouiter propoſitum ab intellectu poteſt eſſe quoque ſub indifferentia iudicij; intellectus enim ſupponitur expeditus ad cognoſcendam rationem boni, & mali exiſtentem in nouo negotio; non enim hãc cognitionem habet à voluntate præcedente, ſed ex ſe ipſo, & ex ſua natura; ergo volũtas in vtroque caſu poteſt liberè ſe mouere ad primam cognitionem. Ex quo ſic vrgetur. Ad hoc, ut voluntas liberè ſe moueat ad aliquod obiectũ, ſufficit, quòd illud præſentetur ab intellectu ſub indifferentia rationis; & aliunde nulla ſit coactio in ipſa voluntate; nam uoluntas de ſe eſt potentia libera potens liberè ſe mouere in obiectum habens admixtam rationem boni, & mali; ſolùm enim neceſſitatur ab obiecto purè, & ſũmè bono ad proſecutionem, ſicut ab obiecto purè, & ſummè malo neceſſitatur ad fugam; ſed in primo uſu rationis, & in nouo negotio poteſt intellectus repræſentare obiectum habens admixtam rationem boni, & mali ſub indifferentia rationis; ſupponitur enim perfectus uſus rationis; ergo uoluntas poteſt liberè ad illud ſe mouere.

11 Tandem. Ideo uoluntas creata in primo inſtanti ſuæ creationis non potuit peccare; quia in primo inſtanti à Deo fuit creata recta rectitudine morali; fuit enim creata *cum caſto amore, & bona voluntate*; ut docet *Beatiſ.P.Aug.lib.12.de Ciuit. Dei c.9; & de Corr.& Grat.c.11*; ſed in primo uſu rationis, & in nouo negotio non creatur à Deo voluntas cum bona voluntate, idẽſt volitione; ſupponitur enim iam creata, neque adeſt ullum fundamentum *in Scriptura*, aut ratione aſſerendi Deum infundere actum bonum moraliter; ergo voluntas poteſt liberè ſe mouere ad primam volitionem in primo vſu rationis, & in nouo negotio.

12 Obijc.1.*Gonet.* Vt voluntas ſe liberè moueat quoad exercitium in prima volitione finis, quam habet homo in initio vitæ, deberet eſſe in actu reſpectu illius; ſed voluntas nequit eſſe in actu reſpectu talis volitionis; ergo nequit ad illã ſe mouere; & ideo ſpecialiter à Deo mouetur. Ma.patet; nam vnunquodque in tantùm mouet, in quãtùm actu eſt. Prob.mi. Prima volitio nullã aliam ſupponit, per quam voluntas conſtituatur in actu; ergo voluntas nequit intelligi in actu reſpectu primæ volitionis. 2. Ideo ad electionem mediorum voluntas liberè ſe mouet; quia ſupponitur in actu per intentionem finis; ſed ante primam volitionem voluntatis nequit eſſe in actu; quia eſſet in actu per aliam volitionem, cùm voluntas conſtituatur in actu per volitionem, & ſic illa volitio non eſſet prima; ergo voluntas nequit ſe mouere ad primam volitionem. 3. Ita ſe habet finis reſpectu voluntatis; ſicut principium reſpectu intellectus; ſed intellectus mouetur naturaliter ad aſſenſum principiorum; ergo & voluntas ad primam intentionem finis.

Reſp.neg.mi. Ad prob.neg.conſ; licèt enim prima volitio non præſupponat aliam volitionẽ antecedentem; attamen ſupponit ſe ipſam, vt qualitas eſt, ſic enim actuatur voluntas, *vt ſup.* dictum eſt. Ad 2.diſt.mi.eod.modo. Nequit eſſe in actu per aliam volitionem, conc; per ſe ipſam, vt qualitas eſt, neg. Ad 3.diſt.ma. Ita ſe habet finis in vniuerſum, ſicut principiũ, quod eſſentialiter eſt propoſitio vniuerſalis, conc; finis particularis, qui eſt veluti concluſio reducta in principium vniuerſale, neg. Vel dicitur ad hæc omnia primã volitionem finis particularis ſupponere uirtualiter uolitionem finis in uniuerſum.

13 Obijc.2.*Idem.* Aliquando uoluntas creata mouetur à Deo ad aliquod opus ſupernaturale, quod priùs non intendebat; ſicut aliquando Deus, vt Auctor naturæ, mouet homines ad inueniendos theſauros, de quibus antea non cogitabãt; ergo in prima uolitione noui negotij uoluntas non ſe mouet.

Reſp.diſt.ant. Si ſit defectus uſus rationis, & indifferentię iudicij, conc; ſecus, neg; aliter ſequeretur voluntatem creatam liberè non ſe mouere ad actus ſupernaturales; & ideo non mereri.

14 Obijc.3. *idem.* Plus requiritur ad hoc, ut voluntas ſe moueat motione rigoroſa, de qua agitur in præſenti, quàm ut liberè operetur; ergo ruit ratio allata. Prob.ant. Ad hoc, ut ſe moueat, requiritur, ut intellectus priùs applicetur ab ipſa voluntate ad conſiliandum, & iudicãdum; ad hoc autem, ut liberè operetur, ſufficit iudicium indifferens rationis; ergo plus requiritur, ut uoluntas ſe moueat, quàm ut liberè operetur. Tum quia in hoc diſtinguitur operatio libera à neceſſaria, quòd uolũtas in operatione libera ſe mouet per modum principij elicitiui ſub cognitione finis; non autem in operatione neceſſaria, quæ non elicitur ſub cognitione finis; ergo ex eo, quòd voluntas liberè operetur, non deducitur, quòd ſe moueat motione rigoroſa, quæ conſiſtit in eo, quòd applicet intellectum ad cogitandum de tali obiecto. 2. Puer perueniens ad uſum rationis non poteſt peccare in illo inſtanti initiatiuo, ſed ſolùm in tempore ſequenti; nam illud inſtans importat morulam temporis; quia puer non attingit vſum rationis, niſi procedendo de una cognitione ad aliam; omnis autem morula terminatur duobus inſtantibus; in quorum primo applicatur voluntas à Deo ad rectum dictamen, & in ſecundo uoluntas facta in actu per talem applicationẽ Dei applicat intellectum ad inhoneſtatem obiecti, & ſic peccat; ergo allata ratio non probat.

Reſp.

& diſt.25.q.1.art.4.§.Oſtenſo quomodò. Vid.Beatiſſ. P. lib.8.Confeſſ.c.9.

Prob.1.pars concl. Voluntas, vtpotè domina in regno animæ, poteſt applicare intellectum ad cogitandum de aliquo obiecto, de quo priùs non cogitabat; ſicut Rex poteſt applicare Conſiliarium ad cogitandum de aliquo negotio Regni, de quo non cogitabat; ergo voluntas poteſt mouere intellectum, qui eſt potentia ſimpliciter rationalis. Præterea voluntas, vtpotè domina ſuorum actuum, poteſt ſeipſam mouere per imperium ad illos, vt v.g. poteſt modò decernere in ſequenti hora elicere amorem Dei; ergo poteſt ſeipſam mouere, quæ eſt potentia ſequens rationem ſimpliciter.

3 Excipiuntur tamen actus intellectus, qui præueniunt voluntatem; iſti enim non ſubduntur illius imperio; quia illud antecedunt. Excipiuntur pariter actus primò primi, ſiue motus indeliberati ipſius voluntatis ob eandem rationē; nam iſti motus fiunt in voluntate præter eius intentionem, & ideo non ſunt liberi.

4 Prob.2.pars concl. 1. experientia; conſtat enim aliquando hominem voluntariè excitare in ſe ipſo concupiſcentiam, & iraſcibilem, & eaſdem aliquando compeſcere; ſic mouere oculos, vt videant, & illos claudere, ne videant; item mouere pedes ad ambulandum, vel manus ad ſcribendum, & vniuerſaliter potentiam locomotiuā ad tranſeundum de vno loco ad alium, vel ad nō tranſeundum; & ſic aliæ potentiæ animæ ſenſitiuæ ſunt rationales ſecundùm quid, quia participant aliquo modo cognitionem; ergo voluntas mouet potentias rationales ſecundùm quid. 2. Voluntas eſt potentia vniuerſalis tendens in bonum, *vt ſic*, & potentiæ ſenſitiuæ ſunt potentię ſpeciales tendentes in bonum particulare ſenſibile; ſed potentia vniuerſalis mouet particularē; quia per ipſam tendit in bonum particulare; ergo voluntas mouet potentias ſenſitiuas, quæ ſūt ſecundùm quid rationales.

5 Hæc tamen motio non eſt perfecta, ſed imperfecta; quia non eſt cum perfecto dominio; nam potentiæ ſenſitiuæ rebelles à voluntate per peccatum repugnant eius imperio, eique perfecta obedientia non ſubduntur.

6 Excipiendi ſunt pariter motus primò primi facti in appetitu ſenſitiuo; iſti enim antecedūt imperium voluntatis; & ideo voluntas non mouet potentias ſenſitiuas ad illos; quapropter docet *Beatiſſ. P*; & ex illo *omnes DD.* motus primò primos, qui anteuertunt vſum rationis non eſſe peccata, ſed tantùm effectus peccati originalis.

7 Prob.3.pars concl. Voluntas ſolùm poteſt impedire, vel efficere nutritionem, augumentationem, & generationem mediante potentia locomotiua, quatenus poteſt non applicare ſibi cibum &c; at verò præſente cibo non poteſt nutritionem impedire, & ſic dicendum de augumentatione, & generatione, ergo voluntas tantùm indirectè poteſt mouere potentias vegetatiuas, quę ſunt ſimpliciter irrationales.

8 Obijc. cont. 3. part. concl. Vel potentiæ animæ vegetatiuæ non ſubduntur directè motioni voluntatis; quia ſunt ignobiliores; vel quia ſūt omnino immateriales; neutrum dici poteſt; nam mēbra corporis ſunt ignobiliora, quia ſunt materialiora, & tamen ſubduntur motioni voluntatis; nam mouemus manū, vel pedem, cùm volumus; ergo à fortiori potentiæ animæ vegetatiuæ ſubduntur motioni voluntatis.

Reſp.neg.mi. Ad prob.inſert. dicitur membra corporis ſubdi imperio, & motioni voluntatis ſolùm mediante potentia locomotiua, vel mediantibus alijs potentijs operatiuis exiſtentibus in iſtis membris. Maiori autem cum facilitate voluntas mouet membra corporis, quàm appetitus ſenſitiuos, vt docet *Beatiſſ. P. lib.4. cont.Iul. c.5*; quia appetitus ſenſitiui repugnant ſuis proprijs actibus tendētibus in oppoſitum illius, quod intendit volnntas; membra autem ſic reſiſtere non poſſunt, vt patet.

9 Excipiuntur tamen cor, & genitalia, *vt ibid.* docet *Beatiſſ. P*; quia cor eſt principiū motus naturalis ipſius vitæ; motus autem naturalis, vtpotè neceſſariò conſequens naturam, non ſubditur motioni voluntatis, ſicut ipſi non ſubditur natura. Genitalia verò cùm moueantur à calore exiſtente in corpore; ſicut calor non ſubditur motioni voluntatis, ita neque ipſa genitalia. Hoc tamen intelligendum eſt poſt peccatum originale, & poſt amiſſionem iuſtitiæ; quia per ipſam genitalia perfectè ſubdebantur rationi virtute ipſius iuſtitiæ originalis, à qua perfectè domabantur, vt docent omnes communiter cū *Beatiſſ. P.* in libris *cont.Iul.* ſæpiſſimè.

10 Quoad 2. propoſitum *in titulo*, ſcilicet quomodò voluntas moueat alias potentias, ſunt multæ opiniones.

11 Prima ſententia vult volūtatem producere ſimul cum potentijs ſibi ſubditis actus illarum. Refertur *Scot. in 2.diſt.42*; *& Lichet. ibidem apud noſtrum Gibb. hic diſp.14.dub.2.n.6*; vbi etiā refertur *Med. hic q.9. art.1. q.1*; *Ban. in 2. q.8. art.4.dub.1*; *& Sal. tract.5.diſp.3.n.28*, idem docent *Conimb.4.Eth.q.3.art.1.*

12 Sed hęc ſententia communiter reijcitur; quia potentiæ exequentes imperatæ à voluntate habent virtutem proportionatam, & ſufficiētem ad producendos ſuos actus etiam ſine voluntate; nam aliquando illos producunt ſine illa, vt quando non imperantur; imò illos producunt reſiſtente uoluntate iuxta illud *Apoſt. Nō quod volo bonum, hoc facio; ſed quod odi malum, hoc ago*; ergo uoluntas non mouet alias potentias ſimul cum illis producendo actus illarum; quia in tantùm Deus ſimul cum creatura producit effectus creaturæ, quia creatura ſe ſola nequit illos producere; hoc enim dicit cauſa alteri ſubordinata in agendo. 2. Si uoluntas ſimul cum intellectu pro-

producerct intellectioncm, ſequeretur, quòd uolũtas principaliùs intelligeret, quàm intellectus, quia actio tribuitur principaliùs cauſæ mouenti, quàm cauſæ motæ; ut patet de Deo, & creatura; & de Sole, ac de homine; nam nedum homo, ſed etiam Sol dicuntur gẽnerare; ſed uoluntas non intelligit; ergo non producit intellectionem ſimul cum intellectu; & ſic dicendum de potentijs ſenſitiuis. 3. Voluntas eſt potentia immanenter agens; ergo nequit producere aliquid extra ſe; ſic enim tranſeunter ageret.

13 Secunda ſententia vult voluntatem mouere alias potentias imprimendo in illas motum, ſeu qualitatem phyſicam tranſeuntem, quæ tandiu durat, quandiu voluntas mouet. *Ita Zum. 1. 2. q. 114. art. q. diſp. 2; Io. à S. Tho. hìc diſp. 5. art. 4; & alij Thomiſtæ apud noſtrum Gibb. vbiſ. n. 8.*

14 Hæc quoque ſententia ijſdem rationibus reijcitur. 1. Motus, quibus mouentur aliȩ potentiæ, ſunt actus proprij illarum potentiarum, quibus vitaliter tendunt in ſua obiecta, vt diximus *art. 1; 2; & ſeq;* ſed voluntas non producit actus aliarum potentiarũ, aliter intelligeret &c; vt dictum eſt, ergo non producit motus aliarum potentiarum, vt qualitates ſunt. 2. Si voluntas, vt cauſa ſubordinans, produceret motus aliarum potentiarum, aliæ potentiæ nõ poſſent illos producere ſine voluntate; ſed hoc eſt falſum; quia prima cognitio producitur ſine concurſu voluntatis, cùm antecedat omnem actum voluntatis; ergo falſum eſt ant. Sic etiam voluntas eſt potentia immanens; & ideo nequit producere aliquid tranſeunter.

15 Tertia ſententia vult volũtatem mouere alias potentias per impetus immediatè factos in illas. *Ita aliqui* ſuppreſſo nomine allati, & impugnati *à Fund. Doct. loc. ſuperiùs cit. art. 4.*

16 Reijcitur hæc pariter ijſdem rationibus, quibus reiectæ ſunt aliæ. *Vid. art. 4. vbiſ.*

17 Noſtra tandem ſententia docet voluntatem immediatè mouere intellectum, quatenus deſiſtit ab oppoſito, & eligit propoſitum; & imperat intellectui, vt cogitet ſolùm de propoſito; intellectus autem poſſibilis per intellectum agẽtem illuminat phantaſmata materialia exiſtentia in ſenſibus cognoſcitiuis, à quibus tandem mouentur appetitus ſenſitiui; vnde voluntas immediatè mouet ſolùm intellectum; alias verò potentias tantùm mediatè; & in hoc conſiſtit mirabilis armonia, & concors ſimpathia potentiarũ animȩ. *Ita Fund. Doct. in 2; diſt. 25. q. 1. art. 4;* quem ſequuntur *Argent, Gibb; & alij ex noſtris.* Ex exteris verò *Caiet; Conr, Val; Sux; & plures alij apud noſtrum Gibb.*

18 Secunda concl. Volũtas immediatè mouet ſolùm intellectum imperando, vt cogitet de obiecto ab ipſo obiecto; & mediãte intellectu potentias ſenſitiuas illuſtrando potentias cognoſcitiuas, & mediantibus cognoſcitiuis mouendo appetitiuas.

19 Prob. Ita ſe habet voluntas reſpectu intellectus, ſicut Rex reſpectu Conſiliarij; nam ſicut Rex eſt Dominus in ſuo Regno, & Conſiliarius conſiderat ea, quæ agenda ſunt in illo Regno; ita voluntas eſt domina in regno animæ, & intellectus conſiderat ea, quæ agenda ſunt ab anima; ſed Rex per ſolum imperium mouet immediatè Cõſiliariũ, & mediãte Cõſiliario mouet ceteros Miniſtros inferiores ſubordinatos exequentes; ergo voluntas immediatè ſolùm mouet intellectum, & mediante intellectu potentias ſenſitiuas inferiores.

20 Conf. Si Rex immediatè præciperet Miniſtris inferioribus exequentibus, & illos moueret per ſuum imperium ad agendum, tolleretur ordo hierarchicus, quo inferiores reducuntur in ſupremum per medium, vt diximus *q. 10. de Ang;* ſicut ſi Angelus ſupremus non illuminaret Angelos inferiores per medios, non ſaluaretur ordo hierarchicus; & ideo poneretur confuſio: tum quia fruſtra eſſent miniſtri ſuperiores; ergo ſi voluntas non moueret immediatè intellectũ, & mediante intellectu potentias ſenſitiuas, non daretur ordo, ſed confuſio inter potentias animæ.

21 Prob. 2. Experientia conſtat non accendi appetitum, niſi cùm poſt determinationem voluntatis intellectus eſt fixus in contemplatione boni delectabilis mouentis appetitum; ergo voluntas mouet intellectum, & mediante intellectu potentias ſenſitiuas.

22 Prob. 3. ex reiectione aliarum ſententiarum; nam voluntas non poteſt mouere imprimẽdo aliquam qualitatem, neq; alio modo ex ſupradictis; ergo remanet, quòd moueat tãtùm eo modo, quo diximus.

Obiectiones, quæ contra hoc fieri poſſunt, ſolutæ ſunt *art. 4.*

QVÆSTIO IV.

De actibus humanis in ſpeciali.

DEſcendimus ad agendum de actibus humanis in ſpeciali; quorum aliqui ſunt circa finem; & ſunt voluntas, ſeu volitio, intentio, & fruitio; vt habet *Fund. Doct. in 2. diſt. 38. q. 2. art. 1. ad vlt;* alij ſunt circa media; & ſunt electio, conſilium, ſententia, conſenſus, & vſus; ex iſtis autem alij ſunt eliciti, alij verò imperati; vt *inf.* patebit. Et quanuis circa finem detur etiam amor perfectus, & gaudium; vt diximus *q. 2. de Beat. art. 2;* attamen amor perfectus nihil aliud eſt, quàm executio intentionis; executio autem importat id, quod erat intentio; & ſic gaudium reducitur ad fruitionem, vt *ibid.* dictum eſt.

ART.

A R T. I.

An voluntas ſit tantùm finis ?

1 NOn ſumitur *hic* voluntas, prout ſignificat potentiam volitiuam, ſed prout dicit primum actum immediatè elicitum à voluntate non ſupponentem alium actum priorem; ſicut primus actus, quo intellectus aſſentitur principijs, vocari ſolet intellectus. Quæritur ergo, an voluntas ſit tantùm circa finem; an verò etiam circa media?

2 Not; quòd voluntas in hoc differt ab intẽtione, quæ pariter eſt circa finem; quia voluntas eſt circa finem abſolutè, & præcisè cõſideratum, vt bonum; non prout ad ipſum ordinãtur media; & ipſum non ordinatur ad aliud; intentio autem eſt circa finem conſideratum, prout ad ipſum ordinantur media; quapropter electio dicitur effectus intentionis. Sicut enim ſe habet actus, qui dicitur intellectus, per ordinem ad actum ſcientificum, qui dicitur ſcientia; ita ſe habet actus, qui dicitur voluntas, ad actum, qui dicitur intentio; ſed actus, qui dicitur intellectus, reſpicit principia abſolutè, & præcisè; non autem prout ex illis deducuntur concluſiones; & actus, qui dicitur ſcientia, reſpicit principia, prout ex illis deducũtur concluſiones, ergo actus voluntatis, qui dicitur voluntas, reſpicit finem, prout bonum abſolutè, non relatiuè ad mediũ, aut ad alium finem; & actus, qui dicitur intentio, reſpicit finem relatiuè ad media. Et quamuis omnis actus voluntatis poſſit dici volitio, ſeu voluntas; attamen ille ſolùm, qui immediatior, & proximior eſt potentiæ volitiuæ, appellatur voluntas, quomodò ſæpiſſimè illum appellat *Beatiſſ. P.*; & præcipuè *lib. de Corr; & Grat. c.11; & lib. 12. de Ciu. Dei c.9. Hoc ſupp.*

3 Vnica concl. Voluntas eſt tantùm finis, non autem mediorum. Ita *Fũd. Doct. in 2. diſt. 24. p.1. q.1. art.3. §. Et quod; & in 1. diſt. 6. princ. 1. q.1; & 3. de An. t.c.56; & communiter omnes.*

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. lib. 11. de Trin. c.5. in fine*; vbi docet, quòd erga beatitudinem eſt volũtas; vt ſi quis velit viſionem non referendo ipſam viſionem in aliud, tunc eſt voluntas viſionis; ſi autem referat ipſam viſionem ad aliud, tunc non eſt voluntas viſionis; ait autem: *Si enim non refert ad aliud viſionem, ſed tantùm voluit, vt videret; non eſt diſputandum, quomodò oſtendatur finem voluntatis eſſe viſionem; manifeſtum eſt enim. Si autem refert ad aliud, vult vtique aliud, nec iam videndi voluntas erit.* Quibus verbis manifeſtè docet, quòd quamuis potentia volitiua velit media relata ad finem, attamen voluntas non eſt erga media, ſed tantùm erga finem. Idem habet *Phil. 3. Eth*; vbi habet: *Voluntas eſt finis, electio eorum, quæ ſunt ad finem.*

4 Prob. 2. ratione *Fund. Doct. vbiſ.* Ille actus, qui primò, & immediatè elicitur à potentia, induit nomen potentiæ; ſed volitio finis eſt huiuſmodi; ergo induit nomen voluntatis. Prob. ma. Actus, qui primò, & immediatè elicitur ab intellectu, induit nomen intellectus; nam actus, qui primò, & immediatè elicitur ab intellectu, eſt circa principia; & iſte communiter vocatur intellectus; ergo actus, qui primò, & immediatè elicitur à potentia, induit nomen potentiæ. Prob. mi. Ille actus elicitur primò, & immediatè à voluntate, qui eſt ratio eliciendi alios actus; & ipſe non elicitur ratione alterius; in hoc enim conſiſtit conceptus formalis primi. ſed volitio finis eſt huiuſmodi; quia ipſe eſt ratio electionis mediorum, nam media eliguntur propter finem, non è contra; ergo volitio finis eſt actus primò, & immediatè elicitus à voluntate.

5 Conſ. Ita ſe habet voluntas reſpectu finis, & mediorũ; ſicut intellectus reſpectu principiorum, & concluſionum; nam ſicut principia ſunt ratio concluſionum; ita finis eſt ratio mediorum; ſed actus intellectus, qui verſatur circa principia, vocatur intellectus; non autem actus, qui verſatur circa concluſiones; iſte enim vocatur ſciẽtia; ergo ſolus actus voluntatis, qui verſatur circa finem, vocatur voluntas; actus verò, qui verſatur circa media, non vocatur voluntas, ſed electio.

6 Obijc. *Fund. Doct. vbiſ. in 1.* aſſignans rationem, cur eligere non denominetur à potentia, ait ideo eſſe, quia eligere præſupponit ordinem rationis; ſed etiam volitio finis ſupponit ordinem rationis; quia *nil volitum, quin præcognitum*; ergo nulla eſt ratio. 2. Voluntas eodem actu poteſt tendere in finem, & media; ſed actus, quo tendit in finem, eſt voluntas; ergo & quo tendit in media.

Reſp. ad 1. *Fund. Doct.* aſſerere electionem ſupponere ordinem rationis, à quo incipit ordinatio mediorũ, qui eſt volitio finis; & ideo nõ eſt primus, & immediatus actus voluntatis; volitio autẽ finis ſupponit ſimplicem cognitionem. Ad 2. dicitur eundem actum denominari voluntatẽ reſpectu finis, & electionem reſpectu mediorum; vt *inf.*

7 Quæres 1; an volitio ſit tantùm circa bonum; vel etiam circa malum?

Reſp; quòd volitio eſt tantùm circa bonum; circa malum autem eſt nolitio; quæ licèt ſit actus poſitiuus explicatus per negationem; vt docet *Fund. Doct. 3. de an. & Quodl. 2. q.5; & Quodl. 3. q.6, & in 1. diſt. 6. ſup. lit. Mag*; vbi docet, quòd nolle, & velle non opponuntur contradictoriè, ſed contrariè; quia vterque eſt actus poſitiuus, quando enim quis fugit à malo, non ſe habet tãtùm negatiuè; quia ſe habens negatiuè nec proſequitur, nec fugit; vt cùm non cogitatur de malo, dicitur negatiuè ſe habere, quando autem fugit, poſitiuè habet actum odij; attamen nolitio non eſt idem, ac volitio, quia non eſt idẽ nolle peccaſſe, ac velle non peccaſſe, quia nolle peccaſſe dicit fugam à peccato, velle autem non peccaſſe dicit proſecutionem in non peccaſſe; & ideo nolle

peccaſſe dicit diſplicentiam,& triſtitiam de peccato;velle autem non peccaſſe dicit complacentiam, & delectationem de non peccaſſe; & per conſequens volitio propriè ſumpta eſt tantùm de bono; nolitio autem de malo.

8 Dices.1.Bonum eſt obiectum adęquatum voluntatis; ergo adæquat omnem actum voluntatis;ſed nolitio eſt actus voluntatis;ergo nolitio etiam eſt de bono.

Reſp.diſt. ant. Bonum eſt obiectum primarium voluntatis, ſicut lux eſt obiectum primariũ viſionis, conc; & ſic adæquat omnem actum primarium poſitiuum. Eſt obiectum adæquatum, prout importat obiectum primarium, & ſecundarium, neg;nam obiectum ſecundarium eſt malum;circa quòd eſt nolitio,ſicut obiectum ſecundarium viſionis ſunt tenebræ.

9 Dices 2. Lapis eodem motu, quo tendit deorſum,fugit ſurſum;ergo eſt idem actus, quo voluntas tendit in bonum,& fugit à malo. Tum quia dum voluntas tendit in bonum, fugit à malo;acceſſus enim ad vnum oppoſitum eſt receſſus ab alio.

Reſp.neg.conſ;& diſparitas eſt, quia inclinatio rei materialis eſt determinatè ad vnum tãtùm;voluntas autem eſt ad oppoſita. Ad aliud diſt.aſſumpt.Voluntas,dum tendit in bonum, fugit à malo negatiuè,conc;poſitiuè,neg; ſic acceſſus ad vnum contrarium eſt receſſus negatiuus, non poſitiuus ab alio.

10 Quæres 2;an volitio poſſit eſſe circa impoſſibile cognitum,vt impoſſibile?

Reſp;quòd licèt circa impoſſibile cognitũ, vt poſſibile,poſſit eſſe volitio; ſicut eſt circa malum cognitum,vt bonum; attamen circa impoſſibile cognitum, vt impoſſibile, nequit eſſe volitio ſiue efficax, ſiue inefficax. *Eſt cont. noſtrum Gibb,apud quem Scot;Sot;Vaſq,Io.à S.Th;Arriag; & alios* ſuſtinẽtes circa impoſſibile, vt impoſſibile, poſſe dari volitionem inefficacem. Prob. tamen. 1. Impoſſibile eſt incognoſcibile, nec cognoſcitur,niſi negatiuè;ergo non eſt volibile,nec circa illud tendit voluntas,niſi negatiuè; & ideo circa ipſum nequit eſſe volitio etiam inefficax, quæ eſt tendentia poſitiua,vt dictum eſt. 2.Volitio inefficax eſt circa bonum; ſed impoſſibile non eſt bonum,quia non eſt ens;bonum enim, & ens conuertuntur; ergo volitio nequit eſſe circa impoſſibile.

11 Reſp.*Gibb*;quòd licèt impoſſibile ſit non ens;attamen concipitur,vt ens; & ſic poteſt eſſe volibile à voluntate.2.Damnati vellent non eſſe Deum;quod apprehendunt,vt impoſſibile.

Sed contra eſt; nam ſi impoſſibile concipitur,vt ens,iam non concipitur, vt impoſſibile, quia impoſſibile eſt non ens; ſed concipitur, vt poſſibile,& vt bonum; & ſic circa illud poteſt eſſe volitio. Ad 2.dicitur damnatos velle Deum non eſſe vltorem,nõ autem non eſſe ſimpliciter; vel velle non eſſe Deum ſimpliciter, quatenus apprehendunt hoc eſſe poſſibile ſaltem ſub conditione.

12 Quæres 3;an circa impoſſibile cognitũ, vt poſſibile, poſſit eſſe volitio conditionata ex parte actus,vel tantùm ex parte obiecti?

Reſp. poſſe eſſe vtroque modo. Eſt *cont. Vaſq,& Val.* Prob. Si quis diceret:*Vellē eſſe Angelum,ſi hoc eſſet poſſibile*; tunc ſuſpẽditur cognitio ab ipſa conditione.Et cum dicitur:*Volo eſſe Angelum,dummodo hoc ſit poſſibile*; tunc enim abſolutè ponitur volitio;& tantùm ſuſpenditur obiectum.

13 Quæres 4;an circa impoſſibile cognitum, vt poſſibile,poſſit eſſe peccatum?

Reſp. affirmatiuè, dummodò apprehendatur, vt diſſonum legi Dei, & rectæ rationi;nam ſi apprehendatur,vt conforme, poteſt circa ipſum eſſe meritum.Prob.Impoſſibile diſſonum cognitum,vt poſſibile,eſt malum cognitum, vt bonum apparens;ſed malum cognitum,vt bonum apparens,poteſt eſſe peccatum,imò de facto eſt;ergo & circa impoſſibile cognitum,vt poſſibile.

ART. II.

An intentio ſit actus voluntatis?

DEclaratis ijs,quæ ſpectant ad voluntatem, quæ eſt primus actus potentiæ volitiuæ erga finem, ſequuntur diſcutienda ea,quæ pertinẽt ad intentionem,quæ eſt ſecundus actus erga finem. Quoniã autem duo principaliter circa intentionem controuertuntur; ſcilicet an intentio ſit actus voluntatis; & an eodem actu poſſit voluntas intendere finem,& eligere media; ideo.

§. 1.

Reſoluitur difficultas propoſita.

1 INtendere quoad nominis ethimologiam ſignificat tendere in aliud;componitur enim ex particula *in*, quæ ſignificat motum,& ex verbo *tendo*, quod pariter motum importat. Vnde intentio in hac latiſſima acceptione ſumpta importat tendentiam potentiæ in ſuũ obiectum,& ſic conuenit omni potentiæ.Specialiùs autem ſumitur *à Scholaſticis*,prout dicit tendentiam,ſeu motum in finem per media, in quo ſenſu diximus *in ſup.art.* intentionem eſſe ſecundum actum erga finem ſupponentem voluntatẽ, quæ eſt primus actus.De hac ſic accepta, quærimus in præſenti,an ſit actus intellectus, vel voluntatis?

2 Prima ſententia vult intentionem pertinere ex æquo ad intellectum,& voluntatem. Ita *Carthus.in 2.diſt.38.art.2. q.2*; quem videtur ſequi *Scot.*ex ſuppoſitione tamen, quòd liberum arbitrium conſiſtat formaliter ſimul in intellectu,& voluntate; abſolutè tamen docet oppoſitum.

3 Noſtra ſententia docet intentionem eſſe actum ſolius voluntatis connotantem ordinem rationis.Ita *Fund.Doct.in 2.diſt.38.q.2.art.1;& duobus dub.lat.ſeq*,& communiter *omnes alij*.

Prob.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P,in pſ.34.*docente. *Intẽtio ergo dirigatur in finem,dirigatur in Chriſtum. Quare finis dicitur? Quoniam quidquid agimus, ad illum referimus;& cùm ad eum peruenerimus, vltra quod quæramus,non habebimus.* Ex quo ſic arguit *Fund. Doct.* Intentio eſt actus formaliter illius potentiæ, quæ habet tendere in finem per media;ſed ſola voluntas eſt huiuſmodi; ergo intentio eſt actus ſolius voluntatis formaliter.Ma. patet; ita enim recipitur in præſenti intentio, vt dictum eſt.Prob.mi. Sola voluntas habet tendere formaliter in bonũ,à quo ſpecificatur, & mouetur;& bonum,& finis idem ſunt; ergo ſola voluntas habet formaliter tendere in finem.Tum quia ſola voluntas habet eligere media conducentia ad finem,vt dicemus *inf*,ergo ſola voluntas formaliter habet tendere in finẽ per media; nam ſicut eiuſdem potentiæ ambulatiuæ eſt tendere ad terminum per loca intermedia;ita à pari.

4 Prob. 2. Voluntati propriè conuenit motus ad res; in hoc enim diſtinguitur ab intellectu,cui conuenit motus rerum ad ipſum; *voluntas enim trahitur à rebus, & intellectus trahit res ad ſe*; ſed intentio propriè dicit motum ad res; ergo propriè dicit actum voluntatis.

5 Prob. 3. Intentio dicit inclinationem rei in ſuum finem;ſed inclinatio naturæ intellectualis in ſuum finem eſt actus voluntatis: ergo intentio dicit actum voluntatis. Prob. ma. Omnia agentia inanimata dicuntur agere propter finem;& ideo ex intentione finis; aliter caſualiter agerent; atqui in ipſis non eſt cognitio, ſed tantùm inclinatio in finem; ergo intentio eſt inclinatio rei in finem.Mi. patet; nam voluntas eſt appetitus rationalis ſequens naturã intellectiuã.

6 Prob.2.pars concl.Tendentia in finem per media ſupponit ordinationem mediorum; aliter ſi media non eſſent ordinata ad finem, voluntas inordinatè tenderet; ſed ordinatio eſt actus rationis, ſeu intellectus; quia ordinatio eſt actus potentiæ videntis, & conſultantis bonitatem mediorum aptè conducentium ad conſecutionẽ finis;ergo intentio connotat ordinem rationis.

7 Obijc.1.illud *Mat.7. Si oculus tuus fuerit ſimplex,totum corpus tuum lucidum erit; lucerna corporis tui eſt oculus tuus*; ſuper quod *Gloſ.* ait; quòd *oculus ſtat ibi pro intentione*. Et *Beatiſſ.P.* idem habet;& *D.Bern*;15.*de Trin.c.7.* ait,quòd *mens eſt oculus animæ*; ergo Intentio eſt actus mentis, ſeu intellectus.

Reſp.quidam *ex noſtris Fund.Doctorem* aſſerere nomen lucernæ non poſſe directè transferri ad intellectum; quia intellectus videt; lucerna autẽ non videt, ſed facit,vt oculus videat; & ita bona lucerna propriè dicitur de recta intentione,quę clarificat intellectum,vt clariùs videat;hoc autem eſt *cont.Scripturas*;vt *pſ.17. Quoniam tu illuminans lucernam meam Domine*; nomine autem *lucernæ* communiter ſignificatur intellectus;*&* 2.*Pet.*1.*prophetia*, quæ reſidet in intellectu, aſſimilatur lucernæ lucenti in caliginoſo loco.

8 Sed contra eſt;nam *Fund.Doct.§.Prima via* habet: *Nam intentio dicitur oculus, quia non fit ſine oculo, idèſt ſine intellectu*,ergo ex hoc habetur concedere lucernam, quæ dicitur oculus, propriè dici de intellectu; & hæc eſt eadem reſponſio,quam tradit *iſte Scriptor* ad arg;*&* §. *Secunda via* aſſerit, quòd ſicuti lucerna corporalis non videt, ſed facit, vt aliud videat;ita intentio recta eſt lucerna, quia rectificat intellectum, vt clariùs videat; ex quo patet nomen lucernæ iuxta doctrinam *Fũd.Doct.* transferri ad intellectũ, & voluntatem ſecundùm diuerſas rationes ſimilitudinis; hæc nanque translatio eſt omnino metaphorica;quanuis enim lux propriè dicatur de natura ſpirituali; attamen lucerna, prout dicit vas aliquo liquore combuſtibili repletum, non niſi metaphoricè dicitur.

9 Obijc.2.Intentio dicit tendentiam in finẽ per media ad illum ordinata; ſed ordinatio eſt actus rationis; ergo intentio importat actum rationis.

Reſp.diſt.ma. Per media ad illum ordinata pręſuppoſitiuè,cõc;ſic enim actus voluntatis importat tendentiam in bonum cognitum præſuppoſitiuè, & ideo non eſt actus potentiæ cognoſcentis. Per media ad illum ordinata formaliter ab ipſo actu intentionis,neg.

§. 2.

An voluntas eodem actu poſſit tendere in finem, & media?

10 NOn eſt *hic* difficultas, an voluntas poſſit tendere in finem,& media, tanquam in plura,vt plura,æquè perfectè, & intẽsè;de hoc enim ſatis diximus *de Vlt. fine art.3*; nam voluntas ita tendit in media, vt tendat ratione finis, vnde tendit in finem, & media per modum vnius,quia ratio appetendi finem eſt ratio appetendi media.*Vid*,quæ *ibid.*dicta ſunt,cõducunt enim ad reſolutionem præſentis quæſtionis.

11 Prima ſententia vult voluntatem non poſſe eodem actu tendere in finem, & in media; ac propterea intentionẽ realiter diſtingui ab electione. *Ita noſt.Greg.in* 1.*diſt.*1.*q.*1.*art.*2;*Marſ. ibid.q.4.art.1.dub.2*; *Vaſq.hic diſp.*23.*c.*2; *Hurtad*; quibus adhæret *Sal*; *& alij.*

12 Noſtra ſententia docet, quòd licèt voluntas non ſemper eodem actu intendat finem, & media; poteſt enim nunc intendere aliquem finem,& poſtea poſt lungam,& maturam inquiſitionem,conſultationem, & diſcuſſionem mediorum eligere media; attamen poteſt ſimul per eundem actum realiter indiſtinctum intendere finem,& eligere media.Ita *Fund.Doct. in* 2.*diſt.* 38.*q.*2.*art.*3;*Argent.ibid.art.*2; *Gibb. hic diſp.*11.*dub.*2;& communiter *noſtra Schola*. Ita etiam *D.Tho.hic q.8.art.2;& 2.Sent.diſt.28.art.4;& de Verit.q.22. art.14; Ric.2;D.Bon;Gabr;Gaiet; &*

omnes Thomiſtæ, inter quos *recentiùs Gonet. hic diſp.8. art.1. poſt concl.* Ita etiam *Azor; Sal; Sua; Ouied. contr. 12. de An.punc.2.§.3; Amic; Arriag; & omnes alij ferè communiter*.

13 Diximus aliquando voluntatem poſſe per eundem actum realiter indiſtinctum; & ſolùm virtualiter multiplicem intendere finem, & eligere media; hoc enim non ſemper contingit, quia pluries contingit oppoſitum; poteſt enim quis intendere efficaciter aliquem finem, & poſtea per lungum tempus inquirere, conſultare, & diſcutere media magis apta ad conſecutionem illius, & tandem poſt talem diſcuſſionem eligere vnum ex illis, quod iudicatum eſt magis aptum ad finem conſequendum; & in hoc caſu electio eſt actus realiter diſtinctus ab intẽtione finis; eſt enim elicitus diuerſo tempore; diuerſitas autem temporis, vt dicitur *in 2. Phyſ.* ſufficiens eſt ad ponendam inter actus diſtinctionem realem. Verùm quando media magis apta ad conſecutionem talis finis ſunt euidenter nota, tunc poteſt quis per eundem actum realiter indiſtinctum intendere finem, & eligere media. Exemplum huius eſt de ſciente principia, & ignorante concluſiones, tunc nãque intellectus diuerſis actibus aſſentitur principijs, & concluſionibus, non enim intellectis principijs ſimul intelligit concluſiones. At verò ſi quis intelligit principia, & cõcluſiones euidenter, quæ continentur in illis principijs, tunc non repugnat per eundem actum aſſentiri principijs, & concluſionibus. Ita à pari.

14 Vnica concl. Poteſt voluntas vnico actu ſimul velle finem, & media.

15 Prob. 1. *ex Beatiſſ.P. in Epiſt. ad Gal.* poſt medium docente: *Item diligere proximum, idéſt omnem hominem, tanquam ſe ipſum, quis poteſt, niſi Deum diligat?* Rationem huius ſubtiliſſimam affert 8. *de Trin.c.*8; vbi docet; quòd non poſſumus diligere proximum, qui eſt medium ad Deũ ordinatum, niſi diligamus ipſam dilectionem, dilectio autem Deus eſt, quod probat *ex 1. Io. 4.* his verbis: *Vnde colligitur duo illa præcepta non poſſe eſſe ſine ſe inuicem, quoniam quippe Deus dilectio eſt, Deum certè diligit, qui diligit dilectionẽ; dilectionem autem neceſſe eſt, vt diligat, qui diligit fratrem*; & ideo paulò poſt ait: *Io. Non poteſt Deũ diligere, quem non videt, qui fratrem, quem videt, non diligit.* Et ſuperiùs dat exemplum de verbo, quod repræſentat ſe ipſum, & obiectum; amor autem aſſimilatur verbo, & ideo mouet ad ſe ipſum, & ad aliud à ſe. Ex quibus ſic. Per eundem actum amoris amatur Deus, qui eſt finis, & proximus, qui eſt ad finem, ſicut per eandem cognitionem intelligitur verbum, & obiectum, quod eſt aliud à verbo; ergo voluntas poteſt per eundem actum appetere finẽ, & ea, quæ ſunt ad finẽ.

16 Prob. 2. *ex Phil. apud Fund. Doct. hic §. In contrarium* dicente: *Vbi vnum propter alterum, vtrobique vnum tantùm*; ſed electio eſt propter intentionem, ergo intentio, & electio ſunt vnus tantùm actus.

17 Præterea *ex eod. Phil. 1. Poſt.* circa initiũ habetur, quòd hæc propoſitio: *Ergo triangulus, qui eſt in ſemicirculo, habet tres angulos*; poteſt cognoſci per cognitionem poſteriorem ſupponentem hanc aliam propoſitionem vniuerſalem, ex qua deducitur, ſcilicet: *Omnis triangulus habet tres angulos*; & poteſt vtràque propoſitio ſimul cognoſci, quatenus vna cõtinetur in alia, vt ſi dicatur: *Omnis triangulus, vt eſt ille, qui eſt in ſemicirculo, habet tres angulos.* Ex quo ſic. Ita ſe habet finis ad media, ſicut principia ad concluſiones; ſicut enim principia ſunt ratio cognoſcendi concluſiones, ita finis eſt ratio eligendi media; ſed quanuis principia, & concluſiones poſſint cognoſci diuerſis actibus; attamen non implicat, quòd ſimul cognoſcantur per unum, & eundem actum; ergo quanuis uolũtas poſſit diuerſis actibus tendere in finem, & media, attamen non implicat, quòd tendat per unum, & eundem actum, qui ſit ſimul intentio, & electio.

18 Conf. Quanuis cauſa, & effectus poſſint duplici cognitione ſucceſſiua ab intellectu cognoſci; attamen non implicat, imò ſæpe contingit, quòd eadem cognitione ſimul cognoſcantur; ſed finis eſt cauſa finalis mediorum; ergo quãuis voluntas poſſit duplici actu ſucceſſiuè tendere in finem, & media; attamen poteſt etiam unico ſimul tendere in illa. Prob. ma. Poteſt oculus, qui eſt potentia materialis, uidere unica uiſione roſam in trunco, fructus in plantis, plantas in terra, & ſic de reliquis effectibus coniunctis cum ſua cauſa; ergo à fortiori intellectus, qui eſt potentia vniuerſaliſſima; quò enim eſt uniuerſalior potentia, eò ad plures effectus poteſt ſimul extendi; vnde ſi hoc de oculo uerificatur, qui eſt potentia particularis, à fortiori dicendum eſt de intellectu, qui eſt potentia uniuerſaliſſima. Prob. mi. Cauſa finalis eſt illa, quæ mouet uoluntatem ad tendendum in aliquod obiectum; cauſalitas enim cauſæ finalis conſiſtit in motione intentionali, vt dicitur *in 2. Phyſ.* vt v.g. quanuis Epiſcopatus nõ cauſet realiter phyſicè ſtudium; attamen quia mouet voluntatem ad eligendum ſtudium, tanquam medium ad conſequendum Epiſcopatum, ideo Epiſcopatus dicitur cauſa finalis ipſius ſtudij; ſed finis mouet voluntatem ad eligenda media, quæ conducunt ad conſecutionem ipſius finis, ergo finis eſt cauſa finalis mediorum, quanuis illa non producat in eſſe phyſico, & reali.

19 Vrgetur. Si voluntas non poſſet vnico actu tendere in finem, & media, maximè, quia bonitas mediorum diſtinguitur à bonitate finis; ſed hoc non obſtat; ergo ex hoc nihil ſequitur. Ma. patet; quia ſi eſſet vnica bonitas, per vnicum actum poſſet attingi. Prob. mi. Quanuis plures homines diſtinguantur realiter inter ſe, & habeant diuerſos colores realiter diſtinctos; attamen quia illi colores vniuntur in vna ratione coloris, *vt ſic*, illis communi ſpecificatiua potentiæ viſiuæ, ideo poſſunt à potentia viſiua per vnicum

cum actum viſionis ſimul attingi; ergo quanuis finis, & media habeant diuerſas bonitates ſpecificas realiter diſtinctas;attamen quia vniuntur in vna ratione bonitatis,*vt ſic*,illis communi ſpecificatiua voluntatis;ideo poſſunt à voluntate vnico actu ſimul attingi. Tum quia licèt illę duæ bonitates ſpecificæ realiter diſtinguantur inter ſe, & vna ſit extra aliam;attamen bonitas,*vt ſic*,illis communis identificatur cum ambabus,& eſt illis intrinſeca; ſicut licèt rationalitas, & irrationalitas inter ſe diſtinguantur; attamen animalitas illis communis identificatur cum vtraque; ergo quatenus vniuntur ſub vna ratione bonitatis, *vt ſic*, quæ ſpecificat voluntatem, poſſunt vnico actu à voluntate ſimul attingi. Nec requiritur, quòd illa ratio ſit vna realiter phyſicè, ſed ſufficit, quòd ſit vna ſecundùm conuenientiam, ſiue ſecundùm vniuerſalitatem in re;aliter oculus uidens ſtellas innumeras, haberet ſimul viſiones innumeras; & ſic innumera accidentia eiuſdem ſpeciei eſſent ſimul in eodem ſubiecto; quod rationabiliter aſſeri nequit.

20 Prob.3. Idem numero motus localis ſẽſibilis terminatur ad loca intermedia, & ad terminum ipſius; ergo à fortiori idem actus voluntatis,qui eſt motus voluntatis ad ſuum terminũ, poteſt terminari ad finem,& ad media;nam motus voluntatis eſt vniuerſalior,& ideo ad plura obiecta poteſt terminari; ergo uoluntas eodem actu poteſt tendere in finem,& media.

21 Prob.4.*ex noſtro Argent.* duplici alia ratione. Prima ſic efformatur. Si uoluntas non poſſet eodem actu tendere in finem,& media,ſequeretur,quòd duo actus, imò etiam oppoſiti eſſent ſimul in eadem potentia; ſed conſ.eſt falſum; ergo & ant. Prob.ſeq. Quotieſcunque aliquis furatur vni, vt reſtituat alterĩ, quod antecedenter ei ſurripuit; tunc eſſet ſimul duplex uolitio, idèſt furandi,& reſtituendi,quarum prima eſt iniuſta; altera uerò iuſta; ergo duo actus oppoſiti eſſent ſimul in eadem potentia. Mi. patet; tum quia duo actus numero diuerſi nequeunt eſſe in eadẽ potentia; tum quia oppoſita mutuò ſe expellunt ab eodem ſubiecto.

22 Secunda ſic proponitur. Relatiua per vnicum actum ſimul attinguntur;ſed finis,& media ſunt correlatiua; ergo finis, & media poſſunt vnico actu uoluntatis attingi. Prob. ma; nam relatiua ſunt ſimul cognitione;quia non poteſt v.g. intelligi filius,niſi per illam cognitionem cognoſcatur pater; nam filius eſt alicuius patris filius; hoc enim notificatur nomine filij; & ſic pater eſt alicuius filij pater;ergo relatiua vnico actu ſimul attinguntur; & quanuis ſi conſideretur filius, vt quædam perſona abſoluta præſcindendo à filiatione,poſſit cognoſci abſque eo,quòd cognoſcatur pater, & è contra; non tamen poteſt ſic cognoſci,ſi cognoſcatur relatiuè,quia hæc eſt natura relatiuorum,vt ſimul ſint,& ſimul cognoſcantur;cognitio enim ſequitur ad eſſe;ergo quanuis finis, & medium poſſint pluribus actibus attingi à voluntate,ſi attingantur abſolutè præciſa relatione vnius ad aliud; attamen ſi comparatiuè, & relatiuè attingantur,vnico actu uoluntatis attinguntur.

23 Obijc.1.*noſter Greg. Noſter Beatiſſ.P.* *l.1. de Trin.c.6.*docet: *Voluntas videndi feneſtram finem habet feneſtra viſionem; altera enim,quæ ex iſta nectitur voluntas per feneſtram videndi tranſeuntes, cuius item finis eſt viſio tranſeuntium*; quibus verbis manifeſtè docet, quòd quis eligẽs videre feneſtram, vt videat tranſeuntes per viã, alia uolitione vult uidere feneſtram, & alia uult videre tranſeuntes. Dat exemplum etiam de eo, qui vult videre cicatricem, vt doleat. Ex quo ſic arguit *Greg.* Illi actus, quorum vnus eſt cauſa alterius,realiter diſtinguuntur;ſed intentio finis eſt cauſa electionis mediorum; in tantùm enim eliguntur media;in quantùm intenditur finis; ergo intentio,& electio realiter diſtinguuntur.

Reſp.*Beatiſ.P.ibid.*manifeſtè loqui de volitionibus ſuccedentibus, quarum vna ſuccedit alteri,& illi ſubnectitur, quas realiter diſtingui ſuperiùs diximus; non autem de volitione ſimultanea finis per media; adeoque nihil contra nos. Ad rationem diſt.mi. Intentio finis eſt cauſa formalis electionis mediorum,ſi ſucceſſiuè accipiantur,conc;ſucceſſio enim, quæ importat poſterioritatem,& prioritatem,importat rationem cauſæ realis; ſi ſimultaneè, ſubdiſt. Eſt cauſa metaphyſica,ſeu ratio formalis virtualiter diſtincta, conc. Sic Diuina eſſentia eſt ratio formalis attributorum;& viſio beata Diuinæ eſſentiæ eſt ratio formalis viſionis attributorum, nec tamen ſunt duæ viſiones realiter diſtinctæ;eſt cauſa phyſica,neg.

24 Obijc. 2. *idem.* cont. 1. rationem. Ideo præciſè concluſio dicitur nota per principia; quia notitia principiorum eſt cauſa notitiæ cõcluſionis; aliter non eſſet ratio,cur potiùs concluſio dicatur nota per principia, quam principia per concluſionem; ergo media ideo dicuntur eligi propter finem præciſè,quia intentio finis eſt cauſa electionis mediorum;aliter non eſſet ratio,cur media dicantur eligi propter finem, quàm finis propter media. 2.Eſſe volitum propter aliud non importat ſolùm eſſe ſimul uolitum; aliter non eſſet ratio, cur potiùs vnũm ſit volitũ propter aliud,quàm è contra;ergo importat cauſalitatem,& ideo diſtinctionem.

Reſp.eodem modo diſt. ant. Quia notitia principiorum eſt cauſa formalis realis notitiæ concluſionis,ſi ſucceſſiuè inferatur, cõc; ſi ſimultaneè, ſubdiſt. Eſt cauſa formalis virtualis, idèſt ratio,conc;cauſa realiter diſtincta,neg. Ad prob. inſert.dicitur,quòd licèt rationalitas, & animalitas in homine non diſtinguantur; attamen rationalitas eſt ratio formalis inferendi animalitatem, non è contra; valet enim: *Eſt rationale; ergo eſt animal*; non è contra; & ideo quanuis notitia principiorum ſit idem cum notitia concluſionis;

attamen illa eſt ratio inferens iſtam;quia ad hoc ſufficit eſſe rationem priorem virtualiter tantùm diſtinctam.Sic bonitas rei eſt ratio amandi ipſam rem; & veritas eſt ratio cognoſcendi rem, non è contra; & tamen veritas,bonitas, & res non diſtinguuntur realiter,vt fatetur etiam *Greg.*Sic ad 2. dicitur eſſe volitum propter aliud importare rationem formalem,per quam eſt volitum; non oportet autem, vt iſta ratio formalis diſtinguatur ab ipſo realiter, vt dictum eſt. Ita albedo eſt viſa ratione coloris,à quo ſpecificatur potentia viſiua, quæ non ſpecificatur ab albedine, aliter non poſſet videre,niſi ipſam albedinem:& tamen color non diſtinguitur realiter ab albedine; quia color eſt genus,& albedo differentia, quæ non diſtinguuntur realiter.

25 Obijc.3.*idem.* Si eodem actu appeterentur media,& finis,ſequeretur,quòd actu appetés media actu appeteret finem;imò ſi appeteret media propter multos fines ſubordinatos, actu appeteret illos fines ſubordinatos;ſed hoc eſt contra experientiam; multoties enim quis appetit aliquid propter multos fines, de quibus actualiter non cogitat;ergo falſum eſt motiuum ſequelæ. 2.Aliquis volens media propter finem poteſt deſinere actu velle finem, actu ſolùm volendo media,vt quando quis orat propter Deum, poteſt deſinere actu cogitare de Deo, & continuare orationem; ergo volitio finis, & mediorum realiter diſtinguuntur; quia poſſunt realiter ſeparari.Tum quia in caſu poſito ſi poſſet deſinere volitio mediorum manente volitione finis, maximè, quia ille actus poſſet amittere terminationem relatiuam ad media;ſed hoc eſt falſum;quia eadem ratione poſſet amittere terminationem ſimul ad media, & ad finem, & ſic maneret actus volitionis ſine obiecto volito, quod eſt impoſſibile.3.Si voluntas poſſet vnico actu tendere in finem,& media, ſequeretur, quòd ſemper vnico actu vellet finem, & media; quia non eſt maior ratio de vno actu,quàm de alio;imò ſequeretur, quòd idem actus eſſet ſimul velle,& nolle;quia poteſt aliquis nolle aliquod mediũ propter aliquem finem,vt nolle furari, quia amat Deum; ſed hoc eſt falſum; aliter idem actus eſſet amor, & odium Dei;ergo falſum eſt ant.

Reſp. hæc omnia æquiuocare de actibus intentionis, & intellectionis, & de obiectis horũ actuum.Ad 1.igitur neg.mi.Ad prob.infert.dicitur implicare in terminis dicere, quòd aliquis appetat mediũ propter multos fines, de quibus non cogitat; experimur enim contrarium; nam appetere aliquod propter aliquem finem,eſt ordinare illud in illum finem, vel ſupponere talem ordinationem;ordinatio autem eſt actus intellectus,vt patet.Tum quia appetere aliquod propter aliud eſt magis appetere illud,quod eſt propter ſe,quàm illud,quod eſt propter aliud; *nam propter vnunquodque tale, & illud magis*; ergo appetere media propter finem, eſt magis appetere finem,quàm media; ſed appetere media nequit eſſe ſine cognitione; ergo multò magis appetere finem nequit eſſe ſine cognitione; ſecus poſſet voluntas tendere in incognitum. Ad 2. neg. ant; media enim eſſentialiter referuntur ad finem;non poſſunt autem referri, niſi ab intẽtione finis,quæ ſola eſt circa finem. Ad prob.infert. dicitur,quòd oratio eſt obiectũ electionis, quod poteſt manere,etianſi ceſſet electio, vt v.g. iter, quòd quis elegit, vt eat Romam, poteſt continuari, etianſi iterans actu non cogitet de itione Romã, aut electione ipſius itineris. Ad aliud neg. ſupp;deſinente enim actu intentionis,deſinit etiã actus electionis,qui eſt idem cum ipſo, vel ad illum eſſentialiter refertur. Vel admiſſo caſu neg. ſeq; & ad id,quod ſubditur, neg. aſſumpt; nam non valet à ſecũdùm quid ad ſimpliciter; vt v.g. ſi quis videat decem homines, diſcedente vno homine ex illis deſinit illa viſio terminari ad decem;quia terminatur ſolùm ad nouem;experientia tamen conſtat remanere viſionem. At verò ſi diſcedant omnes decem homines, non remanet ampliùs illa viſio,quia nullum remanet obiectũ. Ita à pari ſi deſinat voluntas tendere in media, adhuc poteſt remanere ille actus, quatenus intẽtio eſt, non quatenus electio eſt; quia ille actus principaliter ſpecificatur à fine,qui eſt ratio tendendi in media, & in quem tendit voluntas; at verò ablata intentione finis, & terminatione ad media,ille actus ceſſaret ſimpliciter. Si autem ceſſaret terminatio ad finem,& remaneret terminatio ad media, ceſſaret etiam ſimpliciter ille actus; quia ceſſaret ratio formalis tendendi in media; ſicut ſi tolleretur ratio coloris, quæ eſt ratio videndi homines, ceſſaret ſimpliciter viſio hominum; & ideo ſi voluntas tenderet in media ceſſante intentione finis; iam non tenderet in media,vt media,ſed abſolutè,vt ſunt quid bonũ. Ad 3.diſt.ſeq. Sequeretur, quòd ſemper tenderet in finem, & media, quando ſimul intenduntur,conc;quando ſucceſſiuè appetuntur,neg. Ratio ergo, quare non ſemper eſt idem actus, eſt, quia aliquando ſucceſſiuè appetuntur. Ad aliud dicitur, quòd nolle tunc ſe habet, vt obiectum electionis,non autem,vt actus electiuus, quando enim quis eligit nolle furari propter amorẽ Dei, tunc eligitur nolitio,tanquam medium ad amorem Dei. Vel dicitur non implicare eundem actum ſecundùm diuerſas rationes habere rationem proſecutionis, & fugæ; ſicuti idem motus, prout recedit ab vno termino, habet rationem auerſionis,& fugæ;& prout accedit ad alium terminum,habet rationem conuerſionis, ſeu proſecutionis.

26 Obijc.4.Bonitas finis eſt tantùm bonitas extrinſeca attingẽdi media; nam bonitas intrinſeca eſt bonitas vtilis; ergo eodem actu nequit voluntas tendere in finem, & media; in tantùm etenim eodem actu oculus videt colorem, & lucem, in quantùm lux eſt intrinſeca colori; color

enim

Google

enim eſt lux opacata. 2. Quanuis relatiua ſint ſimul cognitione; attamen non ſunt ſimul amore; quia poteſt amari pater ſine filio, ergo ruit ratio allat.1.

Reſp.ad 1.neg. ant; nam in medijs eſt ratio bonitatis, *vt ſic*, quæ eſt ratio finis; bonum enim, *vt ſic*, quod eſt finis *in* vniuerſum, participatur à fine, & à medio, cum hac differentia, quòd in fine eſt propter ſe, & in medio propter finem. Vel omiſſo ant. neg. conſ; nam quanuis lux ſit ratio intrinſeca colori, & ideo per eundem actum attingatur; non tamen è conuerſo valet, quòd illa, quæ attinguntur vnico actu debeant eſſe ad inuicem intrinſeca; nam pater cognoſcitur ratione filij, & tamen filiatio eſt extrinſeca patri. Ad 2. neg.2.pars ant; nam quanuis pater poſſit amari, ſicut poteſt cognoſci, vt quædam perſona abſoluta, ſine filio; attamen nequit amari, vt pater relatiuè, niſi per ordinem ad filium.

Collig.ex dictis, quòd licèt intentio poſſit eſſe cauſa formalis realiter diſtincta ab electione, quando electio ſucceſſiuè fit poſt intentionẽ; attamen poteſt eſſe etiam cauſa formalis virtualiter ſolùm diſtincta ab electione, quando electio, & intentio ſimul fiunt. Eſt *cõt. noſtrum Gibb. hic diſp.16.dub.3; apud quem Sal, Vaſq; Ruiz; Io. à S. Tho; & alij* ſubſtinentes intentionem eſſe cauſam efficientem electionis. Prob. iiſdem rationibus, quibus probata eſt cõcl; nam intentio aliquando non diſtinguitur ab electione; ergo aliquando non eſt cauſa realis realiter diſtincta; aliquando autem diſtinguitur, vt dictum eſt; ergo aliquando eſt cauſa realis realiter diſtincta.

27 Quòd autem intentio in rigore non ſit dicenda cauſa efficiens, prob. ex eo, quòd cauſa efficiens per verum influxum phyſicum producit effectum, & eſt principium productiuum illius; ſed intentio non producit electionem per verum influxum phyſicum, nec eſt principium productiuum illius; quia vnus actus voluntatis nequit phyſicè producere alterum actum, nec eſſe principium productiuum illius; ſic enim eſſet potentia, non actus; ergo intentio non eſt in rigore cauſa efficiens electionis.

28 Remanet itaque, quòd ſit cauſa formalis vel realiter diſtincta, ſi ſucceſſiuè fiat electio; vel indiſtincta, ſi ſimul producatur; nam ad rationem cauſæ formalis non requiritur, vt ipſa producat effectum, ſitque principium effectiuum illius; ſed ſufficit, vt ſit ratio, per quam attingatur effectus, vt *ſup.* dictum eſt.

29 Quæres 1; an intentio ſit tantùm finis vltimi, vel etiam finis intermedij?

Reſp. eſſe vtriuſque. Eſt *cont. Vaſq. hic q.12. art.2.* opinantem intentionem debere eſſe erga finem vltimum negatiuè, qui ſcilicet ad vlteriorem finem non ordinatur. Prob. tamen. Nedum finis vltimus, ſed etiam finis intermedius habet veram, & propriam rationem finis, vt dictum eſt *de Vlt. fine art.1.§.1*; ſed intentio eſt circa finem, qui habet veram, & propriam rationem finis; ergo intentio nedum eſt finis vltimi, verumetiam intermedij. Tum quia ſi aliqua eſſet ratio in oppoſitum, maximè, quia intentio diceret quietem, quæ ſolùm habetur in fine vltimo, qui ad finem vlteriorem non ordinatur; ſed hoc eſt falſum, quia intentio dicit motum ad finem, eſt enim de fine non habito, & ſolùm habito fine ceſſat motus; in hoc nanque diſtinguitur intentio à conſecutione, quòd conſecutio, quia eſt in fine, terminat motum; intentio verò, quia eſt ad finem, importat motum; ergo intentio eſt etiam finis intermedij.

30 Quæres 2; an poſſit dari actus neuter, qui ſcilicet nec ſit ad finem, nec ad media?

Reſp. negatiuè. Prob. Actus voluntatis vel eſt erga obiectum ordinatum ad aliud; vel non ordinatum? Si primum; ergo eſt circa media, quæ ordinantur ad aliud. Si ſecundum; ergo eſt circa finem, qui non ordinatur ad aliud.

31 Inſt. *Scot.* Poteſt voluntas tendere in aliquod bonum ſecundùm ſe, vt diximus *art.1.* de ſimplici volitione, abſque eo, quòd reflectat ad carentiam ordinationis ad aliud, vel ad ordinationem aliorum ad ſe; ſed tale bonum non eſt finis, quia finis dicit carentiam ordinationis ad aliud; nec eſt medium, quod dicit ordinationem ad aliud, ergo poteſt dari actus neuter, qui non ſit ad finem, aut ad media.

Reſp. neg. 1. part. mi; nam finis dicit ſiſtentiam, & quietem in ſe ipſo formaliter, ex conſequenti autem negationẽ ordinationis ad aliud; nam cùm finis ſit quid poſitiuum, nequit formaliter cõſtitui per carentiã ordinationis ad aliud, quæ eſt negatio; & ideo ſe habet tantùm conſecutiuè; ſed tale bonum dicit ſiſtentiam voluntatis in ſe ipſo, non enim ordinatur ad aliud; ergo habet veram rationem finis; & licèt non habeat expreſsè omnes rationes, quæ competũt fini, quia non dicit carentiam ordinationis ad aliud, & ordinationem aliorum ad ſe, quæ ſunt de ratione finis; illas tamen implicitè, & potẽrialiter aptitudinaliter inuoluit; quia poteſt apprehendi, vt non ordinatus ad aliud, & vt alia ordinantur ad ipſũ; quod ſufficit ad conſtituendam eſſentiam finis; quia eſſentiæ rerum creatarum conſiſtunt in eſſe aptitudinali, vt conſtat.

ART. III.

Quid importet conſilium?

1. FVnd. *Doct. in 2. diſt. 24. p. 1. q. 1. art. 2; & diſt. 25. q. 1. art. 3. dub. 2. lat.* docet, quòd poſt intentionem finis ſequitur conſilium, ſeu conſultatio de medijs; poſt conſilium iudicium, poſt iudicium ſententia, & poſt ſententiã electio, ideo de his omnibus recto ordine eſt agendum.

2 Suppo quòd conſiliũ, prout reperitur in nobis, importat tres actus intellectus. 1. Inquiſitionem

nem mediorum conducentium ad finem.2.Conſultationem,ſeu quæſtionem, aut collationem ipſorum mediorum inter ſe circa maiorem vtilitatem,& idoneitatem illorum.3.Iudicium firmũ, & certum de melioritate medij eligendi.Quæritur in præſenti, an conſilium importet eſſentialiter omnes tres iſtos, vel ſolùm aliquem ex iſtis actibus eſſentialiter; alios verò accidentaliter, ſcilicet ratione ſubiecti,in quo reperitur?

3 Prima ſententia vult conſilium importare eſſentialiter omnes tres actus ſupradictos.*Ita Caiet.hic q.14.art.1;Aluar. diſp.55;Val.diſp.2.q.9.punct.1;Gran.diſp.6.q.1;Amic. hic,& alij apud noſtrum Gibb.inf.*

4 Secunda ſententia vult conſilium formaliter importare ſolam inquiſitionem, & iudiciũ de vtilitate mediorum.*Ita Vaſq.diſp.44; Monteſin.diſp.18; Ouiedo,Azor;Philipp.à SS.Trin.apud noſtrum Gibb*, qui illos ſequitur *hic diſp.17.dub.1; & alij ex noſtris in M.S*; qui inaniter putant hanc eſſe mentem *Fund. Doct.*

5 Tertia tandem ſententia docet conſilium formaliter importare ſolùm iudicium firmum,& certum de utilitate mediorum; inquiſitionẽ autem,& quæſtionem, ſeu collationem mediorum importare ſolùm materialiter, prout reperitur in nobis.*Ita Fund. Doct. in 2. diſt.25. q.1. art.1. §. Tertiò,& ſeq*,vbi loquens de Deo ait: *In eo & eſt conſilium,& electio.Hæc ergo ſunt in Deo, ſed non eo modo, quo ſunt in nobis; quia conſilium in nobis eſt quædam quæſtio de agibilibus pertinentibus ad nos.nam qualiter Scythæ conuerſantur,nullus Lacedemoniorũ cõſiliatur, vt dicit Phil.3. Eth. c.3. &c. Et quia omnis quæſtio eſt dubitabilis propoſitio, ideo conſilium, vt eſt in nobis, qui, tanquam ignorantes,dubitamus de rebus, in Deo eſſe non poteſt. In Deo ergo dicere eſſe conſilium eſt dicere rectum iudicium, quod habet de rebus; quia operatus eſt, & quia omnia, quæcunque voluit, fecit, ideo dicitur omnia operari conſilio voluntatis ſuæ.* Et in hoc ſenſu loquitur *D. Tho.*,vt patet *ex textu*, quem pro ſua ſentẽtia refert *Gibb.* Hanc ſententiam docent *Caiet, Conr; Gonet hic diſp.*10.*art.*1;vbi teſtatur hanc eſſe cõmunem *omnibus Thomiſtis*.

6 Vnica concl. Conſilium formaliter importat ſolùm cognitionem claram, & iudicium firmum,ac certum de vtilitate mediorum; materialiter autem,ſeu prout eſt in nobis, importat etiam inquiſitionem,& conſultationem cum dubietate mediorum.

Prob.1.*ex Apoſt.Epheſ.*1;vbi loquẽs de Deo ait: *Qui vniuerſa operatur ſecundùm conſiliũ volũtatis ſuæ.*Ex quo ſic.Conſilium eſt in Deo formaliter;ſed in Deo nequit eſſe inquiſitio, & dubia conſultatio mediorum;ergo conſilium non importat formaliter dubiam conſultationem, & inquiſitionem mediorum.Prob.ma. Illud nequit Deo formaliter denegari,quod habetur *in Scripturis*, & aliunde non importat formaliter manifeſtam imperfectionem; ſed conſilium eſt huiuſmodi; nam conſilium non importat dubiam inquiſitionem mediorum,niſi quia eſt in intellectu ignorantiæ vmbris obcæcato, & ideo non dicit imperfectionem ratione ſui,ſed ratione ſubiecti; ergo eſt in Deo formaliter.

7 Conf.Sapiens, cui nota eſt euidenter vtilitas mediorum ad certam, & ratam conſecutionem finis,verè, & propriè dicitur conſilium dare idiotis ipſum cõſulentibus; ſed in hoc caſu nullam dicit inquiſitionem mediorum, quia media iam ſunt cognita,& nota ſapienti,& ideo ab illo non dicuntur dubiè inquiri; ergo conſilium nec etiam in nobis importat vniuerſaliter dubiam inquiſitionem mediorum,ſed ſolam cognitionẽ, & iudicium firmum vtilitatis ipſorum.

8 Prob.2.*ex illo Sap.9.Quis hominum poteſt ſcire conſilium Dei,aut quis poterit cogitare, quid velit Dominus? Cogitationes enim mortalium timidæ,& incertæ adinuentiones noſtræ*,quibus verbis expreſsè docemur conſilium in nobis eſſe mutabile,incertum,& dubium; quia noſtræ cogitationes,& adinuentiones, ſeu inquiſitiones ſunt dubiæ,& incertæ; in Deo autem eſſe immutabile, certum,& indubium,quia cogitationes Dei ſunt certiſſimæ.Super hoc *Beatiſſ.P. lib.12.de Ciu.Dei c.15.* ait; *Corruptibile enim corpus aggrauat animam,& deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.*Ex quibus ſic. Ideo conſilium in nobis dicit dubiam, & incertam inquiſitionem mediorum, quia corpus ſua denſitate obſcurat intellectum,ne clarè videat vtilitatem mediorũ; intellectus enim pro hoc ſtatu dependet à corpore in intelligendo,quia non intelligit,niſi mediantibus phantaſmatibus corporeis; ſed corpus eſt ſubiectum, in quo eſt anima, in qua eſt intellectus,& in quo eſt conſilium; ergo conſilium ſolùm ratione ſubiecti,& ideo materialiter importat dubiam,& incertam inquiſitionem mediorũ, & conſequenter formaliter importat ſolùm cognitionem certam,& firmum iudicium mediorũ.

9 Obijc.1. *D.Dam. apud Fund. Doctorem diſt.24.p.1.q.1.art.2.* ait; quòd *conſilium eſt appetitus inquiſitiuus*;ergo conſilium eſſentialiter importat inquiſitionem mediorũ; quia quæ ingrediuntur definitionem rei, eſſentialiter importantur;nam definitio eſt eſſentia rei.2. *Ex eod.* conſilium ſpectat ad voluntatem, dicitur enim *appetitus*,qui eſt voluntas;ergo non importat iudiciũ, quod ſpectat ad intellectum. *3.* Iudicium ſequitur ad conſilium; ergo conſilium nequit formaliter importare iudicium; nam illa importantur formaliter, quæ conſtituunt eſſentiam, quæ nequit conſtitui per aliquod poſterius ſe ipſa.4. Conſilium eſt actus Eubuliæ; & iudiciũ eſt actus Syneſis, vt docet *Fund. Doct. de Regim. Princip*; ergo conſilium nequit formaliter importare iudicium; quia actus vnius virtutis nequit conſtitui per actum alterius virtutis; vt actus iuſtitiæ per actum miſericordiæ.

Reſp.

Reſp.ad 1;quòd *D.Dam.*definit conſilium, prout eſt in nobis; ſicut cùm definitur ſcientia *habitus per demonſtrationem acquiſitus*. Diſt.igitur conſ.Conſilium,prout eſt in nobis, importat inquiſitionem,conc;ſecundùm ſe reduplicatiuè, neg. Ad 2.reſp.*cum Fund.Doct.ibid.*diſt.ant. Cōſilium ſpectat ad voluntatem imperatiuè, conc; elicitiuè,neg;voluntas enim, poſtquam intendit aliquem finem, imperat intellectui, vt conſulat de medijs conducentibus ad finis conſecutionē. Ad 3.diſt.ant.eodem modo. Iudicium ſequitur ad conſilium, prout eſt in nobis, & prout in nobis importat inquiſitionem,conc; prout conſideratur ſecundùm ſe formaliter; neg. Quando autem *Fund.Doct. ex D. Dam.* aſſerit iudicium ſequi ad conſilium,tunc loquitur de conſilio, prout in nobis importat ſolam inquiſitionē mediorum;& ſic reſp.ad 4; nam conſilium eſt actus eubuliæ ſolùm, prout importat inquiſitionem mediorum.

10 Objic.2. Conſilium eſt tantùm de medijs,vt *inf;* iudicium autem poteſt eſſe etiam de fine; quapropter viſio beata dicitur etiam notitia iudicatiua; ergo conſilium non importat formaliter iudicium.

Reſp.neg.2.part.ant;nam iudicium eſt ſolùm de ijs, quæ poſſunt contingenter alicui conuenire,vel non conuenire;non autem de ijs, quæ neceſſariò cōueniunt; vnde nō defertur ad Iudices, an Petrus ſit ſubſtantia;ſed an tale prædiū, quod contingenter ſpectat ad Petrū,ſit Petri?Cùm autem voluntas ſolùm in media feratur contingenter,ideo iudicium eſt ſolùm de medijs. Ad illud de viſione beata dicitur, quòd ſolet appellari etiam notitia iudicatiua translatiuè,quatenus eſt firma,& certa cognitio; non autem quatenus eſt de obiecto contingenti, eſt enim de obiecto ſimpliciter neceſſario. Vel dicitur eminenter iudicatiua, quatenus vnico intuitu ſimpliciſſimè cognoſcit,quidquid per enunciationem iudicatiuā poteſt cognoſci.Sed vt magis declaretur.

11 Quæres 1; an conſilium importet iudicium compoſitiuum, vel ſufficiat iudicium ſpectans ad ſimplicem apprehenſionem?

Reſp.*Vaſq.hic q.14.diſp.44.c.1;& ſeq;*quòd licèt non ad omnem motionem voluntatis humanæ(nam de Diuina,& Angelica concedit non habere iudicium compoſitiuum;quia ſupponunt cognitionem,quæ eſt ſimplex intuitus) requiratur iudicium compoſitiuum, quia volūtas poteſt ſe mouere in obiectum cognitum ab intellectu per ſimplicem apprehenſionem; quia ſicut ſufficit brutis ſimplex propoſitio obiecti ſenſibilis abſque iudicio compoſitiuo;ita ſufficit voluntati, vt moueatur in obiectum intelligibile;attamen ad conſilium,quod præſupponitur ad electionē; & ad ipſam electionem,& ad ſpem, & ad timorē prærequiritur iudicium compoſitiuum. Ratio eius eſt; quia ad conſilium circa plura media eligenda neceſſariò requiritur concluſio illius medij, quod indicatur aptius ad conſecutionem finis; concluſio autem eſt cum iudicio compoſitiuo. Præterea nunquam eligitur vnum mediu relictis,niſi per ordinem, & collationem ad finem;& in tali collatione eſt compoſitio. Tandē ſpes eſt de bono futuro cū opinione, quod erit; timor autem eſt de malo cum credulitate;opinio autem,& credulitas ſemper sūt cum compoſitione.Pro hac ſententia refert *Caiet, & omnes recētiores Thomiſtas*.

12 Ceterum *Vaſq;*vt patet, æquiuocat de obiecto iudicij, & de ipſo actu iudicij; quamuis enim ad rationem conſilij requiratur, quòd plura cognoſcantur; debent enim cognoſci plura media,& finis,vt dicitur; ſed iſta poſſunt cognoſci per ſimplicem apprehenſionem; in tantùm enim noſter intellectus componit; in quantùm cognito ſubiecto non cognoſcit ſtatim prædicatum;& cognito principio concluſionem; ac cognita cauſa effectum;& eſſentia proprietates; vt diximus *ex Fund. Doct.q.4.de Ang.art.6;*& ideo iſta componimus per copulam *eſt*,at vero quando ſimul cognoſcimus ſubiectum, & prædicatū; vt cùm dicimus:*Animal rationale*: ſine copula *eſt*,tunc non componimus, ſed apprehendimus compoſita ſimplici apprehenſione, & intuitu; ſicut quando cognoſcimus aliquod compoſitum phyſicum nihil affirmando,aut negando,ſed ſimpliciter cognoſcendo,ſeu intuēdo compoſitum, per ſimplicem intuitum cognoſcimus; ergo quāuis conſilium neceſſariò importet iudicium terminatum ad plura obiecta,ſeu ad plures rationes obiectorum; attamen ex hoc non probatur hoc iudicium eſſe formaliter compoſitiuum;quia iudicium formaliter compoſitiuū ſe tenet ex parte intellectus componentis per copulam *eſt*;non ex parte obiecti; quapropter dicitur *in Summulis* ſimplicem apprehenſionem poſſe terminari etiā ad compoſita, quotieſcunque nihil de eis affirmatur,vel negatur.Sic dicendum de opinione, & credulitate,quæ poſsūt terminari ad plura obiecta ſine affirmatione,& negatione.

13 Conf. Quoties voluntas intendens iter habere imperat intellectui,vt conſulat,an mediū aptius ad iter ſit equus,vel nauis; ſufficit ad conſilium,& iudicium, quòd intellectus ei ſimpliciter repræſentet determinatè equum v. g; tunc enim habetur iudicium determinatum; ergo cōſilium non importat neceſſariò iudicium compoſitiuum.Et quamuis requiratur, quòd intellectus conſideret vtrunque,& relationem ad finem;attamen hoc poteſt fieri per ſimplicem intuitum; quia compoſita,vt dictum eſt,poſſunt apprehendi per ſimplicem intuitum.Quod magis probnā ſimplex intuitus dictus eſt ab oculo; cuius proprium eſt intueri res in ſe ipſis;ſed oculus poteſt intueri ſimul plura obiecta,vt patet; ergo multò magis intellectus, qui eſt potentia vniuerſalior, & perfectior.

14 Illud etiam,quod aſſumit *Vaſq.* ex pari-

tate brutorum, patet falſum eſſe; nam bruta non non ſe mouent liberè in finem; ideo non eſt neceſſe,quòd eis proponatur obiectum ſub duplici ratione;at verò voluntas liberè ſe mouet;& ideo debet ei proponi obiectum ſub duplici ratione, quia libertas eſt,veluti duplex potentia; ergo ei debet eſſentialiter proponi obiectum, veluti duplex;obiectum enim,quia eſt ſpecificatiuum potentiæ,debet ei correſpõdere, & commenſurari.

15 Dicendum igitur, quòd conſilium tunc importat iudicium formaliter compoſitiuum, quando intellectus vnico, & ſimplici intuitu nõ cognoſcit omnia media, conuenientiam, vel diſconuenientiam cum fine; quando verò cognoſcit omnia ſimul, tunc non importat iudicium compoſitiuum; & hac ratione iudicium in Deo, & in Angelis eſt ſimplex, non compoſitiuum, etianſi ad plura obiecta extendatur.

16 Ex his patet iudicium aliud eſſe logicũ, quod importat compoſitionem ſubiecti cum prædicato; aliud eſſe phyſicum, quod importat ſimplicem cognitionem certam, & determinatam alicuius rei præ alia.

17 Dices. Intellectus conſulit, quando ait voluntati: *Fac hoc*, ſed hoc nequit eſſe ſine compoſitione; ergo conſilium importat compoſitionem.

Reſp.admiſſo intellectum conſulere dicendo:*Fac hoc*,per modum conſulentis,non per modum imperantis; attamen dicitur, quòd ad hoc ſufficit, vt per ſimplicem intuitum oſtendat rem faciendam voluntati; nam etiam intellectus Angeli conſulit dicendo: *Fac hoc*; & hoc ſine compoſitione ob rationem allatam *ex Fund.Doct.*;ergo à pari.

18 Quæres 2:an conſilium ſit tantùm circa media?

Reſp.*Sal.& Val.* conſilium poſſe eſſe etiam de fine; quia poteſt inquiri, an præfigendus ſit aliquis finis,& inter plures fines quinam ſit præferendus?

19 Sed contra eſt; nam licèt hoc verum ſit de finibus intermedijs conſideratis, prout ordinantur ad vltimum finem; & ideo prout habent rationem medij;attamen falſum eſt de vltimo fine ſimpliciter,qui eſt præſtitutus, & determinatus à natura.

20 Dicendum ergo conſilium eſſe tantùm de medijs; nam ſicut de principijs nulla eſt quæſtio,ſed tantùm de concluſione;ita de fine,qui ſe habet in practicis, ſicut principium in ſpeculatiuis,nullum poteſt eſſe conſilium, ſed tantùm de medijs. 2.Conſilium eſt tantùm de agibilibus *ex Phil.3.Eth.c.2;& 3*;& de cõtingentibus,quę poſſunt eligi,& nõ eligi;ſed finis nõ eſt agibilis,neq; contingens; in ipſum enim voluntas tẽdit neceſſariò quoad ſpecificationem;at verò ita tendit in vnum medium,vt poſſit in illud non tendere; ergo conſilium eſt tantùm de medijs,non de fine. 3.Conſilium eſt tantùm de actionibus liberis;nã circa actiones neceſſarias nullum eſt conſilium; ſed voluntas fertur liberè in media, & neceſſariò in finem; ergo cõſilium eſt tantùm circa media,non circa finem. 4.Conſilium ſupponit intẽtionem rei,cuius acquiſitionem conſulimus; aliter conſilium eſſet de nihilo,eſſet etenim de nulla re intenta; ſed intentio eſt circa finem; ergo ſupponit finem intentum; & ideo non eſt circa finem.

ART. IV.

Quid ſint conſenſus,& ſententia?

1 Conſentire quantùm ad grammaticalem ſignificationem ſignificat *ſentire ſimul cum alio*, & in hoc ſenſu poteſt conuenire etiam potentijs ſenſitiuis,quæ ſimul habent ſentire idem obiectum; vt cùm quis videt campanam ſonantem, tunc viſus, & auditus conſentiunt,quia ſimul ſẽtiunt.In hoc ſenſu nõ ſumitur *à Theologis*.Rurſus ſumi poteſt pro aſſẽſu pluriũ in aliqua opinione; vnde ſolet dici plures conſentire in aliqua ſententia; & in hoc ſenſu eſt actus intellectus,nec ſumitur ſic in præſenti.Tãdem ſumitur,prout dicit approbationem, acceptationem, & complacentiam aſſenſus alicuius; vt quando aliquis approbat, acceptat,ſibi complacet, & delectatur de iudicio alicuius, dicitur ei conſentire, & in hoc ſenſu eſt actus voluntatis,quia approbare, acceptare ſibi propoſitum, complacere,& delectari eſt actus voluntatis; & ſic ſumitur in præſenti.*Ita Fund.Doct. in 2.diſt. 24.p.1.q. 1.art.2.& dub.lat.ſeq.*

2 Sententia autem dicit firmam adhæſionẽ illius,quod iudicatum eſt; ſicut autem iudicium eſt actus intellectus,ita & ſententia. In hoc autẽ ſententia differt à iudicio, quòd iudicium nullo modo importat actum voluntatis, quia illũ præcedit; ſententia autem aliquo modo importat conſenſum voluntatis, illumque addit ſupra iudicium; nam poſtquam intellectus iudicauit aliquod medium eſſe eligendum, & illud iudicium propoſuit voluntati, accedente conſenſu volũtatis illud iudicium euadit ſententia. Sicuti quãdo conſiliarij proponunt in aliqua cauſa aliquod votum Regi, ſi Rex illud non approbet, non dicitur Regis ſententia;ſi autem approbet,tunc illud non remanet ampliùs purum votum, ſed fit ſententia. Hoc colligit *Fund. Doct. vbi ſ. ex D. Dam*,& ideo aſſerit, quòd conſilium eſt poſt intentionem;poſt conſilium iudicium;poſt iudiciũ ſententia, & poſt ſententiam electio, ex quo habetur ordo,qui reperitur inter omnes hos actus.

3 Viſo,quomodo conſenſus ſe habeat ad ſẽtentiam,inquiri ſolet, quomodò diſtinguatur ab electione. Igitur.

4 Vnica concl. Conſenſus, vt *hic* accipitur, eſt actus ſolius voluntatis,& differt à ſententia, quæ eſt actus intellectus connotans actum volũtatis,quamuis autem intentio, conſenſus, & electio poſſint eſſe idem actus realiter habens diuer-

uerſas rationes; attamen conſenſus differt ab intentione, quia intentio eſt tantùm circa finem, cõſenſus verò,ſicut & electio circa media; & differt ab electione, quia poteſt eſſe conſenſus abſque eo,quòd voluntas eligat, & præoptet vnum præ alio.*Ita Fund.Doct.vbiſ.*

Prob.1.pars concl.*ex Beatiſſ.P.Serm.18.de Verbis Domini in Euang. Matt;* vbi ſuper illud Apoſt. *Epheſ.5. Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem & redarguite*,ait:*Quid eſt,nolite communicare?Nolite conſentire,nolite approbare,nolite laudare.*Et paulò poſt. *Neque ergo conſentientes ſitis malis,vt approbetis; & lib.1.de ſerm.Domini in Monte c.23.* docet: *Nam tria ſunt, quibus impletur peccatum, ſuggeſtione,delectatione, & conſenſione. Suggeſtio ſiue per memoriam fit,ſiue per corporis ſenſus &c.Quo ſi frui delectauerit, delectatio illicita refrenanda eſt &c.Si autem conſenſio facta fuerit,plenum peccatum erit.* Ex quibus ſic. Approbatio eſt actus voluntatis; ſed conſenſus dicit approbationem; ergo eſt actus voluntatis. Ma.patet; quia approbatio dicit acceptationem illius, quod ſibi propoſitum eſt ab intellectu; hæc autem acceptatio eſt actus voluntatis,vt conſtat.Mi.etiam liquet; nam conſentire, vt *hic* ſumitur, eſt ſibi complacere de eo,quod nobis propoſitum eſt. Illud, quo committitur, & completur peccatum, eſt actus voluntatis, quia peccatum non eſt,niſi voluntarium; & voluntarium conſiſtit in actione voluntatis;vt diximus *q.1.de Vol.art.1;* ſed conſenſus dicit id, quo committitur, & completur peccatum; nam licèt peccatum inchoetur per ſuggeſtionem,& per delectationem;ſi tamen illa vincatur, & hæc refrænetur, non eſt peccatum conſummatum;ergo conſenſus importat actum voluntatis.

5 Prob.2.pars concl. *ex Beatiſſ.P.lib.15.de Ciu.Dei c.25;*vbi ait, quòd *iudicium, quo irrogatur pœna peccato; & mutandarum rerum immutabilis ratio eſt de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia,quàm certa præſcientia*; ſed iudicium, ratio,& præſcientia ſunt actus intellectus; ergo ſententia importat actum intellectus. Præterea ſententia dicit firmam prolationem alicuius propoſitionis factæ circa aliquam rem; ſed prolatio eſt actus intellectus;ergo & ſententia. Præterea ſentire propriè dicit actum intellectus; dicit enim aſſenſum alicui propoſitioni, aſſenſus autem eſt actus intellectus;ſed ſententia dicitur à ſentire;ergo dicit actum intellectus.

6 Quòd autem ſententia connotet actum voluntatis;iam dictum eſt; nam iudicium factum à conſiliario Regis non dicitur ſententia,niſi accedente conſenſu ipſius Regis;ſed intellectus eſt conſiliarius voluntatis; ergo eius iudicium non dicitur ſententia,niſi accedente conſenſu voluntatis;& ideo ſententia connotat actũ voluntatis.

7 Prob.4.pars concl. *à Fund. Doct.* Poteſt voluntas eodem actu tendere in finem,& media vt oſtenſum eſt *art.2;*ſed quatenus tendit in finẽ eſt intentio; quatenus autem tendit in media,eſt electio; nequit autem eſſe electio ſine conſenſu; ergo intentio,electio, & conſenſus poſſunt eſſe vnus, & idem actus realiter. Tum quia intentio poteſt eſſe de fine intermedio,de quo poteſt eſſe electio,& conſenſus; vt cùm quis intendit, tanquam ſuum finem vltimum, diuitias, quas eligit ſibi,tanquam finem, & quibus per approbationẽ conſentit; ergo in tali caſu intentio, electio, & conſenſus ſunt idem actus realiter.

8 Prob.4. pars. Conſenſus, vt *hic* de eo loquimur,eſt approbatio iudicij, vt dictum eſt: ſed iudicium eſt tantùm de medijs; ergo conſenſus eſt tantùm de medijs; atqui poteſt dari intentio, quæ non ſit de medijs,vt eſt intentio vltimi finis ſimpliciter;ergo conſenſus differt ab intentione, quòd intentio eſt de fine,conſenſus verò de medijs. Quamuis enim voluntas dicatur etiam conſentire ipſi fini; attamen impropriè dicitur, quia voluntas naturaliter,& neceſſariò tendit in finẽ; conſenſus verò eſt liber, & per illum liberè tendit;cùm autem non tendat liberè, niſi in media; ideo conſenſus eſt tantùm de medijs.

9 Prob.vlt.pars.Poteſt voluntas conſentire alicui medio ſibi ab intellectu propoſito, & etiam illud non eligere, quia poteſt præcipere intellectui, vt videat, an reperiatur aliud mediũ aptius;ergo in tali caſu conſenſus non eſſet idẽ, quòd electio. Rurſus poteſt voluntas conſentire pluribus medijs ſibi propoſitis, quia conſenſus eſt ſimplex beneplacitum voluntatis;poteſt autẽ voluntas ſibi complacere de pluribus per ordinẽ ad vnum finem;electio autem eſt de vno tantùm medio, quia *eſt ſelectio vnius præ alio*; ergo conſenſus poteſt eſſe actus diſtinctus ab electione.

ART. V.

An imperium ſit actus voluntatis?

1 Pluries diximus conſilium,iudicium, ſententiam, alioſque actus nedum ipſius intellectus, ſed etiam aliarum potentiarũ imperari à voluntate, ideo nunc quærendum, an imperium ſit actus elicitus à voluntate. Quamuis autem multa de hoc dicta ſint *to.2. q.1. de Prou. art.4.n.5; & n.28; & 29; & q.1. de Præd. art.4. n.8;* attamen *hic* ad formam reducenda ſunt.

2 Prima ſententia vult imperium eſſe actũ intellectus,ſed diuiſa eſt;nam *aliqui* volunt præſupponere motionem voluntatis. *Ita Caiet; Sot; Cõr,Io.à S.Tho;Gonet,Vaſq;Ouied; Amic; Cordub; Fonſ;Sal;Lorca, Monteſin; & alij apud noſtrum Gibb.hic diſp. 20. dub.1;* qui huic ſententiæ ſubſcribit. *Alij* verò antecedere omnem actum voluntatis;imò addunt imperium eſſe actum intellectus determinantem ipſam volũtatem ad actũ. *Ita Capr; Med; & Val. Alij* tandem opinãtur imperium propriè conuenire nedum alicui actui voluntatis,quo voluntas vult, vt aliquid fiat;ſed etiam alicui actui intellectus,quo modo imperatiuo

tiuo dicit voluntati : *Fac hoc . Ita quidam ex noſtris .*

3 Secunda ſententia docet Imperium propriè loquendo eſſe actum ſolius volũtatis; intellectui autem non conuenire , niſi proponere , & conſulere voluntatem , ac eius imperia promulgare; ſicut Conſiliario Regis ſolùm cõuenit proponere ipſi Regi facienda , & conſiliari, quid faciendum ſit,nec non promulgare, & manifeſtare imperia ipſius Regis ; ipſi autem Regi duntaxat conuenit imperare , quia apud illum ſolùm reſidet dominiũ.*Ita Fund.Doct.in 2.diſt.24.p.1.q.1. art.1 .§.Sed ſi dicatur;* vbi ait: *Formare verba imperij , vel formare verba dominij eſt rationis ,& proferre etiam huiuſmodi verba intrinſecus eſt rationis,quia nulla potentia animæ format , vel prõfert verba intrinſeca,niſi intellectus,vel ratio.Tamen hoc non obſtante imperare,& dominari eſt voluntatis ; habebit enim ſe in hoc caſu intellectus ad voluntatem,ſicut Conſiliarius ad Regem. Conſiliarius quidem ſciens voluntatem Regis ſecundùm voluntatem illam poteſt formare, & proferre verba imperij,& dominij; illud tamen imperium , & dominium, ſecundùm quod verba proferuntur, & formantur,non eſt conſiliarij,ſed Regis,& Rex dicit eſſe Præceptor,Imperator,& Dominus,non Cõſiliarius;et Quodl.6.q.13.in fin;& in 2.diſt.25.q.1. art.4.§.Propter argumenta ;* vbi fusè hoc probat *ex D.Dam;* ait enim: *Diſtinguendum eſt de operibus, prout ſunt à libero arbitrio ; quia aliqua ſunt elicitiuè,aliqua imperatiuè;*& paulò poſt:*Nam liberum arbitrium imperat intellectui , vt inquirat, & conſilietur,& iudicet,quomodò poſſit finem conſequi; facit impetum in membris corporalibus , & imperat eis motum .* Ex quibus patet imperium voluntatis extendi nedum ad intellectum , ſed etiam ad membra corporis:Et *inf.Igitur liberum arbitrium omnia , quæ ſpectant ad ſe ipſum , facit elicitiuè; & omnia, quæ ſpectant ad voluntatem , facit imperatiuè, ſic etiam omnia , quæ ſpectant ad partem ſenſitiuam , prout ſunt ſubdita rationi , facit etiam imperatiuè;* ex quo deducitur etiam operationes ſenſitiuas ſubdi imperio voluntatis. Hanc ſententiam tenent *veri illius Diſcipuli;* vltra quos *Scot.in 2.diſt.6. q.1. §. Reſpondeo ; & §. Ad arg:& Quodl.17.§.De ſecundo; Henr.Quodl. 9.q.6; Okam.in 3.q.12. art.4. concl; Aureol. in 1. diſt.42.p.1.art;2.propoſit.2; & alij quamplures .*

4 Not; quòd *Thomiſtæ ex Caiet.* volunt imperium importare tres actus , ſcilicet ordinationem alicuius ad aliquid faciendum; intimationẽ ei factam , & motionem . Dicunt autem ordinationem , & intimationem eſſe actus intellectus , quia ſolus intellectus habet ordinare ; & habet intimare voluntati:*Fac hoc;* motionem autem eſſe actum voluntatis.Motio autem voluntatis ſe habet tantùm extrinſecè , quia eſt à voluntate , tanquam à mouente extrinſeco ; at verò entitas materialis ipſius intimationis,ſeu ordinationis ſe habet intrinſecè reſpectu imperij , vt quanuis mors tolerata propter Chriſtum ſit à charitate , tanquam à mouente extrinſeco; attamen elicitiuè eſt tantùm à fortitudine ; ordinatio autem, & intimatio,quę dicit locutionem ſpiritualem,quę elicitur ab intellectu , eſt elicitiuè ab ipſo intellectu ; & ideo imperiũm eſſe actum elicitum ab intellectu ſupponentem tamen motionem volũtatis.Addunt,*vt noſter Gibb;*imperium, & legem non obligare,niſi per intimationem , non enim obligatur ſubditus ad obediendum , niſi ei intimetur, & ideo ipſam intimationem formaliter importari ab imperio . Hæc ſunt adminicula huius ſententiæ .

5 Sed parum ſolida, quia ex eo,quòd miniſter Regis ordinet legem impleri , non dicitur propriè facere legẽ; ſicut ex eo, quòd Apoſtoli , & Prædicatores Euangelici direxerint homines ad implenda mandata Dei , dicti non ſunt feciſſe ea mandata;ita ex eo,quòd Tubicines,& Curſores intimant leges, & mandata, non dicuntur facere legem,aut mandare,& ideo ordinatores,intimatores , & promulgatores præceptorum , & mandatorum alicuius Regis in aliquo Regnó non dicuntur propriè imperare in illo Regno , nec dicuntur Imperatores, ſed tantùm miniſtri , aut executores imperiorum,& mandatorum Regis;Rex autem dicitur propriè imperare,& mandare; licèt Regis imperia , & mandata non promulgentur, & notificentur, *niſi* per miniſtros ipſius Regis . Et quanuis lex, aut imperium non obliget,niſi intimetur,& promulgetur ; attamen non ſequitur promulgationem, & intimationem formaliter eſſe ipſam legem̃,aut imperium , quia aliquando lex,& imperium iam factum eſt,& nõdum promulgatum,& intimatum;ſed tantùm dicitur intimationem, & promulgationem eſſe cõditionem neceſſarlò exigitam ad hoc,vt lex obliget,vt dicemus *in tract.de Legibus*; & eſt doctrina communiter recepta ; ergo licèt intellectus habeat ordinare executionem Imperij, intimare, & promulgare ; attamen ex hoc non deducitur propriè imperare; ſed tantùm eſſe miniſtrum ipſius imperij.*His not.*

6 Vnica concl.Imperium propriè,& formaliter eſt actus elicitus à voluntate ; & miniſterialiter promulgatus ab intellectu .

Prob.1.*ex Beatiſſ.P. lib.8. Confeſſ.c.9;* vbi docet:*Imperat,*inquã,*vt velit,qui non imperaret, niſi vellet;& non fit,quod imperat; ſed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat, nam in tantùm imperat,in quantùm vult; & in tantùm non fit, quod imperat,in quantùm non vult. Quoniam voluntas imperat,vt ſit voluntas;nec alia,ſed ipſa ; non vtique plena imperat ; ideo non eſt , quod imperat .* Arguitur autem ſic *ex Fund,Doct.vbiſ.* Actus intellectus , & aliarum potentiarum imperantur à voluntate;ſed imperium eſt actus illius potentię; à qua imperantur actus intellectus , & aliarum potentiarum ; ergo imperium eſt actus voluntatis . Ma. patet ex doctrina communi etiam *ipſis*

Tho-

Digitized by Google

T homiſtis,qui diuidunt actus voluntatis in elicitos,& imperatos; ſed non dicuntur imperati,niſi quia imperantur à voluntate; ſicut non dicuntur eliciti,niſi quia ab ipſa eliciuntur; ergo actus intellectus, & aliarum potentiarum imperantur à voluntate. Prob.mi.Actus alicuius potentiæ nequeunt imperari ab alia potentia, niſi quia alia potentia elicit actum imperij; aliter non eſſet ratio, cur potiùs iſta, quàm alia habeat rationem imperantis,aut imperatæ;ſed actus intellectus,& aliarum potentiarum imperantur ab aliqua potentia; communiter enim dicuntur imperati; ergo imperium eſt actus illius potentiæ, à qua imperantur actus intellectus,& aliarum.Tum quia conſilium eſt actus illius potentiæ,quæ habet cōſiliari alias potentias;ergo imperium eſt actus illius potentiæ, quæ habet imperare alijs potentijs;ſed voluntas eſt huiuſmodi; in tantùm enim actus aliarum potentiarum dicuntur imperati à voluntate;in quantùm voluntas imperat alijs potentijs,vt agant; imperium enim cadit ſuper aliquam actionem faciendam; ergo imperium eſt actus ſolius voluntatis.

7 Prob. 2. Imperium eſt actus ſolius potentiæ,quæ habet formaliter dominium, & poteſtatem in ſubditos,quibus imperat;ridiculum enim eſſet,quòd Princeps imperaret aliquibus ſibi nō ſubditis, in quos non habet dominium, & poteſtatem;nam imperium eſt actus dominij, cui correſpondet ſubiectio; ſed ſola volūtas habet dominium,& poteſtatem in actus aliarum potentiarum, quia ſola voluntas eſt formaliter libera, & libertas formaliter conſtituitur per dominium, & per habere in ſua poteſtate actus, quos elicit, & quos imperat,vt docet *Beatiſſ.P. in libris de lib.arb;& cum illo omnes communiter*,ergo imperium eſt actus ſolius voluntatis.

8 Conf. Obedientia formaliter eſt actus ſolius voluntatis;quapropter ille dicitur obediens, qui conformat ſuam voluntatem voluntati alterius;ſed imperium eſt actus illius potentiæ,cuius eſt actus obedientia;nam imperium, & obedientia ſunt correlatiua,& ideo debent ſibi ad inuicē correſpondere;vt quia paternitas eſt relatio originis,ideo filiatio, quæ illi reſpondet, eſt relatio originis; ſic quia vna ſimilitudo fundatur in qualitate;ideo etiam altera illi correſpondens; ergo imperium eſt actus ſolius voluntatis.

9 Prob.3.Imperium eſt actus illius potentię ſolùm,quæ habet formaliter mouere, & applicare ad agendum eo modo, quo dictum eſt *in ſup. q.art.7*;hoc enim importat eſſentialiter imperiū; ſed ſola voluntas eſt huiuſmodi, vt diximus *in ſup.q*;ergo imperium eſt actus ſolius voluntatis.

10 Præterea imperium eſt actus illius potētiæ ſolùm, quæ denominatur formaliter imperatrix;ſed ſola voluntas eſt huiuſmodi, ergo imperium eſt actus ſolius voluntatis. Ma.patet.Prob. mi.Intellectus eſt formaliter conſiliarius; ſed cōſiliarius malè denominaretur Imperator;ergo ſola voluntas eſt imperatrix.

11 Tandem prob. euertendo rationem oppoſitam. In tantùm imperium eſt actus elicitus ab intellectu, in quantùm importat ordinationē, intimationem,& promulgationem;vt *ſup.* dictum eſt;ſed hoc eſt falſum; nam licèt ordinatio, prout dicit ordinem, & directionem rerum, ſit actus intellectus; attamen prout dicit deſtinationem, & propoſitum applicans medium ad finem, eſt actus voluntatis; imperium autem dicit propoſitum applicans, & deſtinationem; ideo etiam ex hoc capite importat actum voluntatis.Sic quanuis imperium importet intimationē, & promulgationem, quia tamen illam non importat, niſi tanquam conditionem neceſſariò exigitam ad hoc,vt obliget ſubditos; ideo non conſiſtit formaliter in intimatione,& promulgatione; hinc Apoſtoli,& Prædicatores intimantes,& promulgantes præcepta Dei non dicuntur præcipere, imperare,& præcepta condere,& facere,ſed tantùm promulgare, & intimare præcepta Dei; aliter quæcunq; præcepta intimata ab Apoſtolis nō eſſent de iure Diuino, quod eſt falſum; ſic Tubicines,Curſores,& Baliui intimantes, & promulgantes aliquam legem, aut præceptum Regis dicerentur condere leges,& præcepta;ergo ex hoc potiùs concluditur imperium conſiſtere in actu voluntatis,cùm intellectus ſe habeat, vt intimator,& promulgator. Tum quia quanuis intimatio,& promulgatio ſit neceſſaria imperio,& præcepto,quod fit alteri; attamen non eſt neceſſaria imperio, quod ſibimet fit; ergo imperium non conſiſtit formaliter in intimatione, & promulgatione.

12 Conf. Quanuis ad hoc, vt intimetur aliqua ſcriptura parti aduerſę in iudicio,requiratur, quòd ei legatur; attamen ex hoc non ſequitur, quòd legens illam ſcripturam illam condiderit; ergo quanuis ad hoc, vt intimetur imperium,requiratur, quòd promulgetur ab intellectu; non tamen ex hoc ſequitur,quòd promulgans elicuerit imperium.

13 Obijc.1.*Magnus P.Aug.lib.10. de Ciuit. Dei c.4*.ait dominationem imperantis eſſe in lingua,quæ explicat conceptum mentis;ergo imperium conſiſtit etiam in actu intellectus.

Reſp. hunc textum non inueniri *loc. cit*; & quanuis alio in loco reperiatur;attamen non cōcludit intentum; nam dominatio imperantis reperitur in lingua, tanquam in miniſtro promulgationis; ſicut edictum Regis reperitur in lingua Tubicinis, tanquam in organo, quo fit promulgatio.

14 Obijc. 2. Quando Principes imperant ſubditis, explicant imperium per hæc verba: *Fac hoc*; ſed etiam intellectus loquitur voluntati his verbis: *Fac hoc*; ergo intellectus imperat voluntati.Tum quia intellectus mouet volūtatem, vt dictum eſt *in ſup.q*;ergo ei imperat.

Reſp.diſcrimen eſſe inter *Fac hoc* Principis ad

ad ſubditos : & *Fac hoc* intellectus ad voluntatē; nam illud eſt cum dominio,& poteſtate,iſtud autem eſt ſolùm per modum ſuaſionis , & conſilij ; vnde idem eſt,ac *hoc eſt faciendum* ; ſicut Conſiliarius Regi dicēs *Fac hoc* non præcipit, ſed ſuadet,& conſulit; nullus enim diceret, quòd intellectus habeat in ſua poteſtate , & dominio actus voluntatis, & è contra ; vnde nequit dicere *Fac hoc* voluntati per modum dominij,& poteſtatis ; ſicut Conſiliarius,quia non habet in ſua poteſtate,& dominio voluntatem Regis,nequit illi præcipere, ſed è contra. Ad 2. diſt. ant. Intellectus mouet voluntatem proponendo ei obiectum , conc; imperando, neg.

15 Obijc. 3. Ad imperium requiritur ordinatio,intimatio,& motio, ſed ordinatio , & intimatio ſunt actus intellectus ; ergo imperium eſt actus intellectus .

Reſp.hoc fuiſſe ſolutum.Diſt.igitur ma.Requiritur ordinatio , & intimatio formaliter, neg; materialiter,vt ſcilicet manifeſtetur,conc;& diſt. mi.Ordinatio,prout eſt idē, ac directio, eſt actus intellectus,conc; prout eſt idem,ac propoſitum , ſeu deſtinatio,neg.

16 Alias obiectiones,eorumque ſolutiones *vid.to.2.q.1.de Prouid.n.28;& 29.*

17 Quæres; an de ratione imperij ſit eſſe efficax ?

Reſp.negatiuè;colligitur enim *ex Beatiſ.P. ibid.*voluntatem imperare membris, & hæc obedire; imperare autem ſenſibus, hoſque non obedire,quia ſunt rebelles per peccatum ; vnde imperium aliud eſt efficax, aliud inefficax;& hoc videmus etiam in politicis ; nam Principes, & Superiores plura imperant, quibus ſubditi nō obediunt;ergo de ratione imperij non eſt, quòd efficaciter ponatur res imperata ; ſubditi enim non obediendo non efficiunt , vt illa res non ſit verè imperata .

18 Collig. 1. ex dictis imperium eſſe ſolùm circa media,non circa finem;quia debet eſſe de actionibus liberis;nam debet eſſe de actionibus , quæ ſunt in poteſtate voluntatis;huiuſmodi autē ſunt actiones liberæ;ſed actiones liberæ ſunt tantùm circa media; nam voluntas neceſſariò tendit in finem;ergo imperium eſt tantùm circa media; fruſtra enim imperatur id , quod non poteſt non eſſe .

19 Collig.2. Imperium eſſe tantùm circa actus,qui fiunt ex deliberatione; nam motus primò primi non cadunt ſub imperio libertatis , ſed illud præueniunt .

A R T. VI.

Quid, & de quibus ſit electio ?

1 ORdine aſſignato ſequitur agendum de electione ; de qua multa quæruntur ; ſed quoniam aliqua nullam habent difficultatem, communiter enim tenentur; ideo ſola egent explicatione; quam dabimus *in ſeq.*§.

§. 1.

Quid ſit electio, & cuius potentiæ, & obiecti ſit actio ?

2 ELectio definitur *ſecūdùm Dam. apud Fund.Doct. in 2.diſt.24.p.1.q.1.art. 2.prope finem ſelectio vnius præ alio* ; ſeu vt communiter dicitur *ex duobus præpoſitis præoptatio vnius præ altero* . Vnde ad electionem eſſentialiter requiritur,quòd fiat ex pluribus . Hinc *Beatiſſ.P.ſerm.39.ad Fratr.in Erem.* docet electionē fieri tribus modis. 1. Quando ex bonis,& malis eliguntur boni . 2. Quando ex bonis eliguntur meliores.3.Quando ex melioribus eliguntur optimi. Prima vocatur *electio*; ſecunda *ſubelectio*; & tertia *prælectio*;inquit enim:*Sunt tres modi eligēdi,electio,ſubelectio,& prælectio.Electio eſt,quādo de multitudine bonorum , & malorum eligitur bonū,ſicut de torculari oleum ſeparatur.Subelectio eſt,quādo de bonis electis eligūtur meliores.Poſtea quādo de melioribus optimi eligūtur,prælectio eſt. In hūc ordinē electus eſt Aaron, et filij eius,vt Sacerdotio ſungerentur coram Domino.Primò enim Dominus ex omni natione, quæ ſub Cælo erat , Iſrael elegit in populum peculiarem ſibi. De his autē ſubelegit filios Leui, qui tanquam miniſtri ſpiritales in tabernaculo Domini ritu perpetuo deſeruirēt. De quibus etiam prælegit filios Aaron, qui precibus,& oblationibus ſuis indignationem Domini in populum placarent.* Ex quibus patet electionem eſſentialiter eſſe ex pluribus ; & deducitur ex vi nominis;electio enim dicitur *ex alio lectio* .

3 Electio formaliter ſumpta eſt actus volūtatis.Traditur à *Beatiſſ. P. lib.de Spir; & anima. c.48*;vbi ait:*Habens in ſe libertatem arbitrij;vt in ſuæ ſubſtantiæ eligat cogitatione, quod vult; libertati ſiquidem arbitrij ſui cōmiſſus eſt homo;poſtquā verò deceptione ſerpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit,pariter & vigorem;non tamen electionem,ne non eſſet ſuum, quod emendaret, peccatum.*Idem tradit *Phil.3.Eth.c.5*;vbi ait:*Electio eſt deſiderium præconſiliati* ; deſiderium autem eſt actus voluntatis.Super hoc *Fund.Doct.vbiſ.q.2. art.5.dub.6.lit.*ait: *Dicēdum,quòd actus liberi arbitrij eſt electio.*Ratio eſt.Libertas eſt formaliter voluntas;ſed electio eſt formaliter actus libertatis;ergo eſt formaliter actus voluntatis. Ma.conſtat ex *alibi* dictis . Mi.etiam patet;quia libertas eſt tantùm circa media , circa quæ eſt electio, vt mox dicemus.Item electio eſt actus potentię determinantis formaliter vnum præ alio;ſed huiuſmodi potentia eſt voluntas, cuius eſt proprium determinare;ergo eſt actus voluntatis .

4 Dices.Electio eſt actus rationis; ſed ratio eſt intellectus;ergo electio eſt actus intellectus . 2.*Phil. 6. Eth. c.6.* ait: *Quapropter electio vel intellectus,vel appetitus intellectiuus; & D.Gregor. Niſſ.lib.5.Philoſoph.c.4.* ait: *Eſt itaq, electio mixtum quid ex conſilio,iudicio,& appetitu*;ergo electio non eſt actus ſolius voluntatis .

Reſp. ad 1. etiam voluntatem appellari ratio-

tionem, quia eſt inclinatio ſequens rationem. Diſt.ergo ma.Electio eſt actus rationis, idèſt appetitus ſequentis rationem, conc; idèſt intellectus,neg.Ad 2.dicitur *Phil.ibid.*loqui de electione præſuppoſitiuè,non formaliter ſumpta;loquēs autē de illa formaliter *c.3.*ait eſſe *appetitum deliberatiuum.*Ad *D.Niſſ.*dicitur loqui de electione integraliter ſumpta,idèſt ſecundùm omnia, quæ concurrunt ad illam ſiue materialiter,& præſuppoſitiuè,ſiue formaliter.

5 Ex hoc collig. electionem non conuenire brutis,pueris,amentibus, ceteriſque vſu rationis carentibus, quia eis non conuenit liberum arbitrium.

6 Electio eſt tantùm mediorum, non autem finis.Probat hoc *Fund.Doct.in 2.diſt.25.q.1.art.3.§.Poſſumus autem ex Phil.3. Eth. c.2;& 3;* vbi ait:*Voluntas eſt finis,electio autem eorum,quæ ſūt ad finem.*Ratio eſt. Electio eſt de illis, de quibus eſt conſilium, poſtquam enim intellectus conſuluit, quid ſequendum ſit, voluntas illud eligit alijs relictis;ſed conſilium eſt tantū de medijs, vt dictum eſt *art.3.n.*18;ergo & electio. Præterea electio eſt tantùm de illis, in quæ voluntas tendit liberè; quia de illis, in quæ voluntas tendit neceſſariò,ſeu vt natura,non eſt electio,ſed intētio;nam in illa,in quæ tendit,vt natura,tendit,vt determinata ad vnum;electio autem eſſentialiter tendit in plura,quorùm vnum relinquit, & aliud ſequitur,ſed media ſolùm ſunt illa,in quæ tendit liberè;ergo electio eſt tantùm de medijs.*Vid.ſup. q.3.art.5.*alias rationes,& obiectiones.

7 Dices.*Propter quod vnunquodque tale,& illud magis;* ſed propter finem eliguntur media; ergo multò magis eligitur finis. 2.Finis eſt obiectum formale ſpecificans omnes actus voluntatis;nam media ſolùm ſecundariò, & materialiter ſe habent; quia reſpiciuntur ſolùm ratione alterius;ergo electio,quæ eſt actus voluntatis, principaliùs reſpicit finem,quàm media.

Reſp.ad 1.*cum Fund.Doct. loc.cit.to.2. de Trin.q.4. art.7.n.3;* illud principium valere tantùm in analogis participantibus eandem formā ſpecie inæqualiter;finis autem, & media habent bonitatem ſpecificè diuerſam; quia bonitas finis eſt honeſta,bonitas medij eſt vtilis. Diſt. igitur ma.Si habeant eandem formam ſpecie,conc; ſed neg.mi.Si diuerſam,neg. Ad 2.neg.ma; nam obiectum adæquatum ſpecificatiuum voluntatis eſt bonum, *vt ſic*, bonum autem, *vt ſic*, conuertitur cum fine abſolutè,& relatiuè ſumpto,idèſt ſecūdùm ſe,& per reſpectum ad media,quæ referuntur ad finem.

8 Quæres;an ſuppoſito,quòd eſſet tantùm vnicum medium,voluntas neceſſitaretur ad eligendum?

Reſp;quòd ſi voluntas efficaciter intenderet finem ſimpliciter ita,vt non poſſet non conſequi illum finem, qui neceſſariò conſequendus eſſet per illud medium adeo, vt nulla alia eſſet via ad finem conſequendum; tunc voluntas neceſſitaretur ad illud eligendum; aliter ſi illud nō eligeret, non conſequeretur finem efficaciter; neceſſarium enim ſimpliciter eſt illud, ſine quo finis intentus haberi non poteſt; & ſic voluntas intenderet efficaciter,& non efficaciter. Si autē autem voluntas non intenderet efficaciter ita, vt poſſet finem non conſequi, voluntas non neceſſitaretur ſimpliciter; quia poſſet omittere finem, & per conſequens omittere electionem medij;& ideo non neceſſitaretur;vt v.g.ſi mediū vnicum ad ſanandum vulnus brachij eſſet ſciſſio brachij, tunc voluntas non neceſſitaretur ad eligendam ſciſſionem,quia poſſet potiùs velle mori,& nolle ſanitatem,quàm ſciſſionem; at verò ſi vellet efficaciter ſanitatem ita,vt ſanitas actualiter ponenda ſit, neceſſitatur ad eligendam ſciſſionem.

9 Dices. 1. Si voluntas efficaciter intenderet placere Deo,& ei non occurreret, niſi vnicū medium,idèſt obſeruantia ieiunij; tunc voluntas mereretur obſeruando ieiunium; ergo non neceſſitaretur ad talem obſeruatiam; quia meritū importat libertatem. 2. Voluntas nequit neceſſitari,niſi ab obiecto,quod eſt omne bonum; ſed tale medium non eſſet omne bonum; ergo ab illo non neceſſitaretur.

Reſp. ad 1; quòd ſi voluntas intenderet liberè efficaciter placere Deo, hoc ſufficeret ad meritum,quod principaliter reſpicit finem;ſi autem intenderet neceſſariò,non mereretur. Ad 2. dicitur, quòd voluntas neceſſitatur nedum ab omni bono,ſed etiam ab eo, quod non eſt indifferens ad bonum, & malum; liberè enim tendit in illud,quod habet rationem boni,& mali; neceſſariò autem tendit in illud,quod habet rationem boni tantùm;ita autem ſe haberet illud medium in caſu;quia ſimpliciter conduceret ad illū finem,nec auerteret vllo modo; in tantùm enim medium auertit à fine, in quantùm cognoſcitur aliud eſſe aptius ad illum finem, quod non eſſet in caſu.

10 Inſt.Si quis intenderet efficaciter ſanitatem, poſſet nolle ſciſſionem brachij, quæ vnicè ad illam conducit;ergo nulla eſt ratio.

Reſp; quòd nollendo ſciſſionem redderet inefficacem intentionem ſanitatis, quia impediret actualem conſecutionem illius.

11 An autem voluntas poſſit eligere media impoſsibilia,cognita,vt impoſsibilia; vel tantùm media poſſibilia,aut impoſſibilia cognita,vt poſſibilia;idem dicendum, quod diximus de ſimplici volitione *ſuperiùs art.1.n.10;& ſeq.*

§. 2.

An voluntas ex duobus medijs æqualiter bonis poſſit vnum eligere alio reiecto;& ex duobus inæqualiter bonis eligere minus relicto maiori?

12 Certum eſt voluntatem ex duobus medijs æqualiter, vel inæqualiter bo-

bonis ſecundùm ſe ipſis poſſe vnum illorum, etianſi ſit minùs bonum,eligere; dummodò id, quod eligitur,repræſentetur,vt magis bonum; tunc enim habet rationem maioris boni apparẽtis.Difficultas igitur eſt de duobus bonis repræſentatis,vt talia ſunt; ſcilicet vel vt æquè, vel vt inæqualiter bona.

13 Inſuper dubium non eſt, quòd voluntas poſsit ſic eligere mediatè, & remotè; quatenus poteſt imperare intellectui,vt magis pẽdat rationes pro altero tantùm illorum; illudque iterum proponat cum exceſſu ſuper aliud. Dubium ergo eſt,an voluntas poſſit eligere immediatè abſque alio iudicio,& examine.

14 Tandem certum eſt, quòd licèt intellectus ſpeculatiuè cognoſcat aliquod maius bonum; attamen practicè iudicat bonum minus eſſe ſequendum *hic, & nunc* ob magnas difficultates,quas ſecũ affert bonũ maius, quibus cùm careat bonũ minus, apparet,vt magis bonũ practicè;nã difficultas habet rationẽ mali pœnæ;quia magna pœna eſt ſubcũda in executione illius;vt cùm intellectus proponit voluntati ieiunium, quòd ſecum habet difficultatem pœnalem corporis,ad reprimendam libidinem; & fornicationem, quæ defert ſecum delectationem ſenſibilẽ; quanuis enim intellectus ſpeculatiuè repræſentet ieiunium,vt magis bonũ;attamen practicè illud repræſentat,vt pœnale;fornicationẽ verò,vt delectabilem, & ideo voluntas poteſt eligere fornicationem relicto ieiunio. Quæritur ergo de duobus bonis practicè propoſitis, vt talia ſunt.

15 Prima ſententia vult poſſe voluntatem eligere bonũ æquale,vel inæquale relicto æquali,vel etiam maiori bono. *Ita Med;Val; Monteſin;Amic;Sal,Ouied; Arriag; Sua.in Met. diſp.19. ſect.4.apud noſtrum Gibb. hic diſp.19. dub.3;* qui illos ſequitur;*& alij*, qui tamen aiũt in illo caſu illũ actũ voluntatis non eſſe propriè electionem.

16 Secunda ſententia docet voluntatem non poſſe eligere bonum æquale, vel minus relicto æquali,vel maiori. Deducitur manifeſtè *ex Fund.Doct.Quodl.3.q.16;& 2.ſent.diſt.24.art.2.* Ipſum ſequitur *noſter Greg.in 1.diſt.40.q.1.ar.2. ad 1; Argent; & ferè omnes noſtri. Ex alijs verò D.Tho;Capr,Conr;Caiet;Io.à S.Tho;Gonet,& omnes Thomiſtæ. Henr;Ric; Maior; Marſil; Vaſq; Martinez; & alij communiter.*

17 Not,quòd licèt contingat, vt plurimùm voluntatem eligere id, quod ab intellectu iudicatum eſt melius;& quando proponuntur duo æqualia,regulariter imperare intellectui, vt diligentiùs conſulat de maiori vtrius bonitate;attamen quærimus, an voluntas pro ſua libertate poſſit tendere in minus, vel in æquale abſque nouo conſilio, & iudicio?

18 Vnica concl. Nequit voluntas ex duobus æqualiter bonis eligere vnum relicto alio; nec ex duobus inæqualiter bonis eligere minus relicto maiori.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.loc.cit.in ſup.§;* vbi docet tres tantùm eſſe modos electionis; ſcilicet quibus ex bonis,& malis eligirur bonum; ex bonis eligitur melius; & ex melioribus eligitur optimum,ſed ſi ex duobus æqualiter bonis poſſet voluntas eligere vnum relicto altero; & ex duobus inæqualiter bonis poſſet eligere minus relicto maiori, non eſſent tantùm tres modi eligendi;quia electio non fieret tantùm de meliori,ſed poſſet etiam fieri de minùs bono, vel etiam de malo;vt *inf.* patebit; ergo voluntas nequit ex duobus æqualiter bonis vnum eligere; aut ex duobus inæqualibus eligere minus relicto maiori.

19 Prob.2.Quælibet potentia,quæ mouetur, & trahitur à ſuo obiecto, ſi moueatur, & trahatur à pluribus,in illud tendit, à quo fortiùs mouetur,& trahitur;ſed voluntas mouetur,& trahitur à bono;ergo ſi moueatur, & trahatur à pluribus bonis,in illud tendit,à quo fortiùs mouetur, & trahitur;atqui à bono æquali non mouetur,& trahitur fortiùs, quàm ab alio bono æquali; & à fortiori à minùs bono; quia bonum æquale habet ęqualem vim motiuam,& tractiuam,ac aliud bonum æquale;& minùs bonum habet minorem vim tractiuam; ergo voluntas nequit tendere in bonum æquale, vel in minùs bonũ relicto æqualiter,vel minùs bono. Ma.prob; quia nauis, quæ mouetur ad motum aquæ,& venti,ſi fortiùs moueatur à vento, mouetur contra ſecundam vim fluminis;ſi autem fortiùs moueatur ab aqua,mouetur aduerſus vim venti; & experientia conſtat in omnibus motibus, quæ ſunt ad partes in oppoſitum,in illam partem fieri, in quam eſt maior vis impulſiua. Mi.conſtat; quia voluntas mouetur ab obiecto,vt dictum eſt *in ſup. q;* & *trahitur à rebus;vt cum Phil.*docent *omnes communiter.*

20 Conf. 1. Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita ſe habet ſecundùm quid ad ſecundum quid; ſicut enim ad tendendum deorſum ſimpliciter requiritur grauitas ſimpliciter; ita ad magis velociter tendendum requiritur maior grauitas;ſed voluntas nequit tendere ſimpliciter in aliquod obiectum,niſi ſit bonum;ergo nequit magis tendere in vnum, quàm in aliud, niſi ſit magis bonum; & ideo nequit tendere in bonum æquale, vel minus relicto æquali, vel maiori bono.

21 Prob.3.euertendo rationem oppoſitam. Si voluntas poſſet tendere in bonum æquale,vel minus relicto æquali,vel maiori, maximè, quia eſt potentia libera liberè tendens in ſuum obiectum; ſed ex hoc nihil ſequitur; ergo nulla eſt hæc ratio.Ma.eſt potior ratio *Aduerſariorum*. Prob.mi.Quanuis voluntas ſit potentia libera; attamen nequit tendere in aliquod,quod ei non præſentatur,vt bonum; licèt enim abſolutè poſſit non tendere in aliquod bonum; attamen ſuppoſito, quòd velit tendere, non poteſt non tendere in bonum; propter quod voluntas neceſſita-

ta-

tatur quoad ſpecificationem, ſicut neceſsitatur quælibet alia potentia; aliter poſſet tendere extra ſuum ſpecificatiuum; & ſic ab illo non ſpecificaretur, quia potentia ab illo non ſpecificatur, in quod non tendit; ergo quamuis voluntas, vt potentia libera, poſsit abſolutè tendere, & non tendere in quodlibet bonum particulare; attamen ſuppoſito, quòd velit tendere in vnum relicto alio, neceſſitatur ad tendendum in illud, quod eſt magis bonum, quia neceſſitatur ad tendendum in maius ſpecificatiuum.

22 Conf.1. Si voluntas neceſsitaretur ad tēdendum ſolùm in bonū abſolutè, non in id, quod eſt melius, ſequeretur, quod nec etiam neceſsitaretur ad tendendum in bonum, quod eſt ſummū, & optimum; ita enim ſe habet bonum optimum ad bonum melius; ſicut bonum melius ad bonum abſolutè, quia ſicut bonum optimum dicit incrementum bonitatis ex parte obiecti cum carentia omnis malitiæ; ita bonum melius dicit incrementum bonitatis ex parte obiecti cum carentia alicuius malitiæ; ſed conſ. non admittitur, aliter beati liberè amarent bonum optimum, quod eſt Deus; ergo neque ant. eſt admittendum.

23 Conf.2. Quamuis voluntas ſit potentia libera ad tendendum, vel non tendendū in hoc, vel illud bonum cognitum ab intellectu, non tamen eſt libera ad tendendum in bonum non cognitum, quia eſſentialiter eſt appetitus determinatè ſequens formā apprehenſam; ergo quamuis ſit libera ad eligendum hoc, vel illud mediū iudicatum, vt bonum, ab intellectu; attamen non eſt libera ad eligendum vnum medium præ alio, quod non eſt iudicatum bonum præ alio ab intellectu; ſic enim formaliter tenderet in bonum non cognitum; nam quamuis illud bonum eſſet ſimpliciter cognitum; attamen non eſſet cognitum, vt eligibile præ alio; repræſentaretur enim, vt cognitum æque eligibile, & ideo voluntas tēdens in vnum præ alio eligibile, tenderet formaliter in incognitum.

24 Vrgetur magis. Quamuis voluntas exerceat ſuam libertatem circa vnum medium tantùm ſibi propoſitum ab intellectu, vt magis eligibile, eo, quia poteſt illud eligere, vel non eligere; in hoc enim formaliter conſiſtit libertas voluntatis; attamen nequit exercere ſuam libertatem eligendo medium non cognitum; ergo quamuis voluntas exerceat ſuam libertatem circa duo media æqualiter bona, quia poteſt vtrique ſimul conſentire, vel vtrunque reſpuere; attamen nequit exercere ſuam libertatem eligendo vnum præ alio, niſi ſibi repræſentetur vnum cognitum, vt eligibile præ alio.

25 Prob.4. In hoc diſtinguitur actus proſecutionis voluntatis ab actu fugæ; quòd actus proſecutionis eſt formaliter circa bonum iudicatū, vt bonum; & actus fugæ eſt formaliter circa malum iudicatum, vt malum; quia natura inclinatur in bonum, & fugit à malo, ergo in tantùm voluntas poteſt eligere aliquod bonum, & fugere, ſeu ſe auertere ab alio, in quantùm intellectus illud repræſentat, vt bonum; hoc verò, vt malum; ergo ex duobus bonis æqualiter propoſitis ſub ratione boni nequit voluntas vnum eligere, & aliud fugere; aliter ratio boni eſſet ratio formalis proſecutionis, & fugæ ſimul; & ſic fuga non eſſet à malo. Idē à fortiori dicēdum eſt de minùs bono, quod, vt minus, dicit ineligibilitatem, & rationē mali, quia dicit defectum bonitatis, quæ competit maiori bono; & ideo ſi eligeretur, quatenus eſt minus formaliter, eligeretur, quatenus eſt defectus bonitatis, & quatenus malum.

26 Prob.5. Vel ille actus, quo vnum eligeretur, eſſet electio, vel intentio? Non primum; quia electio eſt eſſentialiter de eo, quod iudicatum eſt melius. Non ſecundum; quia circa vltimum finem voluntas tendit neceſſariò, non liberè, vt *ſup.* dictum eſt; ergo nullo modo poteſt voluntas liberè vnum eligere alio relicto.

27 Tandem concluditur cum *Beatiſſ. P. lib. 1. Confeſſ. c. 1.* Ita ſe habet amor in ſpiritibus, ſicut pondus in corporibus; ſed res poſita inter duo pondera æqualia æquali vi trahentia in oppoſitam partem in neutram partem mouetur, vt demonſtrant *Mathematici*; quapropter obſeruatum eſt ferrum poſitum in æquali diſtantia ad duos magnetes æqualis virtutis tractiuæ immobile remanere, nec ad vnum attrahi; poſita autem inter duo pondera inæqualia ſemper tendit ad maius pondus, quàm ad minus; ergo volitio, quę eſt pondus naturæ ſpiritualis poſita inter duo pondera æqualia æqualiter trahentia voluntatem, nequit determinatè tendere ad vnum præ alio; aut eligere minus bonum relicto maiori.

28 Probant *alij inter quos Gonet. hic diſp. 9. art. 3. §. 2.* concl. 2. ſic. A potentia indifferenti, vt indifferens eſt, nequit exire actio determinata; ſed quoties proponuntur duo bona æqualia, voluntas eſt indifferens ad illa, quia non determinatur ab illis, nec ab intellectu, neque à ſe ipſa, quia ipſa ſequitur ductum rationis; & ideo ſi intellectus non repræſentet vnum ex illis determinatè eligibile, nequit ſe ipſam determinare.

29 Sed hæc ratio eſt parui momenti; nam, quando intellectus proponit voluntati aliquod medium, vt determinatè eligibile prę alio; adhuc voluntas eſt indifferens ad illud eligendum affirmatiuè, vel ad non eligendum negatiuè; aliter non eſſet libera; nec determinatur ab intellectu ad electionem, vel non electionem, ſed liberè determinat ſe ipſam; quamuis enim intellectus conſulat electionem, non tamen per hoc redditur voluntas liberè determinata, ſed tantùm quando volūtas liberè conſentit; aliter nullo modo poſſet ſaluari libertas voluntatis; ergo hæc ratio non eſt efficax.

30 Obijc. 1. *Magnus P. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei c. 6.* docet *Si eadem tentatione duo tententur; & vnus ei cedat, atque conſentiat, alter idem, qui fue-*

fuerat,perſeueret,quid aliud apparet, niſi vnum voluiſſe,alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Vnde,niſi propria voluntate? Si eadem fuerat in vtroque corporis, & animæ affectio, amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulcritudo,ambobus pariter inſtitit occulta tentatio? ergo ſtante ęqualitate obiecti poteſt voluntas aſſentiri, & deſiſtere.

Reſp.hoc nihil probare;probat enim,quòd propoſitis duobus bonis æqualibus poteſt volũtas ab illis ſimul sũptis deſiſtere,& illa reſpuere, quod concedimus; non autem quòd poſſit vnũ eligere alio relicto. Præterea hoc procedit de duabus volũtatibus reſpectu eiuſdem boni propoſiti; non autem de eadem voluntate reſpectu duorum bonorum æqualium ſibi propoſitorum; de quo procedit præſens difficultas. Præterea vnus aſſentiret,quia ei proponeretur, vt bonum; & alter diſſentiret,quia ei proponeretur, vt malum; & ſic non eſſet bonum vtrique.

31 Obijc.1.Obiectum voluntatis eſt bonum abſolutè,non bonum melius; aliter voluntas neceſſitaretur ad tendendum in bonum melius; ergo voluntas eſt libera ad tendendum in quodlibet bonum;ſiue ſit æquale, ſiue ſit minus altero. 2. Deus ex duobus bonis inæqualibus poteſt velle minus relicto maiori; quia de facto voluit hunc mundum, quem tamen velle poterat meliorem; ergo & voluntas creata.

Reſp.ad 1.neg.ant; aliter ſi obiectum adæquatum voluntatis eſſet ſolum bonum abſolutè, voluntas non poſſet tendere in bonum comparatiuè, quia nulla potentia poteſt ferri extra ſuũ obiectum adæquatum.Obiectum ergo voluntatis eſt bonum, *vt ſic*, prout commune bono abſoluto, & comparatiuè; & ſicut neceſſitatur neceſſitate ſpecificationis ad tendẽdum in bonum abſolutum;ita neceſſitatur eodem modo ad tendendum in bonum comparatiuè; bonum autem cõparatiuè eſt id,quod eſt melius;quia id, quod eſt minus, dicit defectum maioris bonitatis, & ideo non eſt bonum.Ad 2.neg.conſ;& diſparitas eſt; quia voluntas Dei mouetur à ſua propria bonitate,quæ eſt infinita, ad communicandam creaturæ portiunculam illius, quæ eſt obiectum ſecundarium voluntatis Dei,prout ei placet; at voluntas creata mouetur à bono creato ſibi propoſito,& ideo neceſſariò eligit bonũ, quod fortiùs agit in illam;vnde aliud eſt loqui de obiecto ſecundario, aliud de primario;nam primarium eſt motiuum,non ſecundarium.

32 Inſt. Si voluntas neceſſitaretur ad tendendum in melius,tolleretur libertas,quia tolleretur indifferentia ad tendendum in hoc, & in oppoſitum huius.

Reſp. neg. ſupp; nam libertas non conſiſtit in poſſe tendere, & non tendere in bonum cognitum,vt bonum;hæc enim eſt neceſſitas ſpecificationis,quæ competit,& ſtat ſimul cum libertate;ſed conſiſtit in poſſe aſſentiri, & non aſſentiri bonis propoſitis;vnde quanuis voluntas non poſſet ex duobus medijs vnum eligere relicto altero;attamen quia poſſet aſſentiri,& non aſsẽtiri vtrique; poteſt enim pręcipere intellectui,vt cogitet, quodnam ex illis ſit aptius; vel vt cogitet de alio medio; ideo eſt formaliter libera.

33 Replic. Obiecta propoſita ſunt bona particularia, quæ nequeunt neceſſitare voluntatem,voluntas enim non neceſſitatur, niſi à bono ſimpliciter; ergo voluntas poteſt liberè eligere vnum ex illis.

Reſp;quòd licèt ſint bona particularia, & ob hoc voluntas poſſit illa reſpuere abſolutè; attamen ſi vnum ſit magis bonum, fortiùs trahit voluntatem,& ideo voluntas nequit tendere in minus.Si autem proponatur, vt æqualiter bonum,voluntas nequit fugere tantùm ab vno;quia fuga eſt de malo,non de bono; & voluntas non eſt libera ad fugiendum à bono cognito, vt bonum eſt;nec ad proſequendum malum, vt malũ eſt;ſed eſt determinata ad fugiendum à malo, & ad proſequendum bonum;in hoc enim non conſiſtit eius libertas,vt *ſup.* dictum eſt.

34 Obijc.3.Voluntas poteſt eligere omne bonum vtile;ſed bonum æquale comparatum alteri eſt bonum vtile; ergo voluntas poteſt illud eligere.Idem dicendum de minùs bono.2.Volũtas poteſt intendere finem deteriorem relicto meliori;ergo idem dicendum eſt de medijs.

Reſp. ad 1. ex præmiſſis non deduci, niſi quòd voluntas poſſit eligere vtrũque medium, quod iudicatum eſt æquè vtile. Ad 2. diſt. ant. Poteſt intendere finem deteriorem apprehensũ formaliter, vt eſt deterior, neg;deteriorem materialiter,& realiter,apprehenſum tamen,vt magis bonum,conc;& ſic dicitur de medijs.

35 Obijc.4. Si proponantur homini famelico duo cibi æquales,& ab ipſo cogniti, vt tales, ridiculum eſt dicere,quòd nullum eligat, & fame intereat; ergo ex duobus æqualibus poteſt vnum eligere.

Reſp; quòd in illo caſu fames non ſinit intellectũ iudicare de bonitate vtriuſque, ſed naturaliter impellit ad vnum ex illis, quia natura intendit naturaliter conſeruationem ſui.

Hæc omnia aliter ſolui poſſunt ex dictis in concl.

§. 3.
An media habeant bonitatem diſtinctam à bonitate finis?

36 SVb alio titulo ſolet proponi hæc difficultas;ſcilicet an obiectum adęquatum voluntatis ſit finis;ſeu an bonum, & finis conuertantur; etenim ſi bonitas dicatur ad conuertentiam cum fine,apertè ſequitur nullam aliam bonitatem reperiri præter bonitatem finis; aliter finis non conuerteretur cum bono, quia bonum latiùs pateret,quàm finis; nam conueniret alijs à fine; & ſic finis non eſſet obiectum adæquatum,ſed inadæquatum voluntatis; quia obiectum voluntatis eſt bonum; & ideo ſi finis

non

non adæquat bonum, *vt ſic*, ſequitur, quòd neque adæquet voluntatem; atque adeo quòd non ſit obiectum adæquatum illius.

37 Prima ſententia vult media non habere bonitatem intrinſecam diſtinctam à bonitate finis, ſed rantùm dici extrinſecè bona per bonitatem ipſius finis. *Ita aliqui Thomiſtæ*, quos ſuppreſſo nomine citant *Vaſq; & Gonet locis inf. cit.* Refertur *Aluarez diſp.1.n.13.cõcl.4.apud Caraff.*

38 Secunda ſententia docet media habere bonitatem intrinſecam diſtinctam à bonitate finis. Sed diuiſa eſt; *alÿ* enim volunt bonitatem mediorum eſſe tantùm obiectum materiale; vt *aliqui*, quos impugnat *Vaſq. Alÿ* pertinere ad obiectum formale, non quidem per ſe, & primarium, ſed ſecundarium, & per accidens, ſcilicet ratione finis; vt *Vaſq.de Vlt.fine q.1.art.1.diſp.1. c. 2. Alÿ* pertinere ad obiectum formale, & per ſe, non in ſe; idèſt prout excludit obiectum per accidens, nõ prout excludit relationem ad aliud, nempe ad finem, per ordinem ad quem eliguntur media. Collig. *ex Fund.Doct*; qui, vt vidimus *in ſuperioribus*, ſæpiſſimè ait volũtatẽ, vt eſt natura, *eſſe finis*; & vt eſt potentia, *eſſe eorum, quæ ſunt ad finem*; illa autem, quæ voluntas reſpicit, *vt* potentia libera, pertinent ad obiectum formale primarium, vt patet. Item ſæpiſſimè docet voluntatem ita reſpicere finem, ſicut intellectus reſpicit principia; & reſpicere media; ſicut intellectus reſpicit concluſiones; conſtat autem, quòd intellectus reſpicit per ſe, & formaliter concluſiones; aliter ſcientiæ, quæ verſantur circa concluſiones, eſſent quid per accidens, quia haberẽt pro obiecto aliquod per accidens; ita dicendum de volũtate. Idem docent, vel ſupponunt *omnes noſtri*. Hæc ſententia communiſſima eſt. *Gonet hic diſp. 4.art.2.* vult eam eſſe *S.Tho*; cui adhærent *Thomiſtæ; Auerſ.hic q.8.ſect.4; & alÿ ferè omnes* illã ſupponunt.

39 Vnica concl. Media habent bonitatem intrinſecam diſtinctam à bonitate finis relatam tamen ad finem.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.lib.83.qq.q.30*; vbi docet: *Vt inter honeſtum, & vtile intereſt; ita inter fruendum, & vtendum; quanquam enim omne honeſtum vtile; & omne vtile honeſtum eſſe defendi queat; tamen quia magis propriè, atque vſitatiùs honeſtum dicitur, quod propter ſe ipſum expetendũ eſt, vtile autem, quod ad aliud aliquid referendum eſt; ſecundùm hanc differentiam nunc loquimur*. Ex quibus ſic. Bonum, *vt ſic*, diuiditur in bonum vtile, honeſtum, & delectabile; ſed medium eſt bonum vtile; & finis eſt bonum honeſtum, vel delectabile; ergo medium habet bonitatem intrinſecam diſtinctam à bonitare finis. Ma. traditur communiter ab omnibus *cum Phil.* Mi etiam conſtat; nam nomine medÿ intelligimus id, quo vtimur ad conſecutionem finis; & nomine finis intelligimus id, quod terminat talem vſum, quod ſi ſit ſecundùm rectam rationem, eſt honeſtum; ſecus verò eſt delectabile. Prob.conſ. Omnis differentia diuidens aliquod genus imbibit intrinſecè rationem generis, & conſtituit cum illo ſpeciem diſtinctam ab alia ſpecie, quam conſtituit alia differentia; ſed vtile, & honeſtum ſunt differentiæ diuidentes bonum, *vt ſic*; ergo imbibunt intrinſecè bonitatem, cum qua conſtituunt ſpecies diuerſas. Atqui vtile dicit medium; & honeſtum, vel delectabile importat finem; ergo mediũ habet bonitatem intrinſecam diſtinctam à bonitare finis.

40 Conf. Omnes creaturæ ſunt media ad Deum, quibus nobis vti licet; non autem frui; quia non licèt frui, niſi fine; ſed creaturæ habent in ſe ipſis bonitatem intrinſecã diſtinctam à bonitate Dei relatam tamen ad Deum; quapropter dicitur *Gen.1. Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; quod nequit intelligi extrinſecè de bonitate Dei; ergo media habent in ſe ipſis bonitatem intrinſecam relatam tamen ad Deum.

41 Prob. 2. Ita ſe habent concluſiones ad principia; ſicut media ad finem, vt *ſup*. dictum eſt; ſed concluſiones habent veritatem diſtinctam à veritate principiorum; effectus enim, & cauſa habent entitatem, & ideo veritatem diſtinctam, quę ſequitur ad illam; ergo media habent bonitatem diſtinctam à bonitare finis.

42 Prob.3. Si media non haberent intrinſecè bonitatem, ſed ſolùm extrinſecè, illam ſcilicet, quam habet finis, ſequeretur vnum medium non eſſe melius alio; quia eſſent bona per eandem bonitatem finis; & illa, quæ ſunt bona per eandẽ bonitatem, nequeunt eſſe meliùs bona; nam melius eſt comparatiuum, quod eſſentialiter eſt inter diuerſa; ſed conſ. eſt falſum manifeſtè; aliter nulla eſſet opus inquiſitione, & conſultatione mediorum, quod eſt contra communem experiẽtiam, & doctrinã; & ſic poſſemus aſſumere quodlibet medium &c; ergo falſum eſt ant. Ma. ampliùs prob. Quia aer, & cibus dicuntur ſana per ſanitatem exiſtentem extrinſecè, ſcilicet in animali; ideo aer non dicitur ſalubrior, quàm cibus, aut è contra; eſt enim eadem ſanitas, per quam vterque dicitur ſanus; ergo à pari.

43 Prob.4. euertendo rationem oppoſitam. In tantùm media non habent bonitatem intrinſecam diſtinctam à bonitate finis; in quantùm illam habẽt ſolùm per ordinem ad finem; ſed hoc non obſtat; nam licèt vnum relatiuum nõ habeat eſſe, niſi per ordinem ad aliud relatiuũ; attamen non arguitur, quòd habeat eſſe ſolùm extrinſecè, non intrinſecè; & ideo quanuis media, quæ ſunt relatiua ad finem, non habeant bonitatem, niſi per ordinem ad finem;. attamen non arguitur, quòd non habeant bonitatem intrinſecè; ſicuti non arguitur, quòd non habeant eſſe actuale intrinſecè, à quo ſumitur bonitas actualis; ergo media habent bonitatem intrinſecam diſtinctam à bonitare finis.

44 Prob.5. Poteſt quis intendere finem ma-

lum moraliter, & eligere medium ſecundùm ſe bonum moraliter; vt v.g. orare, ieiunare, eleemoſynam facere ob captandam vanam gloriam; vt faciunt *hypocritæ*; ergo media non habent bonitatem à fine; aliter haberent bonitatem ab eo, qui illam non habet; & ſic falſificaretur illud axioma: *Nemo dat, quod non habet*.

45 Prob.6. Bonitas finis eſt bonitas honeſta, vel delectabilis; ſed media non habent bonitatē honeſtam, vel delectabilem; aliter liceret frui medijs; ergo media habent intrinſecè bonitatem diſtinctam à bonitate finis.

46 Prob.7. *ex Phil. lib.1. Magnorum moral. c.5*; vbi ait: *Bonorum quædam ſunt finis, alia verò non*; ſed bonum, quod non eſt finis, eſt medium; finis enim, & medium adæquatè diuidunt bonū; ergo media habent bonitatem diſtinctam à bonitate finis; aliter bonitas mediorum non poſſet diuidi à bonitate finis; eſſet enim eadem; & idem nequit diuidi à ſe ipſo.

47 Tandem ſi media non haberent bonitatem diſtinctam à bonitate finis, ſequeretur, quòd non poſſent appeti ſecundùm ſe, & habere rationem finis, illud enim, quod non eſt bonum ſecūdùm ſe, nequit appeti ſecundùm ſe; cùm bonum ſit *illud, quod omnia appetunt*; ſed conſ. eſt falſum; quia licèt quis poſſit eligere doctoratum, tanquā medium ad Epiſcopatum; attamen poteſt illum appetere etiam ſecundùm ſe ſine ordine ad Epiſcopatum; & ideo eſt bonus ſecundùm ſe; ergo media habent bonitatem diſtinctam à bonitate finis. Tum quia de medijs eſt delectatio; æger enim delectatur de medicina dulci, vel acida, quæ conducit ad ſanandum morbum cōtractum ex amatoribus, vel humoribus; & ſtudentes delectantur ſtudio, quod eſt medium ad acquirendam ſcientiam; ſed delectatio non eſt, niſi de eo, quod habet bonitatem in ſe; ergo media habent bonitatem in ſe ipſis diſtinctam à bonitate finis. Tum quia bonitas mediorum eſt cauſa bonitatis finis in executione; ergo ab illa diſtinguitur realiter; idem enim nequit eſſe cauſa efficiens ſui ipſius.

48 Obijc.1. *Phil.2. Eth.c.6.* ait: *Illud eſt cuiuſque rei bonum, cuius gratia operatur*, ſed illud, cuius gratia res operatur, eſt finis; ergo bonum cuiuſque rei eſt finis; & ideo finis, & bonum conuertuntur, quod ſæpe aſſerit *Fund. Doct.*; atque adeo media non habent aliam bonitatem, quàm finis.

Reſp. *Ariſt.* loqui de bono principaliter intento, non autem de quolibet bono etiam minùs principali, vt eſt medium; aliter nō diuideret bonum in id, quod eſt finis, & in id, quod eſt mediū; nec diuideret bonum in honeſtum, & vtile; vt *ſup.* viſum eſt. Igitur finis in recto, & in obliquo ſimul acceptus, prout importat etiam ea, quę ſūt ad finem, conuertitur cum bono; & in hoc ſenſu loquitur *Fund. Doct.*

49 Obijc.2. Variata bonitate finis, & nulla facta mutatione in medijs variatur bonitas mediorum, ergo media non habent, niſi bonitatem finis; aliter ſi haberent bonitatem in ſe ipſis, eſſent bona etiam ablata bonitate finis. Prob. ant. Medicina, quæ eſt bona in ægroto, quia inducit ſanitatem, non eſt bona in ſano, quia in illum nequit inducere ſanitatem; ergo variata bonitate finis, & nulla facta mutatione in medijs variatur bonitas mediorum.

Reſp. hoc ſolùm probare, quòd media habent bonitatem relatiuam ad finem, non autem quòd non habeāt bonitatem in ſe ipſis; hæc enim eſt natura relatiuorum, quòd variato vno varietur & aliud. Diſt. ergo ant. Variato fine variatur bonitas mediorum ſecundùm ſe, neg; relatiuè ad talem finem, conc. Ad prob. dicitur, quòd licèt medicina non conducat ad conferendam ſanitatem ſano, qui illam habet; attamen non ſequitur, quòd ſecundùm ſe ipſam non ſit vtilis ad inducendam ſanitatem in ſubiectum, quod illa caret; & ideo non ſequitur, quòd non habeat bonitatē in ſe ipſa diſtinctam à bonitate finis, quam inducit; bonitas enim inducens diſtinguitur à bonitate inducta, ſicut cauſa ab effectu.

50. Inſt. Relatiua nullam dicunt perfectionē; quia nullam dicunt entitatem; ſed media ſunt relatiua ad finem; ergo nullam dicunt perfectionē, aut bonitatem.

Reſp.1. neg. ma; nam relatio dicit ordinem, qui eſt magna perfectio; vt diximus *to.2. de Trin. q.5. art.6*; vnde etſi nullam dicant entitatem ſuperadditam fundamento, & ideo nullam perfectionem abſolutam; attamen quia dicunt ordinē, ideo dicunt perfectionem relatiuam. 2. Diſt. ma. Relatiua nullam dicunt perfectionem diſtinctam à perfectione fundamenti, conc; ſimpliciter, neg; imbibunt enim perfectionem fundamenti; vt relatio ſimilitudinis albi importat eſſe albedinis, quod eſt perfectio accidētalis. Ita relatio mediorum ad finem importat perfectionem entitatis mediorum, quæ eſt perfectio diſtincta à bonitate finis.

51 Obijc.3. Ideo imago non habet in ſe ipſa rationem formalem adorationis, quia nō adoratur ratione ſui, ſed ratione exemplaris; atqui media non appetuntur ratione ſui, ſed ratione bonitatis finis; ergo media non habent in ſe ipſis rationem formalem bonitatis. 2. Ideo proximus non habet in ſe ipſo rationem formalem amabilitatis, quia amatur propter Deum; ergo à pari. 3. Ideo corpus mobile eſt obiectum adæquatum Philoſophiæ, quia omnia ordinantur ad illud; & ideo omnia ordinata conſiderantur ſolùm materialiter; ſed media ordinantur ad finem; ergo ſolùm appetuntur materialiter, non formaliter; & ideo non habent in ſe ipſis bonitatem formalem.

Reſp. ad 1. *cum noſtro Luſit.* diſt. ma. Imago non habet in ſe ipſa rationem formalem adorationis, id eſt excellentiam, in eſſe repræſentatiuo, neg; in eſſe entitatiuo, conc. Vel quia non adora-

tur

tur ratione ſui,idèſt ratione excellentiæ formaliter contentæ in imagine, conc; ſed in hoc ſenſu neg.mi; media enim eliguntur ratione ſuæ bonitatis,quanuis relatiuè ad finem; ratione ſui, idèſt non relatè ad finem,neg.ma; ex hoc enim, quòd aliquod habeat eſſe relatè ad aliud,nõ arguitur, quòd non habeat eſſe in ſe ipſo formaliter;vnde notãda eſt æquiuocatio.Ad 2.neg.ant; proximus enim habet in ſe ipſo rationem formalem amabilitatis,quanuis relatè ad Deum,vt dictum eſt. Ad 3.dicitur,quòd illud,quod ordinatur ad corpus mobile,*vt ſic*, vel ordinatur,tãquam inferius ad ſuperius, vt planta, leo &c; & ſic falſum eſt, quòd conſideretur materialiter; habet enim formaliter in ſe ipſo rationem formalem conſiderãdi,quæ eſt corpus mobile; vel conſideratur per accidens,vt priuatio,& ſic conc.ant;& neg.conſ; media enim non eliguntur per accidens, ſed per ſe,quanuis non propter ſe; eſt enim magnum diſcrimen inter *per ſe*,& *propter ſe*; nam *per ſe* dicit cauſam,ſeu rationem formalem; at *propter ſe* dicit cauſam finalẽ;& quanuis cauſa finalis non dicatur de medijs,vt media ſunt; attamen de illis dicitur cauſa,ſeu ratio formalis.

52 Obijc.4.Si media haberent propriam bonitatem,mouerent, & allicerent voluntatem;bonitas enim eſt ratio motiua, & illectiua voluntatis;ſed conſ. eſt *cont. Philoſophos 2.Phyſ*; vbi dicitur,quòd mouere,& allicere voluntatem eſt cauſalitas cauſæ finalis;ergo ant.nequit admitti.

Reſp.diſt.ma.Mouerent,& allicerent volũtatem per ordinem ad finem,conc;ſed in hoc ſẽſu neg. mi; propter ſe, neg; & in hoc ſenſu conc. mi; nam finis cauſat mouendo, & alliciendo voluntatem ad ſe;media autem ad finem.

ART. VII.

Quid ſit, & quid importet vſus?

1 AD electionem mediorum ſequitur vſus illorum; poſtquam igitur actũ eſt de electione, proſequimur agere de vſu.

2 Vſus dupliciter ſumi poteſt, ſcilicet actiuè,& paſſiuè. Vſus actiuè ſumptus importat actũ potentiæ vtentis; paſſiuè autem importat paſſionem rei, qua potentia vtitur. Sic homo vtens equo ad iterandum dicitur actiuè vti; equus autem paſſiuè vſus. *Hìc* loquimur de vſu actiuè accepto.

3 *Beatiſſ.P.* 10. *de Trin. c.* 11. docet vſum actiuè ſumptum adhuc ſumi dupliciter. 1. Impropriè. 2. Propriè. Vſus impropriè ſumptus eſt *aſſumere aliquid in facultatem voluntatis, ſiue illud referat ad aliquid; ſiue in eorum fine delectata conquieſcat*; & in hoc ſenſu omnis, qui fruitur, vtitur;& vſus non differt à fruitione; & ideo eſt impropria vſus acceptio. Vſus propriè ſumptus eſt *aſſumere aliquid in facultatem voluntatis, non propter ipſum,ſed propter aliud*.Idem docet *lib.1. de Doctr.Chriſt.c.4.*

4 In hoc autem diſtinguitur vſus ab abuſu, quòd vſus eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis referendo illud in finem debitum;ſi autẽ referatur in finem indebitum,eſt abuſus;vt docet *idem Beatiſſ.P.lib.83.qq.q.33.*

5 Hanc definitionem vſus tradit *Fund.Doct. in 1.diſt.1.princ.2.q.3;& princ.3.q.2; Ger.ibid.q. 3.art.1;Argent.q.4.art.1;Grez;& Luſit; & omnes alÿ.*

6 Dicitur *aſſumere in facultatem voluntatis*; per quod indicatur vſum eſſe actum voluntatis. Dicitur *non propter ſe, ſed propter aliud*; ex quo habetur vſum eſſe ſolùm circa media, non circa finem.

7 Id autem,quod controuertitur,eſt;an vſus ſit actus diſtinctus ab electione; vel ſit idem, ac electio?

8 Prima ſententia opinatur vſum non diſtingui ab electione.*Ita Vaſq.hic diſp.47.c.2.n.6;Sal. tract.6.diſp.1.ſect.7.*

9 Noſtra tamen,& communis ſententia docet vſum eſſe actum voluntatis diſtinctum ab electione.

10 Vnica concl.Vſus eſt actus voluntatis diſtinctus ab electione.

Prob.1.pars concl.*ex Beatiſſ.P. lib.10.de Trin.c.11.*vocante vſum appetitum,quo quis aſſumit aliquid in facultatem voluntatis nõ propter ipſũ,ſed propter aliud,his verbis: *Omnis,qui vtitur, id, quod in facultatem voluntatis aſſumit, non propter illud ipſum,ſed propter aliud aſſumit*; ſed appetitus eſt actus voluntatis; ergo vſus eſt actus voluntatis.

11 Prob.2.Vti eſt aſſumere aliquid referendo illud in finem; ſed referre in finem eſt actus voluntatis, quæ ſola habet tendere in finem, & ideo ſola habet referre omnia alia in finem;ergo vſus eſt actus voluntatis. Tum quia vſus diſtinguitur à fruitione,vt docet *Beatiſſ.P.vbiſ*;in hoc, quòd vſus eſt propter aliud; & fruitio eſt propter ipſum,& ideo vſus eſt circa media,fruitio verò circa finem;ſed actus circa media,& circa finẽ eſt actus voluntatis,quia voluntas non conſequitur,ſeu non tendit in finem,niſi tendendo in media; & ideo tendentia in finem, & in media eſt actus ipſius,ergo vſus eſt actus voluntatis. Tum quia vſus habet pro obiecto formali bonum vtile; ſed bonum vtile ſpecificat actum voluntatis, quia voluntas habet tendere in bonum, *vt ſic*,& ideo in quanlibet ſpeciem bonitatis, ac propterea in bonum vtile,quod eſt ſpecies diuidens bonum,*vt ſic*;ergo vſus eſt actus voluntatis. Tum quia vſus,& abuſus ſunt actus eiuſdem potentię; quia *oppoſitorum eſt ratio*; & ideo veritas,& falſitas ſpectant ad eandem potentiam intellectiuã; ſed abuſus eſt actus voluntatis volentis dirigere media in finem indebitum; tum quia abuſus eſt formaliter peccatum; & peccatum formaliter eſt actus voluntatis,quia eſt actus potentiæ formaliter liberæ;ergo & vſus.

12 Prob.2.pars concl. Vſus non dicit accep-

tio-

tionem vnius præ alio,ſed applicationem voluntatis ad vnum iam præelectum;ergo diſtinguitur realiter ab electione. Ant. patet; nam quis priùs eligit equum ad iterandum;& poſtea equo iam electo vtitur in itinere. Conſ. pariter cōſtat;nam quæ habent rationem prioris,& poſterioris tempore,realiter diſtinguuntur;poteſt autem voluntas priùs tempore eligere vnum mediū ex alijs, & poſtea illo vti,v.g.poteſt quis eligere equum in veſpere,& altero mane poteſt illo vti iterādo.

13 Conf. Poteſt voluntas determinare vti vno medio,& vſum ſuſpendere vſque ad menſē, vel annum ; v. g. poteſt quis ad celebritatem ſui nominis eligere arma ex literis ; & ſuſpendere vſum armorum ad annum ſequentem;ac deinde tranſacto anno actualiter vti armis; ergo electio, & vſus ſunt actus realiter diſtincti;nam quæ fiunt diſtinctis temporibus, realiter diſtinguuntur. Sicuti ſi occurrat tantùm vnum medium,poteſt illo voluntas vti , & tamen ille vſus non eſt electio ; quia electio eſſentialiter eſt ex pluribus ; ergo vſus realiter diſtinguitur ab electione ; quia realiter de illa negatur;& realiter negari eſt realiter diſtingui;cùm diſtinctio ſit negatio .

14 Vrgetur ampliùs . Poteſt quis vti ipſo actu electionis;ergo vſus realiter diſtinguitur ab electione;nam actio,qua quis vtitur,diſtinguitur realiter à re,qua vtitur;quia idem ineptè diceretur vti ſe ipſo.Prob.ant. Poteſt quis referre actū electionis,tanquam medium ad conſecutionem finis; vt v.g. cùm quis elegit eleemoſynā ad orationem, poteſt referre actum electionis in Deū ; eſt enim actus bonus , & ideo eſt referibilis in Deum;ergo poteſt quis vti actu electionis .

15 Tandem vſus dicit applicationem aliarū potentiarum ad agendum, vel ſui ipſius,cùm voluntas vtitur actu elicito à ſemetipſa;ſed electio non dicit huiuſmodi applicationem;nam illi præſupponitur, vt eſt manifeſtum; ergo vſus non eſt idem, ac electio.

16 Obijc.1.*Vaſq*.cōt.1.part.concl. *D.Dam. lib.2.de Fid.c.22.* actum elicitum ab exterioribus potentijs vocat vſum; ergo præter actum electionis non datur in volūtate actus,qui vocetur vſus. 2.In brutis non datur aliquis actus,quo ſe applicent ſuis obiectis,præter actum, quo per potentiam locomotiuam ſe mouent in ſua obiecta; ergo neque in homine dandus eſt aliquis actus , qui vocetur vſus,præter actum, quo potētiæ imperatæ à voluntate ſe mouent in ſua obiecta.

Reſp.ad 1.*D.Dam.* loqui de vſu paſſiuo,nō de actiuo,vt *ſup*.dictum eſt. Ad 2.neg.conſ; nam bruta neceſſariò operantur circa ſua obiecta ex inſtinctu naturæ ; & ideo non indigent ſe determinare ad tendendum in illa;at verò homines liberè operantur; & poſt electionem voluntas adhuc eſt indifferens ad vtendum medijs, vel non vtendū;& ideo neceſſariò admittendus eſt actus, quo ſe determinet.

17 Obijc.2.*Sal.* Omnis actus elicitus à voluntate antecedens executionem poteſt dari ſine executione,ſed vſus nequit dari ſine executione; ergo non eſt actus elicitus à voluntate. 2. Actio, & paſſio ſunt in eodem ſubiecto; ſed vſus paſſiuè acceptus eſt in potentijs exequentibus ; ergo & vſus actiuè ſumptus.3. Si vſus eſſet actus elicitus voluntatis, non diſtingueretur ab electione ; ſed conſ.eſt falſum;ergo & ant.

Reſp.ad 1.diſt.ma.Omnis actus elicitus formaliter immanens,conc;virtualiter tranſiēs, neg. Et ſic ad 2.diſt.ma. Actio formaliter tranſiens,& paſſio ſunt in eodem ſubiecto , conc; virtualiter trāſiens,neg. Ad 3.neg.ma;vt eſt per habita manifeſtum .

18 Inſt. Omnis actus efficax , qui verſatur circa vtile,eſt electio ; ſicut omnis actus efficax , qui verſatur circa finem , eſt intentio ; ſed vſus eſt actus efficax,qui verſatur circa utile; ergo eſt idem, ac electio. 2. Deſiderium efficax circa unū medium præ alio eſt electio ; ſed uſus eſt huiuſmodi;ergo eſt electio. 3.Voluntas per actum imperij applicat alias potentias ad operandum ; ergo per actum electionis applicat potentias ad vſum mediorum .

Reſp.ad 1.neg.ma;nam electio eſt determinatio unius medij præ alio; uſus autem eſt applicatio medij electi.Item retorq.arg.Sicut circa finem datur fruitio,quæ non eſt intentio ; ita circa media datur uſus,qui non eſt electio. Ad 2.neg. mi;vt dictum eſt.Ad 3.neg. conſ.electio enim , vt dictum eſt,poteſt eſſe ſine uſu .

19 Quæres 1; an ad rationem uſus requiratur,quòd medium referatur in finem actualiter ; vel ſufficiat referri habitualiter, aut uirtualiter ?

Reſp.ſufficere,quòd referatur habitualiter, vel uirtualiter.*Ita noſter Greg.in 1.vbi ſ.* hoc enim ſufficit,ut uoluntas dicatur agere propter finem, vt patet .

20 Quæres 2; an unus , & idem actus poſſit eſſe ſimul uſus,& fruitio ?

Reſp.affirmatiuè;quia uoluntas, ut ſuperiùs diximus,poteſt per eundē actū tendere in finem, & in ea,quę ſūt ad ad finem.Eſt *cont.noſtrū Greg*; cuius rationes ſoluimus *vbi ſ. Vid.noſter Ger.*

21 Quæres 3;quibus competat uti ?

Reſp.*Fund.Doct.vbi ſ.*competere Deo,Angelis,& hominibus uiatoribus ; nō tamen brutis, pueris , alijſque rationis vſu carentibus . Ratio eſt . Vſus conuenit ſolùm agentibus liberis , qui ſunt compotes uſu rationis; eſt enim aſſumere in facultatem uoluntatis id, quod uoluntas poterat non aſſumere .

22 Quæres 4;an damnatis competat uſus ?

Reſp;quòd propriè loquendo non utuntur; nam uſus propriè ſumptus refert rem aſſumptam in finem debitum;damnati autem omnia peruerſè operantur illa referendo in finem indebitum .

23 Quæres 5;quibus rebus liceat uti?

Reſp. licere uti ſolis creaturis, non autem Deo ; unde ſolæ creaturæ ſunt obiectum uſus.

Ita

Ita Beatiſſ.P.lib.83.qq.q.33; & lib.1.de Doctrin. Chriſt.c.23; & cum illo Fund.Doct. vbiſ; & communiter omnes. Illud eſt obiectum vſus,quod poteſt referri in finem; ſed ſolæ creaturæ poſſunt referri in finem,Deus autem nequit referri;ergo ſolæ creaturæ ſunt obiectum uſus, Deus autem nequaquam.

24 Dices. Deus eſt bonum utile, ut docet *D. Ambr. in pſalm.* 118; ergo poſſumus uti Deo. 2. Beati utuntur Diuina eſſentia,tanquam ſpecie ad uidendum Deum; ergo poſſumus uti Deo. 3. Poteſt quis licitè ſeruire Deo propter gloriam, tanquam propter mercedem; ergo poſſumus Deo uti.

Reſp.ad 1. diſt.ant. Deus eſt bonum utile formaliter, neg; eminenter, conc. Ad 2. dicitur beatos impropriè dici uti Diuina eſſentia, quia illam non referunt in alium finem. Propriè igitur dicuntur ſolùm actuari à Diuina eſſentia,tanquam à forma intelligibili,ad uidendum Deum. Ad 3.dicitur,quòd ſeruire Deo propter gloriam non eſt uti,quia gloria obiectiuè ſumpta eſt ipſe Deus,& ideo eſt ſeruire Deo propter Deum; ergo non eſt referre Deum in alium finem,& ideo non eſt vti Deo.

25 Inſt.Amor Dei in via ordinatur ad amorem Dei in patria; ergo in uia utimur Deo.

Reſp.amorem Dei in uia importare fruitionem in ſpe; ſicut amor Dei in patria importat fruitionem in re;ut diximus *de Beat.*

26 Collig.ex dictis,quòd quando *Beatiſſ.P. lib.83.qq.q.30.* docuit hominem peccare,quando fruitur utendis, & utitur fruendis; loquitur non ſolùm de peccato mortali,ſed etiam ueniali. Eſt *contr. noſtrum Luſit.* traditur tamen *à Fund. Doct.vbiſup.princ.2.q.3. ad arg. lat.* Ratio eſt; nam peccatum ſiue mortale, ſiue ueniale reduplicatiuè, ut peccatum, non refertur in Deum, quia Deus non eſt cauſa illius; omne enim,quod refertur ad Deum,tanquam in finem,eſt à Deo, tanquam à principio; ergo homo peccando ſiue mortaliter, ſiue uenialiter conſtituit ultimum finem in creatura; & ideo fruitur creatura,qua uti debet; & utitur Deo,quo ſolùm debet frui. *Vid. de vlt.fine art.3.*

ART. VIII.

Quid importet fruitio?

1 Conſtat fruitionem eſſe ultimum actũ, quo fine habito conquieſcimus,ideo de illa ultimo loco agendum eſt.

2 Quæritur autem, an importet formaliter delectationem,uel amorem;& an importet delectationem ſequentem ad amorem ſimplicis beneuolentiæ,amicitiæ,vel concupiſcentiæ?

3 Certum eſt fruitionem ſemper importare amorem,poſſeſſionem,& delectationem;nam qui fruitur aliquo obiecto, illud amat, & poſſidet; quæritur autem,in quonam ex his tribus conſiſtat fruitio formaliter?

4 Prima ſententia vult fruitionem formaliter conſiſtere in conſecutione obiecti, quæ eſt actus intellectus; ad uoluntatem autem pertinere ſolùm per modum obiecti. Ita *Sot. in 4. diſt. 59.q.2.art.4.*

5 Secunda ſententia vult conſiſtere in amore. Ita *Scot.in 1.q.3;& in 4.diſt.49.q.7;Ric;Gabr; noſter Greg;& alij.*

6 Tertia ſententia vult eſſentialiter conſiſtere in amore, & delectatione ſimul. Ita *D.Bon; Henric.* autem vult conſiſtere in amore,poſſeſſione,& delectatione.

7 Quarta ſententia vult fruitionem conſiſtere in delectatione, quæ ſequitur ad amorem concupiſcentiæ tantùm;non autem,quæ ſequitur ad amorem beneuolentiæ;ſcilicet ad amorem, quo volumus bonum alterius in ordine ad nos. Ita *Dur.*

8 Noſtra tandem ſententia docet fruitionẽ formaliter conſiſtere in delectatione. Ita *Fund. Doct.in 1.diſt.1.princ.1.q.1; Toletan; D.Tho; & omnes alij communiter.*

9 Hoc nomen *fruitio* deriuatur à fructu arboris,qui eſt vltimus inter ea,quæ de arbore expectamus,& quem cum delectatione capimus,vt obſeruat *noſter Ger*; ex quo deducitur fruitionẽ eſſe tantùm de fine vltimo,vel ſimpliciter, vt eſt Deus;vel ſecundùm quid, qui ad alium non ordinatur,vt quando peccator fruitur creatura.

10 Vnica concl.Fruitio non conſiſtit formaliter in viſione, aut in amore, ſed in delectatione ſequente ad amorem beneuolentiæ.

Prob.1.pars concl.1. *ex Beatiſſ.P. Aug. lib. 1.de Doctr.Chriſt.c.33;* vbi docet: *Frui eſt cum delectatione vti.* Item *frui eſt lætari,vel gaudere de aliqua re;* & *lib.10. de Trin.c.10. Fruimur cognitis,in quibus voluntas ipſa propter ipſa delectata quieſcit;* & *lib.11.de Ciuit. Dei c.25. Frui dicimur ea re,qua nos non ad aliud referendo per ſe ipſam delectat,* & *lib.83.qq.q.30. Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem*; ergo fruitio formaliter importat delectationem, quæ eſt actus voluntatis.

11 Prob. 2. *à Fund.Doct.* Tunc propriè dicitur fruitio,quando eſt quietatio,& voluptas de obiecto amato; ſed per ſolam delectationem,non per viſionem,aut amorem,uoluntas quietatur,& voluptatem capit de obiecto amato;ergo fruitio importat ſolam delectationem formaliter,quę eſt actus uoluntatis. Prob.ma; nam fruitio dicitur à fructu,qui ab arbore ultimò expectatur,& cum voluptate percipitur; quapropter *Auctores linguæ Latinæ* docent *frui* formaliter ſignificare *voluptatem capere.* Prob.mi.Viſo,& amato obiecto voluntas non quietatur,ſed ulteriùs procedit ad delectandum de illo; per ipſam autẽ delectationem vltimò quietatur; ergo uoluntas non quietatur per viſionem,& amorem,ſed per ſolam delectationem. Tum quia *frui* pro eodem ſumitur, ac gaudere cum plena quietatione, & ſatietate ap-

appetitus; ſed hoc eſt delectari formaliter; ergo fruitio formaliter importat delectationem. Tum quia, ut docet *Beatiſſ.P. lib. 9. de Ciuit. Dei c.9. Nemo beatus eſt,qui eo,quod amat,non fruitur*; ex quo patet poſſe dari amorem ſine fruitione, & ideo fruitionem importare aliquod poſterius ad amorem; ſed illud,quod eſt poſterius ad amorē, eſt delectatio, qua ultimatè quieſcimus; ergo fruitio importat delectationem formaliter.

12 Prob.2.pars concl. *ex eod.Beatiſſ.P.de Trin.vbi ſup. Fruimur cognitis,in quibus voluntas ipſa propter ipſa delectata quieſcit*;ex quo ſic.Delectatio,quę ſequitur ad obiectum propter ipſū, deſcendit ab amore ſimplicis beneuolentiæ, qui eſſentialiter eſt de obiecto propter ipſum, idēſt vt bonum eſt in ſe ipſo, nō prout eſt bonum nobis;ſic enim eſt amor concupiſcentiæ; ſed fruitio importat delectationē de obiecto propter ſeipſum; ergo importat delectationem ſequentem, ſeu deſcendentem ab amore beneuolentiæ. 2.Ille non eſt uerus amicus, qui non gaudet de amico,prout eſt bonus in ſe; ergo de obiecto bono, vt bonum eſt in ſeipſo, poteſt dari gaudium, & delectatio,& per conſequens fruitio; hæc enim tria formaliſſimè idem ſignificant; ſed gaudium de obiecto, ut eſt bonum in ſe, conſequitur ad amorē beneuolentiæ,ergo & fruitio. 3.*Beatiſſ.P. lib.10.Confeſſ.*docet: *Totum gaudium beatorum eſſe de Deo propter Deum*;ex quo ſic. Perfectiſſima delectatio ſequitur amorem perfectiſſimum; quò enim magis amamus aliquam rem,eò magis ea delectamur;ſed amor beneuolentiæ eſt perfectiſſimus;quia eſt de Deo,vt eſt bonus in ſe ipſo; Deus autem, ut bonus in ſe ipſo,eſt infinitè, & incomprehenſibiliter bonus; amor verò concupiſcentiæ eſt de Deo, vt eſt bonus nobis; Deus autem non eſt bonus nobis infinitè,& incomprehenſibiliter;quia nos non ſumus capaces bonitatis infinitæ; neque poſſumus comprehendere id, quod eſt nobis incomprehēſibile; implicat enim in terminis; ergo perfectiſſima delectatio, ſeu fruitio ſequitur amorem beneuolentiæ.

13 Non negamus tamen fruitionem,ſeu delectationem poſſe etiam ſequi ad amorem concupiſcentiæ; quia delectatio eſt paſſio amoris; ſed dicimus fruitionem deſcendere etiā ex amore beneuolentiæ, imò hanc eſſe perfectiorem.

14 Obijc. 1. cont.1.part.concl.*Conc.Vienen.* damnat *Beguardos*, *& Beguinas* aſſerentes animam non indigere lumine gloriæ ad viſionem,& fruitionem; ex quo ſic. Si fruitio non conſiſteret formaliter in viſione, locutio *Concilij* non eſſet formalis;ſed hoc non eſt dicendum; ergo neque primum. 2. *Beatiſſ. P. de Moribus Eccl.c.3.* ait: *Quid eſt aliud frui,niſi præſtò habere,quod diligitur*;ſed per uiſionem præſtò habemus Deum; ergo fruitio conſiſtit in viſione. 3.*De Doctr.Chriſt. c.21.& 33*,habetur: *Sūma merces eſt,vt Deo perfruamur*,ſed ex eodem viſio Dei eſt tota merces; ergo fruitio importat viſionem formaliter.

Reſp.ad 1.*Conc.*ſtatuere lumen gloriæ prærequiri, tanquam aliquid præſuppoſitum ad viſionem, & cognitionem; & ſicut lumen præſupponitur uiſioni,ita uiſio præſupponitur fruitioni. Ad arg.ergo neg.mi.nam *Conc.* loquitur cauſaliter,non formaliter; ſicuti enim uiſio non eſt formaliter lumen,ita fruitio non eſt uiſio.Ad 2.dicitur frui eſſe præſtò habere per delectationem, vt *loc.cit.*ſe explicat *Beatiſſ.P.*Ad 3.diſt.mi.Viſio Dei eſt tota merces pertinens ad intellectum, conc; pertinens ad uoluntatem, neg; nam ſicut gratia viæ, quæ eſt meritum à Deo nobis donatum,pertinet nedum ad voluntatem,ſed etiam ad intellectum, vt diximus *to. 2. de Scient.Dei q.4. art.1.§.2.*ita gloria,quæ eſt merces correſpōdēs merito viæ, debet ſe tenere nedum ex parte voluntatis, ſed etiam ex parte intellectus. Fruitio autem eſt merces ſe tenens ex parte voluntatis, non autem ex parte intellectus, niſi tantùm præſuppoſitiuè.

15 Obijc.2. Frui eſt voluptatem capere; ſed voluntas non capit voluptatem,niſi per alias potētias; nam frui cibo eſt guſtare cibum; ergo uoluntas propriè non fruitur. 2. Frui eſt fructum capere;ſed ſolus intellectus percipit obiectum; ergo ſolus intellectus fruitur.3.Fruitio dicit maximam vnionem; ſed Deo magis vnimur per viſionem,quàm per amorem; quia viſio fit per aliquod intrinſecum intellectui; amor verò eſt ad aliquod extrinſecum; ergo fruitio importat viſionem.

Reſp. ad 1. neg. mi; nam frui cibo eſt delectari de guſtu cibi; & licèt voluntas non poſſit delectari de obiectis ſenſibilibus, niſi mediantibus potentijs ſenſitiuis; attamen non ſequitur, quòd delectatio non ſit actus proprius voluntatis;ſicut licèt non poſſit amare, niſi præſuppoſita cognitione,non ſequitur,quòd amor nō ſit actus proprius illius.Ad 2.dicitur,quòd fruitio eſt delectatio de fructu iam percepto; vnde perceptio fructus præſupponitur ad fruitionem. Ad 3.neg. mi.*cum Fund.Doct.Quodl.5.q.5*; nam licèt amor tendat ad rem,vt eſt ad extra; attamen quia trāſformat amantem in rē amatā;intellectus verò tātummodo aſſimilat;ideo amor magis vnit.

16 Obijc.3.*ex Beatiſſ.P.lib.1.de Doctr.Chriſt. c.4.* habetur: *Frui eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam*;ergo fruitio importat amorem. 2.Per amorem,vt abſtrahit à delectatione,perfectè Deo inhæremus; imò magis perfectè,quàm per delectationem;quia inhæſio per amorem eſt cauſa delectationis per inhæſionem; & non inhęremus per delectationem,niſi mediante amore; ergo fruitio cōſiſtit formaliter in amore. 3.Fruitio conſiſtit in illo actu,in quo conſiſtit ratio meriti,& demeriti,nam tota ratio meriti conſiſtit in fruitione ordinata, & ratio demeriti in fruitione inordinata *ex Beatiſſ.P.10.de Trin.c.10*; ſed meritum,& demeritū conſiſtit formaliter in amore; ergo fruitio conſiſtit formaliter in amore.

Reſp.

Reſp.ad 1.Fruitionem eſſe amore inhærere per delectationem ita, vt amor importetur præſuppoſitiuè, & delectatio formaliter. Ad 2. diſt. ant.Per amorem perfectè inhæremus Deo,vt eſt ſumminè bonus,conc; vt eſt ſummè fruibilis, neg; fruitio autem conſiſtit in perfecta inhæſione Deo,vt eſt ſummè fruibilis,quę non habetur,niſi per delectationem. Ad 3. dicitur, quòd licèt meritum, & demeritum poſſit eſſe in fruitione, vt habet *Beatiſſ. P*; quia delectando de peccatis demeremur,& delectādo de operibus bonis meremur;attamen falſum eſt, quòd fruitio conſiſtat in omni actu,in quo eſt meritum,& demeritum; nam quando vtimur fruendis,ille vſus eſt peccatum,vt docet *Beatiſſ.P*,& tamen non eſt fruitio; quia vſus contradiſtinguitur à fruitione,negatur ergo vniuerſaliter ma;& mi.

17 Obijc. 3. Fruitio eſt actio;ſed delectatio eſt paſſio; ergo fruitio nō importat delectationē. 2. Fruitio eſt actus ſolius voluntatis; delectatio verò ſpectat ad omnes potentias *ex Phil.* 10. *Eth.*3. Amor, & delectatio non diſtinguuntur; ſed fruitio non importat amorem; ergo neque delectationem.4.Delectatio eſt etiam de medijs; ſed fruitio eſt tantùm de fine; ergo fruitio non eſt delectatio.5.Beati perfectè fruuntur; & tamē perfectè non delectantur;quia triſtantur de peccato; & triſtitia nequit eſſe ſimul cum perfecta delectatione.

Reſp. ad 1.diſt. mi. Delectatio ſenſibilis, conc;ſpiritualis,neg.Ad 2.diſt.2.pars.Delectatio ſimpliciter,quæ eſt de bono fruibili vltimatè ſatiatiuo,neg;delectatio ſecundùm quid,prout dicit ſimpliciter tendentiam in obiectum,conc.Ad 3.dicitur;quòd delectatio diſtinguitur ab amore ſaltem ſecundùm ſuum conceptum formalē explicitum;& ideo fruitio poteſt importare formaliter explicitè delectationem, non amorem. Ad 4.diſt.ma.Delectatio perfectè ſatiatiua, de qua loquimur,neg;non ſatiatiua, conc. Ad 5.neg. 2. pars ant;nam beati non ſunt capaces triſtitiæ, & ideo gaudent de peccatis, non prout ſunt offenſa Dei,ſed prout fuerunt occaſio maioris gratiæ, pœnitentiæ &c.

18 Obijc.*Dur.*cont.2.part.concl.Fruitio eſt rei delectabilis,vt delectabilis eſt; ſed amor rei delectabilis,vt delectabilis; ſicut amor rei vtilis, eſt amor concupiſcentiæ; ergo fruitio deſcendit ſolùm ex amore concupiſcentiæ.

Reſp.neg.1. part. mi; nam poſſumus delectari nedum de obiecto,prout eſt bonum nobis, ſed etiam prout eſt bonum in ſe ipſo.

19 Quæres 1; an quando delectatio ſequitur actum concupiſcentiæ; habeat pro obiecto tantùm ipſam rem,vel etiam actum, quo coniungimur cum ipſa re?

Reſp. obiectum delectationis eſſe tantùm ipſam rem;non verò actum, quo coniungimur cū obiecto delectabili; aliter actus eſſet obiectum ſui ipſius.Verum tamen eſt poſſe ipſum actum quaſi virtualiter reflexiuè tendere erga ſe ipſū; cùm enim voluntas ſit potentia vniuerſaliſſima tendens in omne bonum; ideo poteſt per reflexionem delectari de ſuo actu,qui eſt bonus, & à fortiori delectari de actibus intellectus, quatenus per ipſos conſequimur Deum; ſic enim habent rationem finis vltimi *quo*; & ideo vt *quo* poſſunt ſatiare,& quietare voluntatem; obiectū autem *quod* eſt ſola res, de qua delectamur. Eſt *cont. Dur*; cuius arg. *alibi* ſoluta ſunt, & faciliter ſolui poſſunt diſtinguendo de obiecto *quo*, *&* *quod*.

20 Quæres 2; an delectatio deſcendens ex amore concupiſcentiæ ſit vera fruitio?

Reſp.affirmatiuè;nam non eſt vſus; quia vſus nequit eſſe de Deo;ergo eſt fruitio, quia fruitio,& vſus adæquatè diuidunt actum voluntatis;& quanuis *Beatiſſ.P.vbiſup.* doceat fruitionem eſſe rei propter ſeipſam;dicitur tamen ipſū loqui de fruitione perfectiſſima, quæ ſequitur tantùm ad amorem beneuolentiæ, non autem de omni fruitione.Eſt pariter *cont. Dur*; cuius ratio non eſt alicuius momenti.

21 Quæres 3,quibus rebus conueniat fruitio?

Reſp.*Fund.Doct. vbiſ.princ.2.q.1.* res inanimatas nullo modo frui;bruta, & pueros, ceteroſq; vſus rationis expertes impropriè, imperfectè,& materialiter; Angelos, & homines peccatores peruersè,imperfectè, & impropriè; Angelos,& homines viatores iuſtos propriè, ſed non perfectè;Angelos, & homines beatos in patria propriè,& perfectè,ſed non primò; Deum verò proprijſsimè,& perfectiſſimè,& primò.

22 Ratio primi eſt; nam fruitio eſt delectatio ſupponens cognitionem; eſt enim gaudium de fine poſſeſſo, & apprehenſo ſatians deſideriū illius,ſed res inanimatæ carent cognitione; ergò illis nullo modo competit frui.

23 Ratio ſecundi eſt; nam vt docet *Beatiſſ. P.lib.83.qq.q.30.Frui cibo, & qualibet corporis voluptate non adeo abſurdè exiſtimantur & beſtiæ*; ex quo ſic.Fruitio ita competit, ſicut competit cognitio;ſed brutis non competit, niſi cognitio ſenſitiua,quæ eſt impropria,imperfecta,& materialis; ergo illis non competit fruitio, niſi impropria,imperfecta,& materialis. Tum quia fruitio competit illis, quibus competit agere propter finem; eſt enim delectatio de vltimo fine;ſed brutis, ceteriſque ratione carentibus cōpetit agere propter finem ſolùm impropriè, imperfectè, & materialiter;aguntur enim potiùs, quàm agant propter finem; ergo eodem modo eis competit fruitio.

24 Ratio tertij eſt.Fruitio propriè ſumpta eſt ſolùm circa vltimum finem ſimpliciter immobilem recta ordinatio; ſed peccatores deordināt ab vltimo fine,qui eſt Deus,illumque conſtituūt in creatura, quæ eſt mobilis; ergo peccatores peruersè,non propriè fruuntur.

25 Ratio quarti eſt. Viatores iuſti gaudent

de Deo poſſeſſo in ſpe, qui eſt verus finis vltimus ſimpliciter, ad quem rectè omnia ordinantur,tanquam ad ſuum primum principium, & vltimum finem;non tamen illum perfectè, & immobiliter poſſidēt,quia poſſunt ab illo per peccatum diuelli;ergo fruuntur propriè, ſed non perfectè.

26 Ratio quinti eſt.Beati in patria fruuntur immobiliter Deo per participationem,Deus autem fruitur ſe ipſo per eſſentiam; ſed quod cōpetit alicui per eſſentiam, competit primò; & quod competit per participationem, competit ſecundariò; quia participans aliquod ſupponit id,quod participatur; ergo beati fruuntur propriè,& perfectè;quia fruitio propria, & perfecta eſt per immobilem poſſeſſionem ſupponentem cognitionem perfectam, & quietem vltimatam immobilem,ſed non primò;quia ſupponunt Deū frui ſe ipſo; Deus autem fruitur ſe ipſo propriiſſimè,perfectiſſimè,& primò.

27 Sed quæres; an fruitio viatorum,& beatorum ſint eiuſdem ſpeciei?

Reſp.eſſe eiuſdem ſpeciei analogicæ; ſicut dicimus de charitate viæ,& patriæ, ad quam ſequitur ipſa fruitio; ſpecies autem analogica importat rationem partim eandem, partim diuerſam; ideo fruitio viæ importat deſiderium; fruitio patriæ ſatietatem;vtraque tamen eſt de Deo, vt eſt ſummum bonum.

28 Collig. 1. fruitionem eſſe actum voluntatis formaliter præſupponentem actum intellectus;nā fruitio formaliter eſt de bono apprehenſo per intellectum; ſed actus de bono apprehenſo eſt actus voluntatis formaliter ſupponens actum intellectus; ergo fruitio formaliter eſt actus voluntatis ſupponens actum intellectus.

29 Collig.2. nullum bonum creatum eſſe obiectum fruitionis propriæ, & perfectæ;quia fruitio propria, & perfecta eſt de bono ſimpliciter irreferibili in aliud bonum, & ſatiat immobiliter ipſam voluntatem; ſed omne bonum creatum eſt referibile in Deum; nec poteſt ſatiare immobiliter voluntatem; quia nullum mobile poteſt immobiliter ſatiare; ergo nullum bonum creatum poteſt eſſe obiectum fruitionis propriæ, & perfectæ.

30 Colligitur 3. ſolum bonum increatum, nempe Deum,eſſe obiectum materiale fruitionis propriæ,& perfectæ; quia ſolus Deus non eſt ordinabilis ad aliud bonum,ſatiat immobiliter, & vltimò; obiectum autem formale eſſe Deum ſub ratione vltimi finis; quia ſola ratio finis vltimi eſt vltimò quietatiua motus deſiderij; dicitur enim finis à finiēdō motum;ergo ſola ratio finis, vt finis, eſt obiectum formale fruitionis.

31 Collig. 4. non poſſe beatos frui vna perſona ſine alia;aut eſſentia ſine attributis, & è contra.Traditur *à Beatiſſ.P.lib.1.de Doct.Chriſt. c.2.Res,quibus fruēdum eſt,ſunt Pater,& Filius, & Spiritus Sanctus*; & prob. iiſdem rationibus, quibus probatum eſt non poſſe beatificè videri, & amari vnā perſonā ſine alia. *Vid.q.1. de Beat. art.2*;cùm enim omnis fruitio ſit actus cōſequēs ad amorem beatum; ideo de fruitione loquendū eſt,ac de beatitudine; quapropter aliæ petitiones,& dubia, quæ circa fruitionem poſſent moueri,ex dictis *in tract. de Beat.* facillimè poſſunt diſſolui.

QVÆSTIO V.

De bonitate, & malitia actuum humanorum.

POſtquam egimus de actibus humanis in ſpeciali phyſicè conſideratis, ſupereſt agendum de ipſis,prout ſpectant ad genus moris,& ſic prout merentur laudem,& præmium;vel vituperium, & pœnam.Agimus autem de bonitate, & malitia in communi non deſcendendo ad ſpeciales rationes bonitatis,& malitiæ;hoc enim præſtabitur *to.4.ſeq.*

ART. I.

In quo formaliter conſiſtat moralitas?

1 RAtio formalis moralitatis explicari vix poteſt, niſi priùs explicentur illius principia,ſeu regulæ; à quibus refertur in obiectum,finem, & concunſtantias, à quibus ſumunt ſpeciem moralitatis actus humani, vt *in ſeq.articulis* dicemus.

§. 1.

Quænam ſint regulæ moralitatis?

2 CAuſa *ex 2. Phyſ.* diuiditur in phyſicam,& moralem; phyſica eſt, quæ per actionem, & influxum phyſicum producit effectum;vt cùm homo producit hominem. Moralis eſt,quæ dirigit actionem,vt bene, vel malè fiat;vt cùm quis conſulit aliquem, vt generet ſibi filium ex matrimonio,vel ex copula illicita. Cauſa ergo moralis optimè vocatur regula,quia dirigit actiones humanas; & quia dirigere proprium eſt intellectus ex imperio voluntatis;ideo cauſa moralis propriè exiſtit in intellectu; quapropter etiā vocatur *dictamen rationis* eo,quia ratio,ſeu intellectus dictat ita eſſe faciendum.

3 Quemadmodum autem cauſa phyſica actionis factæ à creatura alia eſt prima, idēſt Deus;alia ſecūda,idēſt creatura;nam ſi talis actio non eſſet à Deo,tanquam à cauſa prima,eſſet independens à Deo,& ſi non eſſet à creatura, tanquam à cauſa ſecunda, iam non eſſet actio creaturæ. Ita cauſa moralis actionis creaturæ alia eſt prima, quæ eſt lex æterna exiſtens in mente Dei dirigens omnes actiones creaturarum in fines præſtitos à Diuina prouidentia;alia eſt ſecunda, quæ eſt lex rationis exiſtens in mēte ipſius creaturæ

turæ

turæ dirigens ſuas actiones in finem ſibi præſtitum à Diuina prouidentia. Sicut autem ſola entitas phyſica habet cauſam efficientem phyſicā; nam defectus phyſici, & priuationes dicunt ſolā deficientiam cauſæ phyſicæ, quæ non agit, ſicut agere debet; ita ſola bonitas moralis habet cauſam, ſeu regulam moralem; malitia autem, quæ eſt defectus bonitatis, dicit ſolam deordinationem, ſeu deficientiam à recta regula bonitatis; vt ſæpiſſimè docet *cum Beatiſſ. P. Fund. Doct.*

4 Prima ſententia vult primam regulam morum eſſe naturam rationalem, qua talis eſt. *Ita Scot; Vaſq. hic diſp. 73; & diſp. 95; & 97; Sal. diſp. 1. ſect. 2; Sua. diſp. 2; ſect. 2; Merat. diſp. 2. de Leg; Torc. diſp. 13. dub. 2; Conich. 2. 2. diſp. 3. dub. 1; & alij apud noſtrum Gibb.*

Secunda ſententia vult eſſe finem operantis. *Ita quidam ex noſtris. Alij* verò volunt eſſe præponderantiam, ſeu eligibilitatem actus ex ſuo oppoſito.

5 Noſtra ſententia docet primam regulam morum eſſe legem æternam exiſtentem in mente Dei, ſecundam autem eſſe dictamen rationis exiſtens in mente hominis. Sed diuiſa eſt; *aliqui* enim volunt legem æternam eſſe regulam remotam; dictamen verò eſſe proximam; vt *Gonet, & alij Thomiſtæ*, quibus videtur accedere *Gibb. Alij* verò vtranque eſſe proximam, & immediatam, vnam tamen alteri ſubordinari. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 18. q. 1. art. 2. §. Verùm; & diſt. 39. q. 3. ar. 2. §. Prima via; & diſt. 40. q. 1. art. 3; Greg; Gibb, & alij. D. Tho, Caiet; Med, Cur, Zum; Aluar; Salm. apud Gibb. hic diſp. 23. dub. vlt.*

6 Not; quòd magna eſt æquiuocatio in hoc *inter Auctores*, & præſertim ſecundæ ſententiæ, qui non diſtinguunt regulam, ſeu principium directiuum morale à ſpecificatiuo, à quo actus humani ſpecificantur. Sicut enim in phyſicis præter obiectum ſpecificatiuum actus dandum eſt principium productiuum illius; nam præter bonum, quod eſt obiectum voluntatis, danda eſt voluntas, quæ eſt principium phyſicum productiuum illius; & præter colorem, qui ſpecificat potentiam viſiuam corpoream, datur potentia viſiua, quæ elicit viſionem; ita præter ſpecificatiuum actus humani dandum eſt principium morale directiuum illius; nam principium morale non producit propriè, ſed dirigit, vt *ſup.* dictum eſt; & hoc principium directiuum vocatur regula actionis, & de hac loquimur in præſenti.

7 Præterea *Gonet, & alij*, de quibus *ſup*; videntur parum ſibi congruè loqui; nam *cont. Dur.* fatentur Deum immediatè, & proximè concurrere ad omnes actiones phyſicas creaturæ, tanquam cauſa phyſica vniuerſaliſſima, & primæ ſimpliciter; & poſtea *hic* aſſerunt remotè concurrere, tanquam cauſa moralis dirigens vniuerſaliſſimè omnes actiones creaturarum in finem debitum. Quæ incongruentia ſic refellitur. Ex eo, quòd Deus concurrat phyſicè ſibi ſubordinando creaturas ad actiones creaturarum, non dicitur cauſa remota actionum, quæ fiunt à creatura; ergo ex eo, quòd Deus concurrat moraliter, vt lex æterna vniuerſaliſſima dirigens omnes actiones creaturarum ſibi ſubordinans legem, ſeu dictamen exiſtens in mente creaturarum, nō dicitur regula remota bonitatis actionum, quæ fiunt à creatura. *His ſtatutis pro explic.*

8 Vnica cōcl. Prima regula immediata bonitatis, & malitiæ actionū creaturę eſt lex æterna exiſtens in mente Dei, cū qua concordat bonitas, & malitia diſcordat; ſecunda autem regula eſt rectum iudicium, ſeu dictamen rationis exiſtens in mente creaturæ; quod eſt quædam ſcintilla luminis intellectus Diuini à Deo participata creaturæ.

Prob. 1. *ex Apoſt. Rom. 7. Non cognoui peccatum, niſi per legem*; & *ex Beatiſſ. P. lib. 2. de Ord. c. 8.* docente: *Hæc autem diſciplina ipſa Dei lex eſt, quæ apud eum fixa, & inconcuſſa ſemper manens in ſapientes animas quaſi tranſcribitur, vt tantò ſe ſciant viuere meliùs, tantòque ſublimiùs, quantò & perfectiùs eam contemplantur intelligendo, & viuendo cuſtodiunt diligentiùs; & lib. 1. de lib. arb. c. 6; & ſeq*; vbi fuſiſſimè hanc materiam pertractat: *Quid illa lex, quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt &c*; & paulò poſt. *Vt igitur breuiter æternæ legis notionē, quæ impreſſa nobis eſt, quantùm valeo, verbis explicem, ea eſt, qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima.* Ex quibus ſic. 1. Si lex non eſſet ratio bonitatis & malitię, poſſet eſſe malitia ſine lege; ſed conſ. eſt *cont. Apoſt*, ergo & ant. 2. Primum dirigens actiones creaturarum in debitum finem eſt prima regula bonitatis illarum; & ſecundum dirigens eſt ſecunda regula; prout autem ab vtroque diſcordant actiones, eſt regula malitiæ; ſed lex æterna exiſtens in mente Dei eſt primum dirigens actiones creaturarum in finem debitum; & dictamen rationis exiſtens in mente creaturæ eſt ſecundum dirigens; & prout ab vtroque diſcordant actiones creaturæ, habēt rationem malitiæ; ergo lex æterna exiſtens in mente Dei eſt prima regula, & dictamen rationis exiſtens in mente creaturæ eſt ſecunda regula bonitatis, & malitiæ actionum creaturarum. Ma. patet ex terminis; nam nomine regulæ ſignificatur dirigens aliquam actionem; hinc Logica dicitur directiua operationum noſtri intellectus, quia tradit regulas, vt benè, ac ſine errore eliciantur; quia autem *rectum eſt index ſui, & obliqui*; ideo prima regula bonitatis, quæ regulat per concordantiam, quia eſt rectum; eſt etiam prima regula malitiæ per diſcordantiam, quæ eſt obliquum bonitatis, quia ab illa deuiat. Prob. mi. Actus practicus voluntatis Dei eſt primum efficiens; ergo iudicium practicum intellectus Diuini eſt primum dirigens; actus enim practicus voluntatis Diuinæ ſupponit actum practicum intellectus Dei, à quo dirigitur; nam dirigere eſt proprium ſolius po-

tentiæ videntis;& ideo ſolius intellectus, qui eſt potentia videns; ſed nomine legis æternæ intelligimus iudicium practicum intellectus Diuini; ergo lex æterna exiſtens in intellectu Diuino eſt primum dirigens actiones creaturarum. Præterea actiones creaturarum ſunt ex præuio iudicio practico intellectus creati, à quo diriguntur in finem; vt diximus *in ſup. q*; ſed intellectus creatus eſt ſecundum dirigẽs; quia omnis cauſa creata eſt eſſentialiter cauſa ſecunda ſuarum operationum; ſupponit enim cauſam primam, quæ eſſentialiter concurrit ad omnes actiones creaturarum; ergo dictamen, ſeu iudicium practicum intellectus creati eſt ſecundum dirigens actionum humanarum.

9 Conf.1. Deus & creatura ita ſe habent ad actiones bonas in genere moris; ſicut ad actiones bonas in genere phyſico; nam *omne bonum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*; vnde nedum bonum phyſicum, ſed etiam morale productum à creatura eſt à Deo, tanquam à fonte omnis bonitatis; ſed actio producta à creatura in eſſe phyſico intellectuali eſt ab intellectu creaturæ, tanquam à cauſa ſecunda dirigente, & regulante illam actionem; & ab intellectu Dei, tanquam à prima cauſa dirigente, & regulante; cauſa autem dirigens, & regulans eſt idem, ac regula; ergo & opus bonum morale eſt à Deo, tanquam à prima regula; & à creatura, tanquam à ſecunda regula. Tum quia regula in moralibus eſt, ſicuti cauſa in phyſicis; quia regula in moralibus dirigens in aliquod dicitur cauſa moralis illius, vt dictum eſt; ſed actus phyſicus creaturæ eſt à Deo, tanquam à prima cauſa phyſica, & à creatura, tanquam à cauſa ſecunda phyſica; ergo actio moralis creaturæ eſt à Deo, tanquam à prima regula moralitatis; & à creatura, tanquam à ſecunda regula.

Conf.2. Deus eſt generalis Prouiſor vniuerſaliſſimè ordinans omnes actiones humanas in finem; vt diximus *to.2. de Prouid. q.2. art.1; & 2; & de Prædeſt. q.2. art.3*; ergo eius ordinatio eſt prima regula omnium actionum humanarum; ſed nomine legis æternæ intelligimus ordinationem intellectus Diuini dirigentem omnes res creatas in finem debitum; ergo lex æterna exiſtens in mente Diuina eſt prima regula omnium actionum humanarum.

10 Prob.2. *à Fund. Doct. diſt.28. vbi ſ. ex Beatiſſ. P. lib.8. de Gen. ad lit. c.20.* Omnis motus incipit, & regulatur ab aliquo ſimpliciter immobili; ſed omnis actio humana eſt motus, quo voluntas mouetur in finem; ergo incipit, & regulatur ab aliquo ſimpliciter immobili; atqui lex Diuina eſt aliquod ſimpliciter immobile; quia eſt ſimpliciter immutabilis; ergo lex Diuina eſt prima regula regulans actiones humanas, vt bene fiant; & ideo eſt prima regula bonitatis actionum humanarum. Mi. conſtat. Prob. ma. Si motus non inciperet; & regularetur ab aliquo ſimpliciter immobili, daretur proceſſus infinitus in mouentibus, & motis; quia illud mobile moueretur ab alio mobili, & illud aliud ab altero, & ſic in infinitum. Tum quia videmus, quòd motus vnius pedis incipit à ſtatione alterius pedis, tanquam à cardine fixo, & immoto illius pedis; ergo omnis motus incipit, & regulatur ab aliquo ſimpliciter immobili. Præterea actio humana non incipit, & regulatur tantùm à principio immobili, ſed etiam à principio mobili, ſcilicet ab intellectu ipſius hominis; aliter non eſſet ab homine, ſed à ſolo Deo; ex eo enim, quòd intellectus proponat voluntati aliquid agendum, & oſtendat illi modum agendi dirigendo ipſam voluntatem in finem debitum, incipit moueri voluntas; talis tamen directio ſupponit vniuerſaliſſimam directionem Dei; ergo ſecunda regula bonitatis actionum humanarum eſt dictamen, ſeu iudiciũ practicum intellectus humani.

11 Ex hoc euertitur prima ſententia; nam natura rationalis non eſt ſimpliciter immobilis, quia omnis creatura eſt mobilis eſſentialiter; ergo nequit eſſe prima regula actionum humanarum, quæ ſunt motus, quibus voluntas mouetur in finem. Tum quia nulla creatura poteſt eſſe primum efficiens; ergo nequit eſſe primum dirigens, & ideo nec prima regula. Tum quia prima regula debet eſſe ſimpliciter infallibilis; ſicut prima cauſa debet eſſe ſimpliciter immutabilis; & prima regula durationis debet eſſe ſimpliciter indefectibilis; ſed creatura rationalis nõ eſt ſimpliciter infallibilis, quia eſt ex nihilo, & conſtat ex potentialitate paſſiua, ob quam contingit in rebus error, & malitia, vt diximus *q.9. de Ang. art.1. §.3*; ergo nequit eſſe prima regula bonitatis. Tũ quia natura rationalis cõſiderata, vt antevertens cognitionẽ, & liberum arbitrium, nõ habet, per quid diſtinguatur à natura neceſſaria, eſt enim determinata ad vnum; ergo, vt talis, nequit eſſe regula actionum humanarum; aliter eadem eſſet regula actionum determinatarum ad vnũ, & liberarum; & ideo ad ſummum eſſet regula earum, prout ſunt quid neceſſarium, non prout ſunt quid liberum; atque adeo non prout ſunt humanæ; ſic enim ſunt liberæ.

12 Prob.3. euertendo ſecundam ſententiã. Effectus, aut terminus actionis incongruè dicitur regula ipſius actionis; regula enim debet antecedere ipſum effectum; aut terminum, quia debet dirigere ipſam actionem in terminum; ſed finis debitus, ad quem ordinatur actio humana, eſt effectus, aut terminus ipſius actionis; ergo nequit eſſe regula illius. Prob. ampliùs ma. Si effectus, aut terminus eſſet regula actionis, poſſet aliquod poſterius actione eſſe regula illius; & ſic poſtquam actio poſita eſt, poſſet regulari, & dirigi; vt bene fieret; ſed conſ. eſt falſum; quia *factum infectum fieri nequit*; ſi autem id, quod eſt poſitum in actu, poſſet regulari, vt fieret bene, factum poſſet fieri infectum; illud enim, quod poteſt fieri, neceſſariò eſt non factum; ergo idem,

quod

quod prius. Prob. mi. Actio ordinatur ad finem effectum, ſeu terminum, quia actio eſt elicita à fine cauſa, prout eſt in intentione; actio autem, prout eſt à cauſa, ordinatur ſolùm ad effectum, ſeu ad terminum; hinc actio generatiua, quæ eſt à patre, ordinatur ſolùm ad filium; ergo finis debitus, ad quem ordinatur actio humana, eſt effectus ipſius actionis. Tum quia nullus diceret regulas ad faciendam domum ad extra eſſe ipſam domum ad extra productam. Tum quia regulæ propriè ſpectant ad intellectum, cuius proprium eſt dirigere, finis autem ſpectat ad voluntatem, quæ, vtporè potentia cæca, indiget dirigi. Tum quia ſi finis eſſet regula voluntatis, idẽ dirigeret in ſe ipſum. Tum quia falſum eſt ſcopũ dirigere ſagittam in ſe ipſum; ſagitta enim dirigitur ab oculo, vt conſtat experientia; & licèt neceſſariò ſagitta dirigatur in ſcopum; & actio humana dirigatur in finem; attamen ex hoc non ſequitur, quòd ſcopus, aut finis ſint regulæ dirigẽtes; nam ſcopus, & finis ſe habent paſſiuè reſpectu directionis ſagittæ, & actionis humanæ; quia purè terminant; regula autem ſe habet actiuè, quia eſt cauſa directiua actionis; & ex hoc apparet manifeſta æquiuocatio huius ſententiæ.

13 Præponderantia autem actus præ oppoſito non ſemper interuenit præcipuè in idiotis; qui non ſemper reflectunt. Tum quia illa media habent bonitatem in ſe ipſis antecedẽter ad præponderantiam; aliter præponderans vnum mediũ in ſe ipſo malum daret ei bonitatem, quod eſt contra experientiam.

14 Obijc. 1. *Scot.* Omne iudicium fundatur in aliqua regula dirigente illius certitudinem; ſed dictamen noſtræ rationis fundatur in natura rationali; ergo natura rationalis eſt prima regula actionum noſtrarum. 2. Multa ſunt, quæ ob ſolam conuenientiam, & diſconuenientiam ad naturam rationalem ſunt bona; vt ſunt ea, quæ reſpicit lex naturæ; ergo natura rationalis eſt prima regula illarum. 3. Si nulla daretur lex, adhuc eſſet bonũ non furari, miſereri egeno &c; ergo lex æterna non eſt prima regula bonitatis. 4. Iudicium dictãs amandum eſſe Deum eſt verum; ergo iudicium ſupponit veritatem iſtius propoſitionis: *Deus eſt amandus*, & ideo antecedenter ad tale iudicium bonum eſt amare Deum; atque adeo iudicium non eſt regula huius bonitatis.

Reſp. ad 1. neg. ma. vniuerſaliter; nam ſi iudicium eſt regula, non debet fundari in alia regula. Diximus *vniuerſaliter*; quia iudicium creaturæ fundatur in iudicio practico ipſius Dei, à quo ſuſtentatur; ſicut cauſa ſecunda ſuſtentatur à prima. Vel dicitur iudicium practicum fundari in cognitione certa ſpeculatiua. Ad 2. diſt. ant. Sunt bona naturaliter, conc; moraliter, neg; quia præciſa ordinatione Diuina, à qua eſt omnis bonitas moralis, nulla eſt bonitas moralis; ſicut præciſa efficientia phyſica Diuina, à qua eſt omnis efficientia phyſica creata, nulla eſt efficientia creata.

Ad 3. eodem modo diſt. ant. Eſſet bonum naturale, conc; morale, neg. Ad 4. diſt. conſ. Iudicium ſupponit veritatem ſpeculatiuam, conc; practicã, neg; & ſic diſt. 2. conſ. Antecedenter ad tale iudicium amare Deum eſt bonum naturale potens recipere bonitatem moralem ab ordinatione Diuina, conc, eſt bonum morale, neg; ſecus daretur aliqua bonitas moralis, quæ eſſet præter ordinationem Diuinam, & non eſſet à Deo, quod repugnat Fidei, & rationi.

15 Inſt. Dato, quòd non eſſet lex æterna, & adhuc eſſet homo, qui haberet iudiciũ rationis, eius actiones eſſent moraliter bonæ, quia eſſent conformes dictamini rationis; ergo lex æterna non eſt prima regula moralitatis.

Reſp. hoc arg. probare Deum non eſſe cauſam primam phyſicam omnium rerũ; idem enim poteſt fieri in eſſe phyſico, ideo nihil probat.

16 Obijc. 2. Opera conſilij ſunt moraliter bona, vt votum caſtitatis; de quo ait *Apoſt. Conſilium autem do*; ſed opera conſilij non cadunt ſub aliqua lege, aliter eſſent de præcepto, non de cõſilio; ergo lex æterna non eſt regula bonitatis. 2. Ea, quæ præcipiuntur ſolùm per legem humanã, non ſunt moraliter bona per legem Diuinam; aliter omnia præcepta eſſent de iure Diuino; & nullum præceptũ de iure purè humano; ergo lex æterna, quæ eſt Diuina, non eſt regula omnis bonitatis; nam ea, quæ ſunt præcepta per legem humanam, ſunt moraliter bona.

Reſp. ad 1; quòd lex duplex eſt; alia præceptiua alicuius actionis abſolutè; alia ſimpliciter directiua, & ordinatiua actionis, quæ in ſubditi volũtate relinquitur; vt ſi quis Rex ordinaret omnes ſuos ſubditos, qui vellent militiam ſequi, priùs debere diſciplinam accipere; & qui vellent Doctoratum conſequi, debere priùs ſtudere in tali Ciuitate. Igitur diſt. mi. Opera conſilij non cadũt ſub aliqua lege præceptiua, conc; ſimpliciter directiua, neg. Sic ad 2. diſt. ant. Non ſunt moraliter bona per legem Diuinam præceptiuam, conc; directiuam, & ordinatiuam, neg. Ad prob. inſert. neg. aſſumpt; nam nomine iuris Diuini intelligitur lex Dei præceptiua, nõ autem ſimpliciter directiua, & ordinatiua.

17 Obijc. 3. pro 2. ſent. *Ex Phil. 1. Polit. c. 6. Finis eſt menſura omnium, quæ ſunt ad finẽ*, vt tãta medicina datur, quantam requirit ſanitas; & ratio eſt; nam cauſa dat menſuram effectui, finis autem eſt cauſa cauſarum. Hinc *Beatiſſ. P. lib. 2. de lib. arb. c. 9.* ait: *Errare nec ille poteſt, qui nihil appetit, nec ille, qui hoc appetit, quod debet appetere; error enim eſt, cùm ſequimur aliquod, quod non ad id ducit, quò volumus peruenire.* Ideo Medicus errat, cùm non præſcibit ea medicamina, quæ ad ſanitatem conducunt. Tandem *Phil. 2. Phyſ. t. 82.* deducit naturam agere propter finem, quia in ea accidunt peccata, & monſtra; & *Fund. Doct. ibid. t. 87.* docet, quòd vnum peccatum non eſſet grauius alio, niſi eſſet finis cõſtitutus; nam ſicut pecca-

catum non eſt,niſi deuiatio à fine;ita maius peccatum non eſt, niſi maior deuiatio à fine; ergo rectitudo actuum non eſt,niſi acceſſus ad finem.

Reſp. ad 1; quòd omne obiectum eſt menſura facultatis, cuius eſt obiectum; & tamen non eſt regula dirigens actionem tendentem in ſe ipſum,vt dictum eſt; nam domus eſt menſura artis domifactoriæ, & tamen non eſt regula ad faciendam ſe ipſam, vt ipſi Domifactores poſſunt teſtari;ſic ſyllogiſmus eſt menſura Logicæ,& tamen non eſt regula ad conficiendum ſe ipſum. Quanuis igitur finis ſit menſura actionum ad finem,non tamen eſt regula illarum. Et ſi inſtetur regulam eſſe menſuram regulati,poteſt diſtingui de menſura ſpecificante,cōc;& in hoc ſenſu finis eſt menſura actionum; de menſura dirigente, & regulante,neg.Ad *Beatiſſ.P.* dicitur, quòd error eſt,cùm non aſſumitur medium conducens ad finem,non quia finis ſit regula, ſed quia ſit contra rectum iudicium rationis, quod dictat medium aptum ad finem. Ad aliud *Phil.& Fund.Doct.* dicitur rectè deducere; & ideo ex hoc arguitur finem non eſſe regulam peccati,quia peccatum eſt id,ex quo deducitur finis;id autem,ex quo deducitur aliud,eſt prius illo;& prius nequit regulari à poſteriori;vnde ex hoc potiùs deducitur oppoſitum. Vel dicitur deduci,tanquam à ſuo ſpecificatiuo,non tanquam à ſua regula.

18 Obijc.4.*idem.*Lex eſt aliquid ordinatum ad finem,& ab eo habet ſuam rectitudinem; hinc illa lex dicitur recta,quæ ordinatur ad bonum finem;ergo finis eſt regula omnis bonitatis,& malitiæ.

Reſp.diſt. ant. Lex eſt aliquod ordinatum ad finem, tanquam regula ipſius finis,conc; tanquam regulatum à fine,neg. Ad id,quod additur, dicitur,quòd licèt illa lex dicatur iuſta, quæ ordinatur ad rectum finem, quia relatiua ſe mutuò reſpiciunt;non tamen ſequitur, quòd lex habeat ſuam rectitudinem à fine,ſed è contra; nam *Rom.* 7.habetur: *Non cognoui peccatum, niſi per legem*; illa autem particula *per* indicat cauſam formalẽ rectitudinis,& malitiæ;ſic regula domus non habet rectitudinem à domo,ſed è contra;nam ſi regula non eſſet recta,ſed curua, domus fieret curua,non recta,vt patet experientia.

§. 2.

Expeditur Articulus.

19 MOralitas quãtùm ad nominis ethimologiam communiter dicitur, quòd deriuatur *à more*, qui eſt operatio propria alicuius naturæ; mos autem dicitur *à mora* ad indicandum; quòd mos non ſignificat quancunque operationem,ſed illam tantùm, in qua diu, aut frequenter verſamur; vnde mos ſignificat conſuetudinem operationis.Et quanuis aliquando extendatur ad ſignificandam etiam inclinationem naturalem naturæ vegetatiuæ, per quam etiam vegetantia ſolent operari;vnde *Deut.*2.dicitur:*Hortorum more aquæ dicuntur irriguæ*; vel naturæ ſenſitiuæ irrationalis; vt 2. *Machab.* 11. *Leonum more impetu irruentes in hoſtes*; attamen ſic mos ſumitur impropriè, poteſt enim pariter dici de rebus inanimatis,quæ pariter habent naturalem inclinationem ad ſuos motus; vt de pigris *lapidum more* dicitur, quòd non mouentur; hæc autem translatio eſt impropria; quia facit tantùm ſenſum *ad* inſtar,& ideo importat ſolam ſimilitudinem. Mos ergo propriè accipitur pro actu humano,ex cuius frequẽtatione generatur habitus moralis;& in hoc ſenſu à more ſumitur moralitas. Quantùm autem ad rem ſignificatam per hoc nomen *moralitas.*

20 Prima ſententia vult ad moralitatem actus non requiri libertatem neceſſariò, ſed ſufficere eſſe à ratione,& voluntate abſolutè.*Refertur Capr.in 2.diſt.40.art.3;Caiet.1.2.q.34. art.3; Ferr.3.cont.Gent.c.26.apud noſtrum Gibb*;quibus additur *quidam ex noſtris, apud quem Lorc. hic diſp.* 23.

21 Secunda ſententia vult moralitatem formaliter conſiſtere in ipſa libertate. *Cit.Scot.in 2. diſt.40.§.De Secundo;Dur. in 2.diſt.38. q.1. n.5; Conr.hic q.18.art.5;Sal.diſp.1.ſect.2; Val, Gran; Sua,Tanner; & alij apud Gibb;*

22 Tertia ſententia vult conſiſtere in denominatione extrinſeca proueniente à regulis morum.Referuntur *Sua;Sal, Lorc; & alij.*

Noſtra tandem ſententia docet moralitatẽ formaliter importare entitatem actus liberi cum relatione conformitatis ad principia regulantia, & dirigentia,ac ad finem,in quem dirigitur. *Ita Fũd.Doct.in 2.diſt.40.q.1.art.3*;vbi docet; quòd motus humani *bonitatem habent ex eo, quòd talis motus rectæ rationi ſe conformat, malitiam verò, prout à recta ratione deuiat. Vid.loc.cit. in ſup. §. Argent.in 2. diſt.40. q.1. art.1;Gibb.hic diſp.23. dub.3.§.3;apud quem Bernardin. Cieras, & ferè omnes noſtri.Ex alijs verò Ricar,Cõr,Caiet,Zum; Aluar;Cur; Monteſin,Gran;Salm;Io.à S.Tho,Serra,Gonet;& ferè omnes Thomiſtæ,Maſtr,hic q.1. n.3*;apud quem *Scot;& alij*; quanuis inter iſtos ſit aliqualis diuerſitas in modo explicandi; *aliqui* enim aſſerunt hanc conformitatem eſſe modum realem ſuperadditum actui libero ex natura rei diſtinctum ab actu libero; *alij* verò eſſe tãtùm modum relatiuum indiſtinctum ab ipſa entitate actus liberi eo modo,quo diximus *to.1.de Verit.art.*2. Sed quidquid ſit de hoc,de quo nõ eſt præſens inſtitutum;nam an relatio ſecundùm dici diſtinguatur à ſuo fundamento, *alibi* ſatis diſcuſſum eſt.

23 Not; quòd dupliciter loqui poſſumus de moralitate. 1.In genere cauſæ efficientis, ſeu productiuæ. 2.In genere cauſæ formalis,ſeu ſpecificatiuę;ſicut materia in genere cauſæ efficientis recipit eſſe ab agente;& in genere cauſæ formalis recipit eſſe à forma, quæ illam ſpecificat. *Hic* loquimur de moralitate tantùm in genere cauſæ efficientis productiuæ;acturi *in ſeq.*de mo-

ralitate in genere cauſæ formalis ſpecificatiuæ.

24 Vnica concl. Moralitas eſſentialiter importat actum liberum cum modo relatiuo conformitatis, vel difformitatis ad rectas regulas morum.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. ep. 52. ad Macedon.* non multùm longè à fine; vbi docet: *Nec faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni, vel mali amores. Prauitate ergo noſtra à rectitudine Dei longè ſumus; vnde rectum amando corrigimur; vt recto recti adhærere poſſimus; & ep. 54. ad eundem: Morum porro corrigendorum nullus alius, quàm in hac vita locus.* Ex quibus ſic. Actus corrigibilis importat eſſentialiter actum liberum cum conformitate ad rectas regulas morum; ſed moralitas importat actum corrigibilem; ergo importat actum liberum cum conformitate ad rectas regulas morum. Prob. ma. Corrigibile importat actum, qui poteſt non eſſe, quia dicit mutationẽ ipſius de malo, & defectuoſo in bonũ, & rectum; actus enim, qui nequit non eſſe, non eſt corrigibilis; & corrigibile eſt correlatiuum regulæ; corrigibile enim corrigitur per regulam; & regula corrigit corrigibile; vnde ſicuti filius, quia eſt correlatiuum patris, importat eſſentialiter ordinem ad patrem; ita à pari; ſed actus, qui poteſt non eſſe, & dicit ordinem ad regulas morum, eſt actus liber cum conformitate ad eaſdem regulas, ergo actus corrigibilis eſſentialiter dicit actũ liberum cum conformitate ad regulas morum. Prob. mi. Ideo in brutis, & in actibus hominis indeliberatis non eſt propriè moralitas, quia actus brutorum, & quicunque etiam hominis indeliberati non ſunt corrigibiles; ergo moralitas eſſentialiter importat actus corrigibiles.

25 Prob. 2. Moralitas iuxta communem acceptionem traditam *à Phil. in lib. Eth*; ſeu *moralium* importat actum, qui poteſt fieri bene, vel malè; vnde ille dicitur bene morigeratus, qui iuxta regulas morum ordinat ſuos actus in debitum finem, & illos auertit à malo; & illi actus dicuntur morales, qui poſſunt ſubiacere laudi, vel vituperio; merito, vel demerito; ſed ſolus actus liber dicens ordinem ad regulas morum eſt huiuſmodi; nam actus neceſſarius non eſt capax laudis, & vituperij; meriti, & demeriti; quia in *naturalibus neque meremur, neque demeremur*; ergo moralitas importat actum liberum cum conformitate ad regulas morum.

26 Prob. 3. *à Fund. Doct. vbiſ.* Actio naturalis, prout contradiſtinguitur ab actu morali, importat entitatem neceſſariam per conformitatẽ ad ſua principia naturalia; nam in tantùm actio naturalis eſt naturaliter bona, in quantùm eſt à bonis principijs; in tantùm verò eſt mala, in quãtùm eſt à principijs defectuoſis; vt ambulatio eſt bona, quando tibia eſt ſana; tunc verò eſt mala, quando tibia eſt clauda, vel alio modo defectuoſa; ergo actus moralis, prout contradiſtinguitur ab actione naturali, importat entitatem liberam per ordinem ad principia morum; illud enim, in quo vna res diſtinguitur ab alia, importatur eſſentialiter; quia *idem eſt diſtinctiuum, ac conſtitutiuum.*

27 Prob. 4. Actus intellectus, quamuis habeat ab obiecto determinationem ſpecificam; in tantùm enim intelligit tale obiectum, non aliud; in quantùm determinatur à tali obiecto; nam ſecundùm ſe eſt indifferens; attamen effectiuè, vt actus vitalis intellectiuus, habet ab intellectu, à quo vitaliter producitur; & non à voluntate, aut ab alia potentia; ergo actus moralis, quamuis recipiat ab obiecto, fine, & circunſtantijs talem bonitatem, vel malitiam ſpecificam; vt *inf.*; attamen, quòd ſit moralis, effectiuè habet ex eo, quòd deſcendat à principijs morum, quæ generaliter reſpiciunt mores bonos, & malos.

28 Tum quia moralitas non dicit entitatẽ neceſſariam, vt dictum eſt; neque actum liberum ſine ordine ad regulas morum; quia actus liber ſic acceptus eſt ordinis phyſici; eſt enim vera entitas phyſica, quæ ſubſterni poteſt rectitudini, vel deformitati morali; neque puram denominationem extrinſecam, quia non eſſet intrinſecè bonus, vel malus, ſi forma denominans eſſet extrinſeca; ex eo enim, quòd paries denominetur extrinſecè viſus, non dicitur habere in ſe ipſo intrinſecè formaliter viſionem; & ſic ſi actus diceretur tantùm extrinſecè bonus, vel malus moraliter, non haberet in ſe ipſo bonitatem, vel malitiam formaliter intrinſecè; ergo moralitas actus importat actum liberum cum conformitate, aut difformitate ad regulas morum.

29 Tandem illud importat formaliter quælibet res, quod importat primariò, eſſentiale enim, ſeu formale, quod idem eſt (quia forma eſt eſſentia rei) eſt id, quod primariò competit rei; ſed moralitas importat actionem, cùm importet morem, qui eſt actio, vt dictũ eſt, & actio primariò importat eſſe à principio, & conſequenter eſſe ad terminum, ſeu obiectum, quod eſt terminus actionis; quia principium eſt prius ſuo termino, vt patet ex ipſis vocibus; & de ratione actionis eſt oriri à ſuo principio, & eſſe tendentiam, per quam principium tendit ad terminum; ergo moralitas formaliter importat actum cum ordine ad ſuum principium, quod eſt regula ipſius; quia principium actionis moralis eſt tantùm principium in eſſe regulatiuo, vt dictum eſt *in ſup.* §; atqui actus, qui eſt à regulis morum, eſt tãtùm ille, qui eſt dirigibilis ad ſuum terminum; & ille actus tantùm eſt dirigibilis, qui poteſt deflectere à ſuo termino; ideo enim operatio intellectus eſt dirigibilis, quia poteſt ſubeſſe errori, & deflectere à vero, quod eſt terminus ipſius, viſio autem non eſt dirigibilis in coloratum, quia nequit errare; ideo intellectus indiget regulis, vt intelligat; non autem oculus, vt videat; ergo moralitas importat formaliter actum liberum cum ordine ad regulas morum; quia tantùm actus li-

ber

ber poteſt deflectere, & deficere.

30 Obijc.1. Actus neceſſariò eliciti à volūtate ſiue ex ignorantia inuincibili, ſiue ex concupiſcentia inſuperabili,ſiue ex determinatione iudicij,dicuntur moraliter boni,& rectè facti;vel mali,& peccaminoſi; ergo moralitas non importat eſſentialiter actum liberum. Prob.ant. Primū velle Angelorum,& *Adæ* fuit neceſſarium, & tamen fuit bonum moraliter;vt omnes concedūt; ſimiliter amor beatus, & odium, quo Deus, & beati abominantur peccata, ſunt actus moraliter boni; & ratio eſt; quia vbi attenduntur regulæ bonitatis,& malitiæ moralis,vbi reperitur moralitas; ſed in huiuſmodi actibus attenduntur regulæ bonitatis,& malitiæ; quia in illis attenditur obiectum,finis,& circunſtantiæ; ergo in illis reperitur moralitas.Tum quia amor Dei eſt bonus ex genere, quia bonitas ex genere eſt bonitas ex obiecto; & homicidium indeliberatum eſt malum ex genere; ſic dicendum de actibus concupiſcentiæ, alijſque habentibus obiectum malum,& prohibitum.

Reſp.neg.ant. Ad prob. neg; quòd omnes concedant primum velle neceſſarium Angelorum fuiſſe moraliter bonum,fuit namque bonum tantùm naturale,quia fuit neceſſarium; naturale enim,& neceſſarium idem eſt.Sola ergo perſeuerantia in illo actu bono fuit bona moraliter,quia libera fuit Angelo,non autem fuit bona moraliter infuſio illius velle, quia ſic fuit neceſſaria: Vnde poteſt diſtingui. Primum velle Angelorū fuit moraliter bonum quantùm ad infuſionem, neg;quantùm ad permanſionem in illo,conc;ſed quantùm ad permanſionem fuit liberum, non neceſſariū. Sic ad aliud dicitur, quòd amor Dei, & actus odij peccati ſunt tantùm naturaliter boni ob eandem rationem, quia ſcilicet ſunt neceſſarij,& neceſſarium idem eſt, ac naturale. Ad rationem neg.mi;nam regulæ bonitatis, & malitiæ ſunt iudicium rationis Dei,& ipſius creaturę;iudicium autem non datur, niſi de eligibilibus à voluntate in vtranque partem,vt diximus *in ſup. q*; vnde de actibus neceſſarijs ineptè iudicaret quiſquam,an ſint faciendi; & ideo de illis non datur iudicium,neque regulæ morum. Ad aliud dicitur ſimiliter tales actus eſſe bonos ex genere naturali,non morali;quia genus morale non initiatur, niſi ex iudicio practico rationis diſtante eſſe ſic faciendum; iudicium autem non eſt de actibus neceſſarijs,ſed liberis.

31 Ex hoc magis prob. concl. ſic. Quilibet actus moraliter malus ex genere eſt punibilis à Deo;malo enim morali,quod eſt culpabile(quia culpabile idem eſt,ac malum morale) correſpōdet pœna; ſed tales actus non puniuntur à Deo; ergo non ſunt moraliter mali. Tum quia *iſte Recens* contendit fuſo calamo ignorantiam inuincibilem excuſare à peccato; at quomodò poſtea aſſerit actum prouenientem ex ignorātia inuincibili eſſe malum moraliter,& peccatum? Tum quia opera oppoſita fuiſſent moraliter bona; & ideo digna præmio, ac vita æterna;& ſic naturaliter ſine libertate daretur meritum, & demeritum;& gloria,ac gehenna.

32 Obijc.2. Si actus neceſſarij non eſſent moraliter mali,non oporteret per magiſtros tolli ignorantiam,per quam illi actus procedunt; & ſic non oportuiſſet Apoſtolos tollere à gentibus ignorantiam inuincibilem Fidei,aut ignorantiam iuris naturæ; ſiquidem illorum facta non fuiſſent moraliter mala; ergo actus neceſſarij ſunt moraliter mali. 2. Nemo negaret copulam filiorum cum matribus, aut filiarum cum patribus eſſe moraliter malam;ſic dicendum de alijs; quamuis procedant ex ignorantia inuincibili; ergo actus neceſſarij ſunt moraliter mali.

Reſp.ad 1.neg. ant; non enim eſt neceſſitas tollendi ignorantiam ſolùm, vt auertamur à malo;ſed etiam vt per doctrinam conuertamur ad bonum; vnde Apoſtoli debuerunt tollere ignorantiam à gentibus, non quia opera facta in tali ignorantia eſſent mala moraliter,ſic enim fuiſsēt punibilia, & ideo ignorantia nō excuſaret à peccato; ſed quia per doctrinam legis conuerterentur ad facienda opera moraliter bona. Ad illud de ignorantia iuris naturæ, neg. ſupp; inſita eſt enim omnibus vis naturalis ad cognoſcenda præcepta naturæ; vt diximus *to. 1. de Subſt. Dei q.1 art.5*. Ad 2.neg.ant.eadem facilitate,quia ſine probatione, & cum ſola admiratione affirmatur; talis enim actus eſſent ſolùm naturaliter mali.

33 Obijc. 3. Amor Chriſti Domini fuit neceſſarius, & tamen fuit moraliter bonus, quia fuit meritorius; ergo moralitas ſtat cum neceſſitate.

Reſp.in Chriſto Domino fuiſſe duplicem amorem,ſcilicet beatificum ſequentem ad viſionem beatam; & hic non fuit meritorius nec liber,nec moraliter, ſed naturaliter bonus; & amorem viæ ſequentem ad actum fidei, quem habuit circa bona Dei extrinſeca, vt puta glorificationem ſui corporis, ſalutem hominum &c; & hic fuit meritorius,moraliter bonus, & liber.

34 Obijc.4. Non licet delectari de homicidio perpetrato ab amente; licet tamen delectari de fericidio; ſed huius nulla ratio poteſt afferri, niſi quia homicidium eſt moraliter malum,non autem fericidium; nam ſolùm de malo morali nō licet delectari; ergo actus neceſſarius eſt moraliter malus; nam homicidium patratum ab amente eſt actus neceſſarius.

Reſp.retorq.arg.Non licet delectari de homicidio perpetrato ab aliqua fera;vt non licebat *Iacob* delectari, & gaudere, quòd fera peſſima deuoraſſet ſuum filium *Ioſeph*; ſed actus, de quo non licet delectari, eſt moraliter malus; ergo actus feræ eſt moraliter malus;vnde hoc arg. inducit peccata etiam in feras.Dicitur ergo, quòd actio occiſiua amentis non habet moralitatem

for-

formalem in ſe ipſa; poteſt tamen eſſe obiectum actionis moralis alterius hominis habentis vſū arbitrij, nam cùm Deus prohibeat deſiderare mortem proximo, ideo delectans de occiſione alterius eſt malus moraliter.

35 Obijc. 5. Scelera, quæ committit homo in ebrietate, ſunt peccata, & tamen ſunt facta ſine libertate, quia ſine vſu rationis; ergo ad moralitatem non requiritur libertas.

Reſp. diſt. 2. part. ant. Sunt facta ſine libertate actuali, côc; virtuali, neg; liberè enim ſe inebriando liberè poſuit actum, ad quem ſequuntur illa ſcelera, & ideo liberè poſuit illa ſcelera, quę fiunt virtute actus inebriationis.

36 Obijc. 6. Motus concupiſcentiæ etiam repugnante voluntate ſunt peccata, vt patet *ex Apoſt. Rom. 7*; ſed illi motus non ſunt liberi; ergo ad peccatum non requiritur libertas.

Reſp. *cum Beatiſſ. P. ex quo Trid. ſeſſ. 5.* neg. ma; *Apoſt.* enim illos vocat peccata, quia ſunt effectus peccati, & in peccatum inclinant.

37 Obijc. 7. pro 2. ſent. Poſita ſola libertate, & ſecluſo omni alio actus eſt moralis; ergo moralitas importat ſolam libertatem. Prob. ant. Sola libertas reddit actum imputabilem; quia tunc actio imputatur homini, quando eſt in eius poteſtate; ergo poſita ſola libertate actus eſt moralis.

Reſp. vel neg. ant; vel diſt. Poſita ſola libertate formali, & radicali, quæ eſt iudicium indifferens rationis, conc; tantùm formali, neg. Ad prob. eodem modo vel neg; vel diſt. ant. Sola libertas formalis, & radicalis reddit actum imputabilem moraliter, conc; ſola libertas formalis, neg; tunc enim reddit ſolùm imputabilem phyſicè, quia verè committitur ab ipſa per actionem phyſicā; non verò moraliter, quia deſunt principia regulantia illam actionem.

38 Obijc. 8. pro 3. ſent. Actum regulari per legem nihil intrinſecè ponit in actu; ergo importat ſolam denominationem extrinſecam. 2. Moralitas in obiecto eſt ens rationis; ergo & in actu.

Reſp. ad 1. neg. ant; ponit enim in actu bonitatem meritoriam, per quam actus dicitur formaliter intrinſecè bonus; ſeu nihil ponit entitatis, conc; modi relatiui conformitatis, neg. Sic ſimilitudo in pariete albo nullam ponit entitatē; nullus tamen diceret, quòd non ponat intrinſecè relationem; aliter relatio ſimilitudinis non eſſet in vllo ſubiecto; quia non eſt maior ratio, cur ſit potiùs in hoc, quàm in illo pariete. Ad 2. neg. ant; nam moralitas obiectiua dicit pariter relationem conformitatis ad actum, & ad regulas actus, quæ eſt realis, non rationis.

39 Quæres; quænam libertas requiratur ad moralitatem?

Reſp. requiri vel libertatem contrarietatis, vel contradictionis; quia voluntas nedum peccat committendo per libertatem contrarietatis; ſed etiam omittendo per libertatem contradictionis. Non tamen ſufficit quædam libertas purè naturalis, quam admittunt in pueris, & amentibus *Argent; Cordub; Mol; Sua; Vaſq; & alij*; tum quia illa libertas eſt merè commentitia; nam libertas eſſentialiter ſupponit iudicium rationis, quod eſt radix ipſius; tum quia etiam admiſſa tali libertate adhuc actiones non eſſent moraliter bonæ, vel malę; aliter eſſent pręmiabiles, vel punibiles. Nec ſufficere libertatem merè potentialem, ſeu aptitudinalem remotam; quia ſine libertate proxima actus eſt neceſſarius; vt patet in dānatis, & beatis.

40 Collig. ex dictis moralitatem intrinſecè dici de actibus, de obiectis, & de principijs actuum, inter quæ etiam connumerantur habitus. Primum patet; quia morale formaliter dicitur de moribus, qui ſunt actus. Secundum prob; quia obiectum dat ſpeciem moralitatis, vt *inf.* Tertium; quia moralitas actuum ſumitur à principijs morum; & ideo ſi principia non haberent in ſe ipſis moralitatem, illam non poſſent conferre actibus, quia *nemo dat, quod non habet.* Vltimum prob; nam habitus auget bonitatē, vel malitiam actus; item eſt moraliter bonus, vel malus; ergo habet intrinſecè moralitatem. Tum quia ſicut naturalitas dicitur intrinſecè de his omnibus; ita & moralitas.

41 Aduert. tamen, quòd actus, & principia alia ſunt ſimul phyſica, & moralia ſimul; vt quando actus phyſicè producitur ab illis principijs, quæ ſunt regulæ illius; alia ſunt tantùm moralia; vt quando ille actus non producitur; vt cùm quis conſulit occiſionem inimici; illa occiſio reſpectu occidentis eſt actus phyſicus, & moralis ſimul; reſpectu autem conſulentis eſt tantùm moralis, nō phyſicus.

ART. II.

An actus ſumat bonitatem, & malitiam ab obiecto?

1 MOralitatem efficienter haberi à regulis morum, à quibus productiuè deſcendit, diximus *in ſup. art;* modò inquirendū eſt, à quo ſit in genere cauſæ formalis ſpecificatiuæ?

2 Supp. autem moralitatem diuidi in bonitatem, & malitiam; quia actus humanus vel eſt conformis ad regulas morum, & ſic eſt bonus; vel non conformis, & ſic eſt malus. An autem iſta diuiſio ſit adæquata; vel vltra actum bonum, & malum dandus ſit etiam actus indifferēs, *inferiùs* videbimus.

3 Obiectum autem *hìc* ſumitur, prout contradiſtinguitur à fine operantis, & à circumſtantijs, de quibus agemus *inf.* Differt autem obiectū à fine, & circunſtantijs, quia obiectum reſpicitur per ſe ab illo actu; finis autem operantis; & circunſtantiæ reſpiciuntur tantùm per accidens, quatenus coniunguntur cum tali obiecto.

4 Prima ſententia opinatur actum non ſumere bonitatem, & malitiam ab obiecto eo, quia putat in obiecto non eſſe intrinſecè bonitatem, & ma-

& malitiam, ſed tãtùm merè extrinſecè denominatiuè, vt ſanitas eſt in aere, cibo &c; & ideo obiectum non poſſe dare actui bonitatem,& malitiam;quia *nemo dat,quod non habet.Ita Lorc.hic diſp.*27;idemque aſſerit de virtutibus, & habitibus, quos vult propriè non pertinere ad genus moris.Ipſum ſequitur *quidam ex noſtris*.

5 Sententia tamen communiſſima docet actus recipere ab obiectis bonitatem,& malitiã, quam obiecta continent in ſe ipſis intrinſecè.*Ita Fund.Doct.in 2.diſt.36.q.2.art.3,& diſt.38.q.1. art.1;& ſæpiſſimè alibi; Argent. in 2.diſt.38. q.1. art.3; Greg.Arim. in 2.diſt. 24. q.1. conc.1. ad 6; Gibb.hic diſp.24.dub.1; & 3;Ger.Sen; Alphonſ.Toletan.Luſit;Franc.à Chriſto;Paulus Venet;& communiter tota noſtra Schola* docens potentias ſpecificari ab actibus,& actus ab obiectis.Conſentit *D.Tho.apud Gonet hic diſp.3. art.1. cum omnibus Thomiſtis; Maſtr.hic diſp.1.q.4; apud quem Scot; & omnes Scotiſtæ*; quibus adduntur *omnes Neoterici* ſequentes *Ariſt*; iuxta cuius doctrinam nequit oppoſitum ſuſtineri;vt *inf.*patebit.

6 Vnica concl. Actus ſumunt bonitatem, & malitiam ſpecificam ab obiectis,quæ vocatur bonitas,& malitia ex genere.

Prob.1. *ex Beatiſſ.P. epiſt.52. ad Macedon. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus eſt,cui ſi diligendo aliquid præponimus,vel æquamus,noſipſos diligere neſcimus. Tanto enim nobis melius eſt,quanto magis in illum imus,quo nil melius eſt; imus autem non ambulando,ſed amando*; & paulò poſt. *Prauitate ergo à rectitudine Dei lõgè ſumus; vnde rectum amando corrigimur, vt recto recti adhærere poſſimus*. Ex quibus patet dari rectitudinem, ſeu bonitatem moralem in Deo, cui adhærendo boni,& recti moraliter ſumus; ergo nedum euellitur fundamentum *Aduerſariorum* aſſerentium bonitatem, & malitiam non eſſe intrinſecam obiectis; ſi enim ita eſſet, non diceretur rectitudinem noſtram conſiſtere in adhærere rectitudini Dei; quia Deus in ſe ipſo non haberet rectitudinem moralẽ intrinſecè; & ideo creatura non poſſet illi inhærere; aliter inhæreret ei,quod non eſt; ſed etiam efficaciter prob. noſtra concl. ſic. Actus ſumit bonitatem moralem ex eo, quòd conuertatur in Deum, & ſumit malitiam ex eo,quòd conuertatur ad creaturam; ſed Deus, & creatura ſunt obiectum boni, vel mali amoris;ergo actus ſumit bonitatem, & malitiam ab obiecto.

7 Prob.2. ex vulgatiſſimo, & receptiſſimo axiomate *Phil.* aſſerentis *potentiam ſpecificari ab actibus, & actus ab obiectis*; quod verificatur vniuerſaliter de omni actu ſiue naturali, ſiue morali; eadem enim ratio, quæ probat de vno, probat de omnibus; nam in tãtùm potentia ſpecificatur ab actu,in quantùm ſecundùm ſe eſt indifferens, atque adeo indiget determinari ad tendendum potiùs in illud obiectum, quàm in aliud;ab indifferenti enim,vt indifferens eſt, nequit exire actio determinata; & in tantùm actus ſpecificatur ab obiecto, in quantùm debet eſſe determinatus ad illud,non ad aliud; determinatio autem ad aliquam ſpeciem rei eſt ſpecificatio, vt patet; tum quia vnus actus diſtinguitur ſpecie ab alio actu, quia tendit in obiectum ſpecie diſtinctum;non enim poteſt diſtingui à potẽtia, quæ eſt vna ſecundùm ſe, & poteſt elicere omnes actus ſpecificè diuerſos, diſtinctio autem ſpecifica nequit ſumi ab eo, quod eſt vnum ſpecie; & ideo diſtinctio ſpecifica actuum habetur ſolùm à diſtinctione ſpecifica obiectorum;ab eodem autem habetur diſtinctio ſpecifica, à quo habetur ſpecificatio;quia *ſpecificatiuum, & diſtinctiuum idem eſt*;ſed potentia moraliter agens ſecundùm ſe eſt indifferens ad omnes actus morales; nam actus moralis nõ ſunt determinati ad aliquod obiectũ ſpecificè tale,niſi per illud obiectum; tum quia non diſtinguuntur inter ſe ſpecificè, niſi per obiecta ſpecie diuerſa; ergo actus morales ſpecificantur tantùm ab obiectis moralibus; & ideo recipiunt bonitatem,& malitiam ab illis.

8 Prob.3.Si actus non ſumerent bonitatem, & malitiam ex obiectis, maximè, quia obiecta non ſunt intrinſecè bona,vel mala; vt voluit *Aduerſarij*,ſed hoc eſt falſum; nam *ex Phil. 6. Met. Bonum,& malum ſunt in rebus*; quia obiectum ſecundùm ſe eſt conueniens, & diſconueniens; ſeu conforme, vel difforme rationi; in qua conformitate, & difformitate conſiſtit bonitas, & malitia; ergo ab obiecto poteſt ſumere bonitatem,& malitiam. Tum quia ſi non reciperet bonitatem,& malitiam ab obiecto, multò minus à fine operantis, qui per accidens ſe habet ad illũ actum;quia actus poteſt eſſe ſine illo fine; tum quia ſi bonitas, & malitia non ſunt in obiecto; multò minus ſunt in fine,quia actus, in quo ſolũ eſt bonitas, & malitia intrinſecè, vt volunt *Aduerſarij*;magis diſtat à fine,quàm ab obiecto;ſed conſ.eſt abſurdum,vt *inf.art.*4;ergo & cõſ. Tum quia ſi obiectũ nõ eſſet intrinſecè bonũ,vel malũ, & ideo non poſſet dare actui bonitatem,vel malitiam,ſequeretur,quòd actus bonus ex fine non vitiaretur tendendo in quodlibet obiectum; ſicque intendens procreationem filiorum poſſet illos generare ex vxore,& non vxore; & intendẽs eleemoſinã poſſet accipere tum ex re ſua,tum ex aliena;ſed conſ.eſt falſum;ergo & ant. Prob. ma. Actus bonus ex fine ſolùm vitiari poteſt ex obiecto,quod eſt malum in ſe;aliter illam malitiam à nullo reciperet; non enim haberet à ſe ipſo, quia ſecundùm ſe bonus eſt; neque à fine ob eãdem rationem;neque à regulis morum; quia iſtæ generaliter reſpiciunt omnes actus morales, & ideo ab illis nequit deſumi bonitas, vel malitia ſpecialis; ergo ſi obiectum non eſſet intrinſecè bonum,vel malũ, ſequeretur, quòd actus bonus ex fine non vitiaretur tendendo in quodlibet

obie-

obiectum. Mi. eſt certa; nam de Fide eſt adulterium eſſe peccatum, etianſi ſit ex fine procreationis filiorum. Ex hoc patet *Aduerſarios* ſubſtinentes actus humanos trahere bonitatem, & malitiam à fine, & negantes illam trahere ex obiectis, ſibi apertè contradicere.

9 Prob. 4. In obiectis reperitur intrinſecè vtilitas, honeſtas, & delectabilitas; ergo in ipſis reperitur intrinſecè bonitas, & malitia. Prob. ant. Si in medijs non reperiretur vtilitas, poſſemus vti quolibet medio ad quenlibet finem, vt diximus *in ſup. q. ar. 6. n. 42*; & ſi in obiectis non eſſet delectabilitas, poſſemus delectari de eo, quod non eſt delectabile; & ſic venereus poſſet eandem delectationem ſumere à muliere pulcra, & turpi, imò à ſtatua mulieris; tandem ſi in illis non eſſet honeſtas, circa illa nullus poſſet eſſe actus virtutis, qui eſt tantùm circa bonum honeſtum. Prob. conſ. nam vtilitas, honeſtas, & delectabilitas ſunt ſpecies bonitatis, & malitiæ.

10 Prob. 5. Vel obiecta ſecundùm ſuam entitatem ſunt conſona regulis morum, vel diſſona? Si primum; ergo ſunt intrinſecè bona; nam bonitas conſiſtit in cõformitate ad regulas morum, vt dictum eſt *in ſup. art.* Si ſecundum; ergo ſunt intrinſecè mala; quia malitia conſiſtit in difformitate, ſeu diſſonantia.

11 Præterea *ex Phil. veritas, & falſitas ſunt in intellectu; bonitas autem, & malitia ſunt in rebus;* ſed res ſunt obiecta; ergo in obiectis eſt intrinſecè bonitas, & malitia; & ideo illam poſſunt transfundere in actus.

12 Tandem actus ſunt relatiui ad obiecta, ſunt enim via, & tendentia ad obiecta; ſed quodlibet relatiuum ſpecificatur à ſuo correlatiuo; ergo actus ſpecificatur ab obiecto; & ideo ab illo recipit ſpeciem talis bonitatis, vel malitiæ.

13 Obijc. 1. Circa idem obiectum poteſt eſſe actio bona, & mala; vt v. g. circa eundem Deũ amor, & odium; circa eandem pecuniam odium, & furtum; ergo actus non habet bonitatem, & malitiam ab obiecto. 2. Sequeretur Deum eſſe intrinſecè malum moraliter, prout attingitur actu odij; imò ſi bonitas, & malitia ſupponeretur in obiecto, antequam attingatur ab actu, ſequeretur, quòd odium Dei eſſet bonum obiectiuè, antequam Deus deteſtetur; & è contra charitas eſſet mala obiectiuè, antequam refutetur; ſed hęc ſunt abſurda; ergò & id, vnde ſequuntur.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Circa idem obiectum ſecundùm eandem rationem, neg; ſecundùm diuerſam, conc; cùm enim obiectum non moueat voluntatem, niſi vt repræſentatum per intellectum; ideo ſi repræſentetur, vt malum, circa illud poteſt eſſe odium; ſin autem, vt bonum, poteſt eſſe amor; vnde ſecundùm diuerſam apparentiam poteſt terminare amorem, & odium; hinc ortum habuit illa diſtinctio, qua diuiditur bonum in reale, & apparens; & ſic diuidendum eſt malum. Et ſic ad 2. diſt. ſeq. Sequeretur Deum eſſe intrinſecè malum moraliter ſecundùm apparentiã, idèſt in hoc obiecto repræſentato ab intellectu ſit intrinſeca malitia moralis apparens, conc; nũquam enim voluntas poſſet odiſſe Deum, niſi repræſentaretur, vt obiectum malum; ſequeretur Deum eſſe intrinſecè malum moraliter ſecundũ eſſe reale, neg; & ſimiliter ad aliud. Sequeretur odium Dei eſſe bonum obiectiuè ſecundùm eſſe reale, antequam deteſtetur, conc; ſecundùm apparentiam, neg. Idem dicendum de actu charitatis. Quando ergo dicimus bonitatem, & malitiã eſſe intrinſecam obiecto, vel intelligendum eſt de obiecto ſecundùm apparentiam, vel ſecundũ eſſe reale; non tamen ſemper ſecundùm eſſe reale; quia non ſolùm bonitas realis, ſed etiam apparens habet monere voluntatem; & ſic euaduntur hæc abſurda.

14 Et ita intelligitur *Beatiſſ. P. lib. 7. de Ciu. c. 27. dicẽs: Si tẽplo, ſi Sacerdote, ſi Sacrificio colatur aliquod elementum Mundi, vel creatus aliquis ſpiritus, non ideo eſt malum, quia illa mala ſunt, quibus colitur &c; & lib. 12. c. 8. Deficitur non ad mala, ſed malè; & lib. 3. de Doct. Chriſt. In rebus non eſt malum, ſed in vſu peccantium;* intelligitur enim in rebus ſecundùm eſſe reale, quod habent in ſe ipſis à parte rei; cùm enim ſecundùm illud eſſe creata ſint à Deo, ideo nequeunt eſſe mala moraliter; dicitur enim *Gen. 1. Vidit omnia, quæ fecit, & erant valde bona*; ſecus Deus eſſet Auctor peccati, quia malum morale eſt peccatum. Non autem intelligitur in rebus, ſecundũ quod repræſentantur voluntati ab intellectu, ſic enim habent rationem mali, quod poteſt transfundere in actum malitiam moralem.

15 Obijc. 2. Obiectum dicitur morale per ſolam denominatiocem extrinſecam, quia dicitur morale per ordinem ad regulas morum; ergo nequit dare actui bonitatem, vel malitiam moralem. 2. Quod eſt bonum, vel malum morale, eſt dignum laude, vel pœna; ſed obiecta non ſunt huiuſmodi, vt patet; ergo idem, quod priùs. 3. Si obiectum eſſet malum moraliter, eſſet quoque culpabile; quia ab obiecto pariter actus traheret culpabilitatem; ſed conſ. eſt falſum; quia culpabilitas ſupponit libertatem, quæ non eſt in obiectis; ergo & ant. eſt falſum. 4. Quod eſt bonũ, vel malum morale, eſt conforme, vel difforme rationi, ſed eſſe conforme, vel difforme rationi conuenit ſolis actibus, non obiectis; ergo malitia, & bonitas moralis non conuenit obiectis.

Reſp. ad 1. neg. ant; nam quamuis obiectum dicatur morale per ordinem ad regulas morum; attamen non ſequitur, quòd non ſit malum in ſe; aliter nec etiam actus eſſet malus in ſe, quia dicitur moralis per ordinem ad regulas morum; ex hoc ergo ſolùm ſequitur malitiam moralem obiecti eſſe relatiuam, non autem quòd non ſit in obiecto; nam filiatio dicitur per ordinem ad patrem, & tamen ex hoc non ſequitur non eſſe in filio. Ad 2. diſt. ma. Quod eſt bonum, vel malũ,

vt operatio,eſt dignum præmio,vel pœna,conc; Sola enim operatio haber rationẽ meritorij,vel demeritorij.Quod eſt bonũ,vel malũ,vt obiectũ, neg.Ad 3.diſt.ma.Eſſet culpabile obiectiuè,idèſt eſſet obiectum culpæ,conc,formaliter, neg; quia ſola operatio eſt culpabilis boc modo,vt dictum eſt.Ad mi.dicitur ſolam culpabilitatem, quæ eſt in operatione,ſupponere libertatem formalem; culpabilitatem autem obiectiuam ſupponere indifferentiam obiecti repræſentati, quæ dici poteſt libertas obiectiua, quia eſt obiectum libertatis.Ad 4.neg.mi;ita enim ſe habet obiectũ ad actum, ſicut actus ad potentiam; quia ſicut actus adæquatur, & proportionatur potentiæ, ita obiectum actui; ergo ſicuti neceſſe eſt actum eſſe conformem,vel difformem rationi;ita obiectum,quod actui proportionatur,debet eſſe cõforme,vel difforme rationi;ſemper tamen,prout repræſentatum.

16 Obijc.3.Actus humanus debet ſumere primam ſpeciem moralitatis ab eo, quod primò reſpicit;ſed finis eſt huiuſmodi; nam reſpicit obiectum propter finem,non è contra; ergo ſumit ſpeciem à fine. 2. Actus fortitudinis nullam habet bonitatem moralem à proprio obiecto,quod eſt tolerantia mortis; nam ſi mors non ſubeatur propter finem,non eſt bona moraliter; ergo actus humanus non habet bonitatem, & malitiã ab obiecto.3.Obiectum aliquando eſt indifferẽs ad bonitatem,& malitiam;ergo ab eo nequit deſumi bonitas,& malitia.4.Actus exterior eſt obiectum actus interioris; ſed actus interior non accipit bonitatem,& malitiam ab interiori;ergo actus non ſpecificatur ab obiecto. 5.Actus, quo quis vult honeſtatem, *vt ſic*, v.g.cùm quis ait: *Volo honeſtè viuere*: non determinando ſibi aliquam materiam ſpecialem, puta Religionem, cælibatum, vel matrimonium, eſt actus determinatæ bonitatis ſpecificę;diſtinguitur enim ſpecie ab omni alio actu verſante circa ſpecialem materiam; ſed talem bonitatem ſpecificam nequit habere ab obiecto, quod eſt ſolùm genericè bonum, à genere autem nequit ſumi differentia ſpecifica;ergo illam habet à ſe ipſo.

Reſp.ad 1.neg.mi. Ad prob. dicitur, quòd licèt obiectum reſpiciatur propter finem; attamen quia finis pręfigitur liberè illi obiecto à voluntate, atque adeò illud obiectum poteſt referri in alium finem; ideo finis reſpicitur tantùm per accidens ab illo actu,obiectum verò per ſe. Sic licèt Logica habeat pro obiecto ſyllogiſmũ, qui eſt propter alias ſcientias; nõ ſequitur,quòd Logica non reſpiciat ſyllogiſmum per ſe; obiecta verò aliarum ſcientiarum per accidens. Ad 2.diſt. ant. Actus fortitudinis nullam habet bonitatem moralem à ſuo obiecto,neg; ſupernaturalẽ,conc,hanc enim habet ſolũ à charitate,quę eſt ſupernaturalis. Ad 3.diſt.ant. Obiectum aliquando eſt indifferens ſecundùm ſe,conc;relatũ ad regulas moris,neg;ſed de hoc *inf.* Ad 4.neg. mi;nam ſi voluntas amet volitionem peccati,ille amor eſt malus; ſi verò amet amorem Dei, eſt bonus. Ad 5.diſt. ma. Eſt determinatæ bonitatis ſpecificæ in eſſe moris,neg;in eſſe rei,conc;ſicut enim non implicat, quòd detur cognitio determinata in eſſe rei,& vniuerſalis in eſſe cognoſcibili;v.g.cognitio, qua cognoſcitur ens, vt ens, præciſiuè;quia talis vniuerſalitas non eſt, niſi in repræſentando, quæ non implicat dari à parte rei;vt patet de ſpeculo repræſentante plura; ita non implicat actionem voluntatis,quæ ſequitur, & conformatur actioni intellectus,eſſe determinatam in eſſe rei, & genericam in eſſe moris.

17 Inſt.cont.reſp.ad 3.Si obiectum haberet bonitatem per conformitatem ad regulas morũ, committeretur circulus vitioſus; nam regulæ morum habent bonitatem eo, quia proponunt obiectum cõforme; ergo bonitas obiecti nequit explicari per ordinem ad regulas morum. Tum quia licèt obiecta,quæ ſunt bona,quia præcepta; & mala, quia prohibita, habeant bonitatem, & malitiã à regulis morum; attamen falſum eſt de illis,quæ ſunt præcepta,quia bona; & ſunt prohibita,quia mala;hæc enim habent bonitatem, & malitiam antecedenter ad legem; v.g. Deus eſt amabilis;mendacium eſt fugiendum.

Reſp.magnam difficultatem,& multa congerere circa hoc *Recentiores*, vt videre eſt *apud Arriag*;ſed tamen facilis eſt reſponſio. Ad 1.igitur neg. ant. Ad prob. inſert.dicitur,quòd hæc eſt natura relatiuorum,vt patet de cauſa,& effectu, explicari vnum per aliud ſumptum diuerſo modo;idèſt vnum actiuè,aliud paſſiuè; ergo cùm regulæ morum ſint cauſa actiua bonitatis obiecti,& bonitas obiecti ſit effectus, hæc poteſt explicari per illam actiuè ſumptam. Ad 2. dicitur mala, quia prohibita, habere malitiam à lege præceptiua; prohibita verò, quia mala,habere malitiam à lege directiua, vt dictũ eſt in *ſup.art.*

18 Quæres 1; cur bonitas, & malitia, quæ ſumitur ab obiecto,vocetur ex genere; non autẽ bonitas,& malitia,quæ ſumitur ex circunſtãtijs, & ex fine?

Reſp.*Fund.Doct.in 2.diſt.26.q.2.art.3.ad 1.* dici ex genere, quia ille actus ex natura ſua ordinatur ad tale obiectum, vnde *ex genere* ſumitur,prout idem eſt, ac *ex ſua natura*; bonitas autem,quæ ſumitur à circunſtantijs, & à fine, nõ dicitur ex genere; quia ille actus non ordinatur ad finem operantis,niſi ex intentione operantis, poteſt enim ordinari ad alium finem; vnde actu ex ſua natura eſt indifferens ad ordinari ad hũc, vel alium finem. Sic ad circunſtantias ordinatur tantùm per accidens;quia illud obiectum poteſt reperiri etiam ſine illis circunſtantijs. Diximus *ad finem operantis*, quia finis operis idem eſt, ac obiectum.

19 Quæres 2;an malitia,& bonitas,quæ eſt in obiecto,ſit formalis,vel virtualis?

Reſp.eſſe formalem,diuerſam tamen à bo-

ni-

Digitized by Google

nitate actus. Ratio eſt; quia bonitas obiecti eſt correlatiua ad bonitatem actus, & regularum moris, importat enim relationem conformitatis ad illa; ſed relatio eſt formaliter in re relata, & eſt diuerſa à relatione, quæ eſt in ſuo correlatiuo; ergo bonitas, & malitia eſt formaliter in obiecto; diuerſa tamen à bonitate, & malitia actus, & regularum morum.

A R T. III.

An actus humani ſumant bonitatem, & malitiam à circunſtantijs?

1 Circunſtantia eſt *quoddam accidentaliter adiacens obiecto, vel actui*; per quod excluditur finis à ratione circunſtantiæ; quia finis, licèt ſit circunſtantia reſpectu actus externi, eſt tamen obiectum intentionis, quæ eſt actus internus.

2 Circunſtantia alia eſt phyſica, alia moralis. Phyſica eſt illa, quæ nullo modo regulatur per regulas morum; & hæc non pertinet ad genus moris; & ideo neque auget, neque variat ſpeciem moris; vt quòd quis occidat inimicum ante prandium, vel poſt; ambulantem, ſed ſedentem &c. Moralis eſt illa, quæ regulatur per regulas morum; vt quòd occidat laicum, vel Sacerdotem; occidere enim Sacerdotem prohibetur à lege ſub maiori pœna; ideo Sacerdotium eſt conditio moralis regulata per regulas morũ.

3 Ex hoc ſequitur circunſtãtiam moralem augere, vel mutare ſpeciem bonitatis, & malitiæ; ideoque circunſtantiæ diuiduntur in aggrauantes, aut alleuiantes malitiam intra eandem ſpeciem; & in mutanres ſpeciem. Tunc circunſtantia eſt ſimpliciter aggrauans, vel alleuians, quando ſpectat ad eandem legem, præceptum, & virtutem; vt quòd quis furetur centum, vel mille, eſt contra idem præceptum: *Non furaberis*; & contra virtutem iuſtitiæ. Tunc mutat ſpeciem, quando eſt contra diuerſum præceptum, & diuerſam virtutem; vt cùm quis furatur rem ſacram; tunc mutat ſpeciem, quia facit contra præceptum, & virtutem religionis.

4 Circũſtantiæ particulares ſeptem *ex Beatiſſ. P. inf.* communiter aſſignantur; quanuis enim, vt notat *noſter Argent. in 4. diſt. 16. q. 1. art. 2*; quatuordecim aſſignentur *à Cic. in lib. Retb*; quæ continentur in his carminibus:

Aggrauat ordo, locus, perſona, ſcientia, tempus,
Aetas, conditio, numerus, mora, copia, cauſa,
Eſt modus in culpa, ſtatus altus, lucta puſilla.

Attamen iſtæ reducuntur ad illas ſeptem, vt patet *ex eod. Cic. lib. 1. de Inuent*; quæ hoc vno verſu clauduntur:

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodò, quando.

Quanuis autem *Phil. 3. Eth. c. 1.* afferat etiam circunſtantiam *circa quid*, non autem nominet *vbi, & quãdo*; attamen *circa quid* reducitur *ad quid*; & *vbi, & quando* continentur in circunſtantia *in quo* aſſignata *ibid. ab eodem Phil.*

5 *Quis* non ſignificat ſubſtantiam perſonæ, ſed quaſdam conditiones afficientes perſonam, vt officium, dignitas &c. v. g. eſſe coniugatum, liberum, Sacerdotem, Prælatum, Iudicem &c.

6 *Quid* non ſignificat ſubſtantiam actus, aut obiecti, ſed quantitatem, & qualitatem, vt furtũ vnius, & mille, rei ſacræ, vel prophanæ.

7 *Vbi* ſignificat locum, vt cùm quis furatur, vel polluit ſe in Eccleſia. Circunſtantia tamen loci, vt notat *noſter Gibb*; tantùm mutat, & aggrauat, quando per illum actum irrogatur ſpecialis irreuerentia, & iniuria illi loco; cùm autem loco non irrogetur iniuria, niſi per actus externos; ideo locus eſt tantùm circunſtantia actus externi; vnde ſi quis ſolùm cogitet in Eccleſia furtũ; illa cogitatio non eſt ſacrilegium.

8 *Quæ auxilia* ſignificant inſtrumenta, quibus actio exercetur; vt quòd quis occidat lento igne, cruce &c.

9 *Cur* ſignificat finem, qui licèt ſit obiectũ intentionis; eſt tamen circunſtantia actus externi, & imperati, vt *ſup.* dictum eſt.

10 *Quomodò* ſignificat maiorem, vel minorem conatum, quo actus fit magis, vel minùs intensè.

11 *Quando* ſignificat tempus; quòd aliquãdo ſolùm aggrauat; vt quando diu durat in aliquo actu; aliquãdo autem mutat ſpeciem; vt comeſtio in die ieiunij ex præcepto Eccleſiæ, & ex pœnitentia iniuncta in Sacramento pœnitentię; tunc enim eſt duplex obligatio, quia eſt duplex præceptum, & eſt duplex virtus diuerſę rationis.

12 Addunt *Maior; & Paludan.* circunſtantiam *quoties*, ſeu numerum actuum; ſed hæc non eſt circunſtantia actus, ſed repetitio, quę licèt augeat malitiam; attamen reducitur *ad quomodo*; quod importat intenſionem actus. *His ſupp.*

13 Prima ſententia vult nullam circunſtantiam, vt talis eſt, tribuere actui humano bonitatem, vel malitiam; quia cùm illam tribuit, euadit obiectum, & deſinit eſſe circunſtantia. *Ita Dur. in 2. diſt. 38. q. 1; Conr. autem hic q. 19. art. 2.* Idem aſſerit de actu interiori, negat verò de actu exteriori.

14 Secunda ſententia docet omnes actus recipere bonitatem, & malitiam à circũſtantijs. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 43. q. 1. art. 3. ad 6*; vbi ait: *Propter quod circunſtantia in moralibus videtur ſe habere, quaſi accidens ad ipſum actum peccati; ſed ſi ſit ibi ſpecialis deformitas ſecundùm rationem, dat ſpeciem peccato; ſicut furtum in Eccleſia dicitur ſacrilegium.* Et prope finem ſubdit: *Et hoc modo circunſtantia manens circunſtantia poteſt dare ſpeciem peccato*; quatenus ſcilicet tale peccatum dicit aliquem modum ei ſuperadditum. Idem habet *q. 2. art. 1. §. Vt ergo; Argent. vbi ſup; Gibb, & communiter omnes noſtri.* Conſentiunt *Thomiſtæ apud Gonet hic diſp. 3. art. 2. §. 1; & Scotiſtæ apud Maſtr. hic diſp. 5. q. 4. art. 4; & omnes*

Neo-

Neoterici, Vaſq; Sua; Becc, Auerſa, & omnes alij communiter.

15 Vnica concl. Circumſtantia, quæ non importat ſpecialem conformitatem, vel difformitatem, auget ſolùm, vel minuit bonitatem, & malitiam actus; at verò circumſtantia, quæ importat ſpecialem conformitatem, vel difformitatem diſtinctam à conformitate, vel difformitate, quam trahit actus ab obiecto, dat nouam ſpeciem bonitatis, & malitiæ.

16 Prob. 1. ex illo *Gen.* 4; quod legunt 70. *Et dixit Dominus ad Cain: Quare triſtis factus es; & quare concidit facies tua? Nonne ſi rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti?* Super quod *Beatiſſ. P. lib. 15. de Ciu. Dei c. 7.* ait: *Rectè quippe offertur ſacrificium, cùm offertur Deo vero, cui vno tantummodo ſacrificandum eſt. Non autem rectè diuiditur, dum non diſcernuntur vel loca, vel tempora, vel res ipſa, quæ offeruntur; vel qui offert, vel cui offertur, vel hi, quibus ad veſcendum diſtribuitur, quod oblatum eſt, vt diuiſionem intelligamus hic diſcretionem: ſiue cùm offertur, vbi non oportet, aut quod non ibi, ſed alibi oportet; ſiue cùm offertur, quando non oportet, aut quod nõ tunc, ſed aliàs oportet; ſiue cùm offertur, quod nuſquam, & nunquam penitus debuit; ſiue cùm electione ſibi eiuſdem generis rerum tenet homo, quã ſunt ea, quæ offert Deo, ſiue cùm eius rei, quæ oblata eſt, fit particeps prophanus, aut quilibet, quem fas non eſt fieri.* Quibus verbis clariſſimè omnes circumſtantias declarat. Arguitur autem ſic. Sacerdos offerens in peccato mortali, aut in loco non ſacro, aut tempore non debito, puta poſt prandium, peccat mortaliter; ſed ille actus, quo peccat, non habet deformitatẽ ab obiecto, quod eſt Deus, in quem dirigitur ille actus; ergo illam habet à circumſtantia perſonæ offerentis, loci, & temporis; atqui perſona offerens nequit eſſe obiectum illius oblationis; quia offerens non offert ſibi, ſed Deo; ergo circumſtantia mutat ſpeciem, & non euadit obiectum.

17 Prob. 2. *ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5; & can. 7;* vbi damnatur ſententia aſſerens non eſſe confitendas *circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant*; ergo *ex Trid.* habetur malitia nedum ab obiectis, ſed etiam à circumſtantijs, quæ non euadunt obiecta; aliter fruſtra vocarentur circumſtantiæ; circumſtantia enim dicitur ex eo, quòd circunſtat obiectum, vel actum; obiectum autem ineptè dicitur circunſtare ſeipſum; & ſic non eſſet obligatio confitendi circumſtantias, ſed ſolũ obiectum.

Prob. 3. ratione, quam tradit etiam *D. Tho.* Sicut ſe habet materia in eſſe phyſico ad bonitatem, vel malitiam phyſicam; ita actus humanus in eſſe morali ad bonitatem, vel malitiam moralem; nam ſicut materia recipit à forma, à qua ſpecificatur, bonitatem ſpecificam, & corruptibilitatem, quæ eſt malum phyſicum; ita actus recipit ab obiecto, à quo ſpecificatur, bonitatem, vel malitiam moralem; ſed materia nedum recipit ſpeciem eſſentialem à forma ſubſtantiali, ſed etiam ſpeciem accidentalem à forma accidentali, quæ circumſtat formam ſubſtantialem; nam ab albedine ponitur in ſpecie albi, à nigredine in ſpecie nigri; ergo actus humanus nedum recipit bonitatem eſſentialem, quæ eſt ei, veluti ſubſtantialis, ab obiecto, ſed etiam recipit bonitatem, vel malitiam accidentalem à circumſtantijs, quæ ſunt, veluti accidentia illi adiacentia.

18 Prob. 4. Furans aliquod in loco ſacro committit ſacrilegium; ergo locus, qui eſt circũſtantia, dat diuerſam malitiam actui; nam furtum extra locum ſacrum non eſt ſacrilegium; atqui locus non euadit obiectum talis volitionis; quia obiectum intenditur per ſe; furans autem ſolùm per accidens intendit locum ſacrum; nam vellet etiam furari, ſi eſſet in loco prophano; ergo circumſtantia non euadit obiectum; loquendo de obiecto per ſe ſpecificatiuo eſſentiali; nam ſi ſermo ſit de obiecto per accidens conſtituente illũ actum in aliqua ſpecie accidentali, poteſt concedi in aliquo caſu, non ſemper; vt dictum eſt de circumſtantia perſonæ, quæ non ingreditur rationem obiecti ipſius actus.

19 Prob. 5. Quæ præcipiuntur, vel prohibẽtur per regulas iuris, tribuunt actui bonitatem, vel malitiam; quia tribuunt illi conformitatem, vel difformitatem ad regulas iuris, in qua conſiſtit bonitas, vel malitia, *vt ſup.* dictum eſt; ſed circumſtantiæ, quæ non ſunt obiectum, ſed modi obiecti, vel puri modi ipſius actus præcipiuntur, & prohibentur per regulas iuris; ergo circumſtantiæ, quæ non ſunt obiectum, tribuunt bonitatem, vel malitiam actui.

20 Tandem ſi circumſtantię fierent obiectũ, vel fierent obiectum per ſe, vel per accidens? Si primum; ergo locus ſacer v.g. poſſet per ſe ipſum etiam præciſo furto tribuere malitiam cuicunque actui affirmatiuè tendenti circa ſe ipſum; nam furtum ideo eſt obiectum per ſe tribuens malitiam, quia etiam præciſo loco ſacro tribuit malitiam cuicunque actui affirmatiuè tendenti circa ipſum; ſed locus ſacer præciſo furto non tribuit malitiam cuicunque actui affirmatiuè tẽdenti circa ipſum; quia actus deuotionis, quo tẽditur ad locum ſacrum, non eſt malus, ſed bonus; ex quo deducitur, quòd locus ſacer per ſe tribuit bonitatem, & ſolùm per accidens, ſcilicet ratione furti, cui annectitur, tribuit malitiam; ergo circumſtantia nequit fieri obiectum per ſe. Si ſecundum; habetur intentum; circumſtantia enim non intenditur, niſi vt accidens, aut modus obiecti, vel actus.

21 Obijc. 1. Si actus haberet bonitatem, & malitiam à circumſtantijs, ſequeretur, quòd malitia ſpecie inferior poſſet ſuperare malitiam ſpecie ſuperiorem; quia malitia ex obiecto inferior poſſet per circumſtantiam ita magnificari, vt ſuperaret malitiam ex obiecto ſuperiorem; ſed

conſ.

conſ.eſt falſum; ergo & ant. 2. Si actus haberet bonitatem, & malitiam à circunſtantijs, vel intẽderetur magis bonitas, & malitia ex obiecto; vel adderetur alia malitia? Non primum; quia bonitas, & malitia ex circunſtantijs eſt accidentalis; & ideo nequit intendere bonitatem, & malitiam eſſentialem; nam accidẽs nequit intendere ſubſtantiam. Non ſecundum; quia duæ malitiæ eiuſdem ſpeciei nequeunt eſſe in eodem actu.

Reſp. ad 1. diſt. ma. De circunſtantijs mutãtibus ſpeciem, conc; ſed neg. mi; nam ſimplex fornicatio in loco ſacro eſt grauior, quàm adulterium in loco prophano. De circunſtantijs aggrauantibus in eadem ſpecie, neg. ma, quia vna ſpecies, quantumuis perficiatur intra terminos ſuæ eſſentiæ, nunquam tamen poteſt fieri perfectior, quàm alia ſpecies ſuperioris ordinis. Ad 2. eodem modo dicitur, quòd actus per circunſtantias aggrauantes intenditur ſolùm; per mutantes autem ſpeciem acquirit aliam malitiam accidentalem; neque implicat dari duplicem ſpeciem ſimul, vnam eſſentialem, alteram verò accidentalem; vt videmus in naturalibus.

22 Obijc. 2. Circunſtantiæ ſunt aliquando extrinſecæ actui humano; vt patet de loco, & tẽpore; ergo nequeunt illi dare bonitatem, & malitiam intrinſecam. 2. Si circunſtantiæ aggrauantes darent actui nouam malitiam, mutarent ſpeciem; quia tunc mutatur ſpecies, quando ſuperadditur noua malitia; tum quia illa noua malitia opponitur alteri regulæ rationis, & ideo eſt alterius ſpeciei; ergo non darentur circunſtantiæ tãtùm aggrauantes.

Reſp. ad 1. neg. conſ; nam etiam obiectum eſt extrinſecum actui; & tamen ei dat bonitatẽ, & malitiam; ergo à pari. Ad 2. neg. ant. Ad 1. prob. infert. dicitur, quòd circunſtantiæ aggrauantes addunt nouum gradum malitiæ, non nouam malitiam; ſicut intenſio caloris addit nouũ gradum caloris, non nouam quiditatem caloris. Ad 2. neg. aſſumpt; imò ſuppſnam eſt nouus gradus eiuſdem malitiæ ſpecificæ, non noua ſpecies malitiæ; & ideo regulatur per eandem regulam.

23 Obijc. 3. *Dur.* Vt aliqua circunſtantia tribuat malitiam, debet eſſe volita; vt enim furtum fiat ſacrilegium, debet fur velle furari in loco ſacro; ſed omne volitum eſt obiectum voluntatis; ergo ad hoc, vt circunſtantia tribuat malitiam, debet fieri obiectum voluntatis. 2. *Fund. Doct. q. 2. vbi ſ.* ait: ***Nunquam circunſtantia manẽs circunſtantia dat ſpeciem peccato***; ergo illi nõ dat ſpeciem, niſi quatenus euadit obiectum. 3. Voluntas furandi centum diſtinguitur à voluntate furandi decem, ſed hoc nequit eſſe, niſi ex obiecto; ergo circunſtantia aggrauat, quatenus obiectum. 4. Gradus intenſionis ſpectat ad eſſentiam rei, quæ intenditur; ſed malitia, quæ intenditur, eſt obiectum; ergo & gradus intenſionis illius.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Debet eſſe volita per ſe, neg; per accidẽs, cõc. Ad 2. dicitur *Fund. Doct.* aſſerere, quòd circunſtantia aggrauans manens intra eandem ſpeciem non dat nouam ſpeciem malitiæ; manens tamen circunſtantia auget malitiam; propterea ſtatim ſubdit: *Licèt poſſit aggrauare, vel alleuiare peccatum.* Ad 3. diſt. ma. Diſtinguitur ſpecie, neg; numero, cõc; ſicut enim calor, vt octo, & calor, vt quatuor, nõ diſtinguũtur ſpecie, ſed numero; ita à pari; & neg. mi; quia ex obiecto ſumitur diſtinctio ſpecifica; diſtinctio autem numerica ſumitur ex ſubiecto ſubiacente diuerſis conditionibus indiuiduantibus, quæ sũt *hic, & nunc*; vnde cùm illi actus ſint in diuerſo *nunc* temporis; ideo ſunt diſtincti. Ad 4. diſt. ma. Gradus intenſionis ſpectat ad eſſentiam rei, quæ intenditur, tanquam modus accidentalis illius, conc; tanquam obiectum, neg; nam calor ſecundùm ſuam eſſentiam poteſt eſſe abſque eo, quòd ſit ſecundùm hunc, vel illum gradum intenſionis.

24 Obijc. 4. Si ex circunſtantijs creſceret bonitas, poſſet dari actus infinitè bonus; quia poſſet quis appetere pecuniam infinitam pauperi elargiendam; ſed infinitum repugnat; ergo & id, vnde ſequitur. 2. Sequeretur durationem meriti per horam augere in infinitum bonitatem; nam actus bonus elicitus in inſtanti *A* duraret in inſtanti *B*; hora autem continet infinita inſtantia; & ſic bonitas infinitè augeretur per durationem illius.

Reſp. *omnes Recentes* omittere reſpõſiones *aliorum*, & ſibi propriam formare; nos quoque morem illis gerentes, quia nulla ex allatis *ab ipſis* videtur ſoluere, illas omitimus. Diſt. igitur ma. Poſſet dari actus infinitè bonus cathegorematicè, neg; infinitum enim cathegorematicum nequit cognoſci cognitione finita, & ideo nequit appeti; cùm appetitus cognitionem ſequatur, ſincathegorematicè, conc; poteſt enim bonitas ſemper fieri maior extenſiuè, quamuis non intenſiuè, vt ſuo loco dicemus. Ad 2. neg. ſeq; nam in ſpatio horæ ſunt durationes actuales aliquotæ finitæ; quamuis ſint durationes potentiales, proportionales infinitæ, in quibus tamen nequit eſſe meritum, quia actu non ſunt, ſed in potentia. *Vid. to. 1. de Inuiſib. q. 4. art. 2. n. 13.*

25 Collig. circunſtantias aggrauantes, & mutantes dignoſci, ac diſtingui; quòd illæ ſunt cõtra eandem virtutem; vt furari decem, & mille eſt contra eandem virtutem iuſtitiæ; at iſtæ ſunt contra diuerſam virtutem; vt furari in loco ſacro eſt contra virtutem Religionis; ac propterea illæ inducunt ſolùm gradum eiuſdem malitiæ, iſtæ verò nouam ſpeciem malitiæ.

26 Quæres; an vt actus ſit bonus, vel malus ex circunſtantijs, circunſtantiæ debeant eſſe formaliter volitæ?

Reſp. debere eſſe vel formaliter, vel virtualiter, vel ſaltem poſſibiliter volitas; & ſic dicendum eſt de honeſtate obiecti, vel finis; nam ad moralitatem actus ſufficit voluntarium impu-

putatiuum,vt diximus *q.1.art.3*;ſed ad voluntarium imputatiuũ ſufficit poſſe cognoſci,& poſſe eſſe volitum; ergo ad hoc, vt circunſtantiæ cauſent,vel augeant bonitatem, & malitiam, ſufficit eſſe potentialiter,& virtualiter cognitas, & volitas.

A R T. IV.

An actus habeant bonitatem, & malitiam à fine?

1 STatuimus actus humanos deſumere bonitatem, & malitiam in genere cauſæ efficientis à regulis morum; & in genere cauſæ formalis ſpecificatiuæ ab obiectis;necnon in genere cauſæ formalis accidentalis à circunſtantijs,quæ coniunguntur cum ipſis actibus,vel cum eorũ obiectis;modò ſequitur inquirẽdũ, an illã deſumãt etiam à fine;cùm enim bonitas moralis dicat relationem conformitatis; & cùm actus humanus dicat relationem nedum ad regulas morum, & ad obiectum, ac ad circunſtantias, quibus ipſe, & eius obiectum veſtitur, ſed etiam ad finem, in quem dirigitur ab operante; ideo meritò inſtituitur præſens dubium; quod procedit de fine operantis, non de fine ipſius operis;quia finis operis eſt idem,ac obiectum; finis autem operantis eſt finis obiecti; in quem vel obiectum dirigitur ex ſua natura, vel ab intentione operantis.

2 Vnica concl. Actus humani deſumunt bonitatem,& malitiã moralẽ etiã à fine. *Ita Fund. Doct.in 2.diſt.38. q.1.art.1. ex profeſſo; & ſæpè alibi; Argent.ibid.art.3; & cõmuniter omnes DD. antiqui,& Recentiores*, qui hanc concluſionem potiùs ſupponunt, quàm probent, eo, quia tanquam certiſſima ab omnibus recipitur.

Prob.1.*ex Beatiſſ.P.11.de Trin.c.6.* docẽte:*Ex fine ſuo voluntas dignoſcitur, an recta, vel praua ſit;& lib.4.cont.Iul.c.3.* fusè hanc materiã pertractãs concludit: *Cùm itaque homo aliquid facit, vbi peccare non videtur; ſi non propter hoc facit,propter quod facere debet, peccare conuincitur; quod tu non attendens fines ab officijs ſeparaſti*;& paulò poſt:*Bonum eſt,vt ſubueniat quis homini pauperi innocenti; ſed qui hoc facit magis amando gloriam hominum, quàm Dei, non bene bonum facit;quia non bonus facit,quod non bona voluntate facit.* Ex quo ſic. Si actus non haberet malitiam à fine,poſſet quis mereri faciẽdo eleemoſynam propter vanam gloriam;nam ille actus non vitiaretur à vana gloria;quæ eſt finis illius; ſed conſ.eſt abſurdum;ergo & ant.

3 Idem docuit *Phil.3.Top.*dicens: *Cuius finis bonus eſt,ipſum quoque bonum eſt*,quod repetit *Boet.in Topic.& Com.2.Met. Finis, & bonum idem ſunt, & qui deſtruit finem, deſtruit omne bonum.*

4 Prob.2. *ex Fund. Doct.* Actio naturalis conſtituitur in ſpecie talis actionis phyſicæ per formam phyſicam, à qua eſt, & ad quam terminatur; ſed actio moralis eo modo ſe habet ad finem, quo actio naturalis ad formam phyſicam; ergo actio moralis conſtituitur in ſpecie talis actionis moralis per finem; atqui ſpecies actionis moralis ſunt bonitas,& malitia; ergo à fine conſtituitur bona,vel mala,& ideo recipit bonitatem,& malitiam à fine. Prob.ma. Actio calefactiua conſtituitur in ſpecie calefactionis, quia eſt media inter calorem ignis,à quo exit,& calorem ligni,ad quem terminat;& in hoc diſtinguitur ab actione frigefactiua, quæ eſt media inter frigiditatem aquæ, à qua exit, & frigiditatem manus, ad quam terminat; ergo actio naturalis conſtituitur in ſpecie talis actionis phyſicæ per formam phyſicam, à qua eſt, & ad quam terminatur. Prob.mi; nam ſicut actio naturalis eſt media inter formam,quæ eſt principium *quo*,& formam,quæ eſt terminus *quo*; ita actio moralis eſt media inter finem in apprehenſione, & finem in executione;ex eo enim,quòd intellectus oſtẽdat bonum voluntati, mouetur voluntas ad tendendum in illum finem; vnde ille motus, qui eſt actus voluntatis,eſt à fine ad finem.

5 Prob.3.Bonitas phyſica deſumitur ab integritate ipſius rei; res enim dicitur phyſicè bona, quando habet omnia prædicata ſibi conuenientia,vt diximus *to.1. de Bonit.art.2*; ergo bonitas moralis deſumitur ab integritate omnium eorum,quæ ad illam concurrunt;atqui ad actum moralem principaliter concurrit finis, quia finis eſt principium,& terminus illius; ergo ſumit bonitatem,& malitiam à fine.

6 Obijc.1.Si bonitas actus ſumeretur à fine, tunc qui furaretur,vt daret eleemoſynam,haberet actum bonum;ſed hoc eſt falſum; ergo & illud. 2. Actus prædicationis Euangelicæ ſemper eſt bonus in ſe,quanuis eius finis ſit malus, idèſt auaritia. 3. Non obſtante bonitate finis, adhuc actus eſt malus ex aliqua circunſtantia indebita; puta,cùm dat,quando non debet;vbi non debet; quod non debet;& cui non debet.

Reſp. nos non dicere bonitatem moralem deſumi tantùm,ſed etiam à fine;quia *ex D.Dion. Bonum ex integra cauſa; & malum ex quocũque defectu*; ideo ad bonitatem actus requiritur bonitas obiecti,circunſtantiarum,& finis;hæc enim ad illum concurrunt;quòd ſi vnum ex his ei deficiat, eſt malus moraliter; quia ad malum ſufficit defectus vnius, cùm defectus ipſe ſit malum. Hinc etiam dicitur;*quòd ſufficit vnũ ad deſtruendum; plura autem requiruntur ad ædificandum*; & ex hoc ſoluitur triplex obiectio.

7 Obijc.2.Charitas eſt forma,à qua ſumitur bonitas actus,per ipſam enim ordinamur in bonum finem,qui eſt Deus;& ſine illa actus eſt malus;ergo à ſola charitate ſumitur bonitas.

Reſp.diſt.ant. A charitate ſumitur bonitas moralis ſupernaturalis,conc; naturalis moralis, de qua *hic* loquimur, neg. An autem poſſit dari actus naturaliter moraliter bonus ſine charita-

te;

te; & ideo an omnes actus *Gentilium* fuerint vitia; non eſt huius loci. Ceteræ obiectiones *inf.* ſoluentur.

§. 1.

Soluuntur aliquot dubia.

8 QVæres 1; an finis ſit circunſtantia?

Reſp. finem reſpectu intentionis eſſe obiectum primariò, & per ſe volitum; & ideo reſpectu intentionis non eſſe circunſtantiam, quæ intenditur ſolùm per accidens. Finis ergo eſt primum obiectum reſpectu intentionis, quia eſt ratio volendi obiecta media ad illius conſecutionem. Finis autem in executione reſpectu electionis eſt obiectum remotum, non verò circunſtantia; quia electio immediatè verſatur circa media, & mediantibus illis circa conſecutionem finis. Quòd autem non ſit circunſtantia, prob; nam circunſtantia actus habetur ſimul cũ actu, ſicut circunſtantia obiecti habetur ſimul cũ obiecto, vt patet de furto commiſſo in loco ſacro; at executio finis operantis non habetur ſimul cum actu electionis, nec cum obiecto ipſius; nam poteſt quis eligere hipocriſim ad cõſequendum Epiſcopatum; & tamen mediante hipocriſi illum non conſequi. Ex quo ſequitur conſecutionẽ non eſſe circunſtantiam actus externi; quia non habetur ſimul cum actu externo.

9 Remanet ergo, quòd finis tantùm dicatur circunſtantia, prout ſupponit, ſicut ſupponit circunſtantia, primam malitiam actus; quia finis ſupponit actum bonum, vel malum ex medijs. Quapropter finis multò minùs eſt circunſtantia reſpectu actus indifferentis, quia finis dat primam bonitatem, vel malitiam actui indifferenti.

10 Quæres 2; an idem actus poſſit habere duplicem bonitatẽ, & malitiam; ſcilicet ex obiecto, & ex fine?

Reſp. affirmatiuè. Quantùm ad malitiam eſt communis, ſed quantùm ad bonitatem eſt *cont. Vaſq. hìc diſp. 53. c. 3; & diſp. 73. c. 7; Conink diſp. 3. de Bonit; & Mal. dub. 9; Merat. diſp. 8. ſect. 4; Ouied. hìc controu. 3; & alios* ſubſtinentes actus nullã habere bonitatem præter bonitatem finis. Eſt tamen communiſſima inter omnes *alios DD. Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 40. q. 1. art. 2*; vbi docet, quòd opus exterior addit bonitatem interiori; *& q. 2. art. 1*; vbi ait: *Nam ire ad Eccleſiam, quæ eſt bona actio ex obiecto, poteſt etiam eſſe debita* (idèſt bona) *ex intentione*. Idem docent *eius Diſcipuli*; quibus adhæret *Gibb. Ita etiam Thomiſtæ; Caiet. hìc art. 4; & 2. 2. q. 124. art. 2; Salm; Lorc; Sal; Val; Maſtr. in 2. diſp. 5. q. 4. art. 5; & omnes alij*.

11 Prob. 1. Actus ſpecificatur in genere moris ab obiecto, & à fine, vt *ſup.* dictũ; eſt ergo trahit ab vtroque bonitatem, & malitiam; ſed non eſt eadem bonitas, & malitia obiecti, & finis; quia poteſt eſſe conformitas, & difformitas ad diuerſas virtutes, vt cùm quis dat eleemoſynã, vt Deum honoret; eleemoſyna eſt conformis charitati proximi, & honor Dei religioni; ſic cũ quis furatur propter mæchiam; furtum eſt contra iuſtitiam, mæchia verò contra caſtitatem; ergo idem actus poteſt habere duplicem bonitatẽ, & malitiam; implicat enim, quòd duplex bonitas, & malitia ſpecie diuerſa ſit eadem. 2. *Fũd. Doct.* ſic arguit. Eidem actui reſpondebit in patria duplex gaudium; & ſic dicendum de pœna in gehenna; nam ſubiens martyrium propter amorem Dei habebit gloriam eſſentialem, quæ reſpondet charitati, & aureolam, quæ reſpondet martyrio, quod eſt actus fortitudinis, & ſic occidens iuſtum in odium Dei habebit pœnam debitam homicidio, & odio Dei; ſecus daretur actus alicuius virtutis ſine præmio; & actus malus ſine pœna ei debita, quod non congruit ſummæ iuſtitiæ Dei remuneratiuæ, & vindicatiuæ *vſque ad vltimum quadrantem*; ergo idem actus poteſt habere duplicem bonitatem, & malitiam; cui ſolùm debetur præmium, & pœna. 3. Bonitas mediorum eſt diuerſa à bonitate finis; vt diximus *q. 4. art. 6. §. 3*; vbi *vid. rationes*; & idem dicendum eſt de malitia; quia *oppoſitorũ eſt eadem ratio*; ſed idem actus poteſt eſſe circa medium, & finem; vt diximus *ibid. art. 2. §. 2*; ergo idem actus poteſt habere duplicem bonitatem, & malitiam. 4. Si actus haberet ſolam bonitatem finis, non mediorum, ſequeretur, quòd amor Dei, vt quatuor v. g; eſſet eiuſdem valoris in homine pœnitente, ac in ſubeunte martyrium, & ideo idem præmium eſſet in vtroque; quia in vtroque eſſet idem amor, vt quatuor, ſpecificatus ab eodem fine; ſed conſ. eſt apertè falſum; ergo & ant. 5. Eadem entitas poteſt eſſe ſubſtantialiter, & accidẽtaliter bona in eſſe phyſico, & ſic poteſt habere duplicem bonitatem, ſcilicet ſubſtãtialem, & accidẽtalem; ergo & idem actus in eſſe morali, qui habet bonitatem eſſentialem ab obiecto, & accidentalem à fine, vt *ſup.* dictum eſt. 6. Idem actus poteſt habere duplicem malitiam; vt *omnes* fatẽtur; ergo & duplicem bonitatem; nam *oppoſitorũ, quæ habent fieri mobiliter circa idem, eſt eadem ratio*; vt quia mobiliter priuatio albedinis, & dulcedinis competit ſubſtãtiæ; ideo poteſt ſimul habere albedinem, & dulcedinem; quòd ſi duo accidentia nequeunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, hoc euenit ſolùm propter oppoſitionem, quam habent inter ſe; nulla autem eſt oppoſitio inter duas bonitates, vt patet; & ideo poſſunt eidem actui competere. 7. Sequeretur nullũ opus externum, v. g. martyrium, pœnitentia, ieiunium, eſſe moraliter bonum; quia omnia iſta ſunt media relata in Deum, qui eſt vnicus finis, cui repugnat eſſe medium, ſed hoc eſt abſurdum; ergo & conſ. *Vid. vbiſ.*

12 Dices. *Phil. 2. Eth. c. 4.* ait: *Vt opus ſit virtutis, v. g. iuſtitiæ, aut temperantiæ, non ſufficit, vt ſit iuſtum, aut temperatum, quod agitur, niſi iuſtè,*

temperatèque fiat ; ad hoc autem ait requiri tres conditiones; ſcilicet vt *ſcienter fiat*; vt *liberè fiat*; & *propter ipſum*; ſed media non eliguntur propter ſe ipſa; ergo non habent bonitatem. 2. Idem nequit eſſe in duplici ſpecie; ergo idem actus nequit ſimul habere duplicem bonitatem.

Reſp. ad 1. *Phil.* loqui de ſola bonitate operis, quæ habetur à fine; vt manifeſtè ex illo colligitur; ideo requirit eſſe propter ſe : ſed ſi ſermo ſit de bonitate, quæ habetur à medijs, ſufficit, vt ſcienter & liberè fiat ; & aliunde medium ſit cōforme rectæ rationi. Ad 2. dicitur, quòd probaret etiam de duplici malitia. Diſt. ergo ant. In duplici ſpecie, quarum vna ſit ſubſtantialis, altera accidentalis, neg; vtraque ſubſtantialis, conc.

13 Sed petes, an bonitas, quæ habetur à medijs, ſit bonitas vtilis, vel honeſta?

Reſp. *aliqui* eſſe bonitatē honeſtam, prout fundat vtilitatem ad finem. Sed quoniam vtilitas eſt ſpecies diſtincta ab honeſtate, & vna ſpecies nequit aliam fundare ; ideo melius dicitur eſſe bonitatem vtilem conformem regulis morum, & ideo bonam; quamuis materialiter ſit etiā honeſta, quia poteſt appeti ſecundùm ſe.

14 Dices. *Phil. 3. Eth. c. 4.* ait opus non eſſe virtuoſum, niſi fiat propter honeſtatem virtutis; ergo ſi media, prout talia, ſunt vtilia, nequeunt dare bonitatem actui.

Reſp. verum eſſe, quòd ad hoc, vt opus ſit virtuoſum, requiritur, quòd ſit propter honeſtatē finis, quia ab illius inhoneſtate vitiatur opus; non tamen ſequitur ex hoc, quòd media nō habeant bonitatem vtilem; quia qui dicit vnum, aliud non excludit. Vel dicitur actū bonum eſſe propter honeſtatem, quia medium debet eſſe de genere bonorum, & ideo honeſtū materialiter.

15 Quæres 3; an bonitas, & malitia, quæ deſumitur ab obiecto, ſit primaria ; illa verò, quæ deſumitur à fine, ſit ſecundaria?

Reſp. actum intentionis deſumere à fine bonitatem, & malitiam primariam; quia intentio immediatè fertur circa finem, tanquam propriū, & immediatum obiectum; actum verò electionis ſumere bonitatem, & malitiam primariam ab obiecto, à fine verò ſecundariam; nam electio ſumit ab obiecto ſpeciem eſſentialem, à fine autē ſpeciem accidentalem, vt dictum eſt; nam electio mala ex genere adhuc haberet malitiam, ſi ordinaretur in bonum finem; ergo malitia, quæ ſumitur à fine, accidit malitiæ, quam habet ex obiecto. 2. Poteſt eſſe idem finis reſpectu duplicis actus electiui, quorum vnus eſt bonus, alter malus; vt v.g. duo homines poſſunt intendere procreationem filiorum; & vnus eligere propriam vxorem, alter verò concubinam; electio autem propriæ vxoris eſt moraliter bona, alienæ verò mala; ergo electio habet bonitatem eſſentialem ab obiecto; nam electio ab illo habet bonitatem primariam, ſeu eſſentialem, per quod habet diſtingui ab electione mala; *idem enim eſt ſpecificatiuum eſſentiale, ac diſtinctiuum primarium*, atqui electio bona in caſu habet diſtingui per obiectū, non per finem; ergo ab obiecto habet bonitatē, & malitiam primariam. Hæc doctrina eſt *cont. Vaſq.* putantem actum humanum habere immediatè bonitatem, & malitiam à fine, non ab obiecto; *& cont. Azor; Aluar; Monteſin; Salm; & alios* opinantes; quòd licèt electio, ſi conſideretur, vt actus elicitus, habeat bonitatem, & malitiam ab obiecto; attamen ſi conſideretur, vt imperata ex intentione finis, habet bonitatem, & malitiam primariam à fine. Quam diſtinctionem facilè reijcimus ex dictis; nam quamuis electio, vt imperata ab intentione finis, habeat bonitatem, & malitiam ab ipſa intentione, tanquam à principio concurrente effectiuè ad illius productionem; attamen habet ab obiecto in genere cauſæ formalis ſpecificationem eſſentialem, quia omnis actus eſſentialiter ſpecificatur ab obiecto, tanquam à ſpecificatiuo primario; vt fatentur etiam *Aduerſarij*; ergo non obſtante, quòd electio imperetur ex intentione finis, tanquam ex principio effectiuo; attamen non ſumit bonitatem, vel malitiam ſecundariam ab obiecto; quia obiectū eſt eius ſpecificatiuum primarium in genere cauſæ formalis; aliter intellectio non ſpecificaretur à vero, ſed ab intellectu, qui eſt principiū illius; & ſic de oculo, & de quacunque alia potētia; & ideo ſubuerteretur principium *ab Aduerſarijs* communiter admiſſum, in quo parum ſibi conſtare videntur.

16 Dices. *Ariſt. 5. Eth. c. 2.* habet: *Qui lucrādi cauſa facit adulterium, non intemperans, ſed iniuſtus eſſe videtur.* Ex quo ſic. Ab illo ſumitur prima ſpecies malitiæ, à quo ſumitur denominatio; quia denominatio, & ſpecificatio habentur ab eodem; ſed à fine ſumitur denominatio ; finis enim adulterantis propter lucrum eſt iniuſta acquiſitio lucri ; ergo à fine ſumitur prima ſpecies malitiæ. 2. Illa eſt ratio primaria malitiæ, quæ eſt radix alterius; ſed malitia finis eſt huiuſmodi, quia ſicut finis eſt ratio volendi media, ita malitia finis eſt ratio malitiæ mediorum; ergo à fine ſumitur ratio primaria malitiæ. 3. Dictum peccaminoſum habet ſpeciem à fine; ergo, & factum.

Reſp. ad 1. aliud eſſe, quòd homo operans denominetur potiùs à fine, quàm ab medijs; & aliud, quòd electio denominetur potiùs à fine, quàm à medijs. Primum conc; quia primus actus immediatus, quem elicit homo operans, eſt intentio, quæ immediatè reſpicit finem, & ad quam ſequuntur omnes alij actus. At verò primum obiectum, quod reſpicit electio, non eſt finis, ſed medium; ergo electio ſumit denominationem, & ſpecificationem primariam ab obiecto, non à fine. Ad 2. diſt. mi. Quando medium ex ſua natura eſt bonum, vel indifferens ad bonitatem,

& ma-

& malitiam, conc; quando ex ſuo genere eſt malum, neg. Ad prob. infert. dicitur, quòd licèt malus finis transfundat ſuam malitiam in media, qua vitiat bonitatem mediorũ, ſi ſint ex genere bona; attamen ſi media ſint mala ex ſe ipſis, malitia mediorum præſupponitur maliti finis, quia priùs competit rei id, quod illi conuenit ſecundùm ſe, quàm illud, quod ei ab alio aduenit. Ad 3. dicitur verba ſecundùm ſe eſſe indifferentia, & ideo deriuare malitiam à fine.

ART. V.

An bonitas, & malitia ſint differentiæ eſſentiales actus humani, ſeu an actus bonus poſſit fieri malus, & è contra?

1 Quanuis *aliqui Recentes* diſtinguant, vt duo, quæ proponuntur *in titulo*; imò ſuſtineãt bonitatem, & malitiam eſſe differentias eſſentiales diuidentes actum humanum, & hoc non obſtante poſſe eundem actum immutata ſua eſſentia, aut entitate fieri de bono malum, & è contra; attamen ſi rectè conſiderentur, idem ſunt; nam quia rationalitas, & irrationalitas ſunt differentiæ diuidentes animal, *vt ſic*; ideo implicat animal rationale fieri irrationale, & è contra. Quanuis enim animal, *vt ſic*, abſtractè conſideratum pſæſcindat à rationalitate, & irrationalitate; & ideo rationalitas, & irrationalitas ſint extra rationem, ſeu eſſentiam generis; nihilominus dicuntur differentiæ eſſentiales animalitatis contractæ, quia implicat, quòd animalitas, quæ eſt contracta ad rationalitatem, realiter tranſeat ad irrationalitatẽ etiam cum deperditione rationalitatis; ſicut materia tranſit de vna forma ad aliam deperdita priori forma. At quia albedo, & nigredo non ſunt differentiæ eſſentiales conuenientes parieti, ſed accidentales; ideo idem paries poteſt trãſire de albedine in nigredinem, & è contra. Igitur poſito, quòd bonitas, & malitia ſint differentiæ eſſentiales entitatis actus humani, non poteſt illa entitas tranſire de bonitate ad malitiam, ſed neceſſariò dici debet, quòd quoties voluntas tranſit de bona in malam, deſtruatur entitas actus boni, & ſuccedat entitas mali. Vnde ſuperfluè *diſtinctis articulis* agitatur hæc difficultas ſub ſola variatione vocum, non rerum; vt magis patebit.

2 Non eſt autem difficultas de actu externo imperato; patet enim hunc poſſe de bono in malum migrare; vt eadem ambulatio ad Eccleſiam incepta cum intentione laudandi Deum poteſt ſuccedente intentione blaſphæmandi vitiari, & malam fieri. Itaque ſermo eſt ſolùm de actu interno.

3 Præterea certum eſt bonitatem, & malitiam eſſe differentias eſſentiales actus humani, prout conſideratur in genere moris, prout ſcilicet eſt moralis formaliter; nam moralitas actus per ſe diuiditur in conformem, & difformem regulis morum; quidquid ſit, an iſta diuiſio ſit adæquata, de quo *in ſeq. art.* Difficultas ergo eſt de entitate actus in genere phyſico, an ei conueniant per ſe, tanquam differentiæ eſſentiales, bonitas, & malitia moralis; atque adeo non poſſit eadem entitas phyſica actus interni variari de bona in malam, ſed ad inducendam malitiam in voluntatem neceſſe ſit inducere nouam entitatem phyſicam coniunctam cum tali malitia; vel potiùs malitia, & bonitas ſint differentiæ accidentales entitatis phyſicæ, quæ propterea phyſicè immutata poteſt tranſire de bonitate ad malitiam, & è contra.

4 Tandem quoniam actus moralis diuiditur in naturalem, & ſupernaturalem ſecundùm entitatem; & quia de actibus ſupernaturalibus eſt aliquod diſſidium, de hoc agemus *in ſeq.* §; quãuis enim ſit vna ſimplex obiectio, quæ ſit cõtra concl. *inf.* ponendam; attamen quia plura dicenda ſunt circa illam, ideo peculiarem partem *huius art.* ei aſſignabimus.

5 Prima ſententia vult bonitatem, & malitiam eſſe differentias eſſentiales entitatis phyſicæ actus humani naturalis, & ideo actum humanum non poſſe tranſire de bonitate in malitiam remanente eadem entitate phyſica, ſed neceſſariò variari entitatem phyſicam, quoties voluntas tranſit de bonitate ad malitiam, & è contra. *Ita Capr. in 2. diſt. 40. q. 2; Ferrar. 3. cont. Gent. c. 10; Azor. to. 1. lib. 2. c. 5. q. 1; Conr. apud noſtrum Gibb; Gabr. apud Gonet; & alij*; inter quos *Lorc. diſp. 23.* Tribuitur etiam *Fund. Doct. à quodam ex noſtris*, ſed falsò; *vt inf.*

Secunda ſententia aſſerit bonitatem, & malitiam per ſe conuenire entitati actus humani, tanquam differentias eſſentiales; poſſe tamen eandem entitatem immutatam variari de bonitate ad malitiam mutata ſolùm lege poſitiua. *Ita quidam ex noſtris*; qui tamen *in ſup. c.* aſſerit non poſſe eundem actum *omnino* fieri de bono malum culpabiliter ſine aliqua mutatione naturæ; quia actus bonus non poteſt fieri malus culpabiliter, niſi cognoſcatur eius malitia; & ſic niſi ſit volita ſaltẽ indirectè, & permiſſiuè; ex quo ſit non eſſe eandem volitionem. Quomodò autem poſtea aſſerat mutata lege poſitiua fieri malum, videtur poſſe ſuo dicto refelli; nam vel mutata lege cognoſcit illum actum non eſſe ampliùs malum, ſed bonum; vel non? Si primum; ergo tunc non vult ipſum ampliùs, vt malum, ſed vt bonum; & ſic non eſt eadem volitio, ac prior, qua volebat cognitum, vt malum. Si ſecundum; ergo ille actus remanet malus ſaltem ex conſcientia erronea, quia credit firmiter eſſe malũ, & tamen illum elicit. Dimiſſa igitur hac ſententia.

6 Noſtra docet bonitatem, & malitiam eſſe quidem differentias eſſentiales actus humani in genere moris, prout moralis eſt, non tamen entitatis phyſicæ in eſſe naturæ conſideratæ; & ideo

eandem naturalem phyſicam poſſe variari de bona in malam. *Ita Fund. Doct. in 2.diſt.40.q.1. art.3;& q.2.art.1*;concludit enim *q.1.art.3.in fine: Cùm ergo quæritur, vtrum vna, & eadem actio numero poſſit eſſe bona, & mala; patet, quòd vna, & eadem actio numero in genere moris non poteſt eſſe bona, & mala in genere moris, ſed vna, & eadem actio in genere entis poteſt eſſe bona, & mala in genere moris; & q.2. art.1. §. Ad quod*, docet, quòd licèt albedo, & nigredo, ac color medius ſint differentiæ eſſentiales coloris, *vt ſic*, vel rei, prout formaliter coloratæ; attamen accidentaliter conueniunt rei, & ſubiecto ſecundùm ſe accepto. Ita licèt bonitas, & malitia ſint differentiæ eſſentiales moralitatis, *vt ſic*, vel actus, prout moralis eſt; attamen accidentaliter conueniunt entitati phyſicæ ſecundùm ſe acceptæ, in qua ſubiectatur bonitas, & malitia. Idem docet *Argent;Gibb;apud quem Bernardin; & omnes veri noſtræ Scholæ ſectatores. Ita etiam D.Tho; Caiet.1.2.q.16.art.1;Dur.in 2.diſt.40.q.3;Med; Alu;Curiel, Zum; Salm; & plures alij Thomiſtæ; quibus adduntur Sua;Vaſq;Val,Sal; Monteſin,& alij ferè omnes.*

7 Vnica concl. Quanuis bonitas, & malitia moralis ſint differentiæ eſſentiales moralitatis, *vt ſic*; attamen ſunt differentiæ accidentales entitatis phyſicæ ſubſtratæ moralitati; atque adeo eadem entitas naturalis actus interni poteſt migrare de bonitate in malitiam,& è contra.

Prob. 1. pars cõcl. ex dictis; nam moralitas, *vt ſic*, per ſe,& immediatè diuiditur in bonitatē, & malitiam, ſicut diuiditur animal in rationale, & irrationale; ergo bonitas,& malitia ſunt differentiæ eſſentiales moralitatis, *vt ſic*. Tum quia illæ, quæ ſunt differentiæ accidentales reſpectu vnius, habent proprium genus, reſpectu cuius ſunt differentiæ eſſentiales; vt v.g. albedo,& nigredo, quæ ſunt differentiæ accidentales reſpectu parietis, ſunt differentiæ eſſentiales reſpectu coloris, *vt ſic*; ſed genus proprium, reſpectu cuius bonitas, & malitia ſunt differentiæ eſſentiales, nequit eſſe, niſi moralitas, *vt ſic*; ergo bonitas, & malitia ſunt differentiæ eſſentiales reſpectu moralitatis, *vt ſic*. Prob. ma; nam omne per accidens reducitur ad id, quod eſt per ſe. Prob. mi; nam genus per ſe bonitatis,& malitię nequit eſſe entitas naturalis actus, vt mox videbimus; ergo eſt moralitas, *vt ſic*, quæ contradiſtinguitur à naturalitate. Tum quia ſicut naturale per ſe diuiditur in bonitatem,& malitiam phyſicam, tanquam in differentias eſſentiales; ita morale in bonitatem,& malitiam moralem; ita enim ſe habet morale, *vt ſic*, ad bonitatem, & malitiam moralem; ſicut naturale, *vt ſic*, ad bonitatem,& malitiam phyſicam.

8 Prob. 2. pars concl. 1. *ex Beatiſſ. P. lib.4. cont. Iul. c.3*; vbi ait, quòd eadem actio particularis phyſica poteſt eſſe moraliter bona, ſi referatur in debitum finem,& mala, ſi referatur in finē indebitum; ergo bonitas, & malitia ſunt differētiæ accidentales entitatis phyſicæ, nam nullum particulare poteſt eſſe genus proprium per ſe diuiſum in differentias vniuerſales; aliter non eſſet particulare, ſed vniuerſale; quia particulare eſt illud, quod per ſe de vno tantùm prædicatur; & vniuerſale, quod per ſe de pluribus prædicatur; & ideo ſi particulare prædicetur de pluribus, hoc ei conuenit tantùm per accidens; vt quòd hìc paries particularis prædicetur de albedine,& de nigredine, hoc ei conuenit tantùm per accidens. *Vid. in ſup. art. n.2.*

9 Prob. 2. *ex Fund. Doct*; cuius ratio ſic poteſt exponi,& formari; ait enim, quòd bonitas,& malitia moralis ſumuntur per ordinem ad regulas morum, non per ordinem ad entitatem; & ideo ſunt eſſentiales tantùm reſpectu moralitatis,& accidentales reſpectu entitatis. Arguitur autem ſic. Differentiæ eſſentiales vnius generis primò diuerſi nequeunt per ſe, & eſſentialiter competere alteri generi, ſed tantùm accidentaliter; atqui bonitas,& malitia moralis ſunt differentiæ eſſentiales vnius generis primò diuerſi à genere entitatis phyſicæ; ergo nequeũt eſſe differentiæ eſſentiales entitatis phyſicę, ſed tantùm accidentales. Prob. ma. Si differentiæ eſſentiales vnius generis primò diuerſi poſſent per ſe, & eſſentialiter competere alteri generi, ſequeretur confuſio generum,& ſpecierum; nam genera diſtinguuntur per ordinem ad ſuas proprias differentias ſpecificas, quæ ſunt actus illorum; *actus enim eſt, qui diſtinguit ex Phil*, & ideo ſi plura genera poſſent habere eaſdem differētias eſſentiales, confunderentur inter ſe, & confunderentur ſpecies, quæ ſunt quid conflatum ex genere, & differentia; vt ſi rationalitas eſſet differentia eſſentialis etiam plantæ, nedum animal confunderetur cum planta, quia nullum eorum eſſet diſtinctiuum; genera enim diſtinguuntur ſolùm per diſtinctas differentias; ſed etiam homo confunderetur cum planta, quæ eſſet homo, quia eſſet rationalis; homo enim conſtituitur per rationalitatem; ſed genera, & ſpecies rerum ſunt impermixta; & oppoſitum ſubuertit totum ordinē naturæ; ergo differentiæ vnius generis primò diuerſi nequeunt per ſe, & eſſentialiter competere alteri generi. Prob. mi. Bonitas,& malitia moralis pertinent ad genus moris; entitas autem phyſica per ſe pertinet ad genus naturale; ſed genus moris, & genus naturale ſunt genera primò diuerſa; non enim naturale diuiditur in morale, & non morale; ſed naturale, & morale diuidunt actionem, *vt ſic*, aliter morale,& naturale non poſſent ſimul reperiri in eadem actione; quia differentiæ diuidentes ſunt oppoſitæ,& nequeunt ſimul reperiri; ergo bonitas,& malitia moralis ſunt differentiæ eſſentiales vnius generis primò diuerſi à genere entitatis phyſicæ.

10 Conf. Differentiæ diuidentes actionem alicuius potentiæ nequeunt eſſentialiter ſpectare

re

re ad actionem alterius potentiæ eſſentialiter diuerſæ;vt ſpeculatiuum, & practicum, quæ diuidunt actionem intellectus, nequeunt formaliter ſpectare ad actionem voluntatis, ſed tantùm per accidens, quatenus coniungitur cum actu intellectus;aliter voluntas eſſet per ſe ſpeculatiua,quod nullus rationabiliter diceret; ſed bonitas, & malitia moralis ſunt differentiæ diuidentes actionem rationis regulatiuæ Diuinæ,& humanæ,ab illis enim actio elicitur directiuè,vt *ſuperiùs* dictum eſt; & entitas eſt actio potentiæ productiuæ,quæ tendit in ens,vt ens;& potentia productiua eſſentialiter diſtinguitur à potentia directiua,quia potentia productiua vel eſt volũtas,vel alia potentia executiua externa;& potẽtia directiua eſt intellectus, qui eſſentialiter diſtinguitur à voluntate, & ab alijs potentijs executiuis;ergo bonitas,& malitia moralis, quæ diuidunt actionem potentiæ directiuæ, nequeunt eſſe differentiæ diuidenres eſſentialiter entitatem phyſicã,quæ eſt actio potentiæ productiuæ.

11 Prob.3.euertendo rationes *Aduerſariorum*, quarum prima eſt. Per ſe competit actui humano eſſe conformem, vel difformem rectæ rationi;ſed cõformitas, vel difformitas ſunt bonitas,& malitia;ergo actui humano per ſe competit bonitas,& malitia. Retorq. 1. Per ſe competit actui humano,quatenus humanus eſt,eſſe conformem,vel difformem rectæ rationi;ſed entitas phyſica, quatenus entitas phyſica, non eſt actus humanus; quia actus humanus quatenus talis,eſt actus moralis; in hoc ſenſu enim communiter accipitur actus humanus, vt diximus *art.* 5. §. 2; & actus moralis non eſt idem formaliter, ac entitas phyſica; aliter motus indeliberati eſſent actus morales digni pœna,vel prẽmio;laude,vel vituperio; ergo entitati phyſicæ, quatenus phyſica eſt, per ſe non competit eſſe conformem,vel difformem rectæ rationi,ſed tãtùm quatenus eſt actus humanus. 2. Si entitati phyſicę competeret eſſentialiter eſſe conformẽ, vel difformem rectæ rationi, ſequeretur,quòd nunquam poſſet eſſe ſine conformitate, vel difformitate ad rectam rationem, quia res nequit eſſe ſine illis, quæ ſibi eſſentialiter competunt, aliter poſſet eſſe ſine ſua eſſentia, quæ conſtituitur ex illis, & quæ ſibi eſſentialiter competit;vt quia animalitati competit rationalitas, vel irrationalitas differentialiter eſſentialiter; ideo nequit eſſe à parte rei ſine vna,vel altera;ſed entitas phyſica actus poteſt eſſe ſine conformitate, vel difformitate, vt patet de actibus indeliberatis, qui non ſunt boni, nec mali; ergo entitati phyſicæ actus non competit per ſe conformitas, vel difformitas ad rectam rationem.

12 Secunda eſt. Per ſe,& eſſentialiter conuenit albedini eſſe ſimilem alteri albedini; & tamen eadem albedo immutata poteſt eſſe diſſimilis alteri albedini, ergo quamuis entitas phyſica poſſit tranſire de bonitate ad malitiam;attamen bonitas, & malitia eſſentialiter conuenit entitati phyſicæ. Redarguitur autem ſic. Impoſſibile eſt,quòd abſolutum conſtituatur per relatiuum;aliter abſolutũ eſſet formaliter relatiuũ; ergo impoſſibile eſt,quòd albedo, quæ eſt qualitas abſoluta,eſſentialiter conſtituatur per ſimilitudinem,quæ eſt relatio; ſed illud,per quod res non conſtituitur in ſua eſſentia,accidentaliter ei aduenit;ergo relatio ſimilitudinis non competit per ſe eſſentialiter albedini;& ita à pari.

13 Ex his apparet entitatem phyſicã actus humani poſſe ſucceſſiuè recipere bonitatem, & malitiam moralem; nam bonitas, & malitia moralis accidentaliter adueniunt illi entitati; ergo illa entitas poteſt eſſe ſine, & cum bonitate, & malitia; quia quotieſcunque duo oppoſita accidentaliter adueniunt alicui ſubiecto, tunc illud ſubiectum poteſt ſucceſſiuè recipere vtrunque; aliter ſi ſemper eſſet cum vno illorum,tunc eidẽ ſubiecto non conueniret, niſi vnum oppoſitum, non autem vtrunque; vt ſi coruo conueniat nigredo inſeparabiliter, ei non conuenit albedo oppoſita,& ideo non conueniunt duo oppoſita. Tum quia ſi entitati actus externi conueniunt bonitas,& malitia ſucceſſiuè,idem dicendum eſt de entitate actus interni; ideo enim entitati actus externi poteſt conuenire bonitas, & malitia moralis; quia eadem manente entitate actus externi poteſt variari regula moralitatis; vt manente eadem ambulatione ad Eccleſiam variari intentio; ſed manente eadem entitate actus interni poteſt variari regula, vt manente eadem volitione procreãdi filios poteſt quis intendere illos procreare cũ ſua, & cũ aliena; in loco prophano,& ſacro; ergo poteſt eadem entitas actus interni variari de bonitate in malitiam, & ſic de reliquis.

14 Obijc.1.Actus bonus nequit fieri malus, niſi variato obiecto ſaltem formaliter; quia bonitas ſumitur ab obiecto formali, & ideo inuariata bonitate formali ipſius obiecti impoſſibile eſt variari bonitatem actus; ſed variato obiecto variatur entitas actus in eſſe naturę;quia entitas actus deſumitur per ordinem ad obiectum formale; ergo eadem entitas actus nequit ſucceſſiuè mutari de bona in malam.

Reſp.1.diſt.ma.Niſi variato obiecto in eſſe phyſico,neg, ſufficit enim, quòd varietur in eſſe moris,quæ variatio fit ſolùm per ordinem ad regulas morum, à quibus deſumitur moralitas obiecti;in eſſe moris,conc;& ſic diſt.prob.inſert. Bonitas ſumitur ab obiecto formali in eſſe phyſico,neg;in eſſe moris, conc.

15 Obijc.2. Actus eſt indiuiſibilis, & totus ſimul;ſed ſimul nequit eſſe bonus,& malus,vt *inf.* ergo neque ſucceſſiuè.2.Bonitas,& malitia ſunt differentiæ eſſentiales oppoſitæ; ergo nequeunt conuenire eidem entitati reali;vt patet de rationalitate,& irrationalitate,quę nequeunt conuenire eidem animalitati.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp.ad 1.diſt.ma.Actus eſt indiuiſibilis,& totus ſimul ſucceſſiuè durans per ordinem ad tēpus noſtrum, conc; ſucceſſiuè non durans, neg; quod autem durat ſucceſſiuè per aliquod tempus, poteſt ſuſcipere accidentales murationes, quæ fiunt in tempore noſtro. Ad 2.diſt.ant.Sunt differentiæ eſſentiales actus moralis, conc; entitatis actus phyſici, neg; & ideo licèt idem actus moralis nequeat eſſe ſucceſſiuè bonus,& malus; attamen eadem entitas phyſica poteſt ſucceſſiuè ſuſcipere bonitatem,& malitiam moralem.

16 Obijc.3.Sunt aliqui actus ita intrinſecè, & ex ſua natura mali, vt non poſſint recipere bonitatem,veluti mendacium,odium Dei,& ceteri,qui dicuntur prohibiti, quia mali; ergo ſaltem iſti nequeunt mutari ſucceſſiuè in bonos.

Reſp.idem dicendum eſſe de entitate phyſica iſtorum actuum, ac illorum, qui ſunt mali, quia prohibiti; ſi enim entitas phyſica iſtorum actuum eſſet eſſentialiter mala in genere moris, non poſſet produci à Deo, à quo nequit eſſe malitia moralis. Dicuntur ergo intrinſecè mali tantùm in eſſe moris, quia odiſſe Deum nulla lege poteſt diſpenſari; entitas tamen phyſica ſubſtrata odio Dei, quod eſt fuga à Deo, poteſt ſubſterni amori,qui eſt tendentia in Deum;eadē enim via, qua recedimus, poſſumus tendere ad terminum,& ſic illa entitas poteſt ſucceſſiuè recipere bonitatem,& malitiam ex diuerſo modo tendendi voluntatis in Deum, ſcilicet per modum proſecutionis,& fugæ.

§. 1.

Quid dicendum ſit de actibus ſupernaturalibus?

17 SVpereſt videndum, an etiam entitas actus ſupernaturalis poſſit ſucceſſiuè fieri mala moraliter; & ſermo eſt de actu ſupernaturali ſimpliciter ſecundùm entitatem; nam entitas actus ſupernaturalis ſecundùm modum eſt ſimpliciter naturalis, & ideo idem eſt dicendum,ac de entitate actus naturalis. Dubium autem eſt præcipuè de actibus Fidei, Spei, & Charitatis; ſeu de actibus elicitis à virtutibus Theologicis,quę ſunt Charitas,Spes,& Fides.

18 Prima ſententia vult eſſe priuilegium ſolius charitatis non poſſe dirigere in malum finem;& ideo actū charitatis nō poſſe ſecundùm entitatem fieri malum; actus verò Fidei, & Spei poſſe fieri malos moraliter, quatenus dirigi poſſunt in malum finem.Refertur *Caiet.2.2.q.4.art.5.ad 2;& q.5.art.2.ad 1;Med.1.2.q.56.art.5;& plures alij Thomiſtæ recentes; & ex noſtris Aragon.2.2.q.4.art.5.ad 4; & alij Fund.Doct.Diſcipuli*,incongruenter tamen *ad ſuum Magiſtrum, vt inf. Aliqui* autem volunt ſolùm actum Fidei poſſe fieri malum; *vt Ban; Nauarr; noſter Baſil; Io.à S.Tho;Salm.apud noſtrum Gibb.inf,Ripalda, Arriag,Ouied;Sot;Okam;Abul; Vega; Cordub;Sal; Perez,Granad,Curiel,& alij apud Gibb.*

19 Secunda ſententia docet nedum actum charitatis,ſed & actum Fidei,& Spei,& quencūque actum ſupernaturalē ſecūdùm entitatem nō poſſe fieri malum ex fine,aut ex quacunque alia circunſtantia. Colligitur manifeſtè *ex Fund. Doct.in 2.diſt.5.q.1.art.3.ad* 4; vbi docet, quòd Fides eſt prima virtus; & *diſt.40.q.2.art.1.§.In contrarium*, air: *Dicebatur per Auguſtinum,quòd autem virtus eſt bona qualitas mentis*.Sed clariùs *ibid.diſt.23.q.2.art.2.§.Secunda via*, habet: *Verùm quia Fides eſt virtus Theologica,& virtutes Theologicæ idem habent pro obiecto,& fine,eſt res ſperanda, quæ eſt obiectum Fidei, & finis Fidei; nam res nobis ſperanda eſt Deus; quia non ſeruimus Deo principaliter, niſi propter ſe ipſum, in ipſum enim credimus, & in ipſum credendo ipſum ſperamus iuxta illud, quod dixit Deus Abrahæ Gen.14.Ego merces tua magna nimis.* Quibus nil clariù. Idem fatetur *Gibb. hic diſp.46.dub.2.§.3; & ſeq;& ex alijs Sua; Vaſq; Torr; Val, Coninch; Tanner; Monteſin; Hurtad; Ban; Becc; Auerſ.& alij.*

20 Not;quòd non eſt dubium, an actus ſupernaturales poſſint fieri mali venialiter; patet enim actum charitatis factum cum tepore eſſe venialiter peccaminoſum;& hoc à fortiori dicēdum eſt de omni alio actu ſupernaturali. Sermo igitur eſt de malitia mortali.

21 Vnica concl.Actus Fidei,Spei,& Charitatis nequeunt fieri mortaliter mali.

Prob.1. *ex Scripturis* de charitate; nam 1. *Io.*3.habetur: *Omnis,qui natus eſt ex Deo,peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet*; quod *Beatiſſ.P.ep.95.* prope finem intelligit de charitate; & *1. Cor.13. Charitas non agit perperam*; & *Rom. 13. Dilectio proximi malum non operatur.*

Prob.de Fide; nam *Io. 5.* Chriſtus Dominus exprobrans *Phariſæos* referentes Fidem ad inanem gloriam ait:*Quomodò poteſtis credere, qui gloriam ad inuicem accipitis? Et 1.Pet.1.In quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum.* Ex quo patet finem Fidei Diuinæ, quæ habetur per Chriſtum, non poſſe eſſe,niſi Deum, quo habetur ſalus animarum, quæ eſt vita æterna.

22 Prob. tandem de Spe; nam *ad Rom.5.* habetur:*Spes non confundit*;confuſio autem, de qua *ibid.*eſt ſermo,eſt peccatum. Item ſæpiſſimè dicitur ſpes, quæ habetur per Chriſtum Dominum,eſſe ſolùm propter vitam æternam; ex quo ſequitur habere pro fine Deum.

23 Ex his ſic arguit *Fund.Doct. vbiſ.* Actus boni moraliter, qui habent pro obiecto, & pro fine Deum,nequeunt fieri mali ex fine; ſed actus Fidei,Spei, & Charitatis, nec non omnis actus ſupernaturalis ſecundùm entitatem ſunt huiuſmodi,ergo nequeunt eſſe mali ex fine.Prob.ma.

Illi actus tantùm, qui poſſunt auerti à Deo, & conuerti ad creaturam, poſſunt fieri moraliter mali ex fine; quia malitia motalis eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam; ſed qui habent pro obiecto, & pro fine Deũ, nequeunt auerti ab ipſo Deo, & conuerti ad creaturam; quia actus, quorum obiectum eſt idem realiter, ac eorum finis, nequeunt auerti à ſuo fine, quin auertantur etiam à ſuo obiecto; aliter non eſſet idem obiectum, & finis illorum; ergo actus, qui habent pro obiecto, & fine Deum, nequeunt fieri mali ex fine. Prob. mi. Actus charitatis ordinatur ad Deũ, quatenus amabile propter ſe ipſum; actus Fidei ordinatur ad Deum, quatenus eſt prima veritas reuelans ea, quæ conducunt ad ipſum Deum, tanquam ad vltimum finẽ reuelationis; & actus ſpei ordinatur ad Deum, tanquam ad ſummum bonum cõſequibile per merita; ergo actus Charitatis, Fidei, & Spei habent pro obiecto, & pro fine ipſum Deum.

24 Prob. 2. Virtutes Theologicæ in hoc diſtinguuntur à virtutibus non Theologicis, quòd illæ habent pro obiecto Deum propter ſe ipsũ; aliæ verò habent pro obiecto aliquod ordinatũ ad Deum; in hoc tamen conueniunt omnes virtutes, quòd ſunt determinatæ ad bonum, & nullo modo poſſunt ordinari ad malum; nam virtus definitur *à Beatiſſ. P. bona qualitas mentis, qua nemo malè vtitur, & à Phil. diſpoſitio perfecti ad optimum*; ſed Fides, Spes, Charitas ſunt Virtutes Theologicæ; ergo ex ratione vniuerſali virtutis, & ex earum ratione peculiari habent, quòd non poſſint ordinari ad malum.

25 Si dicatur Fidem, & ſpem ſeparatim à charitate non eſſe virtutes; & ideo ſic poſſe ordinari. 2. Quanuis non poſſint ordinari ex ſe ipſis, poſſunt tamen ordinari à voluntate.

Sed ad 1. cont. eſt; & magis roboratur cõcl. Fides, Spes, & Charitas ſunt eſſẽtialiter ad Deũ, aliter non eſſent Diuinæ, ſed humanæ, & naturales, & ſic nulla eſſet quæſtio; dicuntur enim Diuinæ, quia ſunt ad Deum; ergo eſſentialiter ſunt ad optimum, quia Deus eſt optimus inter omnia bona; & ideo eſſentialiter ſunt virtutes, quæ definiuntur diſpoſitiones ad optimum; & ideo ſi tollatur ab eis ratio virtutis, deſtruitur ratio Fidei, Spei, & Charitatis Diuinæ, & ſupernaturalis. 2. Etiam dato, quòd Fides, & ſpes ſeparatæ à charitate non ſint virtutes formatæ, quia charitas eſt forma ipſarum; attamen ſunt habitus boni determinatè inclinantes ſolùm ad bonum; nõ enim ſunt habitus vitioſi, aliter cùm ſint habitus infuſi, Deus infunderet habitus vitioſos malos moraliter; & ſic homo Deo volente fieret vitioſus; nec ſunt habitus indifferentes; quia habitus ex ſua natura eſt determinatus; non enim eſt indifferens ad bonum, & malum; aliter non darentur habitus vitioſi, ſed vnus habitus inclinaret ad bonum, & malũ, quod eſt *cõtra omnes Theologos*; ergo neque ſeparatim à charitate eorũ actus poſſunt ordinari ad malum; ſed ſi ordinantur, sũt actus fidei, & ſpei humanæ. Ad 2. neg. aſſumpt; nam quod eſſentialiter eſt ordinatum ad vnum, nequit ab alio ordinari ad oppoſitum.

26 Prob. 3. Actus ſupernaturalis ſecundùm entitatem eſt ordinis ſupernaturalis; ſed entitas ordinis ſupernaturalis nequit eſſe ſubiecta peccato; quia peccatum eſt defectus naturæ, & ideo ſolùm eſt in natura; tum quia ordo ſupernaturalis eſt ordo Diuinus; ordo autẽ Diuinus nequit habere malitiam moralem, quæ pugnat cum Diuinitate; ergo actus ſupernaturalis ſecundùm entitatem nequit fieri moraliter malus.

27 Prob. 4. Actus Fidei, ſpei, & charitatis ſupernaturales ſunt gratiæ Dei à Deo nobis diuinitus donatæ; non enim ſunt ex nobis, vt definitum fuit *contra Semipelagianos in Cõc. Araux. II*; ſed gratia nequit ordinari ad peccatum; vt docet *Beatiſſ. P. lib. de Grat. & lib. arb. c. 15.* docens: *Gratia verò Dei ſemper eſt bona*; ergo actus Fidei, Spei, & Charitatis nequeunt ordinari ad peccatum.

28 Conf. Actus elicitus à gratia Dei per Chriſtum habita nequit eſſe peccatum ex eo, quòd peruersè ordinetur à praua voluntate, aliter peccatum eſſet ex gratia; nam ſicut opus bonum factum à gratia ex intentione ordinante in rectum finem vocatur opus ex gratia Chriſti; ita opus factum à gratia, tanquam à principio eliciẽte ordinato ab intẽtione voluntatis in prauũ finem nequit eſſe ex gratia Chriſti; quia ad peccandum voluntas ſola cõcurrit; tum quia gratia eſſentialiter opponitur peccato, & ideo nequit eſſe principium elicitiuũ illius; ſed Fides, Spes, Charitas ſunt gratia Chriſti; gratis enim nobis donantur per Chriſtum; ergo nequeunt elicere actum peccaminoſum ex eo, quòd à praua volũtate dirigantur in finem indebitum.

29 Prob. 5; & ſimul oſtenditur 2. pars concl. Actus Fidei, qui pertinet ad intellectum, nequit fieri intrinſecè malus; ergo multò minùs actus charitatis, & ſpei, qui eſt actus voluntatis, cuius proprium eſt peccatum.

Ant. prob. 1. *ex Apoſt. Rom. 14. Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; ergo quod eſt ex fide, peccatum non eſt; aliter ſi peccatum eſſet etiam ex fide, falſa eſt illa propoſitio: *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; quia verificaretur oppoſita, ſcilicet: *Quod eſt ex fide, peccatum eſt. 2. ex Beatiſſ. P. lib. de Cathechiz. Rudibus c. 5. Rariſſimè accidit, imò verò nunquam, vt quiſque veniat volẽs fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus; ſi enim aliquod commodum ſpectando ab hominibus, quibus ſe aliter placiturum non ſperat, aut aliquod ab hominibus incommodum deuitando, quorum offenſionem, aut inimicitias reformidat, vellet fieri Chriſtianus, nõ fieri vult potiùs, quàm fingere; Fides enim non res eſt ſaluandi corporis, ſed credentis animi. Sed planè adeſt miſericordia Dei per miniſterium cathechizãdis, vt ſermo-*

mone commotus iam fieri velit, quod decreuerat fingere; vt legitur *de S.Gineſio* hiſtrioniã exercẽte, qui dum per iocum repræſentabat baptiſmũ ad deludendos Chriſtianos, vero Dei timore perculſſus, nõ fictè, ſed verè baptiſmum ſuſcepit; propter quod ſtatim martyrio fuit coronatus; ergo ſi Fides ordinata ad malum finem eſt ficta, non vera, iam non eſt Fides Chriſti, quæ nequit eſſe ficta, aliter non eſſet Chriſti, qui *veritas eſt*; *& de Fide, & operib.c.16. Porrò Fides Chriſti; illa vtique, quam definiuit Apoſt, quæ per dilectionem operatur, non enim illa Dæmonum, cùm & ipſi credant, & contremiſcant, & filium Dei confiteantur Ieſum, poteſt accipi in fundamentum. Quare? Niſi, quia non eſt Fides, quæ operatur per dilectionem, ſed quæ exprimitur per timorem. Fides itaque Chriſti Fides gratiæ Chriſtianæ, idèſt ea fides, quæ per dilectionem operatur*. Quibus apertè docet Fidem operantem per timorem non eſſe veram Fidẽ Chriſti, de qua loquimur; quia Fides Chriſti *iuxta Apoſt*. operatur, vel per dilectionem perfectam, quæ eſt charitas; vel per dilectionem imperfectam, quæ eſt amor Dei imperfectus; *& Serm.29. de Verb. Apoſt. Initium bonæ vitæ, cui vita etiam debetur æterna, recta Fides eſt, & in præfat.ad pſ.139. Fides autem ſic eſt in anima, vt radix bona, quæ pluuiam in fructum ducit*; ſed initium operis boni nequit eſſe principium operis mali; aliter eſſet initium boni, & mali, & ſic non diceretur determinatè initium boni; & radix bona non poteſt malos fructus facere; nam *Matt.7.* habetur: *Nõ poteſt arbor bona malos fructus facere*; quapropter *Apoſt.1.Tim.6.* ait, quòd *Radix omnium malorum eſt cupiditas*; ſi autem Fides poſſet eſſe principiũ elicitiuũ operis mali, iam radix, ſeu arbor bona malum fructum faceret; & cupiditas non eſſet radix omnium malorum, quia etiam Fides, quæ eſt bona, eſſet radix mali; hinc *Beatiſſ. P. de Grat. Chriſti c.18; 19; & 20. cont. Pelagium* aſſerentem eandem eſſe radicem fructiferam boni, & mali habet, quòd aliud eſt radix bonorum, aliud malorum; *tantùmque inter ſe differunt, quantùm virtus, & vitium*; Fidem autẽ Chriſti non poſſe eſſe habitũ vitioſũ, ſeu vitiũ manifeſtũ eſt; quia vitium à nobis eſt, non à Chriſto; ergo actus fidei Chriſti Domini nequit fieri malus; & ideo actus credendi peruersè ordinatus non deſcendit à fide Chriſti, ſed à praua voluntate. 3. Actus fidei Diuinæ requirit piam affectionem, ſeu ordinationem voluntatis, vt ſuo loco dicemus; ſed ordinatio voluntatis, ſeu affectio ordinans ad malum finem non eſt pia, & ſancta, ſed impia, & peruerſa; ergo talis actus non eſt actus fidei Diuinæ, ſed humanæ. 4. Fidei Diuinæ nequit eſſe ſubeſſe falſitas; ergo neque malitia.

30 Obijc.1.*Sot.* cont. 1.part.concl. Poteſt quis raptus in amorem Dei omittere ſuccurrere miſero extrema patienti, ad quod tenetur ſub præcepto; & hanc omiſſionem intendere; ergo actus charitatis poteſt dirigi in prauum finem, & fieri malus. 2. Poteſt Deus præcipere, ne quis tali tempore eliciat actum charitatis; ergo actus charitatis elicitus tali tempore eſſet malus. 3. Poteſt quis remittere actum charitatis ad teporem; ergo tunc actus charitatis fit malus.

Reſp.ad 1.neg.ant; quia *charitas non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti*; ſed dilectio proximi eſt Ieſu Chriſti; quia præceptum ipſius eſt: *Quod vni ex meis feceritis, mihi feciſtis*; ergo verus actus charitatis Dei nequit omittere ſuccurſum pauperis. Ad 2. neg. ant; quia nequit Deus pro vllo tempore auertere creaturam à ſe ipſo; quæ ad ipſum eſt ordinata. Ad 3.diſt.conſ. Fit malus venialiter ita, vt ille defectus non deſcedat à charitate, ſed à ſola voluntate, conc; Malus mortaliter, aut venialiter ita, vt ille defectus venialis deſcendat à charitate, neg.

31 Obijc.2. cont. 2. part. *Beatiſſ. P. ep. 95.* prope finẽ ſuper illud *Io. Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*; ait: *Secundùm ipſam charitatẽ dictum eſt, quæ ſola non peccat*, ergo ſi ſola charitas non peccat, excluditur fides, & ſpes, quæ poſſunt peccare. 2. Actus Fidei ſecundùm ſe non exigit procedere ab appetitu recto; quia fides ſecundùm ſe non eſt virtus; tum quia fides præcedit charitatem; & ideo præcedit appetitum rectum, quia appetitus non rectificatur, niſi per charitatem; tum quia actus fidei poteſt elici à peccatore; nam habitus fidei eſt in illo; alirer nõ eſſet Chriſtianus, quod eſt cont. *Conc. Trid. ſeſſ. 6. can.28. Si quis dixerit eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit*; ergo actus peccaminoſus poteſt elici ex fide.

Reſp. hæc omnia nihil aliud obtinere, niſi quòd actus fidei poteſt coniungi ſimul cum peccato exiſtente in voluntate; non autem quòd peccatum poſſit eſſe actus fidei Diuinæ, quod eſt horribile. Ad 1. igitur dicitur *Beatiſſ. P.* nihil aliud velle, quàm quòd ſola charitas nõ admittit peccatum in voluntate; & facit ſenſus: *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*; idèſt: *Qui habet charitatem, non peccat*; quia ſola charitas facit, vt homo non peccet; cùm peccatum ſit incompoſſibile cum charitate. Ad 2. dicitur, quòd licèt actus fidei non exigat procedere à voluntate recta, idèſt munda per charitatem, quia poteſt elici etiam à voluntate peccatoris; attamen ex hoc non ſequitur, quòd ordinetur in finem malum; nam etiam attritio elicitur à peccatore, non enim remittuntur peccata attriti, niſi in Sacramento; & tamen ex hoc non ſequitur, quòd attritio ſupernaturalis, quæ eſt donũ Spiritus S; ordinetur, aut poſſit ordinari ad prauum finem; ſed ſolùm quòd attritio poſſit ſtare ſimul cum peccato; quod etiam conc. de actu fidei.

32 Obijc. 3. Poteſt quis elicere actum fidei ob finem inanis gloriæ; poteſt enim quis velle per actum fidei patrare miracula, vt honorificetur ab hominibus; prout habetur *ex 1.Cor. 1. Si*

ha-

habuero omnem fidem ita, vt montes transferam; nihil prodeſt. Præterea poteſt quis vti dono prophetię ob malum finem; prophetia autem eſt ſupernaturalis; ergo à pari de Fide. Tandem *Beatiſſ. P. de Cathechiz. c. 17.* non ait eos, qui ex prauo fine ſuſcipiunt Fidem, non eſſe verè Chriſtianos, ſed ſpectare ad Eccleſiam; quia ſunt in area ſimul cum electis; area autem ſignificat Eccleſiam *ex eod. qq. Euang. in Matt. c. 11:*

Reſp. **diſt. ant.** Ita, vt actus Fidei fiat ex vi illius prauæ intentionis, neg; ita, vt illa praua intentio diſparatè ſe habeat, tranſeat; actus autem Fidei ex intentione diſparata non vitiatur; ſed tantùm ponitur ſimul cum ipſo peccatum; vt *ſup.* dictum eſt. Sic ad 2. Ad *Beatiſſ. P.* dicitur ſuperiùs ſatis docuiſſe Fidẽ illorum eſſe fictam, nõ veram; adeoque non eſſe Fidem Chriſti, cui repugnat non eſſe veram. Dicuntur autem ſpectare ad Eccleſiam fictè, & apparenter, quia Eccleſia non iudicat de internis; vnde cùm illa fictio ſit interna, nequit dignoſci; & ideo nequeunt propter illam excludi ab Eccleſia.

§. 2.

An idem actus poſſit eſſe ſimul bonus, & malus?

33 QVæritur; an ſicut eadem entitas actus naturalis poteſt ſucceſſiuè fieri de bona moraliter mala; ita ſimul poſſit eſſe bona ex obiecto, & mala ex fine, aut ex alia circunſtantia; vel è contra. In iſto autem, ſicut & *in ſup. §.* loquimur præcipuè de actu electionis.

34 Prima ſententia vult eũdem actum poſſe eſſe ſimul bonum ex obiecto, & malum ex fine; vt qui dat eleemoſynam, vt acquirat gloriam hominum. *Im Lorc. hic diſp. 28;* qui refert pro ſua ſententia *Fũd. Doct;* licèt craſſiſsimè, vt *inf. Cniet; & Conr. Ita etiam Gran. tract. 14. controu. 2. diſp. 10; Cordub. lib. 2. q. 23; Ripalda de Ente ſupernat. diſp. 50; ſect. 6. apud eundem Gibb; & apud Maſtr. inf. Almain. tract. 1. mor. c. 12; & alij.*

35 Secunda docet eundem actum poſſe eſſe bonum ex fine, & malum ex obiecto; imò bonitatem finis aliquando tollere, aut excuſare malitiã ex obiecto; v.g. malitiam mendacij ad ſaluandam vitam proximi. Refertur *Caſſian. collat. 17. c. 17; et ſeq; Abbas Ioſeph, & multorum antiquorum Orietalium*, quibus ſubſcribere videtur *Auctor libri imperf. ſuper Matt. 7. apud Gibb. hic diſp. 26. dub. 3. §. vlt.* Hanc ſententiam refellit *Beatiſſ. P. lib. contr. Mendacium*, quam dicit eſſe *Priſcillianiſtarum*.

36 Noſtra docet nullo modo poſſe eũdẽ actũ eſſe ſimul moraliter bonũ, & malũ; quãuis poſſit eſſe bonus, & malus in diuerſo genere; ſcilicet bonus in genere phyſico, & malus in genere moris. *Im Fũd. Doct. in 2. diſt. 40. q. 1. ar. 3;* vbi in fine corporis concludit: *Cũ ergo quæritur; vtrũ vna, & eadem actio numero poſſit eſſe bona, & mala; patet, quòd vna, & eadem actio numero in genere moris nõ poteſt eſſe bona, & mala in genere moris, Argent. ibid. q. 1. art. 1; Gibb. vbiſ. §. 1;* apud quem *D. Tho; Med. Cur; Monteſin; Suar, Vaſq; Sal. Salm; Io. à S. Tho; Ouied; Arriag; Eſparza.* Idem docet *Scot. apud Maſtr. hic diſp. 5. q. 4. art. 5. difficult. 5; apud quem Lezan; Val. Amic; & alij.*

37 Vnica concl. Quanuis idem actus poſſit eſſe ſimul bonus, & malus in diuerſo genere; ſcilicet bonus phyſicè, & malus moraliter; attamen nequit eſſe ſimul bonus, & malus moraliter.

Quòd poſſit idem actus eſſe ſimul bonus phyſicè, & malus moraliter, patet ex pluries dictis *cum Beatiſſ. P. præcipuè in Suppl. cont. Iul; & lib. de nat. Boni, alijſque operib. cont. Manichæos;* vbi docet, quòd *omne malum morale in aliquo bono eſt; quin in aliqua natura eſt, natura autem, in quantùm natura eſt* (idèſt phyſicè) *bona eſt*. Ratio eſt; quia actus malus moraliter phyſicè acceptus eſt ens phyſicum phyſicè à Deo productum; ergo eſt phyſicè bonum; *ens* enim, *& bonum conuertuntur*; ſumptus autem moraliter eſt defectus; & ideo eſt malus.

38 Prob. 2. pars concl. 1. *ex 2. Cor. 6;* vbi dicitur: *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Ex quo ſic. Si idem actus poſſet ſimul eſſe bonus, & malus moraliter, participaret ſimul, & aſſociaret iniquitatem, quia malitia eſt iniquitas; & iuſtitiam; quia bonitas moralis eſt iuſtitia; ſed hoc eſt *cont. Apoſt;* ergo & id, vnde ſequitur.

39 Prob. 2. *ex Beatiſſ. P. vbiſ.* docente: *Ea quippe opera hominũ, ſicut cauſas habuerint bonas, ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata. Sicut victum præbere pauperibus, bonum opus eſt, ſi fit cauſa miſericordiæ cum recta fide; ſicut concubitus coniugalis, quando fit cauſa generandi, ſi ea fide fiat, vt gignantur regenerandi. Hæc, atque huiuſmodi ſecũdùm ſuas cauſas opera ſunt bona, vel mala, quia eadem ipſa, ſi habeant malas cauſas, in peccata vertuntur; velut ſi iactantiæ cauſa pauper paſcitur, aut laſciuiæ cauſa cum vxore concumbitur, aut filij generantur, non vt Deo, ſed vt Diabolo nutriantur. Cùm verò iam opera ipſa peccata ſunt; ſicut furta, ſtupra, blaſphemiæ, vel cetera talia, quis eſt, qui dicat cauſis bonis eſſe facienda, vt vel peccata non ſint; vel quod eſt abſurdius, iuſta peccata ſint.* Et hoc probat *ex Apoſt. Epheſ. 1.* docente: *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operans manibus ſuis, vt habeat, vnde tribuat, cui opus eſt.* ſubdit autem: *Quis iſta dicat, niſi qui res humanas, omneſque conatur mores, legeſque ſubuertere?* Ex quibus ſic arguitur. 1. Si actus malus ex obiecto eſſet bonus ex fine, non prohiberetur talis finis *ab Apoſt;* ſed tantũ prohiberetur talis actus ex tali obiecto; quia ſolum malum prohibetur, & bonum præcipitur; ſed *Apoſt.* nedum prohibet talem actum, quatenus eſt ex obiecto; ait enim: *Iam non furetur*; verumetiam prohibetur finis bonus talis actus: *Laboret operans manibus ſuis, vt habeat, vnde tribuat, cui opus eſt*; ergo talis

actus nedum eſt malus ex obiecto, ſed etiam ex fine.

40 Conf.Cauſa moraliter mala nequit producere effectum moraliter bonum; ſicut cauſa moraliter bona nequit producere effectum moraliter malum iuxta illud Chriſti Domini: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere; non poteſt arbor mala bonos fructus facere*;nam cauſa communicat ſuum eſſe effectui;vnde ſi cauſa moralis ſit bona, nequit transfundere eſſe malum morale:ſi verò ſit mala, nequit communicare eſſe bonum; quia cauſa bona moraliter non habet eſſe malum;& mala non habet eſſe bonum; aliter nō eſſet bona;vel mala;cauſa enim dicitur bona,vel mala ab eſſe bono,vel malo; ſed electio mala ex obiecto eſt effectus intentionis boni finis,& executio mali finis eſt effectus electionis ex obiecto; ergo electio mala ex obiecto nequit eſſe bona ex intentione boni finis; & intētio boni finis nequit eſſe bona ex mala electione ex obiecto; aliter effectus bonus eſſet à cauſa mala; & malus à cauſa bona.

41 Arguitur 2.Si idem actus poſſet eſſe bonus ex obiecto,& malus ex fine;vel è contra;tollerentur leges humanæ, & ſubuerterentur omnia iura;ſed cōſ.eſt abſurdum,ergo & ant. Prob. ma. Tunc tollerentur leges, & ſubuerterentur iura; quando non poſſent conferri ſupplicia, & præmia per leges decreta; ſic enim fruſtra eſſent leges;ſed in caſu non poſſent conferri ſupplicia, & præmia decreta per leges; nam poſſet quis eligere obiecta bona ex genere v.g. matrimoniū ob peſſimum finem habendi filios ſacrificandos Diabolo,vel rebelles patriæ; aut eligere obiecta mala ob finem optimum;v.g.furari ęs publicum, vt conſtruat templa Deo;tunc autem non poſsēt infligi ſupplicia, & præmia decreta per leges; quia leges talibus actibus, prout mala ſunt, decernūt mortem ingloriam, & infamem; & prout bona, decernunt vitam glorioſam; vita autem glorioſa, & mors ingloria nequeunt ſimul haberi ab eodem;ergo ſi idem actus poſſet eſſe bonus ex obiecto,& malus ex fine;vel è contra,tollerentur omnes leges,& iura. *Vid.Beatiſſ.P*; qui latè hoc arg.proſequitur.

42 Conf.Si idem actus eſſet æquè bonus,& malus; imò ſi eſſet magis bonus, quàm malus moraliter; non videtur, quomodò poſſet iuſtè reddi extremum ſupplicium potiùs, quàm vita honoranda; ſicut enim extremum ſupplicium iuſtè redditur operi mortaliter malo;ita vita honoranda iuſtè redditur operi illius meritorio; & ideo vita iniuſtè denegaretur habenti opus meritoriū illius; ſed conſ. eſt cōt.leges;ergo & ant.

43 Prob.3.*ex Fund.Doct.* Implicat, quòd idem actus numero ſit ſimul bonus, & malus in genere phyſico;quia implicat, quòd eadem ambulatio ſit ſimul claudicans,& recta; claudicatio enim eſt priuatio rectitudinis; ergo idem dicendum in genere moris; nam ideo implicat actionem phyſicam eſſe ſimul bonam,& malam; quia implicat principia actionis phyſicę eſſe ſimul deficientia, & non deficientia; ſed eadem eſt ratio de principijs actionis moralis;ergo idem etiam dicendum de actione morali.

44 Prob.4. Bonitas ex obiecto ordinata ad malum finem eſt difformis regulis morum; ſicut & bonitas finis conſequibilis per media moraliter mala; ergo bonitas obiecti ordinata ad malum finem,& bonitas finis conſequibilis per media mala eſt moraliter mala;& ideo actus nequit ab obiecto, vel à fine habere bonitatem moralem ſimul cum malitia alterutrius.Prob.ant.Regulæ morum nedum dictant eſſe intendendum bonum finem, vel eligendum bonum medium diſiunctiuè, ſed etiam bonum finem eſſe intendendū per media honeſta;& media honeſta eſſe ordināda ad bonū finē; nam dictāt non ſolū eſſe faciēdū bonū,ſed etiā bene;præcipiūt enim omnē honeſtatē, & prohibēt omnē inhoneſtatem, & turpitudinem;inhoneſtum autem,& turpe eſt bonum medium ordinari ad malum finem, & è contra;ergo bonitas medij ordinata ad malum finem,& bonitas finis conſequibilis per media inhoneſta eſt difformis regulis morum. Prob. conſ;nam bonitas mediorum,& bonitas finis eſt relatiua;quia dicit relationem conformitatis ad regulas morum,vt diximus *art.*1.§.2;ergo ſicuti ex conformitate ad regulas morum ſumitur bonitas mediorum,& finis; ita ex deformitate ſumitur malitia.

45 Prob.5.ex communi axiomate *D.Dion. de Diuin.Nom.c.*10.*Bonum ex integra cauſa;malum autem ex quocunque defectu*; ex quo ſic.Ad hoc, vt vitietur bonitas actus ſufficit malitia vnius ſpectantis ad illum actum;ſicut ad bonitatem requiritur, quòd omnia ſint bona; ergo actus bonus ex obiecto,& malus ex fine eſt ſimpliciter malus.

46 Prob.6. *ex Fund. Doct. hìc diſt.* 40. *q.*2. *art.*3.§.*Poſſumus.* Propoſitio probabilis addita propoſitioni neceſſariæ reddit totum diſcurſum probabilem, & non infertur, niſi concluſio probabilis; ergo malitia finis addita actui bono ex obiecto reddit totum malum ipſum actum.

47 Tandem. Implicat formam,& priuationem eiuſdem eſſe ſimul in eodem; ergo implicat eundem actum eſſe ſimul bonum ex obiecto, & malum ex fine;aliter actus, quo quis intenderet continentiam,vt poſtea magis incontinens eſſet, haberet formam bonitatis continentiæ ſimul, & priuationē illius,vt rectè arguit noſter*Gibb.vbiſ.*

48 Obijc. 1. Non eſt æqualis malitiæ actus velle furari propter eleemoſynam, ac propter adulterium;ergo idem actus poteſt eſſe malus ex medio,& bonus ex fine.

Reſp.*Beatiſſ.P.*huic arg.*vbiſ*;neg.conſ;nam furari propter eleemoſynam dicit ſolùm minorē grauitatem malitiæ, nullam tamen dicit bonitatem,quia maior, vel minor malitia non attenditur

tur penes bonitatem, ſed penes plures, vel pauciores peccatorum.

49 Obijc. 2. In naturalibus defectus vnius potentiæ non tollit bonitatem alterius potentiæ; vt defectus oculi non tollit perfectionem auditus; ergo neque in moralibus. 2. Circunſtantia non tollit ordinem actus ad obiectum; ſed ille ordo eſt conformis regulis morum; ergo non tollit conformitatem; & ideo non tollit malitiā. 3. Sequeretur, quòd actus dantis eleemoſynam ob iactantiam haberet malitiam iactantiæ, & immiſericordiæ; ſed hoc eſt falſum; ergo & ant. 4. Faciens eleemoſynam propter iactantiam implet præceptum faciendi eleemoſynam; ſed implere præceptum eſt bonum; ergo facit actum bonum.

Reſp. neg. conſ; nam oculus, & auditus ſunt duæ potentiæ diſparatæ, quarum vna non concurrit ad actum alterius; ideo actus vnius nequit inficere actum alterius; at verò obiectum, & finis concurrunt ad eundem actum electionis; ideo deformitas vnius poteſt deformare conformitatem alterius. Ad 2. neg. ma; nam ordo ad obiectū conformis regulis morum eſt, quòd dirigatur ad debitum finem; & in hoc ſenſu ſolùm conc. mi. Ad 3. neg. ſeq; non enim dicitur illum actum habere malitiam ex obiecto ex genere, ſed tantùm non habere bonitatem ex illo, & ideo ex illo habere malitiam relatiuè ad finem. Ad 4. diſt. ma. Implet præceptum eo modo, quo debet implere, neg; aliter, ac debet implere, conc; & in primo ſenſu, conc. mi; in ſecundo neg.

50 Obijc. 3. Si quis velit baptizari ex fine inanis gloriæ venialiter malo, ille actus eſſet bonus ex obiecto, quia eſſet diſpoſitio ad gratiam, quam ſuſciperet, quia peccatum veniale non impedit gratiam; & eſſet malus ex fine; ergo idem, quod ſupra. 2. Quando aliquis exiſtimans ſe teneri ad mentiendum ob ſaluandam vitam proximi mentitur, ille actus eſt malus, quia ignorātia vincibilis nō excuſat à peccato; & eſt bonus, quia eſt iuxta dictamen rationis; ergo idē actus poteſt eſſe malus, & bonus. 3. Intellectus poteſt eſſe verus, & falſus reſpectu diuerſorum obiectorum; putans enim *Petrum, & Paulum* currere poteſt eſſe verus de curſu *Petri*, & falſus de curſu *Pauli*; ergo à pari.

Reſp. ad 1. neg. ſupp; volitio enim efficax baptiſmi nequit eſſe, niſi ab intentione efficaci finis; finis autem malus efficaciter intentus eſt mortaliter peccaminoſus, non venialiter. Ad 2. neg. 2. part. ant; nam ille actus eſt iuxta dictamen erroneum rationis. Ad 3. neg. conſ; nam veritas vnius non dependet, aut refertur ad veritatem alterius, cùm vnum non ſit verum per aliud, & per ordinem ad aliud; at verò bonitas medij eſt relatiua ad bonitatem finis; quia eſt propter illā, & ideo nequit eſſe ſine illa; hæc enim eſt natura relatiuorum.

51 Obijc. 4. *Beatiſſ. P. 5. de Ciu. Dei c. 15.* ait *Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom. 3.* de operibus *Romanorum: Niſi Deus hanc terrenā gloriam excellētiſſimi Imperij Romanis tribuiſſet, non redderetur merces bonis actibus eorum, ideſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur*; ſed opera Romanorum erāt propter inanem gloriam, & tamen erant bona; ergo poſſunt dari actus boni ex genere, & mali ex fine.

52 Reſp. *aliqui* opera externa poſſe eſſe moraliter bona ex genere, & mala ex fine; non tamen opera interna; ideo opera *Romanorum* externa ſolùm mercedem recipiſſe.

Sed contra eſt: nam bonitas, & malitia actus ſiue interni, ſiue externi habetur à regulis morū; ergo idem dicendum eſt de actibus internis, & externis.

Reſp. igitur illa opera fuiſſe tantùm bona ex genere, idèſt ex ſua natura ordinabilia ad bonum finem, & ideò mercedem temporalem meruiſſe; ſicut enim opera bona ex ſuo genere formaliter ordinata ad bonum finem ſupernaturalem ſunt formaliter bona, & meritoria mercedis æternæ; ita opera ex ſuo genere ordinabiliter bona, non tamen actu ordinata ad bonū finē sūt formaliter mala; ex ſua tamen natura ſunt ordinabilia ad bonum finem; & in hoc ſenſu dicūtur bona ex genere, idèſt ex ſua natura ordinabilia ad bonum finem; quia tamen actu ſunt ordinata ad finem temporalem, qui eſt gloria temporalis, merent ſolùm mercedem naturalem temporalem. Mala autem ex genere, vt mendacium, non ſunt ex ſua natura ordinabilia ad bonum finem; ideo nec mercede temporali digna ſunt.

§. 3.

An actus exterior addat bonitatem, vel malitiam interiori?

53 ALiqui contendunt titulum difficultatis non rectè proponi; eſt enim dubium, an operās ſit magis in culpa propter opus externum, & internum, quàm propter internum ſolùm, poſſet autem operans eſſe magis in culpa propter actum externum, licèr non augeretur propter hoc malitia actus interni. Addunt conſultò poſitū eſſe nomen culpæ, non peccati; quia peccatum eſt quilibet actus deordinatus etiam non imputabilis ad culpam, vt in amentibus.

54 Sed neg. operās poſſe eſſe magis in culpa abſq; eo, quòd augeatur eius malitia, quomodocūque illa augeatur; nam ſolùm propter malitiā aliquis eſt culpabilis; & ideo ſolùm propter maiorem malitiam eſt magis culpabilis; vbi enim malitia non eſt, culpabilitas eſſe non poteſt; & ideo vbi non eſt maior malitia, quomodocunque ſit maior; ibi nequit eſſe maior culpabilitas. Præterea falſum eſt actum deordinatum eſſe peccatum; nam peccatum non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium iuxta documentum *Beatiſſ. P.* communiter acceptum; vnde hæc omnino gratis dicta ſunt.

55 Igitur ſuperaddi bonitatem, vel malitiā actui interiori ſtat dupliciter. 1. Secūdùm gradū in-

intenſionis ita, vt actus interior augeatur ſolùm intenſiuè. 2. Secundùm extenſionem ita, vt augeatur extenſiuè; & hoc dupliciter quoque poteſt intelligi. 1. Ita, vt bonitas, vel malitia ſuperaddita ſit realiter diuerſa à bonitate, vel malitia actus interni. 2. Ita, vt ſit eadem ſolùm extenſa ad actum externum.

56 Certū eſt apud omnes, vt fatetur *Maſtr. hic n.* 259; actum externum addere interno aliquid bonitatis, vel malitiæ intenſiuè regulariter loquendo vel caſualiter, vel occaſionaliter; quia poſito actu externo intenditur internus; nam phantaſmata materialia magis roborantur præſente obiecto externo, & fortiùs agunt in intellectum, qui proponit obiectum volūtati clariùs; quod intenſiùs agit in voluntatem, vt maiori vi tendat in illud. Quod etiam experientia conſtare poteſt; nam ſi aliquis externè ſemel operatus ſit, maiori tentatione rapitur ad tendendum in illud obiectum, quàm ſi ſolùm internè illud appetierit; vt patet de eo, qui aliquando concubuit cum aliqua fœmina, maiori vi illam appetit, quā ille, qui nunquam externè illam tetigit, ſed ſolū internè illam appetijt. Dubium ergo eſt ſolùm de additione extenſiua.

57 Et maximè not; quòd actus internus debet ſupponi omnino efficax ita, vt quantùm eſt ex ſe, tendat ad ponendum actum externum; & ſolùm impediatur ab aliquo extrinſeco; vt v. g. vult quis efficaciter committere adulterium, ſed non poteſt; quia impeditur efficaciter, ne eat ad adulteram; vel impeditur adultera. Quæritur autem, an actus efficax coniunctus cum actu externo habeat diuerſam malitiam ſuperadditam ab actu externo; an verò habeat eandem extenſam etiam ad actum externum?

58 Prima ſententia vult actum externum ſuperaddere actui interno efficaci malitiam, & bonitatem diſtinctam realiter. *Ita noſter Greg. in* 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 5; *& ad* 5; *Scot, Rubion; & alij Scotiſtæ apud Maſtr. hic diſp.* 5. *q.* 5. *n.* 260; *apud quem etiam D. Bon; Ripald; Gran; Amic, & alij.*

59 Secunda docet non ſuperaddere bonitatem, & malitiam ſimpliciter per ordinem ad præmium, vel pœnam eſſentialem; ſed tantùm ſecundùm quid per ordinem ad præmium, vel pœnam accidentalem. *Ita Fund. Doct. in* 2. *diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 2; *Argent. ibid. art.* 2; *Gibb. et omnes noſtri excepto Greg. Ita etiam Mag. Sent. in* 2. *diſt.* 42; *Albert; D. Tho; Dur; omnes Thomiſtæ communiter, vt videtur apud Gonet hic diſp.* 7. *art.* 1; quibus adduntur *Sua, Vaſq, Sal; Ouied, Naz; Arriag; Auerſ, Lezan, Salm, & alij apud Maſtr; & Gibb.*

60 Vnica concl. Actus externus non ſuperaddit actui interno bonitatem, & malitiam ſimpliciter per ordinem ad præmium, & pœnam eſſentialem, ſed tantùm per ordinem ad premiū, vel pœnam accidentalem.

Prob. 1. pars concl. 1. ex illo *Matt.* 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo*; ſuper quod *Beatiſſ. P. lib. de Honeſtat. Mulier. c.* 5. ait: *Voluntas prona faciendi reputatur pro opere facti*; & paulò poſt. *Talis enim cogitatio, etſi aliquando impeditur caſu, vt non impleat voluntatem ſuam, nihilominus tamen actionis crimine condemnatur; & Serm.* 44. *de Verb. Domini: Nondum acceſſit corpore, conſenſit in corde, mortuum intus habet, nondum extulit*; & paulò poſt. *Alij poſt conſenſum eunt in factum, tanquam efferentes mortuum, vt quod latebat in ſecreto, appareat in publico; & lib.* 1. *de lib. Arbitr. c.* 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena; planum tamen ſit id eū cupere; & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minùs reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur*; ex quibus ſic. 1. Si actus externus adderet actui interno malitiam realiter, & ſpecie, vel numero diſtinctam, actus internus non reputaretur pro externo, nec puniretur pro illo, nec ſumeret denominationem illius; ſed conſ. eſt *cont. Script; & SS. PP*; ergo & ant. Prob. ma; nam quia mœchia addit malitiam ſupra furtum; ideo furtum nequit puniri pro mœchia, aliter non eſſet ratio, cur vnum peccatum non puniretur pro malitia omnium peccatorum ſpecie diſtinctorum; imò quia vnum peccatum numero diſtinctum addit malitiam numero diſtinctam alteri actui; ideo vnum peccatū nequit reputari pro duplici peccato, nec pro duplici puniri; & quia mœchia diſtinguitur ſpecie à furto, ideo mœchia nequit furtum denominari; ergo ſi actus externus adderet interno malitiam numero, vel ſpecie diſtinctam, actus internus non poſſet reputari, aut puniri pro externo, aut ſumere denominationem illius. Prob. mi; quia *Scriptura* actum internum, quo quis deſiderat externè mœchari, vocat mœchiam, & reputatur, & punitur pro mœchia.

61 Arguitur 2. Actus externus nihil aliud eſt, quàm quædam manifeſtatio, ſeu prolatio externa malitiæ actus interni; ſed manifeſtatio rei externa nihil addit ſupra rem eſſentialiter diſtinctum ab ipſa re; ergo actus externus nullam malitiam addit diſtinctam à malitia actus interni. Ma. prob. *à Beatiſſ. P. de Verb. Domini vbiſup.* exemplo *filiæ Archiſynagogi Marc.* 5; *& filij Viduæ Luc.* 7; *& Lazari Io.* 11; vbi in morte *filiæ* adhuc latentis in domo figurat actum malum internum adhuc latentem in corde; in morte *filij Viduæ*, qui ferebatur extra portam domus, figuratur actus malus internus publicè manifeſtatus per actum externum; & per mortem *Lazari* figuratur peccatum ex conſuetudine; ergo actus externus nihil aliud eſt, quam quædam manifeſtatio actus interni. Prob. mi. Delatio *filij Viduæ* extra domum, ſeu manifeſtatio externa mortis illius, non ſuperaddit nouam mortem; aliter vnuſquiſque bis moreretur, ſcilicet cùm eflat animam in domo, & cùm defertur extra domum ad ſepulcrum.

Conf.

62 Conf. Eodem modo loquuntur *Scripturæ, & PP.* de morte animæ, ac de morte corporis; ſed mors corporis ex eo, quòd per actus externos publicetur, non duplicatur; ergo mors animæ ex eo, quòd publicetur per actus externos, nõ duplicatur; atqui actus malus internus eſt mors animę; ergo ex eo, quòd publicetur per actus externos, non duplicatur; & ideo non habet duplicem malitiam, quæ eſſet duplex mors.

63 Roboratur ratione. Ita ſe habet bonitas, & malitia per ordinem ad voluntatem, ſicut veritas, & falſitas per ordinem ad intellectum; nam ſicut veritas eſt ratio formalis ſpecificatiua intellectus, cuius oppoſitum eſt falſitas; ita ſe habet bonitas reſpectu voluntatis, cuius oppoſitũ eſt malitia; ſed ex eo, quòd veritas, & falſitas intellectus manifeſtetur per locutionem externã, vel per alios actus externos, non dicitur actus internus acquirere diſtinctam veritatem, & falſitatem; ergo ex eo, quòd bonitas, & malitia actus interni manifeſtetur per actus externos, actus internus non acquirit diſtinctam bonitatem, & malitiam. Idem docet *Beatiſſ. P. in pſ.* 125; vbi ait: *Si furtum non feceris foris, forſitan ille non meruit perdere, cui diſponebas auferre; & ille nihil perdidit, & tu de furto damnaberis. Decreuiſti occidere hominem, dixiſti in corde, ſonuit de ore tuo interiore homicidium; adhuc viuit homo, & tu homicida puniris. Quid ſis apud Deum, quæritur, nõ quid nondum apparueris apud homines.*

64 Prob. 2. Bonitas, & malitia formalis reperiuntur tantùm formaliter in illo actu, qui eſt formaliter liber; ſed actus externus non eſt formaliter liber; ergo in actu externo non reperiũtur formaliter bonitas, & malitia; & ideo nequit ſuperaddere actui interno bonitatem, & malitiã diſtinctam. Prob. ma; nam ad bonitatem, & malitiam moralem formalem actus eſſentialiter requiritur, quòd actus ſit formaliter liber, vt dictũ eſt *q.5. art.1. §.2*; ergo ad hoc, vt aliquis actus ſit intrinſecè formaliter bonus, vel malus, eſſentialiter requiritur, quòd ſit intrinſecè formaliter liber. Prob. mi. Ille actus eſt intrinſecè, & formaliter liber, qui elicitur, & producitur formaliter à potentia formaliter libera, quæ eſt voluntas; & ille tantùm eſt denominatiuè extrinſecè liber, qui imperatur à potentia formaliter libera; ab illa tamen non elicitur formaliter; & ideo productio, qua terra producit triticum, eſt denominatiuè extrinſecè libera reſpectu agricolæ, qui liberè triticum ſeminauit; poterat enim illud nõ ſeminare, ſed hordeum; attamen reſpectu terræ eſt neceſſaria; quia potentia productiua tritici, quæ eſt in terra, non eſt formaliter libera; ſed actus externus non eſt elicitus à potentia formaliter libera; quia potentiæ externæ ſunt neceſſariæ, cùm ſola voluntas ſit formaliter libera; & eſt tantùm liber imperatiuè, quatenus ſubijcitur imperio voluntatis; ergo actus externus non eſt formaliter intrinſecè liber.

65 Conf. Quotieſcunque aliqua forma reperitur tantùm intrinſecè in vno, & de alijs tantùm extrinſecè dicitur, tunc illa forma non multiplicatur, vt patet de ſanitate, quæ quia reperitur tantùm intrinſecè in animali, & de medicina, aere &c. dicitur tantùm extrinſecè; ideo non eſt alia ſanitas animalis, alia medicinæ, aeris &c; ſed vna tantùm, & eadem; atqui bonitas, & malitia moralis dicuntur tantùm extrinſecè de actibus externis; quia de illis tantùm extrinſecè dicitur libertas, cùm ſecundùm ſe præciſè, prout eliciũtur à potentijs externis, ſint neceſſarij, & ideo incapaces bonitatis, & malitiæ; ergo non eſt alia bonitas, & malitia actuum externorum, & internorum, ſed vna tantùm, & eadem; & ideo actus externi non ſuperaddunt nouam bonitatem, & malitiam actui interno.

66 Prob. 3. Si actus externus haberet in ſe ipſo bonitatem, & malitiam diſtinctam, ſequeretur, quòd aliquis inuitus poſſet priuari merito, vel demerito eſſentiali; quia poſſet impediri actus externus; ſed cõſ. eſt falſum; quia meritum eſt donum Dei, quod à nulla creatura poteſt impediri; ſicut nequit impediri præmium eſſentiale; & ideo creatura non poſſet acquirere tantam gloriam, quantam vellet, quod eſt *cont. Eccleſiam* docentem *de S. Martini* anima: *Et ſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit*; ergo actus externus non habet bonitatẽ, & malitiam diſtinctam à bonitate, & malitia actus interni.

67 Prob. 2. pars concl. *à Fund. Doct.* 1. Actus externus eſt terminus actus interni; ſed terminus habet perficere id, quod eſt ad terminum; quia eſt complementum illius; ergo actus externus perficit, & magis intendit bonitatem, & malitiam actus interni; atqui gradus intenſionis non ſuperaddit, niſi aliquod accidentale per ordinem ad aliquod accidentale; ergo actus externus non ſuperaddit actui interno, niſi bonitatem, & malitiam per ordinem ad præmium, vel pœnam accidentalem. 2. Actus externus magis intendit charitatem, & gratiam; & ideo magis vnit cum Deo, & ſic è contra dicendum eſt de malitia; ergo accidentaliter auget bonitatem, & malitiam. 3. Actui externo correſpondebit in patria præmium accidentale; quia martyrio correſpondebit aureola; ſicut Doctoratui, & Virginitati; ergo in via debet dari meritum accidentale in actu externo illi correſpondens. 4. Magis delectatur voluntas de actu externo, & interno ſimul, quàm ſolùm de actu interno; ergo bonitas actus interni extenditur etiam ad actum externum, cui extenſioni non reſpondet, niſi præmiũ accidentale; & ideo actus externus ſuperaddit ſolùm actui interno bonitatem, & malitiam per ordinem ad aliquod accidentale. Hoc probant omnes rationes *Aduerſariorum*, quæ videri poſſunt apud *Maſtr.*; vt patebit in earum ſolutione; atque adeo non improbant primam partem

concl.

concl; ſed probant ſecundam.

68 Obijc. 1. *Scot. Beatiſſ.P.lib. 13. de Trin. c.5.*ait: *Mala volũtate quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur; & D. Ambr. lib. 1. de Offic. c. 30; & refertur c. Non ſatis diſt. 46. Non ſatis eſt velle, niſi ſtudeas & bene facere; & Gloſ. c. Si cui de Pœn. diſt. 1; & c. Magna diſt. 1.* oppoſitum noſtræ ſententiæ videtur docere. Tandem inter errores *Abaylardi* reperitur hæc propoſitio: *Voluntas ſola à Deo remuneratur, nec per opera homo efficitur melior, aut peior.*

Reſp. ſatis patere mentem *Beatiſſ.P.* ex textibus *ſup.* allegatis; dicitur enim miſeriorem effici voluntatem per actum externum, non quòd acquirat nouam miſeriam realiter diſtinctam, hic enim ſenſus eſt *contra ipſum*, vt ſuperiùs clarè viſum eſt; ſed quia miſeria actus interni magis intenditur, & extenditur, & acquiritur malitia accidentalis per ordinem ad pœnam accidentalem, vt dictũ eſt. *Ad D. Ambr.* dicitur nihil aliud velle, niſi quòd debemus velle efficaciter bene facere, non tantùm inefficaciter; volumus autem efficaciter, cùm ponitur actus externus, niſi impediatur ab impotentia; vt explicat *Gloſ. ibid.*; & allegat *c. Duæ diſt.* 45; quod haberur *apud Beatiſſ.P. hom. 6. ex t. 50. Ad Gloſ.* dicit *Nauarrus Gloſ. & Panormitanum* hanc quæſtionem non bene tractaſſe; ſibi enim in pluribus contradicit; nam *in c. Magna* oppoſitum docet. Ad *Abaylardum* dicitur, ſicut *ad Beatiſſ. Patrem.* Vel dicitur *Abaylardum* locutum fuiſſe de operibus externis, prout coniunguntur cum internis, & in hoc ſenſu dixiſſe hominem non effici meliorem, vel peiorem; non autem de externis præciſiuè ab internis, in quo ſenſu dicimus non habere bonitatem, vel malitiam diſtinctam.

69 Inſt. *Maſtr.* Quamuis aliqui actus interni intendantur per actus externos; attamen actus externi facti ex metu, & ex concupiſcentia diminuunt actus internos, quia minuunt libertatem; ergo nulla reſponſio; dictum enim *Beatiſſ. P.* eſt vniuerſale. 2. Actus externus vel addit nouum peccatum, vel non? Si primum; habetur intentũ; ſi ſecundum; ergo falſum eſt, quòd accreſcat malitiã actus interni. 3. Per actus externos acquiritur noua pœna accidentalis; ergo actus externus habet malitiam diſtinctã à malitia actus interni.

Reſp. ad 1. in actibus factis ex metu duos actus internos oppoſitos inter ſe debere conſiderari; vt voluntas non proijciendi, & voluntas proijciendi merces; quarum vna pugnat cum alia; quamuis autem vna ex his voluntatibus minuat aliam, quia facit, vt voluntas non feratur in illam toto conatu; attamen ex eo, quòd voluntas proijciendi coniungatur cum actuali proiectione, magis intenditur; vnde non bene diſtinxit *Maſtr.* à quo minuatur voluntas proijciendi, & à quo intendatur; ſic enim non dixiſſet voluntatem proijciendi minui ab actuali proiectione, ſed ſolùm à voluntate non proijciendi, à qua veluti detinetur, ne proijciat. Ad 2. dicitur addi nouum gradum intenſionis malitiæ, cui reſpondet pœna accidentalis; ſicut cùm intenditur calor in ligno, non additur noua entitas caloris; aliter duo accidentia eiuſdem ſpeciei eſſent naturaliter in eodem ſubiecto, ſed tantùm illa entitas caloris iam exiſtens in ligno magis intenditur. Ad 3. neg. conſ. nam ſi actus externus haberet malitiam diſtinctam, augeretur pœna eſſentialis, quæ reſpondet nouæ malitiæ, non accidentalis, quæ reſpondet ſolùm intenſioni eiuſdem malitiæ.

70 Repl. Maiori gradui charitatis correſpõdet maius præmium eſſentiale; ergo nulla reſponſio.

Reſp; quòd licèt maiori gradui charitatis correſpondeat maius præmium eſſentiale; attamen actui externo, qui merè extrinſecè, & accidentaliter illum cauſat, non correſpondet, niſi præmium accidentale. Dicitur autem actum internum augeri accidentaliter ab actu externo; quia charitas poteſt eſſe æqualiter intenſa etiã ſine actu externo; quapropter ait *Beatiſſ.P. de Bono Coniug. c. 21.* non fuiſſe maiorem charitatẽ *in Petro*, qui paſſus eſt, quàm *in Ioanne*, qui paſſus non eſt; & *in Abraham*, qui nupſit, quàm in alijs, qui cœlibes fuerunt; quod à fortiori dicendum eſt *de Beatiſſ. Virgine.*

71 Obijc. 2. Si actus externus non haberet malitiam diſtinctam, non eſſet in confeſſione explicandus; ſufficeret enim dicere habuiſſe voluntatem efficacem adulterandi; ſed conſ. eſt contra praxim Eccleſiæ; ergo & ant. Prob. ma; nam in confeſſione ſolùm explicandus eſt actus, qui ſecundùm ſe eſt malus, & affert nouam malitiam.

Reſp. neg. ma; & ad prob. omiſſis varijs reſponſionibus, quorum aliquæ poſſunt rectè ſuſtineri, neg. aſſumpt. abſolutè; ſicut enim infirmus nedum debet aperire medico morbum corporalem contractum, ſed etiam illa, ex quibus aliquo modo eum contraxit, vt ſciat apponere medicamentum illis contrarium, vt v.g. ſi contractus eſt morbus ex malignitate aeris, illum curabit trãſmittendo ægrotum ad aerem ſalubrem; ſi ex nimietate vini imponendo ei parcitatem; ſi ex debilitate naturæ, ipſam confortando, & ſic de reliquis; ita peccator debet aperire Confeſſario omnia ea, quæ aliquo modo concurrerunt ad morbum animæ, vt ſciat applicare medicinam aptam ad illum curandam. Et quamuis admittatur circunſtantias aggrauantes intra eandem ſpeciem neceſſariò non eſſe explicandas, de quo *ſuo loco*; attamen explicandus eſt actus externus, qui non eſt circunſtantia aggrauans intra eandem ſpeciẽ, ſed eſt aliquod pertinens ad diuerſum genus; quia actus moralis diuiditur in actum internum, & externum tanquam in duo genera ſubalterna, vt patet. Igitur actus externus eſt explicandus ſaltem propter pœnitentiam proportionatam.

Di-

Digitized by Google

72 Dices. Actus externus addit actui interno damnum proximi; & aliquando etiam peccatum ipſius proximi, vt patet in adultero, qui externè conſũmans adulterium, ſuperaddit actui interno peccatum adulteræ; ergo importat nouã malitiam.

Reſp. neg. ant; nam intendens efficaciter actum externum, intẽdit etiam damnum, & peccatum proximi ſaltem virtualiter; & ideo habet malitiam illius in intentione; quapropter executio non ſuperaddit nouam malitiam, quam non habebat actus internus.

73 Obijc. 3. Sequeretur Fidem, & hæreſim, ac omnes alios actus intellectus, imò & actus iraſcibilis, & concupiſcibilis nullam habere intrinſecam bonitatem, vel malitiam; quia non habẽt libertatem intrinſecam, ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. 2. Actus externus habet diuerſam integritatem ab actu interno; ergo habet diuerſam malitiam. 3. Illa habent diuerſam malitiam, quæ poſſunt cadere ſub diuerſo præcepto; ſed actus internus, & externus cadunt ſub diuerſo præcepto; ergo habent diuerſam malitiam. 4. Falſum eſſet illud axioma: *A dicto ad factum magnum eſt ſpatium.* 5. Hæc doctrina tribueret occaſionem negligendi bona opera exteriora, & fugiendi mala; & ideo cõcionatores fruſtra verſarentur circa hoc.

Reſp. ad 1. neg. ſupp. quoad 1. part; nam ad Fidem requiritur eſſentialiter pia affectio; & ad hæreſim praua intentio, quæ ſunt actus voluntatis, in quibus eſt intrinſecè libertas, & ſine quibus non eſt Fides, aut hæreſis formaliter, ſed tãtùm materialiter. Ad aliud dicitur actus iraſcibilis, & concupiſcibilis ſecundùm ſe non eſſe bonos, aut malos, ſed prout tantùm ſubijciuntur libertati, vt patet in brutis. Ad 2. neg. ant; nam actus externus non eſt conformis, aut difformis regulis morum, à quibus poteſt ſumere ſuam integritatem, niſi prout eſt liber, ſed eſt tantùm extrinſecè liber, ſcilicet per ordinem ad actum internum; ergo tantùm extrinſecè, & per ordinem ad illum eſt conformis, aut difformis. Ad 3. neg. ma; in tantùm enim actus internus prohibetur diuerſo præcepto, ne putaretur ipſum non eſſe peccatum, & hoc patet de eo, qui frangit ieiunium ex præcepto Eccleſiæ, & ex præcepto Cõfeſſarij; non enim eſt duplex peccatum; & ideo dicitur peccatum multiplicari ſpecie, ſolùm ex multiplicatione virtutis, cui opponitur; & numero ex repetitione actus interni, ſed de hoc *ſuo loco*. Ad 4. dicitur illud axioma verificari extenſiuè, quatenus malitia vnius generis, ſcilicet actus interni extenditur ad aliud genus, ſcilicet ad actũ externũ, inter quæ duo genera magnum eſt ſpatium; eo modo tamen, quo dictum eſt. Ad 5. neg. aſſumpt; nam actus externus eſt prohibitus à Deo, quanuis non habeat diſtinctam malitiam, & ſuperaddit intenſionem actus interni, nouam cauſam morbi, & pœnam accidentalem, & ſic dicendum de actu bono, adeoque ille eſt grauiter puniendus, iſte maximè conſulendus.

74 Obijc. 4. Martyrium, & Sacramenta habent ſpecialem bonitatem ex opere operato; quod non habet ſola voluntas, quantumuis intẽſa; ergo opera externa habent bonitatem diſtinctam. 2. Actibus externis imponuntur pœnæ à iuribus ciuilibus, vt mors, & à canonicis, vt excõmunicatio; quas pœnas non incurrunt, qui habent actum internum, quantumuis intenſum, ſed tales pœnæ correſpondent malitiæ; ergo habent malitiam diſtinctam. 3. Actus externus perficit, & complet internum, ergo ſuperaddit ei bonitatem, vel malitiam. 4. Qui deſiderat habere tantã charitatem, quantam habuit *D. Paulus*, continuò illam non habet. 5. Sequeretur, quòd qui vellet dare eleemoſynam infinitam, haberet meritum infinitum.

Reſp. ad 1. neg. conſ; nos enim *hic* loquimur de bonitate, & malitia ex opere operantis, quæ habetur ab ipſo operante; non de bonitate, quæ habetur ex meritis Chriſti Domini. Ad 2. dicitur à iuribus imponi pœnas actibus externis, prout coniunguntur cum actibus internis; nam ſi quis in frænesim verſus, vel quocunque alio modo carens vſu rationis occideret aliquẽ, non puniretur; non imponi autem ſolis actibus internis, quia Eccleſia non iudicat de internis. Ad 3. dicitur, quòd ex eo, quòd actus externus compleat internum, ſequitur potiùs habere eandem bonitatem, vel malitiam. Vel dicitur complere tantùm accidentaliter extrinſecè; & ideo non habere niſi bonitatem, vel malitiam extrinſecè. Ad 4. diſt. Si deſideret efficaciter, neg; ſi inefficaciter, conc. Ad 5. neg. aſſumpt; nam voluntas dandi eleemoſynam nequit eſſe infinitè intẽſa, quia non eſt capax intenſionis infinitæ; ideo nequit habere meritum infinitum. Poteſt autem quis velle dare eleemoſynam infinitam ſyncathegorematicè, nõ autem cathegorematicè, quia illam tantùm ſyncathegorematicè poteſt cognoſcere.

ART. VI.

An dari poſſit actus indifferens?

1 Certum eſt 1. entitatem actus humani phyſicè ſumptam eſſe indifferentem ad bonitatem, & malitiam moralem; nam vt dictum eſt *ſup*; poteſt eſſe bona moraliter, ſi referatur in bonum finem; & mala, ſi ad malum ordinetur.

2 Certum eſt 2. actum moralem genericè præciſiuè ſumptum, prout logicè abſtrahitur à ſuis differentijs ſpecificis, quæ ſunt bonitas, & malitia moralis, eſſe pariter indifferentem; ſicut animal præciſiuè ſumptum eſt indifferẽs ad ſuas differentias, quæ ſunt rationalitas, & irrationalitas.

3 Quæritur ergo in præſenti; an poſſit dari actus humanus indifferens realiter, non autem in-

in-

indifferens indifferentia per intellectum. Solet autem diſtingui duplex indifferentia, ſcilicet ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm indiuiduum. Nõ tamen indifferentia ſecundùm ſpeciem eſt idem, ac indifferentia ſecundùm rationem, ſed dicitur ſecundùm ſpeciem eo,quia ille actus non eſt erga obiectum,quod ſit bonum ex genere, ſeu ex ſua natura conforme regulis morum;nec malũ, ſeu difforme, vt v.g. ſubuenire pauperi eſt actus bonus ſecundùm ſpeciem; quia ex ſua natura eſt ordinatus ad obiectum alicuius virtutis, nempe miſericordiæ; & ideo eſt conforme regulis morum; at verò occidere innocentem eſt actus malus ſecundùm ſpeciem; quia ex ſua natura ordinatur ad obiectum difforme virtuti miſericordiæ;& ideo diſſonum regulis morum. Actus autem indifferens ſecundùm ſpeciem eſt ille, qui ex ſua natura ordinatur ad aliquod obiectum, quod non eſt conforme, nec difforme regulis morum,vt eleuatio feſtucæ;actus autem in indiuiduo eſt actus conſideratus veſtitus omnibus ſuis circunſtantijs; & præſertim prout ordinatus ad finem,à quo principaliter contrahitur ad bonitatem,vel malitiam moralem.

4 Prima ſententia vult nullum dari actum indifferentem ex ſua ſpecie; plures tamen dari actus indifferẽtes in indiuiduo. Tribuitur *Scot.in 2.diſt.7.q.vnic*;quam ſequitur *Vulp.diſp.69.art. 9;& 10;& alij Scotiſtæ*;quanuis *Maſtr. hic diſp. 5.q.6.n.299. velit Scot. in 2.diſt.* 41. admittere actus indifferentes,& ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm indiuiduum, quod repetit etiam *in 4. diſt.6.q.10.lit.O,& Quodl.15.lit.N.* Igitur diuiſa eſt hæc ſententia; *aliqui* enim *Recẽtes Scotiſtæ* admittunt actus indifferentes ſolùm in indiuiduo; *alij* verò ſecundùm ſpeciem, & in indiuiduo,vt *Liebet;Tatar;Gratian;Rubion,Baſſol;Her;Fab;Ponc.*apud *Maſtr*;qui illos ſequitur. Ita etiã *D.Bon.diſt.41.art.1.q.3;Alen.3.p.q.35;Vaſq.hic diſp.52; Arriag.diſp.21.ſect.4; Ouied.controu.7. punc.4;Auerſ.q.18.ſect.26,Caſpen,& Morand.*

5 Secunda docet dari actus indifferentes ſecundùm ſpeciem;non tamen ſecundùm indiuiduum. Ita *Fund.Doct.in 2.diſt.40.q.2.art.2;et 3; & omnes illius Diſcipuli*,quibus ſubſcribũt *Gibb. apud quem Bernard.* Ita etiam *D.Tho. hic art.*8; *& 9;Capr;Caiet; Albert; Dur; Ric;Med;Alu;Cur; Io.à S.Tho;Gonet;Sua; Val; Lorc; Sal; Monteſin; Gran; Amic;Salm,& alij*,aliqui tamen ex iſtis admittunt actus indifferentes in indiuiduo per accidens nempe ex ignorantia inuincibili,vt *Med; Sal;Monteſin*; & etiam ex opinione probabili;vt *Val;Gran;Alu;Bec;& alij*.

6 Vnica concl. Dantur actus indifferentes ſecundùm ſpeciem,non ſecundùm indiuiduum.

Prob. 1. pars concl. Dantur aliqui actus verſantes circa aliquod obiectum, quod per ſe non eſt obiectum alicuius virtutis moralis; & ideo neque eſt conforme, nec difforme regulis morum;ſed iſti ſunt indifferentes ſecundùm ſpeciem,vt dictum eſt;non enim fiunt boni,vel mali,niſi prout ordinantur ad bonum, vel malum finem;ergo dantur actus indifferentes ſecundùm ſpeciem. Prob.ma; nam eleuare feſtucam in hoc diſtinguitur à ſubleuatione pauperis à miſeria, & ab occiſione innocẽtis, quòd ſubleuatio pauperis ex ſua natura eſt obiectum miſericordiæ; & occiſio innocentis eſt obiectum iræ, vel crudelitatis;eleuatio autem feſtucæ ſecundùm ſeipſam, & ex ſua natura non eſt obiectum alicuius virtutis,aut vitij, vt patet; ſed quod nõ eſt obiectum alicuius virtutis, aut vitij, non eſt conforme,aut difforme regulis morum; ergo dãtur aliqui actus,qui non ſunt conformes,aut difformes regulis morũ. Mi.patet;nam nomine actus indifferentis *hic* intelligitur actus præſcindens à cõformitate,& difformitate ad regulas morum.

7 Conf. Dantur aliqui actus humani facti ex deliberatione,qui poſſunt tranſire de bonitate ad malitiam;ergo dantur aliqui actus indifferentes ſecundùm ſpeciem; nam actus indiuidualiter malus,vel bonus nequit fieri bonus,vel malus; quanuis enim ſpecies poſſit eſſe in vno, vel alio indiuiduo;quia eſt indifferens; attamen vnũ indiuiduũ nequit fieri aliud; & ideo ex eo,quòd aliquis actus humanus poſſit fieri de bono malus, benè arguitur, quòd ſecundùm ſe præcisè ſumptus ex ſua natura ſit indifferens. Prob.ant. Eleuatio feſtucæ liberè facta poteſt eſſe bona, ſi referatur ad bonum finem, & deinde fieri mala, ſi ad malum finem deflectatur.

8 Præterea dantur aliqui actus humani,qui non ſunt præcepti,vel prohibiti;ergo dantur aliqui actus indifferentes;nam bonitas moralis habetur ex præcepto, & malitia ex prohibitione.

9 Prob.2.pars conc.1.ex illo *Luc.12.Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*; nomine autem capillorum intelliguntur cogitationes, quæ procedunt à capite,in quo reſidet mens, quo ſignificatur omnes cogitationes eſſe à Domino iudicandas,& præmio, vel pœna afficiendas; ergo omnes cogitationes ſunt bonæ,vel malę moraliter;ſola enim actio moralis cadit ſub iudicio, & ordinatur ad præmium,vel pœnam; ſed omnes actus humani, quatenus humani ſunt,fiunt cum cogitatione,& cum vſu rationis; ergo omnes actus humani ſunt boni,vel mali moraliter. Tum quia hic eſt ſenſus communis Eccleſiæ, quem docent publicè Prædicatores,ſcilicet omnem cogitationem, & affectionem cordis,quantumuis minimã, eſſe à Domino iudicandam de bonitate,vel malitia ipſius;ergo omnis actus humanus,quatenus humanus,eſt bonus, vel malus moraliter.

10 Præterea *Matt.* 12. ait Chriſtus Dominus: *Dico autem vobis,quoniam omne verbum otioſum,quod locuti fuerint homines,reddent de eo rationem in die iudicij*;& habetur etiam *Prouerb.* 10. *In multiloquio non effugies peccatum*; ſuper quod *Beatiſſ.P.in Prolog.Retract.* ait ſe plurimũ

terreri, quia in tam multis diſputationibus dixerit multa, quæ ſi non falſa, ſaltem videntur non neceſſaria, & ideo otioſa; otioſum autẽ eſt illud, quod non ordinatur ad bonum finem, ſed ſiſtit in ſe ipſo, prout in ſeipſo; ſed actus indifferentes in ſententia *Aduerſariorum* non ordinantur ad bonum finem; aliter eſſent boni; ergo ſunt otioſi; & ideo mali.

11 Inſuper *Beatiſſ. P. lib. 2. de Peccat. merit; & remiſſ. c. 18.* ait: *Quanquam voluntas mirum, ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, vt nec bona, nec mala ſit*; quod etiam repetit *ep. 19*; ergo nequit dari actus liber voluntatis indifferens, idẽſt nec bonus, nec malus.

12 Dices. *Beatiſſ. P. ibid.* appellare *peſſimam* voluntatem non diligentem iuſtitiam; & ideo nõ poſſe intelligi de actu indifferenti otioſo, qui nõ eſt peſſimus, ſed tantùm venialiter malus.

Reſp. quòd poſtquam *Beatiſſ. P.* generaliter ſtatuit voluntatem eſſe bonam, vel malam, poſtea deſcendit ad oſtendendam particularem ſpeciem malitiæ voluntatis malæ, quæ habetur ex eo, quòd voluntas nullo modo iuſtitiam diligat v. g. ſi quis diceret animal vel eſt rationale, vel irrationale; ſi autem irrationale, vel omnino expers motus, & ſic eſt imperfectiſſimũ animal. Sic igitur arguit: *Voluntas vel eſt bona, vel mala, aut enim iuſtitiam diligimus, & bona eſt, & ſi magis diligimus, magis bona; ſi minùs, minùs bona eſt; aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt*; ex quibus patet ex illa propoſitione vniuerſali deſcendere ad ſpecies particularis malitiæ, & bonitatis; maior enim, & minor bonitas ſunt ſpecies bonitatis, *vt ſic*, & ideo peſſima voluntas, qua omnino non diligimus iuſtitiam nec habitualiter, nec virtualiter, nec actualiter, eſt ſpecies malitiæ, *vt ſic*, quæ nõ verificatur de actu otioſo, qui eſt alia ſpecies minùs grauis malitiæ.

13 Poteſt inſuper roborari *Eccl. 15*; vbi poſtquam dicitur Deum dediſſe liberum arbitrium homini, ſubditur ante ipſum eſſe *bonum, & malum*; non enim etiam additur *indifferens*; ex quo manifeſtè colligitur actum liberum humanum eſſe bonum, & malum; non autem indifferentem.

14 Prob. 2. ratione. Quilibet actus moralis vel ordinatur in Deum, vel deordinat à Deo: Si primum; ergo eſt bonus moraliter; quia eſt conformis rectæ rationi, & legi æternæ ordinanti omnes actiones morales in finem debitum, qui eſt Deus. Si ſecundum; ergo eſt malus; quia eſt difformis rectæ rationi ordinanti in finem debitum; ergo non datur actus indifferens in indiuiduo. Prob. ma. Si daretur aliquis actus moralis, qui non eſſet ordinatus in Deum, nec deordinaret à Deo, daretur aliquis actus, qui effugeret ordinem Diuinæ Prouidentiæ; in tantùm enim aliquis actus cadit ſub Diuina Prouidentia, in quantùm ab illa ordinatur ad debitum finem; & ideo ſi daretur actus moralis non ordinatus, prout moralis, ad debitum finem, daretur aliquis actus in genere moris, qui non caderet ſub Diuina Prouidẽtia; & omnino caſualiter, & fortuitò contingeret Deo in genere moris; quia ſicut ſi eſſet præter intentionem creaturæ ordinãtem illum in finem debitum, eſſet caſualis, & fortuitus creaturæ; ita ſi eſſet præter intentionem Dei ordinantis illum ad finem moralem, contingeret Deo in genere moris omnino caſualiter, & fortuitò; & ſic Deus non eſſet vniuerſaliſſimus prouiſor ſimpliciter in omni genere; neque eſſet vltimus finis ſimpliciter; quia ad illum non ordinarentur omnes actus in omni genere; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant.

15 Conf. 1. Implicat, quòd detur aliqua entitas in eſſe phyſico, quæ non ſit à Deo, vt à prima cauſa efficiente; aliter ſi daretur, eſſet ab illo independens in eſſe phyſico; dependentia enim ſumitur ex eo, quòd creatura habeat eſſe efficienter à Deo; & ſic Deus non eſſet cauſa vniuerſaliſſima omnium entium in genere phyſico; ergo implicat, quòd detur aliquis actus in genere moris, qui non ſit ordinatus ad Deum, tanquam ad vltimum finem, in quẽ tendit, vel à quo deordinat; ſed ex eo, quòd tẽdit in Deum, eſt bonus; & ex eo, quòd deordinet à Deo, eſt malus; ergo implicat, quòd detur actus moralis, qui non ſit bonus, neque malus; atqui actus indifferens in indiuiduo eſt ille, qui non eſt bonus, neque malus ſecundùm circunſtantias, & ſecundùm finem, in quem dirigitur; ergo implicat dari actum indifferentem in indiuiduo.

16 Conf. 2. Omnis actus humanus, prout humanus, debet eſſe ex conſilio, & deliberatione; nam ſi eſſet indeliberatus, eſſet quidem actus hominis, ſed nõ humanus; & ideo actus humanus cũ debeat eſſe ex dictamine rationis, vel eſt cõformis, aut difformis rectæ rationi per ordinem ad finem debitum, vel indebitum; & per conſequens bonus, vel malus moraliter; ergo omnis actus humanus vel eſt bonus, vel malus moraliter.

17 Prob. 3. euertendo rationem *Aduerſariorum*. Si poſſet dari actus moralis indifferens, maximè, quia poſſet quis alicui actui morali præfigere finem commoditatis naturæ, vel delectabilitatis; ſed hoc eſt falſum; quia commoditas naturæ, & delectabilitas phyſica in eſſe phyſico eſt obiectum actionis naturalis in eſſe phyſico; & ideo nequit eſſe obiectum actionis moralis in eſſe moris; commoditas enim naturæ, & delectatio naturalis intenditur etiam à brutis, quibus non competit agere moraliter; & ideo obiectũ actus moralis debet eſſe aliud à commoditate naturæ, & delectatione naturali, quod reſpiciatur ſolùm ab agente morali; ergo nequit dari actus in differens in indiuiduo.

18 Conf. Actus moralis reſpiciens delectabilitatem moralem eſt eſſentialiter malus; vt qui comedit extra neceſſitatem ob ſolam delectabilitatem moralem, peccat; ſed ille actus moralis in-

indi fferens eſſet ob ſolam delectabilitatem moralem;alias non eſſet moralis,ſed phyſicus; ſicut enim delectabilitas phyſica ſpecificat actũ phyſicum;ita delectabilitas moralis ſpecificat actum moralem;ergo eſſrt malus moraliter.Et ſic euellunt ur omnes aliæ rationes,vt patebit in eorum ſolutionibus.

19 Prob.4.Non poteſt dari aliquod genus, niſi in aliqua ſui ſpecie;neque ſpecies,niſi in aliquo indiuiduo;vt patet in naturalibus, ſed actus moralis indiffrrens eſt genus ad actum bonum, & malum, quia poteſt eſſe bonus, & malus, & ideo eſt potentialiter contrahibilis per bonitatem, & malitiam, quæ ſunt differentiæ ſpecificæ illius; ergo non poteſt dari actus moralis indifferens. Præterea ſi poſſet dari animal, *vt ſic*, à parte rei,non eſſet animal in indiuiduo, quia nõ eſſet contractum per differentiam indiuidualẽ; ergo etianſi poſſet dari actus moralis indifferẽs, non eſſet in indiuiduo, quia repugnat, quòd indifferens ſit indiuiduum;indifferens enim poteſt contrahi ad aliquam ſpeciem; indiuiduum verò non eſt contrahibile, quia non eſt diuiſibile in ſpecies; vnde ad ſummum poſſet obtinere ſententia contraria poſſe dari aliquẽ actũ naturalẽ, qui eſt indifferens in genere moris; ille tamen actus naturalis nullo modo eſſet in genere moris; & ideo non eſſet actus moralis; vt *inf.* patebit.

20 Obijc.1.cont.1.part.concl.Inter priuatiuè oppoſita non datur medium; ſed bonum,& malum opponuntur priuatiuè; ergo non datur indifferens,quod eſt medium. 2. Inter verum,& falſum non datur medium;ergo neque inter bonum,& malum.3.Omnis actus humanus reſpicit ſuum obiectum ſub ratione conuenientis,vel diſconuenientis;ergo ſub ratione boni,vel mali.4. Quod conuenit rei ſecundùm ſpeciem, ei eſſentialiter conuenit; ſed actui humano non conuenit indifferentia eſſentialiter, ſecus ſemper eſſet indifferens; ergo non eſt indifferens ſecundùm ſpeciem. 5.Indifferentia non dicitur per ordinẽ ad regulas morum;quia per ordinem ad illas dicitur tantùm laus, vel vituperium, & ideo bonitas,& malitia; ergo nequit conuenire actui humano.

Reſp.ad 1.diſt.ma.Inter oppoſita priuatiuè non datur medium formale, cõc; materiale,neg; aer enim, quod eſt ſubiectum materiale receptiuum lucis,& tenebrarum, dicitur medium materiale,quod eſt indifferens ad vtrunque;ſic in caſu. Ad 2. eodem modo; eadem enim entitas actus poteſt ſubeſſe veritati, ac falſitati, quanuis non poſſit dari aliqua media veluti forma, quæ illam afficiat præter veritatem,& falſitatem. Ad 3.neg. ſupp; nam circa obiectum indifferens, vt indifferens,non datur actus humanus, ſed naturalis;prout autem humanus eſt, reſpicit regulas morum,quæ habent reſpicere finem, qui indiuiduat illum actum. Ad 4.neg. ma.vniuerſaliter; nam ſpeciei conuenit eſſe prædicabilem de pluribus;& tamen hoc ei non competit,vt eſt in indiuiduo.Ad 5.diſt.ant. Indifferentia non dicitur per ordinem ad regulas morum materialiter, & ſubiectiuè, quatenus poteſt fundare bonitatem, & malitiam,quæ formaliter reſpiciuntur à regulis morum,neg;formaliter,conc.

21 Obijc.1.*Vaſq.*cont.2.par.concl.*D.Hier. ep.19.ad Beatiſſ.P.Aug.*aſſerit:*Bonum eſt continẽtia,malum eſt luxuria: inter vtrunque indifferẽs ambulare &c.Hoc nec bonum, nec malum eſt,ſiue enim feceris, ſiue non feceris, nec iuſtitiam habebis, nec iniuſtitiam.* Addit hæc non poſſe intelligi,niſi in indiuiduo, quia quod fit, in indiuiduo fit.2. *D.Naz. Inuect.1. in Iul.Quemadmodum enim quiſquis ſupplicio haud dignus eſt, non idem ſimiliter laudem,ac prædicationem meretur,*ſuper quod *Elias interpres* ait: *Nota medium quendam ſtatum à Magno hoc Viro excipi,& admitti.*

Reſp. *D.Hier.* loqui de indifferentia ex obiecto,non autem in indiuiduo;quæſtio enim erat,an ceremoniæ legales poſt mortem Chriſti eſſent malæ ex obiecto;& reſp.affirmatiuè; quãuis enim eſſent bonæ ex fine;attamen erant malæ ex obiecto;quia erat prohibitum. Sicut luxuria, quia eſt mala ex obiecto, ideo nequit fieri bona ex fine;actiones verò,quæ ſunt indifferentes ex obiecto,poſſunt eſſe bonæ, vel malæ ex fine.Præterea dicitur *D.Hier.* loqui de bonitate, quæ importat iuſtitiam ſufficientem ad ſalutem; & de malitia,quæ importat iniuſtitiam,quæ facit ad perditionem; vt clarè conſtat ex illis verbis: *Siue enim feceris,ſiue non feceris;nec iuſtitiam habebis,nec iniuſtitiam;* inter hanc autem bonitatẽ, & malitiam dantur actiones indifferentes ex genere,quæ neutram habent; ſicut enim ſi ſint malæ eo,quia carent fine, ſunt tãtùm venialiter malæ,idèſt malitia, quæ non priuat iuſtitia ad ſalutem;ita ſi ſint bonæ; non inducũt gratiam neceſſariam ad ſalutem.Sic ad id,quod ſubditur,dicitur illas actiones non habere in indiuiduo bonitatem, & malitiam importantem iuſtitiam, vel iniuſtitiam facientem ad ſalutem,vel perditionẽ; & ideo in hoc ſenſu poſſe vocari indifferentes; non tamen eſſe indifferentes ſimpliciter, quia habent malitiam venialem, vel bonitatem, quæ non ſufficit ad iuſtificandum. Præterea dicitur, quòd licèt actiones non fiant, niſi in indiuiduo; attamen *D.Hier.* non loquebatur de illis ſecundùm omnia, quæ illis competunt in indiuiduo; quia volebat aſſignare diſcrimen inter actiones bonas,vel malas ex genere;& actiones indifferẽtes;prout autẽ ſunt in indiuiduo,non diſtinguũtur, quia omnes bonitatẽ, & malitiã habent ex fine,qui illas indiuiduat;ergo licèt actiones non fiant,niſi in indiuiduo; attamen non loquebatur de illis,prout in indiuiduo;aliter non aſſignaſſet diſcrimen inter illas,quia in hoc conueniunt.Ad 2.dicitur *D. Naz.* aſſerere tãtùm aliquas actiones eſſe de præcepto, & alias de conſilio, quæ ſi omittantur,non eſt peccatum. Ad *Eliam* dicitur

aſſe-

aſſerere dari aliquas actiones mediocris virtutis, quod nos non negamus.

22 Obijc. 2. *Maſtr.* Omnis natura ſpecifica petit conſeruari in aliquo indiuiduo; ſed datur actus moralis ſecundùm ſpeciem; ergo & in indiuiduo. 2. Ideo datur actus moralis indifferens ſecundùm ſpeciem; quia illud obiectum ſecundùm ſe eſt indifferens; ſed etiam circunſtantiæ poſſunt eſſe indifferentes; ergo actus poteſt etiã eſſe indifferens in indiuiduo.

Reſp. ad 1. retorq. arg. Omnis narura ſpecifica petit cõſeruari in indiuiduis; ſed natura humana ſecundùm ſe eſt indifferens ad hoc, vt ſit in hoc, vel in illo indiuiduo; ergo etiam, prout eſt in hoc indiuiduo, eſt indifferens. Igitur diſt. ma. Omnis narura ſpecifica petit conſeruari in aliquo indiuiduo, prout ad illud contracta, conc; prout indifferens, neg. Ad 2. neg. mi; nam inter circunſtantias eſt finis eo modo, quo *ſup.* diximus; ſed finis vel eſt ipſe Deus, & ſic eſt bonus, vel eſt creatura ordinata ad Deum, & ſic pariter eſt bonus; vel non ordinata; & ſic eſt malus; quia deflectit à Deo, qui eſt regula omnis bonitatis.

23 Obijc. 3. Nullum eſt aſſignabile præceptum obligans ad referendum in finem honeſtum omnes actus deliberatos; vnde inquit *Arriaga* nihil vnquam de tali obligatione ſe cogitaſſe; nec propter hoc ſe putaſſe faciem lauando aliquid meruiſſe, vel demeruiſſe; ergo aliqui actus deliberati non relati in finem honeſtum non ſunt moraliter mali. 2. Tales actus non ſunt materia confeſſionis; ergo non ſunt moraliter mali. 3. Non poteſt aſſignari virtus, cui opponantur tales actus, neque vitium, à quo procedant; ergo nullam habent malitiam. 4. Tales actus ſunt leuis momenti, ergo non curantur; ſolet enim dici: *De minimis non curat Prætor.*

Reſp. ad 1. eſſe præceptum naturæ, quæ dictat omnia eſſe referenda in Deum, quæ à Deo deſcendunt, & accipiuntur; & hoc expreſsè innuit *Apoſt. 1. Cor. 10. Siue manducatis, ſiue bibitis omnia in Dei gloriam facite.* Quòd autem quis ignoret, & putet ſe non peccare, non facit non eſſe peccatum; regula enim peccati non eſt ſciẽtia alicuius particularis. Ad 2. neg. ant; omne enim opus otioſum eſt materia confeſſionis; & licèt non teneamur explicare in particulari; quia non poſſumus recordari cuiuſcunque; attamen tenemur generaliter accuſare. Ad 3. dicitur opponi virtuti ſollicitudinis, & produci à vitio ignauiæ. Ad 4; quòd ſæpe repetit *Maſtr*; dicitur per illud axioma probari Deum non habere prouidentiam de rebus vilibus, quod eſt contra *Scripturam*, vt diximus *to. 2. de Prouid. q. 2. art. 1*; dicitur ergo veritatẽ habere in hoc ſenſu, quòd Prætor non punit, nec quærit minima tanta ſolicitudine, quantam habet de maximis; habere tamen aliquam ſolicitudinem etiam de minimis; quia maxima à minimis incipiunt.

24 Obijc. 4. Datur omiſſio indifferens in indiuiduo, vt dum quis omittit facere aliquod, quod non eſt de præcepto, ſed de conſilio; ſed in pura omiſſione regulariter interuenit aliquis actus; ergo datur actus indifferens in indiuiduo.

Reſp. dimiſſa ma. neg. mi; nam vel ille actus intendens omiſſionem eſt ex deſidia, aut voluptate corporis, & ſic eſt malus; vel ordinatur ad bonum finem, & ſic eſt bonus.

25 Obijc. 5. Si quis det eleemoſynam nihil cogitans de Deo, non operatur benè, nec malè; ergo indifferenter. Prob. ant. Si quis det eleemoſynam ex motiuo compaſſionis humanæ, non operatur benè; quia non refert illam in Deum; nec malè; quia agere ex pietate non eſt malum.

Reſp. neg. ant. Ad prob. dicitur tale opus eſſe bonum, ſed malè factum; quia non ordinatur in ſuum finem debitum, idèſt in Deum, qui eſt finis omnium.

26 Obijc. 6. Poteſt dari indifferens in indiuiduo ſaltem per accidens; quia ſequens opinionem valde probabilem, vt eſt hæc de indifferentia actus in indiuiduo, nõ ageret malè; nam probabilitas excuſat à peccato, neque bene, quia nullum præfigeret ſibi finem bonum; ergo in aliquo caſu poteſt dari actus indifferens in indiuiduo.

Reſp. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur probabilitatem excuſare à malitia, quando refertur in debitum finem; quod non eſſet in caſu; ideo neg. aſſumpt.

QVÆSTIO VI.

De Syndereſi, & Conſcientia.

AD plenam intelligentiam bonitatis, & malitiæ generaliter acceptæ operę pretium eſt tradere notitiam ſyndereſis, rationis & conſcientiæ, quæ actiuè ad illas concurrunt; vt patebit; quoniam autem ea, quæ occurrunt dicenda, nunc controuerſiam non habent; ideo vnico tantùm articulo explicabimus.

ART. I.

Quid ſit ſyndereſis, ratio, & conſcientia?

F*Vnd. Doct. in 2. diſt. 39. q. 2; & 3.* fusè agit de ſyndereſi, ratione, & conſcientia; nos autem totam hanc materiam breuiter explanabimus complectentes eam in duobus §.

§. 1.

Quid ſit ſyndereſis, ratio, & quid, & quotuplex conſcientia?

1 S*Yndereſis* componitur ex duobus nominibus græcis *ſyn*, quod eſt idem, ac *con.* & *dereſis*, quod ſignificat *electum*, aut *iudicatum*; vnde *ſyndereſis* ſignificat habitum intel-

tellectus coniudicatiuum, ſeu iudicatiuum cum electione; ex qua fit habitus practicus, quia intellectus extenſione ad voluntatem fit practicus. Ratio autem eſt. Sicut habitus ſpeculatiuus intellectus verſans circa principia ſpeculabilia proprio nomine dicitur *intellectus*, cuius tantùm eſt ſpeculari; ita habitus, practicus intellectus verſans circa principia agibilia, qui eſt principium actus moralis, vocatur habitus coniudicatiuus ſupponens electionem, per ordinem ad quam ſolùm fit practicus; ſed ſynderesis eſt huiuſmodi; ergo eſt habitus practicus coniudicatiuus principiorum agibilium. *Vid. Fund. Doct. in 2.diſt.39.q.3.art.1.§.Ad quod;& q.2.art.1.*

2 Ex hoc infert. 1.*Fund.Doct.* in Syndereſi non poſſe eſſe per ſe errorem; quia ſicut circa principia ſpeculatiua nequit intellectus errare; errat enim ſolùm in deducendo concluſiones ex principijs; ita dicendum in practicis.

3 Infert 2. Syndereſim, prout dicit habitum in nobis, beatis, & damnatis non poſſe extingui; eſt enim proprietas naturaliter indita, ſicut intellectus primorum principiorum; quantùm autem ad actum, ſeu ad inclinationem ſequentem ad ipſum habitum coniudicatiuum (ex eo enim, quòd intellectus iudicat non eſſe furandum, ſtatim inclinat ad non furandum) poteſt in nobis extingui per accidens, quatenus poteſt corrumpi organum phantaſticum, à quo omnis actus intellectus dependet; vt patet in amentibus. In beatis autem, & damnatis, qui non intelligunt dependenter à phantaſmatibus, poteſt extingui ſyndereſis quantùm ad aliquem actum in particulari, non autem ſimpliciter quantùm ad omnem actum; quia in beatis eſt extincta ſyndereſis quantùm ad cognoſcendum malum, quod timeant; non tamen quod gaudeant ſe euaſiſſe; & ſic in damnatis quantùm ad pœnitendum de malo, quod poſſint effugere; ſed ſolùm quantùm ad dolendum de malo, à quo nunquam poſſunt diuelli.

4 Quoad 2.*hic* ſumitur *ratio*, non prout eſt idē, ac intellectus ſimpliciter, ſed prout eſt principium actuum humanorum, qui dicuntur conformes, vel difformes rectæ rationi. Sicut ergo in ſpeculabilibus vltra habitum verſantem circa principia ſpeculabilia ſine diſcurſu admittitur ratio, quæ ex illis principijs diſcurrit ad concluſionem, & generat ſcientiam; ita in practicis vltra ſyndereſim, quæ verſatur circa principia agibilia, admittenda eſt ratio practica, quæ ex illis principijs vniuerſalibus deſcendit ad concluſiones particulares, & generat conſcientiam. *Ita Fund.Doct.vbiſ.q.3.art.1.*

5 Et ex hoc habetur, quòd conſcientia nihil aliud eſt, quàm *cordis ſcientia*, ſiue *cum alio ſcientia*; idèſt ſcientia applicata ad obiectum agibile; quia vt dictum eſt de ſyndereſi, importat habitum practicum, & ideo eſt ſimul cum alio, ſcilicet cum electione, à qua ſolùm ſcientia fit practica; vnde conſcientia definiri poteſt *quadā lex agibilium*; ſic enim *Rom.2.* dicitur: *Gentes, quæ legem non habēt, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorū.* Vnde habetur ſyndereſim, & conſcientiam differre; ſicut differunt habitus primorum principiorum, & ſcientia.

6 Conſcientia diuiditur in rectam, erroneā, probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam. Recta eſt verus habitus practicus intellectus, quod dictat ſine vlla formidine erroris aliquod eſſe faciendum, vel omittendum. Erronea eſt falſus habitus practicus intellectus dictans aliquid eſſe faciendum ignorans illud eſſe contra legem æternam, & rectam rationem. Probabilis eſt habitus practicus dictans hoc, & oppoſitum licitè fieri poſſe. Dubia eſt habitus practicè ſuſpendens poſitionem, vel omiſſionem actus. Scrupuloſa eſt habitus dictans hoc, aut illud eſſe omittendum ex leui, & improbabili ſuſpicione malitiæ illius. Sicut enim ſcientia ſpeculatiua eſt habitus intellectus; ita conſcientia, quæ eſt ſcientia practica; quidquid dicat *Gonet, & alij* aſſerentes conſciētiam conſiſtere in actu, nō in habitu intellectus; ex quo ſequeretur eum, qui actu non iudicaret practicè de agibilibus, non habere actu cōſciētiam, ſed tantùm illam poſſe habere. *Vid.Fund. Doct.q.3.ar.1.*

7 De his, quæ occurrunt circa conſcientiā, *vt ſic*; an ſcilicet agere contra conſcientiam ſit vnum tantùm peccatum, non duplex, vt tenetur *communiter cont.Hadrian;& Angeſt*; & an agere contra conſcientiam erroneam ſit peccatum, vt *omnes* fatentur; & an agere contra conſcientiam erroneam inuincibiliter ſit bonum, non malum; contra erroneam autem vincibiliter ſit malum; & an ſit maius peccatum agere cōtra, quàm iuxta conſcientiam erroneam; & an conſcientia erronea debeat deponi ſtatim, ac cognoſcitur? Similiter de his, quæ agitari ſolent *à Summiſtis* circa conſcientiam dubiam, agere omittentes, quia proprius locus eorum eſt *Theologia practica*, non autem ſpeculatiua, quam hic verſamus; ſolùm de conſcientia probabili dubium *ad Scholaſticos* deuolutum breuiter tractabimus.

§. 2.

An poſſit eligi opinio minùs probabilis relicta probabiliori?

8 HAec difficultas eadem eſt, ac illa, quam reſoluimus *q. 4. art. 6. §.2*; ſcilicet an voluntas ex duobus bonis inæqualibus poſſit eligere minus relicto maiori bono; nā opinio magis probabilis eſt magis vera, & ideo magis bona; quare *ex ibid.* dictis poteſt faciliter reſolui.

9 Prima ſentētia vult poſſe eligi opinionē minùs probabilē relicta probabiliori. *Ita Med.1.2. q.19.art.6.dub.penult; Ban;Vaſq; Lorc;Val;Sal;*

Amic;

Amic; Arriag; Quied; Vidal; & ex noſtris Gibb; qui refert *Aragon, & Salon.* Additur *Caramuel* fuſiſſimè, contra quem acriter pugnauit *Fagnan.* collectis ſcriptis *à pluribus Theologis*, inter quos fuit *noſter Mag. Thomas de Nuce Genuenſis Vir ſui temporis doctiſſimus. Maſtr. hic diſp. 5. q. 2. nu.* 45; qui tamen excipit caſus adminiſtrationis Sacramentorum, remedij applicabilis à Medico, ſententiæ proferibilis à Iudice, cauſæ patrocinabilis ab Aduocato, belli inferibilis à Rege; & quencunque alium caſum, in quo ſit damnum, vel periculum damni ipſius proximi; in quo ſenſu illam tenet *Gib, & plures alij ex ſupradictis.*

10 Secunda docet non poſſe eligi minùs probabilem. Collig. *ex Fund. Doct. loc. vbiſ. cit. Henr; Caiet; Sylu; Sot, Nauarr; Cõr, Cordub; Gonet, Merenda, Mercor; Fagnan; & alijs; pro cuius explic.*

11 Not. opinionem magis probabilem non eſſe eandem, ac magis tutam; quia eſt magis tutum ſtatim poſt peccatum confiteri; non tamen tenemur ſequi opinionem *D. Bon*; qui docet peccatorem obligari ſub præcepto ſtatim habita copia Confeſſarij ſe expiare; quia ſententia negans, quam ſequuntur *omnes alij Theologi*, eſt probabilior. Quanuis ergo in aliquibus caſibus teneamur ſequi opinionem tutiorem, nõ tamen ex hoc infertur teneri ſequi opinionem magis probabilem, quia opinio tutior, & probabilior non eſt idem.

12 Opinio igitur probabilior eſt illa, quæ nõ ſolũ habet plures patronos magis doctos, & pios; ſed etiam magis innititur rationi, & habet maius fundamentum *in Scripturis, & PP.* Ex quo habetur, quòd opinio probabilis duplicem poteſt habere probabilitatem; aliam extrinſecam, quam habet *ex auctoritate DD.* eam docentium; aliam intrinſecam, quæ fundatur ſuper rationẽ, cui innititur illa opinio.

13 Dupliciter autem poſſumus ſequi aliquam opinionem. 1. Merè ſpeculatiuè illi aſſentiendo, & iudicando eſſe veram. 2. Practicè conformiter ad illam operando. *Hic* loquimur in ſecundo ſenſu; an ſcilicet ſit licitum ſequi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori?

14 Vnica concl. Non licet ſequi in moralibus opinionem minùs probabilem relicta probabiliori.

Prob. 1. *Eccl. 37. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & conſilium ſtabile*; ſed opinio probabilis non eſt verax, & ſtabilis; ergo opinio probabilis nequit eſſe regula noſtrarum actionum. Hoc arg. vtuntur *Fagnan; & alij.*

15 Sed ex hoc etiam deducitur non licere ſequi opinionem probabiliorem; quia opinio probabilior eſt intra limites probabilitatis, & ideo non eſt verax, & ſtabilis, ſed contingens ad veritatem, & falſitatem; ideo hoc dimiſſo.

16 Prob. 2. *Petr. 1. Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis.* Ex quo ſic. Præcepto tenemur magis ſatagere, vt magis certam faciamus noſtram vocationem, ne aliquando peccemus; ſed magis ſatagit, qui ſequitur probabiliorem relicta minùs probabili; quia magis certam facit ſuam electionem; nam opinio probabilior habet maiorẽ veritatem; ergo tenemur ſequi opinionem probabiliorem. Idem habetur *Epheſ. 5. Videte itaque fratres, quomodò cautè ambuletis*, eligere autem probabilius, eſt magis cautè eligere. Et *Matt. 24.* habetur caſus *de Virginibus fatuis*, qui probabiliter exiſtimarunt oleum ſufficere; quæ propterea fatuæ dictæ ſunt. Hinc *Beatiſſ. P. lib. 1. de Bapt. c. 3.* docet: *Grauiter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quòd certis incerta præponeret*; quem *textum* etſi *Gibb.* interpretetur de ſolis caſibus, in quibus eſt damnum proximi; attamen vniuerſaliter loquitur de omnibus actionibus moralibus, quæ pertinent ad ſalutem animæ; vt patet ex verbis.

17 Hæc veritas iam definita eſt *ab Innoc. XI. die 2. Martij* 1679. quantùm ad collationem Sacramentorum propoſit. 1. damnãte: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, &c.* Quantùm ad Iudices damnante propoſit. 2. *Probabiliter exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem*; & vniuerſaliter damnãte propoſit. 3. *Generatim dum probabilitate ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus nõ exeatur, confiſi aliquid agimus, prudenter agimus*; & propoſit. 4. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.* Et quidem hæc quarta propoſitio iam damnata non relinquit ampliùs libertatem Catholico Doctori ſubſtinendi primam ſententiam vniuerſaliter extra caſum damni ipſius proximi, & collationis Sacramentorum; infidelitas enim eſt extra huiuſmodi caſus, vt patet, quòd ſi opinio minùs probabilis non excuſat à peccato infidelitatis, quod non defert ſecum damnum proximi, nec eſt collatio alicuius Sacramenti; optimè infertùr etiam non excuſare in alijs caſibus, in quibus non habetur damnum proximi, & ſunt extra materiam Sacramentorum.

18 Prob. inſuper rationibus allatis *q. 4. vbiſ.* Præterea ſola ignorantia inuincibilis excuſat à peccato, vt probatũ eſt *q. 4. art. 4. §. 2*; ſed opinio minùs probabilis non eſt cum ignorantia inuincibili alterius partis, imò eſt cum cognitione illius; ergo non excuſat à peccato. Tum quia exercere aliquod opus, quod magis putatur eſſe peccatum, quàm non eſſe, eſt peccatum; nam ſic agere eſt magis difformari iudicio rationis, quã conformari; & ideo eſt magis peccare, quàm nõ peccare; ſed operans ex opinione minùs probabili exercet aliquod opus, quod magis putatur eſſe peccatum; quia probabiliùs exiſtimatur eſſe

pec-

peccatum;ergo eſt peccatum. Tum quia ideo nō licet vti in materia Sacramentorum opinione minùs probabili, quia adeſt periculum peccandi; nam ſi nullū eſſet periculū peccati, liceret; omne enim illud, quod peccatū nō eſt, licet; ſed etiā in omni alio caſu graui eſt periculum peccandi; ergo in nullo caſu mortaliter graui eſt licitum. Tum quia nec in ſpeculatiuis poſſumus aſſentiri minùs probabili relicto probabiliori; quia intellectus aſſentitur obiecto fortiùs agenti; ergo neque in practicis. *Vid. vbiſ.*

19 Obijc. 1. *Matt.* 11. habetur: *Iugum meum ſuaue eſt*; ſed imponere neceſſitatem ſequendi opinionem probabiliorem eſt reddere iugum Chriſti difficile; ergo non tenemur ſequi opinionem probabiliorem. 2. Sententia de opinione minùs probabili admiſſa fuit multis annis ab Eccleſia, ergo poteſt ſequi. 3. Sententia de opinione probabiliori exponit conſcientiā multis ſcrupulis. 4. Qui operatur prudenti innixus fundamento, non peccat; qui autem ſequitur opinionem minùs probabilem, eſt huiuſmodi; quia opinio probabilis eſt illa, quæ innititur prudenti fundamento; ergo non peccat. 5. *Caramuel.* Poſſumus licitè ſequi opinionem probabiliorem; ſed ſententia docens opinionem minùs probabilem eſſe licitè ſequibilem, eſt magis probabilis, quia plures habet patronos; ergo licitè ſequi poſſumus opinionem minùs probabilem.

Reſp. ad 1. iugum Chriſti dici ſuaue, quia per gratiam eius vincuntur omnes difficultates; quapropter *Apoſt.* clamabat: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Gratia Dei in me vacua nō fuit.* Non eſt autem ſuaue eo, quia ſit facilis via ad ſalutem; nam *anguſta eſt porta, quæ ducit ad vitā. Matt.* 7. Ad 2. dicitur fuiſſe permiſſam, donec exactè examinaretur. Ad 3. dicitur ſententiam de opinione minùs probabili exponere ſcrupulis conſcientiam; ſemper enim timetur, ne probabilior ſit vera; at probabilior liberat à ſcrupulis, quia nullus eſt timor. Ad 4. neg. mi; nam qui ſequitur minùs probabilem, ſequitur opinionem habens fundamentum minùs ſtabile; hoc autem non eſt inniti prudenti fundamento; quia prudētia non dictat nos inniti debere potiùs magis lubrico, quàm magis ſolido. Ad 5. neg. mi; nam maior probabilitas non ſumitur ſolùm penes multitudinem *Auctorum*, ſed penes maiorem veritatem, rationem, conformitatem *ad Scripturas, PP;* & *DD. magis pios. Vid. vbiſ.*

20 Quæres; an poſſimus eligere vnam opinionem ex duabus æquè probabilibus?

Reſp. negatiuè, nam voluntas nequit eligere, niſi id, quod iudicatum eſt melius; vt diximus *vbiſ.* At de his ſatis.

Domine Deus meus, propone mihi, quod eſt magis probatū corā te; vt eligam, quod magis ducit ad te; & fugiam, quod abducit a te. Si ea, quæ in hoc libro ſelegi dicenda, alijs multis, quæ occurrerunt, relictis, probantur à te; gratias ago, quòd tu ea dederis mihi. Sin autem, magis illumina; vt corrigam me, & in alijs ſequentibus deinceps magis dirigar ad te, qui es Veritas, quam inquiro per noctes, vt perueniam ad diem, in qua omnia clareſcunt in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX RERVM.

ABySſus quid ſignificet? 15.6;*& ſeq*;& 210.21.

Academici poſuerunt beatitudinē in bonis corporis,& animi.389.2.

Accidētia eiuſdem ſpeciei quomodò poſſint eſſe in eodem ſubiecto? 198. 6; *& ſeq*; & quomodò non poſſint eſſe? 124.9. Accidentia ſequentia formam, & ſequentia materiam in quo differant? 173. 33. Nequeunt migrare de ſubiecto in ſubiectum. 237. 37. Accidens in vno nequit eſſe ſubſtantia in alio. 281.53.

Actionis naturalis, & ſupernaturalis diſcrimen. 489.7. Actio importat ſolam ſubiectionem paſſi ad agens.36.17;& 18. Actionis corruptiuæ,& anihilatiuę diſcrimen.92.17. Actio eſt media inter formam,& formam.544.4. Actio Dei eſt creatio.48.8. Eadem actio poteſt eſſe eductio, & creatio. 49. 9; & 53. 30. Actio Dei eadem eſt ab antiquo perſeuerans. 49. 13. Actio immanens, & tranſiens. 53. 1; *& ſeq*. Immanens perficit agentem, & tranſiens effectum. 54. 5. Alia hominis, alia humana.374.2. Actiones circa media,& circa finem ſunt effectus finis.375.10.

Actus hierarchicus triplex. 240.7. Actus neceſſarij non poſſunt prohiberi,vel præcipi. 456. 14;& 459.30. Actus charitatis manet in patria.264.14. Actus nequit eſſe violentus potentiæ illum elicienti. 477. 4. Actus vitalis quomodò oriatur à ſuis principijs? 165.22. Actus naturalis nec cōgruè diſponit ad gratiam.270.20. Actus ſpecificat potētiam.397.5. Actus vitales producūtur ab anima.52,29. Nequit dari actus neuter.511.30. Idem actus liber,& neceſſarius.380.15. Actus moraliter mali nequeunt eſſe à Deo.78.13;& 16.

Actus ſumunt bonitatem, & malitiam ab obiectis.537;& à circunſtantijs.541;& à fine.544. An poſſint habere duplicem bonitatem, & malitiam? 545.10. Poſſunt eſſe iuxta,vel contra plures virtutes.*Ibid*.11. Actus poteſt ſucceſſiuè fieri de malo bonus.549.13. Actus ſupernaturales nequeunt fieri mortaliter mali. 550. Idem actus nequit eſſe ſimul bonus, & malus.553. Actus externus an addat malitiā interno?555. Internus punitur pro externo. 556.60. Externus eſt manifeſtatio interni. *Ibid*.61. Magis intendit internum; eique reſpondet præmium,vel pœna accidētalis.557.67. Eſt aperiendus in confeſſione.558.71. Eſt tantùm extrinſecè liber.559.73. Datur actus indifferens ſecundùm ſpeciem, non ſecūdùm indiuiduum.559. Actus reſpiciens delectabilitatem eſt malus.562.18.

Adam in qua ætate creatus? 41.25. Quomodò creatus immortalis? *Ibid*.26. Eius anima à Deo creata. 42. 28. An coiuerit cum Eua in Paradiſo?43.36. Cur ſoporatus ante formationem Euæ?*Ibid*.38. Cur puduerit ſuæ nuditatis poſt peccatum?44.42. Quomodò aperti ſint oculi ipſius?45.50. Cur exprobratus poſt meridiē;& cur priùs Adam, quàm Eua? *Ibid*. 52; & 53. Cur Adam refuderit culpam in Euam,& Eua in Serpentem? *Ibid*.54; & 55. An crediderit Serpenti?45.56.

B.D.Aegidius vindicatur.469.8. Calluit linguā græcam.*Ibid*.Iterum vindicatur.507.8.

Aegidius Conſonius Mediolanenſis.410.5.

Aeuum continet tempus imperfectè. 206. 22. Sex modis ſumitur.350.13. Non datur vnum æuum omnium æuiternorum.353. Importat ſucceſſionem ſecundùm totum, non ſecundū partes.357. Differt ab æternitate,& tempore. 359.14. Non differt ab eſſe Angelorum.360. 2. Eſt reductiuè in prædicamento ſubſtantiæ. 361.4. Nunc æui,& nunc temporis Angelici ſunt idem realiter. 366. Vtrunque fundatur in ſubſtantia Angeli.*Ibid*.5.

Agricolæ quomodò producant ſegetes? 70.7.

Agricultura ad laborē,& voluptatem.42.31.

Amor ſequitur formam apprehenſam.241.4.*& ſeq*;& 245.6. Triplex eſt.244.1. Amor indignus ſubijcitur creaturis.7.9. Amor ſimplicis beneuolentiæ eſt perfectiſſimus. 412. 15. Amor amicitiæ,& concupiſcentiæ.417.13.

Angelus ſignificatur nomine Cœli.8. Idem eſt, ac nuncius.75.1. Eius definitio. 76. 2. Fuit creatus in primo inſtanti creationis.9.14. Angelorum illuminatio,& creatio fuit ſimul.10. 23. Peccatum ipſorum.44.46. Sunt incorporei.76.2; & 83. 34. Quomodò didicerint ab Apoſtolis?175.40;& 332.6;& 240.10. Eorū exiſtentia probatur.76.5;*& ſeq*. Sunt prope Deum. 84. 38. Angelis tribuuntur effectus corporales effectiuè,non formaliter. 85. 42. Non ſunt actus puri.85.44. Non habent materiam ſpiritalem.86. Componuntur ex genere,& differentia;ex eſſe,& eſſentia;ex natura,& perſonalitate;ex ſubſtantia,& accidentibus.87. Sunt entia completa.88.9. Sunt naturaliter incorruptibiles.90. Quomodò immortales ex gratia?94.25. Immutabiles ſubſtantialiter naturaliter.95.30. Eſſe eiuſdem ſpecie cum anima rationali docuit *Origenes*.95. 2. Differunt ſpecie,nec implicat differre ſolo numero.95. In ipſis eſt ordo perfectior. 98. 12. Habent aliquid loco materiæ. 98. 16;& 99.19; & 135. 28. Numerus eorum non eſt infinitus.104.1,*& ſeq*. Eſt maximus,ſed quātus ſit,non eſt notum. *Ibid*. Non excedit numerum animarum rationalium.106.18. Vnus Angelus ſucceſſiuè cuſtodit plures homines. 107.20.

An-

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Angeli ſunt in loco definitiuè analogicè cum corporibus. 107. Datur in ipſis *vbi* prædicamentale. 110. 15. Sunt in loco effectiuè per operationem, & repletiuè per quantitatem virtutis. *Ibid.* Operatio locatiua eſt actio virtualiter tranſiens. 113.20. Nequeunt ceſſare ab omni operatione. 114.21. Nequeunt eſſe in eſſentia alterius. 116.27. Nequeunt naturaliter eſſe nullibi. *Ibid.* 28. Nequeunt eſſe in loco maiori in infinitum, bene tamen in minori. 116. Per vnum *vbi* ſunt præſentes omnibus partibus loci. 119.14. Determinantur ad locum ſecundùm tres dimenſiones. *Ibid.* 17. Occupant maiorem locum, quàm anima. 120.18. Nequeunt eſſe in puncto. *Ibid.* Nec in pluribus locis adæquatis ſimul, aut inadæquatis diſcontinuis non exiſtendo in medio. 122. Sunt definitiuè in loco. 124.8. Plures nequeunt eſſe naturaliter in eodem loco. 127. Non ſunt in loco, ſicut aqua in vaſe, aut in ſpongia. 136.36.

Angeli mouentur per tempora, non per loca. 131. Nec etiam per accidens mouentur per loca. 136. Quomodò mutent loca? 137. Mouentur diſcretè, non continuè. 138. Eorum operatio triplex. *Ibid.* 8. Se reſtringunt ſecũdùm ſe totos. 140.16. Vnus poteſt alium mouere, & ligare. 142.27. *& ſeq.* Nequeunt trãſire de extremo ad extremũ ſine medio. *Ibid.* Nequeunt inuertere ordinem Vniuerſi. 143. 6. Aut tranſire de vna differentia temporis noſtri ad aliam non tranſita media. *Ibid.* 7. Nec moueri in inſtanti. 146.

Angeli cognoſcunt ſe ipſos per ſuam ſubſtantiam. 153.14. Sunt actu intelligibiles. *Ibid.* Cognoſcendo ſe non formant verbũ. 156.31. In ipſis eſt intellectus agens. 167. 2. Eadem cognitione noſcunt ſuam ſubſtantiam, & omnia, quæ ſunt in illa. 157.35. Non cognoſcunt alia à ſe per ſuam, vel alienam ſubſtantiam. *Ibid.* Vnus non continet prædicata indiuidualia alterius. 158.10. Cognoſcunt alia per ſpecies, non per habitum. 162. Non cognoſcunt per ſpecies acceptas à rebus. 171.20. An habeant ſpecies poſſibilium? 180.61. *& ſeq.* Nõ cõprehendunt ſuũ intellectum. *Ibid.* 62. Cognoſcunt ſingularia per ſpecies vniuerſales. 181.68. Quinam cognoſcant per ſpecies vniuerſaliores? 187. Superiores ſe habent ad inferiores, ſicut homines ſapientes ad rudes. 189. 18. Nequeunt omnia cognoſcere per vnicam ſpeciem. 190.24. Differunt ab hominibus ordine. 192.34. Superiores intelligunt per pauciores ſpecies. *Ibid.* Non intelligunt diſcurrendo. 194. Vident ſimul cauſam, & effectum; principia, & concluſiones; ſubiectum, & prędicatum; eſſentiam, & paſſiones. 195.10; *& ſeq.* In ipſis eſt maius lumen. *Ibid.* Nequeunt cognoſcere ſimul plura, vt plura æquè perfectè. 197. Habent ſimul viſionem beatam, & naturalem. 198.5. Cognoſcunt futura neceſſaria, non contingentia. 202. An cognoſcant præterita? 207.28. Cognoſcunt poſſibilia cõfusè. 208.30. Non cognoſcunt ſecreta cordis. *Ibid.* Nec myſteria gratiæ. 216. Vident omnẽ entitatem actu exiſtentem. 209.12. Nequeũt aliquid imprimere in intellectum alterius. 223.18; & 233.25. Semper aduertunt ad ſpecies in generali. 223.18.

Angelorum locutio triplex. 220.1. Fit per verba mentalia. *Ibid.* Fieri poteſt in quacunque diſtantia. 227.39. Quot modis loquantur? *Ibid.*

Angeli purgantes, illuminantes, & perficientes. 229.1. Superiores purgant inferiores. *Ibid.* & perficiunt. 237. Illuminant de myſterijs gratiæ per viſionem beatam. 230.10. Reducunt in Deum. 231.12. Illuminant quoad obiecta ſecundaria. 232.17. Per ſimplicem propoſitionem obiecti. 233.23. Per partitionem ſpeciei. 235.31. Inferior nequit illuminare ſuperiorem. 240.9. An intra eundem ordinem fiat illuminatio? *Ibid.*

Angelus amat ſe ipſum. 241. Amat amore ſimplicis beneuolentiæ. 243.10. Amat alia à ſe liberè. *Ibid.* Inferior magis amat ſeipſum, quã ſuperiorem. 244. 8. Habet capacitatem ad amandum Deum ſuper omnia; nõ tamen actu poteſt amare viribus naturæ. *Ibid.*

Angeli fuerunt creati beati beatitudine ſupernaturali imperfecta. 250. Vbi fuerint creati? 254.32. Fuerunt creati cum gratia ſufficienti, & actuali, non cum gratia ſanctificante. 255. Non ſe diſpoſuerunt ad primam gratiam. 260. Quomodò meruerint beatitudinem conſummatam? 262. Fuerunt confirmati. 267.29. In primò inſtanti habuerunt æqualem gratiã, in inſtanti autem conuerſionis inæqualem iuxta inæqualitatem naturæ. 267.

Angeli potuerunt peccare contra legem ſupernaturalem, non contra naturalem. 274. Non fuerunt creati mali. 282. 1. Non potuerunt peccare in primo inſtanti. *Ibid.* Fuerunt creati cum prima cognitione, & volitione. 283. 7. Peccauerunt peccato ſuperbiæ. 287. 1. Sola ſuperbia, & inuidia ex ſeptem vitijs capitalibus per ſe fuerunt in Angelis. *Ibid.* 2. Primũ peccatum Angelorum fuit ſuperbia propriè dicta. 287. Appetierunt ſimilitudinem Dei. 291. Motiuum directum ſuperbiæ fuit propria excellentia. *Ibid.* Peccauerunt poſt aliquam morulam. 295. Non præſcierunt ſuum caſum. 298.21. Sunt inflexibiles in malo. 299. 1. Non fuit eis conceſſa via ad pœnitentiam. *Ibid.* 6. Radix inflexibilitatis eſt denegatio gratiæ, & impotentia ad reſurgendum. *Ibid.* Non habent adhærere inflexibiliter obiecto ſemel volito. 303.22. Cur non fuerint reparati? 301.19. In eis eſt libertas à iuſtitia. 304. 24. Nequeunt operari bonum morale naturale. *Ibid.* 25. Credunt. *Ibid.* 26. Patiũtur pęnã

dam-

damni.305.2. An crucientur ab igne? *Ibid*.3; *& ſeq*. An ſecum portent ignẽ Inferni? *Ibid*. 5; *& ſeq*. Quinam ſit locus illorum? 306. 11. Numerus eorum. *Ibid*. 12. Ceciderũt ex omnibus ordinibus. *Ibid*. 13. Omnes peccauerũt peccato ſuperbiæ. *Ibid*. 14. Nequeunt ſcire futura. *Ibid*. 15. Eorum ruina reparatur per homines iuſtos. 319. 12. Poſſunt mentiri. 226. 32.

Angelorum miſſio diuerſa. 324. Miniſtrantes nõ impediuntur à viſione Dei. 325. Alij aſſiſtentes, alij dirigentes, alij exequentes. 311. 12. In eis triplex differentia. 312. 17.

Angelorum cuſtodia. 326. 1. Soli Angeli infimi ordinis deputantur ad euſtodiam hominum. 327. Vnus ſimul nõ cuſtodit plures. 329. Eorum cuſtodia ab inſtanti natiuitatis. *Ibid*. Cuſtodiendo non merentur augmentum viſionis beatæ. 331. 2. Non dolent de damnatione hominum. 332. 8. Pugnant cum Angelis malis. 333. 13. Et cum bonis. 334. 17. Eorum cognitio augetur extenſiuè extrinſecè. 332. 4. Vident noſtras orationes. 210. 17.

Angeli nequeunt aſſumere corpora per informationem, aut per ſuppoſiationem, aut per neceſſariam vnionem, ſed tantùm liberè extrinſecè. 339. Corpora aſſumpta ſunt apparẽtia, non realia. 342, 20. Sub eadem ſpecie poſſunt apparere plures Angeli ſimul. *Ibid*. 22. Imò Deus, & Angeli. *Ibid*. 24. Corpora aſſũpta non ſunt ex materia cęleſti, ignea, aquea, vel terrea, ſed aerea. 343. In corporibus aſſumptis nequeunt exercere opera vitæ. 344. Neque ſentire. 345. Poſſunt ingredi corpora animata, & inanimata. 346.

Angelorum menſura differt à mẽſura Dei. 350. 12. Eſt æuum. *Vid. Aeuum*.

Angelorum ordines, hierarchiæ. *Vid. Ordines hierarchiæ*.

Angelorum inſidiæ. *Vid. Dæmones*. Angelorum operationes menſurantur tempore diſcreto. 362.

Angelus Rocca. 410. 5.

Anima ſeparata an poſſit mouere corpora? 115. 24. Habet intellectum agentem. 171. 18. Coniuncta non mouetur per loca. 133. 19. Nec etiam per accidens. 136. 35. Non ſemper cognoſcit actu ſe ipſam. 152. 10. Cognoſcit tamen habitualiter. 154. 20.

Animæ beatorum an mittantur ad illuminãdos homines? 241. 12. Animæ iuſtorum ſtatim cõſequuntur beatitudinem. 435. Poſt reſurrectionem non videbunt clarius Deum. 437. 18. Animæ dotes. *Vid. Dotes*.

Animalium quatuor genera. 39. 13. Animalia orta ex cadaueribus non fuerunt ſimul creata cum alijs. 40. 17. Sæuiunt in homines viuos, & mortuos. *Ibid*. 18.

Appetitus hominis non ſatiatur. 392. 16.

Aquæ ſignificant naturam corporalem, & ſpiritalem. 17. 6. Figurant Sacramentum regenerationis. *Ibid*. 8. Aqua pura frigida in ſummo; mixta attemperata. 18. 14. An ſit ſupra firmamentum? 37. 2.

Ars imitatrix naturę. 387. 27. Ars bellica continet ſub ſe equeſtrem, frænifactiuam &c. 189. 20. Ars iudiciaria prohibetur. 207. 24.

Aſtrologorum diuinationes. *Ibid*.

S.P. Auguſtinus non docuit ſydera eſſe animata. 77. 8. Neque Angelos eſſe corporeos. 79. 4. Docuit D. Thereſiam &c. 241. 12.

M. Auguſtinus Gaſti Alexandrinus Theologus inſignis. 410. 5. M. Auguſtinus Curti Mediolanenſis. *Ibid*.

Aureolæ definitio. 442. 2. Triplex eſt. *Ibid*. 3. Eſt in anima. 444. 13. Nõ eſt in Chriſto Domino. *Ibid*. 14. Neque in Angelis. *Ibid*. 15. Quęnam ſit dignior? *Ibid*. 16.

BEati nequeunt peccare. 427. Radix proxima, & remota impeccabilitatis. *Ibid*. Sunt inæquales in gloria. 431. Ignorant diem Iudicij. 390. 7. Videntes vnam perſonam ſine alia non eſſent perfectè beati. 392. Quomodò poſſint ſe ipſos beare? 409. 15. Nequeunt ceſſare ab amore Dei. 420.

Beatitudo duplex. 250. 1. Beatitudinis ſeptem gradus. *Ibid*. 6. Importat quietem. 298. 15. Et ſatietatem. 390. 6. An poſſit augeri? *Ibid*. 7.

Beatitudo obiectiua eſt ſolus Deus. 391. 9. Eius definitio. 390. 4.

Beatitudo formalis non eſt aliquod increatum. 396. Non conſiſtit in illapſu. 404. Vt qualitas, producitur à Deo; vt actio, à nobis. 405. Conſiſtit in amore ſimplicis beneuolentiæ, & præſuppoſitiuè in viſione. 409. Vocatur viſio. 412. 17. Eius perpetuitas. 420. 1. Eſt inamiſſibilis, vt operatio, & vt beatitudo. 424. Eſt vltimus motus. 425. 10. Requirit cognitionem permanſionis. 429. 12. Beatitudo hominum, & Angelorum eiuſdem ſpeciei. 431. 8.

Benedictio Dei indidit animalibus affectum ad prolem. 40. 16. Indidit rebus virtutem operatiuam. 36. 20.

Bonitas totius maior bonitate partium. 245. 8. Bonitas, & malitia ex genere. 540. 18. Bonitas, & malitia obiecti. *Ibid*. 19. Bonitas medij an ſit vtilis? 546. 13. An ſit primaria, vel ſecũdaria? *Ibid*. 15. An bonitas, & malitia ſint differentiæ eſſentiales actus humani? 547. An requirant libertatem? 535. 24. & 557. 64.

Bruta agunt propter finem. 376. 16; & 385. 10. Non habent vſum imperfectũ rationis. 386. 21. Multa mira operantur ex inſtinctu naturæ. 487. 30. & 31.

CAuſa creata non prædeterminatur à Deo ad actus naturales. 488. 3; *& ſeq*. Cauſa ſimul phyſica, & moralis. 537. 41. Cauſa inſtrumentalis alia phyſica, & moralis. 69. 2; & 530. 2. Alia prima, alia ſecũda. *Ibid*. 3. Phyſica alia directa, alia indirecta. 69. 3. Cauſa exempla-

plaris reducitur ad efficientem.181.64.Cauſa ſecunda agit in virtute cauſæ primæ. 372. 10.Agit per actionem cauſæ primæ. 380.15. Cauſa bona nequit producere effectum malum.554.40.

Caſuale non eſt effectus finis.375.11.

Ceremoniæ legales poſt mortem Chriſti malæ moraliter.562.21.

Chaos magnũ inter beatos,& dãnatos.333.11.

Charitas an poſſit intendi?429.18.

Chriſtus Dominus meritoriè amauit. 536. 33. Eius metus.478.3.& 9. Dicitur magni conſilij Angelus.75.1.Eſt in hoſtia ſacramẽtaliter, nõ definitiuè.124.8;*et ſeq.*Eius libertas.430. 23;& 457.18.Recuperauit nobis gratiam ſuperabundanter.260.24.Fuit beatus in via ſecundùm partem ſuperiorem, non ſecundùm inferiorem.390.7.Eſt in hoſtia per ſuam ſubſtantiam.119.14. Quando incipit eſſe in hòſtia?151.30.

Circunſtantia quid ſit? 541.1. Quotuplex ſit? *Ibid.* Aggrauantis,& mutãtis ſpeciem diſcrimen.543.25. Debet eſſe volita,& cognita. *Ibid.*26.

S.Cirillus Epiſcopus Ieroſolymitanus.435.2.

Cœli nomine ſignificatur Angelus.8. Non empyreum.*Ibid.*2.Dicitur à cęlando. 10.18. Significat etiam corpora cęleſtia.*Ibid.*21.Allegoricè ſignificat hominem iuſtũ.*Ibid.*22.Cælum agit per motũ,& lucẽ.39.9. Mouetur ab Angelo.77.9.Non eſt animatũ.78.14.Nõ eſt tranſmutabile.84.39.Eſt incorruptibile.280. 46. Cęlũ aperiũ eſt à Chriſto Dom. 436.12.

Cogitationes hominis iudicandæ.560.9.

Cognitio Angeli differt à ſubſtãtia.151.Requirit vnionem obiecti cum potentia. 153. 13. Requirit lumen.168.7.Poteſt eſſe ſimul intuitiua,& abſtractiua.196.17. Cognitio matutina eſt naturalis. 31. 33; *& ſeq.* Cognitionis Angelicæ modus.185.83.

Cognoſcere plura ſimul ſtat tripliciter. 197. 1. Cognoſci plura per modum vnius. *Ibid.* Compoſitum tantùm per ſe fit. 13. 11. Duplex compoſitio non facit vnum per accidẽs. 89.15.

Concupiſcentia quid ſit? 45.51. Eſt paſſio.480. 1.Duplex eſt.*Ibid.*2. Auget voluntariũ.*Ibid.* 8. Excuſat à peccato ſecundùm quid,nõ ſimpliciter.483.22.

Confeſſio poſt peccatum non eſt de præcepto. 565.11.

Conſcientia quid ſit? 564. 5. Quotuplex ſit? *Ibid.*6.

Conſenſus quid ſit?514.Eſt actus volũtatis.*Ibid.* 4.Differt ab intentione,& electione.*Ibid.*

Conſilium quid importet? 511.Eſt tantùm de medijs.514.18. Importat iudiciũ ſimplex, vel compoſitiuum.513.11; *& ſeq.*

Contactus quotuplex ſit? 159.16.

Contingens duplex eſt.204.12.

Continui,& diſcreti diſcrimen.147.5.

Contractus facti ex metu.480. 13. Ex ignorantia.487.20.

Contritio eſt conuerſio in Deum.300.9.

Corpus glorioſum an habeat qualitates cõtrarias? 441.9. Nõ mouetur in inſtanti.150.23. Corpus nequit liberè occupare minorem locum. 117.8. Corpora perfecta habent totam ſimul ſuam perfectionem ſpecificam. 98.14. Corpora aſſumpta ab Angelis.81.16.Cœleſtia.85.41. Corpus Mathematicum. 83. 36. Nequit naturaliter habere plures formas ſimũl.*Ibid.*Aliud homogeneum, aliud ętherogeneum. *Ibid.* Corpus inextenſum eſſet vnũ numero.*Ibid.* Corporei,& incorporei diſcrimen.81.20.

Corruptibile quid ſit? 93.20.Appetit non eſſe. *Ibid.*23.

Creatio cur facta ſex diebus? 33.40.Eius definitio.46. Quomodò differat ab eductione? 47. 6.An poſſit demonſtrari?53.31;& 32.Ex parte Dei importat actum immanentem, & ex parte creaturæ ipſum eſſe creaturæ. 53. Per creationem producitur totum, & tamen ſolũ eſſe creaturæ tranſit in externam materiam. 55.13. Creatio aſſimilat creaturam Deo.56. 20.Creatio actio differt à creatione paſſione. 56.21.Non eſt accidens.57.25. Non eſt motus,nec mutatio; nec fit in tempore. 57. 29. Nec eſt de prædicamẽto actionis.57.30.Eius terminus eſt purum eſſe.63.13.

Creatura propinquior Deo eſt perfectior. 189. 17.Eſt mutabilis reſpectu ſui.203.8. Nequit ſimpliciter auerti à Deo,vt à fine. 370.1. Eſt inſtrumentum Dei.50.15;& 65.18.Agit pręuijs diſpoſitionibus.*Ibid.* Supponit actionem Dei.*Ibid.*19.Agit ex indigentia ſubiecti. 50. 20.Nequit agere ex nihilo,nec in ens.63.11. Nequit eſſe actus purus. 64.16. Nequit eleuari ad agẽdũ ſupra totã ſphæram actiuitatis creatæ.72.11.Agit per eandem actionem,per quam agit Deus.73.18.Dicit potentiam paſſiuam ad non eſſe.91.11.Nequit eſſe idæa alterius creaturæ.158.8;& 12. In creatura ſex reperiuntur.397.4. Nequit naturaliter videre Deũ.217.8. Eſt peccabilis.275.18;& 279. 41.Impeccabilis per naturam repugnat.279. Nequit pati violentiam à Deo 474.2.

DEfectibilitas phyſica eſt radix defectibilitatis moralis.280.44.

Delectatio de obiecto,& de actu.529.17.Delectatio habita in amore concupiſcẽtię eſt vera fruitio.*Ibid.*20. Eſt proprietas beatitudinis. 415.Nõ eſt pura paſſio *Ibid.*3.Eſt ſimpliciter in vtroq; appetitu.*Ibi.*5.Eſt de fine iã habito. 416.8. Differt virtualiter ab amore.*Ibid.*12. Oritur à charitate.417.14.Eius obiectũ.*Ib.*15.

Dentes Angelorum.188.12;& 222.11; & 235. 31.

Dependentia dicit acceptionem eſſe.58.33.

INDEX RERVM.

Deus creauit omnia immediatè. 2.4. Deus quid ſignificet? 6.1. Creauit omnia ſimul. 27. 17. Creauit herbas, plantas, animalia, & hominē ſeminaliter. 28.26. Benedixit homini, & piſcibus, non beſtijs, herbis, & plantis. 40.16. Cur benedixerit ſolū diei ſeptimo? *Ibid.* 21. Quomodò locutus fuerit in Mundi creatione? 43. 34. Cur permiſerit hominem peccare? 44.44. Non agit per motū, nec ex indigētia ſubiecti. 49.11; & 12. Creat omnē rationem in creatura. 61.45. Agit ſub ratione entis, *vt ſic*. 73.18. Poteſt tribuere creaturæ minùs de eſſe. 99. 17. Non mouetur per tempora, aut per loca. 132.12. Nequit creare alia genera ſuprema. 190.22. Illuminat, vt ſpeculum voluntarium. 237. 39. Eſt intimior nobis intimo noſtro. 248.28. Vt Auctor naturæ, eſt cauſa operum naturalium; vt Auctor gratiæ, ſupernaturaliū. 300.10. Eſt in triplici genere cauſæ. 308. 7. Eſt Alpha, & Omega. 373.16. Agit propter finem ſolùm in actionibus trāſeuntibus. 385. 10. Quid poſſit ſupplere? 397.4; 13; & 18. Dei locutio. 228.9.

Dies, & nox quid ſignificent? 9.17. Dies dicitur *à Dyan.* 21.6. Dicitur propriè de natura ſpirituali. *Ibid.* Dierum triplex genus. 21.10. Dies Dominicus illuſtratus myſterijs. *Ibid.* Dies creationis fuerunt vnicum inſtans. 22. Ordo ipſorum. 24.5; & 25.6. Significant cognitiones Angelicas. 24.5. Fiunt ex præſentia Solis. 27.16. Dies creationis, diſtinctionis, & ornatus. 27.19. Dies ſeptima quies Dei. 28. 24; & 25.

Differentia indiuidualis diſtinguitur à ratione ſpecifica. 103. 31. Differentia vnius generis nequit alteri generi conuenire. 548.9.

Diſcurſus tripliciter ſumitur. 194. 1. Eius definitio. *Ibid.* 5.

Diſpoſitio præcedit formam. 260.4. Diſpoſitio ad gratiam eſt gratia. *Ibid.*

Diſtantia inter ens, & nihil infinita. 67.26; & 28.

Diſtinctio eſt per actum. 87.55.

Dœmones eludunt ſenſus. 335.2. Mouēt corpora quoad vbi. *Ibid.* 4. Immutant tripliciter intellectum indirectè. 336; & voluntatem. 337. An ceſſent à tentatione? *Ibid.* Nequeunt recedere à peccato. 247.31. Nequeunt elicere amorem filialem Dei. 300.12. Dœmon ſuperior nequit illuminare inferiorem. 241.11. An fuerit malus ab initio? 45.48. An beatus? *Ibid.* 47. Pater mendacij. 226.32. Dœmones dicuntur æthereа animalia. 80. 7; & 81. 18. Locus eorum vſque ad diem Iudicij. 80. 9. An coeant cum fœminis? 81.14; & 27.

Doctoratus aureola quid requirat? 444.12.

Dolor in carne, & ex carne. 415.5.

Dominicus Valuaſorius Epiſcopus. 410.5.

Dotes animæ beatæ. 437. Correſpondent virtutibus Theologicis. *Ibid.* Quid requirāt? *Ibi.* 12.

Dotes corporis glorioſi. 439. Sunt qualitates ſupernaturales. 440.5. Redundant ab anima in corpus. *Ibid.* 6. In quo conſiſtant? 441; *& ſeq.* Non ſunt in damnatis. 442.22.

Draco traxit tertiam partem ſtellarum. 269.16.

Duratio eſt effectus menſuræ. 349.8.

Dux exercitus. 189.19.

EDuctio in quo conſiſtat? 48.7.

Effectus in qua cauſa cōtineatur? 180.61.

Electionis definitio. 518.2. Eſt actus voluntatis. *Ibid.* 3. Non cōuenit ratione carentibus. *Ibid.* 5. Eſt tantùm mediorum. *Ibid.* 6. Circa vnum medium eſt neceſſaria. *Ibid.* 8. Electio eſt tantùm circa maius bonum. 519. Electionis tres ſpecies. 520.18.

Eleemoſyna ex motiuo humano. 563.25.

Elementorum ordo. 39.12.

Elohim quid ſignificet? 6.2.

Emanatio quid ſit? 48.7.

Entia nobiliora excedunt numerum entium ignobilium. 105.9. Ens ſimpliciter eſt bonū ſecundùm quid. 405.24. Ens completum eſt in prædicamento. 88.9.

Epicuri beatitudo in bonis corporis. 389.2.

Epulo rogat Abraham. 304.26.

Eſſe conuenit accidentaliter creaturæ. 99. 18. Eſſe totum in toto, & in qualibet parte. 112. 13.

Eſſentia creatur ratione eſſe. 58.31. Clauditur intra terminos. 124.6. Eſſentiæ creatæ, & Diuinæ diſcrimen. 92.13.

Eua adiutorium Adæ. 43.35. Cur ex latere Adę? *Ibid.* 37. Cur ex oſſe? *Ibid.* 39. Eius anima nō fuit traducta ex anima Adæ. *Ibid.* 40.

Euſebius Cremonenſis D. Hieronymi alumnus. 435.4.

Ezechias moriturus. 204.9.

FAcere Dei eſt per intellectum. 29.29.

Fertum inter duos magnates æquales. 521. 27.

Filij Seth dicti Angeli Dei. 81.14.

Finis definitio. 372.12. Finis *quo, & cuius quo.* 373.14. Intermedius, & vltimus. 371.2. Finis actus, & obiecti. 375.9. Finis in practicis, ſicut principium in ſpeculatiuis. 376.17. Quomodò cauſet in intentione? 377.18. Vltimus in vniuerſum, & in particulari. *Ibid.* 1. Velle propter finem quadrupliciter. *Ibid.* 2. Omnia vult homo propter finem vltimum. 378. 8. Nequit tendere in plures fines adæquatos. 381. Finis operis, & operantis. 384.9. Omnis creatura agit propter finem. *Ibid.* Finis non inducit neceſſitatem electionis mediorum. 498.19. An ſit circunſtantia? 545.8.

Fons Paradiſi irrigans totam terram. 41.23.

Formæ elementares non fuerunt eductæ de materia. 12.6. Forma ſeparata habet totum ſuum eſſe. 96.5; & 97.10. Materialis corrumpitur in tempore, & gignitur in inſtanti. 147.8. Eſt ſupra materiam. 153.14.

Fruitio conſiſtit in delectatione ſequente ad amorem beneuolentiæ.527.Dicit quietem, & voluptatem. *Ibid,* 11. Quibus conueniat? 529.21.An fruitio viæ,& patriæ ſit eiuſdem ſpeciei?530.27.Eſt actus voluntatis. *Ibid.*28. Eſt ſolùm de Deo. *Ibid.*29. Eius obiectum formale eſt vltimus finis.*Ibid.* 30.Non poſſumus frui vna perſona Diuina ſine alia. *Ibid.* 31.

Fructus Spiritus S.ſunt duodecim. 444.1. Fructus beatitudinis defiuitio. *Ibid.*2. Sunt tres. *Ibid.*

Fulgentius à Iudice.410.5.

Futura ſpectant ad obiectum extenſiuum intellectus Angelici.207.27.

GEneris in ſpecies diuiſio maior, quàm ſpeciei in indiuidua.100.20. Genus ſumitur à materia.86.46.Genus materiale quò perfectius,plures habet potentias. 187.6. Genera nequeunt multiplicari in infinitum.190.22.

Gratia creatur. 51.21. Annihilatur indirectè à peccatore.*Ibid.*25.Eius infuſio dicitur generatio,& creatio. 52.28.Gratia ſanctificãs cõtrahit amicitiam,& matrimonium ſpirituale. 262.12.Connaturalis Chriſto Domino.282. 54.

Græcorum error circa animas.435.2.

Gregorij Arimin.experientia.164.18. Vindicatur à calumnia.486.19.

HAbitus eſt ad facilius. 163.9. Non datur ad id,quod eſt inditum à natura.*Ibid.*10. Habitus charitatis datur in patria,& in via. 417.

Hæretici negantes Purgatorium.435.3.Negantes arbitrium.455.6,& 459.24.

Herbæ productæ ſeminaliter. 28.26.

Hierarchiæ genera Angelorum. 189.14. Ethimologia.307.1.Quadruplex definitio.*Ibid.*2. Triplex eſt.309.Connexio.312.1.Hierarchiæ Eccleſiaſticæ connexio cum Angelica.313.6.

D.Hieronymi miraculum.435.4.

Hieronymus Valuaſorius.410.5.

Homo factus ad imaginem Dei.40.19. Cur in eius prima productione non dixerit Deus; quia bonus eſt?*Ibid.*20.Homo adultus debet voluntariè ſuſcipere gratiam. 261.11.Homo deſcendens ab Hierico.460.34.

Honeſtas conſtituit finem.371.5.

Humanitas Chriſti inſtrumentum miraculorum. 73.19.Habet modũ accidentis.361.7.Spectat ad noſtram beatitudinem.393.10.

Humor aqueus radix augmenti.17.9.

IAcob luctatur cum Angelis.81.16.

Idęæ definitio. 68.28. Idęæ Angelicæ deriuantur à Diuinis.166.27.Diuinæ ſunt plures æquiualenter.182.71. Repræſentant ſingularia.*Ibid.*70.

Ignorantia triplex.483.1.Cauſat inuoluntariũ? *Ibid.*Inuincibilis excuſat à peccato.*Ibid.*5.

Illapſus repugnat creaturæ.402.

Illuminatio Angelorum.*Vid.Angelus.*

Immaterialitas radix vniuerſalitatis. 189.16. Vnde oriatur?193.40.

Immortalitas duplex.41.26.

Impeccabilitas per naturam,& gratiam.428.10.

Imperium eſt actus voluntatis.515.

Improportio triplex.159.14.

Incarnatio quare cælata Diabolo? 219.24; & 226.33.

Indifferentia duplex.559.3.

Indiuidualitas dicit negationem.90.17.Forma ſeparata indiuiduatur ab exiſtentia.96.5.

Infinitas omnipotentiæ vnde arguatur? 184.81.

Informe ſubiacet tempori. 13.9.

Inſtrumẽtum agit,vt motum.71.8. Habet actionem præuiam.*Ibid.*10.

Intellectus noſter quomodò intelligat ſingularia?161.26.Diſcrimen intellectus,& voluntatis.164.19;*& ſeq;* & 379.10.Diuini,humani, & Angelici diſcrimen. 204.14. Intellectus Angeli,& hominis an eiuſdem ſpeciei? 431. 6.Intellectus agens eſt in Angelis. 167. Habet duo munera? *Ibid.* 5. Intellectus Angeli, & hominis diſcrimen.171.23; & 183.72. Intellectus, & voluntas ſunt paſſiones generis intellectiui.188.8.

Intellectiones plures an ſint ſimul?198.6.

Intentionis ethimologia.506.1.Eſt actus voluntatis.*Ibid.*3. Eſt cauſa electionis.511.26. Eſt etiam finis intermedij.*Ibid.*29.

Inuoluntarium differt à violento,& coacto.469. 1.Definitur.472.17.Quotuplex ſit?*Ibid.*18.

Iudicium indifferens rationis requiritur ad libertatem.458.21.

Iugum Chriſti ſuaue.566.19.

Ius ſeruandi ſecretum.224.27.

LEges humanæ ſtatuunt præmia,& pœnas. 554.41. Lex alia directiua, alia præceptiua. 533.16. Naturalis, & ſupernaturalis. 274.13.

S Leonis ſecreta antiqua.390.7.

Liber de Cog.veræ vitæ.82.22.

Liberi arbitrij ethimologia.454.3.In quo conſiſtat? *Ibid.* Importat formaliter libertatem à neceſſitate. 455.6. Non tamen libertatem ad peccandum.*Ibid.*5.Importat dominium ſuorũ actuum. 456.9. Fuit debilitatũ per peccatum.459.28.

Lignum vitæ.42.30.

Locutio omnis importat formationem verborum. 223.15. Locutio Dei. 228. 9. Locutio eſt ſecreta propter triplex impedimẽtum. 224.27.

Locus dicit magnitudinem.121.7. In quo conſiſtat?122.19.Quotuplex ſit?*Ibid.*1. Plura in eodem loco.130.17.Loca communicantia, & non communicantia. 145.12. Locatio triplex.107.3.

Lucerna dicitur intentio.507.7.

Lucifer primus Angelorum.322.12. Cur dictus Cherub?*Ibid.*

Lu-

Lumen gloriæ cur inamiſſibile? 426.16. Lumen corporale quomodò illuminet?236.35.
Luna an creata in primo quadrante?39.11.
Lux creata prima die fuit ſpiritualis.9.15;& 18. 1.Significat formoſitatem.9.17.Eſt ornamentum naturæ ſpiritualis.19.3.Eſt qualitas irradians,& manifeſtans. *Ibid.*5. Propriè dicitur de Deo.20.6.Significat diem. 21.6. Cur in productione lucis non dixerit Moyſes: Et factum eſt ita?39.10.Lux triplex.168.7.
Luxuria translatè quid ſignificet? 289.20;& 24. Luxuria ſpiritualis.*Ibid.*
MAlitia ſupponit errorem intellectus. 271.
Mane ſignificat initium lucis ſpiritalis.21.7.
B.V.Maria fuit beata in via.266.22. Eleuata ſuper choros Angelorum. 270.25. Non potuit peccare venialiter.429.18.Eſt beatior quolibet Angelo.433.14.
Martyrium tria requirit. 443.8. Habet bonitatẽ ex opere operato.559.74.
Materia creata ſimul cum forma.12.6.Eius definitio.14.15.Eius informitas origine præceſſit formam.12.7.Eſt prope nihil.84.38. Partitur ratione quantitatis. 100.22. Determinatur per formam.164.15.
Materialitas eſt ratio particularitatis.189.16.
Medici quomodò producant ſanitatem.70.7.
Medium demonſtrationis ſola paſſio.77.6.
Media habent propriam bonitatem. 522; & 538.8.
Menſuræ definitio.348.2. Quotuplex ſit?*Ibid.*4. An ſit cauſa menſurati?349.5;& 355.11.
Meritum,& præmium an poſſint eſſe ſimul?265. 17.
Metus paſſio iraſcibilis.478.1. Duplex. *Ibid.*2. Dupliciter concurrit ad actum voluntatis. *Ibid.*3. Cauſat inuoluntarium ſecũdùm quid. *Ibid.*Minuit voluntarium.*Ibid.*8. Metus Chriſti,& SS.Martyrum.478.3;& 9. An excuſet à peccato?480.15.
Millenarij,ſeu Chiliaſtæ.389.3.
Miſſio quid importet?322.1.
Mobile in loco æquali eſt per inſtans. 297. 14. Eſt à principio,& ad finem immobilem. 373. 18.
Modus reducitur ad rem.361.5.
Moralitatis prima,& ſecũda regula.531.8.Ethimologia.534.19. Importat actum liberum. 535.24. Requirit libertatem contrarietatis, vel contradictionis.537.39.Intrinſecè dicitur de actibus, de obiectis, & de principijs. *Ibid.* 40.Diuiditur in bonitatem,& malitiã.537.2.
Mortui reſuſcitati à Chriſto Domino.556.61.
Motus metaphoricè conuenit Deo.131.2.Motus localis triplex. *Ibid.* Motus vt ſic triplex.*Ibid.*4.Fit in re diuiſibili.131.5. Ad tria prædicamenta datur motus.132.6.Incipit ab aliquo immobili.133.17;*&ſeq*;& 532.10.Quid requiratur ad continuitatem motus?140.15.
Motus in tempore requirit reſiſtentiam ex parte mobilis.149.20.Motus Angelici velocitas.150.24. Eſt ſimplicior motu corporis. *Ibid.*27. Succeſſiuus menſuratur tempore. 363.8.
Motus concupiſcentiæ an ſit peccatum.537.36.
Moyſes cur non dixerit:Dixit Deus.Fiat Cœlũ, & terra?5.6.Non potuit ſimul narrare omnia creata à Deo.13.14. Cur priùs nominet veſperam,quàm mane?21.8.
Multiplicatio numerica propter ſpeciẽ.98.15.
Multitudo reducitur ad vnum.373.19.
Mutata eſſe quid ſint?147.7.
Mutatio corporis,& ſpiritus differẽtia. 148.18.
Mundus non fuit ab æterno.2.3.Factus fuit ante omnem diem.3.11.Ex nihilo.4.1. Mundi nomine ſignificatur omnis creatura.5.4. Creatus eſt die Dominico. 32.37. Quo tempore anni?46.57.
NAtura humana Chriſti Domini non operatur per operationem increatam.397.5; & 11.
Natura ſemper eſt curua.247.21;& 301.15.
Natura Angelica eſt ſpecies. 100.23. Cur non ſit reparata?101.27;& 301.19.Quomodò differat ab humana?183.72.
Naturale quid ſit?93.19.Duplex eſt.94.28.Dupliciter ſumitur.241.1.
Naturalia in Dæmonibus integra.277.32.
Nicolaus Oliua Epiſcopus.410.5.
Numerus ſenarius perfectus.33.40.Septenarius deſignat vniuerſitatem.40.21.
Nunc temporis in quo fundetur? 367.13.
OBiecti vnio cum potentia.161.24; & 163. 13;& 398.7.
Obedientia ſpectat ad voluntatem.517.8,
Obſeruantia legis ex metu.479.9.
Oculi Adam aperti poſt peccatum.45.50.Oculi corporum cœleſtium.79.5.Significant cognitionem Angeli.185.83.
Omiſſio pura non repugnat. 461. An requirat præceptum? 462.4. Moraliter bona nequit dari.465.17. Euentus orti ex omiſſione.467.
Opera conſilij regulantur à lege.533.16.
Operatio Dei duplex.26.12. Vtraque eſt creatio.*Ibid.* Sequitur ad eſſe.115.22. Operatio locatiua Angeli eſt actus potentiæ motiuæ. *Ibid.*23. Operationes Angeli non menſurantur æuo.366.22.
Opinio minùs probabilis.564.Magis tuta. *Ibid.* 11.Probabilior.*Ibid.*12.
Ordines Angelorum ſunt genera ſubalterna. 189.14.Connectuntur ad inuicem.313.7.Ordines primæ hierarchiæ Deo aſſiſtunt. *Ibid.* 13.Eorum numerus. 314. Differunt ratione donorũ.316.13.Rectè diſponũtur à D.Dion. 317.Ad ordines Angelorum aſſumuntur homines iuſti.318.Ordines Angelorum ſanctorum remanebunt quoad excellentiam, non quoad officia.320.2.

Ordinis definitio. 308.11. Ordo Vniuerſi non eſt à caſu.374.21.Ordo perfectior.98.12.Ordo ſitualis.145.15.
Ordo in dœmonibus.321.4.
Origenes docuit Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei. 95.2.

PAradiſus terreſtris.42.29.
Peccans ex ignorantia, vel ignorans 271. 7.Syllogizat in quatuor terminis.273.10.Ex malitia *Ibid.* 10. Peccans mortaliter, vel venialiter conſtituit finem vltimum in creatura.381.8.Peccans circa impoſſibile. 506.13. Peccatum non habet cauſam efficientem. 271.5.
Perfectio naturæ inferioris, quomodò ſit in natura ſuperiori?169.14.
Perfectius ſimpliciter eſt ſimplicius.193.39.
Perſonalitas eſt quid poſitiuum. 88.12. Differt à natura.89.13.
Philippus Vicecomes.410.5.
Philoſophorum errores.61.1.
Potētiæ rationalis,& materialis diſcrimen.212. 24. Potentia eodem actu fertur in plures rationes. 378. 8. Potentia ad non eſſe duplex. 91. 9. Executiua in ſpiritibus differt ab intellectu,& voluntate.67.25. Infinita negatiuè. 73.16. Paſſiua mediat inter ens, & nihil.13. 10.Nō diſtinguit.87.55. Obediētialis eſt paſſiua.74.26.Eſt in creatura.*Ibid.*24.
Præceptum datum Adæ.43.33. Obligans ad referendas omnes actiones in Deum.563.23.
Prædicamenta in accidente.57.30.
Prælatio in Dœmonibus.321.6.
Præſentia non conſtituit in loco.113.16.
Præterita an habeant eſſe? 207.29.
Prima regula indefectibilis.271.6.
Principatus tria importat.307.4.
Principium tripliciter dicitur.2.3. De quo magis principaliter dicatur? 3.7. Non importat ſimilitudinem in natura.5.5.
Principia rerum naturalium ſunt tria in fieri. 35.15.Duo in facto eſſe.37.25.
Priuatio non eſt principium. 35. 15. Limitat actionem.63.12.
Probabilitas duplex.564.12.
Proportio inter obiectum,& potētiam. 218.16; 419.9.
Propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI.565. 17.
Proprietates quid ſint? 178.55. Proportionantur cum eſſentia.189.13.
Pſitacorum voces lepidæ.387.30.
Puer quando obligatur ad ſe conuertendum in Deum? 500.8.
Punctus nequit ſuſcipere operationem. 120. 5. Quomodò tangat alium punctum? 403.10.
Pythagoricorum opinio.436.5.

QVantitas virtutis quid præſtat? 86. 52; & 112.13.Quantitas in Sacramento Altaris habet modum ſubſtantiæ.361.7.
Quies eſt terminus motus. 149.22. Quies Dei die ſeptimo.40.21.

RAtio ſeminalis quid,& quotuplex? 34.
Rectum index ſui,& obliqui.212.24.
Regulæ morum. 554.44. Prima Regula nequit deficere. 271. 6.
Relatio creaturæ ad Deum.57.28.
Res inclinatur ad ſui conſeruationem. 245. 8. Nequit deſtrui per ſolam potentiam agentis.92.16.Res vnius ſpeciei nequit repræſentare rem alterius ſpeciei.162.6.
Reſurrectio carnis qualis futura? 445.1. An caro comeſta reſurget in comedente?*Ibid.*An corpora reſurgent ſpiritalia?*Ibid.*3. An cum defectibus naturalibus?*Ibid.*4. An cum cicatricibus?*Ibid.*5.An cum vitijs? *Ibid.*6. An cū æquali ſtatura? *Ibid.*7. An in proprio ſexu? *Ibid.*8.
Romanis cur conceſſum tam vaſtum Imperiū? 555.51.

SAbbathi obſeruantia.30.32.
Sacramenta cauſant gratiam phyſicè. 51. 25. Habent bonitatem ex opere operato. 559.74.
Sadducæi negarunt Angelos.76.3.
Saturni ſtella frigida,& lenta.38.6.
Scelera in ebrietate ſunt peccata.537.35.
Scientia dupliciter variatur.174.39.
Scriptura tradita Sapientibus,& rudibus.30.31.
Secreta cordis dupliciter noſcuntur.208.2.Spectant ad ordinem Vniuerſi.213.32.
Sententia quid ſit?514.2;*& ſeq.*
Sententia *Beatiſſ.P.Aug.*de ſex diebus.26,10.
Serpens callidior cunctis beſtijs.44.43.Cur per ipſum tentatus Adam? *Ibid.*45. Quomodò tentauit Euam? 45.49.
Simon Magus gerebat animam pueri.78.15.
Simplicitas defectiua, & perfectiua. 190.23.
Species Angeli repræſentat infinita ſincathegorematicè.184.81.Eius vniuerſalitas.*Ibid.*79. Vnitur intellectui,vt forma determinās.155. 21.Impreſſæ,& expreſſæ diſcrimē.157.34.Angelicæ,& humanæ differentia.173.34.In Angelis ſunt veræ proprietates.178.51.Species poſſibilium ſunt finitæ.180.62. Species Angeli repræſentant quiditatiuè. 183.75. Species in actu pleno.209.8.
Specie differre eſt differre perfectione.433.14.
Specierum Euchariſtiæ corruptio. 68. 30.
Spinæ an fuerint ante peccatum?40.17.
Spiritus S. cur nominetur poſt creaturas? 7.9. Significatur nominato Patre,& Filio.7.10.
Spiritus an comburantur igne?82.25;& 415.7.
Status viæ,& termini ſimul.265.16.
Stella differt à ſtella.433.17.
Stoicorum errores.389.2,& 455.6,& 459.24.
Subordinatio in eſſendo,& agendo. 66.20.
Subſtantia mediatè operatiua.66.21.
Succeſſiuum nequit produci in inſtanti.148.19. Duplex eſt.357.5.

Si-

Superbia reſpectu ſui ipſius. 289.16;& 25.
Supernaturalitas quid,& quotuplex?216.6.
Sybillarum prædictiones.205.20.
Sydera non ſunt animata.77.8.
Synderesis ethimologia.563.1. Nequit admittere errorem.564.2.An extinguatur? *Ibid.*3.
TEmpus dupliciter ſumitur. 3.10. Creatum in primo inſtanti.14.17.Tempus Angelicum eſt diſcretum.140.19; & 363.6. Eſt in prædicamento qualitatis.365.18. Spectat ad tertiam ſpeciem. *Ibid.*20. Eſt vnum per aggregationem. 141.23. Differt ſpecie à tempore noſtro.149.23.Tempus aliud continuũ, aliud diſcretum.146.4.
Tenebræ quid ſignificent? 9.17;& 14.2; & 10.22;& 16.7.
Terminus,& via poſſunt eſſe ſimul.59.40.
Terra quid ſignificet? 8. Eius ethimologia.10.19.Eius inanitas.11.1.
Theologia procedit ex Scripturis.97.9.
Translatio duplex.11.24.
Trinitatis myſterium quo ſignificetur? 6.6.
Triſtitia non eſt pura paſſio.*Vid.Delectatio.*
VErbum otioſum eſt malum.560.10.
Verbum Diuinum eſt principium creaturarum.2.4.Eſt virtus,& Sapiẽtia Patris. *Ibid.* Verbum aliud ex fœcunditate,aliud ex indigentia naturæ.156.32.
Veſpera quid ſignificet? 21.7;& 30.32.
Via ducens ad vitam anguſta.566.19.
Violentia cauſat inuoluntarium. 478.7. Differt ab inuoluntario,& coactio.469.1. Eius definitio.*Ibid.*6.Eſt cõtra internum impetum.471.10.
Virginis violatio.478.8.Virginis fatuę.565.16.
Virginitas quid requirat?444.11.
Virtus triplex.491.11.Virtus actiua à Deo tradita creaturis. 36.20. Virtus creatiua nequit communicari creaturæ.70.7. Nec annihilatiua.67.23.Solo numero diuerſa nequit eſſe in eodem ſubiecto.128.7.Eius definitio.551.24.Virtutes Theologicæ. *Ibid.*
Viſio beata poteſt augeri accidentaliter.390.7; & 236.34.Reſpondet Fidei. 393.9. Eſt ſummum bonũ in genere.399.12.Viſio D.Pauli. 420.4;& 427.17.
Vltimum reſpondet primo.372.8.
Vnio quotuplex ſit?161.24.
Vnitas conuenientiæ,& identitatis.184.82.
Vnus non refertur ad ſecundum.26.13.
Volitio circa bonum,& poſſibile.505.7.
Voluntarij definitio.447.3.Quid importet?448.13.Quotuplex ſit?449.22. Voluntarium neceſſarium eſt magis perfectum.450.26.
Voluntas ſolùm circa media eſt libera. 422.13; & 497.14.Nõ ſatiatur per actum intellectus. 411.9.Nequit cogi à Deo. 475.9; & 477.1; & ſeq; Mouetur à Deo quoad actus ſupernaturales. 487.1. Et quoad naturales liberos. 489.7.Mouetur ab obiecto.490;& ab intellectu.492;& à phantaſmatibus. 494. 13. Nequit moueri ſine præuia cognitione.*Ibid.*15. Mouetur ab appetitu ſenſitiuo.*Ibid.* Mouet ſe ipſam.496.Mouet ſe liberè ad omnem volitionem liberam, quæ cum illa non eſt concreata.500.7.Mouet alias potentias.502. Eſt domina in regno animæ.503.2.Mouet immediatè intellectum,& mediatè potentias ſenſitiuas.504.18. Eodem actu poteſt tendere in finem,& media.507.
Voluntas, ſeu primus actus voluntatis eſt tantũ circa finem.505.
Volũtas Dœmonum rebellis à ratione.277.30.
Vſus indifferens rationis requiritur ad libertatem.458.21.
Vſus quotuplex?525.2.Differt ab abuſu.*Ibid.*4. Eſt actus voluntatis.*Ibid.*10.Definitur. *Ibid.* Poteſt eſſe idem cum fruitione.526.20. Quibus competat? *Ibid.*21. Quibus rebus vti liceat?*Ibid.*23.
Vti fruendis,& frui vtendis eſt peccatum. 527.26.
Vtilitas conſtituit medium.371.5.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google